6

NAZIONALE
VITTORIO EMANUELE

4 I
43

6-5 D. 45

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Natalis Co

Digitized by Google

# NATALIS COMITIS
# MYTHOLOGIÆ,

*siue*

## EXPLICATIONIS FABVLARVM, LIBRI DECEM:

*In quibus omnia prope Naturalis & Moralis Philosophiæ dogmata contenta fuisse demonstratur.*

Nuper ab ipso autore recogniti & locupletati.

*Eiusdem libri quatuor, de Venatione.*

Cum INDICE triplici, rerum memorabilium, vrbium & locorum a varijs heroibus denominatorum, ac plantarum & animalium singulis Dijs dicatorum.

*Opus cuiusuis facultatis studiosis perutile ac prope necessarium.*

Addita Mythologia Musarum, à GEOFREDO LINOCERIO vno libello comprehensa, & nunc recens à F. S multis & fœdis mendis expurgata.

*Cum gratia & Priuilegio S. Rom. Imp. Vicarij ad ann. X.*

Di Fran.co Rossi di Antonio comprato ... Cosentino in bottega di Gae... a 5. X.bre 1806

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

HANOVIÆ,
Typis Wechelianis, Impensis Danielis ac Dauidis Aubriorum & Clementis Schleichij.

M. DC. XIX.

# ILLVSTRISSIMO ATQVE REVERENDISSIMO DOMINO IOAN. Baptistæ Campeggio Maioricensi Episcopo S. P.

DIcaveram *libros hos Mythologicos Serenißimo Gallorum Regi Carolo Nono fel. mem. tanquam munus non plane regia celsitudine indignum, vt in quibus omnia sapientiæ præcepta contineantur tam ad mores, quam ad naturam huiusce vniuersi spectantia. Sed bellici tumultus de religione in vniuersa prope Gallia insurgentes ita illum Regem vexarunt dum imprimerentur, vt ad quiduis potius quam ad literarum cognitionem oculos detorquere liceret. Inde effectum est, vt neque tunc missi sint ad Regem, vt importune inter arma vbique obstrepentia: neque postea, vt res iam inueterata, & in manibus omnium diu versata. At nunc mortuo illo Rege cum multis rebus acti locupletatique denuo prodeant in lucem, vel vt antiquorum institutum seruem, qui sua opera viris illustrioribus suæ tempestatis, præstantioribusque gloria, virtute, auctoritate consecrarunt; vel vt per hanc opportunitatem in gratiam amplitudinis tuæ admitterer; volui tibi opt. Ioan. Baptista Campeggi hanc Mythologiam reuocatam à frustra instituta dicatione regia consecrare. Neque existimo sane meum consilium cuiquam non maximopere probatum iri, quoniam non est obscurum te regio animo,*

*regiaque magnificentia inter mortales plurimum præstare, & non mediocriter præterea oblectari sapiētiæ studiis. Quid enim te illustrius dici aut commemorari potest, qui præ te fers regiam quandam admirabilem magnificentiam ac bonitatem in omnibus dictis factisque tuis? Non dico hoc temere. Scio in his duobus omnem laudem humanæ vitæ contineri. Scio me hæc non supra animi tui bonitatem efferre. Nam vtriusque virtutis singulare argumentum dedisti, cum maximos prouentus episcopatus Maioricæ repulisti ob corporis tui imbecillitatem, quia sic & quod sit vere episcopi munus ostendisti, & te Dei cultum propriis tuis commodis anteferre: cum alioquin non minor sit aliquando in contemnendis, quam in consequendis magistratibus dignitas, Reliquum est vt pro singulari bonitate, amplitudineque animi tui, meum hoc obseruantiæ in te meæ pignus beneuolo animo complectare. Venetiis Calend. Septembris, Anno 1580.*

Ampl. tuæ deditiss.

Natalis Comes.

CATALOGVS

# NOMINVM VARIORVM SCRIPTORVM, ET OPERVM, QVORVM SENTENTIÆ vel verba in his libris Mythologicis citantur.

## A.

ACesander.
Acesilaus.
Acesodorus.
Achæus in Æthone Satyrico.
Acusilaus.
Adæus Mitylenæus de statuariis.
Æschylus in Prometheo,
Eumenidibus,
Persis,
Bacchi nutricibus,
Sacerdotibus.
Aetius.
Agamestor.
Agatharchides Cnidius in rebus Europicis.
in rebus Asiaticis.
Agathias.
Agathocles de arte ferraria.
Agrætas in rebus Scythicis,
Libycis.
Albertus Magnus.
Alcæus epigrammatographus.
Alcimus in rebus Siculis.
Alcetas de depositis in Delphis.
Alcman Melicus.
Alexander Myndius de iumentis.
Alexis epigrammatographus.
Alpheus Mitylenæus de laude Deli.
Anaxagoras Clazomenius.
Anaxandrides Rhodius.
Anaximander.
Anaximenes.
Andrætas Tenedius in nauigatione Propontidis.
Andro Teius in nauigatione, epitomis affinitatum.
Androtion de sacrificiis.
Anticlides in rebus Deliacis,
in reditibus.
Antigonus.
Antigonus Carystius in dictionibus.
in historicis commentariis.
Antimachus Argiuus in Argonauticis,
in Centauromachia.
Antimenides in historiis.
Antipater Sidonius.
Antipater epigrammatographus.
Antipater Stoicus.
Anytes.

Apollinis oracula.
Apollodorus Atheniensis in bibliotheca.
Apollodorus Cyrenaicus de Diis.
Apollodorus Cyzicenus.
Apollodorus Gelous in Philadelphis.
Apollonides epigrammatographus.
Apollonius Attalicus in cõpositione.
Apollonius Pergęus de conis.
Apollonius Rhodius in Argonauticis.
in ædificatione Alexãdrię.
Apollonius Smyrnæus.
Arabius epigrammatum poeta.
Aratus in Phænomenis.
de signis aquarum & ventorum.
Arati enarrator.
Archelaus de fluminibus.
Archemachus Euboicus.
Archias epigrammatum poeta.
Achæus de archeanatide, de bello Erythræo.
Archippus de piscibus.
Aretades Cnidius in reb. Macedonicis.
Aristippus in reb. Arcadicis.
Aristo Chius,
Aristocles de choris.
Aristocritus.
Aristodemus Abderites de statuariis.
Aristophanes in Auibus,
Equitibus,
Nebulis,
Pace,
Pluto,
Ranis
Vespis.
Aristophanis enarrator.
Aristophon Pythagorista.
Aristoteles de cœlo,
Generatione,
Meteorologicis,
Motu animalium,
Mundo,
Historiis animalium,
Aristoxenus de tibicinibus,
de foraminibus tibiarum,
de rebus gestis Alexandri.
Arrianus in rebus gestis Alexandri.
Arrianus de rebus Bithynicis
Artemidorus Ephesius.
Artemidorus de somnis.
Asclepiades Myrleanus.
Asius.
Athenæus.
Athenodorus Byzantius.

B

BAcchylides.
Bito de musicis instrumentis.
Boethus de musica.

C

CÆsar Germanicus.
Calaber.
Callias ad Agatheoclem.
Callimachus in hymnis, de cõditis insulis & habitatis vrbibus, & illarum nominibus in Hecale.

Calli-

Callisthenes in nauigatione.
Calliſtratus de Heraclea.
Callixenus Rhodius de Alexandro.
Carcinus tragicus poeta.
Caryſtius hiſtoricus.
Catullus in Argonauticis.
Cecrops.
Chærecrates.
Chæremo.
Chæris.
Chares Mitylenæus.
Charicles in cathena.
Charon Lampſacenus.
Chœrilus.
Cicero de natura Deorum,
Finibus,
Legibus,
Vniuerſitate,
Quæſt. Acad.
Diſput. Tuſc.
pro domo ſua,
Pub. Sextio,
Roſcio Amer.
Lege Manilia,
in Verrem,
Arateis carm.
Claudianus de rapta Proſerpina.
Clearchus Solēſis de terrore,
torpedine piſce,
amatoriis,
in libris vitarum.
Cleon in Argonauticis.
Conon in Heraclea.
Corinnus Delius.
Cornelius Agrippa.
Cornelius Gallus.
Cornelius Tacitus.
Crates,
Cratinus in Chirone,
Crato.
Crobylus,
Cteſias in Perſeide.

D

DAliochus de euerſione Cyzici.
Daimachus Alexandrinus de reditibus.
Damagetes.
Damarchus de cert. Dionyſiacis.
Damaratus de certam. Dionyſiacis.
de mutatis nominibus.
Demetrius Bizantius in poematis.
Demetrius Chlous.
Demetrius Scepſius.
Democritus.
Demoſthenes in Ariſtogit.
contra Timocratem,
in Midiam,
ad epiſtolam Philippi,
Neæram,
Diagoras.
Dicæarchus in rebus Ægyptiis.
Dictys Cretenſis de bello Troiano.
Didymus.
Dio in tertia compoſitione.
Diocles in lethiferis pharmacis,
in fabuloſis.
Diodorus poeta.
Diodorus hiſtoricus.
Diogenes Laertius.

Diagnetus in rebus Smyrnæis.
Dionysiocles.
Dionysiodorus.
Dionysius Chalcidicus de ædificatione.
Dionysius de situ orbis.
Dionysius Halicarnasseus.
Dionysius Milesius in Argonauticis.
Dionysius Mitylenæus de Circulis.
Dionysius Thrax in diæresibus.
Diophanes historicus Ponticus.
Dioscorides.
Dioscorides Sicyonius.
Dioxippus Corinthius in rebus patriis.
Diphilus.
Diphilus Siphnius.
Direchidas in rebus Megarensibus.
Dorion de piscibus.
Dorotheus Sidonius.
Doroth. in metamorphosi.
Duris, Samius de Agathocle
de rebus Libycis,
de rebus Macedonicis.

E

Echemenes in rebus Cretensibus.
Empedocles.
Ephorus de ponderibus
Epicharm. in Hebes nuptiis,
in Busiride,
Epicurus.
Epicus.
Epigenes in Heroina.
Epimenides Cretensis.
Epimenides poeta.
Epiphanius in Ancorato.
Eratosthenes in architectonico.
Euanthes in fabulosis.
Eubulus in Chrysilla,
in Campylione.
Euclides in opticis.
Eudoxus Cnidius de ambitu terræ.
Euenor de fluminibus.
Eumelus Corinthius poeta historicus.
Eumelus Tegeates.
Eumolpus de sacrificiis.
Eumolp⁹ Thrax in historiis.
Euphorion.
Euphranor de tibicinibus.
Euphronius historicus.
Eupolis.
Euripides in Alceſtide,
Andromache,
Bacchis.
Cyclope,
Electra,
Hecuba,
Helena,
Heraclidis,
Hercule insano.
Hippolyto Coronifero,
Ione,
Iphigenia in Aulide,
Medea,
Melanippe,
Oreste,
Phaethonte,
Phœnissis,

Rheſo,
Supplicibus,
Troadibus,
Euſeb. in præpar. Euangelica,
de falſa religione,
temporibus,
theologia Phœnicum.
Euthydemus Athen. de ſalſamentis.

G

GAbrias in Iamb. is fabuloſis.
Galenus in ſuaſoria.
Georgius Gemiſtus in rebus Græcorum.

H

HEcatæus Mileſius in Phoroneo,
in Genealogiis,
Hyperboreis.
Hegemon in Georgicis.
Hegeſagoras in rebus Megarenſibus.
Hegeſander.
Hellanicus de ædificatione Chij.
Hellanicus Lesbius in rebus Ætolicis,
in Cranaicis,
in Theſſalicis,
Heliodorus Lariſſæus de Opticis.
Heraclides Ponticus in amatoriis.
Heraclitus Sicyonius de lapidibus.
Hermeſianax elegiographus
Hermippus de magnificẽtia templorum & ſacris regum donariis.
Hermocreon epigrammatum poeta.
Hermodotus Platonicus de diſciplinis.
Hermogenes de Phrygia.
Herodianus in vniuerſa hiſtoria.
Herodotus de Perſeo & Andromeda,
de vinculis Promethei,
de bello Teleboico,
in Argonauticis.
Herodotus in Calliope,
Clio,
Erato,
Euterpe,
Melpomene,
Polymnia,
Terpſichore,
Vrania.
Herophilus.
Heſagoras in rebus geſtis Megarenſium.
Heſiodus in Theogonia,
Operibus & diebus,
Scuto,
Sacro ſermone,
Claris mulieribus,
Ceycis nuptiis.
Hippias de ſtatuariis.
Hippocrates.
Homerus in Iliade,
Hymnis,
Odyſſea.
Horatius in libro Carminũ,
Epodon,
Secularibus,
Sermonibus,

Poetica.
Hyginus de ftellarũ fabulis.

I

IAmblichus.
Ibycus.
Idmon.
Ioannes Diaconus.
Ioannes Antiocheus.
Ion
Iophon Gnofius in oraculorum explicationibus.
Ifacius.
Ifocrates.
Ifter de Coronis,
Iftrus de rebus Atticis.
Iulianus Ægyptius.
Iulius Pollux.
Iuuenalis.

L

LActantius.
Lafus Hermioneus.
Leo Byzantius de fluminib.
Leonidas epigrammatographus.
Lefches in parua Iliade.
Libanius.
Lucianus de Amoribus.
Aftrologia,
Apoll. & Vulc.
Charonte,
Concilio Deorum,
Cygno.
Dea Syria,
Dialog's Deorum,
Dialogis mortuorum,
Dipfadibus,
Falfo vate,
Ganymede,
Gymnafiis,
Hærefibus,
Hiftoria vera,
Iunone & Ioue,
Ioue tragœd. inducto,
Iride & Neptuno,
Luctu,
Marinorum deorum dial.
Meretricio,
Nauigio,
Necyomantia,
Nigrino,
Pane & Mercurio,
Panope & Galatea.
Philopfeude,
Prometheo,
Sacrificiis,
Saltatione,
Saturnalibus,
Timone,
Venere, & Luna,
Zephyri & Noti dial.
Lucianus epigrãmatũ poeta.
Lucretius.
Lycophron,
Lyfimachides,
Lyfimachus Alexandrinus in rebus Thebanis.

M

MAnilius in Aftron.
Marullus.
Melanthes de facrificiis, de myfteriis.
Melanthus de imaginibus Deorum.
Meleager.
Menander in Tibicina.
Menander de myfteriis.
Menecrates.
Menodotus Samius de rebus egre-

egregiis Sami.
Mercurius Trismegistus.
Metrodorus de cō uetudine
Mimnermus in Pumilone,
Mnaseas de Asia.
Mnesagoras.
Mnesimachus Phaselites.
Mœro.
Musæus de Isthmis,
Titanographia.
Myro Prieneus in Messeniacis.
Myrtilus in rebus Lesbicis.

N

NAtalis Comes in Venationibus,
epistolis,
aucupiis.
Naucrates Erythræus.
Nicander Ætholus in Alexipharmacis.
Nicander Golophonius in Alexipharmacis,
in Theriacis,
in rebus Ætolicis,
in libro Europæ,
linguarum.
mutatorum,
Georgicis,
Nicandri enarratot.
Nicanor Samius de fluminibus.
Nicephorus.
Nicetas Syracusius.
Nicocrates Cyprius in rebus patriis.
Nicostratus.
Nilus.
Numenius de piscationibus.
Nymphis in Heraclea
Nymphodorus Syracusius in historiis,
Asiatica nauigatione.
Erinnybus.

O

OLympionicus in libro de plantis.
Onasus in reb. Amazonicis.
Oppianus in Venatoriis.
Oracula.
Orosius.
Orpheus in Argonauticis,
in hymnis,
Minore cratere,
Sacro sermone,
Lapillis.
Ouidius de arte amandi,
Fastis,
Remedio amoris,
Medicamine faciei,
De Tristibus,
De Ponto,
In epistola Acontii,
Ariadnæ,
Cydippes,
Deianiræ,
Didûs,
Helenæ,
Hypsipyles,
Ibide,
Leandri,
Liuiæ,
OEnones,
Paridis,
Phædræ.
Phyllidis,
Sapphus,
Metamorphosi.

P.

PAlladas epigrammatographus.
Panyasis.
Paulus Silentiarius epigrammatum poeta.
Pausanias in Atticis rebus,
Achaicis,
Arcadicis,
Bœoticis,
Eliacis posterioribus,
Eliacis prioribus,
Laconicis,
Phocicis,
Messeniacis.
Perimander de sacrificiorum ritibus.
Phæstus in reb. Macedonicis
Phanodemus in reb. Atticis.
Phanodius.
Pherecrates de sacrificiis, metalla fodientibus.
Pherecydes in Iunonis nuptiis.
Philippus Byzantius epigrammatum poeta.
Philochorus de sacrificiis.
Philostephanus in rebus Cypriis,
in rebus Italicis,
Philemon.
Phocylides.
Phylarchus historicus.
Phœnix Colophonius.
Pisander Camirensis.
Pindarus in Olympicis,
Pythicis.
Pindari enarrator.
Plato in Apologia,
Axiocho,
Conuiuio,
Cratylo,
Critia,
Euthyphrone.
Gorgia.
Legibus,
Memnone,
Phædone,
Phædro,
Repub.
Timæo.
Plato Comicus in Decipiēte.
Plautus in Amphitryone,
Aulularia,
Plinius.
Plotinus.
Plutarchus in Alexandro,
Arato,
Aristide,
Bruto,
Catone Vtic.
Cleomene,
Lucullo,
Nicia,
Numa,
Paulo Æmilio,
Pelopida,
Pyrrhe,
Sertorio,
Solono,
Themistocle,
Theseo,
De fluminibus,
Audiendis poetis,
Problematis symposiacis,
De musica,
Amore parētum in filios,

Sera

Sera Dei vindicta,
De superstitione,
Problematis,
Fortuna Romanorum,
Ignis an aqua vtilior,
Industria animalium.
Polemo ad Adæum & Antigonum,
Eratosthenem.
Timæum.
Pollux.
Polybius.
Polycrates Samius.
Polyzelus Rhodius.
Polycharmus in rebus Lyciis.
Polyidus dithyrambicus.
Pompeius.
Pomponius Mela.
Porphyrius de sacrificiis.
Posidippus epigrammatographus.
Posidonius de Diis & Heroibus.
Posis in Amazonide.
Psellus de dæmonibus.
Proclus in Hesiodum.
Promachidas Heracleota.
Propertius.
Ptolemæus in Almagesto.
Ptolemæus epigrammatographus.
Pytheas de ambitu terræ.
Pythagoras Samius.
Pythænetus in rebus Æginetarum.

Q.

Qvintus Smyrnæus.

R.

RHianus in Heraclea.
Rufus Auienus.

S.

SAbinus.
Sappho.
Scymnus Delius.
Seleucus in miscellaneis.
Semus Delius in rebus Deliacis.
Seneca in Agamemnone.
Sesosthenes in rebus Ibericis.
Sibylla.
Silenus Chius in fabulosis historiis.
Simonides Amorgius.
Simonides poeta.
Simonides Ceus in genealogiis.
Socrates in commentariis ad Idotheum.
Sophocles in Aiace,
Antigone.
Captiuis.
Electra.
OEdipode Coloneo.
OEdipode tyranno,
Rizotomis,
Trachiniis.
Sophoclis enarrator.
Sosibius tragicus.
Sosiphanes in Meleagro.
Sostratus in introductione fabulosæ historiæ,
de animalibus.
Staphylus de Thessalia.
Stasinus in rebus Cypriis.

Stesichorus.
Stesichorus Himeræus.
Stesimbrotus.
Strabo.
Suidas in rebus Thessalicis.

T

TArrhæus.
Thales Milesius.
Theætetus.
Theagenes de Diis.
Thelytus Methymnæus in Bacchicis carminibus.
Theocritus in Adonia celebrantibus,
Amaryllide,
Bubulcis,
Cerealia celebrantibus
Cyclope,
Dioscuris,
Encomio Ptolemæi,
Epitaphio Adonis,
Epitaphio Bionis,
Europa,
Hercule paruo,
Hercule leonicida,
Hyla,
Pastoribus,
Pharmaceutria,
Syracusiis,
Thelysiis,
Thalysia celebrantibus,
Thyrside,
Viatoribus,
Theocriti enarrator.
Theodorus de bello Giganteo.
Theodorus Cyrenensis in Metamorph.
Theognis.
Theolytus in Horis.
Theopõpus in Callæschro;
in rebus Græcis,
in Philippicis,
in Epopæis.
Theophrastus in historiis plantarum,
causis plantarum,
de igne,
de lapillis,
de iis quæ in sicco degunt,
de signis ventorum & serenitatis.
Theophanes.
Theseus in rebus Corinthiis.
Thrasybulus in historiis.
Thucydides.
Tibullus.
Timachidas de coronis.
Timagetus de portubus.
Timæus Siculus in rebus Siculis,
in historiis,
in rebus Deliacis,
in rebus Italicis.
Timarchides.
Timocles
Timocreon Rhodius in scoliis.
Timonax in rebus Scythicis,
in rebus Italicis.

V

VAlerius Flaccus in Argonauticis.

Virgilius in Æneide,
in Georgicis,
in Bucolicis.
Vitellio in Opticis.

X.

XAnthus in rebus Ætolis.

Xenagoras de insulis.
Xenophon in conuiuio.

Z.

ZEnodotus Cyrenæus.
Zenodotus Ephesius in compendiis,
in Linguis,
Zezes,

# EGREGIO AC PRÆSTANTI VIRO, D. ANDREÆ WECHELO, amico meo cariſſimo.

MAGNIFICE ac præſtans amice: pergratæ mihi fuerunt literæ tuæ: gratum exemplar: ſed gratiſſima diligentia, qua omnes vſi eſtis in meis Mythologicis imprimẽdis, & inprimis Sylburgius noſter, vir meo quidem iudicio, maximæ eruditionis & ingenii: cui gratias ago immortales pro ſuo optimo in me animo. Sed vellem quæ palam erant deprauata & errata in Græcis primum correxiſſet vt reipſa oportebat, deinde notauiſſet. Ego enim me non ita diuino ingenio eſſe profiteor, nihil vt omnino in tanto tamq; diuturno opere obdormitarim. Ac facile erat illud de Eumolpis corrigere, & pro illo ὄπας ὄμπνας ſuggerere, & pro ſuccis fruges. Carmen vero quod ſe non potuiſſe inuenire inquit, apud Homerum eſt Iliad. ν, ita ſe habens, Μίνως δ' αὖ τίκτ' υἱὸν ἀμύμονα Δευκαλίωνα, Si contigerit vt volumen denuo imprimatur, oro eundem Sylburgium, vt tanquam compater operis pro ſuo optimo iudicio, ſi quid amplius erratum eſt incuria impreſſorum aut varietate lectionum deprauatum, corrigere illud ne vereatur: quia non feram iniquo animo mea ſcripta purgatiora, melioráq; ad præſentium poſterorumque vtilitatem edi: atque inprimis quum illud fiet ab amico animo, & doctiſſimo viro. Neque minus ſane cupio Germanorum quam Italorum commoda, quæ mihi gratiſſima & optatiſſima ſemper euenient. Verumtamen ſi me quoque certiorem feceritis antequam mea imprimantur, ſciatis velim me quoque poſſe nonnihil adiumenti importare: quia cupio mea ſcripta, ſi poſſim, quampauciſſimis mendis ſcatere quod in poſterum faciatis, vos obſecro. me enim ad veſtra vota in hoc genere ſemper promptiſſimum inuenietis: & facilius quod ego non videro, vos pro ſumma diligentia veſtra inquiretis. Interim velim me loco amici veſtri non vulgaris habeatis, quibus omnibus in rebus cupio inſeruire. Valete viri optimi, Sylburgi, Wechele, Obſopœe, mihi dilectiſſimi, quibus ſalutem ac diuturnam fœlicitatem precor, Venetiis 3. Xbris, 1581.

*Veſtrum amantiſſimus, & ad vota promptus, Natalis Comes.*

tionem erigunt, quæ instituunt ad probitatem; quæ deterrent ab illegitimis voluptatibus: quæ patefaciunt arcana naturæ; quæ vel ad scientias denique rerum necessariarum humanæ vitæ, vel quæ ad integritatem perducant, & quæ plurimum faciunt ad optimos quosque scriptores rectè intelligendos.

## *De fabularum vtilitate.* CAP. II.

TANTA est sane vtilitas quam ex fabularum cognitione percipimus, quanta nullius verbis explicari posset: quod tamen nemini fere est perspicuum, nisi si quis præclaro ingenio sit ab ipsa natura præditus, multaque antiquorum scripta diligentius considerarit. Nos igitur, sicuti solēt medici, qui è venenatis etiam vel herbis vel animalib. vtilia pharmaca colligunt, & quod optimum sit, secernunt è singulis, atq; vel perniciosa temperamentorum beneficio sanitati perquam accommodata reddunt, ita facere debemus. Nam altiora fabularum sensa rectè perscrutantes, quid vtile humanæ vitæ sub illis contineretur debemus inuestigare; è quo plurimum reportabimus vtilitatis; illis interim neglectis, quæ nihil nobis conferre videbuntur. Quod autem plurimum commodorum ex hac cognitione consequemur, vel illud maximum est argumentum, quod diuinus etiam Plato primam puerorum eruditionem ab honestis fabulis incipere iussit in libro secundo Reip. cum ita inquiat; τὰς δ' ἐγκριθέντας πείσομεν τὰς τροφούς τε καὶ μητέρας λέγειν τοῖς παισί, καὶ πλάττειν τὰς ψυχὰς αὐτῶν τοῖς μύθοις πολὺ μᾶλλον ἢ τὰ σώματα ταῖς χερσί. *Selectas autem fabulas matres ac nutrices pueris narrare hortabimur, animosque illorum fabulis diligentius, quam corpora ipsa manibus informare.* Nam profecto quis nesciat, omnia prope Deorum gentium mysteria fuisse ab antiquis sub fabulis occultata? Cum enim turbę fœminarum & imperitæ multitudini religio, & Deorum metus, & fides & probitas, & temperantia esset in animis inserenda, qui neque Dei naturam intelligerent, neq; integritatem rapinæ ac libidini sine aliquo Deorum metu anteponerent, non solum fabulosæ de Diis narrationes à sapientibus fuerunt excogitatæ: sed etiam fabulosæ imagines, & picturæ monstris prope similes introductæ. Sic fulmina Ioui tributa sunt, tridens Neptuno, sagittæ Cu-

pidini, fax Vulcano; ac varia terrorum instrumēta Diis cæ-
teris Nam cùm minimè sit inexpugnabilis mortaliū natu-
ra, neque validissimas machinas expectet; quippe quæ o-
mnium calamitatum semina intra se contineat, si vel pau-
lulum oculos ab illius custodia Deus deflexerit: per se, sine
aliis pugnæ instrumentis, continuò labefactabitur. Hanc
tantam percipiendam esse ex fabulis vtilitatē apertè decla-
rauit ita Dionysius Halicarnasseus libro 1. Rerum antiqua-
rū, καὶ μηδεὶς ὑπολάβοι με ἀγνοεῖν ὅτι τῶν Ἑλληνικῶν μύθων εἰσί
τινες ἀνθρώποις χρήσιμοι· οἱ μὲν ἐπιδεικνύμενοι τὰ τῆς φύσεως
ἔργα δι' ἀλληγορίας· οἱ δὲ παραμυθίας ἕνεκα συγκείμενοι τῶν ἀνθρω-
πίνων συμφορῶν· οἱ δὲ ταραχὰς ἐξαιρούμενοι ψυχῆς, καὶ δείματα,
καὶ δόξας καθαιροῦντες οὐχ ὑγιεῖς. οἱ δ' ἄλλης τινὸς, ἕνεκα συντε-
θέντες ὠφελείας: *Neq; mihi obscurum esse quis existimet quòd è
Græcis fabulis nonnulla sunt hominibus perutiles: alia siquidem
sunt, quæ naturæ opera sub allegoriis contineant; alia humanarum
calamitatum habent consolationem: alia terrores, animorumque
perturbationes à nobis depellunt, opinionesque parum honestas de-
struunt, alia alterius cuiuspiam vtilitatis causa fuerunt inuenta.*
Nos idcirco vniuersam fabularum diuisionem ita facien-
dam censuimus; quod aliæ fabulæ naturæ secreta conti-
nent; vt illa, quod Venus è spuma sit genita, quod Phœbus
Cyclopas occiderit, quodque illi fulmina Ioui fabricarint.
Aliæ fortunæ constantiam declarant, nosque ad eam forti
animo ferendam instruunt, vt ea quę de Phœbo dicta sunt,
quod armenta pauerit Admeti. Aliæ ab impuris opinioni-
bus, & à crudelitate, atque ab omni perfidia & impura li-
bidine nos retrahunt, vt Lycaonis fabula. Aliæ ad deter-
rendos homines à rebus turpibus sunt inuentæ, vt Ixionis
supplicium apud inferos. Aliæ cohortantur ad strenuita-
tem, vt ea quæ tradita sunt de Hercule. Aliæ ex auaritiæ
sordibus nos erigunt, vt sitis Tantali. Aliæ ad deprimen-
dam temeritatem confinguntur, vt calamitas Bellero-
phontis & cæcitas Marsyæ. Aliæ ad virtutes nos alliciunt,
ad integritatem vitæ, ad fidem, ad æquitatem, ad religio-
nem, vt mirifica Elysiorum camporum amœnitas. Aliæ ab
omnibus denique flagitiis reuocant, vt seuerissimi Trium-
uiri apud inferos singulorum animas defunctorum iu-
dicantes, & grauissima consceleratorum supplicia. Equi-
dem sic existimo, quasi suauissimum humanæ vitæ con-
dimentum

dimentum existere fabularum inuentionem, ac earum ærumnarum quas in vita patimur non mediocre solatium: quas etiam idcirco à sapientibus fuisse excogitatas censeo. Hinc enim cum singulari oblectatione ea percipimus vitæ recte degendæ præcepta, quibus sine suauitate fabularum terga continuo verteremus Hanc tantam è fabulis vtilitatem capere minime possunt ij, qui altiora fabularum sensa non inspexerint quique primi corticis (vt ita dicam) mirabilitate irretiti nihil diuinius sub illo inesse crediderunt. Hi etenim tanquam parui pueri per brumam apud ignem sessitantes, aniles nugas fabellasq; è poetis imbibunt, cum interim de vtiliore sanctioreque sententia minime sint solliciti.

## *De fabularum varietate.* CAP. III.

SVNT autem plura fabularum genera, quæ nunc à locis in quibus inuentæ fuerunt, nunc ab inuentoribus, nunc ab argumentorum natura, nomen obtinuerunt. A loco quidem Cypriæ, Cilissæ, Sybariticæ. Cum multi fuerint earum inuentores, obtinuit consuetudo vt omnes Æsopicæ dicerentur, cæteris inuentoribus silentio prætermissis, quia in confingendis fabulis Æsopus omnium aliorum fuit artifex ingeniosissimus. Illæ, quæ Sybariticæ dicebātur, agebant de brutis: quæ Æsopicæ, de hominib. Politicæ dictæ sunt, quibus vsi sunt sapientes ad demulcendos animos potentiorum, atque ad deducendam multitudinem ad humaniorem vitæ rationem. Aliæ rursus morales, aliæ rationales sunt vocatæ, aliæ ex his ambabus formis commistæ, inter politicas fabulas argumenta Comœdiarum & Tragœdiarum sunt connumeranda, quia etsi ab agresti vita homines per hæc non euocantur, traduntur tamen ab illegitimis voluptatibus & ab omni intemperantia ad vitæ moderationem. Sed horum argumentorum varia sunt nomina, quia aliæ togatæ, à togis histrionum dicuntur; aliæ palliatæ, à palliis Græcorum, aliæ tabernariæ, pro vestibus & conditione introductarum personarum; aliæ planipediæ, quod neq; soccis, neq; cothurnis, vt in cæteris, horum argumentorū, histriones vterentur; aliæ Attellanæ à loco vbi fuerūt inuentæ, cum tamen simplex sit tragœdiarum nomen. Aristoteles in Rhetoricis Libycas fabulas ab Æsopicis disiun-

xit, quia Libycæ de hominibus, Æsopicæ de brutis agerent: id autem idcirco factum est, quia cum Æsopicis aliorum complures fuerunt commistæ. Fabularum nomine tam apologi, quæ figmenta sunt Æsopica, quam fabulæ, quæ sunt poetarum argumenta continentur, vt formæ sub suis generibus. Illæ, quas explicaturi sumus, fabulæ, ac figmenta antiquorum sapientum, in nullum horum generum simpliciter incidunt, sed virtute cum omnibus his fere commistæ sunt, atque ex omnibus generibus aliquo pacto constant. Quippe cum vel generationem rerum naturalium contineant, vel agant de natura Deorum immortalium, vel de vi planetarum, vel de vita hominum recte instruenda, quarum singularum natura paulo post à nobis explicabitur.

*De apologorum, fabularum, aniorumque differentia.*

## CAP. IV.

SED ante quam poeticarum fabularum, & earum quas explanare instituimus explicationem aggrediamur, operæ precium me facturum esse censeo, si demonstrauero quæ sit inter hæc ipsa genera differentia. E fabulis igitur aliæ sunt, quæ logi siue apologi dicuntur a Græcis, aliæ vocantur μῦθοι, siue fabulæ simpliciter. Apologi vel de brutis fiunt solis, vel cum his homines colloquentes faciunt, apologorumq; illud est minus vt pro exemplis sint in cóncionibus, sicuti testatur Aristoteles in Rhetoricis. fabulæ illæ quæ μῦθοι dicuntur, cum argumenta Tragœdiarum & Comœdiarum complectantur, & omnem vim deniq; poeseos quæ fit per imitationem, communi nomine poeticas etiam, quas tractaturi sumus, continent fictiones. Atque ut sicuti apologi vel agendarum rerum vel omittendarum sunt in concionibus exempla, ita fabulæ in scenis agitantur ad mores hominum vel corrigendos vel informandos: quod etiam testantur musicæ formæ singulis generibus poematum attributæ, vt comico generi Lydia, tragico Dorica, satyræ Satyrica. His præterea generibus propriæ fuerunt saltationes, sicuti testatur Plutarchus in libello de Musica. Censuerunt enim ex maioribus nonnulli nihil omnino recte fieri posse, quod musicæ rationi non conueniret, nihilque tantopere in moribus posse hominum informandis,

dis, quam numerorum concinnitatem & vocum ac fidium harmoniam, ad quarum modulationem omnes & animi & corporis motiones componerentur. Sed quoniam summatim de generibus poëmatum mentionem fecimus, non erit fortasse iniucundum, si quæ de his in mentem veniunt, paucis explicauero; vel quia cum his permistæ sunt fabulæ, de quibus tractabimus, vel certe quia non longe ab his dissident. Omnium igitur poëmatum fons est id quod poëma communi nomine appellatur ob suam præstantiam: hoc enim generibus reliquis impertit argumenta. Hæc inter se differunt tempore, vt ait Arist. in poëtica, quod poëma dictus ob præstantiam longi temporis res gestas complectitur, cum reliqua poëmata intra vnum diem suũ negocium absoluant, vnamque tantum contineant actionem. in hoc rursus hi poëtæ omnes conueniunt, quod omnibus idem est scopus, & ad vnum finem omnes animum intendunt, vt homines meliores efficiant. Idcirco Homerus, vt prudentem atque omnibus virtutibus cumulatum Vlyssem effingeret, illi Phæacum delicias & Blanditias Circes iniungit, & Cyclopum pericula proponit & monstrorum marinorum terrores, à quibus eius socij perdantur, cum tamen ipsum admirabili quadam prudentia ac diuino consilio hęc omnia superantem faciat. Idem rursus Agamemnonem multis facit difficultatibus circumuentum, fortissimorum Heroum cõtentiones excitat, exercitum ira Apollinis prope labefactatum introducit, Troianis aliquando diuinam vim adesse, ac Deos illis præbere admirabilem strenuitatem, commemorat, quo ex his omnibus incredibilem fuisse Agamemnonis fortitudinem, & constantiam declaret; quippe qui vel tot propositis difficultatibus, tamen Priamum debellarit. fuit enim gloriosum pro tuenda æquitate, & pro violato iure hospitij, non pro recuperanda meretricula forti animo pericula subire, cum in arduis difficillimisque rebus gloria collocata sit, nihilque egregium ignauis & desidiosis hominibus sit expositum. Accedit propius Tragœdia, quã prior inuenit Glaucus, ad poëma ob maiestatem personarum, quod in ea nihil non regium aut heroicum sit; quare nullum habent prologum Tragœdiæ sicuti Comœdiæ: cuius inuentor fuit Susarion: quippe cum res priuatas nemo nisi edoctus scire, publicas calamitates vel

ſi velit, nemo ignorare poſſit. Quis enim Regnorum ruinas, fragoremq; euerſarum ciuitatum, ex quibus oriuntur tragœdiæ, non audiuit? aut quis incenſarum vrbium & oppidorum caliginem è longinqua regione non proſpexit? Differunt igitur ab excellenti poeta hæc duo poëmata tépore, ac inter ſe perſonarum dignitate. Atq; de his poematum argumentis ſatis. Differt ænus ab apologis, quia nuda ſit in illis brutorum ſententia, niſi admonitum, quod ἐπιμύθιον vocant, addideris, in eo vna cum ſentētia admiſta eſt admonitio, vt ait in his Ariſtophanis interpres: αἶνος δὲ μύθου διαφέρει, τῷ τὸν αἶνον μὴ πρὸς παῖδας, ἀλλὰ πρὸς ἄνδρας πεποιῆσθαι καὶ μὴ πρὸς ψυχαγωγίαν μόνον, ἀλλὰ καὶ παραίνεσιν ἔχειν τινά. βούλεται γὰρ ἐπικρυπτόμενος παραινεῖν τι καὶ διδάσκειν. *Differt ænus ab apologo, quia ſit ænus virorum cauſa, at non habetur ad pueros, neque delectationis tantum ſit cauſa, ſed habet prætera admonitionem, nam conatur clam docere & adhortari.* Neque apologus igitur ſimplex, neque fabulæ illæ, quæ ſunt poematum argumenta, dicuntur æni: ſed quod ex his vtriſque quodammodo compoſitum fuerit, cum admonitione intra ſe incluſa. Atque hæc ſufficiant de apologorum, ænorum, fabularumque differentia.

## *De partibus fabularum.* CAP. V.

FABVLARVM partes, earum ſcilicet quæ apologi dicuntur, præcipue duæ ſunt; rei explicatio, & id cuius cauſa: ſiquidem æni & poematum argumenta eam vim habent, vt inſitas partes has intra ſe contineant, quas nemo prope eſt, qui ſuopte ingenio non poſſit elicere. A quonam apologi ſimplices ſunt plerumque, omneſque fabulæ probitatis & prudentiæ cauſa fiunt, neceſſe fuit ſingulis ſuos fines addidiſſe. Vbi igitur priorem orationis partem ad informandos mores accommodamus, præcedit προμύθιον appellatum, quaſi præcedens fabulæ admonitus, vbi extremā partem ad mores regendos deduxeris, fiet ἐπιμύθιον, ſequens ſcilicet admonitus fabulæ. Quæ fabulæ alteram harū partium non habuerint, ſed intra ſe incluſam, collocandæ ſunt in priore claſſe. Quæ fabulæ ſunt Deorū genealogicæ ſimpliciter, illæ quoniam his maxime vſi ſunt poëtæ ſuis poëmatis exornandis, poëticæ vocantur, quæ vel ad generationem elementorum attinent, vel ad res arcanas naturæ,

vel

vel ad motus & vim planetarum; omnes siquidem hæ haud simplicem habent narrationem. Cum fabulas has ad veram interpretationem deducimus, esset interpretationi proprium nomen tribuendum. sed adhuc sine illo persistit, nisi appellemus allegoriam. Sunt autem hæ solæ prope fabulæ, quæ iucunda, quæ magnifica, quæ admirabilia fecerunt antiquorum poemata, eaque locupletarunt, nam si fabulæ hæ de scriptis poëtarum eximerentur, nihil prope esset in ijs admirabile, aut iucundum.

## *De fabularum scriptoribus.* CAP. VI.

APOLOGORVM & fabularum poëticarum antiqui fuerunt scriptores complures: qui tamen ad ætatem nostram peruenerint, non adeo multi. Fuit Æsopus Samius ingeniosissimus confingendorum apologorum artifex, à quo omnes postea apologi dicti sunt Æsopici. Hesiodus præterea fabulosos Deorum ortus carminibus cecinit. Memoriæ prodidit Eusebius Porphyrium etiam libros composuisse, in quibus fabulosas Deorum genealogias ad naturæ rationem & opificium perducere conatus est. Zeno, Cleanthes, Chrysippus, vt ait Cicer. in libris de Natura Deorum, fabularum antiquarum expositiones in suis voluminibus complexi fuerant, quæ tamen ad nos non peruenerunt. Istud ipsum fecit Orpheus, Musæus, Mercurius, Linus, antiquissimi poëtæ, & Phurnutus, & Palæphatus Stoicus, Dorotheus, Euantes, & Ponticus Heraclides, Silenus Chius, & Anticlides, & Euartes, & alij complures mythologi, quorũ commentarij vna cum scriptorum nominib. pene interciderunt, è quibus Ouidius sua in varias formas mutatorum corporum deprompsit argumenta. Nam in quibus voluminibus tot extabant figmenta, quantam aliarum fabularum fuisse mirabilitatem credibile est? Ac tot de fabularum scriptoribus.

## *De Diis variarum gentium.* CAP. VII.

ENIMVERO, quoniam vniuersa antiquorum religio & theologia sub fabulis occultabatur, pluraque sunt in illis ad generationes & res gestas creditorum Deorum spectantia, necessario dicendum videtur, quam variæ fuerint diuersarum nationum de Diis ipsis sententiæ, antequam ipsas fabulas explanandas aggrediar: quæ res quantum af-

feret vtilitatis & commodi ad susceptum laborem, omnibus postea fiet manifestum, vt censeo. Atqui in primis ita facienda est Deorum diuisio Ex antiquis Dijs alij cœlestes, alij terrestres, alij aquatici sunt crediti: & aquaticorũ alijs maris, alijs fluuiorum, alijs fontium cura fuit commissa. è terrestribus rursus alij montani, alij syluarum & pastorum præsides, alij agricolarum fuerunt, atque hi in planis locis habitare plerumq; putabantur. Cœlestium alij summæ rerum humanarum præerant, alij consultores, alij præfuerũt tempestatibus & certis cœli regionibus: alij loca tantum inferna habitare & sceleratorum præesse suppliciis putabantur: neque vlli præter hos, Dij posse esse crediti sunt. Nam tametsi omnes nationes Deos esse crediderunt, nullæque fuerunt tam feræ gentes, (vt insulsissimorum hominum, qui se sapientes dicere ausi sunt, opiniones taceam) quæ hunc mundum aut fortuito genitum esse existimarint, aut sine aliqua incredibili prouidentia gubernari; cum sit è tam variis rebus tam concinno ordine coagmentatus: tamen paucæ fuerunt; quæ Deos introducere ausæ sint, nisi ab alijs accepto. Cum enim suos Magos haberent Persæ. Prophetas Ægyptij, Chaldæos Assyrij, aliosque sacerdotes alijs nominibus vocatos aliæ nationes, omnium prope religionum origo ab Ægyptijs in Græciam, & in Persas prius, deinde ad alias nationes manasse credita est. Quamuis omnes isti vno ordine falluntur, quod ante Ægyptios, primi omnium mortalium Hebræi non solum religionem, sed etiam verum Dei cultum acceperunt; & non humanis consilijs, sed diuinis præceptis ad veram religionem fuerunt instituti. Græcia postea sequentibus temporibus cum bellicæ laudis gloria florere inciperet, paulatim & sacrorum ritus immutauit, & tantum Deorum numerum auxit, quamuis disciplinarum cognitionem acquireret, vt magnam Deorum coloniam ad cæteras ciuitates postea transmiserit. In hoc vnum tamen omnium prope populorum ac gentium sententiæ primum conuenerant, vt diuina illa quæ videntur, superna corpora, Solem, Lunam, reliquaq; astra cum perpetuo motu agitari conspicerent, ab ea celeritate & Deos appellauerint, & esse crediderint; vt Plato testatur in Cratylo. Neque vlla fere gens inuenta est, quæ aliud esse Deos, quam ipsa cœlestia corpora pri-

ra primum crediderit. Hanc opinionem secutus videtur Homerus, cum Solem omnia audire, omniaque videre inquiat, quod est, vt ait Plato libro secundo de legibus, solius Dei munus. Ita vero se habet Homeri carmen:

ἠέλιος θ' ὃς πάντ' ἐφορᾷς, καὶ πάντ' ἐπακούεις·

*Sol qui cuncta audis, quique omnia conspicis vnus.*

Huius opinionis autores fuerunt Ægyptij, à quib. & templorum extruendorum rationem, & imaginum, & rituum sacrorum, Græci in patriam reportarunt sicuti testatur Herodotus in Euterpe his verbis; δυώδεκα θεῶν ἐπωνυμίας ἔλεγον πρώτους Αἰγυπτίους νομίσαι, καὶ Ἕλληνας παρὰ σφέων ἀναλαβεῖν· βωμούς τε, καὶ ἀγάλματα, καὶ νηοὺς θεοῖσι ἀπονεῖμαι σφέας πρώτους, καὶ ζῷα ἐν λίθοισι ἐγγλύψαι. *Duodecim Deorum nomina primos Ægyptios existimasse, atque Græcos ab illis cepisse, eosque primos aras, & imagines, & templa Dijs sibi erexisse.* Neque horũ tamen solam rationem extruendorum in Græciam Ægyptij transmiserunt, sed etiam ipsa nonnullorum Deorum nomina, vt idem scriptor testatur in eodem libro: σχεδὸν δὲ καὶ πάντα τὰ οὐνόματα τῶν θεῶν ἐξ Αἰγύπτου ἐλήλυθε ἐς τὴν Ἑλλάδα: *omnia fere Deorum nomina ex Ægypto in Græciam commigrarunt*, ac deinde: ὅτι γὰρ δὴ μὴ Ποσειδέωνος, καὶ Διοσκούρων, (ὡς καὶ πρότερόν μοι ταῦτα εἴρηται) καὶ Ἥρης, καὶ Ἱστίης, καὶ Θέμιος, καὶ Χαρίτων, καὶ Νηρηΐδων, καὶ τῶν ἄλλων θεῶν Αἰγυπτίοισι αἰεί κοτε τὰ οὐνόματά ἐστι ἐν τῇ χώρῃ. *Nisi profecto Neptuni, & Dioscurorum, (sicut antea dictum à me fuit) & Iunonis, & Vestæ, & Themidis, & Charitum, & Nereidum, & aliorum Deorum nomina semper sunt in Ægyptiorum regione.* Neque solos hos Deos coluit Ægyptia simplicitas, sed monstra quædam, & animalia partim hominibus infensa, partim vtilia, vt canes, boues, anguillas, vt ait Herodotus in eodem libro; νομίζουσι δὲ καὶ τῶν ἰχθύων τὸν καλεόμενον λεπιδωτὸν, ἱρὸν εἶναι, καὶ τὴν ἔγχελυν, καὶ τῶν ὀρνίθων τοὺς χηναλώπεκας. ἔστι δὲ καὶ ἄλλος ὄρνις ἱρὸς, τῷ οὔνομα φοῖνιξ. *existimarunt è piscibus squammosum sacrum esse, & anguillam, & ex auibus vulpanserem. est item alia auis sacra, cui nomen est phœnix.* cum paulatim ab ipsa religione ad superstitionem lapsi essent, (est enim aucto ri religioni superstitio, vt parsimonia auaritiæ, vitium propinquum. Nam vt ait Diuus Paulus ad Romanos 12. rationi conueniens sit obsequium vestrum) iure Rhodius Anaxandrides comi-

cus poëta, his carminibus ita Ægyptiorum deridet insaniam.

*οὐκ ἂν δυναίμην συμμαχεῖν ὑμῖν ἐγώ.*
*οὔθ' οἱ τρόποι γὰρ ὁμονοοῦσ', οὔθ' οἱ νόμοι*
*ἡμῶν, ἀπ' ἀλλήλων δὲ διέχουσιν πολύ.*
*βοῦν προσκυνεῖς, ἐγὼ δὲ θύω τοῖς Θεοῖς.*
*τὴν ἔγχελυν μέγιστον ἡγῇ δαίμονα,*
*ἡμεῖς δὲ τῶν ὄψων μέγιστον παρὰ πολύ.*
*οὐκ ἐσθίεις ὕεια, ἐγὼ δέ γ' ἥδομαι*
*μάλιστα τούτοις κύνα σέβεις, τύπτω δ' ἐγὼ*
*τοὔψον κατεσθίουσαν ἡνίκ' ἂν λάβω.*
*Haud esse vobiscum queo commilito,*
*Concordibus nec moribus, nec legibus,*
*Per maxima interualla differentibus.*
*Bouem colis, Deis ego macto bouem.*
*Tu maximum anguillam Deum putas, ego*
*Obsoniorum credidi suauissimum.*
*Carnes suillas tu caues, at gaudeo*
*His maxime, canem colis quem verbero,*
*Edentem vbi deprehendo forte obsonium.*

Neque tamen his brutis Diis contēti fuerunt Ægyptij, sed multa herbarum genera in Deorum numerum retulerunt, sicuti testatur Iuuenalis, vbi Ægyptiam simplicitatem carpit hoc pacto:

——— *quis nescit qualia demens*
*Ægyptus portenta colat? Crocodilon adorat.* & alibi:
*Porrum & cœpe nefas violare, ac frangere morsu,*
*O sanctas gentes quibus hæc nascuntur in hortis*
*Numina.*

Atqui non hæc ab Ægyptiis monstra tam absurda acceperunt Græci in numerum Deorum, sed alia his non multo fortasse meliora. Qui Dij fuerint in Græciam primum translati, declarauit Homerus in lib. 3 Iliadis, ita inquiens:

*Ζεῦ πάτερ, Ἴδηθεν μεδέων, κύδιστε, μέγιστε,*
*ἠέλιός θ' ὃς πάντ' ἐφορᾷς καὶ πάντ' ἐπακούεις.*
*καὶ ποταμοί, καὶ γαῖα, καὶ οἳ ὑπένερθε καμόντας*
*ἀνθρώπους τίνυσθον.*
*Iuppiter ex Ida clarissime, maxime, & vna*
*Sol qui cuncta audis, quiq; omnia conspicis vnus:*
*Fluminaq; & tellus, & sub tellure virorum.*

*Crimina qui castigatis.*

Atq; infinita est prope illorum Deorum multitudo quos Græcia postea ceremoniis, altaribus, ac templis magnificentissimis auxit. Persæ hos prope Deos existimarunt, quos antiqui Græci, qui nō nati essent è mortalibus hominibus, vt asserit Herodotus in Clio his verbis; οἱ δὲ νομίζουσι, Διῒ μὲν ἐπὶ τὰ ὑψηλότατα τῶν οὐρέων ἀναβαίνοντες θυσίας ἔρδειν, τὸν κύκλον πάντα τοῦ οὐρανοῦ Δία καλέοντες θύουσι δὲ ἡλίῳ, καὶ σελήνῃ, καὶ γῇ, καὶ πυρὶ, καὶ ὕδατι, καὶ ἀνέμοισι. τούτοισι μὲν δὴ μούνοισι θύουσι ἀρχῆθεν. *Istis vero sancitum est, vt in altissimos montium vertices ascendentes Ioui sacrificent, Iouem vniuersum cœli ambitum appellantes. Sacrificant & Soli, & Lunæ, & Telluri, & igni, & aquæ & ventis: his enim solis vt sacrificent, antiqua obtinuit consuetudo.* Hi cum priscam tantum Theologiam retinerent, nouos Græcorum Deos irridentes, vbi Xerxes in Græciam cum exercitu traiecisset, omnia Deorum Græciæ templa magis autoribus inflammarunt, quod nullum in locum dicerent Deorum numen esse includendum, quibus cuncta debent esse libera & patentia, vt testatur Cicero in libro secundo de legibus. Nam deridere consueuerunt Persæ eos qui res huiusmodi facerent, vt ait Herodotus in his verbis: Πέρσας δὲ οἶδα νόμοισι τοιοῖσιδε χρεωμένους ἀγάλματα μὲν, καὶ νηοὺς, καὶ βωμοὺς, οὐκ ἐν νόμῳ ποιευμένους ἱδρύεσθαι, ἀλλὰ καὶ τοῖς ποιεῦσι μωρίην ἐπιφέρουσι. *Persæ vt ego cognoui, his legibus vtuntur, imagines quidem, & templa, & aras non erigunt, pro suis institutis, sed & illos qui hæc faciunt, accusant insaniæ.* Atque Romani nullam Deorum effigiem per multos annos habuerunt: qui docuit Numa Deum esse mentem puram, minime genitam aut visui subiectam mortalium, quæque alia humana industria exprimi posset, cum inquiat etiam Demosthenes contra Aristogitonem pectus mortalium esse templum Deo gratum, & optimum, & augustissimum, iustitia, verecundia, & obseruantia legum communitum. Hæc ratio non esset magnopere fortasse improbanda, si vel omnes essent sapientes, vel si sapientum etiam mens semper oportunis temporibus ad res diuinas esset conuersa, neque humanis cogitationibus ab instituto cultu distraheretur. Sed cum res aliter se habeat; & templa, quo ad diuinum cultum conuenirent, & imagines Dei & sanctorum hominum, tanquam

monumenta amicorum Dei, fuerunt instituendæ. Nam si statuæ clarorũ virorum, & eorũ qui pro patria fortiter occubuissent, nunc apud Roman. & cæteras nationes tãquam præclara virtutis exempla erigebãtur, quibus incitarentur posteri ad virtutem; quo pacto virorum bonorũ & amicorum Dei, & qui pro veritate, Christianaq; rep. fortiter occubuerũt, tanquam præclara monumẽta virtutis, & fidei, & constantiæ, quibusque deprecatoribus apud Deum vteremur, non erunt iure optimo vbique imagines erigendę? Est enim omnium templorum augustissimum pectus mortalium, fide, pietate, innocentia, sanctitate, mansuetudine, pro pulcherrimis aulæis institutum & communitum. Atq; ne ita Deorũ religio paulatim deficeret, quæ anima est ciuitatum, & omnis humanæ vitæ stabilimentum, & templa, & imagines, & dies solennes, & sacrorum ritus, & publicæ ceremoniæ fuerunt in ciuitatibus prudenter institutæ. Scytharũ Deos Herodotus in Melpomene ita recensuit; Θεοὺς μὲν μούνους τούσδε ἱλάσκονται, Ἱστίην μάλιστα, ἐπὶ δὲ Δία τε καὶ Γῆν, νομίζοντες τὴν Γῆν τοῦ Διὸς εἶναι γυναῖκα· μετὰ δὲ τούτους Ἀπόλλωνά τε καὶ οὐρανίην Ἀφροδίτην καὶ Ἡρακλέα, καὶ Ἄρεα. τούτους μὲν πάντες οἱ Σκύθαι νενομίκασι. *Deos autem solos hos placant, Vestam quidem præcipue postea Iouem ac Tellurem, Tellurem Iouis vxorem existimantes: post hos, Apollinem, cœlestem Venerem, & Herculem ac Martem. Hos enim omnes Scythæ Deos putarunt.* Ac in eodem libr. scribit deinde Libyæ populos Soli ac Lunæ sacra facere, neque villos præterea Deos putare. At Iudæi, vt memoriæ prodidit Cornelius Tacitus libr. vigesimo primo solam mentem antiquitus, vnumque numen intellexere, profanosq; esse putarunt eos, qui Deorum imagines mortalibus materiis in species hominum effingerent: summum illud, & æternum, neque mutabile, neque interiturum. Igitur nulla simulachra vrbibus suis nedum templis sierunt. at Strabo libro decimo septimo Geographiæ varios fuisse diuersarum nationum Deos ita tradidit, vt singulæ prope ciuitates suos proprios Deos haberent. Nam cum tria ex terrestribus animalibus vniuersa Ægyptus coleret, bouem, canem, felem, ex auibus accipitrem, ibim; ex aquaticis squammosum, oxyrinchum; tum Saitæ, vt inquit, & Thebani ouem colebant præcipue: Latum piscem Nili, Latopolitani lupum Lycopolitani, Cynocepha-

nocephalum Hermopolitani; cetum Babylonii, qui colebant iuxta Memphim; aquilam Thebani, leonem Leontopolitani, caprum & hircum Mendesii; murem & araneum Athribitæ. Longum esset omnium nationum ac populorum opiniones, vel potius delirationes de Diis recensere, qui cum religionis originem ab Ægyptiis accepissent, vel antiquam non retinentes Theologiam deriserũt magistros postea, vel ipsi in peiores superstitiones inciderunt. Hanc igitur Deorum notionem cum homines primum habuissent, perspicerentque quod mundus prouidentia gubernaretur, neq; tamen cuius intelligere possent, quippe cum sidera in humanis rebus agere permulta intelligerent, neq; tamen omnia pro illorum arbitrio gubernari, rem diutius inuestigãtes & cognitionis desperatione capti, paulatim à religione in superstitiones delapsi sunt: atq; alii alios Deos introduxere. Est enim ab ipsa natura comparatum, vt cum nimio Deorum metu homines opprimuntur, ad humilia & sordida quæq; declinent, nihilque posse committi tam paruum putent, quod Dii maxima cum iracundia ac supplicio non vlciscantur. Hæc res fecit vt iidẽ Græci, qui Ægyptiorum, aliarumq; nationum acceptas ab iis superstitiones deriserant, in multo maiores errores sint postea collapsi. Nam & adulteros, & latrones, & ebriosos, ac facinorosos homines, qui multo erant brutis impuriores, pro Diis coluerunt, quare cum de Diis loquerentur, adulteria, furta parricidia, prælia, crudelitatemq; illis iniunxerũt, quę propria sunt latronum & sceleratorum hominũ facinora, vt res Diis talibus conuenientes. Athenienses tamen cum sapientiores essent, ac horum Deorum turpitudinem intelligerent, neq; vllum nisi sempiternum & optimum esse posse Deum putarent, quia esse omnino cognoscerent, qui esset, ignorarent, aut etiam fateri ob cæterorum Græcorum metum non auderent, ignoto Deo aram erexerunt. Hanc tantam Deorum multitudinem tot fabularum inuolucris postea implicarũnt, cum liceret omnibus quidquid de Diis collibuisset cõfingere, vt quãuis multi postea conati sint, nemo tamen hactenus expedire illos Deos ex his inuolucris potuerit, sed adhuc complures impliciti permanent, & in perpetuum fortasse nonnulli mansuri sunt. Qui enim omnia quæ de Diis ab antiquis dicta fuerunt, ad optimum finem

se deducturum putarit, idem speret se omnia nauigia quæ vbique nauigant, sine vlla iactura in portum posse perducere. Non enim semper cum ratione insanierunt antiqui sapientes vocati aut poetæ in his confingendis. Perdurauit huiusmodi de multitudine Deorum opinio vsque ad Platonis tempora, qui priscam Græcorum theologiam quodammodo immutauit, cum vnum esse Deum crederet & eum vniuersum assidue gubernare, quem modo mundi animam, modo mundum ipsum appellauit; modo vim illam quæ esset in omnibus naturalibus corporibus diffusa ac permista, quam antea ad Monadem deduxerat Pythagoràs. Atque horum vterque recte, si diutius in eadem sententia permansissent. nam cæterorum qui se appellabant sapientes, nugas lubens prætereo. Romani postea Græcia subacta quasi captiuam Græcorum religionem in patriam trāstulerunt, cum & antea Græcorum sacrorum ritus permultos haberent. & si quid ad absolutam superstitionem deficeret, illud totum ex Hetruria sæpius acciuerint: donec omnium superstitionum euersor Christus, non modo tantam Deorum impurorum multitudinem profligauit, sed etiam veram, sanctam, & omnibus saluberrimam religionem introduxit: quæ nulla vnquam vel leuitate gentiū, vel impuritate ac scelere populorum, vel sacerdotum auaritia vel hæreticorum calumniis, labefactabitur. Vbique enim veritatem emergere necesse est. Atque tot breuiter dicta sint de diuisione Deorum variarum gentium.

## *Quod vnus necessario sit Deus.* CAP. VIII.

ETSI res est, quæ ad veram theologiam potius quam ad fabularum explicationem pertineat, num vnus, an plures esse possint Dii, inquirere: tamen quia non prorsus abhorret à theologia fabularum expositio, videtur conuenire huic loco vt breuiter declarentur ea quæ de vno Deo ab antiquis sapientibus probabiliter dicta fuerunt. Neque vnquam Platonis illam sententiam probandam esse magnopere censui, qui nefas esse dicebat, vbi huiusce vniuersitatis parentem inueneris in vulgus proferre. quasi vero alia sit omnibus vtilior aut magis necessaria cognitio, quam omnium bonorum autorem

Deum cognoſcere, aut rem non cognitã conueniat venerari. Niſi fortaſſe ita inquiat, nulla oportere vulgus teneri Dei religione ac reuerentia, & neſcio quid colere & beneuolẽtia proſequi, quando amare Deum maximè omnium opus eſt. Multæ ſunt igitur rationes, quæ vnum eſſe, ac non plures Deos oſtendunt. nã ſi plures ſint Dii, hunc ipſum Deorum numerum ob ſingulorum imbecillitatem eſſe neceſſe eſt. Ii ſi ſint imbecilli, quo pacto ſunt Dii appellandi? fient enim eo pacto ſupplices potẽtiori, & aliquando deficient, quorum vtrumque cum miſerum ſit, Dei naturæ quì conuenire poterit? videmus ſiquidem in omnibus animantibus eam eſſe naturæ prouidentiam, vt, quanto quæq; ſunt debiliora, citiuſque moriuntur, tanto plura ex his producãtur, fœcundioraque ſint. Quod ſi tantus erat Deorum numerus, quantum habuerunt antiqui, atque inter hos mares & fœminæ, breui futurum erat, vt tot Diis deficerent magiſtratus & imperia, & niſi ocioſi ac deſides viuere mallent, cerdones, & agricolas, & fabros Deos haberemus, neque terra hominibus habitanda noſtris temporibus iam eſſet relicta. Sed quoniam repugnat Deos eſſe & plures eſſe, & eſſe mares ac fœminas, terra tota hominibus relinquitur. Præterea ſi plures ſint Dii, neceſſe eſt eos eſſe vel pari vel impari potentia, vt Xenophanes ait Colophonius. Si ſint quidam impares, quo pacto debiliores ſint Dii, ipſi viderint. Sin omnes pares exiſtant, nolenſq; alius volentem impediat; res iam neque fieri, neque non fieri poterit, quod nõ poteſt ſine riſu intelligi. Multa igitur odia & pugnæ aſſiduæ inter hos Deos intercedent, quoniam ſempiternę intercedent cauſæ, quæ nunquam ceſſabunt: neque enim par parem vnquam niſi fortuna profligabit. Alterum igitur horum neceſſe eſt, vel fortunam Diis etiam dominari, vel perpetuas eſſe inter Deos diſcordias & contentiones: quorum neutrum Deo conuenire vllo pacto poteſt. Eſt igitur Deus vnus ſempiternus, potentiſſimus, optimus, fœliciſſimus, quorum nihil poteſt eſſe cum animi perturbatione. Non ſunt igitur antiquorum Dii, cum plures ſint, cum cœlum contentionibus ſit plenum, cum multo ſint mortalibus miſeriores, cum eos & dormire dixerint poëtæ, & potationibus atque conuiuiis indulgere, & Veneris ſtimulis mirifice exagitari. Quis enim neſciat ſomnum & epulas eſſe

ob corporis debilitatem, cum ille ad labores corpus reficiat, hæ ad naturę vim conseruandam requirantur? Inde effectum est vt Alexander Macedo se Deum esse adulatorib. prædicantib. responderit, se longe diuersa à diuina natura experiri, cum & somnum & Veneris titillationes sentiat. Quod si horum Deorum natura deficiente nutrimento deficeret, & ad libidinem illi incitantur, qui possunt non esse mortales, aut qui potest eorum genus nisi reparetur, non deficere? Non sunt igitur Dii illi antiquorum, sed fabulæ illæ partim naturæ res occultas habent, partim mores informant, partim sunt inania vulgi figmenta, vt dicebamus.

*Quo pacto Dii antiquorum fuerint sempiterni.*

CAP. IX.

ATQVE vt pateat vera esse illa quæ dicta sunt hactenus de Deorum antiquorum mortalitate, quid de Ioue ipso principe omnium Deorum scriptum fuerit à poetis, consideremus, quem modo patrem, modo Regem omnium Deorum vocarunt, sicuti Homerus in primo Odyssea:

τοῖσι δὲ μύθων ἦρχε πατὴρ ἀνδρῶν τε θεῶν τε.
*Hos ita compellat hominum pater, atq; Deorum.*

modo sempiternum, vt Virgilius lib 1 Æneid. in his significauit:

*——ô qui res hominumq; Deûmq;*
*Æternis regis imperiis, & fulmine terres.*

& Orpheus in hymnis,

Ζεῦ πολύτιμε, Ζεῦ ἄφθιτε.
*Iuppiter ô venerande, Iuppiter sempiterne.*

quem eundem facit rerum omnium autoré, vt ex his paret,

ὦ βασιλεῦ, διὰ σὴν κεφαλὴν ἐφάνη τάδε ῥεῖα,
Γαῖα θεὰ μήτηρ, ὀρέων θ' ὑψηλοὶ ὄχθοι,
καὶ πόντος, καὶ πάνθ' ὁπόσ' οὐρανὸς ἐντὸς ἔταξε.
*Iuppiter alme tuo sunt omnia munere nata:*
*Diua parens Tellus, præcelso vertice montes;*
*Et maria, & quidquid cælum complectitur altum.*

Huic tamen sempiternum Iouem, & rerum omnium autorum, Virgilius in Dictæo monte Cretæ nutritum existimauit, quem etiam ab apibus educatum fuisse scribit lib. 4. Georgicorum, vt patet in his carminibus:

*Nunc age, naturas apibus quas Iupiter ipse*

*Addidit, expediam: pro qua mercede canoros*
*Curetum sonitus, crepitantiaque æra secuta,*
*Dictæo cœli Regem pauere sub antro.*

Sed illud magis mirum fortasse videbitur, quod neque tamen certum est, vbi educatus fuerit hic præclarus & illustris antiquorum Deorum pater. Messenii enim apud se natum & educatum fuisse Iouem contendebant, cuius ostendebant apud se incunabula, & à Neda Ithomeque nutricibus, & à Curetibus seruatum fuisse affirmabant, vt ait Pausanias in rebus Messeniacis. Hanc ipsam de Iouis ortu contentionem ita attigit Callimachus in hymnis:

Ζεῦ, σὲ μὲν Ἰδαίοισιν ἐν οὔρεσί φασι γενέσθαι,
Ζεῦ, σὲ δ᾽ ἐν Ἀρκαδίῃ πότεροι πάτερ ἐψεύσαντο;
*Iuppiter Idæis aiunt te in montibus ortum,*
*Iuppiter Arcadicis: vtri sunt falsa locuti?*

Quod si nutricum varietatem perspiciamus, si modo vera est sentẽtia Aetii medici clarissimi, quod ingenium & mores nutricum in lacte referuntur, nonne fera potius Iupiter quam homo videbitur, qui tot brutorum lac suxerit? qui truculentissimas feras habuerit nutrices? qui ab apibus, à capris, ab vrsis fuerit educatus? atque quod capræ lac hauserit, ita Ouidius in quinto Fastorum libro ait:

*Olenia surgit sidus pluuiale capellæ,*
*Quæ fuit in cunis officiosa Iouis.*

Hanc Iouis capram idcirco nominauit Aratus in Phænomenis, vt est in eo carmine:

Ὠλενίην δέ μιν αἶγα Διὸς καλέουσ᾽ ὑποφῆται.
*Oleniam, capramq́ Iouis dixere poetæ.*

Atque de vrsis, cuius lac Iupiter suxerit, ita meminit idem Aratus in his:

Ἄρκτοι ἅμα τροχόωσι τὸ δὴ καλέονται ἅμαξαι.
Αἱ δή τοι κεφαλὰς μὲν ἐπ' ἰξύας αἰὲν ἔχουσιν
ἀλλήλων· αἰεὶ δὲ κατωμάδιαι φορέονται,
ἔμπαλιν εἰς ὤμους τετραμμέναι. εἰ ἐτεὸν δὴ,
Κρήτηθεν κεῖναί γε Διὸς μεγάλου ἰότητι
οὐρανὸν εἰσανέβησαν· ὅ μιν τότε κουρίζοντα
Δίκτῳ ἐν εὐώδει ὄρεος σχεδὸν Ἰδαίοιο
ἄντρῳ ἐγκατέθεντο, καὶ ἔτρεφον εἰς ἐνιαυτὸν,
Δικταῖοι Κούρητες ὅτε Κρόνον ἐψεύδοντο.
*Vrsæ vertuntur, quas dicunt nomine Plaustrum,*

*Alternè quarum semper caput illa tangit:*
*Inq; humeros versa, hus pronis illa vsque feruntur.*
*Et Creta, si vera ferunt, conscendere cœlum*
*Consilio meruere Iouis, quia cum puer esset*
*Dicto in odorifero vicino collibus Ida*
*Deposuere Iouem quem nutriuere per annum,*
*Fallere Saturnum Curetes cum potuere.*

Hunc ipsum Iouem, quem Hesiodus in Theogonia hominum patrem atque Deorum appellauit, mortuum ac sepultum fuisse apud Cretenses sermo vulgatus fuit; quamuis eam famam conatur frustra Callimachus refellere, vt patet in his carminibus;

——— καὶ γὰρ τάφον ὦ ἄνα σεῖο
Κρῆτες ἐτεκτήναντο, σὺ δ' οὐ θάνες· ἐσσὶ γὰρ αἰεί.
——— *tuum Rex magne sepulchrum*
*Cretes struxerunt: ei semper, viuis & vsque.*

Quod si fatorum necessitati subiiciebatur, vti testatur Æschylus in Prometheo ita inquiens:

Πρ. Μοῖραι τρίμορφοι, μνήμονές τ' Ἐριννύες·
Χορ. τούτων ἄρ' ὁ Ζεὺς ἐστὶν ἀσθενέστερος.
Prom. *Parcæ triformes, & memores Erinnyes:*
Chor. *His ergo cunctis Iupiter impotentior.*

quo pacto Deus, & pater, & Rex hominum ac Deorum dici poterat? Sed non hominum sermones tantum, ac Deorum etiam ipsorum sententias de Ioue consideremus. hunc vel à Mercurio ipse finxit Plautus in proœmio Amphitryonis mortalem appellari his verbis:

*Mirari non est æquum sibi si prætimet:*
*Atque ego quoque & qui Iouis sum filius,*
*Contagione mea matris metuo malum.*
*Etenim ille quo ius huc iussu venio*
*Iuppiter, non minus quam nostrum quiuis formidat malum,*
*Humana matre natus, humano patre.*

Quare si ipse natus est, vt cæteri homines, & mortuus, & à mortalibus originē duxit, quo pacto sempiternus esse potuit? siquidem omnia quæ nascuntur, aliquādo interire necesse est. A quo pacto Iupiter dictus est sempiternus? quia, vti dicetur, cum de illo tractabimus, cū gloriæ cupidus maxime fuerit templaq; sibi extrui vbiq; studuerit, fecit vulgaris opi-

ris opinio illorum, qui magistratus & imperia admirantur, vt summus Deus putaretur. quare postea nunc vim fatorũ nunc prouidentiam Dei, nunc Deum ipsum, quam mundi animam appellarunt nonnulli, nunc æthera, Iouem nũcuparunt: quæ cum sempiterna sint, Iouem etiam putarunt sempiternum sic, vbi pro vi diuina per aquas diffusa, Neptunus intelligitur, dicitur sempiternus, pro Vulcano ignis, pro Venere naturalis procreandi libido, pro Cerere terræ feracitas. Nam si hoc pacto Dij antiquorũ accipiantur, erunt sempiterni ex illorum sententia qui mundum eiusque elementa sempiterna putarunt. sin eorum genealogiam inuestigemus, omnes fuerunt mortales, & ab hominibus procreati, vt patebit postea. Atqui absurdum fuit hominum nominibus res sempiternas appellare, diuinæque prouidentiæ splendorem sub his humanis velare integumentis, quippe cũ minime conueniat res admirabiles horum profanorum nominum colluuione inquinare. At quia viderent sapientes animos multitudinis apertis rationibus ad eruditionem non posse adduci, horum figmentorum suauitate illos ad se allexerunt, quæ sola causa fuit, cur tot postea fabulæ sint inuentæ.

## *De sacrificiis superorum Deorum.* CAP. X.

VT autem pateat elementorum, rerumque naturalium virtutes, & vires dæmonum eorum, qui in ijs inhabitarent, qui Dij à multitudine imperitorũ fuerunt existimati, his nominibus vocatas fuisse à sapientibus; non erit absurdum si genera sacrificiorum Dijs singulis attributorũ breuiter explicauero, quippe cum multa sacrorũ genera fuerint ab antiquis pro singulorũ Deorum natura instituta, & victimæ variæ, & varia suffimentorum ratio, & non idẽ habitus sacrificantium. Neq; enim omnibus molæ offerebãtur, neq; omnibus accendebantur lumina, neque sacra fiebant semper super sublimibus aris, neque semper per diem. Diuersa deniq; pro singularũ nationum more, pro varietate temporũ, pro creditorum Deorũ natura sacrificia vbiq; offerebantur; quod alia cœlestibus, alia terrestribus, alia aquaticis, alia Dijs inferis cõueniebant, quorum alia priuatim, alia fiebãt publice. Primum igitur omnium scire conuenit non solum in animalibus, aut in plantis, ad vires, bo-



BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

nitatemq; ſingulorũ plurimum cõferre ciborũ vim aeriſq; temperiem, ſed etiam in illis dæmonibus quib. plenum eſſe hoc vniuerſum, quod intuemur, tradiderunt ſapientes. Qui enim in obſcuris cauernis habitãt, multũ ſunt magis & immites & feri & craſſiore quadã materia, quippe quæ propius ad corpus accedat, ſicuti teſtatur Pſellus in iis libris quos ſcripſit de Dæmonib. quam illi ſint Dæmones qui regionẽ ignis vel aeris incolunt; quod accidit ob habitationis naturã ac vim ſyderum. Quid.n. mirum eſt aſtra in his plurimũ poſſe cum & metallis & duriſſimis lapidib. & plantis dominari putẽtur? Aut quis neſciat alia metalla Soli, alia Lunæ, alia Veneri, alia Mercurio, alia aliis aſtris propter quaſdam proprietates ac ſimilitudines, quod aliis ẽt contingit corporibus eſſe attributas? omnẽ igitur vim ſacrorum, omnemq; Deorũ rite expiandorũ rationẽ in cognoſcenda Dæmonum natura cõſiſtere arbitrabãtur. Quare cũ cæleſtia corpora ignea eſſe crederent, quæ opinio non ſolũ fuit Anaxagoræ & Empedoclis, ſed multorum ẽt aliorũ philoſophorum, in horũ ſacrificiis & lumina, & figuras, & multa ad viſum ſpectantia addiderunt, quorũ aræ ſublimes ſtruebantur, ſuper quibus accendebantur lumina, & victimæ cæſæ imponebãtur. Cum igitur ſacra fiebãt ſuperis, ac Ioui præcipue aræ in ſublimib. locis extruebãtur, vt inquit Melãthes in libro de ſacrificiis hoc pacto: πᾶν δὲ ὄρος τοῦ Διὸς ὄρος ὀνομάζεται, ἐπεὶ ἔθος ἦν τοῖς παλαιοῖς, ὑψίστῳ ὄντι τῷ Θεῷ, ἐν ὑψεῖ θυσίας ποιεῖν. *Omnis autẽ mons Iouis mons appellatur, quoniam mos fuit antiquorum, vt altiſſimo Deo exiſtenti in loco ſublimi ſacrificarent.* Sic etiam ẽ Iouis ipſius oraculo ſacra fiunt in montibus apud Apollonium in lib. 2. Argonaut.

καὶ βωμὸν ποίησε μέγαν Διὸς ἰκμαίοιο,
ἱερά τ' εὖ ἔρρεξεν ἐν οὔρεσιν ἀστέρι κείνῳ
Σειρίῳ, αὐτῷ τε Κρονίδῃ Διΐ· τοῖο δ' ἕκητι.
*Ingentem Iouis humentis tunc extruit aram,*
*Et ſacra imponit in montibus: hic quoque ſacra*
*Sirius accepit, ſic Iuppiter ipſe volebat.*

& vt eſt apud Herodotum in Cilio, quem locũ citaui, cum de Diis variarum gentiũ loquerer. Quin etiam & Apollini aram in littore erexerunt Argonautæ, atque cum mons ibi nullus eſſet, ſublimem illam fecerunt, vt in his ait idem poëta.

τὰ δὲ

—τὰ δὲ ῥέξομεν ἱερὰ πάρεστι,
βωμὸν ἀναστήσαντες ἐπ᾽ ἀκτῇ.

*Iustaq; soluentes in primo ereximus aram*
*Littore sublimem.*

Huius rei vel illud argumento est, quod etiam apud Latinos altare, quasi alta area, vocatum fuit. Erat praeterea illa templorum erigendorum consuetudo, vt non modo sublimia & ampla extruerentur, sed etiam quae orientem Solem statim exciperent, vt ait Plutarchus in Numa Pompilio, neque vlla re impedirentur, sed forent vndique libera, & minime occupata, vt testatur Promachidas Heracleota, atque Dionysius Thrax his verbis in libr. 3. diaereseon οἱ γὰρ ναοὶ τῶν παλαιῶν καὶ τὸν ἥλιον ἀνατέλλοντα εὐθὺς ὑποδέχεσθαι εἰώθεσαν, καὶ τοῦ φωτὸς εὐθὺς ἐμπίπλασθαι τῶν θυρῶν ἀναπεπταμένων, ὅπου καὶ τὰ ἱερὰ ἔρρεζον. *Antiquorum enim templa exorientem Solem statim excipere solebant, & statim orto lumine fenestris ac foribus patefactis repleri, vbi sacrificia fiebant.* Neque illud sane praetermittendum duxerim, quod voluerunt antiqui genera etiam aedificiorum, Deorum illorum naturae, quibus dicabantur, plurimum conuenire. Nam Ioui, Marti, Herculi non nisi Doricum; Baccho, Apollini, Dianae, Ionicum; Corinthiacum virgini Vestae conuenire praecipue creditum est: quamuis aliquando omnibus his generibus in eodem templo vtebantur. Nam in delubro Aleae Mineruae, cuius architectus fuit Scopas Parius apud Tegeatas, cum triplex esset columnarum ordo, primus ordo, qui ingredientibus sese offerebat, erat Dorici operis: secundus Corinthiaci; tertius qui iuxta templum fuit, erat Ionico artificio elaboratus. Istud autem fiebat, cum delubra essent Diis variis consecrata, vel cum Diis illis essent dicata, quorum multiplex esset facultas, & ad mares ac foeminas elementa spectarent. Nam cum Ioui Olympio apud Eleos templum erectum Dorica ex aedificatione, cuius in exteriore parte columnae cum Doricis epistyliis ostendebantur, tum Iunonis etiam templum triphyliae, quod fuit ab Oxylo artifice erectum, cum operis figura Dorica extructum fuit columnis eiusdem artificij circumquaque illud ambientibus, ad explicandam credo maximam vim aeris, & ad significandum quod Iuno Iouis esset soror, aër scilicet ab ignis natura non longo interuallo in su-

prema parte dissentiens, atqui extruebantur ita ipsa templa, vt apertis fenestris statim ortum Solem exciperent, sicuti testatur Possidippus epigrammatum poeta in his carminibus:

ἦερ δ' αἰειζόμενοι πρώτον λάβον ἠελίου φῶς
ναοὶ Λητοΐδαο καὶ Ἡφαίστοιο θεοῖο.
*Vulcani ac Phœbi radios cepere priores*
*Surgentis Solis foribus delubra reclusis.*

Non inscite itaque Virg. libr. 12. Æneidos sacrificantes inducit ad Solem orientem conuerti, cum ita inquiat:

*Illi ad surgentem conuersi lumina Solem.*

Erat prætereà consuetudo vt Diis superis mane sacra fierẽt Sole oriente, sicuti vita defunctis & inferis occidente Sole? velut ait Callixenus Rhodius in ijs quæ scripsit de Alexandria, hoc pacto: τοῖς μὲν οὖν κατοιχομένοις περὶ τοῦ ἡλίου δυσμὰς ἐναγίζομεν τοῖς δ' οὐρανίδαις ἀπὸ τὴν ἕω τοῦ ἡλίου ἀνατέλλοντος ἱερδύομεν. *vita defunctis sane circa occasum Solis parentamus; at cœlestibus Diis auroræ tempore sub exortum Solis sacrificamus.* Coronabantur autem in ipsis sacrificiis & victimæ, & altaria, & homines sacrificantes, vt testantur hæc carmina oraculi Delphici, quæ sunt in oratione Demosthenis contra Midiam

αὐδῶ Ἐρεχθείδαισιν ὅσοι Πανδίονος ἄστυ
ναίετε, καὶ πατρίοισι νόμοις ἰθύνεθ' ἑορτάς,
μεμνῆσθαι Βάκχοιο, καὶ εὐρυχόρους κατ' ἀγυιὰς
ἱστάναι ὡραίων Βρομίῳ χάριν ἄμμιγα πάντας,
καὶ κνισᾶν βωμοῖσι κάρη στεφάνοις πυκάσαντας.
*Imperio Erechthidis vobis Pandionis vrbem*
*Qui colitis, patrio & facitis solennia ritu,*
*Vt memores Bacchi situs lateq; per vrbem*
*Primitias Bromio cuncti statuatis, & ijdem*
*Soluatis grates passim fumantibus aris*
*Tempora sacratis redimite rite coronis.*

Quod etiam significauit idem Demosthenes in oratione contra Neæram seruari in aliorũ Deorum sacrificiis in his: ἁγιστεύω, καὶ εἰμὶ καθαρὰ καὶ ἁγνὴ ἀπὸ τῶν ἄλλων τῶν οὐ καθαρευόντων, καὶ ἀπ' ἀνδρὸς συνουσίας. *sum enim pudica, & pura & casta ab aliis puritati aduersantibus, & à viri congressu.* Et quoniã aliæ arbores Diis aliis fuerunt consecratæ, idcirco Diis variis sacrificaturi sacerdotes variis coronis ornabantur:

vtpote in Dionysiacis myrto; vt ait Timachidas in libro de Coronis: & Aristophanes in Ranis in his attigit:

*πολύκαρπον μὲν τινάσσων*
*ἀμφὶ κρατὶ σῷ βρύοντα*
*στέφανον μύρτων.*
*Fructiferam quidem quatiens*
*Circa caput tuum virentem*
*Coronam myrtorum.*

At in Cerealibus quercu coronabantur, ad perpetuam accepti ab illa Dea beneficij memoriam: vt significauit in his Virg. in primo lib. Georgicorum:

*—neque ante*
*Falcem maturis quisquam supponat aristis,*
*Quam Cereri torta redimitus tempora quercu*
*Det motus incompositos, & carmina dicat.*

In sacris Herculis populo coronabantur, vt testatur idem lib. 8. Æneid.

*Populeis adsunt euincti tempora ramis.*

In sacrificiis Apollinis lauro coronabantur, vt ait Apollon. lib. 2. Argon.

*ξανθὰ δ' ἐρεψάμενοι δάφνῃ καθύπερθε μέτωπα;*
*Flauaq; sunt viridi redimiti tempora lauro.*

Scriptum reliquit Andrætas Tenedius in nauigatione Proponditis antiquos triplici ordine coronandi vsos fuisse in sacris: quem locum etiã declarauit enarrator Apollonij, cũ alij capiti superius coronas imponerent, alij ad tẽpora vsq; deprimerent, alij ad collum vsq; detraherent, verum nõ solum coronabantur sacerdotes in sacris, aut sacrificãtes, sed etiam vasa quibus vtebantur, & victimæ quæ fuerant immolandæ, quibus coronæ circa collum apponebantur, earumq; cornua inaurabantur, ac vittis colorib. Diis quibusque gratis innectebantur, vt illud est Ouid. lib. 7. Metam.

*—feriuntque secures*
*Colla torosa boum vinctorum cornua vittis.*

Quod autem vasa etiam coronarentur, ita testatus est Virgil. lib. 3. Æneid.

*Tum pater Anchises magnum cratera corona*
*Induit, impleuitque mero, diuosque vocauit.*

Neq; vero victimæ quæuis eligebantur in sacrificia, sed quę præstantiores essent, multo ante reseruabantur: quare cum

è grege diligerentur, egregiæ victimæ dictæ sunt; at cum eximerentur ex armentis, quibus notæ inurerentur sacræ, eximiæ. Nam trifariam armenta diuidebant antiqui, cum aliam partem destinarent fœturæ, aliam laboribus, aliam reseruarent ad altaria, vt innuit Virg. lib. 3. Georg.

*Continuoq́; notas, & nomina gentis inurunt:*
*Et quos aut pecori malint submittere habendo,*
*Aut aris seruare sacris, aut scindere terram.*

Erant autem singulari diligētia delectæ victimæ quæ Deorum sacrificiis dicabantur, non solum ob eximiam pulchritudinem, sed etiam ob puritatem coloris, cum diuersi omnino reijcerētur, neque liceret mutilam, aut aliqua corporis parte carentem victimam ad aram adducere, atq; hanc diligentiam ita breuiter attigit Lucianus in dialogo de sacrificiis: ἀλλ' οἱ μὲν θύοντες στεφανώσαντες τὸ ζῷον, ἢ πολύ γε πρότερον ἐξετάσαντες εἰ ἐντελὲς εἴη, ἵνα μηδὲ τῶν ἀχρήστων τι κατασφάττωσι προσάγουσι τῷ βωμῷ. *enimuero sacrificantes victimam coronant, multoq́; prius studio perquirunt, num perfecta sit, nequid inutile iugulent, atque ad aram deducant.* Deinde vestes sacerdotum puras, neque vlla macula inquinatas conuenire putarunt. quod ita innuit Virg. lib. 12.

*—puraque in veste sacerdos*
*Setigeræ fœtum suis, intonsamque bidentem*
*Attulit, admonuitque pecus flagrantibus aris.*

Nam neque laboribus assuetas victimas, neque illas, ex quibus aliqua vtilitas capta fuisset, Diis conuenire arbitrabantur. Deinde aliis Diis alius coloris vestes magis erant idoneæ. nam Diis inferis atræ vestes, cœlestibus purpureæ, vt ait Menander in libro de Mysteriis, conueniebant; quibusdam vero albæ; vt sacrificiis Cereris, sicut testatur Ouid. lib. 10.

*Festa piæ Cereri celebrabant annua matres,*
*Illa quibus niuea velata corpora veste*
*Primitias frugum dant spicea serta suarum.*

& lib. 4 Fast.

*Alba decent Cererem, vestes Cerealibus albas*
*Sumite; nunc pulli velleris vsus abest.*

Deinde Diis aliis fœminæ victimæ tantum, aliis soli mares immolabantur. in omnibusque sacrificiis committebatur piaculum, si quis cæde pollutus, vel alio flagitio, ad aras accessisset,

cessisset, minimeque grata erant sacrificia, quæ ab impuris manibus sceleratorum hominum offerebantur. Idcirco per nouem dies noctesque saltem oportebat ab omni libidine sacerdotes, aut mulieres ædituas, aut initiaturas abstinere, vt est in his:

*Perque nouem noctes Venerem, tactusque virorum*
*In vetitis memorant.*

Sic & Cybeles sacerdotes membrum genitale sibi quodam lapide abscindebant, vt casti viuerent. & Athenis alij bibebant cicutam, vt vim membri genitalis amitterent, & mulieres præterea initiaturæ, sibi lectos è viticis foliis substernebant, vt refrenarent libidinem. quare iure scripsit Demosthenes in oratione contra Timocratem hęc de pręsidibus sacrorum: ἐγὼ μὲν γὰρ ἡγοῦμαι δεῖν τὸν εἰς ἱερὰ εἰσιόντα καὶ χερνίβων καὶ κανῶν ἁψόμενον, καὶ τῆς πρὸς τοὺς θεοὺς ἐπιμελείας προστάτην ἐσόμενον, οὐχὶ προειρημένον ἀκτὸν ἡμερῶν ἀριθμὸν ἁγνεύειν, ἀλλὰ τὸν βίον ὅλον ἡγνευκέναι τοιούτων ἐπιτηδευμάτων. *ego sane sic existimo, eum qui ad sacra accedit & res sacras sit tractaturus, aut res ad Deos spectantes curaturus, oportere non prædictum aut statutum dierum numerum esse castum, sed per vniuersum vitæ suæ cursum ab huiusmodi turpibus studiis abstinuisse.* Neque enim ad sacra accedere cuiquam licebat, nisi lotis manibus: quare & Æneas sacra attingere ita vel per summam pietatis oportunitatem recusat apud Virg. lib. 2.

*Tu genitor cape sacra manu, patriosque Penates;*
*Me bello è tanto digressum, & cæde recenti*
*Attrectare nefas; donec me flumine viuo*
*Abluero.*

Et Homerus lib. ζ Iliad.

χερσὶ δ' ἀνίπτοισι Διῒ λείβειν αἴθοπα οἶνον
ἅζομαι. οὐδέ πη ἔστι κελαινεφέϊ Κρονίωνι
αἵματι καὶ λύθρῳ πεπαλαγμένον εὐχετάασθαι.
*Non decet illotis manibus libare superno*
*Vina Ioui, pudor hoc prohibet fecisse cruore*
*Turpatum me & cæde virum Diis fundere vota.*

Existimabāt enim antiqui eandem esse animi quam etiam corporis purgationem; vt cum quis in flumine manus aut corpus abluisset post cædem, ille purus statim efficeretur: quare ita scribit Anticlides libro 74 redituum: ἔθος γὰρ ἦν τοῖς παλαιοῖς, ὅπερ καὶ νῦν ἀκμάζει, ὅταν ἢ φόνον ἀνθρώπων,

ἢ καὶ ἄλλας σφαγὰς ἐποίειν, ὕδατι ἀενάῳ τὰς χεῖρας ἀπονίπτειν εἰς τοῦ μιάσματος κάθαρσιν. *Erat enim mos antiquorum, qui nunc etiam seruatur, vt qui cædem hominum, vel aliorum animalium commisissent, perenni aqua manus abluerent, ad commissi piaculi lustrationem*, quare iussit Hesiodus nulli Deorum sacra fieri oportere antequam manus lotæ fuerint mane, cum ita scribat in operibus:

*μηδέ ποτ' ἐξ ἠοῦς Διὶ λείβειν αἴθοπα οἶνον*
*χερσὶν ἀνίπτοισιν, μηδ' ἄλλοις ἀθανάτοισιν.*
*Nunquam vina Ioui, superisve rubentia libes,*
*Ante manus fluuij quam pura laueris vnda.*

Nam cũ purus sit Deus & ab omni prorsus sorde immunis, non conuenire crediderunt illi ministro, qui ad eius altare accederet, manus, aut aliquã corporis partẽ habere inquinatam aut impuram. Quare si quis neglecta purgatione ad sacrificia accessisset, illius preces Deos neq; audire neq; respicere arbitrabantur. Erat præterea non parua diligẽtia in eligendis lignis, quæ cõuenirent singulis sacrorum generibus: quoniã non ex quibusuis lignis ignis accẽdebatur, sed ex lignis in legib. sacrificiorũ nominatis. Sic in sacris Bacchi antiquitus nulla ligna nisi oporobasilidis, aut phibaleæ ficus, aut viticis cũ foliis vitium vtebantur, vt ait Hegemon lib. 2 Georgicorum in sacris Veneris myrtus vtebatur, at apud Sicyonios ignis non fiebat nisi è lignis iuniperi, quib. folia addebantur pæderotis, vt ait Paul. in Corinthiacis. In Iouis sacris ilicis ligna, in Martis fraxinorum, in sacris Herculis albæ populi, cerri, aut æsculi, aut corni, vt scriptũ est ab Ephoro lib 2. de Ponderibus Asiæ, & ab Epigene in Heroina. Sunt autem huic rei argumento illa quæ scripta sunt à Timæo Siculo in libr. secundo historiarum in hunc modum: μετὰ τῆς Τροίας ἅλωσιν πολλοὶ τῶν Λοκρῶν περὶ τὰς Γηρείας ναυαγησάντων ἀνῃρέθησαν. οἱ δὲ λοιποὶ σὺν Αἴαντι μόλις εἰς Λοκρίδα διεσώθησαν. φθορᾶς δὲ καὶ λοιμοῦ τὴν χώραν αὐτῶν μετὰ τὸ τρίτον ἔτος ἐχόντων. διὰ τὴν μῖξιν ἀθέμιτον Αἴαντος τῇ Κασσάνδρᾳ, ἔχρησεν ὁ Θεὸς δεῖν εἰς ἔτη χίλια τὴν Ἀθηνᾶν τὴν ἐν Ἰλίῳ ἱλάσκεσθαι, πέμποντας δύο παρθένους ἐπὶ κλήρῳ καὶ λοχῶσι. καὶ μετὰ ταῦτα ἔθος ἦν τοῖς Τρωσὶ πεμπομένας προϋπαντῶσι καταχεῖν καὶ ἀναιρεῖν, καὶ τοῖς ἀκάρποις καὶ ἀγρίοις τῶν ξύλων καίειν. ὅπερ ἐποίουν μέχρι τοῦ Φωκικοῦ πολέμου. τότε γὰρ ἐπαύσαντο ταύτης τῆς θυσίας, μᾶλλον δὲ ἀσεβείας. *Post captam Troiam multi ex Locris*

*naufra-*

*naufragiũ iuxta Gereas passi perierunt: reliqui vero cum Aiace per summas difficultates in Locridẽ tandẽ euaserũt. At vero anno deinde tertio cum fames & pestilentia eorũ regionem inuasisset, quia neglecta religione Aiax cum Cassandra rem illegitime habuisset, responsum est redditum ab oraculo oportere per mille annos placare Palladem Troianam duas virgines è suis quotannis sortitos Troiam mittentes. Mansit postmodo illa consuetudo Troianis vt missas virgines obuii caperent ac iugularent, quas postea sterilibus & agrestibus lignis comburerent, qui ritus ad belli Phocensis vsque tempora perdurauit. Tunc enim immunitatem eius sacrificii, vel potius eius impietatis Locrenses obtinuerunt.* Est autem illud argumento, quod summam diligentiam adhiberent antiqui in eligendis lignis ad sacrificia, quod cum ædituis, auguribus, fæcialibus, interpretibus, lignitores etiam vocati præerant sacrificiis, quibus id tantum curæ erat, vt legitima ligna pararentur, & concinne igni imponerentur. nam nisi omnia seruarentur legitima in sacrificiis publicæ inde calamitates oriebantur: cuius rei vel illud est argumento, quod si quis in Iouis Lycæi templum, aut etiam in aream, minime peractis prius lustrationibus legitimis, ingressus fuisset, intra annum omnino mori necesse erat, vt scripsit Hegesander lib. 17. & Paus. in Arcadic. Idcirco scriptum est à Paus. in prioribus Eliacis, in Iouis Olympii fano, vbi magistratus nigro ariete faciebant, neque vlla portio victimæ dabatur vati, sed collum tantum lignatori more maiorum, mandatum fuisse negocium lignatori vt ad sacrorum vsum ligna certo precio daret, vel publice ciuitatibus, vel priuatim cuilibet, quæ non erant ex alia arbore, quam ex alba populo: qui honor habitus est arbori, quod eam Hercules è Thesprotide primus in Græciam portauit, quam ad fluuium Acherontem Thesprotidis reperit, cuius etiam lignis victimarum femora cremauit. Dicebantur esse in Lydiis Persicis cognomento vocatis vrbes duæ, Hypæpæ & Hierocæsarea, in quibus vtrisque templum erat amplissimum cum cellis & aris, super quibus erat cinis longe diuerso colore à cinere communi. Huc ingressus sacerdos lingua Græcis ignota aris ligna imponebat, caput tiara velabat implorabat Dei ignoti cognomen; cum recitasset carmẽ ex libro lingua plane ignota Græcis ac perorasset, sponte sua è lignis, nullo igne ad-

moto, purissima flāma omnib. procul absistentibus emicabat, vt ait Theagenes in lib. de Diis, & Paus. in prioribus Eliacis. Tanta diligentia & in purgationibus, & in omni sacrificiorum ratione vti oportebat. Summæ pręterea obseruantiæ & reuerentiæ Deorum templa fuerunt apud maiores. nam si quis supplex ad aras Deorum confugisset, eum inde diuellere per religionē non licebat, vt scribitur à Paus. in Achaicis. quare cum Atheniensium magistratus in eos sæuiissent, qui cū Cydone in arcem Mineruæ confugerant, & ipsi, & omnes eorum posteri violatæ religionis Mineruę pœnas dederunt. Sic Lacedæmonii cum violassent eos, qui supplices in templū Neptuni confugerant, tam ingentibus tamque crebris terræ motibus Sparta concussa est, vt nulla prope domus expers tantæ ruinę fuerit. atque longum esset calamitates eorum memorare, qui propter neglectam vel falsam antiquorum religionem in summum capitis discrimen inciderunt. Erant præterea nonnullis in ciuitatibus quædam familiæ, quæ solæ nonnullorū Deorum sacris initiarētur, sicut Herculi Pinarii, vt est apud Virg. lib. 8. At Cereris sacris apud Athenienses soli initiabantur Eumolpidę, quia primus Eumolpus illa sacra celebrarit, vt testatur Acesodorus his verbis: κατοικῆσαι δὲ τὴν Ἐλευσῖνα ἱστοροῦσι, πρῶτον μὲν τοὺς αὐτόχθονας, εἶτα Θρᾷκας τοὺς μετ' Εὐμόλπου παραγενομένους πρὸς βοήθειαν, εἰς τὸν κατ' Ἐρεχθέως πόλεμον. τινὲς δὲ φασὶ καὶ τὸν Εὔμολπον εὑρεῖν τὴν μύησιν τὴν συντελουμένην κατ' ἐνιαυτὸν ἐν Ἐλευσῖνι, Δήμητρι, καὶ Κόρῃ. *Habitasse in Eleusine primum indigenas narrant, at deinde Thraces, qui cum Eumolpo suppetias tulerunt per bellum quod fuit cum Erechtheo. at alii inquiunt, Eumolpum inuenisse sacrificia quæ fiunt anniuersaria in Eleusine, Cereri & Proserpinæ.* Androtio vero lib. 2. de sacrificiis, non eum Eumolpum inquit illa sacrificia inuenisse, sed alium Eumolpum, qui fuit quintus à primo, qui pugnauit aduersus Erechtheum. sic enim inquit: Εὐμόλπου γὰρ γενέσθαι Κήρυκα, τοῦ δὲ Εὔμολπον, τοῦ δὲ Ἀντίφημον, τοῦ δὲ Μουσαῖον τὸν ποιητήν, τοῦ δὲ Εὔμολπον τὸν καταδείξαντα τὴν μύησιν, καὶ ἱεροφάντην γεγονότα. *Nam Eumolpum fuisse præconem, ex quo nascitur Eumolpus, ex hoc Antiphemus, ex hoc Musæus poeta, ex hoc Eumolpus, qui ritum sacrorum demonstrauit atque functus fuit sacerdotio.* Erat illa præterea consuetudo, vt victimæ inauratis cornibus ad aras candidæ adducerentur, vt testa-

testatur Valerius Flaccus in primo Argonauticorum:

*——— Dabit auratus & cornibus igni*
*Colla pater, niueiq; greges altaria cingent.*

Neq; parua adhibebatur præterea diligentia in obseruãdis victimis, vbi ad aras adductæ fuissent, an libenter astarent: nam si reluctarentur, remouebãtur ab aris, quia Diis minime gratæ esse putabãtur quare ita scripsit Virg lib.2.Geor.

*Et ductus cornu stabit sacer hircus ad aram.*

Experiebantur præterea voluntatem victimarũ per molarũ inspersiones, cum illis & cultri & victimarũ tergora cõspergerentur & cultrum obliquum à fronte ad caudã ante immolationẽ deducere solebant, quod innuit Virg.lib.12.

*Dant fruges manibus salsas, & tempora ferro*
*Summa notant pecudum.*

Enimuero tantum erat in obseruandis victimis studium, vt non sufficere videretur, si quiete ad aram astitissent, nisi etiam annuerent sacrificiis, vt ait Myrti.lib.2.rerum Lesbicarum his verbis: *οἱ μὲν οὖν ἱερεῖς τὸ ὕδωρ εἰς τὸ οὖς τοῦ ἱερείου ἐμβαλεῖν, ὡς ἐπινεύῃ ταῖς τελεταῖς. Nam sane sacerdotes aquam infundere in aurem victimæ consueuerunt, vt illa annuat illis sacrificiis.* Erant aquæ præterea propriæ singulis sacrificiis magis aptæ creditæ nam in sacris & in nuptiis Athenis nulla aqua, nisi Callirhoes fontis vti mos fuit. In Delo aqua templi nulla alia in re, nisi in sacris vti solebant. ac neque fluuiorum quidem cæterorum omnium aquæ omnib. sacrificiis aptæ putabantur: siquidem Ioui Olympio aqua Alphei grata fuit, vt in Arcadicis rebus testatur Pausanias. At Amphiarai fontis vocati, qui erat in Oropiorum agro Amphiarai & Apollinis templo proximus aqua neque ad lustrandum, neq; ad lauandas manus vti fas esse censebant. tanta erat antiquorum in reb. sacris rite peragendis industria ac diligẽtia. Obseruabatur præterea ex institutis sacrificiorum, vt ternarius numerus in sacris vsurparetur: nã vt scripsit Porphyrius in lib. de sacrificiis, mos fuit antiquorũ, vt cum florib. herbas & ramos arborũ & animalia dæmonib. prius offerrent, cũ essent altissimo Deo immolaturi: quod quidẽ ter faciebãt, vt illi Dæmones ipsi sũmo Deo vota ac preces hominũ sacrificantiũ asportarẽt, quos Dei supremi nuncios esse arbitrabantur. His n. & gratias agebãt pro impetratis à Deo beneficiis, & salubria precabantur, & hos

venerabantur vt summi & excelsi illius Dei ministros. His ita obseruatis tum sacerdotes preces incipiebant ac paucis præmissis vinum inter cornua victimarum effundebant, vt innuit Ouid. lib. 7. Metam.

*Admoti quoties templis dum vota sacerdos*
*Concipit, & fundit purum inter cornua vinum.*

Atque Virg. non solum sacerdotes, sed illos etiam quorum ergò sacra fiebant, vinum inter cornua fundere solitos ait lib. 4. Æneid.

*Ipsa tenens dextra pateram pulcherrima Dido,*
*Candentis vaccæ media inter cornua fundit.*

Deinde paucis interiectis precib. farina hordei cũ sale permisto primum in tergus victimæ spargebatur; quæ ista de caussa tenui aqua, tanquã leui imbre fuerat à ministro perfusa, atq; illæ molæ dicebantur: quas Græci οὐλοχύτας vocarũt, cum sit οὐλὴ hordeum, χέω fundo. Vbi igitur ita cõspersæ victimæ aliquãdiu stetissent, dum preces à sacerdotibus, sacrorumq; præfectis agerẽtur, cultri ad eas iugulãdas, aut secures parabantur, & hydria aqua plena ad lauandas manus ministrorũ. Deinde post nonnullas precationes aliam molarũ partem cum villis è fronte victimæ euulsis in ignẽ super aram tunc accensum coniiciebant, quæ prima libamina vocabantur. hoc ita significauit Hom. lib. 3. Odyss.

χέρνιβά τ' οὐλοχύτας τε κατήρχετο, πολλὰ δ' Ἀθήνῃ
εὔχετ' ἀπαρχόμενος κεφαλῆς τρίχας ἐν πυρὶ βάλλων.
*Fudit aquas fuditq; molas ac multa precatus*
*Pallada, dat flammæ euulsos de vertice villos.*

Atque postea idem poëta lib. etiam ξ.

ἀλλ' ὅγ' ἀπαρχόμενος κεφαλῆς τρίχας ἐν πυρὶ βάλλεν
ἀργιόδοντος ὑὸς καὶ ἐπεύχετο πᾶσι θεοῖσι.
*Verum hic sacra ferens tot flammæ forte suillos*
*E capite euulsos villos Diuosq; precatur.*

Sic Virg. libro 6. Æneid.

*Et summas carpens media inter cornua setas,*
*Ignibus imponit sacris libamina prima.*

Erat illa præterea consuetudo, vt illi quorum causa fiebant sacrificia, altera manu cum precibus, dextera scilicet, aram tenerent: quem ritum ita attigit. Virg. lib. 4. Æneid.

*Talibus orantem dictis, aramq; tenentem.*

Nec lõgo sane interuallo peractis quibusdam precationib.

victimas

victimas securi percutiebant, vt patet ex libr. 3. Odyss. vbi hæc sunt carmina:

— πέλεκυν δὲ Νεοπτόλεμος θρασυμήδης
ὀξὺν ἔχων ἐν χειρὶ παρίστατο βοῦν ἐπικόψων.
*Sumpta Neoptolemo est audaci deinde securis;*
*Ille bouem casurus erat quo proximus ara.*

Atque si sacra fiebant superis, nulla ratio sanguinis habebatur. Enimuero hunc fuisse ritum sacrorum apud Romanos etiam, eaque in sacris seruari quæ diximus, ita summatim complexus fuit Dionys. Halicarnass. lib. 7. rerum antiquarum: συντελεσθείσης δὲ τῆς πομπῆς ἐβουθύτουν εὐθὺς οἵ θ' ὕπατοι καὶ τῶν ἱερέων οἷς ὅσιον, καὶ τῶν θυηπόλων, τρόπος ὁ αὐτὸς ἦν τῷ παρ' ἡμῖν χερνιψάμενοί τε γὰρ αὐτοὶ, καὶ τὰ ἱερὰ καθαρῷ περιαγνίσαντες ὕδατι, καὶ Δήμητρος καρποὺς ἐπιρράναντες αὐτῶν ταῖς κεφαλαῖς, ἔπειτα κατευξάμενοι, θύειν τότε τοῖς ὑπηρέταις αὐτὰ ἐκέλευον, τῶν δὲ οἱ μὲν, ἑστῶτος ἔτι τοῦ θύματος, σκυτάλῃ τοὺς κροτάφους ἔπαιον· οἱ δὲ πίπτοντος ὑπετίθεσαν τὰς σφαγίδας· καὶ μετὰ τοῦτο δείραντές τε καὶ μελίσαντες, ἀπαρχὰς ἐλάμβανον ἐξ ἑκάστου σπλάγχνου καὶ παντὸς ἄλλου μέλους· ἃς ἀλφίτοις ἀναδεύσαντες ζέας προσέφερον τοῖς θύουσιν ἐπὶ κανῶν· οἱ δὲ ἐπὶ τοὺς βωμοὺς ἐπιθέντες, ὑφῆπτον, καὶ προσέσπενδον οἶνον κατὰ τῶν ἁγιαζομένων. *Vbi transacta fuisset pompa, consules statim boues immolabant, & ex sacerdotibus aut ministris cuicunque munus illud conuenire putaretur, erat idem qui est apud nos ritus. Nam manus ipsi lauantes, puraque aqua victimas lustrantes, ac Cereris fructibus illarum capita spargentes postea precati, iubent ministris illas mactare. Ex iis vero, alii stantis adhuc victimæ tempora scytale percutiebant, alii sub illam cadentem sigilla supposuerunt, ac postea corio nudantes, membratimque dissecantes è singulis intestinis primitias capiebant, cæterorumque membrorum: illas igitur farina hordei conspergētes in canistris ad sacrificantes afferebant. Illi super altare imponentes ignem accendebant, vinumque libantes in eas victimarum primitias effundebant.* Hæc summatim à Dionysio. Adhibebantur & alia lumina in sacrificiis Deorum cœlestium præter ignem vrendis sacrificiis necessarium: per quæ significabant vim clarissimam Deorum patere in rebus omnibus; atque per ipsa lumina puritatem etiam ipsorum Deorum demonstrabant, ad quorum sacrificia non liceret, nisi puros accedere. Vbi igitur purgatæ, & molis conspersæ; &

diſſectæ fuiſſent victimæ: antequam illarum membra incenſis altaribus imponerentur, thus in flammas iniiciebatur, & in illud vinum è pateris in flammas in Deorum honorem; quod ita innuit Ouid. lib. 13. Metam.

*Thure dato flammis, vinoque in thura profuſo,*
*Cæſarumque boum fibris de more crematis.*

Poſtquam hæc egiſſent, elegiſſentq; partes victimæ, quas Diis offerrent, reliquas in conuiuia, quæ per omnes ſolennitates in honorem Deorum fiebant, reſeruabant. at illæ partes quæ electæ forent ſacrificiis, vt ignem facilius admitterent, molis conſpergebantur, ſicut patet ex libro 8. Apollon.

Ἀγκαῖος δ᾽ ἑτέροιο κατὰ πλατὺν αὐχένα κόψας
χαλκείῳ πελέκει κρατεροὺς διέκερσε τένοντας
ἤειπε δ᾽ ἀμφοτέροισι περιρρηδὴς κεράεσσιν.
τοὺς δ᾽ ἕταροι σφάξαν τε θοῶς, δεῖράν τε βοείας,
κόπτον δαίτρευόν τε, καὶ ἱερὰ μῆρ᾽ ἐτάμοντο.
κὰδ δ᾽ ἄμυδις τάγε πάντα καλύψαντες πύκα δημῷ,
καῖον ἐπὶ σχίζῃσιν. ὁ δ᾽ ἀκρήτους χέε λοιβὰς
Αἰσονίδης.

*Tum bouis alterius percuſſit colla ſecuri*
*Ærea ibi Ancæus fortes neruoſque cecidit.*
*Prolapſus cecidit q; ingens in cornua humi bos.*
*Hos ſocii iugulare citi, his & tergora coſtis*
*Diripere: & coxas, & cædere ſingula membra:*
*Hæc adipe & tegere, & ſacris imponere flammis*
*Æſonides, atque inde molas conſpergere ſalſas.*

Cum ignis poſtea exarſiſſet vt etiam magis extolleretur, ſupra hæc vinum effundebant, ſicut ait Hom. 1. Iliad.

καῖε δ᾽ ἐπὶ σχίζῃς ὁ γέρων, ἐπὶ δ᾽ αἴθοπα οἶνον
λεῖβε.

*Vſſit ligna ſuper ſenior: tum munere Bacchi*
*Libauit, fuditq; merum.*

In ſacrificiis illorum Deorum qui aërii putabantur, præter ignem cantilenas etiam addiderunt, cum illos harmonia delectari arbitrarentur, atque Dei huiuſmodi credebantur omnes illi dæmones qui à terra & ab aqua omnem regionem vſque ad locum ſtellarum ſupremum gubernarent. Nam ad triginta millia dæmonum eſſe ſcribit Heſiodus, qui Iouis ſint miniſtri, & obſeruent quæ fiant à ſingulis hominibus.

minibus: ita nihil quod Deo cognitum non sit, esse existimarunt. Sic enim inquit:

*τρὶς γὰρ μύριοι εἰσὶ ἐπὶ χθονὶ πουλυβοτείρῃ*
*ἀθάνατοι Ζηνὸς φύλακες θνητῶν ἀνθρώπων.*
*οἵ ῥα φυλάσσουσίν τε δίκας καὶ σχέτλια ἔργα,*
*ἠέρα ἑσσάμενοι, πάντῃ φοιτῶντες ἐπ' αἶαν.*
*Millia triginta terras habitantia Diuûm*
*Sunt Iouis hi obseruant hominum mortalia facta.*
*Obseruant pariter peragrantes fasque nefasque,*
*Aeris induti velamine.*

At Iamblicus & Trismegistus, & Psellus, & reliquorum sapientum complures non solum triginta millia dæmonum esse censuerunt: sed vniuersum aëra & cœlos plenos esse dæmonibus crediderunt, qui late per aëra vagarentur, & ad nidores sacrificiorum accurrerent. His igitur dæmonibus aëris cum sacra fierent, præter lumina, & nidores cæsarum victimarum, cantus etiam, & odores multos, & thus adhibebant, vt testatur id Virg lib.3. Æneid.

*Iunoni Argiuæ iussos adolemus honores.*

sic lib.5. *Farre pio, & plena supplex veneratur acerra.*

Idcirco Medea vtpote venefica, sacrorum rituum peritissima, cum ventis sacrificaret apud Apollonium Rhodium libro 4. maxime odorifera ac suauia offert sacrificia, vt est in his:

*τοῖα παρὲκ Φαρμὴν θελκτήρια φάρμακ' ἔπασσεν*
*αἰθέρι καὶ πνοιῇσι, τάκειν καὶ ἄπωθεν ἰοῦσα*
*ἄγριον ἠλιβάτοιο κατ' οὔρεος ἤγαγε θῆρα.*
*Tantum effata leues mulcentia pharmaca ventos,*
*Ætheraque inspersit, procul illa è montibus altis.*
*Deduxere feram syluestrem, quo illa cupiuit.*

& Hom. lib.1. Iliadis pro depellenda pestilentia nidores victimarum Apollini etiam obtulit in his:

*αἴκέν πως ἀρνῶν κνίσσης αἰγῶν τε τελείων*
*βούλεται ἀντιάσας, ἡμῖν ἀπὸ λοιγὸν ἀμῦναι.*
*Si vult caprarum, si vult nidoribus ille*
*Obuius agnorum fieri, ac depellere pestem.*

Et quoniam cantus, & harmonia, musicorumque instrumentorum soni non sine quadam voluptate aëra permouent: illa de causa cantu etiam delectari illi dæmones crediti sunt, quare vt ait ibid. Hom.

*οἱ δὲ πανημέριοι μολπῇ θεὸν ἱλάσκοντο*
*καλὸν ἀείδοντες παιήονα κοῦροι ἀχαιῶν,*
*μέλποντες ἑκάεργον, ὁ δὲ φρένα τέρπετ' ἀκούων.*
*Phœbeas iras placebant carmine Graii*
*Per luces totas pulchrum pæana canentes*
*Cantantes Phœbum: huic mulcebant gaudia pectus.*

Sic in sacris matris Deûm vt nonnullorum Deorum, addebantur etiam musica instrumenta. quare inquit Ouid. in lib. primo de Ponto:

*Ante Deûm matrem cornu tibicen adunco*
*Cum canit, exigua quis stipis æra neget?*

Istud autem efficere putabantur, vt tibiis vterentur in sacris, quo animi præsentium, hominum diuerterentur à priuatis cogitationibus ad Deorum immortalium reuerentiam, quia nescio quid diuinum imprimit in animis nostris vis musica. Ioui, cum mens illa suprema diuina credebatur, non adhibebantur nisi lumina in sacrificiis; at cum Iupiter pars esset summa aeris, tunc adhibebantur musica instrumenta, vt cæterorum Deorum sacris nonnullorum; quippe cum simulatis sacrificiis etiam paruus per illorum strepitum paternæ crudelitati dicatur fuisse surreptus. In antiquis huius sacrificiis strophe & antistrophe moduli canebantur ad imitationem motuum stellarum, vt ait Aristoxenus in lib. 1. de foraminibus tibiarum, & Bito in libro quem scripsit ad Attalum de musicis instrumentis. Nam modo huc, modo illuc inter illa sacra saltantes voluebantur; atque per strophen motum primum huius vniuersi; per antistrophen proprias singularum planetarum motiones; significabant. Erant autem cantilenæ in sacris nihil aliud quam commemorationes eorum beneficiorum, quæ Dii ipsi in homines benigne contulerant, cum virium ipsorum Deorum, & clementiæ & liberalitatis amplificationem & cum precibus vt benigni ac faciles precantibus, accederent, vt ait Philochorus in libro de sacrificiis; vt significant hymni Orphei, & iubet omnis ratio conscribendorum hymnorum; quale est id Apol. lib. 2.

*ἀμφὶ δὲ δαιομένοις εὐρὺν χορὸν ἐστήσαντο,*
*καλὸν ἰηπαίονα φοῖβον*
*μέλποντες σὺν δέ σφιν ἐὺς πάϊς Οἰάγροιο,*

Βιστο-

*Βιστονίῃ φόρμιγγι λιγείης ἦρχεν ἀοιδῆς,*
*ὥς ποτε πετραίῃ ὑπὸ δειράδι Παρνασσοῖο*
*Δελφύνην τόξοισι πελώριον ἐξενάριξε*
*κοῦρος ἐὼν ἔτι γυμνὸς, ἔτι πλοκάμοισι γεγηθώς. ἱλήκοις.*
*Incensa statuere chori altaria circum.*
*Cuncti ibi Iopaeaona Phœbum*
*Cantantes, vnaq́ O Eagri filius Orpheus*
*Bistonia sumpta cithara canere incipit alte,*
*Horrendum vt fixit serpentem rite sagittis*
*Ad iuga Parnassi saxosi paruulus infans*
*Phœbus adhuc, nudusq́, & gaudens crinibus aureis.*
*Sis placidus facilisque veni.*

Sic apud Virgilium Euandrus accedenti Æneæ cōmemorat post conuiuium, quæ causa ipsum compulerit ad illa sacrificia instauranda: quippe cum non solum inter sacrificia, sed etiam in conuiuiis, & in omnibus solemnitatib. antiquorum essent sermones de rebus ab illis Dijs gestis. Laudes autem Deorum & hymni, dum vrerentur victimarum partes aræ impositæ, circa ipsam aram canebantur; at cum vstæ fuissent illæ, & quæ reseruatæ erant in conuiuium coctæ, his vescebantur. Deinde post conuiuium antequam discederent, gratias Diis agentes, quod eos in conuiuium accepissent, vltimam sacrificiorum partem linguas victimarum in sacros ignes coniiciebant, & vini parum super illas, vt testatur Apollon. lib. 1.

—— *πίως ἐπὶ τε γλώσσῃσι χέοντες*
*αἰθομένῃσι.*

*Interea accensis fundunt libamina linguis.*

Sic etiam Homerus libr. 3. Iliad. *γλώσσας δ' ἐν πυρὶ βάλλον: inijciunt igni linguas.* Istud autem fiebat vbique in honorem Mercurij, cui linguæ erant consecratæ, atque post exustas linguas gratias Diis agentes vnusquisque læti ex illis sacrificiis domum discedebant. at nunc de sacrificiis marinorum dicamus.

## *De sacrificiis marinorum Deorum.* CAP. XI.

AT vero quoniam dæmones illi qui mari præerant, pro natura loci crassiores esse putabantur; idcirco in eorum sacris crassiora quædam corpora quā essent vel nidores vel cantus offerebantur, quæ ad gustū pertinerent, cor-

pusq; haberent magis solidum. Nam cum vinum in sacrificiis Deorum superorum offerretur, & delectæ partes victimarum, tamen ex illis in ignem coniectis & concrematis nihil aliud ad eos Deos nisi nidor & vstulatorũ animalium fumus perueniebat, vel odor thuris. At in sacrificiis marinorum Deorum res longe aliter se habere credita est. nam cum taurus Neptuno mactabatur, tunc sanguis colligebatur in crateres, atque non percutiebantur securi victimæ, sed cultris iugulabantur. Erant autem nigræ illæ victimæ, quæ vel Diis inferis, vel tempestatibus, vel Diis marinis offerebantur, vt patet ex lib. 3. Odyss. cum semper in littore maris sacra fierent marinis:

*τοὶ δ' ἐπὶ θινὶ θαλάσσης ἱερὰ ῥέζον*
*ταύρους παμμέλανας Ἐνοσίχθονι κυανοχαίτῃ.*
*Ad maris vndisoni faciebant littora sacrum,*
*Nigranti tauro Neptuno qui regit vndas.*

atque cum turbato Neptuno taurus immolaretur, tunc vbi esset placidus, mactabatur agnus, & aper aliquando: quę etiam animalia cum maris naturam variis temporibus indicarent, omnia simul aliquando cædebantur in Neptuni sacrificiis, vt iudicat Hom. lib. λ. Odysseæ;

*ῥέξας ἱερὰ καλὰ Ποσειδάωνι ἄνακτι*
*ἀρνειὸν, ταῦρόν τε, συῶν τ' ἐπιβήτορα κάπρον.*
*Legitime regi Neptuno sacra peregit,*
*Agno, tauro, aproque sues qui sueuit inire.*

Iugulatarum deinde victimarũ in sacris marinorũ sanguis collectus in mare è patera fundebatur cum precibus, quod genus rituum à sacrificantibus in littore seruabatur. sin autem in naui initiarentur, victimas non in pateră, sed in mare cum precibus iugulabant, vt ait Apollonius lib. 4. in his:

*ἦ ῥ', ἅμα δ' εὐχωλῇσιν ἐς ὕδατα λαιμοτομήσας*
*ἧκε κατὰ πρύμνης.*
*Ille preces fundens iugulauit in æquoris vndam,*
*Mox de puppe iacit.*

Cum iugulassent igitur ac dissecuissent victimas, prius exta cum precibus, deinde vinum in aquam deiiciebant, vt ait Virgilius lib. 5. his carminibus:

*Ipse caput tonsæ foliis ornatus oliuæ,*
*Stans procul in prora pateram tenet: extaque salsos*
*Porrigit in fluctus, ac vina liquentia fundit,*

& Va-

& Valerius Flaccus lib 2. Argonauticorum qui ita scribit:

*Tum pelago vina inuergens dux talibus infit.*

Neque vero conuenire horum Deorum naturæ videtur illud quod scribitur ab Ouid. lib 11. Metamorph. qui thuris etiam odorem Diis marinis tribuit, cum aeris tantum numinibus, vt diximus at non etiam aquaticis, id genus sacrificij ad altiora tendentis conueniat: sic enim inquit:

*Isque Deos pelagi vino super æquora fuso,*
*Et pecoris fibris, & fumo thuris adorat.*

Apud Virg. præterea lib. 4. Georg. in sacrificiis Oceani, quæ fiunt à Nymphis, vinum in flammas, at non in mare funditur: quod non fiebat contra ius sacrorũ, cum illæ essent sub aquis, quamuis mathematicus & philosophus acutissimus Hector Ausonius de antiquorum sapientum sententia ad chemicam artem hanc rem pertinere arbitratur. neque etiam ob eam causam parum conuenit is ritus Oceano, quia per Oceanum modo patrem omnium, modo humorem diuinitus in omnia naturalia corpora, omnemque materiam diffusum, antiqui significarunt. sic autem ait Virgil.

*Oceano libemus, ait, simul ipsa precatur*
*Oceanumque patrem rerum, Nymphasq́; sorores,*
*Centum quæ syluas, centum quæ flumina seruant.*
*Ter liquido ardentem perfudit nectare Vestam:*
*Ter flamma ad summum tecti subiecta reluxit.*

Vtebantur autem ternario numero in sacrificiis, quoniam ille numerus perfectus est, non solum ob dimensiones corporum, vt ait Arist. in primo cœli, sed etiam quia Deus est omnium quæ videntur, & quæ videri non possunt, moderator: non aliter atque paris & imparis vim habet trias, cum omnes sint numeri pares aut impares: atque sicut Deus est principium omnium quæ aguntur, ita primus ternarius numerus omnium reliquorũ per se ipsum auctus triangulum constituit parium laterum, quæ prima est earum figurarum quæ pluribus constant lateribus. Atqui quod eo numero in sacris vterentur, ita testatur Valerius lib. primo Argonaut.

*Ipse ter æquoreo libans carchesia patre.*

Nam nõ quouis impare gaudere dictus est Deus à Virgilio, sed eo qui primus est numerorum imparium, & initiũ corporum solidorũ constantium ẽ pluribus areis. In sacrificiis

etiam fluuiorum & patriorum Deorum ac heroum, si qui per flumen nauigarent (nam mos fuit antiquis, vt Diis eorum locorum ad quæ nuper accedebant, sacrificarent antequam de naui exirent, vt ij benigni ac fausti exciperent accedentes) idem ritus seruabatur, cum vina in fluuios effunderentur cum precibus, vt ait Apollon. in lib. 2.

*αὐτὸς δ' Αἰσονίδης χρυσέῳ ποταμόνδε κυπέλλῳ*
*οἴνου ἀκηρασίοιο μελισταγέας χέε λοιβὰς*
*γαίῃ τ' ἐνναέταις τε θεοῖς, ψυχαῖς τε καμόντων*
*ἡρώων· γουνοῦτο δ' ἀπήμονας εἶναι ἀρωγοὺς*
*εὐμενέως.*

*Ipse merum è cyatho libamen fudit, & auro,*
*Æsonides liquidum in fluuium: sic inde precatur*
*Tellurem, indigetesq; Deos, animasque sepultorum*
*Heroum, placidi vt veniant, facilesque profectis.*

Nymphæ item cum aquarum Deæ esse putarentur, crassiora quædam & ipsa sacrificia requirebant: quibus mel & lac offerebatur, & mulsum. ac nunc de sacris inferorum.

## *De sacrificiis inferorum.* CAP. XII.

SACRIFICIA illa, quæ Diis inferis fiebant, non solo tempore, sed etiam colore victimarum & ritu plurimum differebant: nam, vt diximus, hæc sacrificia non nisi per noctem fieri consueuerunt, vt ait Virg. lib. 6.

*Tum Regi Stygio nocturnas inchoat aras.*

quod autem nigræ victimæ Diis inferis immolarentur, testatur ita idem poeta:

*— huc casta Sibylla*
*Nigrarum pecudum multo te sanguine ducet.*

Vt autem victimæ quæ superis mactabantur, cum iugularentur, cogebantur iugulum superius vertere: ita quæ mactabantur inferis, caput ad terram depressum tenebant: vt ait Cleon in primo Argonauticorum: & Myrtilus in secundo rerum Lesbicarum his verbis: *εἰώθασιν οἱ ἱερεῖς τὰ ἔντομα τοῖς κάτω θεοῖς ἐναγιζόμενα ἐν τῇ γῇ ἀποτέμνεσθαι τὰς κεφαλάς· οὕτω γὰρ θύουσι τοῖς ὑποχθονίοις, τοῖς δὲ οὐρανίοις ἀνω ἀνασρέφουσι τῶν ἱερείων τὸν τράχηλον σφάζοντες. consueuerunt sacerdotes victimi: quæ mactantur inferis, humi capita incidere: sic enim subterraneis sacrificant. At cœlestibus immolantes colla sur-*

*la ſurſum conuertentes iugulant.* In horum igitur Deorum ſacrificiis victimæ in effoſſas foueas iugulabantur, vt eſt in lib. 3 Apollon.

*πηχύιον δ' ἄρ' ἔπειτα πέδῳ ἔνι βόθρον ὀρύξας*
*νήησαι σχίζας, ἐπὶ δ' ἀρνειοῦ τάμε λαιμόν.*
*Inde in planitie foueam defodit in vlnam,*
*Atque agni iugulum ferro cultroque cecidit.*

Sic etiam Ouid. lib 7. Metam.

*Aut procul egeſta ſcrobibus tellure duabus*
*Sacra facit, cultroſque in guttura velleris atri*
*Conijcit, & patulas perfudit ſanguine foſſas.*

Cum iugulaſſent in foueam, vinum deinde cum precibus in ſanguinem effundebant: quare ita inquit idem:

*Tum ſuper inuergens liquidi carcheſia Bacchi,*
*Alteraque inuergens tepidi carcheſia lactis,*
*Verba ſimul fundit.*

Lucianus tamen in Necyomantia videtur exiſtimaſſe ſanguine tantum conſpergi foueas, at non eo totum infundi. Colligebatur aliquando ſanguis etiam victimarum iugulatarum in his ſacrificiis, non autem in foueas effluebat, vt eſt apud Virg. lib. 6.

*Supponunt alij cultros, tepidumque cruorem*
*Suſcipiunt pateris: ipſe atri velleris agnam*
*Æneas matri Eumenidum magnæq; ſorori*
*Enſe ferit, ſterilemq; tibi Proſerpina vaccam.*

Cum vero ſacra fierent Plutoni inferorum Regi, iſq; mens diuina putaretur quæ in vniuerſam terræ molem eſſet diffuſa, omniaque gubernando penetraret, ſicut Oceanus per mare penetrare creditus eſt: eius ſacra non prorſus abhorrebant à ſuperorum ſacrificiis: quare addebatur ignis huius ſacris, & illi delectæ cæſarum victimarum partes imponebantur comburendæ, vt patet ex eodem:

*Tum Regi Stygio nocturnas inchoat aras:*
*Et ſolida imponit taurorum viſcera flammis,*
*Pingue ſuperq; oleum fundens fumantibus extis.*

Nam oleum pro vino ſacrificiis Plutonis adhibebatur, omnino vero Diis illis qui erant benefici, & albæ victimæ, & placidæ mactabantur: at maleficis, ne nocerent, & nigræ & ferociores putabantur conuenire: ea tamen lege ſeruata vt maribus mares, at fœminis fœminæ victimæ cæderētur. vi-

num prætereа omnium prope Deorum sacris erat accommodatum, at non in sacris Cereris; nam in eius sacrificia vinum inferri non oportebat, vt testatur Plautus in Aulularia;

*Cereria, mi Strobile, hi sunt facturi nuptias?*
*Qui? quia temeti nihil allatum intelligo.*

Verum qui ritus sacrorum singulis generibus dæmonum conueniant, & quæ victimæ singulis fuerint dicatæ, atque omnia prope quæ seruabantur in his sacris; non solum in legibus sacrificiorum fuerunt diligenter perscripta, sed etiam ex oraculi mandato ad vnguem seruare cogebantur antiqui, quorum omnium leges ita traduntur ab Apolline:

Ἐργάζευ φίλε τήνδε θεόσδοτον ἐς τρίβον ἐλθών,
μηδ' ἐπιλήθεο τῶν μακάρων θυσίας ἐναρίζων,
τῇ μὲν ἐπιχθονίοις, τῇ δ' οὐρανίοις ποτὲ δ' αἴθρης
αὐτοῖσιν βασιλεῦσι, καὶ ἠέρος ὑγροπόροιο,
ἠδὲ θαλασσείοις, καὶ ὑποχθονίοισιν ἅπασι
πάντα γὰρ ἐνδέχεται φύσεως αἰσώμασι τῶνδε.
ζώων δ' ὡς θέμις ἐστὶ τελευτήσειν πτερυγισμοὺς
ἀείσω, δέλτοις δὲ χαράσσετε χρησμὸν ἐμεῖο.
τρεῖς μὲν ἐπιχθονίοις, τρεῖς δ' οὐρανίοισι θεοῖσι.
φαιδρὰ μὲν οὐρανίοις. χθονίοις δ' ἐναλίγκια χροιῇ
τῶν χθονίων διαείρει τετραχῆ θυσίας ἐναρίζων.
νερτερίοις κατάθαπτε, καὶ εἰς βόθρον αἷμα ἴαλλε.
χεῦε μέλι Νύμφαισι Διωνύσοιό τε δῶρα.
ὅσσοι δ' ἀμφὶ γαῖαν ποτώμενοι αἰὲν ἴασι,
τοῖς δὲ φόνου πλήσας πάντῃ πυριπνήθεα βωμὸν,
ἐν πυρὶ βάλλε δέμας θύσας ζώοιο ποτηνοῦ,
καὶ μέλι φυρήσας δηίῳ ἀλφίτῳ ἔνθεν,
ἀτμούς τε λιβάνοιο, καὶ οὐλογύτας ἐπίβαλλε.
εὖτε δ' ἐπὶ ψαμάθοισιν ἵκῃς γλαυκὴν ἅλα χεύας
κὰκ κεφαλῆς θυσίας τε, καὶ ἐς βαθὺ κῦμα πελάσσῃς.
ζῶον ὅλον προΐαλλε τελευτήσας πέδι παντὶ
ἐς πλατὺ ἠερίων χορὸν ἔρχεο οὐρανιώνων.
ἀστραίοις δ' ἤπειτα καὶ αἰθερίοις ἐπὶ πᾶσιν
αἵματα μὲν ἐκ λαιμῶν κρουνώμασιν ἀμφὶ θυηλὰς
λιμνάζειν τὰ δὲ γυῖα θεοῖς ἐν δαιτὶ πονεῖσθαι.
ἄκρα μὲν Ἡφαίστῳ δόμεναι, τὰ δὲ λοιπὰ πάσασθαι.
ἀτμοῖσιν λαρεῖσιν ἐνιπλήσαντας ἅπαντα
ἠέρα ῥευσταλέον· ἐπὶ δ' εὐχὰς πέμπετε τοῖσδε.

Hæc

*Hæc age qui nutu Diuorum ingressus amice es*
*Huius iter vitæ mactanda est hostia cunctis*
*Multa Deis, seu qui terras, seu qui mare vastum,*
*Aera seu qui habitant, latum seu qui æthera, seu qui*
*Alta tenent cœli, seu qui infima regna barathri*
*Quæ quibus obseruandæ modis sint singula dicam:*
*Tu memori percepta animo mea dicta teneto.*
*Terna quidem diuis cœlestibus hostia, & ipsa*
*Candida mactanda est, terna & terrestribus atque*
*Atra eadem, gaudent porro & capiuntur apertis*
*Cœlestes aris, foueas cum numina contrà*
*Exposcant atro imbutas inferna cruore.*
*Nec placeat, nisi quæ terra mandetur humata*
*Hostia mel vero Nymphæ, atque liquentia vina*
*Offerri lætantur at ignem accendier aris,*
*Quæ circumuolitant terram sibi numina quærant,*
*Imponiq; atrum corpus, tum thura simulque*
*Inijcier salsas fruges & dulcia liba.*
*Hæc facito, verum quibus est data cura profundi,*
*His ipso semper fer sacra in littore, totum*
*Porriceque in fluctus animal. cœlestibus autem*
*Extremas reddes partes, atque igne cremabis.*

Fuit autem illa causa cur Diis inferis sacrificaretur, quod illi putabantur esse omnium malorum autores, vt significauit Sophocles in Electra ita scribens:

κακῶς ὄλοιο μηδέ σ' ἐκλύσαιν ποτὲ
τῶν νῦν ἀπαλλάξειαν οἱ κάτω Θεοί.
*Perdere pessime, è malis præsentibus*
*Nunquam Dei te liberent opto inferi.*

His sacra fieri solebant ab ijs qui ab aliquo morbo conualuissent, tanquam pepercissent, quod genus καθαρισμός, quasi lustratio nominabatur. Sola fuerunt Eumenidũ sacrificia, quæ illum præcipuum ritum habuerunt, vt à tacitis sacerdotib. agerentur, qui Hesychidæ dicti fuerunt, antequam sacrificia Heroi Hesycho aries immolabatur: vt testatur Polemo in ijs quæ scripsit ad Eratosthenẽ, his verbis: τὸ δὲ τῶν γένος Εὐπατριδῶν, οὐ μετέχει τῆς θυσίας ταύτης, ἀλλὰ μόνοι οἱ ἡσυχίδαι. ὃ δὴ γένος ἐστὶ περὶ τὰς σεμνὰς Θεάς, καὶ τὴν ἡγεμονίαν ἔχει καὶ προθύονται πρὸ τῆς θυσίας κριὸν Ἡσύχῳ ἱερὸν ἥρωι,

τοῦτον οὕτω καλοῦντες διὰ γοῦν εὐφημίαν, οὗ τὸ ἱερόν ἐστι πρὸ τὸ Κυδώνιον, ἐκτὸς τῶν ἐννέα πυλῶν. *At nobilioribus ad hæc sacrificia accedere nefas est: sed solis Hesychidis, quod genus est deabus seueris gratum, principatumque obtinet in illis sacrificiis, solent immolare ante sacrificia arietem Hesycho heroi sacrum, quem ita nominant boni ominis causa, cuius sacellum est iuxta Cydonium extra nouem portas.* Induebantur nigris vestibus Diis inferis sacrificantes nigro, hoc est, nocturno tempore, vt patet ex his carminibus Apollonij lib. 3. Argonaut.

ἐκ ζάκει δὲ Βριμὼ κουροτρόφον ἐγκαλέουσα,
Βριμὼ νυκτιπόλον χθονίην, ἐνέροισιν ἄνασσαν,
λυγαίῃ ἐνὶ νυκτὶ σὺν ὀρφναίοις φαρέεσσιν.
*Tunc almam Brimo stans terque quaterq; vocauit,*
*Brimo nocturnam, terrestrem, quæ imperat vmbris.*
*Induta obscuram per noctem vestibus atris.*

Mactabatur his ouis nigra prægnans, vt suo loco dicetur, neque vinum harum dearum sacrificiis erat accommodatum, cum Nephaliæ dicerentur. at nunc de sacrificiis defunctorum dicamus.

## *De sacrificiis mortuorum.* CAP. XIII.

NEQVE vero Diis solum qui res humanas gubernare putabantur sacrificia fiebant ab antiquis, sed etiam mortuis, tanquam dæmones quidam & ipsi existerent, sacra offerebantur, siue cum quis ad inferos descendere putaretur, siue cum anniuersariis solennitatibus, aut aliis de causis, ab inferis euocarentur, his parentabāt. Cum aliquis igitur propinquus mortuus fuisset, mos fuit antiquorum, vt capillos deciderent, & lugerent in eius honorem qui mortuus esset, vt significauit Hom. lib 4. Odyss.

— νεμεσσῶμαί γε μὲν οὐδὲν
κλαίειν ὅς κε θάνῃσι βροτῶν, καὶ πότμον ἐπίσπῃ.
τοῦτό νυ καὶ γέρας οἶον οἰζυροῖσι βροτοῖσι,
κείρασθαί τε κόμην, βαλέειν τ᾽ ἀπὸ δάκρυ παρειῶν.
*— Illum nec enim reprehendere fas est,*
*Qui fleat hunc, cuius fregerunt stamina parcæ.*
*Solus honor sequitur mortales ille misellos,*
*Et tondere comam, & lachrymas in funere spargi.*

Sicut

Sicut etiam Alcæus epigrammatographus in his carminib.

*πᾶσά σοι οἰχομένῳ Πυλάδη κωκύεται Ἑλλὰς*

*ἄπλεκτον χαίταν ἐν χροΐ κειραμένη.*

*Extinctum luget Pylades te Græcia tota,*

*Ad viuam tonsis crinibus vsque cutem.*

Hos vero capillos qui cædebantur, mos fuit tanquam inferias mortuis consecrare, & cum lacrymis in tumulum extremum donum coniicere, vt patet ex Iphigenia in Tauris apud Eurip.

*τύμβον τε χῶσον, κἀπίθες μνημεῖά μοι.*

*καὶ δάκρυ' ἀδελφὴ, καὶ κόμας δότω τάφῳ.*

*Tumulumque congere & monumenta imponito*

*Comas sepulchro det soror cum lacrymis.*

Nam mos fuit antiquorum vt per triduum mortuos ante lugerent, quam iusta persoluerent, sicuti testatur Apollonius lib. 2. Arg. in his.

*ἀμφὶ δὲ κυδείῃ νέκυον μῦθον ἀγαλλόωντες.*

*ἤματα δὲ τρία πάντα γόων· ἑτέρῳ δὲ μὲν ἤδη*

*τάρχυον μεγαλωστὶ σαωκα περίϊζε δὲ λαὸς*

*αὐτῷ ὁμοῦ βασιλῆϊ Λύκῳ. πὰρ δ' ἄσπετα μῆλα*

*ἣ θέμις οἰχομένοισι ταφήϊα λαιμοτόμησαν.*

*καὶ δή τοι λέχονται τοῦδ' ἀνέρος ἐν χθονὶ κείνῃ*

*τύμβος, σῆμα δ' ἔπεστι καὶ ὀψιγόνοισιν ἰδέσθαι.*

*At circumsteterant curantes funera tristes.*

*Assiduos luxere dies tres: lumine quarto*

*Magnifice exequias struxerunt tota parentat*

*Vrbs cum rege Lyco. Iugulant in funera multas*

*Lanigeras pecudes, defunctis munera sueta.*

*Illa dies tumulum erexit regionibus illis,*

*Quem seri poterunt etiam monstrare nepotes.*

Vbi præstantiores viri essent mortui & opulentiores, illis pyra struebatur insignis; & si essent in bello mortui, captiui pro victimis cum illis vrebantur, vt innuit Virg. lib. 11.

*Vinxerat & post terga manus, quos mitteret vmbris*

*Inferias, cæso sparsuros sanguine flammas.*

Verumtamen non solum captiui, sed etiam res cariores in pyram vna mittebantur, vel animalia, quibus maxime delectarentur viui, vt testatur Hom. lib. 23. Iliad.

*ἐννέα τῷ γε ἄνακτι τραπεζῆες κύνες ἦσαν,*

*καὶ μὲν τῶν ἐνέβαλλε πυρῇ δύο δειροτομήσας.*

*δώδεκα δὲ Τρώων μεγαθύμων υἱέας ἐσθλοὺς*
*χαλκῷ δηιόων.*
*Namq; nouem assueti mensæ huic catuli ante fuere,*
*Atque pyra geminos iugulatos tradidit horum:*
*Magnanimum Trouum bis senaq; pignora ferro*
*Occidit.*

Sic Virg. lib. 10.

*Quatuor hic iuuenes, totidem quos educat Vfens.*
*Viuentes rapit inferias, quos immolet vmbris:*
*Captiuoq; rogi perfundat sanguine flammas.*

Vbi has inferias obtulisset, cadauer ad pyram afferebatur; quo pyræ imposito ignis à propinquiore subiiciebatur, in quam pyram vltima dona omnes amici congerebant vel ad odorem, vel ad gustum pertinentia, vel vt pyra facilius concremaretur, deinde cineres, & quod reliquum erat ossium colligebatur, vinoque rigabatur, vt cum suaui odore extingueretur, & in vasa modo aurea, modo argentea, modo ærea includebatur, vt ait Virg. lib. 6.

*——— & subiectam more parentum*
*Auersi tenuere facem: congesta cremantur*
*Thurea dona, dapes fuso crateris oliuo.*
*Postquam collapsi cineres, & flamma quieuit,*
*Relliquias vino & bibulam lauere fauillam:*
*Ossaq; lecta cado texit Chorinæus aheno.*

At vbi anniuersariæ fierent exequiæ, nihilominus munera super aras extructas deponebantur, vt est in libro quinto apud eundem:

*Nec non & socii, quæ cuiq; est copia, læti*
*Dona ferunt, onerantque aras mactantque iuuencos.*

Erat tamen consuetudo vt sterilis vacca animabus mortuorum plerunque mactaretur, vt ait Homerus libro 11. Iliad.

*πολλὰ δὲ γουνούμην νεκύων ἀμενηνὰ κάρηνα,*
*ἐλθὼν εἰς Ἰθάκην, στεῖραν βοῦν ἥτις ἀρίστη,*
*ῥέξειν ἐν μεγάροισι, πυρήν τ' ἐμπλησέμεν ἐσθλῶν.*
*Defunctorum animas supplex sum multa precatus:*
*Inque Ithaca sterilem vaccam mactare domi sum*
*Pollicitus, multisque pyram contexere donis.*

Cum colligerentur ossa & cineres mortuorum pyra exusta, non facile intelligere possum cur potius cadaueris, quam ligno-

lignorum essent illi cineres, qui colligebantur, si corpus super pyra impositum cremaretur quare facile venio in eam opinionem, vt credam aliquas fuisse lapideas arcas, in quibus inclusa cadauera vrerentur: cum præsertim inquiat Theophrastus in lib. de Igne, omnia quæ intra lapidem circularem includerentur, in cinerem conuerti cadauera, cum vsta alioquin deserant reliquias: καὶ πάλιν διὰ τί τὸ μὲν ἐν πυρὶ κατακαιόμενον νεκρὸν γίνεται λείψανον· ὁ δὲ κύκλῳ λίθος ἐξ οὗ τοὺς σωροὺς ποιοῦσι, καὶ ὅπου ἄλλοθι τοιοῦτος, ἀφανίζει πάντα, καὶ ἐν ἑαυτῷ τι φέρον ποιεῖ: *ac rursus cur cadauer quod combustum sit in igne reliquias deserit: at lapis circularis: ex quo struem faciunt, & vbi alibi tales extiterit, omnia consumit, & intra se inclusa vertit omnia in cinerem?* Sin domi mortui essent, qui vrebantur, neq; vlli essent captiui, qui iugularentur in pyram, res quæ cariores extitissent viuis vna comburebantur: quare Virg. Didonem facit inter cætera Æneæ res relictas secum in pyram deferentem. Sin exequiæ fierent pro iis qui mortui fuissent absentes, erigebantur illis tumuli pro aris, atq; his vinum & sanguinem victimarum ad radices tumuli offerebant, & aliquando lac cum sanguine, vt ait Lucianus in Necyomantia & in Charonte, animasque vocabant ad bibendum sanguinem, vt innuit Virg. lib 3. Æneid.

*Ante vrbem in luco falsi Simoentis ad vndam*
*Libabat cineri Andromache: manesq́; vocabat*
*Hectoreum ad tumulum.*

Ornabantur autem aræ siue tumuli, quæ pro absentibus defunctis erigebantur, cupresso, quæ arbor funebris putabatur, & vittis nigris aut cæruleis: mulieres quæ adesse his exequiis non solebant, nisi solutis capillis: cuiusmodi exequiæ illæ sunt apud Virg lib. 3. Æneid.

*Ergo instauramus Polydoro funus & ingens*
*Aggeritur tumulo tellus, stant manibus aræ*
*Cæruleis mœstæ vittis; atraq́; cupresso,*
*Et circum Iliades crinem de more solutæ.*
*Inferimus tepido spumantia cymbia lacte,*
*Sanguinis & sacri pateras: animamq́; sepulchro*
*Condimus, & magna supremum voce ciemus.*

Hæc fieri cõsueuerunt pro absentibus, quæ omnia facile possunt è poëtarũ scriptis à quouis cognosci. Erat etiã cõsuetudo vt fores illarũ domorũ, in quib. aliquis mortuus esset;

cyparisso ornarentur, ne quis nescius ingrediens pollueretur: quæ arbor iudicata fuit funebris, quia semel cæsa non amplius repullulet. At cineres eorum qui vsti fuissent domi, sepeliebantur, vt testatur Sophocles in OEdipode tyranno. Cum vero anniuersariæ fierent exequiæ, nigræ oues mactabantur, & sanguis earum in crateres collectus cum precibus in effossas foueas effundebatur: animæque vocabantur ad bibendum, vt significauit Euripides in Hecuba:

δέξαι χοάς μου τάσδε κηλητηρίους
νεκρῶν ἀγωγούς· ἐλθὲ δ' ὡς πίῃς μέλαν
κόρης ἀκραιφνὲς αἷμ' ὅ σοι δωρούμεθα.

*Vas mortuorum inferias meas cape*
*Mulcimen, adsis vt bibas hunc sanguinem*
*Castæ puellæ, quem tibi donauimus.*

Sic Hom. etiam lib. 3. Odyss.

αὐτὰρ ἐγὼν αὐτοῦ μένον ἔμπεδον ὄφρ' ἐπὶ μήτηρ
ἤλυθε, καὶ πίεν αἷμα κελαινεφές.

*Ast ibi ego mansi, genitrix donec mea venit,*
*Sanguinem & illa bibit atrum.*

Neque vero sanguinem solum, sed vinum etiam in terram effundebant, vt est Iliad. lib. 23.

οἶνον ἀφυσσόμενος χαμάδις χέε, δεῦε δὲ γαῖαν,
ψυχὴν κικλήσκων Πατροκλῆος δειλοῖο.

*Ad terram fudit vinum, terramque rigauit,*
*Patroclique animam suprema voce vocauit.*

His etiam fuit mos lac addere, vt superius patuit in exequiis Polydori. Quibus flores etiam addidit Virgil. libro 5, in his:

*Ille è concilio multis cum millibus ibat*
*Ad tumulum; magna medius stipante caterua.*
*Hic duo rite mero libans carchesia Baccho*
*Fundit humi, duo lacte nouo, duo sanguine sacro:*
*Purpureosque iacit flores, ac talia fatur:*
*Salue sancte parens, iterum saluete recepti*
*Ne quidquam cineres animæque vmbræque receptæ.*

Mulsum præterea, & aqua, & molæ supra vinum & sanguinem in foueam iaciebantur, vt in his ait Hom. libro 11. Odyss.

ἔνθ' ἱερήια μὲν Περιμήδης Εὐρύλοχός τε
ἔσχον, ἐγὼ δ' ἄορ ὀξὺ ἐρυσσάμενος παρὰ μηροῦ

βόθρον

*βόθρον ὄρυξα, ὅσον τε πυγούσιον ἔνθα καὶ ἔνθα.*
*ἀμφ' αὐτῷ δὲ χοὰς χεόμην πᾶσι νεκύεσσι,*
*πρῶτα μελικρήτῳ, μετέπειτα δὲ ἡδέϊ οἴνῳ,*
*τὸ τρίτον αὖθ' ὕδατι. ἐπὶ δ' ἄλφιτα λευκὰ πάλυνον.*
*Sacra simul ducunt Perimedes Eurylochusq́;.*
*Ast ipse eripui vagina protinus ensem:*
*Effodi foueam, quæ descendebat in vlnam,*
*Inferias in quam cunctis effudimus vmbris:*
*Ac primum mulsum, plena hinc carchesia Bacchi,*
*Rursus aquam, niuea texi quæ deinde farina.*

Omnino vero & res aliæ complures in foueam iaciebantur; & quod putabatur superfuisse mortuis, siue quæ res è fouea nõ euanuissent, post absolutas exequiarum ceremonias non longo temporis interuallo vrebantur: vt significauit Lucianus ita in Charonte; καὶ βόθρον τινὰ ὀρύξαντες, καίουσί τε ταυτὶ τὰ πολυτελῆ δεῖπνα, καὶ εἰς τὰ ὀρύγματα οἶνον μελίκρατον, ὡς γοῦν εἰκάσαι, ἐγχέουσιν. *Atque foueam quandam excauantes magnificas istas cœnas vrunt, & in foueas vinum & mulsum, vt mihi quidem videntur, infundunt.* Vbi animas aduocarent supra congestum tumulum ascendebant, atque inde ter animas altissima voce vocabant ipsorum mortuorum, vt ait Euripides in Oreste:

*μελίκρατον ἄφες, γάλακτός τ' οἰνωπόν τ' ἄχνην,*
*καὶ στᾶσ' ἐπ' ἄκρου χώματος λέξον τάδε.*
*Mulsumq́; sparge, lactis atque aspérginem,*
*Tumuloq́; summo stans loquare talia.*

Quod si vocatæ animæ ad has exequias non accederent, inter mortuos illi non numerabantur. quare ita scripsit Virg. lib. I. Æneid.

*Spemq́; metumq́; inter dubii seu viuere credant,*
*Siue extrema pati: nec iam exaudire vocatos.*

Ac de mortuorum exequiis satis, nunc de lustrationibus dicamus.

## *De lustrationibus.* CAP. XIV.

ET quoniam omnis antiquorum theologia ad homines ad probitatem & ad metum Deorum deducendos spectabat; idcirco minime grata Diis immortalibus illa sacrificia fore tradiderunt, quæ ab impuris hominibus offerebantur: sed leges rite faciendorum sacrorum omnem prius

iniquitatem, omnemque crudelitatem deponere iubebãt; cum illi qui aliquo flagitio polluti ad aras accessissent, nullo pacto a Diis audiri, sed magis etiam illorum iram in se concitare, crederentur. Ea de caussa non solum homines, sed animalia etiam, & loca, & vasa prius purgabantur, quam ad aram admitterentur. fiebant autem lustrationes, siue expiationes, non simplici modo: nam antequam ad sacrificia veniretur, lauabantur victimæ, ne vllam prorsus sordem haberent, atque loca vel animalia vel vasa à sacrificaturis, sulphuris odore leuiter perfundebantur; sicut testatur illud Iuuenalis:

*——— cuperent lustrari si qua darentur*
*Sulphura cum tædis.*

Sic etiam apud Homerum in libro 16 Iliad. poculum expiatur atque purgatur prius sulphure, quo vsuri sunt in sacrificiis, deinde aqua perennis fluuii lauitur. vt patet in his:

*τὸ ῥά τότ' ἐκ χηλοῖο λαβὼν ἐκάθηρε θεείῳ*
*πρῶτον, ἔπειτα δ' ἔνιψ' ὕδατος καλῇσι ῥοῇσι.*
*νίψατο δ' αὐτὸς χεῖρας, ἀφύσσατο δ' αἴθοπα οἶνον.*
*Deprompsit theca: purgauit sulphure primum,*
*Post lauit puris lympha labentibus vndis,*
*Inde manus lauit, tunc hausit munera Bacchi.*

Enimuero fuerunt etiam propria Diis quibusdam vasa, sicuti videtur innuisse Hom. lib. π. Iliad. ad vsum certorum Deorum reseruata, cum ita inquiat de Achille:

*ἔνθα δέ οἱ δέπας ἔσκε τετυγμένον, οὐδέ τις ἄλλος*
*οὔτ' ἀνδρῶν πίνεσκεν ἀπ' αὐτοῦ αἴθοπα οἶνον,*
*οὔτε τεῳ σπένδεσκε θεῶν, ὅτε μὴ Διὶ πατρί.*
*Poculum erat promptum, vnde ardentia vina bibebat*
*Ex aliis nemo mortalibus, atque Deorum*
*Nulli libabat, nisi ad aram forte Tonantis.*

Addebantur à Romanis cæpæ etiam, & crines, & mænides pisciculi, vt ait Plut. in Num. accedebant oua etiam his lustrationibus quibus vna cum sulphure vtebantur, vt est apud Ouid. lib. 2. de arte.

*Et veniat quæ lustret anus lectumq; locumq;,*
*Præferat & tremula sulphur & oua manu.*

Nam cum aliquis sui purgandi causa sacrificia instituisset propter commissum scelus, vel cędē, tunc porcellus paruus macta-

mactabatur à sacerdotibus, eiusque manus sanguine illius porcelli luebantur, quo sanguine animarum quoque maculæ putabantur purgari: cuius consuetudinis ita mentionem fecit Apollonius Rhod. lib. 4.

*πρῶτα μὲν ἀτρέπτοιο λυτήριον ἦγε φόνοιο,*
*τειναμένη καθύπερθε συὸς τέκος, ἧς ἔτι μαζοὶ*
*πλήμυρον λοχίης ἐκ νηδύος, αἵματι χεῖρας*
*τέγγεν ἐπιτμήγουσα δέρην.*
*Adduxit duræ sæuæq; piacula mortis*
*Porcellum tenerum tum matris ab vbere raptum,*
*Cuius abundabant etiam tunc vbera lacte.*
*Huius dissecuit collum, atro sanguine lauit*
*Inde manus.*

In his lustrationibus parui porcelli vtebantur, quos nominarunt *καθάρσια*. Postea vero quam loca sulphuris accensi fumo lustrauissent, mos erat salem in aquam coniicere, & ramo vel lauri, vel oliuæ, vel alterius arboris, quæ esset illi Deo cui sacra fiebant, consecrata, in illam aquam demerso locum leuiter irrorare, quod fiebat iure lustrationum, vt significauit Theocr. in paruo Hercule;

*καθαρῷ δὲ πυρώσατε δῶμα θεείῳ*
*πρᾶτον, ἔπειτα δ' ἅλεσσι μεμιγμένον (ὡς νενόμισται)*
*θαλλῷ ἐπιρραίνειν ἐστεμμένον ἀβλαβὲς ὕδωρ.*
*Incenso purganda domus est sulphure primum*
*Puro: tum sal (lex velut est) mittatur in vndam,*
*Atque coronatum decet hac perfundere ramo.*

Neque vlla satis legitima putabatur fuisse lustratio, nisi quæ fieret ab iis qui ad orientem solem fuissent conuersi: veluti scriptum reliquit his verbis Cratinus in Chirone;

*ἄγε δὴ πρὸς ἕω πρῶτον ἁπάντων ἵστω,*
*καὶ λάμβανε χερσὶ σχῖνον μεγάλην,*
*χέε τάδε: τὸ ὕδωρ ἐκ τῶν κρατήρων χέε.*
*Age vero ad auroram primum omnium consiste,*
*Et cape manibus iuncum magnum;*
*Funde hac aquam è crateribus funde.*

Spargebantur autem ter illi qui lustrationis aqua irrorabantur, vt ait Virg. lib. 6.

*Idem ter socios pura circumtulit vnda.*

*Spargens rore leui, & ramo felicis oliuæ.*

Cum fierent etiam lustrationes aruorum ter hostiæ circa fruges agebantur, vt ait idem in primo Georg.

*Terq; nouas circum felix eat hostia fruges.*

Si quis igitur, vbi aliquis fuisset mortuus, vel in locum impurum ingressus esset, ille hac aqua ita perfundebatur: quare cum Iuno descendisset ad inferos, ad superos reditura ita lustratur ab Iride, vt est lib. 4. Metam.

*Læta redit Iuno: quam cœlum intrare parantem*
*Roratis lustrauit aquis Thaumantias Iris.*

Veruntamen non sine quibusdam precibus hac aqua spargebantur, vt est apud Ouid. lib. 5.

*Spargit & ipse suos lauro rorante capillos:*
*Incipit & solita fundere voce preces.*

Et in septimo Metamorph.

*Ter se conuertit, ter sumptis flumine crinem*
*Irrorauit aquis: ternis & hiatibus ora*
*Soluit.*

Ante omnia porro lustrationum genera manus lauare ad aras accessuris hominibus erat necessarium: cum aras ipsorum Deorum precantes essent de more apprehensuri: neque liceret illotis manibus, aut aliqua sorde pollutis ad aras accedere: quare inquit Hector libro 6. Iliad. apud Homerum.

χερσὶ δ' ἀνίπτοισι Διὶ λείβειν αἴθοπα οἶνον
ἅζομαι· οὐδέ πῃ ἔστι κελαινεφέϊ Κρονίωνι,
αἵματι καὶ λύθρῳ πεπαλαγμένον εὐχετάασθαι.
*Non decet illotis manibus libare superno*
*Vina Ioui, pudor hoc prohibet fecisse: cruore*
*Turpatum me & cæde virum Diis fundere vota.*

Nam non modo ad aras accedere pollutis non licebat, sed neque Deos quidem precari, qui omnem iracundiam siue indignationem in impure precantes conuertebant, quippe cum Timarchidas in libro de coronis Asterium inquiat fulmine fuisse percussum, quia manibus impuris aram Iouis attigisset, vt patet etiam ex his carminibus:

χερσὶν ἀνίπτοισιν ῥέζων Διὸς ἥψατο βωμοῦ
τοὔνεκά μιν πυρόεντι πατὴρ κατέφλεξε κεραυνῷ,
ἔξοχα γὰρ καθαρὸν χρὴ θνητὸν θεῖα σέβεσθαι.
*Illotis manibus libans Iouis attigit aram,*

Quo

*Quo pater hunc vssit flagrantis fulminis igne.*
*Egregie purum fas est contingere sacra.*

Erat illa præterea lustrationum differentia, vt qui superis sacrificaturi essent: toti lauarentur, si fieri posset; sin autem, saltem manus, at litaturi inferis, tenui aqua tantum irrorabantur: vt patuit ex superioribus. Polluebantur etiam qui insepultum cadauer in itinere conspexissent, nisi tenuem puluerem saltem iniecissent, vt est apud Soph. in OEdip. Tyranno. polluebatur etiam ager vel classis, quæ inhumatum cadauer haberet, vt illud est Virg. lib. 6.

*Præterea iacet exanimum tibi corpus amici:*
*(Heu nescis) totamque incestat funere classem.*

Quod nisi sepeliretur, publicæ alicuius calamitatis caussa putabatur, nisi tamen impij, & Deorum inimici plane haberentur illi qui mortui essent; tunc enim publicarum calamitatum autores erant ijs regionibus, in quibus essent sepulti: nisi id oraculi iussu factum fuisset: sicuti de Oedipode scriptum reliquit Lysimachus Alexandrinus libro 13. rerum Thebanarum hoc pacto: Οἰδίπου δὲ τελευτήσαντος, καὶ τῶν φίλων ἐν Θήβαις θάπτειν αὐτὸν διανοουμένων, ἐκώλυον οἱ Θηβαῖοι, διὰ τὰς προγεγενημένας συμφορὰς, ὡς ὄντος ἀσεβοῦς. οἱ δὲ κομίσαντες αὐτὸν εἴς τινα τόπον τῆς Βοιωτίας καλούμενον Κεὸν, ἔθαψαν αὐτόν. γιγνομένων δὲ τοῖς ἐν τῇ χώρῃ κατοικοῦσιν ἀτυχημάτων τινῶν, οἰηθέντες αἰτίαν εἶναι τὴν Οἰδίπου ταφὴν, ἐκέλευον τοὺς φίλους ἀναιρεῖν αὐτὸν ἐκ τῆς χώρας, οἱ δὲ ἀπορούμενοι τοῖς συμβαίνουσιν, ἀνελόντες ἐκόμιζον εἰς Ἐτεωνόν. βουλόμενοι δὲ λάθρα τὴν ταφὴν ποιήσασθαι, καταθάπτουσι νεκρὸν ἐν ἱερῷ Δήμητρος, ἀγνοήσαντες τὸν τόπον, καταφανοῦς δὲ γενομένου, πέμψαντες οἱ τὸν Ἐτεωνὸν κατοικοῦντες. τὸν Θεὸν ἐπηρώτων τί ποιῶσιν. ὁ δὲ Θεὸς εἶπε, μὴ κινεῖν τὸν ἱκέτην τῆς Θεοῦ· διόπερ αὐτοῦ τέθαπται. *Cum mortuus esset OEdipus, cumque amici illius Thebis sepelire pararent, Thebani ob præteritas calamitates quia is esset impius, id facere vetuerunt. tunc illi in locum quendam Bœotiæ Ceum nomine asportantes illum sepelierunt: cum vero quædam calamitates regionem inuasissent loci eius incolæ rati sunt caussam illarum esse, quod ibi sepultus esset OEdipus, quare iusserunt eius amicos ipsum efferre de regione. Illi ob illa quæ contigerant ambigui quid sibi agendum sit, cum capientes in Eteonum detulerunt: qui cum vellent eum clam sepe-*

*lire per noctem in loco sacrato Cereri humarunt, qui locus esset ignorantes. verum cum res cognita fuisset, incolæ Eteoni miserunt ad oraculum qui percunctarentur, quid esset agendum: quibus responsum fuit supplicem Deæ non esse remouendum. quare ibi demum sepultus est.* At nunc de propriis ritibus qui apud nonnullas nationes quorundam Deorum fuerunt dicamus.

## *De propriis ritibus quorundam Deorum apud varios homines.* CAP. XV.

FVERVNT præterea varij sacrificiorum ritus apud nonnullas nationes, vbi sacra quorundam Deorum solennia celebrarentur, quæ nullis ceteris Diis ex aliqua parte prorsus viderētur communia. quod quidem factitatum est partim stultorũ hominum inscitia, & ignarorum quantum ratio & religio requirat, partim insidiis eorum sacerdotum, qui conabantur per varietatem ceremoniarum rem in precio retinere, cũ res ridiculæ potius iure videri possent, quæ fierent, recte intuentibus, quam vllam sanctitatē continere. Partim etiam fiebat hoc dæmonum malignorũ fraude, cum esset adhuc potestas tenebrarum, qui per has ambages homines in seruitio retinere, & perpetuo falsæ religionis idololatriæq; vinculo astringere nitebantur, neq; vllam libere respirandi animis illis superstitionibus oppressis concedebant facultatem, vt possent tantum fallaciarum secum parumper considerare, & aliquando cognoscere quam absurdam, quam vanam, quam ridiculam, quã omni scelerũ genere contaminatam religionem complecterentur, atque vt facilius cognoscere possimus quam multiplex, quamq; diligens esset illorum Deorum cultus præter illas obseruationes Deorum, temporum, victimarum, lustrationum, templorum, rituum, ac ceterorum quæ superius fuerunt à nobis commemorata: illud etiam poterit rem demonstrare, quod in illis sacrificiis anniuersariis, quæ patrenses patrio ritu Dianæ Laphyræ cognomento instituerũt, mos fuit vt sexdecim cubitorũ longitudinis ligna viridia in orbem circa aram illius Deæ digererentur, atque intra hæc ipsa aridissima & aræ propinqua. Tum cœno locum in morem septi vndique obstruere consueuerunt. quibus peractis pompam cum magnificētissimo apparatu Deæ transmitte-

mittebant. Per eam pompã virgo nubilis, quæ foret omniũ pulcherrima & sapientissima iudicata, sacerdotio in his sacris perfungebatur, quæ sequebatur pompam postrema omnium, bigis inuecta ceruis pro equis currum trahẽtibus. deinde die postero eius diei quo pompa ad templum transmissa fuisset, cum magno finitimorum omnium tum priuatorum, tum etiam publico studio sacra rite celebrabantur, atq; intra illud aræ septũ multa viuentia animalia conijcere pro victimis mos fuit: apros scilicet & hinnulos ceruorum, caprearum, luporum, & vrsorum, & aliquando feras iam prægrandes, tum multiplicia auium adultarum genera quibusdam plumis detractis. His addebantur semina omnium prope fructiferarum arborũ quibus intra septum iniectis ignibus immissis aridiora ligna accendebantur. quod si qua immissarum ferarum forte aufugisset ex illo septo, astantes studiose cursitabant ad eam capiendam, atque receptas feras intra ardens septũ inijciebant, vti testatus est Porphyrius in lib. de sacrificiis, & Pausanias in rebus Achaicis. Neq; vero in illis sacrificiis arcanis quæ in honorẽ Heræ Deæ vocatæ celebrabãtur apud Arcades, quam Neptuni filiam fuisse nonnulli crediderunt, mos fuit victimas iugulare, sicut in aliorũ Deorum sacris vsus obtinuit: sed cũ victimæ cõplures & peropimæ illi Deę mactarẽtur, pro suis cuiusq; copijs artum victimarum, quem quisq; primum apprehendisset casu & fortuito, præcidere iure illorum sacrorum iubebatur: quem solum artum Deæ sacrificiis offerre primum mos fuit, atq; illo vsto pro primitiis, tum ad offerendas victimas accedebatur. In sacrificiis Isidis cognomẽto Tithoreæ apud Phocenses, quæ fiebãt anniuersaria, mos fuit vt horis pomeridianis homines opulẽtiores boues aut ceruos immolarẽt: qui vero magis tenui essent fortuna, offerrent anseres, aut aues meleagrides, aut alias huiusmodi tenues victimas, cùm capræ & sues tanquã impura animalia ad illa sacrificia omnino non admitterẽtur. Iubebantur autem legib. sacrorũ rituum, & institutis illius Deæ victimas illas quas offerrẽt, in pyrã quæ fuerat extructa intra quendam adytum, demittere lineis aut byssinis vinculis ligatas, quæ quidem omnia efficiebantur cũ pompa & musicis instrumentis strepentibus, vti traditũ est in historiis ab Antimenide. Atqui Cereris sacrorũ ritus is fuit apud Phigalẽses,

vt nullæ victimæ cæderentur, sed fructus consitarum arborum, & fauos, & succidam lanam ad aram porrigerent, quę ad quandam speluncam extruebatur, quibus oleum postea super infusum, accendebatur: quæ sacra fieri quotannis cum publice tum priuatim consueuerunt, vt scriptum est à Pausania in rebus Arcadicis. Huic eidem Deæ Chthoniæ cognomento siue indigenæ apud Argiuos, quanta adhiberetur diligentia in ijs sacrificiis quæ statis diebus per æstatẽ agebantur, patet vel ex eo ritu, quod non modo cum pompa sacrificuli qui annuis fungerentur magistratibus, agmẽ ducebant, quos viri ac fœminæ sequebantur, & pueri oẽs albis vestibus induti, coronas capitib. è multis hyacinthis intextas habentes, sed & in extrema deinde agminis parte boues sequebãtur eximiæ præduris vinculis distentæ ac reluctantes, quæ ad templũ attrahebantur. eo cum venissent vnam ipsarum boum immissis retinaculis intro agere mos fuit, atq; foribus adstantes vbi intromissam viderẽt, postes obiicere consueuerũt. Erant in eo templo aniculæ quatuor cum falcib. relictæ, quibus curæ erat bouem intromissam interficere, atq; vna illarum, vbi casus tulisset, collũ hostiæ præcidere iubebatur. Tum reclusis foribus alteram eodem ritu mactandam immittebant, atque singulatim quotquot offerebantur boues ab illis aniculis mactabantur. At ridiculus plane erat mos ille qui seruabatur in Iouis cognomento Poliei sacrificiis, de quo scriptum fuit à Nicocrate Cyprio in rebus patriis & à Pausania in Atticis rebus. Nam fuit consuetudo in illis sacrificiis vt hordeum cum tritico permistum aræ imponeretur eius Iouis, neq; vlli sinerentur ibi esse custodes: atq; cum bos ob parata sacrificia ad aram accederet, easq; fruges super ara attingeret, vnus è sacerdotibus arreptã securim in bouem iaculabatur, ac statim fugiebat. Illi qui astiterant, quasi non viderint percussorẽ, securim in iudicium vocabant tanquam authorem ac ream eius cædis, quæ cõdemnabatur vt infringeretur. victimam vero, quia non posse viuere arbitrarentur, Ioui Polieo decernebant immolari omnibus suffragiis, & communi consensu. Atqui si velim quam varios ritus sacrificiorum antiqua insania in variis locis ac variis temporibus introduxit commemorare, lõgum esset & laboriosum opus nimirum & quod magnum volumen posset explere: quare hoc argumento

mento scribendi relicto de hymnis antiquorum summatim verba faciamus.

*De hymnis antiquorum.* CAP. XVI.

NON erit inutile fortasse neq; insuaue auditu, si summatim explicemus, quibus precationum generibus in sacris vterentur antiqui, quippe quod illud non mediocriter faciat ad cognoscendam illorum vel hominum simplicitatem, vel illorum Deorum naturam qui ab ijs colebantur. fuit igitur illa hymnorum forma, vt Deorum laudes, & res præclare ab illis gestas prius inter sacrificia decantarent, & quibus beneficiis Dij ipsi affecissent mortales, qua benignitate ciuitates complexi ac tutati fuissent, qua clementia in supplices homines esse consueuerint. atque institutum componendorum hymnorum facile ille hymnus nobis demonstrare poterit, qui scribitur à Callimacho in laudem Apollinis qui prius ita decantat eius Dei facultates:

τέχνῃ δ' ἀμφιλαφὴς οὔτις τόσον ὅσσον Ἀπόλλων
κεῖνος ὀϊστευτὴν ἔλαχ' ἀνέρα, κεῖνος ἀοιδόν.
Φοίβῳ γὰρ καὶ τόξον ἐπιτρέπεται καὶ ἀοιδή.
κείνου δὲ θριαὶ, καὶ μάντιες, ἐκ δέ νυ Φοίβου.
ἰητροὶ δεδάασιν ἀνάκλησιν θανάτοιο.
Φοῖβον καὶ νόμιον κιβλήσκομεν.

*Arte magis varius nullus, quam clarus Apollo.*
*Sunt illi artifices cantus cura, ille sagittas,*
*Ille arcus curat, pariterque oracula, vates,*
*Suffragia, ex illo didicerunt funera primum*
*Differre, & gelida vitare pericula mortis,*
*Phœbum pastoremque vocabimus.*

Tum paulo post:

Φοίβῳ δ' ἱστόμενοι πόλιας διεμετρήσαντο
ἄνθρωποι. Φοῖβος γὰρ ἀεὶ πολίεσσι φιληδεῖ
κτιζομένῃς. αὐτὸς δὲ θεμείλια Φοῖβος ὑφαίνει.
τετραέτης τὰ πρῶτα θεμείλια Φοῖβος ἔπηξε
καλῇ ἐν Ὀρτυγίῃ.

*Vrbes metiri Phœbo didicere magistro*
*Mortales, structas vrbes nam Phœbus amauit.*
*Fundamenta prior Phœbus subtexuit vrbis*
*Quadrimus puer, Ortygia quæ mœnia cernas.*

Deinde commemorat idem poeta quemadmodum Pythonem perniciosum serpentem, multisq; mortalibus exitium

afferentem, multis sagittis confecerit, qui agrum & pecudes & omnia propinqua populabatur, vt est in eodem hymno in his:

*Πύθω δ' εἰ καλέοντι ζωωλώπετο δαιμόνιος θὴρ,*
*αἰνὸς ὄφις, τὸν μὲν σὺ κατηλώαρες, ἄλλον ἐπ' ἄλλῳ*
*βάλλων ὠκὺν ὀϊστὸν ἐπηΰπισε δὲ λαός.*
*E Pythone tibi confestim bellua dira*
*Occurrit serpens geminatis sæpe sagittis*
*Hanc occidisti; clamor sublatus ad auras.*

Nam Orpheus eum seruauit ordinē in suis hymnis vt prius virtutes & potentiam Deorum, pro quibus beneficia in homines conferre possint, commemoret per vim adiunctorum nominum deinde precatur vt fausti felicesque adsint, quod facile vel ex illo perbreui hymno in Latonam colligere possumus, qui ita scribitur:

*Λητὼ κυανόπεπλε. Θεὰ διδυματόκε, σεμνὴ,*
*κοιαντὶς μεγάθυμε. πολυλλίστη βασίλεια.*
*εὔτεκνον Ζηνὸς γονίμην ὠδῖνα λαχοῦσα.*
*γειναμένη Φοῖβόν τε καὶ Ἄρτεμιν ἰοχέαιραν.*
*τὴν μὲν ἐν Ὀυτυγίῃ, τὸν δὲ κραναῇ ἐνὶ Δήλῳ.*
*κλῦθι Θεὰ δέσποινα, καὶ ἵλαον ἦτορ ἔχουσα*
*βαῖν' ἐπὶ πάνθειον τελετὴν, τέλος ἡδὺ φέρουσα.*
*Diua gemellorum mater Latona, grauisque,*
*Cyan is induta, & amabilis, edita Cœo.*
*Et Iou felices quoniam perpessa dolores,*
*Editus vt Phœbus tibi, bellatrixque Diana est.*
*Edita in Ortygia hac, in Delo est ortus Apollo,*
*Audito regina Dea, atque accede benigna,*
*Concedens latum finem, ad conuiuia læta.*

Fuit enim mos omnib. peractis sacrificiis parari cōuiuia in honorem illorū Deorum, quibus illa sacrificia fuissent instituta. Illud autem fiebat illo præcipue die quotannis, quo eos liberatos fuisse contigit ab aliqua calamitate qui illa sacrificia instituissent, vt testantur Virg carmina in lib. 8.

*Rex Euandrus ait: Non hæc solennia nobis,*
*Has ex more dapes, hanc tanti numinis aram*
*Vana superstitio, veterum vè ignara Deorum*
*Imposuit, sæuis hospes Troiane periclis*
*Seruati facimus, meritosque nouamus honores.*

atque idem poeta paulo post sacerdotes introducit ad arā,

Herculis

Herculis laudes & res gestas canentes, in classes iuuenum ac seniorum diuisos, eumque deniq; post laudes aduocantes vt lætus faustusque accedat: cum ita inquiat:

*Tum Salij ad cantus, incensa altaria circum.*
*Populeis adsunt euincti tempora ramis.*
*Hic iuuenum chorus, ille senum; qui carmine laudes*
*Herculeas & facta ferunt: Vt prima nouercæ*
*Monstra manu, geminosq; premens eliserit angues:*
*Vt bello egregias idem disiecerit vrbes,*
*Troiamque, Oechaliamque: vt duros mille labores*
*Rege sub Eurystheo fatis Iunonis iniquæ*
*Pertulerit. Tu nubigenas inuicte bimembres*
*Hyleumq; Pholumque manu: tu Cressia mactas*
*Prodigia, & vastum Nemeæ sub rupe leonem.*
*Te Stygij tremuere lacus; te ianitor Orci*
*Ossa super recubans antro semesa cruento.*
*Non te vllæ facies, non terruit ipse Typhæus*
*Arduus, arma tenens: non te rationis egentem*
*Lernæus turba capitum circumstitit anguis.*
*Salue vera Iouis proles, decus addite Diuis;*
*Et nos, & tua dexter adi pede sacra secundo.*

At enim cum illos Deos aduocarent, aues Diis illis consecratas cantu Deorum aduentum significare dicebant, vt fecit Callimachus in hymno in Apollinem, vbi cygnos canentes facit Dei aduentum, aut mare, aut æthera tranquillum, atque omnia tristia in iucundissima conuerti ob Deorum pręsentiam introduxit. nam neq; Thetis Achillem aduentante Deo luget, nec Niobe filiorum multitudinem: at cōtra infœcunda animalia fiunt prægnantia & fœcunda, & prægnantia gemellos pariunt, & omnia crudelia ob præsentiam Dei feritatem deponunt: quare hymnicam naturam ac suauitatem imitatus Lucretius per Veneris aduentum terram flores effundere facit, & mare ait fieri tranquillum, & omnes ventos mitigari, & omnia mirifice lætari, vt est in his:

*Te Dea, te fugiunt venti, te nubila cœli:*
*Aduentuque tuo suaues tibi Dædala tellus*
*Submittit flores, tibi rident æquora Ponti,*
*Pacatumque nitet diffuso lumine cœlum.*

Atque vniuersa hymnorum natura ex his constabat (vt rem

paucis absoluam) vt ita aduentum Deorum per hæc lætitiã vbique præ se ferentibus præpararent, eorumque laudes & res gestas ad aras canerent, & beneficia quæ in homines contulissent, commemorarent: deinde precarentur vt faciles, benigni, felicesque accederent ad illa sacrificia quæ sibi fierent. atque tot breuiter de hymnis dicta sint: nunc verba faciamus de victimis.

## *De victimis.* CAP. XVII.

ERAT præterea non parua diligentia in eligendis victimis in singulorum Deorũ sacrificia: cum aliæ Deis bonis vt prodessent, aliæ malis ne obessent, cæderentur. Nam malis nigræ, bonis albæ conueniebant: sterilibus steriles, fertilibus prægnantes; maribus mares, fœminis fœminæ, vt Telluri prægnans iuuenca mactabatur, Proserpinæ sterilis, Cereri non mare sue, sed fœmina res sacra fiebat; at Baccho non capra, sed hircus mactabatur. Præterea victimæ ob aliquam similitudinem aliquando mactabantur, vt equus Soli ob celeritatem, vt est apud Ouid. lib. 1. Fastorum.

*Placat equo Perses radiis Hyperiona cinctum,*
*Ne detur celeri victima tarda Deo.*

Cereri vero primitias frugum offerri mos fuit, sicuti testatur Philippus in his carminibus:

Δράγματά τοι χώρου μικραύλακος, ὦ φιλόπυρε
Δηοῖ, Σωσικλέης θῆκεν ἀρουροπόνος.

*Alma Ceres paruo vt potuit, de rure maniplos*
*Hos tibi Sosiclees dedicat agricola.*

In eiusdem Deæ sacrificiis præterea aliquando porca offerebatur ac cædebatur, quod esset id animal inuentis ipsius Deæ infestum, vt ait idem Ouid.

*Prima Ceres auida gauisa est sanguine porcæ,*
*Vlta suas merita cæde nocentis opes.*

Sic Bacchus, quia caper infestum sit animal suis inuentis, eius cæde lætari creditus est, vt ait Virg. lib. 2. Georg.

*Non aliam ob culpam Baccho caper omnibus aris*
*Cæditur.*

At vero Marti furibundo taurus ferox animal immolari solitus est, & Apollini, cum ob nimium calorem excitaret pestem & frementi Neptuno, & implacabili Plutoni. quare ita inquit Virg. lib. 6.

Sic

*Sic fatus, meritos aris mactauit honores,*
*Taurum Neptuno, taurum tibi pulcher Apollo:*
*Tum Regi Stygio nocturnas inchoat aras,*
*Et solida imponit taurorum viscera flammis.*

Ioui vero nefas erat taurū immolari rerum omnium moderatori, siue furibundum aliud animal. qui a rerum omniū gubernatorem minime omnium furibundum, aut ferum esse conuenit, sed omnem suam præstantiam in consilio & humanitate & prudentia collocatam esse putare. Est enim Imperatorium humanitas & liberalitas munus, & in rebus administrandis prudentia: quorum si quid defecerit, quo pacto vel maiorum nobilitas, vel opes amplissimæ, vel alia omnia quæ sunt extra animum possint aliquem à vulgo secernere nō video: nisi dicamus syluestres arbores, quæ plurimū fimum circa se habuerint, esse cæteris nobiliores, non quæ melioris succi fructus & mollioris produxerint. Putabatur igitur piaculū committi si quis taurum Ioui mactasset. mactabatur tamen bos arator aliquando vt Dodonæo, vti patet ex oratione Demosthenis in Midiam. Homerus in Iliade lib. τ. suem cicurem immolari facit Ioui & Soli, quod animal sane non immite est, neq; ferum. sic autem inquit:

κάπρον ἑτοιμασάτω ταμέειν Διΐ τ' ἠελίῳ τε.
*Mactandumq; suem Soliq; Iouiq; superno* *Præparet.*

Sic & Theocr. in paruo Herc.

Ζηνὶ δ' ἐπιῤῥέξαι καθυπερτέρῳ ἄρσενα χοῖρον.
*Atque marem mactare Ioui decet è grege porcum.*

Lucianus in dialogo Ganymedis ait arietem Ioui etiam immolari solitum. Hom. alibi Soli, & Telluri, & Ioui agnos obtulit in sacrificiis, cum ita inquiat:

οἴσετε δ' ἄρν' ἕτερον λευκὸν, ἑτέρην δὲ μέλαιναν
γῇ τε καὶ ἠελίῳ· Διΐ δ' ἡμεῖς οἴσομεν ἄλλον.
*Ferte agnum niueum, & nigram portabitis agnam*
*Telluri, Soliq; Ioui portabimus ipsi.*

Mactabantur tamen aliquando Libero patri cum Appolline, & Cereri, & Iunoni iuuencæ iniuges, vt est apud Virgil. lib. 4 Æneidos.

——— *mactant lectas de more bidentes*
*Legiferæ Cereri Phœboq; patriq; Lyæo,*
*Iunoni ante omnes, cui vincla iugalia curæ.*

Illud non est visum silentio prætermittendū, quod in rebus

firmis ac stabilibus futuris crescentes victimas adhibebant, at in parum firmis senescentes quare ait Virg. lib. 12.

*Setigeræ fœtum suis, intonsamq; bidentem*
*Attulit.*

Dianæ cerua immolari solebat, vt ait Ouid. lib. 1. Fastorum,

*Quæ semel est triplici pro virgine cæsa Dianæ,*
*Nunc quoq; pro nulla virgine cerua cadit.*

Fauno capra cædebatur, vt idem ait lib. 2.

*Capripedi Fauno cæsa de more capella.*

quamuis aliquando res sacra illi fiebat agna vel hœdo, vt ait Horatius lib. 1. carminum:

*Nunc & in vmbrosis Fauno decet immolare lucis,*
*Seu poscat agnam, siue malit hœdum.*

Termino Deo apud Romanos frugibus in ignem iactis, & fauis, & vino, & agno litabatur, vt ait Ouid. in 2. lib. Fast.

*Inde vbi ter fruges medios immisit in ignes,*
*Porrigit incisos filia parua fauos,*
*Vina tenent alii, libantur singula flammis,*
*Spectant, & linguis candida turba fauent.*
*Spargitur & cæso communis Terminus agno.*

Nymphis vero lac & mulsum conueniebant, variaq; sacrificiorum genera Diis variis offerebantur, vt suo loco pertractabitur, cum de singulis agemus. atque sacrificia vel ab iis fiebant qui ab aliquo morbo cōualuissent, vel ob commissum piaculum, quæ victimæ animales vocabantur. Aliæ mactabantur consultandi gratia, quæ vocabantur Cōsultatoriæ. in his cæsis hepatis & fibrarum situs ab aruspicibus diligenter obseruabatur, ex quibus Deorum voluntatem prædicebant; nam pluribus de causis antiqui Diis sacrificarunt: nunc vbi gratias agerent: nunc vbi aliquid peterent: nunc vbi iratos placarent, nunc autem honoris gratia tantum, vbi illos colerent. Fuerunt autem multi diuinandi modi, aut ab aspectu auium, vnde erant auspicia; aut à cibo, vnde solistimum ac tripudium; à garritu auguria, à cantu oscinæ, à volatu præterea vel dextero vel sinistro, ab afflatu diuino vaticinia, à fulgurum obseruatione, astrorumque peritia, vt ait Virg. lib. 3 Æneid.

*Troiugena interpres Diuum qui numina Phœbi,*
*Qui tripodas, Clarii lauros, qui sidera sentis;*
*Et volucrum linguas, & præpetis omnia pennæ.*

Sic Ouid. primo Tristium:

*Hoc mihi non ouium fibra, tonitrusve sinistri,*
*Linguave seruatæ, pennave dixit auis.*

Diuinabant præterea inspicientes ignem, vel aquam, vel terram & visis ostentis, aut prodigiis, portentis, monstris, somniis, aliisq; huiusmodi signis: diuinabant etiam vates, qualis fuit Amphiaraus, vnde Iophon Gnosius oracula vatum multa carminibus complexus est. Qui consulendi caussa ad templum accedebant, omnes prius lustrabantur, deinde arietes immolabant, quorum substratis pellibus dormientes nocturna visa expectabant, de quibus fit mentio à Paus. in Atticis rebus, & a Virg. lib. 7.

*Hinc Italæ gentes omnisq; OEnotria tellus*
*In dubiis responsa petunt. huc dona sacerdos*
*Contulit, & cæsarum ouium sub nocte silenti*
*Pellibus incubuit stratis somnosq; petiuit.*
*Multa modis simulacra videt volitantia miris:*
*Et varias audit voces, fruiturq; Deorum*
*Colloquio.*

Hæc vbi contigissent, opus esse Deos placare per sacrificia crediderunt, aut eorum voluntatem inquirere. Ac de sacrificiorum ritibus & obseruationibus & victimis satis, nunc reliqua prosequamur.

### *Quod quales Dii, talia fuerunt postea vota & preces.*

### CAP. XVIII.

POterat hæc tam varia, tamque diligens sacrificiorum ratio, quæ superius ex oraculi responsis variis temporibus editis tradita est, homines fortasse compellere ad credendum aliquid subesse diuinitatis in ipsis Diis, si vna cum puritate hostiarum quæ mactabantur, animi potius, quam corporis sordes expurgandas esse sacrificantium idem iussisset, atq; pro munditie corporis, animi integritas & fides, & temperantia requisita fuisset. Nam qui tã diligenter tradidisset, qui ritus essent seruandi in sacrificiis singulorum Deorum, & quæ victimæ immolandæ: quo pacto potuit sine obliuionis aut auaritiæ nota illud prætermittere quod erat magis Dei propriũ, homines admonere scilicet, quod Deus fere solum animum spectat sacrificantium, cum reliqua terrestria munera parui faciat: nisi forte parasiti & helluonis dæmonis non sit frequentibus hostiarum, rerumque super altaribus vstarum nidoribus perfrui nulla habita

ratione num illæ victimæ ab impuris latronibus, vel à viris bonis sint oblatæ. Quod si magis acceptæ Deo sunt virorũ bonorum preces, vt sunt re ipsa; iucundioraque munera ab amicis manib. accipiuntur, illud in his prætermissum fuit, quod erat magis necessarium, vitæ integritatem scilicet & æquitatem & temperantiam optimas esse, & Deo acceptissimas victimas: quibus si quis gratius vllum sacrificium arbitratur, vel profanus est & impius, vel prorsus ignorat Dei bonitatem. Nam si muneribus potius, quam sanctitate & integritate vitę Deus delectaretur, amicissimum Deum haberent opulenti; át pauperes & Deo & hominibus essent inuisi. sed quoniam nullum mendacium pôtest esse diuturnum, neque diutius capi pro veritate, cum homines impuri fabularum figmentis postea induti pro Diis culti sint, necesse fuit diuinitus mandata esse obliuioni illa quæ erant fundamentum nõ veræ aut probandæ religionis, vt illa veræ postea locum cederet. Atque cũ minimus error in principio, fiat maximus in fine, inde effectum est vt impurorum Deorum aris & sacrificiis impuriores sacerdotes præficerentur, qui artificiose homines deciperent, nullumq; fallaciarũ genus prætermitterent, vt superstitione oppressos in officio retinerent. Fuit enim legib. antiquorum sacrorum non leue supplicium illis propositũ, vt ait Dionysius Thrax in secundo libro Diæreseon, qui vel alios Deos introducerent, vel eos non colerent: quare quos in sua religione impura retinere non poterant fallaciis, cum altaria & templa tanquam lucri tabernę vbiq; extruerentur, eos vel Deorum metu, vel legib. latis à sacerdotibus, vel metu concitati vulgi deterrebant. nulla igitur improbitas, nullum flagitiorũ genus, nulla crudelitas ab aris & à templis horum Deorũ, vt sequebatur ex his principiis, abesse consueuit: cum in animalia omnium scelerum expertia sæuirent, & eorum sanguine crudelissime perfunderentur; & præclare actum fuisset, nisi illa feritas in homines etiã proruрisset. Pauca horum ex infinitis prope, vt res apertior fiat, explicemus, quæ pertinent ad horum Deorum crudelitatem cognoscendã. Scriptum reliquit Dionys. Halicar. lib. 1. magnam pestem aliquando ortam fuisse in Pelasgorum regione, atque omnia prope animalia Deorum ira intercidisse, & fœminas vel mutilos infantes peperisse, vel abortum fecisse. Istud

vero

vero contigisse, quoniam orta sterilitate agrorum, ab ea vt liberarentur, vouerant quæ optima nascerentur, ea se Diis consecraturos: mox facti voti compotes non reddiderunt quod promiserāt, cum multo preciosiora cæteris retinuissent. Deinde sciscitantibus quo pacto liberari possent hac tanta calamitate, respōdit oraculum; ὅτι τυχόντες ὧν ἐβούλοντο, οὐκ ἀπέδοσαν ἃ εὔξαντο, ἀλλὰ προσοφείλουσι τὰ πλείστου ἄξια. οἱ γὰρ Πελασγοὶ, ἀφορίας αὐτοῖς γενομένης ἐν τῇ γῇ πάντων χρημάτων, εὔξαντο τῷ Διὶ καὶ τῷ Ἀπόλλωνι καὶ τοῖς Καβείροις καταθύσειν δεκάτας τῶν προσγιγνομένων ἁπάντων. *Quod ea consecuti quæ poposcerant, non dedissent omnia quæ promiserant, sed preciosiora retinuissent. Pelasgi enim orta in sua regione sterilitate, vouerunt se Ioui & Apollini & Cabiris decimas omnium eorum quæ nascerentur sacrificaturos.* quod etiam testatur Euseb. libr. 4. Euangel. præpar. Mox hominum decumas fuisse ab ipso oraculo peritas ista testatur Dionys. εἰσηγησαμένου δέ τινος γνώμην, τὸν θεὸν ἐπερέσθαι εἰ αὐτῷ φίλον ἀνθρώπων δεκάτας ἀπολαμβάνειν, πέμπουσι τὸ δεύτερον θεοπρόπους· καὶ ὁ θεὸς ἀνεῖλεν οὕτω ποιεῖν. *Sententiam ferente quodam Deum esse interrogandum an sibi gratum esset hominum decumas persolui, rursus sciscitatum mittunt; quibus respondit oraculum ita esse faciendum.* Atqui omnium Deorum qui celebres fuerunt, antiquissimo prope Saturno, mos fuit hominem immolare, vt testatur idem Dionys. λέγουσι δὲ καὶ τὰς θυσίας ἐπιτελεῖν τῷ Κρόνῳ τοὺς παλαιοὺς, ὥσπερ ἐν Καρχηδόνι, τέως ἡ πόλις διέμεινε. καὶ παρὰ Κελτοῖς εἰς τόδε χρόνου γίνεται, καὶ ἐν ἄλλοις τισὶ τῶν ἑσπερίων ἐθνῶν, ἀνδροφόνους. *Fama est antiquos Saturno, veluti Carthagine, antequam vrbs euerteretur, & vt fit apud Celtas hoc etiam tempore, & in aliis nonnullis locis apud Hesperias nationes, sacra facere solitos, in quibus homines cæderentur.* nam vt ait Plut. in libello de superstitione, Carthaginenses sponte liberos huic Deo mactabant: qui vero liberos non haberent, à patribus emebant immolandos. astabant parentes, qui si lacrymauissent, aut ingemuissent, sine honore vitam in posterum degebant, ac nihilominus mactabantur filii. atque ante statuam Saturni omnia tibiis & tympanis personabant, ne puerorum dum mactarentur exaudiri posset eiulatus & luctus. Hanc postea sacrificiorum immanitatem Hercules, cum in Italiam accessisset aram Saturno erecturus, in mansuetiorem ritum commuta-

uit, iussitq; pro veris hominibus apud Italos hominum simulacra in Tyberim deiici, vt ait Ouid. in 2. Fastorum. Siue ne prorsus tollere religionem videretur, siue quod mitiorem Deum se habiturum putaret, si rem mitigasset, ac non penitus sustulisset. Paruit igitur Ioui, Apollini, Saturno homines fuisse aliquando pro victimis immolatos, quod etiam fiebat in honorem Iunonis Carthagine. Dianæ vero, quæ nauigationem Græcorum ad Troiam impediebat, eosque Aulide retinebat, quid exposcebatur? an non necesse fuit Agamemnoni antequam à littore solueret, Iphigeniam illi mactare, aut nonne iussi sunt id ex oraculo facere? rem autem ita breuiter attigit Virgil. lib. 2. Æneid.

*Suspensi Eurypylum scitatum oracula Phœbi*
*Mittimus, isq; adytis hæc tristia dicta reportat:*
*Sanguine placastis ventos, & virgine cæsa,*
*Cum primum Iliacas Danai venistis ad oras.*

& Luc. lib. merito inquit:

*Religio peperit scelerosa atq; impia facta:*
*Aulide quo pacto Triuiai virginis aram*
*Iphianassæo turparent sanguine fœde.*

Euripides enim luculentissimam tragœdiam composuit, de ipsa Iphigenia in Aulide, in qua omnem hanc sacrificii crudelitatem declarat. Neq; tamen prætermittenda duxerim hoc in loco: quæ de Iphigenia fabulantur, ad excusandam illorum Deorum crudelitatem ac feritatem. Scripsit Phanodemus historicus Iphigeniæ misericordia commotam Dianam illam in vrsam vertisse: at vero Nicander in iuuencam, alii in ceruam, alii in anum edentulam. quare cum minime cognita fuisset, in Scythiam profugit ad Dianæ templum, ibique in omnes Græcos hostilem animum exercens, illos eidem supplicii generi, addixit, cui ipsa antequam fugeret, addicta fuerat. Hesiodus vero in eo libro quem scripsit de claris mulieribus, Ipigeniam neque cæsam fuisse, neque in beluam mutatam tradidit, sed à Diana Hecaten factam fuisse. in Sardo præterea insula, quæ non procul distat ab Herculis columnis, senes qui ad septuagesimum ætatis annum accessissent, à suis filiis ridentibus in Saturni honorem lignis cædi solebant, deinde è præcipiti loco deiiciebantur: vnde dictum est prouerbium risus Sardonici, sicuti scripsit Timæus historicus in reb. Deliacis

liacis. Neque tamen solis Diis, sed hominibus etiam, & manib. mortuorum homines cædebantur. Memoriæ proditum est in Taurica regione præterea, cui Thoas iis temporibus imperabat, eam fuisse sacrorum legem, vt quicunque eo delati maris tempestate fuissent, vel quicunque deniq; aduenissent, ii mactarentur pro victimis Dianæ Tauricæ; quod licet ex Iphigenia in Tauris Euripidis cognoscere: qui etiam impuram esse illam religionem inquit his versibus:

*τὰ τῆς θεοῦ δὲ μέμφομαι σοφίσματα:*
*ἥ τις βροτῶν μὲν ἥν τις ἅψηται φόνου,*
*ἢ καὶ λοχείας, ἢ νεκροῦ θίγῃ χεροῖν.*
*βωμῶν ἀπείργει μυσαρὸν ὡς ἡγουμένη.*
*αὐτὴ δὲ θυσίαις ἥδεται βροτοκτόνοις.*
*Deæ probare illam non puto sententiam:*
*Quæ si quis imbuerit quem, vel thorum*
*Concusserit mœchus, vel attingat manu*
*Cadauer, arcet à suis altaribus.*
*At ipsa cæso gaudet in sacris viro.*

Scriptum tamen reliquit Herodotus in Melpomene non Dianæ, sed Iphigeniæ Agamemnonis filiæ naufragos in Tauris, qui eo appulissent, aut quicunque è Græcis capti fuissent, immolari solitos. Immolabantur Marti præterea homines apud Scythas. vt idem testatur hoc ritu: *ὅσους ἂν τῶν πολεμίων ζωγρήσωσιν, ἀπὸ τῶν ἑκατὸν ἀνδρῶν ἄνδρα ἕνα θύουσι τρόπῳ οὐ τῷ αὐτῷ ᾧ καὶ τὰ πρόβατα, ἀλλ' ἑτεροίῳ. ἐπεὰν γὰρ οἶνον ἐπισπείσωσι κατὰ τῶν κεφαλέων, ἀποσφάζουσι τοὺς ἀνθρώπους ἐς ἄγγος. quoscunque ex hostibus viuos ceperint, singulos è centum hominibus deligunt, quos non eodem modo quo pecudes mactant, sed longe diuerso: vbi enim vinum in capita effuderint, homines in quoddam vas iugulant sanguinem eorum colligentes.* nam cum Martem præcipua religione colerent, id in Martis honorem faciebant. An vero humanior fuisse existimandus est Neptunus? is enim Idomeneo in patriam è bello Troiano redeunti eam immisit tempestatem, vt coactus sit promittere se Neptuno sacrificaturum, quod primum ex animalibus sibi exeunti è naui obuium fuisset: mox cum filius primus occurrisset, eum sacrificare necesse fuit. Lunæ quoque in Albania, quæ regio non

procul distat à mari Caspio homo immolari solebat, cum maxime omnium Deorum Luna ibi coleretur: nam multi è seruis numine afflati ibi diuinabant, quorum qui plurimum numine correptus esset, solus per syluam errans sacra cathena cōprehensus à sacerdotib. vinciebatur, sumptuoseque & opipare per annum nutriebatur, deinde cum aliis hostiis ad Deę sacrificia mactandus ducebatur; vt ait Strab. lib. 11. Neque Lacedæmonii quidem, qui vitæ seueritate ac prudentia cęteros homines antecellere studebant, hanc superstitionem effugere potuerunt. nã, vt scribit Paus. in Laconicis, Orthiæ siue Lygodesmæ Deæ nūcupatæ, quæ esse Dianę statua putabatur è Tauris eo ab Oreste & Iphigenia deportata, homines sorte destinatos immolabant: quem postea ritum Lycurgus ad puberes transtulit. atque iidem Pherecydem sapientem mactarunt, & pellem ob quoddam oraculi responsum asseruarunt regibus, vt ait Plut. in Pelopida. cum à cædibus res incœpta esset, quam commiserunt Astrabacus & Alopecus Irbi filii vbi reperto Deę simulacro mente capti sunt, atque inter sacra ipsius Deæ responsum mox est ab oraculo illam aram humano sanguine aspergi oportere. atque cum prius mactandi sorte ducerentur, deuentum est tantum ad plagas, vt ita sanguine nihilominus imbueretur. præerat sacris sacerdos fœmina, quæ tamdiu paruam & leuem Deæ statuam sustentabat, dum pueri cæderentur: at vero si illi quib. datum erat negotium cædendi, misericordia ducti ob formam aut claritatem epheborum parcius aut lenius hoc facerent, ita fieri graue signum dicebatur, vt sacerdos illud non posset sustinere, vt ait Silenus Chius in fabulosis historiis. Huic eidem Deæ cognomento Triclariæ virgo & puer mactabantur apud Achęos, vt est in Achaicis Paus. Quid opus est Leucadū ritum commemorare? illi enim quotannis auertendæ Deorū & Apollinis præcipue iræ impurum aliquem hominē deligebant, quem mactare consueuerunt: sed postea mutatus fuit ritus, cum è specula deiectum multis pennis & auibus alligatis seruandum curarent, ita tamen vt extra patriam postea incolumis deportaretur, vt ait Str. lib. 10. nam Semnonum, Druidarum, Lycæarumq; & Pergæarum victimarum consuetudinem silentio præteribo, & aliarum rationum, qui homines Diis immolare solebant. Hoc vnum dicam, cum

tanta

tanta Deorum crudelitate, tamq; impia religione, nullam omnino probitatem esse potuisse. quid enim feritatis ac sceleris ab horum Deorum impurissimis aris abfuisse putandum est? neque vero in singulos homines tantum aliquando sæuierunt, sed in vniuersos exercitus. nam cum Brennus Gallorum imperator insignem cladem accepisset à Græcis, cum quibus acie dimicauerat, mox per noctem Panos furore cum reliquiis exercitus agitatus est, atque Galliæ acies inter se ita dimicauerunt; vt penitus fuerint deletæ Cum igitur homicidiorum omnisque crudelitatis autores Deos haberent antiqui, non est mirum, si pro cædibus, & adulteriis, & rebus huiusmodi impuris vota concipiebant. Nam cùm crudeles essent illi Dij, tum auaritia maximo vitiorum omnium præcipue laborabant: *quare facile muneribus ad omnem improbitatem, omniaq; peccata hominibus dimittenda adduci posse censebantur. Idcirco præclare dictum est ab Euripide in Medea:

*πειθεῖν δῶρα καὶ θεοὺς λόγος*

*Fama est Deos parere donis cœlites.*

& id ab Ouid lib. de arte:

*Munera (crede mihi) placant hominesq; Deosque,*
*Placatur donis Iuppiter ipse datis.*

Sed quid opus est pluribus? Iupiter ipse cum esset vrbem Troianam Græcis diripiendam concessurus, non crudelitatem quidem aut insolentiam victorum, neque Troianorum vel iustitiam, vel probitatem tanti fecit, quanti sacrificiorum iacturam, quæ sæpius à Priamo & à reliquis Troianis capiebat, cum ita inquiat in primo Iliad.

*αἳ γὰρ ὑπ' ἠελίῳ τε καὶ οὐρανῷ ἀστερόεντι*
*ναιετάουσι πόληες ἐπιχθονίων ἀνθρώπων,*
*τάων μοι περὶ κῆρι τιέσκετο Ἴλιος ἱρὴ,*
*καὶ Πρίαμος, καὶ λαὸς ἐϋμμελίω Πριάμοιο.*
*οὐ γάρ μοί ποτε βωμὸς ἐδεύετο δαιτὸς ἐΐσης,*
*λοιβῆς τε, κνίσης τε, τὸ γὰρ λάχομεν γέρας ἡμεῖς.*

*Quæ sunt sub cœlo, & splendentis lumine solis*
*Oppida culta viris mortalibus, omnibus vna*
*Troia fuit delecta magis mihi gratior vna,*
*Et Priamus, Priamiq; domus, regnumque: nec ara*
*Nidore aut libis caruit quæ munera Diuûm.*

Qui enim fieri potest, vt iustus & bonus sit is Deus, qui be-

nam, piam aliquam ciuitatem esse fateatur, & tamen illam euertendam concedat nulla satis honesta sui consilij reddita ratione? Sic etiam Neptunus Ænea ab Achille liberaturus nullam protulit Æneæ probitatẽ, sed verebatur ne muneribus & sacrificiis in posterũ careret, vt est in lib. 7. Iliad.

— κεχαρισμένα δ' αἰεὶ
δῶρα Θεοῖσι δίδωσι, τοὶ οὐρανὸν εὐρὺν ἔχουσιν.

*gratissima semper*
*Dona Deis offert, qui cæli regna frequentant.*

Non est igitur mirum si sæpius est ad parricidia accersitus Iupiter, cum ita esset auarus, vt pro acceptis muneribus ad omnia scelera conniueret, quare iure prope optimo Diis omnibus crudelior appellatur a Philætio in lib. φ. Odyss.

Ζεῦ πάτερ, οὔ τις σεῖο Θεῶν ὀλοώτερος ἄλλος·
οὐκ ἐλεαίρεις ἄνδρας

*Iuppiter haud quisquam Diuûm mortalibus est te*
*Sæuior, atque ferus magis: haud miserere virorum.*

Iure igitur Pallas eum & insanum & malum vocat in lib. θ. Iliadis in his:

ἀλλὰ πατὴρ οὑμὸς φρεσὶ μαίνεται οὐκ ἀγαθῇσι,
σχέτλιος, αἰὲν ἀλιτρὸς, ἐμῶν μενέων ἀπερωεύς.

*Sed pater ipse meus vesana mente malusque est,*
*Infelix, atque iniustus, mea numina vertens.*

Atque Achilles lib. vltimo Iliad. omnium malorum omniumque calamitatum autorem Iouem esse demonstrauit his verbibus:

οὐ γάρ τις πρῆξις πέλεται κρυεροῖο γόοιο·
ὡς γὰρ ἐπεκλώσαντο Θεοὶ δειλοῖσι βροτοῖσι,
ζώειν ἀχνυμένους, αὐτοὶ δέ τ' ἀκηδέες εἰσί.
δοιοὶ γάρ τε πίθοι κατακείαται ἐν Διὸς οὔδει
δώρων οἷα δίδωσι κακῶν, ἕτερος δὲ ἑάων.
ὦ μὲν καμμίξας δώῃ Ζεὺς τερπικέραυνος,
ἄλλοτε μέν τε κακῷ ὅγε κύρεται, ἄλλοτε δ' ἐσθλῷ.

*Nil prosunt lacrymæ, nec tristia pellere possunt:*
*Fata Dei statuere viris mortalibus ista,*
*Vt viuant tristes, ipsi mala nulla verentes,*
*Dolia bina iacent Iouis in penetralibus altis*
*Muneribus repleta; bona hic sunt, idque malorum*
*Plenum est. Ista viris miscens dat Iuppiter ipse,*
*Nunc mala multa haurit, nunc & bona plurima cepit.*

Non

Non solum in his malorum autorem Iouem putauit Homerus, sed etiam inconsideratum & temerarium, qui non consilio & ratione, sed vt sors obtulerit, bona cuique dispēset. Sic igitur Euripides etiam in Hecuba illum malorum autorem facit;

οὐδ᾽ ὤλεσέν με Ζεύς, τρέφει δ᾽ ὅπως ὁρῶ
κακῶν κάκ᾽ ἄλλα μείζον᾽ ἡ τάλαιν᾽ ἐγώ.

*Nec Iupiter me perdidit, seruauit vt*
*Peiora multo cernerem infelix ego.*

Sed Venus non solum Iouem, verum Deos omnes inclementes vocat apud Virg. lib. 2. Æneid. quia Troiam propter inuidiam & ob accepta à Græcis munera euerterint: sic enim inquit:

*Non tibi Tyndaridis facies inuisa Lacænæ,*
*Culpatusve Paris, verum inclementia Diuûm*
*Has euertit opes, sternitque à culmine Troiam.*

Idem Iupiter Iunonis illecebris ductus auctor fuit violandi fœderis quod percussum fuerat inter Græcos & Troianos, vt est in lib. 4. Iliad. cum Palladem iusserit in aciem Troianorum descendere, eosque impellere ad fœdus violandum.

ὣς ἔφατ᾽ οὐδ᾽ ἀπίθησε πατὴρ ἀνδρῶν τε θεῶν τε,
αὐτίκ᾽ Ἀθηναίην ἔπεα πτερόεντα προσηύδα.
Αἶψα μάλ᾽ ἐς στρατὸν ἐλθὲ μετὰ Τρῶας καὶ Ἀχαιούς
πειρᾶν δ᾽ ὥς κεν Τρῶες ὑπερκύδαντας Ἀχαιοὺς
ἄρξωσι πρότεροι ὑπὲρ ὅρκια δηλήσασθαι.

*Annuit his dictis hominum pater atque Deorum,*
*Palladaque arcessens ad sese hæc inde profatur:*
*Protinus in Troum & Græcorum castra recede.*
*Experiare volo Troiani, primi vt Achiuos*
*Marte petant, primi percussaq; fœdera rumpant.*

Atque cum leuissimi hominis & impuri sit dicere mendacium, neq; hoc quidē vitio caruit Iupiter, qui ita fuit mendax ab Hyrtacide vocatus, vt est in lib. μ. Iliad.

Ζεῦ πάτερ, ἦ ῥά νυ καὶ σὺ φιλοψευδὴς ἐτέτυξο
πάγχυ μάλα;

*Iupiter an mendax pater es; nec iam vlla loquenti*
*Danda fides?*

Cum fuisset Apollo etiam autor crudelitatis creditus, sæpius fuit ad cædes faciendas, mortalesque ad cædes faciendas sæpius adiuuit, vt testantur illa carmina Virg. lib. 6.

*Phœbe graues Troiæ semper miserate labores,*
*Dardana qui Paridis direxti tela manusque*
*Corpus in Æacidæ.* & lib. 9.
*Dextra mihi Deus, & telum quod missile libro,*
*Nunc adsint.*

& Hom. lib. ζ Iliadis:

——— νῦν δ' αὖτ' ἐμοὶ φίλαι Ἀθήνη,
δὸς δέ τέ μ' ἄνδρα ἑλεῖν, καὶ ἐς ὁρμὴν ἔγχεος ἐλθεῖν.

*Rursus amica mihi concedito Pallas,*
*Cædere daq; virum, ac forti concurrere telo.*

Enimuero multo sunt etiam crudeliores Polynicis preces apud Euripidem in Phœnissis, cum ita inquiat:

ὦ πότνι' Ἥρα, σὸς γάρ εἰμ', ἐπεὶ γάμοις
ἔζευξ' Ἀδράστου παῖδα, καὶ ναίω χθόνα,
δός μοι κτανεῖν ἀδελφόν, αἱματηρὰν δ' ἐμὴν
καθαιμάξαι δεξιὰν νικηφόρον.

*Iuno verenda, tum tuus: nam nuptiis*
*Iunxi ego Adrasti filiam, terram incolo,*
*Concede fratrem occidere, & victoria*
*Dextram cruentam ferre fratris sanguine.*

Et quod peius est, non deterretur vel cognita turpitudine petitionis ab illis tam impuris precibus, cum inquit:

αἴσχιστον αἰτῶ στέφανον, ὁμόγονον κτανεῖν.

*Occidere affinem peto, hæc turpissima est*
*Corona.*

Aduocabantur ad furta etiam Dij antiquorum, qui latronibus & insidiatoribus fauere putabantur, cum essent pleni omnis impuritatis. quare ita scripsit Horatius in epistolis:

*Iane pater clare cum dixit Apollo,*
*Labra mouet metuens audiri pulchra Lauerna*
*Da mihi fallere, da iustum, sanctumque videri,*
*Noctem peccatis: & fraudibus obiice noctem.*

Multi denique ad cædes, ad flagitia complura, ad latrocinia, ad adulteria, ab his Diis se adiuuari crediderunt, & non dubitarunt, vt adiuuarentur precari: quippe cum intelligerent vel innocentissimos homines per hos Deos grauissima supplicia subiisse, cum vel vnus Hippolytus in montem veniret. Enimuero, quia nihil diuturnum est, quod ad extremam improbitatem venerit: multo fuit tolerabilior, quam hos pro Diis colere, illa Cyclopis sententia, quæ homines

mines ad voluptates, vitæq; suauitates percipiendas hortatur: quæ vniuersam illam religionem euertit. ita enim inquit apud Euripidem in Cyclope:

*ἡ γῆ δ' ἀνάγκῃ κἂν θέλῃ, κἂν μὴ θέλῃ,*
*τίκτουσα ποιὰν τἀμὰ πιαίνει βοτὰ,*
*ἁ ἐγὼ οὔτινι θύω, πλὴν ἐμοὶ, θεοῖσι δ' οὐ,*
*καὶ τῇ μεγίστῃ γαστρὶ τῇδε δαιμόνων.*
*ὡς τοὐμπιεῖν γε καὶ φαγεῖν τοὐφ' ἡμέραν*
*Ζεὺς οὗτος ἀνθρώποισι τοῖσι σώφροσι,*
*λυπεῖν δὲ μηδὲν αὐτόν.*

*Necesse terra sit volenti, siue non,*
*Herbas creare, pinguis vt sit grex meus,*
*Nulli Deorum, sed mihi quem nutrio,*
*Et huic Deorum maximo ventro: viris*
*Vt solus est hic Iuppiter prudentibus,*
*Bibendi, edendi vt lex diebus singulis,*
*Viuendi & vsque suauiter.*

Hoc autem consilium est non hominis, sed filij Neptuni, & Iouis ipsius nepotis, cui vanum fuisse illum Deorum cultum facile credi potest. at contra fieri non potest, vt ille suauiter viuat, nullaque tristitia afficiatur, qui totus feratur ad voluptates, nulla habita ratione innocentiæ, cum illa sola omnem vitæ suauitatem largiri possit. Sed quid opus pluribus? tanta fuit horũ Deorum crudelitas, vt Læsionẽ, quam Aten vocarunt, Iouis ipsius filiam esse tradiderit Homerus lib. 7. Iliad. quamuis Dei sola proprium sit beneficentia:

*πρέσβα Διὸς θυγάτηρ Ἄτη, ἣ πάντας ἀᾶται.*

*Ate prisca Iouis proles, quæ læserit omnes*
*Mortales.*

Patet ex ijs quæ hactenus dicta sunt, vt arbitror, quod talia fuerũt hominum vota, qualia Deorum sacrificia, & quales Dij ipsi credebantur: à quibus viuendi rationem acceperãt, & quod omnibus vitiis credebantur Dij illi fuisse contaminati, & quod nulla vel religio vel ciuitas, quæ ad summum malitiæ peruenerit, diuturna esse potest. nunc consideremus, quales Dij inter se fuerunt.

## *Quales Dij inter se fuerunt.* CAP. XIX.

NEQVE mirum est sane Deos tam sæuos erga homines extitisse, atque omnia discordiæ, crudelitatis, & per-

fidit ſemina in homines à Diis ipſis manaſſe, cum tãta fuerit iam inde ab initio inter hos Deos contentio, quantam neq; cœlum, neq; terra capere potuit. Quod ſi ſceleratum, eſt illum armis perſequi, à quo aliquod magnum beneficium acceperis, profecto ſceleratiſſimus fuit Saturnus, qui illum inſecutus eſt, à quo huius lucis vſuram acceperat. Verum non ſolum inſecutus eſt, ſed etiam captiuo virilia membra amputauit, vt teſtatur Ouid. in Ibim;

*——— Saturnus vt illas,*
*Subſecuit partes, vnde creatus erat.*

Hoc paternum exemplum cum ſibi ante oculos ad imitandum Iupiter propoſuiſſet, Saturnum patrem & ipſe cum armis inſecutus eſt, & in Italiam cõfugere compulit: à quo, cum apud Ianum regem in Italia latuiſſet, quædam pars Italiæ Latium fuit appellatum, vt eſt apud Virg. lib. 8.

*Primus ab ætherio venit Saturnus Olympo,*
*Arma Iouis fugiens, & regnis exul ademptis.*
*Is genus indocile ac diſperſum montibus altis*
*Compoſuit, legeſque dedit; Latiumque vocari*
*Maluit, his quoniam latuiſſet tutus in oris.*

Iam vero quanta fuit Saturni feritas, qui ſuos filios vorabat? an poteſt is eſſe tolerabilis in alios, qui tam fuit ferus in ſuos filios? an poteſt aurea ætas, hoc eſt iuſtitiæ, humanitatis, pudicitiæ, æquitatis plena adminiſtratio ſub hoc rege fuiſſe, qui tam impius in parentes & in filios ſuos extitiſſet? ſed neque Iupiter quidem omnes contentiones patre de regno deiecto ſuſtulit, neque regnum quietum poſſidere potuit, cum Gigantes, quaſi paternæ iniuriæ vltores, in illum conſpirarint, eumque pene de regno deiecerint. Enimuero cum hæc quoque certamina abſoluiſſet, victoriamque fuiſſet conſecutus; non tamen regnum quietum poſſedit, ſed omnes prope Dij in illum aliquando inſurrexerunt, atque ab affinibus pene fuit in vincula coniectus, vt eſt apud Hom lib. 1 Iliad.

—ὅτ' ἔφησθα κελαινεφέϊ Κρονίωνι
οἴη ἐν ἀθανάτοισιν ἀεικέα λοιγὸν ἀμῦναι,
ὁππότε μιν ξυνδῆσαι ὀλύμπιοι ἤθελον ἄλλοι,
Ἥρη τ', ἠδὲ Ποσειδάων, καὶ παλλὰς Ἀθήνη.

*Dixeris vt ſuperos inter depellere peſtem*
*Te potuiſſe Ioui Saturni ſanguine creto:*

Cœlicolæ

*Cœlicolæ voluere Iouem vt vincire tonantem,*
*Neptunus, Iunoque & Pallas.*

Præclarum sane regnum, ac vere dignum, vt eius rex beatus appelletur, in quo neque coniux, neq; soror, neq; filia, nec frater fuit amicus. Neque tamen inter se solum inimicitias hi Dij exercuerunt perpetuas, verum etiam tantum autoritatis ac virium hominibus alius in alium tradiderunt, vt sæpius ab hominibus fuerint vulnerati: sicut Iuno ab Hercule sagitta, vt ait Hom. 4 Iliad.

τλῆ δ' Ἥρη ὅτε μιν κρατερὸς παῖς Ἀμφιτρύωνος
δεξιτερὸν κατὰ μαζὸν ὀϊστῷ τριγλώχινι βεβλήκει.
*Perpessa est Iuno cum filius Amphitryonis*
*Percussit dextram mammam, petiitque sagitta.*

Vulneratus fuit etiam Pluto ab eodem, vt est in his;

τλῆ δ' ἀΐδης ἐν τοῖσι πελώριος ὠκὺν ὀϊστὸν,
εὖτέ μιν ωὐτὸς ἀνὴρ υἱὸς Διὸς αἰγιόχοιο
ἐν πύλῳ ἐν νεκύεσσι βαλὼν ὀδύνῃσιν ἔδωκεν.
*Passus & est Pluto horrendus cum dira sagitta*
*Intulit huic vulnus nati Iouis huius; & ille*
*Inter defunctos duros tulit inde dolores.*

Quin etiam Mars ipse belligerantium Deus, mortalium arma effugere non potuit, vt est apud eundem Homerum in his:

τῇ ῥά μιν οὖτα τυχὼν, διὰ δὲ χρόα καλὸν ἔδαψεν.
ἐκ δὲ δόρυ σπάσεν αὖτις, ὁ δ' ἔβραχε χάλκεος Ἄρης.
*Huic pulchramque cutem lacerat, ferroq; cecidit,*
*Extrahit hinc hastam, Mars alta voce boauit.*

Idem postea ab Oto & Ephialte fuit in vincula coniectus. fuit Venus etiam vulnerata à Diomede. atque longum esset sane commemorare quot incommoda Dij passi fuerint ab hominibus. facile igitur adducor, vt durissima illorum hominum ingenia fuisse credam, quibus erat religionis & Deorum metus in animis imprimendus, cum virorum bonorum exemplis, & sapientum oratione eo adduci non possent: sed essent vel sceleratorum, quos ipsi admirabantur, autoritate, vel implicitis fabularum figmentis ad Deorum cultum adducendi. nam hæc omnia tradita sunt ab antiquis nulla alia de causa, nisi vt homines ad probitatem instituerent, & res naturæ aperirent obscuras, vt suis locis explicabimus.

# NATALIS COMITIS MYTHOLOGIÆ,

## LIBER SECVNDVS.

### *De vno rerum omnium principio & autore Deo.*

EXplicata sunt à nobis superius nonnulla quæ ad antiquorum Deorũ naturam cognoscendam pertinebãt: & quales illi erga homines, & quales inter se fuerint patefecimus, & ꝙ nullus denique fuit illorũ sempiternus, nisi cum eorum nominib. pro rerũ naturalium formis antiqui sapientes vterentur. Nunc autem consequens est, vt demonstremus vnũ fuisse rerũ omnium principiũ, vnumq; autorẽ per quẽ oĩa ꝓcreata fuerint, & in lucẽ edita, cum nullus ex ijs Deus fuerit, vt dictum est; neq; plures Dij simul esse possint. Sed hoc quoad fieri poterit q̃ breuissime explicemus, quoniam hæc vna disputatio vel magnũ volumen posset implere, si quæcunq; necessaria sunt, inuestigemus. Nã cum rerum multarum sub eadẽ forma positarũ numerus imbecillitatem arguat singularum, quia procreatione filiorum indigeant, & morti sint obnoxiæ, frustra in tanta Deorum multitudine colenda laborabimus, quia & illi nos aliquando deficient, & semper noua vota Diis iunioribus erunt concipienda. At quid aliud sexus significat quam interitum? ꝙ enim oritur, & intereat aliquando necesse est: quia omnia quæ oriũtur, constant ex quibusdam principiis, in quę deniq; soluuntur. Si omnes Dij sint mares, aut fœminæ, & ad procreandum apti, nihilq; producant, multo magis sequetur absurdum: frustra enim potest is qui nunquã vim suam exercet. quare vbi sit sexus, ibi procreare necesse fit, atq; ibidẽ Dei natura sempiterni esse nõ potest. Erit igitur necessario vnus Deus, qui neq; genitus erit, neq; generabit ex se alium, cuius substantia ab ipso dissideat. Nam veri piique theologi Deum generare Filium tradunt, sed eiusdem substantiæ: & idem immor-

immortalis existens, cum ex nullis principiis constet, nullum sortitus est temporis principium. Rursus cum sit principii expers, potentia existet infinita, quoniam finitorum corporum, rerumq; omnium finitarum finita est pro corporis ratione potentia & virtus; quare omnipotẽs fuit merito ab antiquis appellatus. & cum nullus ante Deum visus sit, cum primus is extiterit, dictus est Protogonus siue primogenitus ac φανὴς, vt est apud Orpheum in Hymnis. erit is igitur rerum omnium quæ sunt, autor necessario existimandus. Enimuero cum magna fuerit inter sapiẽtes de naturalium corporũ materia disceptatio, quod alii vnum, alii plura rerũ naturaliũ principia generationi subiicerent, nemo tamen adeo fuit inops consilii, qui plures Deos opifices introduxerit. Nã & Thales Milesius vnus è septẽ sapientib. aquã rerũ omnium principium ratus, mentẽ inquit cuncta ex illa formasse, & Anaxagoras Clazomenius cum è similibus inter se particulis corpora naturalia cõsistere credidisset: inutilem earũ præsentiam est arbitratus, nisi opifex ad eas inter se componendas accessisset, quẽ diuinam mentem appellauit, cuius hoc celeberrimum carmen circumfertur;

*νοῦς ἐστι διακοσμῶν τι πάντων αἴτιον.*

*Mens autem vna est omnium quæ cernimus.*

Pythagoras Samius principia rerum omnium numeros ratus, cum monadem ac binariũ introduceret, materiam scilicet & opificem, Deum in mediũ protulit quem per monadem significauit. Empedocles Agrigentinus post elementa quatuor, quæ tanquam generationis materiã introduxit, quod videret ea esse per se segnia & inutilia, amicitiã opificẽ & cõciliatricem, dissidiũ corruptionis causam putauit. Socrates & Plato post materiam & ideam, quæ vt formæ exemplar intelligitur, Deum addiderunt generationis autorem. Zeno Citieus cum formam nusquam sine materia posse consistere crederet, solam materiam & Deum cuncta efficere dixit, quod ex iis forma oriretur cum ad opus accederent. Anaximander qui infinitum, Anaximenes qui aërem, Heraclitus qui ignem, Epicurus qui corpora solida, non creata, sempiterna, mente percepta, quas atomos vocat, Aristoteles qui materiam & formam, principia putarunt esse omnium, cum nihil de opifice dixerint, aut simulantes de Deo quidpiam dixerunt, nullumque credi-

derunt esse, aut eum res humanas non curare putarũt. Qui enim potest quod nusquam est existenti accedere sponte sua, & a nemine accersitum? aut id quod neq; rationem in se habet, neque cognitionis initium, quomodo potest rem tam præclaram ad se accersire, & vt ad se veniat impetrare? An fieri potest vllo tempore poculum vel si sit argentum, nisi artifex ad poculi formam illud perducat? nunquam profecto forma sua sponte accedet ad argentum, neque argentum illam non audientem omnino vllo tempore aduocabit: quæ res vt in iis quæ sunt artis, ita in naturæ actionibus continet: nihil enim fieri potest, quod non fiat diuina prouidentia. Quare mihi valde ridiculi videntur illi qui omnia fortunę attribuunt, mundumque ipsum ex minimis corporibus assidue celeriterque fortuito & temerario motu agitatis multis in vnum conglomeratis coagmentatum fuisse censuerunt. qualis Epicuri & Democriti fuit opinio. Nam tametsi de Deo nescio quid balbutiebant, tamen in idem prope cum Diagora Milesio & Theodoro Cyrenensi, Eumeroque Tegeate reciderunt. Patet igitur neque sine opifice Deo quidquam fieri posse, nec Deos esse plures; sed vnum, & eundem sempiternum, & cuius infinita sit potentia, & eum esse rerum omnium authorem, qui neque mas est, neque fœmina at num Iupiter is sit ab antiquis appellatus, an alius fuerit Iupiter, nunc perquiramus.

## *De Ioue*. CAP. I.

AGE vero Iupiter is, quem patrem hominum, ac Deorum regem appellarunt antiqui, quid diuinitatis habuerit, aut quam originem, nunc inuestigemus. Sed quoniam non vnus, aut plures Ioues fuerunt, idcirco varia loca in quibus natus sit, variæque educationes, & variæ res gestę Iouis à variis scriptoribus referuntur. Nam Iupiter qui Saturni filius fuit, ad quem omnia prope aliorum facinora referuntur, modo in Creta, modo Thebis, modo in Arcadia, modo apud Messenios natus esse dicitur; cum nullo pacto fieri possit, vt hæc inter se tam diuersa consentiant. Nam tametsi multas educationes propter varios rerum euentus vni facile quis accommodauerit, tamen vt idem multis in locis natus sit, fieri omnino non potest. Quod autem multæ ac variæ fuerint nationes, quæ apud se natum

tum Iouem gloriarentur, testatur Pausanias in Messeniacis, vbi longum & difficile fore inquit populos enumerare, qui Iouem apud se natum & educatum affirmarunt. Verùm cum Ioues plures extiterint, tū omnes Reges Ioues appellabantur antiquitus, vt ait Isacius his verbis, Δίας οἱ παλαιοὶ πάντας ἐκάλουν τοὺς βασιλεῖς: *Ioues Reges omnes vocarunt antiqui.* & Zezes in varia historia, τοὺς βασιλεῖς δ' αὐτίκα γε Δίας ἐκάλουν πάντας: *Reges autem olim Ioues vocarunt omnēs.* Ea causa factū illud est, quod Iupiter is qui primus ita fuit nominatus præclara in mortales beneficia, & in Athenienses præcipue contulit. Nā rudes adhuc populos legib. à se constitutis parere persuasit? certa matrimonia instituit? ferino more viuentes ad cultū Deorū erexit; omnia diuina prouidētia gubernari demonstrauit; arasq; & sacerdotes, & ceremonias illis instituit; qui cū Arcas esset, & obscuro loco natus pro animi virtutib. ignobilitatē corporis occultātes homines beneficiis affecti Ætheris illū & Diei filiū esse tradiderūt. quod ego nihil aliud significare voluisse crediderim, quā veritatis & sapientiæ. Vt igitur Cæsares omnes Romanorum Imperatores ad primi Cæsaris auspiciū vocati fuerunt, ita Ioues Reges omnes ad Iouis Arcadis auspiciū dicti sunt ab antiquis. Cum vero omnia postea & Arcadis & cęterorum eius nominis facinora vni Saturni filio Ioui tertio attributa sint à poetis, reliquis omissis, qui ortus & educatio ipsius extiterit, perquiramus. Scriptum reliquit Pausanias in Messeniacis, fontem fuisse in Ithomes iugo, cui nomen Clepsydræ, in quo ab Ithome & Neda nymphis nutricibus Iupiter, à Curetibus ob metum Saturno surreptus; lotus fuerit: atque cum Iouis incunabula Messenii sibi vēdicent, tum a furto Curetum fonti nomen datum, & à nutricibus fluuio & monti asserunt, sacraque solennia Ithomata in honorem ipsius Iouis apud se ostendere ad rē confirmandam solebant. Cum hæc scripsisset in rebus Messeniorum Pausanias mox in Arcadicis apud suos fontes fluuiū illum inquit, qui Cortinam prætei labitur, Lusium appellari, quod in eo Iupiter recens natus lotus fuisse credatur. Hæc loca non parum inter se distabant, cum Messene ciuitas esset nobilis Peloponnesi, non parum distans ab Arcadia, quæ à dextra Patras vrbem respiciebat & ipsam non ignobilem, à fronte sinum Naupactium: at Arcadia

prope esset in altera parte insulæ mari finitima. Mox idem Pausanias in Bœoticis, Saturno ereptum Iouem in Bœotia scribit, & supra Chæronæ mœnia præruptam esse montis crepidinem, qui mons vocatus est Petrarchus, vbi pro Ioue oblatum esse saxum Saturno à Rhea memorant; qui locus etiam non parum distat ab Arcadia, & à Messene non etiam parum. Neque credibile est nuper nati Iouis sanguinem, & reliqua immunda excrementa, quibus nascentes infantes operiuntur, in tam longinquis fontibus lota fuisse. qui si his non erat, vt cæteri cum nascuntur, inquinatus, quid opus erat omnino vel in Lusio flumine lauari? Sunt qui Thebis Bœotiæ natum esse Iouem autument, quod in his sensit Lycophron, apud quem Cassandra loquitur de Hectore, illa significans quæ erant illi euentura: vt est in his:

*σὺ δ᾽ ὦ ξυνόμαιμε πλεῖστον ἐξ ἐμῆς φρενὸς*
*στερχθεὶς, μελάθρων ἕρμα καὶ πάτρας ὅλης,*
*οὐκ εἰς κενὸν κρηπῖδα φοινίξεις φόνῳ*
*ταύρων, ἄνακτι τῷ τ᾽ Ὀφίωνος θρόνων,*
*πλείστας ἀπαρχὰς θυμάτων δωρούμενος.*
*ἀλλ᾽ ἄξεταί σε πρὸς γυνεθλίαν πλάκα.*
*Frater mihi dilecte mente plurimum,*
*Tutela sola qui solus & patriæ es,*
*Cruore taurino inquinabis crepidam,*
*Regi Ophionis sedium cum plurimas*
*Mactabis hostias. is inde duxerit*
*Petas vt eius ipse patrium solum.*

Fama est enim quod cum fames & annonę penuria cœli vitio Græciam occupasset, responsum datum fuit cessaturam eam calamitatem; si Hectoris ossa in Ophryno loco Troiæ iacentia in eam Græcam ciuitatem comportarentur, quæ Iouis esset patria, & ad Troiam non militasset. Hanc vrbem perquirentes solas Thebas Bœotiæ immunes fuisse ab ea militia inuenerunt. Atq; id patrium solum Iouis dictū est, quod is ibi natus esse à nonnullis credatur; vt testatur illud epigramma, quod adulans Thebanis dicit ibi esse Beatorum insulas, quamuis Thebæ non fuerint omnino insula;

*αἳ δ᾽ εἰσὶ μακάρων νῆσοι, τόθι περ τὸν ἄριστον*
*Ζῆνα θεῶν βασιλῆα Ῥέη τέκε τῷδ᾽ ἐνὶ χώρῳ.*
*Insulæ ibi fortunatæ sunt, regem vbi Diuûm*

Alma

*Alma Iouem peperit Rhea, qui nunc fulmina torquet.*

Alii in Creta Iouem natum & educatum fuisse dixerunt, vt testatur Lucianus in sacrificiis hoc pacto; οἱ δ' αὖ Κρῆτες, οὐ γενέσθαι παρ' αὐτοῖς: οὐδὲ ταφῆναι μόνον τὸν Δία λέγουσιν, ἀλλὰ καὶ τάφον αὐτοῦ δεικνύουσι: *Rursus autem Cretenses non solum natum esse apud se Iouem memorant, & sepultum, verum etiam sepulchrum illius ostendunt.* Illud etiam confirmauit Virg. lib. 4. Georgicorum vt patet ex eo carmine;

*Dictæo cœli regem pauere sub antro.*

Est enim Dicte mons Cretæ, vt ait Ptolemæus. Aiũt in Creta Ioui dato nutriendo cecidisse vmbilicum apud fluuium Tritonem, cui locus consecratus dictus est Omphalus, & propinqua planities Omphalium, cum Græci omphalon vmbilicum appellent. Hunc in antro Dictæi montis habitasse testatur Apollonius Rhodius ita lib. 1. Argonaut.

ὄφρα Ζεὺς ἔτι κοῦρος, ἔτι φρεσὶ νήπια εἰδὼς,
Δικταῖον ναίεσκεν ὑπὸ σπέος.

*Donec erat paruus, donec puerilia sensit*
*Iupiter, incoluit Dictæi montis in antro.*

Eundem Idæum appellauit Callimachus in hymno in Iouem, quod in Ida sit natus & educatus:

Ζεῦ σὲ μὲν Ἰδαίοισιν ἐν οὔρεσί φασι γενέσθαι,
Ζεῦ σὲ δ' ἐν Ἀρκαδίῃ.

*Iupiter Idæis aiunt te in montibus ortum,*
*Iupiter Arcadicis.*

Est enim Ida mons Cretæ, vt ait Dionys. in libello de situ orbis;

Κρήτη τιμήεσσα Διὸς μεγάλοιο τιθήνη,
πολλή τε λιπαρή τε, καὶ εὔβοτος, ἧς ὑπὲρ Ἴδη,
Ἴδη καλλικόμοισιν ὑπὸ δρυσὶ τηλεθόωσα.

*Creta Iouis magni nutrix veneranda, feraxq;*
*Et frugum & pecoris, nemorosa huic imminet Ida,*
*Ida frequens piceis & quercubus optima mater.*

Sic Virgilius lib. 3. Æneidos;

*Creta Iouis magni medio iacet insula ponto,*
*Mons Idæus vbi & gentis cunabula nostra.*

Qui igitur Cretensem Iouem crediderunt, ab eo monte Idæum appellarunt, vt illud:

*Idæumq; Iouem, Phrygiamq; ex ordine matrem.*

At qui in Arcadia Olympiũ, quia Lycæus dictus est Olym-

pus, vt ait Pausanias in Arcadicis, cuius vertex Sacrum Iugum vocatum est, quod ibi Iouem vulgo credunt fuisse educatum. Cum tantam igitur de Iouis patria contentionem videret Callimachus ita cecinit in Hymnis:

*πῶς καί νιν Δικταῖον ἀείσομεν, ἠὲ Λυκαῖον;*
*ἐν δοιῇ μάλα θυμὸς, ἐπεὶ γένος ἀμφιέρισον.*
*Dictaeum ne Iouem cantabimus, an ne Lycaeum?*
*Sum dubius genus est quando certamine plenum.*

Hunc igitur, quem hominum patrem & Deorum vocarunt, cum recens natus esset, quia oraculum cepisset Saturnus, fore vt è regno a filio pelleretur, vel quod ita conuenisset cum Titanibus, vt filios omnes è se natos occideret, statim conatus est inhumaniter, de medio tollere: sed cum Rhea, quam etiam Opim dixerunt, vt memoriae prodiderunt quidam, primum ipsa per aliquot dies clam educauit, sed cum diu se illum occultare non posse arbitraretur, Corybantibus, qui vocati sunt Curetes, & Dactyli Idaei, clam in Cretam transmittendum concessit: qui simulatis sacrificiis inter cymbalorum tympanorumq; strepitum infantis vagitum occultarunt Opis vero, quia Saturnus filios omnes de medio tollere conaretur, pro Ioue dicitur saxum fasciis inuolutum illi obtulisse; quod ille continuo deglutiuit, vt scripsit in Arcadicis Pausanias. Illud autem contigit paulo supra Chaeronae moenia, vt idem ait in Boeoticis. Atqui cum tantopere de Iouis patria dissentiant inter se antiqui cum tantopere de Iouis patria dissentiant inter se antiqui scriptores, non minor est nutricum numerum & controuersia quam de locis, in quibus sit educatus. Nam alii ab apibus educatum putarunt, vt ait Virg. lib. 4. Georg.

*Nunc age naturas apibus quas Iupiter ipse*
*Addidit, expeditam: pro qua mercede canoros*
*Curetum sonitus crepitantiaque aera secutae*
*Dictaeo coeli Regem pauere sub antro.*

Fama est ad eius beneficii memoriam quod Iupiter apum colorem mutauit in aureum, cum prius essent ferruginea. Aratus in Phoenomenis Iouem à capra nutritum fuisse asserit in his:

*αἲξ ἱερὴ, τὴν μέν τε λόγος Διὶ μαζὸν ἐπισχεῖν.*
*Sacra Ioui capra est, quod praebuit vbera paruo.*

Quod affirmauit etiã Lucianus in sacrificiis. Illa cum apud Olenum Boeotiae ciuitatem, vbi post Ægarum euersionem

condi-

conditum fuit Ægium, nutrita fuisset, Olenia dicta fuit, vt ait idem Aratus in eo carmine:

*Ὠλενίην δέ μιν αἶγα Διὸς καλέουσ' ὑποφῆται.*

*Oleniam Iouis altricem dixere capellam.*

Quam rem ita expressit Ouid. in secundo Fastorum:

*Olenia surget sidus pluuiale Capella,*
*Quæ fuit in cunis officiosa Iouis.*

Superius etiã de Neda & Ithome nutricib. Iouis mẽtionẽ fecimus, quas cõmemorauit Pausan in Messeniacis. Apollonius Rhodius de Adrastea Iouis nutrice meminit lib. 3. Arg.

*καί κέν τοι ὀπάσσαιμι Διὸς περικαλλὲς ἄθυρμα,*
*κεῖνο τό οἱ ποίησε φίλη τροφὸς Ἀδρήστεια*
*ἄντρῳ ἐν Ἰδαίῳ ἔτι νήπια κουρίζοντι.*

*Per pulchrum ludicrum istud munero, nutrix*
*Adrastea Ioui paruo quod præbuit ante,*
*Ideo latauit cum paruus conditus antro.*

Habuit enim præter supradictas Adrasteam & Idam nutrices Melissei filias ac sorores Curetum, à quibus sit educatus: cum Lactantius in libro de falsa religione ab Amalthea & Melissa filiabus Melissei Cretensium Regis caprino lacte & melle nutritum scribat. Apollodorus Atheniensis grammaticus libro 1. Bybliothecæ ab Adrastea & ita nutritum quidem scribit, sed lacte Amalthææ. Cicero in secundo de Diuinatione scriptum reliquit, castissime quodã in loco cultum fuisse Iouem, qui vna cum Iunone in gremio Fortunæ sedens mammam apprehenderet at Pausanias in Arcadicis nymphas quasdam nutrices Iouis nominare solitos Arcades inquit; Thisoam, Nedam, Hagno, quarum prima in Parrhasiorum finibus nomen dedit vrbi, secunda flumini, tertia fonti in Lycæo monte Arcadiæ, quæ mirum etiam donum a Ioue consecuta dicitur. Nam cum solum laboraret siccitate, re diuina rite peracta, mactatisque hostiis Lycæi Iouis sacerdos cum precatione ad quam conuersus ramum è quercu in summam aquam deiiciebat inde halitus ex fonte nebulæ similis tollebatur, atque obducto cœlo conuocatis nubibus Arcadum fines vberrimis, & optatis imbribus perfundebantur. Has in vrsas mutatas fuisse scribitur in commentariis in Apollonium Rhodium sed qua de causa, non inueni: ita enim scribitur ibi ταύτῃ σὺν τῇ χερρονήσῳ παράκειται Ἄρκτων ὄρος κυρίως οὕτω λεγό-

μῦθον, ἐπειδή φασι τὰς τροφοὺς τοῦ Διὸς ἐκεῖ διατελούσας εἰς ἄρκτους μεταβληθῆναι. *Hinc igitur Cherroneso mons adiacet, qui proprio nomine Vrsus appellatur, quoniam Iouis nutrices aiunt ibi degente, in vrsas fuisse mutatas.* Non defuerunt qui à columbis & aquila illum educatum fuisse arbitrati sint, vti testatur Maro in his:

Ζεὺς δ' ἄρ' ἐνὶ Κρήτῃ τρέφετο μέγας, οὐδ' ἄρα τίς νιν
ἠείδει μακάρων, ὁ δ' ἀέξετο πᾶσι μέλεσσι.
τὸν μὲν ἄρα τρήρωνες ὑπὸ ζαθέῳ τρέφον ἄντρῳ.
Ἀμβροσίην φορέουσαι ἀπ' ὠκεανοῖο ῥοάων.
Νέκταρ δ' ἐκ πέτρης μέγας αἰετὸς αἰὲν ἀφύσσων
γαμφηλῇ, φορέεσκε ποτὸν Διὶ μητιόεντι.
τὸν καὶ νικήσας πατέρα Κρόνον εὐρύοπα Ζεὺς
ἀθάνατον ποίησε, καὶ οὐρανῷ ἐγκατένασσεν.
ὣς δ' αὔτως τρήρωσι πελειάσιν ὤπασε τιμήν,
αἳ δή τοι θέρεος καὶ χείματος ἄγγελοί εἰσιν.

*Iupiter in Creta nutritur, eumq; Deorum*
*Nouerat haud vllus: crescunt cum corpore membra.*
*Hunc in spelunca sacra pauere columbæ,*
*Fluctibus oceani, ambrosiamq; tulere volantes.*
*Ast Aquila huic nectar de petra dulce quod hausit*
*Mox rostro sublime volans afferre solebat.*
*Hanc patri altitonans mox regno victor adempto*
*Esse immortalem voluit, cœloq; locauit.*
*Nec nullo timidas decorauit honore columbas*
*Agrestes, gens hæc hyemis sit nuncia & æstus.*

Sunt autem illæ quæ Liuiæ vocabantur, agrestes scilicet columbæ, à quibus Iupiter fuit educatus, atque ad tanti beneficii memoriam fuit aquila inter sydera collocata. Vtebatur Iupiter cum paruus esset eorundem Curetum tutela & familiaritate, quorum studio fuerat à Saturni voracitate protectus vt testatur Apollonius lib. 2.

——— ὁ δὲ Κρηταῖον ὑπ' ἄντρον
Ζεὺς ἔτι Κουρήτεσσι μετετρέφετ' Ἰδαίοισι.

*Inter Curetas Cretæo Iupiter antro*
*Idæos etiam tum nutriebatur.*

& Lucret. lib. secundo.

*Dictæos referunt Curetas, qui Iouis illum*
*Vagitum in Creta quondam occultasse feruntur.*

*Cum pueri circum puerum pernice chorea*
*Armati starent, pernice chorea*
*Armati in numerum pulsarent æribus æra*

Atque vt summatim rem colligamus, incertum adhuc est, & omni contentione plenum, vbi natus sit Iupiter, aut vbi, & à quibus educatus: ne'que quispiam eorum qui Deorum ortus & naturas inuestigarunt, quidpiam certi de loco aut educatione tradidit. Hic cum primum natus fuit, ab Opi matre, vt dictum est, Curetibus alendus in Cretam transmittitur: vt Eusebio placuit in Temporibus, etiam Creti, qui tūc imperabat in Creta, cōmendatur, & in Gnosso regia ciuitate educatur. Alij in Creta natum esse volunt, at non alibi natum eo transmissum; alij in Arcadia natum & educatum putarunt: alij Messenæ, alij alibi, quorum omnium longum esset opiniones recensere. Mox aiunt, cum occultandi vagitus gratia cymbala & timpana & alia tinnientia instrumenta pulsarētur, apes ad tinnitū aduolasse, & illum educasse: alij dicunt à nymphis alendū fuisse datū, alij capræ, alij vrsarum vbera suxisse. atq; tot de Iouis incunabilis memorantur. Atqui Cicero libro 3 de Natura Deorum principio tres inquit fuisse Ioues, ab ijs numeratos qui Theologi nominabantur, quorum primus & secundus in Arcadia nati sunt: primus patre Æthere, secundus Cœlo. At tertius Cretensis Saturnum patrem habuit. Mox cum ex primo Proserpinam & Liberum natos asseruisset, paulo post Dioscuros primos ex antiquissimo Ioue Athenarum Rege & ex Proserpina natos scribit: quare adductus sum vt alium fuisse Iouem etiam præter hos crediderim. Neque mirari conuenit, si tam varij ortus & educationes fuerunt de tertio Ioue traditæ, cum cæterorum omnium & ortus, & educationes, & res gestæ postea fuerint ad eundem à variis scriptoribus poetisq; præcipue delatæ, vt diximus. Sic nos, quæ cæterorum communia sunt poetarum secuti opiniones, huic vni concedentes, ea quo pacto instituimus persequemur. Iam vero cum adoleuisset Iupiter, & capra mortua esset, eius pellem ad perpetuam memoriam ad suū scutum accommodauit, & ob acceptum lactis beneficium inter astra Capræ signum retulit; scutumque Ægis à Græcis scriptoribus vocata est, cum αἴξ capram significet, de quo meminit Virg. lib.8.

*— Arcades ipsum*
*Credunt se vidisse Iouem, cum sæpe nigrantem*
*Ægida concuteret dextra, nimbosq; cieret.*

Atque Iupiter ipse dictus est Ægiochus, habens ægida scilicet, vt ait Homerus in lib. Iliad. ε.

κλῦθί μευ αἰγιόχοιο Διὸς τέκος Ἀτρυτώνη:
*Audi me Iouis Ægiochi Tritonia nata.*

Hic Iupiter duos habuit fratres, præter sorores, Neptunum & Plutonem, qui & ipsi per dolum fuerunt Saturni crudelitati subtracti. Fama est enim quod cum Titan maior natu Saturni frater cuperet imperare, Vesta & Opi & Cerere precantibus cessit frater de Regno: cum quo ita pactus est, ne vllum ex maribus filiis educaret, si quem habiturus esset, sed omnes necaret, ne Regem procrearet sibi successorem, vt saltem post ipsum ad se regnum perueniret. Saturnus igitur ea causa quicunque ex se nascerentur, vorabat, vt significauit Lycophron in his;

τὴν πρόσθ' ἄνασσαν ἐμβαλοῦσα ταρτάρῳ,
ἀδῖνας ἐξέλυσε λαθραίας γονῆς,
τὰς παιδοβρῶτις ἐκφυγοῦσ' ὁμευνέτου
θοίνας ἀσέπτους οὐδ' ἐπίανεν βορᾷ.
Νηδὺν, τὸν αὐτόπαιστον ἐκλάψας πέτρον,
ἐν γνωκόλλοις σπαργάνοις εἰλημμένον,
Τύμβος γεγὼς κέντωρος ὠμοφρῶν σπορᾶς.

*Regina prima pulsa ad ima tartari est,*
*Mox ipsa partus à dolore soluitur*
*Clam quod videre coniugis conuiuia*
*Nefanda nollet, inuolutum fasciis*
*Saxum ille deglutiuit. haud fit pinguior,*
*Crudis epulchrum quod sit ipse filius.*

Quod autem id fieret per iuramentum, patet ex illis Sibyllinis versibus, in quibus declaratur Titanes parturienti Iotheæ semper assistere solitos: quod iuramentum datum fuit Saturno antequam susciperet imperium:

ὅρκους δ' αὖτε Κρόνῳ μεγάλους Τιτὰν ἐπέθηκε,
μὴ θρέψ' ἄρσενα καὶ παίδων γένος, ὡς βασιλεύσῃ
αὐτὸς, ὅταν γῆρας τε Κρόνῳ καὶ μοῖρα πέλῃται.
ἐκ κόσμου δ' ἐκπέσῃ, παρὰ τὴν δ' ἐκάθηντο
Τιτῆνες, καὶ τέκνα διέσπων ἄρρενα παῖδα.

Conceptis

*Conceptis verbis Titan iurare coegit*
*Saturnum, de se natum ne nutriat vllum,*
*Quo possint regnare senis post fata nepotes.*
*Cum paritura foret Rhea, tum Titania pubes*
*Assedit marium lacerans crudeliter artus.*

Mox cum sensisset Titan clam Saturni filios contra iusiurandum, legesque capti imperij, educari, ipse vna cum Titanibus filiis ira exarsit, atque Saturnum & Opim comprehensos in vincula & in custodias conijciunt. Hæc vbi per nuncios accepisset Iupiter, collecta magna militum Cretensium, externorumque ibi exulantium manu, ad liberandos parentes è vinculis quam citissime traiecit, Titanibusque primo impetu debellatis patrem in regnum restituit, vt ait Lactantius in libro de falsa religione. Sed huic antequam in bellum exiret sacrificanti in Naxo augurium futuræ victoriç aquila dedit: quare illam sibi sacram auem, in posterum esse voluit, & in reliquis expeditionib. aquilæ effigiem pro signis militaribus habuit. Hic idem Iupiter cum ad Cecropas, genus hominum fallax ac plane dolosum aduentasset in insulam Inarimen, siue ad Arimos populos illos ad stipendia inuitauit, cum patrem è regno esset eiecturus. illi acceptis stipendiis data fide ac iuramento obstricti mox retentis stipendiis Iouem subsannabant, cum plurib. fraudibus in omnes vterentur: Iupiter periuriis indignatus hos in simias cõuertit, insulamq; Pithecusas appellauit, vt ait Callimachus in insulis. Verum post eam victoriã cum Saturnus responsi oraculi meminisset, vt sibi à filio caueret; futurum n. vt ab eo è regno pelleretur, Ioui insidias parare clã cœpit: quib. patefactis per vnum è familiaribus, rursus Iupiter expeditionẽ suscepit, collectaq; priorum militum manu patrem de regno deiecit, laneoq; vinculo ligauit, & in tartarũ deiecit vt ait Agathorymus in Perside, cũ regnandi cupiditate iam arderet, & superiores res fœliciter gestæ ad id faciendum facile inuitarent. Nulla sunt enim vel naturæ vel amicitiç vel beneficentiç satis firma vincula, vbi maiestatis & imperandi furiosum desiderium inuaserit: illa omnia siquidem facillime conculcantur & proternuntur. Cum patrem igitur captiuum fecisset Iupiter primum, dicitur virilia membra illi falce eadem amputasse, quas ille Cœlo patri amputauerat, quæ postea iacta fuit

in insulam Phæaciam non procul à Corcyra: quod etiam significauit Lycophron in Cassandra in his:

*νῆσον δ' εἰς Κρόνῳ συζευγμένην*
*Ἅρπην περάσας,*
*Saturno vt inde venerit in insulam*
*Drepanum inuisam.*

Nam Corcyram insulam, vbi Saturnum secuit Iupiter, ab eo tempore nominarunt Drepanum, vt ait Isacius. Ex eius virilibus membris amputatis, & in mare deiectis, & è spuma maris, dicitur nata esse Venus, quæ in concha marina in Cyprium nauigauit. Fabulati sunt antiqui post fugatum per arma Iouis è regno Saturnum, Apollinem victoriam Iouis carminibus ad citharam cecinisse purpurea toga decorum & coronatum lauro, mirificeque Deos omnes qui accubuerant in conuiuio, delectauisse; vnde sumpserunt originem epinicia: quod innuit in secundo libro elegiarum Tibullus in his;

*Sed nitidus pulcherque veni nunc indue vestem*
*Purpuream longas nunc bene necte comas,*
*Qualem te memorant Saturno rege fugato*
*Victoris laudes tunc cecinisse Iouis.*

Saturno igitur paulo post è vinculis fugiente, & ad Ianum Latij regem in Italiam profecto, Iupiter ipse regnum occupauit: quod ita innuit Virg. lib. 8.

*Primus ab æthereo venit Saturnus Olympo,*
*Arma Iouis fugiens, & regnis exul ademptis.*

Ferunt Iouem Vestæ proposuisse, per quã adeptus erat imperium, vt quod mallet eligeret: at hanc prius virginitatem poposcisse, deinde primitias omnium quæ Diis offerrẽtur ab hominibus. Enimuero placidissima omnia, & ab omni insidiarum genere libera sub Saturni administratione, atq; adeo ætas aurea fuisse dicitur, cum Ioue regnum obtinente omnes difficultates humanum genus inuaserint: nam

*Ante Iouem nulli subigebant arua coloni.*
*Nec signare quidem, aut partiri limite campum,*
*Fas erat: in medio quærebant, ipsaque tellus*
*Omnia liberius nullo poscente ferebat.*
*Ille malum virus serpentibus addidit atris,*
*Prædarique lupos iussit, pontumque moueri.*

Quod equidẽ nihil aliud significare crediderim, nisi latronibus

nibus & sceleratis hominibus concessam fuisse licentiam multa iniqua faciendi, quibus sociis & adiutoribus in occupando regno paterno vsus fuerat, cum bellorum licentia multos huiusmodi homines alere consueuerit, sicut pax legibus omnes obedientes facit. Quid enim aliud est aurea ætas, quam communis omnium libertas in ciuitate bene legibus instituta; cũ feræ cum domesticis animalibus cum canibus lepores scilicet, agni cum lupis, & cetera huiusmodi impune versantur? nam pacis tempore viri boni inter sicarios & impuros latrones legum patrocinio sunt tuti, nisi iudices ipsi propter auaritiam fiant latrones, aut propter desidiam viros bonos vexari æquo animo patiantur. id significare voluisse antiquos testatur Tibul. lib. 1.

*Nunc Ioue sub domino cædes & vulnera semper:*
*Nunc mare, nunc lethi mille repente viæ.*

Neque tamen Iupiter, qui regno per vim potitus fuerat, insidiatoribus caruit: exemplum enim dederat posteris quo pacto regnȧ per vim sint occupanda. Ægæon igitur Iouis exemplo inuitatus vna cum cæteris Gigãtibus illum è Regno depellere conatus est: cui centum manus erant, capita quinquaginta, & magnitudine corporis reliquos omnes mortales antecellebat, ignemque ex ore eructabat, vt testatur Virg. lib. 10.

*Ægæon qualis, centum cui brachia dicunt,*
*Centenasq; manus quinquaginta oribus ignem,*
*Pectoribusq; arsisse: Iouis cum fulmina contra*
*Tot paribus streperet clypeis, tot stringeret enses.*

Quem idcirco sub Ætnam montẽ fuisse à Ioue fulmine detrusum fabulãtur, qui quoties latus moueret, Ætna flãmas ingentes eructaret, vt ait Dallimachus in lauacrum Deli;

ὡς δ' ὁπότ' αἰτναίου ὄρεος πυρὶ τυφομένοιο
σείονται μυχὰ πάντα, κατουδαίοιο γίγαντος
εἰς ἑτέρην Βριαρῆος ἐπωμίδα κινυμένοιο,
θερμαῦστραί τε βρέμουσιν ὑφ' Ἡφαίστοιο πυράγρης,
ἔργα θ' ὁμοῦ.

*Monte sub Ætnæo veluti cum conditus olim*
*Perpetuis flammis vsto vult vertere fissum*
*Ipse Gigas Briareus latus, interiora mouentur,*
*Fornacesque fremunt Vulcanis forcipe massam*
*Vertit, opusque simul.*

Quamuis omnes hi venti sunt, & ventorum natura fabulose ita explicata, vt suo loco dicetur: paucis tamen ante diebus idem Briareus Ioui aduersus Palladem & Iunonem, & Neptunum, & reliquos Deos, qui in Iouis Tyrannidem coniurarant, fuerat auxilio, vt testatur Homer. in 1. libr. Iliad.

*ὁππότε μιν ξυνδῆσαι ὀλύμπιοι ἤθελον ἄλλοι,*
*Ἥρη τ', ἠδὲ Ποσειδάων καὶ Παλλὰς Ἀθήνη.*
*ἀλλὰ σὺ τόνγ' ἐλθοῦσα θεὰ ὑπελύσαο δεσμῶν,*
*ὦχ' ἑκατόγχειρον καλέσασ' ἐς μακρὸν ὄλυμπον,*
*ὃν Βριάρεων καλέουσι θεοί.*
*Cum vincire Dei reliqui voluere tonantem,*
*Et Iuno & Pallas Neptunusque, inde tu ad illum*
*In cœlum Briareum, superi sic nomine dicunt,*
*Centimanum arcessens soluisti fortia membra.*

Hunc ideo vna cum Gyge & Corto Iouis custodes ac satellites Hesiodus nominauit in Theogonia in his:

*ἔνθα Γύγης Κόττος τε καὶ ὁ Βριάρεως μεγάθυμος*
*ναίουσιν, φύλακες πιστοὶ Διὸς αἰγιόχοιο.*
*Hic cotusque Gygesque colunt simul & Briareus:*
*Custodes Iouis æterni, quæ pectora fida.*

Hic igitur Iupiter subactis nationib. Orientis, pluribusq; viribus se semper adiungētibus, vt mos est in prosperis successibus, Reges nonnullos regionum instituit: quare dictum est in Hymnis Homericis:

*ἐκ γὰρ τοι Μουσέων καὶ ἑκηβόλου Ἀπόλλωνος*
*ἄνδρες ἀοιδοὶ ἔασιν ἐπὶ χθονὶ καὶ κιθαρισταί.*
*ἐκ δὲ Διὸς βασιλῆες.*
*Cantorum Musis, & Phœbo munera cura,*
*Qui tractant plectro cithara aut pollice chordas:*
*Ab Ioue sunt Reges.*

Mox ad cæteras nationes cū maxima accessione virium penetrans vniuersum prope terrarum orbē perdomuit & subiugauit Tū Regibus illis qui ab ipso fuerunt instituti, & parendi sibi, & subditis nationib: imperandi leges tradidit: nā dictus est Iupiter primus Cretensibus æquitatis leges & iniurias ostēdisse, qui eos reuocauit à violentia, persuasitq; vt iudicio & subsellijs, nulloq; animorū motu exagitatis iudicibus, res cōmitterent diiudicandas deinde prædones cum peragrauit orbem terræ, puniuit, æquitatē & iustitiam vbi-

que

que introducens. inde dictus est Gigantes interemisse, quorum dux erat Typhon, qui aduersus Deos vel iustitiam insurgerent in Pallene Macedoniæ & in Phlegræis campis Italiæ, qui deinde dicti sunt Cumæi. idem ad iustitiam viris bonis honores & magistratus & præmia & præfecturas tribuit: quare vt principi sempiterno imperio digno diuinos honores illi tribuerunt cæteros principes ad imitationem inuitantes. quare scite scriptum est ab Homero in 1. Iliad.

*ἐν παλάμῃς φορέουσι δικασπόλοι, οἵτε θέμιστας*
*πρὸς Διὸς εἰρύαται.*

*In manibus gestant dentes iura Pelasgi*
*Qui leges hausere Iouis.*

Nam cum Saturni tempore ante Iouem homines carnibus humanis vescerentur, Iupiter vetuit ne quis eo cibo vteretur, & ab humanis carnibus ad glandes conuertit; quæ arbor, vt ab eo primum monstrata, consecrata illi creditur. Post orbem subiugatum cum duo fratres illi ab insidiis patris superessent, quos ita recensuit Hom. lib. 15. Iliad.

*τρεῖς γάρ τ' ἐκ Κρόνου εἰμὲν ἀδελφεοί, οὓς τέκε Ῥέα*
*Ζεὺς, καὶ ἐγώ· τρίτατος δ' Ἀΐδης ἐνέροισιν ἀνάσσων.*

*Tres Rhea Saturno fratres nos edidit: vnus*
*Iupiter, alter ego, & defunctis qui imperat vmbris.*

Inter hos vniuersus terrarum orbis ductis sortibus cõmuni consensu, cum communibus etiam armis subiugassent, diuisus fuit: atque mare Neptuno, inferorum imperium Plutoni, cœlum Ioui obtigisse dicitur, vt est apud Homerum in his carminibus:

*τριχθὰ δὲ πάντα δέδασται, ἕκαστος δ' ἔμμορε τιμῆς.*
*ἤτοι ἐγὼν ἔλαχον πολιὴν ἅλα ναιέμεν αἰεὶ*
*παλλομένων· Ἀΐδης δ' ἔλαχε ζόφον ἠερόεντα·*
*Ζεὺς δ' ἔλαχ' οὐρανὸν εὐρὺν, ἐν αἰθέρι καὶ νεφέλῃσι.*

*Omnia sunt partes in tres diuisa, & honorem*
*Quisque suum cepit mihi parent æquoris vndæ:*
*At tristis Pluto defunctis imperat vmbris:*
*Mox æther, cœlumque Ioui conceditur altum*

Atque cum istud factum fuerit in Creta, vt quidã tradiderũt, locus vocatus est Claros ἀπὸ τοῦ κεκληρῶσθαι, à sortiendo scilicet. Hæc fabulose de Ioue dicta sunt primũ à poetis qui vt potentiorũ gratiã aucuparentur, nihil sibi non mentiri

licere arbitrari sunt. Non est illud credendum, quod cœlum, ac mare & inferorum locos ita diuiserint, sed magis rationi conuenit id quod scribitur à Lactantio in libro de falsa religione his verbis; Ergo illud verum est, quod orbem terræ ita partiti sunt, vt orientis regio Ioui cederet, Plutoni pars occidentis obtingeret, at Neptuno maritima omnia cum insulis obuenerunt. Sic cum orientis regio, vnde lux mortalib. exoritur, superior sit, occidētis inferior dicitur inferorū imperium habuisse Pluto, at cœli Iupiter. qui cum ambitiosus esset supra modum, gloriamque & existimationem plurimam sibi apud homines comparare vellet, effecit vt magna cum reuerentia coleretur. quare illi Pudorem assessorem addidit Sophocles in OEdipode in Colono:

> ἀλλ' ἔστι γὰρ καὶ Ζηνὶ σύνθακος θρόνων
> Αἰδὼς ἐπὶ ἔργοις πᾶσι.
> *In omnibus rebus Ioui sed assidet*
> *Pudor, thronosque seruat*

Et quoniam nulla esse potest vera in malos homines reuerentia, ac vix simulata quidem, in eadem tragœdia Æquitatem quoque illi assidere facit idem poeta.

> ——— εἴπερ ἐστὶν ἡ παλαίφατος
> Δίκη σύνεδρος Ζηνός.
> *Vetusta si Ioui assidet modo Æquitas.*

Fama est quod Metim Oceani filiam vxorem duxit Iupiter, vt scriptum reliquit Atheniensis Apollodorus lib. 1. Bibliothecæ. Illa vt aiunt, pharmacum postea bibendum Saturno præbuit, quo ille prius lapidem, deinde vocatos filios euomuit: quod tamen factum fuit antequam filio Saturnus insidias pararet, aut de regno pelleretur quibus auxiliaribus postea vsus est aduersus Saturnum & Titanes. Mox cum decimo eius belli anno Tellus victoriam Ioui vaticinata esset, si in tartarum deiectos sibi socios assumeret. is Campe custode cæsa illos è vinculis liberauit, atq; ita ijs adiuuantib. victoria dicitur fuisse potitus. Neque minus ridiculum, ac monstro simile est illud, quod dicitur, quod Iupiter Metim vxorem, quam primum duxit, vt ait Hesiodus:

> Ζεὺς δὲ θεῶν βασιλεὺς πρώτην ἄλοχον θέτο Μῆτιν.
> *Vxorem primam Metim sibi Iupiter addit:*

grauidam factā deglutiuit, vt scripsit Ioannes Diaconus his verbis

verbis: *καὶ ἔγκυον ταύτην ποιησάμενος, κατέπιεν αὐτὴν ἵνα μὴ ἄλλος τις τῶν θεῶν ἀποκυηθείη παρ' αὐτῆς ἀναιδὴς καὶ ἀπείθαλος*: *quam cum grauidam fecisset, deglutiuit, ne quis alius Deorum nasceretur ex ea impudens ac fatuus.* Ex eo cibo mox ipse Iupiter pro vxore grauidus factus Palladem armatam è capite peperit quod quidem monstrum tantopere contra naturæ consuetudinem fictum, nescio quo pacto primum æquis animis perferri potuit, neque fuerit cum maximo omnium risu explosum; quippe cum mendacia & res supra credulitatem fictæ soleant etiam veris & probabilibus plerumque fidem detrahere. Postea Themim duxit, vt quidã tradiderunt, ac tertiam, quam cepit in regione Gnosia apud fluuium Therenum. Vxorem postea duxit Iunonem, quam semper tenuit, neque vt primam deglutiuit. Huius filiæ dicuntur fuisse Preces, sicut ait Orpheus in Argonaut.

*—— οὐ γὰρ ἄτιμοι*
*ἱκεσίαι Ζηνὸς κοῦραι Λιταί.*

*non sine honore*
*Conuenit esse Preces Iouis alto è semine natas.*

Hoc autem fictum est, quia reges & potentiores homines magna semper rogantium aliquid frequentia circumsistit. Enim vero ita ab ipsa natura comparatum est vt animus hominum, sicuti sunt res omnes humanæ, nunquam in eodem statu consistere possit: qui nisi honorificis studiis teneatur, ad omnia vitiorum genera maxime fit propensus, quod etiam prę̨stantioribus maxime conuenire necesse est. Nam sicuti fertilissimus optimarum frugum ager, si cultura hominum, & semina vtilia desint, eximiam spinarum, & vrticarum, & inutilium herbarum copiam alit; neque nihil omnino potest producere: sic animum nostrum, vbi cessauit honesta virtutum exercitatio, tanto maiora vitia & scelera aggrediuntur, quanto maioribus virtutibus antea poterat exornari. Iupiter igitur qui terrarum orbe per imperatorias virtutes potius fuerat, post insignes populorum victorias totus in libidines & in conuiuia vertitur: neque vlla fuit formosa mulier, quam quidem viderit, à qua abstinuerit, vt testatur Apollonius Rhodius lib. 4. Argon.

*οὕνεκεν οὐκ ἔτλης εὐνῇ Διὸς ἱεμένοιο*
*λέξασθαι. κείνῳ γὰρ ἀεὶ τάδε ἔργα μέμηλεν,*
*ἠὲ σὺν ἀθανάταις ἠὲ θνητῇσιν ἰαύειν.*

*Aspernata Iouis quod lectum sis cupientis.*
*Semper enim cura est illi subiungere Diuas,*
*Fœmineos ve cupit complexus munera amoris.*

Neque sorori suę sane pepercit, cuius concubitum cum palam petere non auderet, se in cuculum vertit, (natura enim videbatur illum ab eo illegitimo desiderio deterrere) & in Corinthiorum agrum ad collem qui ea de causa Coccyx vocatus fuit, aduolauit. Nam illius nutu, vt fertur, maxima cœli tempestas exorta est, quare Iuno in collem Thronacem tunc dictum conscendit: tum cuculus ille tremens super genibus eius considit, cuius illa miserta, ob frigoris enim iniuriam tremere existimabat, sub vestibus texit: qui postea Iupiter factus illam vitiauit, vt aiunt nonnulli, alii dicunt non prius sororem compressisse, quam promiserit matri se vxorem illam ducturum quod & postea fecit, vt testatur Pausanias in Chorinthiacis. At vero quam gloriosa sint illa trophæa, quæ ipse ambitiose commemorauit apud Homerum, lib ξ. Iliadis, videamus. Neque omnia tamen Græca carmina hic scribenda putaui, cum omnibus sint in promtu, sed sententiam Latinis carminibus expressi. sic enim illa incipiunt;

Τὴν δ' ἀπαμειβόμενος προσέφη νεφεληγερέτα Ζεύς.
Ἥρη κεῖσε μὲν ἔστι καὶ ὕστερον ὁρμηθῆναι.
*Iupiter altitonans sic est huic inde locutus:*
*Huc iterum redijsse licet Iuno. Ipsi at amore*
*Iungamur, Dea nulla inquam vel fœmina mouit*
*Corda mihi tantum quantum nunc vris amore:*
*Non cum Pirithoum Ixionis vxor.*
*Non Danaæ peperit quæ mox mihi Persea clarum,*
*Non Europa tulit præstantem Rhadamanthum,*
*Et Minoa: nec aut Semele, aut Alcmena ferocem*
*Altera cum genuit Alciden altera Bacchum:*
*Nec me flaua Ceres, nec me Latona nec ipsa*
*Mouisti tantum, quantum nunc vris amore.*

Hic idem Deus cum Ledam Tyndari regis filiā vitiare conaretur, dicitur in cygneum esse conuersus, atq; cum aquilam se insequi fecisset, dicitur præ timore deterritus, vt simulabat, confugisse ad Ledam, vt illius misertæ ope protegeretur, atque ita illam decepisse. ex quo concubitu Leda duo oua peperit, quippe quæ cum aue concubuisset: è quorum

rum altero gemini pulli nati ſunt Pollux & Helena, ex altero gemini item Caſtor & Clytemneſtra: ad cuius præclaræ rei memoriam dicitur cygnus inter aſtra eſſe collocatus, qui iuxta Cephei dextram manum conuoluitur, vt ait Aratus Solenſis in Phænomenis;

ἥ τοι γὰρ καὶ Ζηνὶ παρατρέχει αἰόλος ὄρνις

*Cum Ioue formoſa & cum cœlo voluitur ales.*

Et paulo poſt; Αὐτὰρ ὅγ' εὐδιόωντι ποτὴν ὄρνιθι ἐοικὼς,

οὔριος εἰς ἑτέρην φέρεται κατὰ δεξιὰ χειρὸς Κηφείου.

*Hæc ales volucri ſimilis tranquilla volanti*

*Dextera petit Cephei.*

Quod etiam planius explicauit Euripides in Helena his carminibus:

——— ἐστὶ δή

λόγος τις, ὡς Ζεὺς μητέρ' ἔπτατ' εἰς ἐμὴν

Λήδαν, κύκνου μορφώματ' ὄρνιθος λαβών.

ὃς δόλιον εὐνὴν ἐξέπραξ' ὑπ' αἰετοῦ

Δίωγμα φεύγων, εἰ σαφὴς οὗτος λόγος. *fama eſt enim*

*Quod Iupiter volauit ad matrem meam*

*Ledan, oloris alitis forma obſitus.*

*Fugaque ficta quod volucris nuncia*

*Iouis ſit inſecuta mox compreſſit hanc.*

Sed quid opus pluribus? Lucianus iure optimo ſane in dialogo de Mercurio & Sole Iouem exagitat vt adulteriorum autorem, cum ante illum Saturni tempore magna eſſet temperantiæ & pudicitiæ dignitas & exiſtimatio, vt ſignificauit Iuuenalis in Satyra ſexta ita ſcribens;

*Credo pudicitiam Saturno rege moratam*

*In terris, viſamque diu, cum frigida paruas*

*Præberet ſpelunca domos, ignemq; laremq;.*

Nam cum diuitiis & omnium commodorum facultate deſidia, & remiſſio animi, & libido naſci conſueuit. quare ſcite dictum eſt ab eo Oratore; πλοῦτος, γὰρ κακίας μᾶλλον ἢ καλοκἀγαθίας ὑπηρέτης ἐστίν: *diuitiæ ſcilicet improbitatis potius quam probitatis ſunt miniſtra.* idcirco elegans illud in Iouem dictum fuit eius poetæ, qui ita nonnulla Iouis adulteria connumerauit:

Ζεὺς κύκνος ταῦρος, σάτυρος, χρυσὸς, δι' ἔρωτα

Λήδης, Εὐρώπης, Ἀντιόπης, Δανάης.

*Fit taurus, cygnus, Satyruſque, aurumq; ob amorem*

*Europa, Ledes, Antiopa, Danaes.*

Suscepit filios Iupiter ex Europa, à qua dicta est pars tertia mundi, Minoem ac Rhadamanthum, Arcadem è Calisto, Pelasgum è Niobe, Sarpedonem & Argum ex Laodamia Herculem ex Alcmena vxore Amphitryonis, Taygetum è Taygete, à quo mons dictus fuit, & Saonem à quo Sauona quamuis eum Mercurio quidam tribuunt, Amphionem & Zetum ex Antiope, Castorem & Helenam & Pollucem & Clytemnestram è Leda; Perseum è Danae, Deucalionem ex Iodama, Britomartim è Carme Eubuli filia, Megarum ex vna Sithinidum nympharum, Æthlium patrem Endymionis è Protogenia? & Epaphus eius filius fuit ex (Ioue, Memphis Ægyptiæ conditor, qui coniugem habuit Libyā à qua regio Africæ dicta est. Æginam quoque in insulam desertam è regione agri Epidaurii portauit Asopi filiam, quæ insula cum prius OEnope vocaretur, postea dicta est Ægina & habitata, vt ait Callimachus de conditis insulis. Et Arcesilaus & Carbius è Torrebia, & Colaxes ex Ora, & Cyrnus è Byrno, de cuius nomine dicta est insula, cum antea Therapne diceretur, & Dardanus ex Electra, qui profugus à patria in locis Hellesponto proximis Dardanum vrbem condidit, vniuersamque regionem Dardaniam appellauit, vt ait Archelaus in lib. 12. de fluminib. & Palici fratres è Thalia, quæ cum se grauidam è Ioue cognouisset, verita Iunonis indignationem optauit sub terram occultari. at partus tempore terra reclusa, cum Thalia tamdiu latuisset, duo pueri non procul à Catanis eruperunt, ex quo locus factus est summæ venerationis apud incolas, vti scripsit Heraclitus Sicyonius in 2. de lapidib. & Hiarbas è Garamantide, & Phyleus & Pilumnus, qui primus vsum pinsendi frumenti adinuenit, & Preces, & Titias, & Proserpina, & alii cōplures Iouis filii nati esse dicūtur ex variis adulteriis, quos omnes numerare longū sane esset opus. Quam.n.in formā non mutatus fuit Iupiter, vt optatis amorib. potiretur? aut quis formosioris mulieris maritus domo securus discedere poterat? quam multas dolo vitiauit? quā multas stuprauit? quam multas extra patriam asportauit? quid? num fuit is innumerabilium prope fœminarum complexibus contentus? nonne Ganymedem pulcherrimum suæ ætatis adolescentem in deliciis habuisse creditus est? tot impuris sceleribus

bus

bus Iouis vita dicebatur fuisse contaminata, quem tamen Deum appellare plerosq; non puduit. at hic tamen & optimus & maximus, vt ait Cicero in secundo de natura Deorum, & in oratione pro domo sua; dictus fuit: quo nihil minus meruit. Tanta igitur fuit ambitione, quanta nemo per omnes ætates inuentus est, aut inuenietur; quare alii ipsius iussu, alii vt eius gratiam aucuparentur, templa & altaria Ioui instituerunt, & sacerdotes, & proprios ceremoniarum ritus. Neq; id mirabile debet videri, cum multis etiam Romanis Imperatoribus per tot simulatarum religionum annos aræ erectæ fuerint post mortem, & sacerdotes instituti, & publicæ ceremoniæ, & per illorum nomen iurare, & multa alia ad diuinitatem spectantia. Huius ambitionis præclarum habeo testimonium Attæ cædem, qui cũ Phrygius pastor esset, & inter pascendum matris Deorum laudes cantaret, & ab illa mirifice amaretur, idcirco diceretur, id Iupiter ægre ferens palam quidem occidere ob matris reuerentiam deuitauit, at aprum per dolum ille dictus est in fabulis immisisse, à quo Attes fuit dilaniatus, vt ait Nicandri interpres, quod est in Alexipharmacis;

——— ἧχί τε Ῥείης.
Λοβρίνης θαλάμαι τε, καὶ ὀργαστήριον Ἄττεω.
——— hic Rhea vbi sunt
*Lobrinæ thalamiq;, Attæq; ergastula prisca.*

Quanquam Hermesianax elegiorum scriptor Atten Calai Phrygis filium ad suscipiendam sobolem inutilem factũ ab ipsa Dea scripsit; qui cum adoleuisset, magnæ matris ceremonias in Lydia monstrauit quare tãto in honore fuisse apud Deã dicitur, vt, Iupiter illud grauiter ferens immanẽ aprum in segetes Lydorum immiserit, à quo & alii Lydorũ complures, & ipse Attes fuerit interẽptus. fama est præterea Atten in Arborem pinum ab ipsa Dea conuersum fuisse. quare pinus matri Deum fuit consecrata: quam Deam terram quidam putarunt, quamobrem vestem ex herbis & ramusculis arborum texuerunt, clauemq; tribuerunt, quia clausa sit per hyemem, ac verno tempore aperiatur, & idcirco illi porca prægnante sacrificabatur vt animali fœcũdo. At vero quid? non ne maximum ambitionis indicium est, quod scribitur à Lactantio in lib. de falsa religione quod in Olympo monte plerunque versabatur, omnesque

propositis præmiis, qui nouum aliquod inuentum humano generi vtile excogitassent, inuitabat, vt ad se primum deferrent: cuius ipse inuentor postea creditus est; & idcirco huic, vt multis præterea rerum vtilium inuentoribus, diuini honores sunt habiti. Quod vero in Olympo monte præcipue habitaret, scripsit ita Pindarus in Olympiacis:

*ἀλλ' ὦ Κρόνιε παῖ Ῥέας,*
*ἕδος Ὀλύμπου νέμων.*
*Sed ô Saturni fili & Rheæ,*
*Solum colens Olympi.*

Hic quot annos imperauerit, nemo prorsus coniectura assequi potest: quoniam non mortuum esse contendunt antiqui. at quod ad grandiorem ætatem peruenerit, & ad canitiem, facile ex eo coniicere licet, quod scriptum est à Luciano in sacrificiis, quia cum multorum Deorum formam describat solum Iouem id præcipuum habere dicit, quod sit barbatus. In concilio præterea Deorum cornua etiam illi iunxit arietis. colebatur Ammonius Iupiter in Libya, quem diuinatorem appellabant sub arietis forma, vt in his declarauit Phæstus ille qui res Macedonicas conscripsit:

*Ζεῦ Λιβύης Ἄμμων κερατηφόρε κέκλυθι μάντι.*
*Iupiter hac Ammon audi cornute Libumque*
*Vates.*

Hunc mortuum tamen & sepultum fuisse in Creta constat eiusdem Luciani testimonio, quia ita scribit: *οἱ Κρῆτες οὐ γενέσθαι παρ' αὐτοῖς, οὐδὲ ταφῆναι μόνον τὸν Δία λέγουσιν, ἀλλὰ καὶ τάφον αὐτοῦ δεικνύουσι. Cretenses non solum natum apud se, & sepultum Iouem testantur, sed etiam sepulchrum eius ostendunt.* Scriptum reliquit in suo Ancorato Epiphanius suis quoque temporibus in Iasio monte Cretæ sepulchrum Iouis monstrari solitum; quod etiam affirmat Callimachus in hymnis;

*Κρῆτες ἀεὶ ψεῦσται· καὶ γὰρ τάφον ὦ ἄνα σεῖο*
*Κρῆτες ἐτεκτήναντο· σὺ δ' οὐ θάνες, ἐσσὶ γὰρ αἰεί.*
*Cretes mendaces semper rex alme sepulchrum*
*Erexere tuum; tu viuis semper, & usque es.*

Post Iouis huius obitum tanta fuit eius nominis apud omnes nationes celebritas & reuerentia, vt nemo postea vocatus sit Iupiter; vel si qui vocati fuerunt, eius rerum gestarum memoria obruti, obscuri, minimeque illustres fuerint. Illud non

parum

parum miratus sum quo pacto ex oculis hominum Iouem euanuisse dicant nõnulli, qui illum in humanis fuisse affirmarunt, & postea sempiternum in cœlo regnantẽ collocarunt, cum neque mortuum fuisse inquiant, neq; viuum in cœlum aliquo vehiculo asportatum: cum nihil prorsus diuinum in illo extiterit, vt patuit è multis eius sceletib. hactenus à nobis demonstratis. Cœpit igitur non multo post audire mortalium vota, & ad multorum sacrificiorum cõuiuia fuit inuitatus, vt fumantium patinarum nidoribus exsaturaretur. quid igitur? inter infinitum votorum numerum si cui fortuna aspirasset, vt voti fieret compos, is à Ioue se id consecutum ratus, continuo aras & templa erigebat, & ab eo euentu, vel à loco in quo id euenisset, cognomen Ioui iniungebat. Is colebatur apud Eleos Muscarius, quia Hercule mactante & porriciente, magna quæ aderat muscarum copia Iouis opera trans Alpheum auolauerit, vt asserit Pausanias in prioribus Eliacis. Sic cum diuturna siccitate aliquãdo laboraret Græcia vniuersa, missi sunt in Delphos qui ab oraculo causam & remedium calamitatis sciscitarentur: quibus responsum fuit Iouem placari ab vniuersa Græcia oportere, atque vti deprecatore Æaco Ille Panellenio Ioui (sic enim appellauit) sacris rite peractis, ac nũcupatis votis Græciæ vberrimam imbrium copiam impetrasse dicitur, vt ait idẽ in Corinthiacis. Sed quis est adeo fatuus, qui nesciat post diuturnam siccitatem mitti solitos esse imbres; aut contra? quid opus fuit Iouem illum minime audientem iis precibus fatigare? si quoties vana & irrita fuerunt Iouem precantiũ vota, templa, aræque erectæ fuissent, nescio an satis ampla area fuisset vniuersus terrarum orbis tot Iouis ædib. vbique erigendis. Neq; decet sane diuinam bonitatem pro facilitate impetratorum votorum metiri: quia omnib. vnus est pater Deus, omnibus pro sua bonitate prouidet, neq; his magis propẽsus est illis surdior. Illud vero magis rationi conuenit, si quid petẽtes impetrare à Deo non possumus, id futurum contra salutem nostrã existimare, vel contra honestatem, vel contra diuinã bonitatẽ expetitum esse, cũ nemini Deus perniciosa libẽter impartiat. Multa sunt inde cognomina Ioui indita vel ab euẽtu, vti dicebã, vel a locis, vel à personis quib. fœlix aspirarat; vt Abretanus, Agonius, Agoræus, Alexiteris, Ambulius,

Anchesmius, Anxurus, Apesãtius, Atatrius, Atabyrius, Cæneus, Camiræus, Carius, Carçbates, Catharsius, Chaonius, Chthonius, Citheronius, Corniger, Cosmeta Cragus, Cresius, Cynetheus, Dator, Dodonæus, Dymnius, Dulius, Elaratæus, Eleçus, Eleutherius, Ephestius, Epicarpi⁹, Epidotes, Erechtheus, Fulminator, Genetæus, Genethlius, Gnidius, Gyrapsius, Hecalæsius, Heræus, vel socialis, Hãmonius, Herceus; Heliopolites, Hospitalis, Homoloius, Horcius, Hymettius, Hypsistus, Hypatus, Icesius, Labradeus, Lacœta, Laphystius, Larissæus, Lycæus, Lycoreus, Mœragestes, Melissæus, Milesius, Milichius, Molossus, Morius, Munychius, Nemeæus, Olympius, Omarius, Ologus, Parthænius, Papæus, Parnetius, Pharius, Pisæus, Phratius, Promãtheus, Synopyra, Stratius, Tarantæus, Tropæus, Trophonius, Xenius, & apud Latinos Latialis, Feretrius, Elicius, Viminius, Vltor, Stator, & multa alia præterea sunt cognomina, quæ possent numerari, si quis hunc laborem perferre voluerit. Hæc ea sunt prope omnia quæ de Ioue fabulati sunt antiqui, quæq; fuerunt ab illis pro variis rerum successibus excogitata. At Ægyptii, alterum fratrem Atlantis Saturnum aiunt Rheam sororem duxisse, de qua susceperit Olympium vocatum, ac fuisse alium Iouem gloria rerum gestarum multo inferiorem, qui regnauit in Creta, qui decem filios Curetas vocatos habuit, atque insulam Idæam vocauit a b vxore Idæa, vbi fuit sepultus. Cretenses tamen longe diuersa à cæteris scriptoribus tradiderunt, qui Saturnum Siciliæ ac Libyæ & Italiæ imperasse inquiunt, & ad occasum omnino firmasse suum regnum, cum arces & munitiones haberet tanquam custodes ipsorum locorum. Iouem igitur mansuetudine & clementia insignẽ aiunt quidam imperium à patre sponte concedente accepisse; alii ab inuito extorsisse per odium patris à populis electum. at Saturno cum Titanibus bellum aduersus illum gerẽte victoria dicitur fuisse penes Iouem, qui per illam rerum omniũ potitus est. vniuersum igitur terrarũ orbem peruagatus est de mortalib. optime merens, qui cum virtute & virib. præstaret, facile vniuersi orbis imperium subiugauit. atq; cum de malis supplicia sumeret, omnesque homines ad bene viuendũ per vim legum cõuertisset, Deus ab omnib. fuit appellatus & vniuersi orbis dominus. Alii tamen Iouẽ Olympium

pium dictum fuisse tradiderunt, quod ab Olympio magistro sit eruditus: nam Dionysium aiunt post deuictos Titanas ac Saturnum & Rheam, cum ex his natus esset Iupiter, eum, cum Dionysius in Ægyptum militaret, regem regionis instituisse. Sed cum esset valde iuuenis illius magistrum ac tutorem instituit Olympium, virum & rerum astronomicarum peritum, & prudentia clarum, à quo Iupiter fuit eruditus, & Olympius appellatus. sic autem scriptum est ab ijs qui res Ægyptias conscripsère. Cæterum nunc reliquum est, vt quid per hæc senserint ij qui fabularum figmenta ad naturæ opificium accommodarunt, & qui Iouem sempiternum esse dixerunt, inquiramus.

¶ Iupiter Ætheris ac Diei filius creditus est primum, quia cum is humanioris, politiorisque vitæ cultum reperisset, vt diximus, omniaque demonstrasset diuina prouidentia gubernari, creditus est primus ex ignorantiæ tenebris emersisse, splendoremque attulisse rebus humanis. Nam ex aduerso qui vitæ humanæ vim omnem ex æterni Dei administratione & voluntate pendere ignorauerit, quo pacto non Noctis & Inscitiæ filius dici potest? Qui secundus item hoc ipso nomine vocatus fuit, pro diuinitate præstantiaque ingenij dictus est Cœli filius, quoniam & ipse plurimum genus humanum iuuerit multis rebus vtilibus adinuentis, vnde etiam Ioui nomen apud Latinos postea fuit inditum, quamuis à vita potius Græci nominarunt. Tertius Saturni fuit filius, qui Saturnus cum tempus esse putaretur, vt suo loco dicemus, quo pacto è tempore natus sit Iupiter, si sit Deus omnino explicari non potest. Si pro elemento Iupiter nominetur, nihil fortasse sequitur absurdi pro illorum sententia, qui vniuersitatem hanc rerum aliquando à Deo fabrefactam fuisse asserunt. Nam Iouem alij ex poetis esse arbitrati sunt aëra, vt illud est Horatij in primo Odarum,

*— Iacet sub Ioue frigido.*

Et alibi; *Quod latus mundi nebulæ, malusque Iupiter vrget.*

Sic etiam Theocritus Ecloga quarta:

χὠ Ζεὺς ἄλλοκα μὲν πέλει αἴθριος, ἄλλοκα δ' ὕει.

*Iupiter & quandoque pluit, quandoque serenus.*

Euripides non pro aëre solum, sed pro quadam aëris concitati motione Iouem intellexit in Cyclope:

οὐδ᾽ οἶδ᾽ ὅτι Ζεὺς ἔστ᾽ ἐμοῦ κρείσσων θεός.
οὔ μοι μέλει τὸ λοιπόν. ὡς δ᾽ οὔ μοι μέλει,
ἄκουσον. ὅταν ἄνωθεν ὄμβρον ἐκχέῃ,
ἐν τῇδε πέτρᾳ στεγν᾽ ἔχω σκηνώματα.
*Ignoro cur sit Iupiter maior Deus.*
*Non est mihi cura: quod haud cura mihi est,*
*Audito, quando fundit imbres desuper,*
*In hac petra condensa sunt mi vmbracula.*

Et Aratus in Astronomicis:

τό τε δὴ κρύος ἐκ Διός ἐστι
ναύτῃ μαλκιόωντι κακώτερον.
*Torpenti nautæ peius tunc ab Ioue frigus.*

Atque Stoicorum eadem fuit sententia, quod hic aer per omnia penetraret, & idcirco dictus sit Iupiter in omnia esse diffusus. Alij aëra non Iouem ipsum, at Iouis oculum crediderunt, vt fuit illud Hesiodi cum de aere loqueretur: πάντα ἰδὼν Διὸς ὀφθαλμός: *cuncta videns oculus Iouis.* Alij Iunonem, potius aera esse crediderunt, sororem Iouis, cum Iupiter ab ijs ignis regio esse crederetur: quam eius vxorem putarunt, quia calefactus aer ab ignea vi Iouis, Sole adiuuante multa ex his oriuntur: quam sententiam expressit Homerus in lib. ξ. Iliad. hoc pacto:

ἦ ῥα, καὶ ἀγκὰς ἔμαρπτε Κρόνου παῖς ἣν παράκοιτιν.
τοῖσι δ᾽ ὑπὸ χθὼν δῖα φύεν νεοθηλέα ποίην.
*Sic ait: vxoremque suam complectitur ortus*
*Saturno, tellus his herbas fundit vbique.*

Nam quo pacto herbę & animalium genera procreari possent, nisi per calorem, qui est architectus in omnibus naturæ negociis? Neque alio tempore terra vestitur herbis, nisi cum calescit, quippe cum frigus inutile sit vniuersis naturæ operibus. idcirco Hippasus & Heraclitus ignem rerum omnium autorem existimarunt: quare scite in hanc opinionem dictum est in hymnis Orphicis:

ὦ βασιλεῦ διὰ σὴν κεφαλὴν ἐφάνη τάδε ῥεῖα,
γαῖα θεὰ μήτηρ, ὀρέων θ᾽ ὑψηχέες ὄχθοι,
καὶ πόντος, καὶ πάνθ᾽ ὁπόσ᾽ οὐρανὸς ἐντὸς ἔταξε.
*O rex per te creuerunt hæc omnia solum:*
*Diua parens tellus, montanaq; flumina fontes,*
*Æquoraque, & quicquid complectitur altus Olympus.*

Nec

Nec defuerunt qui æthera Iouem esse crediderint, quem patrem appellauit Lucretius lib 1. ac terram matrem, quod ex his omnia oriantur, vt dictum est:

*Postremo pereunt imbres, vbi eos pater æther*
*In gremium matris terrai præcipitauit.*

At Virgilius non solum patrem, sed etiam omnipotentem vocauit æthera: quo nomine nullum neq; elementum, neque Deum neque mundi partem, præter vnum Iouem vocarunt antiqui: sic enim scribit lib. 2. Georg.

*Tum pater omnipotens fœcundis imbribus æther*
*Coniugis in gremium lætæ descendit, & omnes*
*Magnus alit magno commistus corpore fœtus.*

Atqui Cicero lib. 2. de Natura Deorum scriptum reliquit ex Euripidis sententia Æthera summum Deum esse appellandum, vt ex his patet:

*Vides sublime fusum immoderatum æthera.*
*Qui tenero terram circumuectu amplectitur:*
*Hunc summum habeto Diuûm, hunc perhibeto æthera.*

Quid est autem aliud æther, quam vniuersa regio illa, quã Anaxagoras igneam esse credidit, & quia semper arderet, ita nominatam? alij perbenignum Iouis planetam ac stellam esse putarunt; quem idcirco crediderunt esse Deum, quia sidera pro Diis colebantur antiquitus. Deorum vero maximum ob naturæ benignitatem, quippe cum nihil magis quam bonitas & munificentia diuinæ naturæ conueniat, cuiusmodi esse putatur Iouis stella. Id autem experiuntur ij, qui sub dominante Ioue nati sunt. Hunc omnia videre, omniaque audire crediderunt antiqui, vt testatur Sophocles in Antigone ita scribens:

ἐγὼ γὰρ, ἴσω Ζεὺς ὁ πάνθ᾽ ὁρῶν ἀεί.
*Ego quidem, tu Iupiter qui conspicis*
*Cuncta, hoc scias.*

Et Apollonius libr. secundo Argonaut.

Ζεὺς αὐτὸς τὰ ἕκαστ᾽ ἐπιδέρκεται, οὐδέ μιν ἄνδρες
λήθομεν ἔμπεδον; οἵ τε θεουδέες, οὐδὲ δίκαιοι.
*Nemo latere Iouem potuit, nam conspicit vnus*
*Omnia siue bonus fueris, siue impius idem.*

Orpheus in hymnis videtur Iouem eundem putasse & Solem, quod recte carmen id intuentibus patet;

*Ζεῦ πάτερ, ὑψίδρομον πυραυγία κόσμον ἐλαύνων.*
*Iupiter impellens ignitum protinus orbem,*
*Altaque currentem,*

Sic diuinus Plato de Ioue scripsit in Phædro; ὁ μὲν δὴ μέγας ἡγεμὼν ἐν οὐρανῷ Ζεὺς ἐλαύνων πτηνὸν ἅρμα, πρῶτος πορεύεται διακοσμῶν πάντα καὶ ἐπιμελούμενος. τῷ δ᾽ ἕπεται στρατιὰ θεῶν καὶ δαιμόνων, κατὰ ἕνδεκα μέρη κεκοσμημένη. μένει δὲ Ἑστία ἐν θεῶν οἴκῳ μόνη. *Magnus sane dux in cœlo Iupiter volucrem impellens currum, primus incedit omnia coordinans atque curans. hunc sequitur Deorum ac Dæmonum exercitus in duodecim partes distributus: at Vesta sola in atrio Deorum permanet.* Quis enim magnus est ille Dux Iupiter, nisi quem Solem appellamus? is siquidem velocissimum currum impellit, & dum conuoluitur, sequitur illum stellarum exercitus, quæ Dij credebantur, in duodecim partes signiferi circuli distributarum. Vesta autem, siue terræ moles, in atrio harum stellarum, & in medio mundi immota consistit. Quare, vt ex his patet, Plato nihil aliud Iouem, quam Solem esse credidit. cui sententiæ assentitur & carmen eius poetæ præclarum, quod ita inquit:

εἷς Ζεύς, εἷς Ἀΐδης, εἷς Ἥλιος, εἷς Διόνυσος.
*Iupiter est idem, Pluto, Sol, & Dionysius.*

Qui Iouem æthera; aut aliquid prædictorum esse crediderunt, illum Parcis inferiorem putarunt. at Hesiodus in Operibus & diebus cum de tranquillitate maris loqueretur, Iouem fatum esse arbitratus in hæc verba prorupit:

*εἰ μὴ δὴ πρόφρων γε Ποσειδάων ἐνοσίχθων,*
*ἢ Ζεὺς ἀθανάτων βασιλεὺς ἐθέλῃσιν ὀλέσσαι.*
*Mergere ni cupiat promptus Neptunus in vndas,*
*Rex superum magnus vel perdere Iupiter optet.*

Nam quidam ipsius esse Iouem existimarunt, τῶν ἀνέμων καὶ στοιχείων κρατοῦσαν εἱμαρμένην, *fatum* scilicet *ventis & elementis imperans*: at omnium fatum esse sensit Homerus in libr. 1. Odyss.

*—οὔ νύ τ᾽ ἀοιδοὶ*
*αἴτιοι, ἀλλά ποθι Ζεὺς αἴτιος, ὅς τε δίδωσιν*
*ἀνδράσιν ἀλφηστῇσιν, ὅπως ἐθέλῃσιν ἑκάστῳ.*
*Non tibi cantores causa, sed Iupiter ipse,*
*Qui miseris quacunque viris vult munera donat.*

Ea de causa efficitur vt Euripides in Supplicibus vanam esse

ſapientiam mortalium exiſtimârit, cum omnia humana fato & ineuitabili quadam neceſſitate traherentur, quam vim Iouem in his appellauit:

Ω͂ Ζεῦ, τί δῆτα τοὺς ταλαιπώρους βροτοὺς
φρονεῖν λέγουσι; σοῦ γὰρ ἐξηρτήμεθα,
δρῶμέν τε τοιαῦθ᾽ ἂν σὺ τυγχάνῃς θέλων.

*O Iupiter quid eſt miſellos vt viros*
*Dicant ſapientes? eſt neceſſe quod tibi*
*Libet facere pendemus è nutu tuo.*

& in Troadibus:

ὅστις ποτ᾽ εἶ σὺ δυστόπαστος εἰδέναι
Ζεύς, εἴτ᾽ ἀνάγκη φύσεος, εἴτε νοῦς βροτῶν.

*O Iupiter mortalibus non cognite*
*Quis ſis, vtrumne mentis, an neceſſitas*
*Naturæ.*

Merito igitur fingit Homerus lib. 1. Iliad. Martem ægre ferentem Palladis vim, eamq; perniciosam appellantem, non ſolum quia leges improbis & furioſis tanquam frænum equis moleſtæ ſint, ſed etiam quia fati virtutem ſapientia aliquando impediat. Idcirco ſapientiſſimus poeta Iouem introducit non reprehendentem quidem Palladem, quia Venerem ac Martem filios vulnerauerit, ſed Martem, quia nimis ſit inſanus; quoniam ſapientia reſiſtit libidini, & furori, & in fluxu ac vi aeris & ſtellarum facultate concitatis motibus, atq; ſi quid malorum euenit, illud ex imprudentia totum fit eorum qui planetarum ductu abiecta trahuntur ratione, vt patet ex his;

τὸν δ᾽ ἄρ᾽ ὑπόδρα ἰδὼν προσέφη νεφεληγερέτα Ζεύς·
μή τί μοι ἀλλοπρόσαλλε παρεζόμενος μινύριζε.
ἔχθιστος δέ μοί ἐσσι θεῶν οἳ Ὄλυμπον ἔχουσιν.
αἰεὶ γάρ τοι ἔρις τε φίλη πόλεμοί τε μάχαι τε.
μητρός τοι μένος ἐστὶν ἀάσχετον, οὐκ ἐπιεικτὸν
Ἥρης, τὴν μὲν ἐγὼ σπουδῇ δάμνημ᾽ ἐπέεσσιν.
τῷ σ᾽ ὀΐω κείνης τάδε πάσχειν ἐννεσίῃσιν.

*Affatur torue aſpiciens ſed Iupiter illum:*
*Ne iactes tua dicta mihi, quæ plena querelis:*
*Tu magis inuiſus ſuperis cœleſtibus vnus.*
*Sunt pugnæ, rixæq; tibi ſunt prælia grata.*
*Indomita eſt materna tibi vis haud toleranda*
*Iunonis, verbis ipſe hanc & numine placo,*
*Conſiliis eius credo quoque te iſta ſubire.*

Fuerunt alij qui Iouem opinarentur esse cœlum: vt sensit Cicero in secundo de Natura Deorum ex opinione antiquorum, qui dicebant Ioue tonante aut fulgente, id est cœlo; quem etiam omnipotentem Olympum vocarunt, vt Virg lib. 10.

*Panditur interea domus omnipotentis Olympi.*

Alij mundi animam Iouem esse crediderunt, quæ per omnia humana corpora esset diffusa, vt ait Aratus in principio Astronomicorum;

Ἐκ Διὸς ἀρχώμεσθα, τὸν οὐδέποτ' ἄνδρες ἐῶμεν
ἄρρητον· μεσταὶ δὲ Διὸς πᾶσαι μὲν ἀγυιαί,
πᾶσαι δ' ἀνθρώπων ἀγοραί, μεστὴ δὲ θάλασσα,
καὶ λιμένες· πάντη δὲ Διὸς κεχρήμεθα πάντες.

*Ab Ioue principium: mortales tempore nullo*
*Prætereamus eum loca sunt hæc plena viarum,*
*Sunt fora plena, simul sunt plena marmoris vnda,*
*Et portus: sit vbique Iouis nam copia cuique.*

Atque Orpheus in quodam hymno, idem significauit, qui vniuersitatem hanc rerum à Ioue & produci & gubernari inquit, vt ex his carminib. quæ sunt ex illius hymno translata in Latinam linguam apparet:

*Iupiter omnipotens est primus & vltimus idem.*
*Iupiter est caput, & medium: Iouis omnia munus.*
*Iupiter est fundamen humi, ac stellantis Olympi.*
*Iupiter & mas est, & nescia fœmina mortis.*
*Spiritus è cunctis validi vis Iupiter ignis.*

Quid enim esse potest idem mas ac fœmina immortalis, nisi mundi anima, quæ habeat in se hæc omnia producendi facultatem? nam Deus omnino sexum non habet, vt diximus cum sexu omni sit magis perfectus. Neque spiritus quispiam ex his Deus est, neque vis ignis, sed omnibus his superior & omnibus imperans. Scriptum reliquit Pausanias in Arcadicis Cecropem illũ qui regnauit Athenis, qui & ipse Iupiter fuit appellatus, primum omnium mortaliũ Deum Iouem cognomine Supremum vocasse, nihilque vita præditum illi immolandum duxisse, sed liba tantum patria, cum omnem crudelitatem à suis altaribus repellere diuinam naturam arbitraretur; cui nihil magis conuenit, quam clementia & beneficentia. Idcirco Deum siue Iouem datorem omnium bonorum, hoc est δωτῆρα ἐάων vocarunt

carunt antiqui, & patrem omnium, quia viros bonos multis beneficiis prosequeretur; ac temerarios & scelestos per calamitates & bonorum iacturam ad meliorem vitæ rationem aliquando reuocaret. Quod nisi fiat, quo pacto verum esse poterit id quod scriptum est apud Sophoclem in Trachiniis?

*ὁ πῶν ἁπάντων Ζεὺς πατὴρ ὀλύμπιος.*

*Cœlestis omnium parens est Iupiter.*

Quidam tamen cēsuerunt omnes hasce virtutes planetam Iouis illis largiri, quorū in ortu dominetur, quarum virtutum autorem fuisse Iouem recensuimus. Quem tamen non hominum solum; sed etiam Deorū patrem appellauit Hesiodus in Theogonia: quia cum omnium rerum humanarum administrationem exerceat, vt à munificentia pater, ita à sapientia in regenda vniuersitate rerum, vocatus est Rex, vt hæc carmina indicant Theognidis:

*οὐδὲ γὰρ ὃς θνητοῖσι καὶ ἀθανάτοισιν ἀνάσσει*
*Ζεὺς Κρονίδης, θνητοῖς πᾶσιν ἁδεῖν δύναται.*

*Omnibus haud placuit Saturni Iupiter ille,*
*Imperio superos qui regit atque homines.*

Hæc igitur summi Dei bonitas vbi in regendis superioribus consideratur, Iupiter Olympius dicitur; vbi agit in elementa, varia nomina sortita est apud antiquos; vbi in subterraneas vires, Iupiter infernus aut Stygius dicitur, de quo meminit Virg. lib 4.

*Sacra Ioui Stygio quæ rite incepta paraui.*

Et Homerus libro primo Iliadis.

*Ζεύς τε καταχθόνιος, καὶ ἐπαινὴ Περσεφόνεια.*

*Iupiter infernus simul & Proserpina diua.*

Hanc triplicem Iouis potestatem, quod in cœlo scilicet, in mari, & in terris dominaretur, significarunt antiqui cum tertium oculū Ioui in fronte addidissent, cuiusmodi fuisse signum illud ligneum dicitur, ad quod capta Troia fama est Priamum confugisse, vt testatur Agatharchides in Asiaticis, & Pausanias in Corinthiacis.

¶ Age vero nunc quid sub harum fabularum figmento occultauerint antiqui, inuestigemus, rem, vt par est, ab initio repetentes. Omnes antiqui sapiētes in duas classes fuerunt distributi: atq; horum alteri hunc mundum sempiternum esse existimabāt, alteri aliquando habuisse principiū;

atque hinc præstantissima erant clarissimorum hominum ingenia, hinc diuini homines, & diuinitus edocti. Apud eos igitur qui mundi originem de medio tollunt, nullũ habet locum huiusce fabulæ explicatio. Apud aliam classem, altissimam habebit significationem de rerum vniuersarum origine. Saturnus enim, qui Iouis fuit pater, è Cœlo natus est, qui Saturnus genitales partes patri abscidit. Est siquidem Saturnus tempus, vt suo loco dicetur, quod non, nisi ex cœli creatione & ortu, natum est, vt ait Platonis Timęus: quippe cum ante cœlum nullum esset tẽpus. Hunc aiunt partes genitales patri cœlo abscidisse, quoniam vnum est tempus, neque alium Saturno similem generare potuit, cum vnus sit, at non plures mundi. Neq; aliud est quod Titan ita cum Saturno conuenerit, vt Saturnus filios omnes necaret, nisi id quod sensit Empedocles Agrigentinus amicitiam & dissidium esse potentissima duo rerum naturaliũ principia. Neq; vlli dubiũ est, quin subito atq; cœlum fuit ab opifice Deo creatum, & ab aliis corporibus inferioribus seiunctum, vt putarunt sapientes, statim nata sit lis & amicitia, quæ intra illam informem materiam delitescere credebantur. Mox ab eodẽ Deo procedente iam tẽpore, quod nullũ ante fuerat, creata sunt elementa: quod illi significarunt, qui Iouem siue æthera, vniuersam scilicet illã regionẽ, quam igneam putauit Anaxagoras, ex Tẽpore & Opi siue terra natam esse, & Iunonem aera, & Neptunum ac Glaucam aquæ elementum, & Plutonẽ siue Cererem terrestres Deos, vim terræ crediderunt. Nam hos à Saturno procreatos fuisse, quid aliud est, quam primum cœlum à Deo fuisse factum, mox natum ex illo tempus, è quo nata sunt Deo summo è nihilo faciente elementa: quæ cum Saturnus deglutiuisset, deinde coactus est rursus euomere: per quod significatur mutua secundum partes elementorum generatio & corruptio. Lapis ab eodem qui primus editus est per vomitum, significat compositorum corporum item generationem & interitum, quæ digerere non potuit Saturnus, cûm elementa sint sempiterna, neq; vllo tempore aut vlla vi labefactari possunt, nisi cum opifici Deo euertere aliquãdo placuerit. Iupiter idcirco non voratus est à Saturno, quia nullam vim sentit temporis, nullamque iniuriam ætherea plaga lucida, & ab omni corruptione immunis. Dicitur datus fuisse

tus fuisse Vestæ educandus, quoniã cum animalia & plantæ ex terra procreentur, tũ crebrior elementorum mutatio fit circa terram, circa quam existunt vapores, à quib. putauit Thales quod ætherea regio aleretur. Illa autem regio cum ob celeritatẽ motus harmoniã efficere putaretur a Pythagoricis, dictus est Iupiter inter cymbalorũ tympanorumq; strepitũ fuisse seruatus. Hunc ab apibus nutritũ fuisse memorant, quia sine sexu maris & fœminæ se inuicem gignũt, elementa, quibus (vti dicebam) alitur regio ætherea: & a nymphis eadem de causa. Aiunt nõnulli à capra fuisse educatum, quia semper sublimia petat id animal: quam rẽ tamen ad inferiorem humilioremq; explicationem nonnulli traducunt: Aiunt enim Iouem à Melissa & Amalthea Regis Melissæi filiab. caprino lacte fuisse educatum: atq; cum Melissa dicta sit apis apud Græcos, locum esse datum fabulæ, quod apes ad Iouem infantem aduolauerint, eumq; nutriuerint, & quod capræ lac suxerit. Qui contra mundum non Dei summi & altissimi prouidentia gubernari, sed fortuna, & ab atomis fortuito in vnum confluentib. procreatum censuerunt; illi Iouem æthetream regionem scilicet, & vniuersum deniq; orbem à fortuna nutritum putarunt, cuiusmodi fuit Epicuri & nonnullorum opinio: illi siquidẽ

*Sunt, qui in fortuna iam casibus omnia ponunt,*
*Et nullo credunt mundum rectore moueri.*

Cuius impuri hominis opinio tã est nefaria, vt omnia humana diuinaq; iura subuertat ac funditus destruat; quo nihil minus est non modo philosophicum, sed vel humanum. Memoriæ proditum est præterea Iouem Saturnum de regno depulisse, & in vincula coniecisse, quia Saturnus extra naturam agit regionis prædictæ; cuius vim ætherea regio obtundit. Huic partes genitales abscidit Iupiter, quia nullo tempore alius mundus generabitur, cum hic cõstet ex vniuersa materia. Atqui illud repugnare videtur, quod scriptũ est à nobis superius, quod sub Saturno sanctissima legum maiestas viguerit, & vis æquitatis: & quod ipse vel naturæ ipsius vincula quibus homines inter se coniunguntur, tam nefarie violauerit, cum filios suos necaret. At illud scire cõuenit, homines tunc simplices, non ad Saturni exemplum viuere solitos, qui vere & filios regno priuauit, & fratrẽ Titanum, sed ad legum ab illo institutarum rationẽ. Semper

enim fuit is regnantiū furor vt cum vel filius, vel frater vel coniunctus in aliquā suspicionem inciderit, corruant è vestigio omnia naturæ vincula, neq; quidquā magis periculosum est aut minus constans, quam regnantium amicitia: Huc accedebat quod homines in imperio constituti seuerissime cæterorum illa vitia præcipue puniunt, quibus ipsi sunt obnoxii, neq; comites scelerum habere facile patiuntur. tunc igitur ob acerbitatē pœnarum homines simplices vtpote recentiores, & natura perhumani, facile a vitiis refrænabantur: quo accidit vt omnia pacatissima, omnia tuta, omnia suauia essent mortalib. q; viuendi genus aurea ætas, & incredibilis ferarū inimicissimarū cōcordia dicta est. Inde vulgatū fuit flumina lactis & nectaris plena defluxisse, damas impune cum canib. lusisse, feras crudelissimas cū domesticis animalib. stabulata fuisse: quod nihil aliud sane significauit, quam viros bonos legum patrocinio fuisse tutos à sicariis crudelissimis Nam cū cœpissent homines sub Ioue pristinam simplicitatem deponere, & impunitas propter adiutores Iouis dum patrem de regno depelleret, data fuisset sceleribus; omnis pristina libere viuendi licentia soluta est, via patefacta ad prædas impuris latronib. ostia patuerunt adulteris, licentia data est sicariis: neq; homines iā Regis instituta; sed vitæ lasciuiam ac temeritatem imitati sunt. Nam cū Iupiter patrē de Regno deiiciens prope parricidium commisisset, paternamq; crudelitatē omnino superasset; quib. verbis eos coercere potuit, quos cū priuatis armis scelerum suorum socios habuisset? aut quibus verbis illos poterat ad æquitatem reuocare, quorum animos ad omnes iniurias incitasset? Inde sumpta est fabula à poëtis, q; Ioue imperante omnis antiquorum pigritia expulsa est, & in omnes volucres, & feras, & pisces ab hominib. sæuitum. Et hæc fuerunt tantopere, tam mirificis laudib. tanta cum admiratione à poetis decantāda? Quod ab humanarū carniū esu homines absterruerit, id prope vnum præclarū est inter omnia quæ de Ioue commemorantur facinora: qui cum ad esum glandium illos conuertisset, meruit iure optimo, vt sibi glandiferæ quercus consecrarentur atq; in Dodone monte, qui frequentissimis quercubus vestiebatur, in Chaonia Molossorū regione nobile fuit Chaonii siue Dodonæi patris oraculū, q; vel ex malorum dæmonū illusione vel

ne, vel sacerdotum fraudibus, à petentibus sortes consulebatur, vbi columbæ duæ dicebantur dare responsa. Hæc ea sunt quæ ad naturalium rerum principia, viresque pertinebant, inter illa quæ de Ioue ab antiquis scriptorib. memoriæ prodita sunt : quæ ab historia originem sumentia, ad philosophicam rationem mox retorquentur. Nam si quis ea quæ dicta sunt de Ioue, recte perpendat, vniuersa prope naturalis philosophię principia sub his occultari cōperiet. ¶ Nunc quæ spectent ad humanæ vitæ institutionem, perquiramus. Fingebatur in Creta eius imago sine auribus, quia regibus non conueniat quasuis nugas audire. Cum tamen ad diligentiam administrandi quatuor aures Lacedæmones iniungerent, & aquilam attribuerint antiqui Ioui propter perspicacitatem : quibus sensibus nunc pleriq; tamen principes non ob rectam administrationem, sed ad auaritiam & cumulandas opes, extorquendasq; à subditis, acerrime vtuntur: quibus & aquila ob rapacitatem merito tributa est, & perspicacitas ob exploratores, ingeniososque consultores imponendorum tributorum. Quod Iupiter, cum natus esset, fuerit Saturni voracitati & crudelitati surreptus; quid aliud significat, quam diuitiis nullum locum esse tutum, ac neq; inter suos quidem natura coniunctissimos? quippe cum opulentia vndique sit insidiis circumuēta, neque vllum videre licet breuissimo tempore diuitem factum, qui sit idem vir bonus. Ægæona igitur aduersus Iouem etiam excitarunt poëtæ, vt ab externis & à coniunctis circumueniri demonstrarēt Reges, vbi spes imperandi oblata fuerit. Nulla est enim vel fides, vel Deorum immortalium religio, vbi maximarum diuitiarum splendor enituerit, vel vbi fuerint vires eximiæ: quib. rebus qui maxime excellunt, vel Deos ipsos solent parui facere. Huic finxerunt antiqui assidere Pudorē & Æquitatem, cum sapientē principem formarēt, quia maxima erga sapientem virum est omnium reuerētia: quæ aduersus tyrannos nulla esse potest, cū illis assideat Iniuria & Timor. Id ita esse confirmatur vel ex eo, quod Iupiter Μῆτιν siue cōsiliū duxit vxorē, quæ prudentia est reb. domesticis conseruandis necessaria, quę grauida est, quoniā è consilio res faciendæ nasci debent. hāc vxorem Iupiter deglutiuit, cuius caput grauidum factū est, quia vis ratiocinandi sedem præcipuam habet in capite. ex

ea ratiocinatione nascitur Pallas armata, quo tēpore pluit auro in Rhodiorum insula: per quæ significatur imbibendum esse consiliū bonorum, & perpēdendū, vt inde nascatur sapientia quam sequitur fœlicitas, & defensio tutissima rerum singularum, & tranquillitas, quam sapientia tuetur in rebus humanis, cum sapientem nemo fallere, aut imparatum vnquam inuenire possit. Quod Iupiter cum rex esset Deorū ac hominum, ad Danaē Acrisioneam aurū descenderit, & postea in tot alias formas brutorū ob amores mulierum fuerit mutatus; quid aliud significat, quam auaritiæ & largitionibus omnia patere, nihilq; tutum esse quod ab insignibus diuitibus oppugnetur? Deinde necesse est, vt is qui ad alienas vxores illegitime accedit, cum vel humanam vim, vel Dei vindictā, vel infamiam timeat, varios effectus induat beluarum: nam modo timidus fit, modo furibundus; vnde illa de Ioue adultero sæpius sunt excogitata. Nemo. n. potest retinere regiam dignitatem & illegitima eodē tempore perpetrare: quare scite dictum est id ab illo poeta:

*Non bene conueniunt, nec in vna sede morantur,*
*Maiestas & Amor.*

Quo pacto aquila ad Iouem Ganymedem attulerit, non conueniunt inter se scriptores. nam cum fabulati sint poetæ, quod illa quæ prima sacrata est Ioui ob auspicium, aduolans rapuerit: inquiunt ex historiographis alii cohortem fuisse quæ aquilam insigne haberet. alii maluerunt fuisse nauigium quod aquilam in prora haberet pictā, quod raptum Ganymedem ad Iouem detulerit: quæ res (vt aiunt) locum dedit fabulæ apud antiquos scriptores. nulla est enim fabula quæ ab historia initium non sumpserit. Manifestum esse sane arbitror ex iis quæ hactenus dicta fuerunt, quod Iupiter homo mortalis extiterit, at quod inter Deos relatus sit, dictum fuit: cui tamē nullum certum officium, quemadmodum Diis cæteris, concessum est, sed modo huc, modo illuc peruagatur, multo magis miser, quam Dæmones illi Empedoclei, qui nullibi possunt consistere.

*Impellit æther namq; eos in pontum atrum,*
*Pontus sub hinc in continentemq; proiicit.*
*Tellus eos rursus agit Solem in rapidum.*
*Hic ætheris dehinc implicat vertigini.*

Nā modo in cęlo est, modo in æthere, modo est aër, modo fatum

fatum modo ſub aquis, modo ſub terra, modo in imbrem, modo in varia animalia ſe mutat; qua conditione quid dici aut excogitari poteſt miſerius? Sed Iouem tam multiplicem ac per omnia vagantem relinquamus, & ad Saturnum orationem noſtram conuertamus.

## *De Saturno* CAP. II.

SATVRNI qui parentes fuerint, non ita facile eſt, quemadmodum fuit Iouis, inuenire: quoniam plurimum antiqui ſcriptores inter ſe diſſentiunt. Nos tamen maiorem ſcriptorum partem, communioremque ſententiam in huius parentibus diiudicandis ſequemur. Plato Saturnum Oceani & Tethyos fuiſſe filium ſcripſit in Timæo his verbis; *γῆς τε καὶ οὐρανοῦ παῖδες Ὠκεανός τε καὶ Τηθύς ἐγενέσθην, ἐκ τούτων δὲ Φόρκυς τε, καὶ Κρόνος, καὶ Ῥέα, καὶ ὅσοι μετὰ τούτων. ἐκ δὲ Κρόνου καὶ Ῥέας, Ζεύς, Ἥρα τε καὶ πάντες ὅσους ἴσμεν πάντας ἀδελφοὺς λεγομένους αὐτῶν.* quæ verba ita ſunt à Cicerone in libro de Vniuerſitate Latine dicta; *Sic igitur vt ab his eſt traditum, horum Deorum ortus habeatur atque dicatur, vt Oceanum Salaciamque Cœli ſatu, Terræque conceptu generatos, editosque memoremus ex his Phorcyn, Saturnum & Opim: deinceps Iouem, atque Iunonem, reliquos. quos fratres inter ſe agnatoſque vſurpare atque appellare videmus, & eorum (vt vtamur veteri verbo) proſapiam.* Non defuerunt tamen qui Doluncum etiam inter Saturni filios connumerarint. At Heſiodus in ortu Deorum, cum Cœli vxorem Terram fuiſſe cecinisset his carminibus;

*Θεῶν γένος αἰδοίων πρῶτον κλείουσιν ἀοιδῇ*
*ἐξ ἀρχῆς, οὓς γαῖα καὶ οὐρανὸς εὐρὺς ἔτικτεν:*
*Diuinumque genus celebrant hæc carmine Diuum*
*In primis quos Terra tulit, Cœlumque ſupremum:*

mox paulo inferius inter eorum filios Saturnum etiam commemorauit, vt patet ex his;

*τοὺς δὲ μέθ' ὁπλότατος γένετο Κρόνος ἀγκυλομήτης.*
*Editus eſt iunior poſt hos Saturnus & ipſe.*

Et Orpheus hymno quodã in Saturnũ cõpoſito ita inquit:

*Γαίης τε βλάστημα καὶ οὐρανοῦ ἀστερόεντος.*
*Progenies Terræ pariter Cælique nitentis.*

Patet ex his modo Cœli, modo Oceani fuiſſe filiũ Saturnũ,

& modo Terræ, modo Tethyos siue Salaciæ, ne plures cõmemorẽ: quæ res tam diuersæ vt vno tempore veræ sint, effici non potest. Cum adoluisset Saturnus, audiuisserque ex matre quod cœlus Cyclopes in tartarũ vinctos deiecisset, id ægre ferẽs, matre inflãmante aduersus patrẽ Titanas præcipue, & falcẽ Saturno suggerente, insidias Cœlo tetẽdit vt ait Apollodorus lib. 1. atque fratres è tartaro eduxit, quibus etiam sociis vsus est in regno paterno occupando, quod accidit anno trigesimo secundo il ius regni, vt ait Euseb. in Theologia Phenicũ. Illi igitur comprehẽso genitales partes Saturnus amputauit, atq; à fratribus facile impetratum est vt expulso patre in regnum succederet. Quanquam non Cœlum, sed Saturnum primũ omnium mortalium regnasse indicat illud carmen Sibyllæ Erytyrçæ, quod ita se habet;

πρῶτος μὲν ἄναξεν ἐπιχθονίων Κρόνος ἀνδρῶν.]

*Primus mortales inter Saturnus at olim.*

*Regnauit:*

Hic fratres habuit, præter Cyclopes, etiam Centimanos, Oceanum, Cœlum, Crium, Hyperionem, Iapetum. Titanum. Sorores Rheam, Tethym, Temin, Phebem, Mnemosynen, Thiam Dionem. vt ait idem Appollodorus; quibus tamen nonnulli Cicerem addiderunt. Ex his Titanus & Iapetus dicuntur aliquando communi consilio cum Saturno regnasse, quod patet ex his versibus;

καὶ βασίλευσε Κρόνος, καὶ Τιτὰν Ἰαπετός τε.

γαίης τέκνα φέριστα καὶ οὐρανοῦ ἐξεκάλεσσαν,

*Regnauit Titan. Saturnusq; Iapetusq;:*

*Optima quæ Cœli dixere & pignora Terræ.*

Deinde cum regnum vnum tres reges perferre non posse videatur, à matre Vesta, sororibusque Ope ac Cerere precantibus impetratum est, vt solus Saturnus imperaret; ea tamen conditione, ne Saturnus mares filios educaret, si qui nascerentur, satisque haberet quod ipse regnaret: vt ad quos iure hæreditario post ipsum regnum spectabat, perueniret. Tum Saturnus Opim sororem in matrimonium duxit, cumque audisset futurum esse vt à filio è regno pelleretur, omnes mares necare statuit: quod grauiter ferens Opis siue Rhea in Cretam fugit, ibique Iouem peperit, vt dictum est. Alii dicunt propterea quod iurasset Titanibus, se nullos mares educaturum, at non ex responso Saturnum

filios

filios necare solitum, tanta fuit & patrui crudelitas in nepotes, & patris feritas in filios ob furiosam regnandi cupiditatem. Nullum fuit scelus, nullum latrocinium, nullum parricidium, à quo isti qui Dii habiti sunt; abhorruerint: modo aliquam præ se tulerit commoditatem, alii neque à Titanibus laniari solitos Saturni filios arbitrati sunt, neq; à Saturno cæsos, sed voratos ab ipso complures, vti significauit Hesiodus in Deorum ortu, vbi loquitur de Saturno in his:

Πεύθετο γὰρ γαίης τε καὶ οὐρανοῦ ἀστερόεντος,
οὕνεκά οἱ πέπρωτο ἑῷ ὑπὸ παιδὶ δαμῆναι,
καὶ κρατερῷ περ ἐόντι, Διὸς μεγάλου διὰ βουλάς.
τῷ ὅγε οὐκ ἀλαοσκοπιὴν ἔχεν, ἀλλὰ δοκεύων
παῖδας ἑοὺς κατέπινε, Ῥέην δ᾽ ἔχε πένθος ἄλαστον.
*Audiit ex terra dicto Cœliq; nitentis,*
*Se fore vincendum à nato: sic fata reuolui.*
*Quare obseruabat natos non segniter omnes,*
*Atq; vorabat eos genitos: Rhea at ipsa dolebat.*

Atque Lucretius eadem de causa ereptum Iouem inquit, vt patet in his;

*Ne Saturnus eum malis mandaret adeptus,*
*Æternumq; daret matri sub pectore vulnus.*

Vbi sensissent Titanes Saturni filios contra leges, pactionesque superius factas clam educari, Saturnum ac Rheam comprehendunt, & in vincula coniiciunt, muroque & custodiis circundant. Id cum exploratores cognouissent Iupiter, collecta magna militum Cretensium manu (vt diximus, cum de Ioue loqueremur) arma mouit aduersus Titanas, iisque in fugam versis & profligatis liberatos parentes in regnum restituit: quod ita declarauit Erythræa Sybilla:

ἡνίκα δ᾽ ἤκουσαν Τιτῆνες παῖδας ἐόντας
λάθριον, οὓς ἔσπειρε Κρόνος τε Ῥέη τε συνώδινος.
καὶ ῥ᾽ εἶχ᾽ ἐν δεσμοῖσι Κρόνον τε Ῥέην τε συνώδινον.
κρύψεν δ᾽ ἐν γαίῃ καὶ ἐν ζωσμοῖς ἐφύλασσεν.
καὶ τότε δή μιν ἄκουσαν υἱοὶ κρατεροῖο Κρόνοιο,
καὶ οἱ ἐπήγειραν πόλεμον μέγαν ἠδὲ κυδοιμόν.
*Ast vbi Saturni Titan de Semine natos*
*Deq; Rhea sensit; trahit hos in vincula vtrosq;:*
*Condens sub terra, vinculisq; coercuit illos.*

*Hoc vbi senserunt Saturni pignora fortis,*
*Protinus exarsit triste & lacrymabile bellum.*

Saturnus in regnum per Iouem restitutus vt audiuit se pulsum iri de illo à filio, insidias Ioui parare cœpit: quod sentiens Iupiter (vt dictum est) illum in Tartarum deiecit cõsilio Promethei vsus, vt ait Æschylus in Tragœdia Promethei his carminibus:

*ἐμαῖς δὲ βουλαῖς ταρτάρου μελαμβαθὴς*
*κευθμῶν καλύπτει τὸν παλαιγενῆ Κρόνον*
*αὐτοῖσι συμμάχοισι.*
*Me consulente Tartarum nunc incolit*
*Saturnus, vna cum suis sodalibus,*
*Auxiliisq;.*

Deinde Saturnus è carcere elapsus classe in Italiam ad Ianum qui tunc ibi regnabat vectus, comiter ab illo hospitio excipitur, quem & viuendi rationem docuit, & cultum agrorum, vt aiunt. Huic Ianus pro accepta disciplina illa fertur dimidium sui regni remunerasse, & in pecuniis quæ ex illius ingenio primum sunt impressæ, nauim fuisse ex altera parte impressam, ex altera bifrontem effigiem, quia regnum scilicet communi consilio Iani & Saturni gubernaretur. quam rem expressit Ouidius lib.1. Fastorum:

*Hac ego Saturnum memini tellure receptum,*
*Cœlitibus regnis nam Ioue pulsus erat.*
*Inde diu genti mansit Saturnia nomen,*
*Dicta fuit Latium terra latente Deo.*
*At bona posteritas puppim signauit in ære,*
*Hospitis aduentum testificata Dei.*

Ferunt igitur Saturnum primum per id tempus in Italia plantationes & insitiones & educationes omnino arborũ, omnium fructiferarum rerum culturam docuisse: quare tanquam humanioris vitæ repertor cum coniuge Rhea pro Deo est habitus. Ab eo igitur edoctos fuisse Italos ita cecinit Virg. lib. 8.

*Primus ab æthereo venit Saturnus Olympo,*
*Arma Iouis fugiens, & regnis exul ademptis.*
*Is genus indocile ac dispersum montibus altis*
*Composuit, legesq; dedit Latiumq; vocari*
*Maluit, his quoniam latuisset tutus in oris.*

Nam

Nã, vt ait Trismegistus, tres omnino sapiẽtes viri floruerũt Trismegisti tẽpore, Cœlus; Saturnus, Mercurius: quare etiã Charondas earum legum quas dederat Carthaginensibus, autorem Saturnum cõmemorabat, vt ait Marsilius Ficinus. Huiusce prudẽtiæ ac sapientiæ, cuius cõsultor & autor fuit Saturnus apud Ianum Regem tanta fuit apud gentes Italas admiratio, tantaq; omnium pax, & tranquillitas rerũ propter æquitatẽ, vt aurea ætas sub illo fuisse dicatur à poetis: ac neq; tum sollicitatum fuisse mare, nec vllam fuisse militiam, sed omnia propter vberrimam terræ feracitatem omnibus fuisse communia. quod ita decantauit Tibullus;

*Quam bene Saturno viuebant rege prius, quam*
*Tellus in longas est patefacta vias.*
*Nondum cæruleas pinus contempserat vndas,*
*Effusum ventis præbueratque sinum.*
*Nec vagus ignotis repetens compendia terris*
*Presserat externa nauita merce ratem.*
*Illo non validus subijt iuga tempore taurus,*
*Non domito frænos ore momordit equus.*
*Non domus vlla fores habuit, non fixus in agris*
*Qui regeret certis finibus arua lapis.*
*Ipsa mella dabant quercus, vltroque ferebant*
*Obuia securis vbera lactis oues.*
*Non acies, non ira fuit, non bella; nec enses*
*Immiti sæuus presserat arte faber.*

Verum hanc sanctissimarum legum, iustitięque reuerentiã non in libris notatã, aut incisam in ære, sed in animis hominum impressam, & cõsuetudine ciuitatum inueteratam esse oportere credidit, vt testatur Virg. qui ita scripsit lib. 7.

*—neve ignorate Latinos*
*Saturni gentem haud vinclo, nec legibus æquam,*
*Sponte sua, veterisq; Dei se more tenentem.*

Nam is certe quidem qui ob metũ pœnarum solum aut ad scriptarum legum integritatem vitam suam accommodare cogitur, at nõ spõte facit quæ recta sunt, vir bonus esse nullo pacto potest: quoniam qui nullum flagitiũ propter metum pœnæ committit, non is quidem vir bonus est, sed tantum nõ malus. Ille solus vir bonus iure habetur, qui naturæ ductu ad ea quę gloriosa, quæ honorifica, quę honesta, quę

decora sunt, contendit; at non metu pœnarum: ille integer, ille æquus, ille probus. Inde contigit vt scripserint poëtæ Iustitiam è terris aufugisse, & in cœlum cõuolasse: quæ naturæ fuit æquitas in animis hominum insita, quæ paulatim crescẽtibus scriptis legibus ob hominum malitiam ex animis mortalium deleta est: nõ illa è terris euolauit, quæ scripta est in tot tantisque Iurisperitorum codicibus. Nam quanto simpliciores erant homines, tanto iustiores erant natura: vbi legum volumina in ciuitatibus, quasi Astrææ testamenta composita sunt, illa simplicitas paulatim ad rusticos homines extra ciuitatem recessit, & ad horum testamentorum ignaros. quare inquit poeta, quod

*——— extrema per illos*
*Iustitia excedens terris vestigia fecit.*

Quidam tamen fabulati sunt leges non esse Astrææ testamentum, sed hominum placita vel aduersus æquitatem per potẽtiam subditis imposita, & quædam propria ciuitatum instituta ad propriam ciuitatem & ferentium ea vtilitatem excogitata, quæ in varias etiam sententias possent distorqueri; quibus inspectis non ausa sit Astræa testamentum condere, cum nullum prope inexpugnabile videretur sibi facere posse tum ob multitudinem inter se pugnantium legum: tum etiam ne per lites euerteret charissimorũ facultates quos erat hæredes factura. Hanc hominum simplicitatem & innocentiam immensi bonorum cumuli sequebãtur nam tanta erat quies, tanta felicitas, tanta bonorũ omniũ copia, vt merito ista suauissima carm. de illa ætate scripserit Pherecrates in actu metalla fodientibus inscripto.

*πλούτῳ δ᾽ ἐκεῖ ἦν πάντα συμπεφυρμένα,*
*ἐν πᾶσιν ἀγαθοῖς πάντα τρόπον εἰργασμένα.*
*ποταμοὶ μὲν ἀθάρης καὶ μέλανος ζωμοῦ πλέῳ*
*διὰ τῶν στενωπῶν τονθολυγοῦντες ἔρρεον*
*αὐταῖσι μυστίλαισι, καὶ ναστῶν τρυφή.*
*ὥστ᾽ εὐμαρῆ ἤγεν αὐτόματ᾽ ἐς τὴν ἔνθεσιν*
*χωρεῖν λιπαρὰν κατὰ τοῦ λάρυγγος τοῖς νεκροῖς.*
*φύσκαι δὲ καὶ ζέοντες ἀλλάντων τόμοι*
*παρὰ τοῖς ποταμοῖς σίζοντες ἐκέχυντ᾽ ἀντ᾽ ὀστρέων,*
*καὶ μὴν παρῆν τεμάχη μὲν ἐξωπτημένα*
*καὶ χυσματίοισι παντοδαποῖσιν εὐτρεπῆ.*
*Pluto simul permista erant ibi omnia,*

Bonisque

*Bonisque prorsus plena cunctis. nam caua*
*Plena & farina, & iuris atri flumina*
*Fluxere per loca arcta murmurantia*
*Ob per leuis panes calentes, qui cibus*
*Facillime vel sponte sane curreret*
*In ora mortui viri coactus haud.*
*Lucanica & tuceta bullentia*
*Loco ostrearum sparsa erant per flumina,*
*Piscesque conditi natabant vndique*
*Suaui parati iure simplici haud modo.*

—— tum paulo post:

ὀπταὶ κίχλαι γὰρ ἀνάβραστ' ἠρτυμέναι
περὶ τὸ στόμ' ἐπέτοντ' ἀντιβολοῦσαι καταπιεῖν
ὑπὸ μυρρίναισι κἀνεμώναις κεχυμέναι.
τὰ δὲ μῆλ' ἐκρέματο τὰ καλὰ τῶν καλῶν ἰδεῖν
ὑπὲρ κεφαλῆς ἐξ οὐδενὸς πεφυκότα.

*Turpi volabant ora circum, qui bene*
*Conditi erant, coctique mire, supplices*
*Edi rogabant pulchra per papauera*
*Myrtosque fusi: mala pendebant super*
*Caput decora maxime, nec arbore*
*Producta, nullo vel retenta germine.*

Nam sine vlla solicitudine curaq; viuebant, sine laboribus, sine calamitabus: neque corporis vigor vlla senectute minuebatur. Vbi mortis tempus aduentasset, sine aliqua difficultate, tanquam in suauissimum somnium deflectentes naturæ necessitati concedebant, quæ omnia Saturno regnante contingere solita dicuntur, vt testatur Hesiodus in operibus & diebus:

οἳ μὲν ἐπὶ Κρόνου ἦσαν ὅτ' οὐρανῷ ἐμβασίλευεν
ὥς τε θεοὶ δ' ἔζωον ἀκηδέα θυμὸν ἔχοντες,
νόσφιν ἄπερτε πόνων καὶ ὀϊζύος, οὐδέ τι δειλὸν.
γῆρας ἐπῆν. αἰεὶ δὲ πόδας καὶ χεῖρας ὁμοῖοι
τέρποντ' ἐν θαλίῃσι κακῶν ἔκτοσθεν ἀπάντων,
θνῆσκον δ' ὡς ὕπνῳ δεδμημένοι.

*Nam cum Saturnus cœlo regnabat, habentes*
*Viuebant homines nullas in pectore curas,*
*Vt Dij fœlices. Nec vires curua senectus*
*Inflexit: similesque pedes, similesque fuere*
*Vsque manus illis, ibant conuiuia læta.*

*Vt somno domiti satis cessere benignis.*

Et profecto nulla maior est in senectute aut in morte cõsolatio sapienti viro. nihil quod leuiorem mortem efficiat, quam recte anteactæ vitæ recordatio, & per vniuersum vitę cursum seruatæ integritatis memoria. Non enim illa est vera consolatio, quæ videtur insulsis nostræ tempestatis senibus, qui se æquo animo posse mori gloriãtur, quia nullum voluptatum genus nescierint, vel quia multas viderint regiones, vel quia omnibus honoribus in patria sua perfuncti sint: quoniam nihil horum vel virum bonum efficit, vel animum sapiẽtiorem ac beatiorem, aut ad omnia difficilia constantem. Qui cæteris rebus nihil ad probitatem pertinentibus potiti sunt, nullisque voluptatibus pepercerunt, aut functi sunt honoribus, illi in difficilimã omnium mortem & curarum plenissimam incidunt: quo tempore ob metum illarum pœnarum quæ viris nefariis post mortem proponuntur apud inferos, mirum in modum discruciantur, coguntur que vniuersæ anteactæ vitæ rationem percurrere. Hi si nihil sanctum laudabileque inueniant, non in somnum quidem suauissimum, sed in maximas incidunt molestias & difficilimas animi solicitudines? & quasi tunc discruciari incipientes decedunt. Iure igitur Orpheus Eunomiam quasi bonam legẽ vt nomen significat, siue iustitiam, tanquam omnis felicitatis autorem apud thronum Iouis collocauit, vti testatur Demosthenes orator his verbis in oratione in Aristogitonẽ: πάντα τὰ τοιαῦτα ἔθη παραδόντας, τιμιώτερον ὀρθῶς δεῖ δικάσαι, τὴν τὰ δίκαια ἀγαπῶσαν εὐνομίαν περὶ πλείστου ποιουμένους, ἣ πάσας καὶ πόλεις καὶ χώρας σώζει. καὶ τὴν ἀπαραίτητον καὶ σεμνὴν δίκην, ἣν ὁ τὰς ἁγιωτάτας ἡμῖν τελετὰς καταδείξας Ὀρφεὺς παρὰ τὸν τοῦ Διὸς θρόνον, φησὶ καθημένην πάντα τὰ τῶν ἀνθρώπων ἐφορᾶν. *Omnes huiusmodi mores vbi cognoueritis hodierno die vobis recte iudicare conuenit, plurimi facientib. Eunomiã, æquitatis amicam, quæ oẽs vrbes & regiones tuetur: & inexorabilẽ ac venerandam Iustitiam, quã Orpheus, qui nobis sanctissimas ceremonias ostẽdit, Iouis solio assidentem inquit omnia mortaliũ facta obseruare.* Fuerunt alij qui bifrontis Iani pecuniã impressam idcirco fuisse significatũ, quia Ianus post acceptum hospitio Saturnũ mitiore viuendi ratione inuenta, hominibusq; è feris mansuetioribus factis, duplicis vitæ Deus & autor habitus est, cũ vtraq;

sub

ſub illo fuiſſet, vt teſtatur Plutarchus in Vita Numæ hoc pacto: ὁ γὰρ Ἰανὸς ἐν τοῖς παλαιοῖς πάνυ εἴτε δαίμων, εἴτε βασιλεὺς γενόμενος πολιτικὸς καὶ κοινωνικὸς, ἐκ τοῦ θηριώδους καὶ ἀγρίου λέγεται μεταβαλεῖν τὴν δίαιταν, καὶ διὰ τοῦτο πλάττουσιν αὐτὸν ἀμφιπρόσωπον. ὡς ἑτέραν ἐξ ἑτέρας τῷ βίῳ περιποιήσαντα τὴν μορφὴν καὶ διάθεσιν. *Ianus apud antiquos ſiue dæmon, ſiue rex vrbanus fuit & per benignus, à ferina & agreſti vita dicitur homines ad aliam meliorem reuocaſſe quare eum bifrontem effingunt, tanquam qui alteram ex altera viuendi rationem inſtituerit.* Fuerunt tamen qui putarint Saturnum fuiſſe à Ioue comprehenſum & in vincula traditum, non autem fugiſſe: quorum ſententiam ſecutus eſt Plato in Euriphone: αὐτοὶ γὰρ οἱ ἄνθρωποι τυγχάνουσι νομίζοντες τὸν Δία τῶν θεῶν ἄριστον καὶ δικαιότατον· καὶ τοῦτον ὁμολογοῦσι τὸν αὐτοῦ πατέρα δῆσαι, ὅτι τοὺς υἱεῖς κατέπινεν οὐκ ἐν δίκῃ· καὶ ἐκεῖνόν γε αὐτὸν αὐτοῦ πατέρα ἐκτεμεῖν δι' ἕτερα τοιαῦτα. *Ipſi enim homines arbitrantur Iouem Deorum optimum ac iuſtiſſimum eſſe: & tamen hunc patrem ſuum in vincula ieciſſe inquiunt, quod filios inique voraret: illumque rurſus patrem incidiſſe ob alia his ſimilia.* At Homer. in lib. θ. Iliadis non ſolum Saturnum vinctum fuiſſe à Ioue memorat, ſed etiam eius fratrem Iapetum, amboſque fuiſſe coniectos in tartarum, vt in his patet;

— σέθεν δ' ἐγὼ οὐ καλεγίζω
χωομένης, οὐδ' εἴκε τὰ νείατα πείραθ' ἵκηαι
γαίης καὶ πόντοιο, ἵν' Ἰαπετός τε Κρόνος τε
ἥμενοι, οὔτ' αὐγῇς ὑπερίονος ἠελίοιο
τέρποντ', οὔτ' ἀνέμοισι, βαθὺς δέ τε τάρταρος ἀμφίς.

*Ipſe tuam haud tanti facio quam concipis iram:*
*Nec ſi extrema petas terra, pelagique vbi ſentit*
*Lumina nec Solis, nec ventos Iapetusque*
*Saturnusque ſenex, quos tartara dira coercent.*

Memoriæ tamen prodidit Lucianus in Saturnalib. Saturnũ neque fuiſſe à Ioue vinctum, neq; regno priuatum, ſed libẽter ac ſponte regnum illi conceſſiſſe, vt dictum eſt, rerumq; omnium, vtpote ob ætatem impotentẽ, filio tradidiſſe adminiſtrationem: quippe cum & alij fuerint cõplures reges qui iſtud ipſum fecerint. Neq; tamen primus omniũ mor-

*Vt somno domiti satis cessere benignis.*

Et profecto nulla maior est in senectute aut in morte consolatio sapienti viro, nihil quod leuiorem mortem efficiat, quam recte anteactæ vitæ recordatio, & per vniuersum vitę cursum seruatæ integritatis memoria. Non enim illa est vera consolatio, quæ videtur insulsis nostræ tempestatis senibus, qui se æquo animo posse mori gloriãtur, quia nullum voluptatum genus nescierint, vel quia multas viderint regiones, vel quia omnibus honoribus in patria sua perfuncti sint: quoniam nihil horum vel virum bonum efficit, vel animum sapientiorem ac beatiorem, aut ad omnia difficilia constantem. Qui cæteris rebus nihil ad probitatem pertinentibus potiti sunt, nullisque voluptatibus pepercerunt, aut functi sunt honoribus, illi in difficilimã omnium mortem & curarum plenissimam incidunt: quo tempore ob metum illarum pœnarum quæ viris nefariis post mortem proponuntur apud inferos, mirum in modum discrucianrur, coguntur que vniuersæ anteactæ vitæ rationem percurrere. Hi si nihil sanctum laudabileque inueniant, non in somnum quidem suauissimum, sed in maximas incidunt molestias & difficilimas animi solicitudines? & quasi tunc discruciari incipientes decedunt. Iure igitur Orpheus Eunomiam quasi bonam legẽ vt nomen significat, siue iustitiam, tanquam omnis felicitatis autorem apud thronum Iouis collocauit, vti testatur Demosthenes orator his verbis in oratione in Aristogitonẽ: πάντα τὰ τοιαῦτα ἔθη παριδόντας, τήμερον ὀρθῶς δεῖ δικάσαι, τὴν τὰ δίκαια ἀγαπῶσαν εὐνομίαν περὶ πλείστου ποιησαμένους, ἣ πάσας καὶ πόλεις καὶ χώρας σώζει. καὶ τὴν ἀπαραίτητον καὶ σεμνὴν δίκην, ἣν ὁ τὰς ἁγιωτάτας ἡμῖν τελετὰς καταδείξας Ὀρφεὺς παρὰ τὸν τοῦ Διὸς θρόνον, φησὶ καθημένην πάντα τὰ τῶν ἀνθρώπων ἐφορᾷν. *Omnes huiusmodi mores vbi cognoueritis hodierno die vobis recte iudicare conuenit, plurimi facientib. Eunomiã, æquitatis amicam, quæ oẽs vrbes & regiones tuetur: & inexorabilẽ ac venerandam Iustitiam, quã Orpheus, qui nobis sanctissimas ceremonias ostẽdit, Iouis solio assidentem inquit omnia mortaliũ facta obseruare.* Fuerunt alij qui bifrontis Iani pecuniã impressam idcirco fuisse significarũt, quia Ianus post acceptum hospitio Saturnũ mitiore viuendi ratione inuenta, hominibusq; è feris mansuetioribus factis, duplicis vitæ Deus & autor habitus est, cũ vtraq; sub

sub illo fuisset, vt testatur Plutarchus in Vita Numæ hoc pacto: ὁ γὰρ Ἰανὸς ἐν τοῖς παλαιοῖς πάνυ εἴτε δαίμων, εἴτε βασιλεὺς γενόμενος πολιτικὸς καὶ κοινωνικὸς, ἐκ τοῦ ὑθηριώδους καὶ ἀγρίου λέγεται μεταβαλεῖν τὴν δίαιταν, καὶ διὰ τοῦτο πλάττουσιν αὐτὸν ἀμφιπρόσωπον, ὡς ἑτέραν ἐξ ἑτέρας τοῦ βίου περιποιήσαντα τὴν μορφὴν καὶ διάθεσιν. *Ianus apud antiquos siue dæmon, siue rex urbanus fuit & per benignus, à ferina & agresti vita dicitur homines ad aliam meliorem reuocasse quare eum bifrontem effingunt, tanquam qui alteram ex altera viuendi rationem instituerit.* Fuerunt tamen qui putarint Saturnum fuisse à Ioue comprehensum & in vincula traditum, non autem fugisse: quorum sententiam secutus est Plato in Euthiphone: αὐτοὶ γὰρ οἱ ἄνθρωποι τυγχάνουσι νομίζοντες τὸν Δία τῶν θεῶν ἄριστον καὶ δικαιότατον· καὶ τοῦτον ὁμολογοῦσι τὸν αὐτοῦ πατέρα δῆσαι, ὅτι τοὺς υἱεῖς κατέπινεν οὐκ ἐν δίκῃ· καὶ ἐκεῖνόν γε αὖ τὸν αὐτοῦ πατέρα ἐκτεμεῖν δι᾽ ἕτερα τοιαῦτα. *Ipsi enim homines arbitrantur Iouem Deorum optimum ac iustissimum esse: & tamen hunc patrem suum in vincula iecisse inquiunt, quod filios inique voraret: illumque rursus patrem incidisse ob alia his similia.* At Homer. in lib. θ. Iliadis non solum Saturnum vinctum fuisse à Ioue memorat, sed etiam eius fratrem Iapetum, ambosque fuisse coniectos in tartarum, vt in his patet;

— σέθεν δ᾽ ἐγὼ οὐκ ἀλεγίζω
χωομένης, οὐδ᾽ εἴ κε τὰ νείατα πείραθ᾽ ἵκηαι
γαίης καὶ πόντοιο, ἵν᾽ Ἰάπετός τε Κρόνος τε
ἥμενοι, οὔτ᾽ αὐγῆς ὑπερίονος ἠελίοιο
τέρποντ᾽, οὔτ᾽ ἀνέμοισι, βαθὺς δέ τε τάρταρος ἀμφίς.

*Ipse tuam haud tanti facio quam concipis iram:*
*Nec si extrema petas terræ, pelagique vbi sentit*
*Lumina nec Solis, nec ventos Iapetusque*
*Saturnusque senex, quos tartara dira coercent.*

Memoriæ tamen prodidit Lucianus in Saturnalib. Saturnũ neque fuisse à Ioue vinctum, neq; regno priuatum, sed libẽter ac sponte regnum illi concessisse, vt dictum est, rerumq; omnium, vtpote ob ætatem impotentẽ, filio tradidisse administrationem: quippe cum & alij fuerint cõplures reges qui istud ipsum fecerint. Neq; tamen primus omniũ mor-

talium Saturnus regnauit, vt voluit Sibyllæ carmen superius: cum ante Saturnum & Rheam, Ophionem & Eurynomen Oceani filiam imperasse cōstet, quos & ipsos Titanas vocarunt: quo tempore Saturnus post captum Ophionem & Eurynomen à Rhea in tartarum deiectos, Deorum imperio potitus fuisse dicitur, donec eam ipsam vim passus est & ipse à Ioue, vt ait Isacius. Huic falcis inuētionem tribuerunt antiquorum nonnulli, quoniam (vt diximus) vitæ humanioris author fuit Italiam incolentibus, quos plantādi ac falce metendi rationem docuit. Alij dixerunt eam falcem sibi à matre fuisse datam. cum aduersus patrem, & ad liberandos è vinculis fratres armatus fuit, qua etiam genitalia Cœlo abscidit, quæ postea decidit in Siciliam, vt ait Apollonius libro quarto Argonauticorum:

*ἀμφιλαφὴς πίειρα κεραυνίη εἰν ἁλὶ νῆσος.*
*ἧ ὕπο δὴ κεῖσθαι δρέπανον φάτις,] (ἵλατε μοῦσαι·*
*οὐκ ἐθέλων ἐνέπω προτέρων ἔπος) ᾧ ἀπὸ πατρὸς*
*μήδεα νηλειῶς ἔταμε Κρόνος.*

*Insula cœruleo nemorosa Ceraunia ponto*
*Cingitur, hac celat falcem (mihi parcite Musæ:*
*Inuitus nam prisca cano hac) vt fama, parentis*
*Saturnus qua olim genitalium membra cecidit.*

Hæc insula ab ea falce postea Drepanum fuit dicta, cum Græci *δρέπανον* falcem nominent. Quamuis alij maluerunt dictam fuisse ab illa falce, quam Ceres à Vulcano captam donauit Titanibus, cum eos metere docuit. Timæus vero antiquissimus scriptor existimauit dictam fuisse Drepanum ab illa falce, qua Iupiter Saturnum incidit, quæ ibi occultata fuisse dicitur, cum antea illa insula Macris, à nutrice Bacchi diceretur, & postea Coryca ab Asopi filia, testatur Pausanias in Achaicis, & Licophrōis Apolloniiq; enarratores. Alij crediderunt falcē illam non à matre datā fuisse Saturno, sed Telchinē è Creta Rhodum venisse per Cyprū, indeq; ferrū & æs laborasse, falcemq; illam fabricasse Saturno. vt memoriæ prodidit Strabo libro decimoquarto Geographiæ. Ego vero magis illorū sententiæ accedo, q neque hac, neq; illa de causa Drepanum vocari putarunt, sed quia

crebræ

crebræ maris vnde eo cum impetu irruentes ita terram corroserint, vt insulam in formam falcis excauarint. Fuit Saturnus ad res Venereas maxime propensus, quare illa fabula de illo circumfertur, quod cum Philyram Oceani filiam amaret, Opi superueniente in equum se conuertit, vt sub ea forma amores suos occultaret. quod innuit Virgilius libro tertio Georgicorum his carminibus;

*Talis & ipse iubam ceruice effudit equina*
*Coniugis aduentu pernix Saturnus, & altum*
*Pelion hinnitu fugiens impleuit acuto.*

Huic sacra fiebant humanis hostijs, vt proditum est memoriæ à Platone in Minoe: καὶ ταῦτα ἔνιοι αὐτῶν ὑεῖς τῷ Κρόνῳ (ὡς ἴσως καὶ ἀκήκοας) θύουσιν. *Atque nonnulli ipsorum vel filios immolant Saturno, (vt fortasse audiuisti)* Hic ritus sacrorum per multos annos & vsque ad Herculis tempora perdurauit in Italia, quod fiebat ad Saturni imitationem, ne solus is crudelissimus fuisse Deus videretur, qui suos filios omnes interimere conatus sit.

Saturni ara cereis accensis excolebatur, cereique mittebantur ditioribus: quia Saturnus quasi lumen fuit humanæ vitæ, quam è tenebris ad bonarum artium cognitionem excitarit. In huius Dei honorem, cum celebrarentur Saturnalia apud Romanos, domini seruiebant seruis, ad memoriam pristinæ libertatis omnium quę fuit sub illo rege, cum nemo alteri seruiret. Qui voluerunt Saturnum esse dictum, quod annis saturetur, quam ridiculi fuerunt Dij boni? Nam qui ab annis dictus est, & à satietate apud Latinos, eritne idem Κρόνος apud Græcos, an alius aut male ficta est & ridicula hæc etymologia, aut præclari isti nominum interpretes mihi dicant velim, cum Κρόνος ἀπὸ τοῦ κορεῖν, hoc est à saturando, dicatur illud ὄνος quod asinum significat, num ipsi addendum putent in compositione: quod nisi addatur, videbitur nomen datum Saturno ante apud Latinos quam apud Græcos: quod falsum est. si addatur, significabit Saturnū asinis saturari. qua etymologia quid magis ridiculum est? Sed post res à Saturno gestas ita summatim explicatas, quam sententiam occultaue-

rint antiqui ſub his narrationibus inſtigemus.

Quidam antiqui ſcriptores voluerunt Saturnũ regnaſſe in Ægypto, ac Rheam ſororem duxiſſe in matrimonium, è quibus nati ſint Iupiter & Iuno, qui ob virtutem, præſtantiſſimaque animi ornamenta, vniuerſo terrarum orbi imperârint; ex his natos eſſe quinque filios omnino memorãt, Oſirim, Iſim, Typhonem, Apollinem, Venerem; atq; Oſirim eſſe Dionyſium tantopere à Græcis celebratum, Iſim autem Cererem. Saturnum è Cœlo & Rhea, quæ terra eſt, natum eſſe, nihil aliud ſignificat, quam illud idem quod diximus ſuperius; tempus ſcilicet cum cœli aſtrorumque agitatione & motu cœpiſſe, vt crediderunt illi qui Deum fuiſſe architectatum hunc mundum putarunt. Quidam cum Ianum Solem ac Saturnum tempus eſſe crederent, eoſq; cõmuni conſilio imperantes, clauem & virgam tribuerunt, vt qui rebus præeſſet. nam putabant clauem habere, quia per diem illam mundum aperiret, & mox veſperi clauderet. Alij claues tribuerunt quod belli paciſq; eſſet arbiter: quæ certe omnia pro prudentia ſunt intelligenda. Hunc idcirco ſenẽ & falcatum, & detecto capite, & laceris veſtibus, & porrigentem ſerpentem finxerunt, quem circumſtabant duo pueri & duæ puellæ, pro quatuor elementis. In eius ſiniſtra manu ſerpens erat, qui ſibi caudam morſu apprehenderat, quod omnia tempus & viciſſitudines rerum hæc ſignificarent, at cur patri genitalia membra abſcidit? explicauit id Cicero in ſecundo de natura Deorum: nam cum æther Saturnus eſſe ab antiquorum nonnullis crederetur, vt videtur putaſſe Orpheus in Argonaut. cum inquiat:

*Ἐ Κρόνον, ὃς ἐλόχευσεν ἀπειρεσίοισιν ὑφ' ὀλκοῖς αἰθέρα:*
*Æthera Saturnum qui late amplectitur alium:*

hunc exiſtimarunt patrẽ abſcidiſſe, quoniam vnus eſt æther à Deo ſiue Cœlo procreatꝰ ex vniuerſa ætheris materia. nequealius æther procreari poteſt, qui ſi pro tempore capiatur idem nihilominus continget. Conuenit ita cum Titano fratre vt filios omnes occideret; quod quid aliud eſt, niſi Solem cum tẽpore coniuraſſe, vt omnia quæ naſcãtur properarent ad interitum? quippe cum autor ſit generationis &

corru-

corruptionis rerũ naturalium Sol, quorum nihil fit sine tẽpore. Cum igitur rerum sit omnium vicissitudo, omniaque quæ quidem nata sunt, interire aliquando necesse sit, quia quæ composita sunt, denique in sua principia soluuntur, quorum omnium mutationis architectus est tempus, dictus est Saturnus filios vorasse. quod saxum vomuerit Saturnus & reliqua omnia quæ comederat, quid aliud est quam alias res in demortuarum locum sufficì ab ipsa natura & reparari? Sic enim ait Sophocles in Aiace;

ἅπανθ' ὁ μακρὸς κἀναρίθμητος χρόνος
φύει τ' ἄδηλα, καὶ φανέντα κρύπτεται.
*Tantum valet tempus, vetustas vim hanc habet;*
*Ignota profert, celat inde cognita.*

Quod autem Saturnus sit tempus, ac nihil aliud quod omnia destruit, & omnia producit, indicat carmen illud Orphei in hymno Saturni;

ὃς δαπανᾷς μὲν ἅπαντα, καὶ αὔξεις ἔμπαλιν αὐτός.
*Omnia qui profers, consumis & omnia rursus.*

Et Æschylus in Eumineidibus;

χρόνος καθαιρεῖ πάντα γηράσκων ὁμοῦ.
*Simul senescens cuncta tempus destruit.*

Neque mirum est, cum tempus esse Saturnum dicimus, illum fuisse Deum existimatum, quando Sophocles in Electra tempus palam Deum appellauit;

χρόνος γὰρ εὐμαρὴς θεός.
*Deus profectò tempus est facilimus.*

Cum enim Sol nunc ad septentrionẽ, nunc ad meridiem declinet, quare nunc hyemes nũc æstates faciat, atq; pro mutationib. temporum omnia quę terra natiue nascũtur, initia, causasq; accipiãt sui ortus, merito dictus est Saturnus ab Orpheo pater & hominum & Deorũ, vt est in hoc versu:

Αἰθαλὴς μακάρων τε θεῶν πάτερ, ἠδὲ καὶ ἀνδρῶν.
*Flammiger ô Saturne hominum pater atque Deorum,*

Qui facilẽ quoq; illi attribuerũt, nihil aliud putasse videntur Saturnũ nisi tẽpus ipsum, à quo omnia incidũtur, prosternuntur, & labefactantur, quippe cũ tempori etiam falcẽ antiqui tribuerint, vt patet ex his libri tertii Epigrammatũ:

ψήχει καὶ πέτρην ὁ πολὺς χρόνος, οὐδὲ σιδήρου
φείδεται, ἀλλὰ μιῇ πάντ' ὀλέκει δρεπάνῃ.

*Marmora discindit vis temporis, ac neque ferro*
*Parcit: in humana cunctaq; falce secat.*

Falcem Saturni vel Iouis vel Cereris occultatam fuisse in Sicilia fabulari sunt, propter insulæ frumenti, rerumq; victui necessariarū fertilitatem; nam insularum omniū prope fertilissima est in Sicilia vt scripsit Polybius lib. 1. historiar. Est.n. Sicilia omniū prope insularū optima & amplissima dignitate ac frequētia hominū & inprimis ab antiquis & recentib. scriptorib. celebrata eius ambitus est stadiorū quatuor millium trecentorū & sexaginta cum à Peloro Siciliæ promontorio ad Lilybæum mille & quingenti stadii intercedant: inde ad Pachynum, Syracusanamq; regionem mille & quingenti. reliquum latus (est enim triquetra insula) continet stadios mille & quingentos & sexaginta, de cuius insulæ feracitate ita scribit poetarum celeberrimus:

ἀλλὰ τάγ' ἄσπαρτα καὶ ἀνήροτα πάντα φύονται,
πυροὶ καὶ κριθαὶ, ἠδ' ἄμπελοι, αἵτε φέρουσιν
οἶνον ἐριστάφυλον, καὶ σφιν Διὸς ὄμβρος ἀέξει.

*Omnia sponte sua hæc sine aratro aut semine surgunt:*
*Hordea frumentum, vites quæ mollia vina*
*Producunt, augetq; Iouis gratissimus imber.*

Nam putatur à plerisq; frumentum in Sicilia prius inuentum fuisse, cui rei argumento fuit, quod in planitie Leōtia Siciliæ frumentum syluestre sponte nasceretur. dicta est apud Ennam ab his rapta fuisse Proserpina in quibusdam pratis, vbi violæ & alii multiplices flores odoriferi sponte nascebantur, qui semper ita vigebant vt odorem canum venantium naturalem impedirent. Est illud pratum planum in medio, at circum cliui molles attolluntur ita vt vmbilicus insulæ iure dicatur. habet circum nemora & fontes & viridiaria, & apud ipsa paludem, & propinquam speluncam satis amplam, quæ habet hiatum subterraneum, qua currū Plutonis cum rapta Dea descendisse ferunt. Sed cur fuit Saturnus à Ioue de Regno depulsus? cur ligatus? cur in tartarum deiectus? quia subilimiora corpora, quæ sunt supra elementa & corpora simplicia, omnem vim temporis ad inferiora, quæ patiūtur mutationem relegarunt: cum ipsa sint ab omni vel senectute vel labore vel mutatione immunia, vt senserunt Peripatetici. Vocarunt igitur tartarum locum hunc inferiorem corruptioni & perturbationi scilicet obnoxium.

noxium. Sic igitur se & fratres suos Iupiter ab immanitate Saturni liberauit: cuius fratres sunt elementa, quorum etsi partes singulæ corrumpuntur, vniuersa certe interire non possunt. Lucianus tamen in dialogo de Astrologia idcirco datum esse fabulæ locum inquit, quod Saturnus fuerit ligatus, quia tardus segnisque sit planetæ illius motus: cum tamen ligatus nunquam fuerit Saturnus, neque in tartarum deiectus, qui locum dedit fabulæ propter multas tergiuersationes & varietates, quæ contingunt illius mortui. Idem cum non facilis sit visui mortalium, dictus fuit aliquando in tartarum sub terram deiectus, quam tarditatem ac varietatem motus mirifica sane elegantia orationis expressit Virgilius in primo Georgicorum eo versu:

*Frigida Saturni sese quo stella receptet.*

Italia Saturnia de nomine Saturni fuit appellata, illique sacra credita, quod multorum bonorum autor Saturnus Italis hominibus fuerit, vt inquit Halicarnassæus Dionysius in lib. I. οὐδὲν οὖν θαυμαστὸν τοὺς παλαιοὺς ἱερὰν ὑπολαβεῖν τοῦ Κρόνου τὴν χώραν ταύτην. τὸν μὲν δαίμονα τοῦτον οἰομένους εἶναι πάσης εὐδαιμονίας δοτῆρα καὶ πληρωτὴν ἀνθρώποις, εἴτε Χρόνον αὐτὸν δεῖ καλεῖν, ὡς Ἕλληνες ἀξιοῦσιν εἴτε Κρόνον, ὡς Ῥωμαῖοι. πᾶσαν δὲ περιειληφότα τὴν τοῦ κόσμου φύσιν, ὁπότερον ἄν τις ὀνομάσῃ. *Neque mirum est sane si antiqui sacratam Saturno regionem hanc existimarunt: quippe cum omnium bonorum, omnisque feracitatis autorem & largitorem hunc dæmonem crediderint: siue tempus ipsum nominari conuenit, vt arbitrantur Græci siue Saturnum, vt Romani. hic, vtrocunque nomine quis vocauerit, vniuersam mundi naturam complexus est.* Platonicorum præterea classis, cum Cœlum illum, Saturnus fuit filius, Deum esse putarent, at non sublime istud corpus, quod omnia continet, mentemque illam diuinam, quæ cæteras complectitur: hanc mentem modo Iouem, modo Venerem, modo Saturnum vocarunt. & quoniam locus illi in cœlo præcipue assignatur ab omnibus, cuius nutu cuncta gubernantur, idcirco Cœli filium Saturnum, siue mentis virtutem cœlo prouenientem, & in omnia corpora diffusam dixerunt. Cum diuina illa mens æthercam regionem gubernans intelligitur, tunc vocatur Iupiter: ast vbi in inferiora

corpora descendit ad ea ad generationem conci-anda, tūc appellatur Venus. hinc accidit vt is Saturnus mens superna aliquando intelligatur, in qua sit lux vniuersa rerum omniū atque prouidentia, quæ ad ordinem & vitam & mutationes omnium fortunarum pertineat. Alii tamen eius sphæræ cœlum quæ aplanes nuncupatur, animam: at inferioris, Saturnum dixerunt qui ordo postea seruatur in cæteris. Atque hæc ea sunt, quæ fabulose de Saturno dicta ad physicas rationes detorquentur; quorum fundamentum res à Saturno gestas fuisse ego crediderim: quæ tum voluptatis, tum etiam religionis causa fuerunt ab antiquis ita formata. Nunc quid Astronomice ista significent, explicandū est.

Scriptum est à genethliacis Saturni sidus frigidum esse ac siccum, quare bilis atræ ferax est, hominesq; facit in quibus præualuerit in ortu, inuidos, malignos, superbos, auaros & ad iram tardos, sed in ea diutius insistentes, atq; iidem tamen plurimum pollent consilio & ingenio, audaces facit in periculis, senilique sapientia. Hanc tamen planetæ malignitatem aiunt placari aut certe leniri Iouis coniunctione vel receptione, vel oppositione, vel trino, vel sextili aspectu. Sicut enim mars cum in angulis cœli, vel in secunda (vt aiunt) domo, vel in octaua fuerit, multa nascentib. portēdit: cuius tamen malignitatem minuit Venus vel opposita, vel coniuncta vel recepta, vel per sextam circuli partem distans ab eo, vel per tertiam, omnemque feritatem & rabiē prope compescit, sic accidit Saturno ob Iouis aduentum. quare dictus est à poëtis Saturnus à Ioue filio esse vinctus, qui sub ipso Saturni circulo est: & in tartarū deiectus, quoniam eius vires infringit & obscuras facit. Quod si vera sit illorum sententia, qui dicunt sidera significare tantum hominib. superarum mentium voluntatem, tāquam aues augurium, nullamq; vim in nos habere ad commouēdum cur Venus dicta est à sapientibus Martis malitiam infringere aut Saturni Iupiter retardare? Dictus est rursus in equum conuersus Saturnus animal in Venerem propēsum ac pene furiosū, quia libidini deditos vis planetę elā facit, ac furorem venereum pene concitat in iis corporibus, quib plurimum dominatur. Eum multorum commodorum inuentorem fuisse asserunt quia melācholici, & quib. in ortu dominatur Saturnus, plurimum valent ingenio & prudentia.

Præterea

¶ Præterea cum singulis planetis ob similitudinem quãdam metalla singula sint attributa, metallorum tortores siue chemistæ artifices, hanc totam fere fabulam ad suam artẽ retrotferunt; cum se Gebrum, Hermetem, & Raymũdum Platonicos, imitari velle profiteantur. Dicunt enim fictum fuisse ab antiquis, quod Iupiter Saturno genitales partes absciderit acuta falce, easque in mare deiecerit, ex quibus & è spuma nata sit Venus, quia Saturnus sal sit quidam, pater Iouis, præparati salis scilicet, qui sit ex eo præparato. Sed quoniam cum Iupiter in vase vitreo existit, in peracutam tenuemque aquam soluitur propter vim ignis, quæ sumitur etiam ab ipso Ioue, cum viriles partes secum afferat, incidens ac separans sulphur intimum ac in sale latens, quæ recidunt in vas quod accipiendis apponitur; idcirco & Saturno & amputatas viriles partes dicunt: & cum sal in aquam tanquam in mare decidat, ex illo sale ac sulphure gignitur Venus. Conantur enim metallorum tortores & has, & alias his similes artes excogitare, quibus possint metalla in alias formas transferre teterrima paupertatis forma perterriti, ac semper illam lepidissimi poëtæ Timoclis sententiam in animo habentes, qui ita inquit;

ψυχὴ βροτοῖσιν αἷμά τ' ἐστὶν ἄργυρος.
τουτονὶ σῶρευν οὐκ ἀθροίζων ἀθρόον,
πλάζει θανόντος ἀνδρὸς ἐν ζωοῖς σκιά.

*Est sanguis atque spiritus pecunia*
*Mortalibus: qua nulla cui sit copia,*
*Viuos pererrat inter umbra mortui:*

Pingebatur autẽ ab antiquis Saturnus senex pallidus, curuus, altera manu falcem gestans, & draconem caudam sibi mordentẽ: altera filium paruum ori apponebat, ac vorabat: caput galea tegebatur, & super illa erat amictus. Habebat iuxta se quatuor filios, è quibus Iupiter virilia amputabat, ac in mare proiiciebat, è quibus Venus oriebatur. Senex is nimirũ ob motus tarditatẽ ita fingebatur, & ob caloris inopiã, falcẽ habebat, quia retrogradus planeta, quod p serpentem etiã significabant, vorabat filios, quia pauci viuunt qui nascentes habent Saturnum in horoscopo dominantẽ. Iupiter virilia amputat, quia coniunctus tẽperat malitiam, & de imperio deiicit, quia se exaltat in Saturni circulo, hãc enim & picturam & interpretationem Saturni tradiderũt

antiqui nonnulli. Atq; hæc physice & astronomice summatim dicta sint, nunc quo pacto possint eadem ad humanæ vitæ institutionem accommodari, inuestigandum videtur. Saturnum deiecisse patrem suum è regno propter iniurias fratrum, quid aliud significat, quam iniuriarum denique vindicem esse Deum? cum nemo malus diu fœlix esse possit. At fuit idem Saturnus postea idem passus, quia nulla iniquitas iniquitatis est remedium: idcirco qui iniurias vlciscuntur, illud prius videre debent, quatenus viro bono procedendum sit: atque eædem iniuriæ quas in parentes contulerimus, sunt nobis à filiis postea expectandæ; cum omnes domesticis exemplis maxime incitentur. Si quis rursus post datas pœnas suorum peccatorum sapiens extiterit, illud experitur denique apud omnes bene institutas & politicas nationes, apertum esse externæ virtuti locum, ac vbique viris bonis esse patriam, & vbique mortalium sapienti viro humanam fœlicitatem quantulacunq; est, patere. Ac de Saturno satis, nunc de Cœlo dicamus.

## *De Cœlo.* CAP. III.

Coelus, quem alii Cœlum, alii Vranum Græco nomine appellant, Ætheris & Diei filius fuisse dicitur, vt testatur Cicero lib. 3. de natura Deorum his verbis: Quod si ita est, Cœli quoq; parentes Dii sunt habendi Æther & Dies, eorumque fratres & sorores. Huius vxor Vesta fuisse dicitur. quam nihil aliud esse quam terram, suo loco dicetur. Scriptum reliquit tamen Hesiodus Cœlum è terra natum fuisse, vt p[a]tet ex his carminibus:

Γαῖα δὲ τοι πρῶτον μὲν ἐγείνατο ἶσον ἑαυτῇ
οὐρανὸν ἀστερόενθ' ἵνα μιν περὶ πάντα καλύπτοι.
*Terra sibi par stellatum Cœlum alma creauit,*
*Quod comq; lectatur lato velamine totam.*

Quæ mox cum cœlo nupsisset, coniunctaq; fuisset, insignē filiorū multitudinē illi procreauit, Cœum scilicet, Crium, Hyperionem, Iapetum, Thiā, Rheam, Themin, Minemosynem, Phœben, Tethyn, Saturnū, Brontem, Steropen, Argē, Cottum, Briareum, Gygan, quos omnes cōmemorauit Hesiodus, in Theogonia, & Apollodorus Atheniēsis in lib. 1. Bibliothecæ, vt dictum est superius atq; eadē terra postea è Tartari cōgressu Typhoeum genuit, vt ait idē Hesiodus.

In hunc excitatus Saturnus natu minor ex omnibus Cœli filiis, accepta adamantina harpe à matre ob fratres vinctos patrem cœpit, ac illi genitalia membra præcidit, è quorum sanguine Alecto, Tisiphone & Megæra natæ fuisse dicuntur. Scriptum reliquit Lactantius in libro de falsa religione: Cœlum præstitisse potentia cæteris mortalibus, atque cum reges antiquitus pro Diis colerentur, inde accidit vt Cœlus pro æthere cultus sit: & Saturnus ad extollendam generis claritatem, quod gloriæ splendorisque generis desiderium omnibus mortalibus in altissimo fortunæ gradu constitutis, maxime est innatum, se è cœlo Deorum omnium sede & è terra natum esse gloriabatur. Attamen, si quis recte consideret, idem nobilitatis genus & ranis, & muscis & cæteris animalibus compluribus natura abunde largita est, quod ex æthere siue calore siderum, & ex terra per imbres multa huiusmodi semina concipiuntur & producuntur, vt est in iis carminibus.

*Tum pater omnipotens fœcundis imbribus æther*
*Coniugis in gremium lætæ descendit: & omnes*
*Magnus alit magno commistus corpore fœtus.*

Neq; plura his fabulati sunt antiqui de Cœlo. ¶ Quod Ætheris ac Diei filius fuerit, videtur nihil aliud significare nisi naturæ ordinem in cœlestibus corporib. collocandis: quæ puriora sunt enim, cæteris superiora sunt & in sublimiore loco: quare in coordinandis iis corporibus cùm à cæteris secessisset, dictus est natus ex Æthere & Die ob inferiorum siderum lumen. Alii è terra natum dicunt, qui mundum ab opifice Deo fabrefactum putarunt ex informi materia. Verumtamē idem cœlum pars est ætheris, atque cœlum æther fuit appellatus, vt testatur carmen illud Pacuuii apud Ciceronem in secundo libro de natura Deorum.

*Hoc quod memoro, nostri cœlum, Grai perhibent æthera.*

Sic Orpheus in hymnis nihil aliud esse cœlum existimat, nisi hunc æthera qui constat ex altissimis illis ignibus, vt patet ex hoc:

*οὐρανὲ παγγενέτωρ, κόσμου μέρος αἰὲν ἀτειρές.*
*Omniparens cœlum, pars & sanctissima mundi*
*Perpetua.*

Vocatum est cœlū, quia concauū sit, quod κοῖλον, significat apud Græcos. Quod autem exectus fuerit à Saturno filio, in

neminem adhuc incidi, qui satis probabilem causam attulerit. nam ridicula est illa quam affert Cicero in. 2. de Natura Deorum hoc pacto : nam vetus hæc opinio Græciam oppleuit Cœlum exectum a Saturno filio. victum autem Saturnum ipsum à filio Ioue. Physica ratio non inelegans inclusa est in impias fabulas : Cœlestem enim, altissimam, ęthereamque naturam, id est, igneam, quæ per se omnia gigneret, vacare voluerunt ea parte corporis, quæ coniunctione alterius egeret ad pocreandum. Hoc si ita sit, cur aliquo tempore eas partes habuerit æther declarandum fuit: aut si Saturnus pro tempore intelligatur, quod saturetur annis, cum dicantur omnia è tempore nasci, & rursus ab eodem labefactari; cur idem fuit exectus à Ioue filio? numquid nihil aliud ab eunucho tempore nascetur? Aut nulla igitur vera est, & quæ seruari possit harum rerum interpretatio : aut hæc ad mundi procreationem (vti dicebam) respicit; quæ partim ab historiis, partim ab impositorum nominum natura sumpsit originem. Exectus fuit igitur Cœlus, vt ego quidem sentio, quia vnus sit æther, vnumq; cœlum, neque vllum tempus patietur posse alium ętherea aut aliud cœlum procreari, cum ex vniuersa constet materia. Nam cum vnus sit mundus, aut non plures, cum neque esse possint, merito dicunt Cœlum exectum à filio, quia sibi simile quidpiam tempus non sinet procreari. Vnum est igitur cœlum, & vnum tempus, quod nascitur ex illius motu: ambo execta, quia non plures esse possint: vnde hausta fuit Peripateticorum disciplina. Cœli res gestæ nullę ad nostræ ætatis memoriā peruenerunt, quare facile adducor, vt putem ob prudentiam probitatemque hominis principatum ad ipsum fuisse delatū. vnum de illo apud varios scriptores inuenio multorum testimonio comprobatum, quod mortuus est in Oceania (nam Creta, vt opinor, ita vocabatur) in oppidoque Aularia fuit sepultus, vt ait Lactantius. Nec me præterit nōnullos fuisse, qui Cœlum intellexerint animam esse supremi & stellati cœli, quam modo Deum, modo Dei ipsius fœcunditatem putarunt. Atque cum Iouem beneficam voluntatem Dei omnibus prouidentem existimarūt, aiebant eum execuisse Saturnum, hoc est, ad Dei mentem peruenire : mox Saturnus execat Cœlum, quia mens ipsa plurima extorquet à Dei optimi fœcunditate, à quo ea

quæ

quæ proueniunt, non integra & perfecta sunt, vt in Deo: sed à Ioue ligata & angustioribus naturæ limitibus accipientis vitio coarctata. Quæ ad mores attinent, similia prope sunt atque in Saturno. nunc de Iunone dicatur.

## *De Iunone.* CAP. IV.

CVM de Saturno verba faceremus superius, inter cæteros Saturni filios Iunonem etiam commemorauimus: nam duas tantum fœminas è Saturno natas fuisse accepimus, Glaucam scilicet & Iunonem. Erat id fœdus Saturno cum Titanis (vt dictum est) vt mares omnes, si qui nascerentur è Saturno, interficeret; at filias, vt imperio minime aptum genus, pro arbitrio ac voto educare licebat. Cum eodem partu Iupiter & Iuno nati fuissent, Iupiter (vt diximus) clam per Corybantes in Cretam deportatur; at Iuno, vt quæ sola eodem partu nata sit, Saturno oblata, quod facile creditum fuit. At enim de loco vbi nata fuit Iuno ambigitur, quod ab aliis scriptoribus in alio loco nata esse dicatur. Strabo libro nono scriptum reliquit Iunonem Argis natam esse, quod videtur significasse Homerus libr. 4. Iliadis hoc versu:

Ἥρη τ᾽ Ἀργείη, καὶ Ἀλαλκομενηῒς Ἀθήνη.

*Iunoque Argiua, atque Alalcomena Minerua.*

Quam tamen Samiam Iunonem esse scribit Pausanias in Achaicis, cum Samij Iunonem apud se natam esse dixerint apud Imbrasum fluuium sub quadam vitice. Atqui vt eadem in vtroque loco nata sit, fieri non potest: communior tamen sententia est quod in Samo sit edita, cui sententiæ & Apollonius accedit, vt scripsit in primo Argonauticorum his verbis:

— ὁ δ᾽ Ἰμβρασίης ἕδος Ἥρης
Παρθενίης Ἀγκαῖος ὑπέρβιος.

*Ast hic Imbrasiæ Iunonis sede relicta,*
*Parthenia præstans Ancæus.*

Nam cum Samus Melantheus & Anthemusa antea vocaretur, dicta fuit postea Parthenia quia Iuno virgo in illa sit educata, vt scripsit Callimachus in lib. περὶ κτίσεων νήσων καὶ πόλεων καὶ μετονομασιῶν, hoc est, *de conditis & habitatis insulis, & ciuitatibus, & de illarum nominibus.* quam rem explicauit etiam Apollonij Rhodij enarrator. Huius nutrices di-

cuntur fuisse Euboea, & Porsymna, & Acræa Asterionis fluuij filiæ vt memoriæ ꝓdidit Pausanias in Corinthiacis. Atque Olen poëtam per antiquum carmina quędã in honorẽ Iunonis cõposuisse accepimus, in quib. scriptum erat, Iunonem ab Horis fuisse educatã. Idem Pausanias in Arcadicis Iunonem à Temeno educatam scribit. cuius etiam nutrices fuisse Oceanitides inquit Ouid. lib. 2. Metamorph.

*At vos si læsæ tangit contemptus alumnæ:*
*Gurgite cæruleo septem prohibete triones.*

Nec defuerunt qui ab Oceano & à Tethye nutritam fuisse dixerint, quorum sententiam secutus est Homerus lib. ξ. Iliadis vbi inquit:

εἶμι γὰρ ὀψομένη πολυφόρβου πείρατα γαίης,
Ὠκεανόν τε θεῶν γένεσιν, καὶ μητέρα Τηθύν·
οἵ μ' ἐν σφοῖσι δόμοισιν ἐΰ τρέφον ἠδ' ἀτίταλλον.

*Oceanum visura peto namque vltima terræ,*
*Vnde genus superum, deinde Tethymque parentem;*
*Qui me aluere suis domibus fœliciter olim.*

Habitauit igitur Iuno in Samo Insula donec virgo fuit, cuiusce rei argumentum fuisse inquiunt, quod anniuersaria sacrificia ibi fieri solebant in nubentis Deæ morem, vt scripsit Lactantius. Quo autem pacto Iouis fratris facta sit cõiunx cum ad nubilem ætatem adoleuisset, ita fabulose narratum est à nonnullis. Dicunt Iouem potiundæ sororis desiderio arsisse, quam cum à cęteris Deabus seiunctam vidisset, cuperetq; ex eius conspectu euanescere & occultari, sese mutauit in cuculum, & in montẽ, qui Thronax antea, postea Coccyx ab ipso cuculo dictus fuit, cõuolauit. Iupiter igitur eo ipso die magnã tempestatem excitauit. ad quẽ montem, Iuno cum sola esset, accessit, ibiq; cõsedit: vbi Iunonis adultæ postea sacellum erectum fuit. Cum tremens igitur ac frigẽs cuculus ad Iunonis genua aduolasset, ea illius miserta auiculæ vestem continuo circũiecit. At Iupiter resumpta prima figura rem habere cũ illa tentauit, quæ matrem verita, vbi se vxorem ducturũ Iupiter promisisset & iurasset, assensit. quare apud Argiuos, qui maximo eam habẽt in honore, in Iunonis templo, eius statua sedens in throno cum sceptro, & cuculo super sceptro, erecta fuit, vt ait Dorotheus in lib. 2. Metamorph. Lucianus autem in mortuorum dialogis scriptum reliquit ex instituto Persarũ & Assyriorum

id fe-

id fecisse Iouem, quibus mos fuit vel sanguine coniunctas vxores ducere. Postea Iuno nuptiis præfecta fuit, atque cũ Iunoni ante nuptias sacrificaretur, fel victimarum post altare abijciebatur. Hæc filios Martem, Argen, Ilithyam, & Hebẽ dicitur habuisse, vt testatur Pausanias in Corinthiacis. Atq; Lucianus in ijsdem dialogis Iunonem scribit citra vllum congressum maris è subuentaneo conceptu grauidam Vulcanum peperisse. Fabulati sunt præterea fontem fuisse apud Argiuos, cui Canatho nomen fuit, in quo proditum est Iunonem, vbi quotannis se lauerit; denuo virginem fieri: qui sermo manauit ab arcanis initiorum & mysteriorum, quæ solenni ritu apud illos fiebant, vt ait Lysimachus Alexandrinus lib. 13. rerum Thebanarum, & Paus. in Corinthiacis. Fabulantur Iunonem aliquando iratam Ioui in Eubœam recessisse, quam cum Iupiter placare nullo pacto potuisset, ad Cithæronem adiit Platæensium regem, callidissimum tunc omniũ mortaliũ, eius monitu Iupiter simulacrum è ligno fabricauit, quod vestimẽtis egregie indutum plaustro imposuit, famamq; edidit se Platęam Asopi filiã esse ducturũ: id intelligens Iuno zelotypia capta ad plaustrum irruit, vestes discidit, fraudẽ cognouit: quare ridens facile cũ Ioue in gratiã rediit, vt scripsit Dorotheus in lib. 2. narrationum fabulosarum. Hæc eadem matrimoniorũ præses ab antiquis dicebatur, vt sensit Vir. lib. 4. Æn.

*Iunoni ante omnes, cui vincla iugalia curæ.*

Quæ idcirco quod præesset matrimonijs, pronuba fuit appellata, vt ait idem poeta;

*Dant signum prima & tellus, & pronuba Iuno.*

Et Ouid. in Phyllidis epist.

*Iunonemque thoris quæ præsidet alma maritis.*

Ferunt Iunonem lac Herculi infanti præbuisse, quo immortalitatem assequeretur, cum illum idcirco Pallas ad illam attulisset: quod innuit Lycophron in eo versu;

*μύσῃ τροπαίας μαστὸν ἔκθηλον θεᾶς.*

*Gratumque cultori Tropaæ vber Deæ.*

Nam fabulatur Iouem aliquando dormiẽtis Iunonis vberibus Herculẽ infantem admouisse, quo ab excitata reiecto pars lactis quæ in cœlum cecidit, viam inde vocatam lacteã fecit: at quod cecidit in terrã, fecit candida lilia, cum prius essent crocea. Hæc Dea tria loca pcipue dicitur habuisse, in

quibus colebatur summa religione, quę ipsa sibi gratissima esse memorat apud Homerum lib. 4. Iliad.

τὸν δ᾽ ἠμείβετ᾽ ἔπειτα βοῶπις πότνια Ἥρη.
ἤτοι ἐμοὶ τρεῖς μὲν πολὺ φίλταταί εἰσι πόληες.
Ἄργος τε, Σπάρτη τε καὶ εὐρυάγυια Μυκήνη.

*At Iuno contra sic est exorsa vicissim:*
*Sunt mihi tres urbes delectæ, Sparta, Mycenæ,*
*Atque Argos, quæ sacra ferunt mihi tempore in omni.*

Enimuero cum multis aliis in locis magna religione Iuno colebatur, tū apud Eleos, vt ait Pausanias in Eliacis, quinto quoque anno matronæ sedecim ludos instituebant, qui Iunonia vocabantur, atque virginibus pro ætate in classes diuisis certamen cursus proponebatur. Currebant primæ impuberes puellæ, mox grandiores natu, postremæ natu maximæ, quæ ad Olympica certamina etiam accedebant, sed ijs minora stadia proponebantur. Hypercheriæ Iunonis præterea delubrum extructum fuit apud Lacædemonios, quo tempore Eurotas agrum Laconicum late diluit, ex oraculi responso. Hanc Iunonem Venerem etiam nominabant, cui vota facere matronæ pro filiarum nuptiis, vtpote pronubæ Deæ, consueuerunt. Colebatur etiam Lacinia Iuno cognomento in agro Crotoniate, sicuti testatur Dionysius in libello de situ orbis in his carminibus:

ἱμερτὸν πτολίεθρον ἐυστεφάνοιο Κρότωνος,
Ναιόμενον χαρίεντος ἐπ᾽ Αἰσάρου προχοῇσιν,
Ἔνθα κεν αἰπεινὸν ἴδοιο Λακινιάδος δόμον Ἥρης. *hic vbi ab illis*
*Exigua vrbs colitur valde iucunda Crotonis;*
*Æsari vbi ad primas herbosi fluminis vndas,*
*Alta Laciniadis Iunonis templa videntur.*

Hanc Deam cum cælicolarum reginam putarent, cum sceptro & diademate fingere mos fuit antiquorum. Fama est Iunonem infensam maxime omnium mortalium Herculi fuisse, quod è pellice Alcmena natus fuisset, propter quam & vniuersum Thebanorum genus odio habebat; quare fuit etiam ab ipso Hercule vulnerata, vt testatur Hom. in lib. 5. Iliad.

τλῆ δ᾽ Ἥρη, ὅτε μιν κρατερὸς παῖς Ἀμφιτρύωνος
δεξιτερὸν κατὰ μαζὸν ὀϊστῷ τριγλώχινι βεβλήκει.

*Passa fuit Iuno, cum filius Amphitryonis*
*Dextrum vber ferro percussit forte trisulco,*

Verum-

Verumtamen cum infinitas prope difficultates, multaque pericula illi proposuisset, effecit vt immortalis eius gloria apud homines vigeret, neq; vllus prope fuit, quin per Iunonis odium gloriosus inter mortales euaserit, & illustris, quando gloria omnis & rerum gerendarum præstantia, non nisi in arduo & difficili loco sit constituta. Neque vlla fuit omnium Dearum, quæ magis pellicum multitudine infestata fuerit. idcirco Numa apud Romanos lege sanciuit ne qua pellex Iunonis templum ingrederetur, his verbis: Pellex ædem Iunonis ne tangito: si tangat, Iunoni agnum fœminam crinibus dimissis cædito. Hæc, cum Dij cæteri territi ob metum Gigantum in Ægyptum aufugerent, ac alij aliam formam sumpsissent, in vaccam se conuertit, vt est apud Ouid. lib. 5. mutationum;

*Huc quoque terrigenam venisse Typhoea narrat,*
*Et se mentitis superos celasse figuris.*
*Duxq; gregis dixit fit Iupiter, vnde recuruis*
*Nunc quoq; formatur Lybicis cum cornibus Hammon.*
*Delius in coruo est, proles Semeleia capro,*
*Felle soror Phœbi, niuea Saturnia vacca.*
*Pisce Venus latuit, Cyllenius Ibidis ales.*

Credita fuit esse diuitiarum Dea ab antiquis, quod etiam sensit Ouidius, vt est in Epistola Paridis;

*Tantaque vincendi cura est, ingentibus ardens*
*Iudicium donis sollicitare meum.*
*Regna Iouis coniunx, virtutem filia iactat.*
*Ipse potens dubito fortis an esse velim.*

Huic Deæ candida vacca litari mos fuit, vt testatur Virg. lib. 4. Æneid.

*Ipsa tenens dextra pateram pulcherrima Dido*
*Candentis vaccæ media inter cornua fundit,*

Fuit anser auis consecrata Iunoni & Inacho flumini existimata, quia illud animal facilime sentiat omnem vel minimum aeris motum. Fama est, quod Iupiter hanc Deam aliquando alte suspenderit, pedibusq; illius duas incudes appenderit, atque aureum vinculum iniecerit manibus. Tum vero cum Iuno penderet in æthere, Dij cæteri grauiter ferebant neque soluere tamen potuerunt, vt testatur Homerus in lib. Iliadis, his carminibus;

ἦ οὐ μέμνῃ ὅτε τ' ἐκρέμω ὑψόθεν, ἐκ δὲ ποδοῖιν

*ἄκμονας ἧκα δύω, περὶ χερσὶ δὲ δεσμὸν ἴηλα*
*χρύσεον ἄρρηκτον. σὺ δ' ἐν αἰθέρι καὶ νεφέλῃσιν*
*ἐκρέμω· ἠλάστον δὲ θεοὶ κατὰ μακρὸν ὄλυμπον,*
*λῦσαι δ' οὐκ ἐδύναντο παρασταδὸν· ὃν δὲ λάβοιμι,*
*ῥίπτασκον τεταγὼν ἀπὸ βηλοῦ.*
*An subit vt te suspendi, pedibusque ligaui*
*Incudes binas, manibusque vt vincula ieci*
*Aurea firma? leui sublimis ab æthere at ipsa*
*Pendebas, grauiter superi doluere, sed vllus*
*Soluere non poterat. cœpi quemcunque propinquum*
*De cœlo ieci.*

Istud ipsum significauit aurea Homeri catena, è qua pendebant Dij omnes Iouem de cœlo detrahere conantes, quorum tamen conatus fuit irritus, vt ait Homer. in libro Iliad. θ.

*σειρὴν χρυσείην ἐξ οὐρανόθεν κρεμάσαντες,*
*πάντες δ' ἐξάπτεσθε θεοὶ πᾶσαί τε θέαιναι.*
*ἀλλ' οὐκ ἂν ἐρύσαιτ' ἐξ οὐρανόθεν πεδίονδε*
*Ζῆν' ὕπατον μήστωρ', οὐδ' εἰ μάλα πολλὰ κάμοιτε.*
*Aurea sit vobis superi suspensa catena*
*De cœlo, hanc trahite ô Diui, cœtusque Dearum.*
*Sed non detrahere è cœlo, neque vincere summum*
*Vlla Iouem poterit vis: labor omnis inanis.*

Per huiusmodi fictas ambages rerum naturaliũ seriem declararunt poetæ. nunc scientiam & præcepta, nunc naturalium vires & principia, nunc vitæ humanæ recte instituendæ rationem sub his fabularum arcanis integumentis occultarunt, quæ non poterant nisi à sapientibus, aut quibus sapientes explicassent, intelligi. Quid autem Iuno suspensa ita significet, & cur Iouem de cœlo Dij detrahere non possent, declarabitur paulo inferius. Attribuerunt antiqui nymphas, quatuordecim Iunoni, quæ illius seruitio semper assisterent, vt ait Virgilius libro primo:

*Sunt mihi bis septem præstanti corpore nymphæ.*

Quarum omnium maxime Iridis seruitio vtebatur. Huic Deæ sacer erat pauo, quia propter illam cæsus fuit Argus à Mercurio, & in illam auem mutatus, vt ait Theodorus in libro Metamorphoseωn, vbi Io custodiret mandato Iunonis. Illius currum idcirco finxerunt antiqui à pauonibus trahi, vt indicauit Ouid. lib. 2. Mutationum:

*Habili*

*—Habili Saturnia curru*
*Ingreditur liquidum pauonibus æthera pictis.*

Idcirco Adrianus Romanorũ Imperator in eo Iunonis tẽplo, quod fuit in planiore Eubœæ parte situm, inter cætera memoratu digna, quæ visebantur, pauonem ex auro & lucidis, preciosissimisq; lapillis dicauit cum aurea corona & purpurea palla, vbi erant cælatæ Herculis & Hebes nuptiæ argenteæ, vt ait Alcetas in lib 2 depositorum in Delphis, & Pausanias in Corinthiacis. Multa & huic Deæ tributa fuerunt cognomina, vel à locis in quibus colebatur, vel ab illis qui templa dicauerant, vel ab euentu rerum, vel à cæteris rebus huiusmodi: & ab officio Lucina, & Bellona & à loco Argiua, & Samia. Sic quia Hercules illi capram mactasset, vocata est Ægophaga, cui apud Lacedæmonios hoc nomine mos fuit caprã immolare. Sic Populonea, Lacinia, Hoplismia, Bunæa, Acrea, Hypercheria, Vnxia, Moneta, Calẽdaris, Februa, Fluonia, Domiduca, Cynthia, Interduca, Socigena, & alia complura his similia.

¶ Hæc illa sunt quæ de Iunone fabulose ab antiquis sunt tradita. Nunc quid sub his fabulis continetur, explicemus. Cur Iuno Saturni fuerit filia, dictum fuit cum de generatione elementorum superius de Ioue verba facientes loqueremur. Hæc elementorum aeris esse putabatur, vt in hymno in Iunonem patefecit Orpheus his carminibus:

*κυανέοις κόλποισιν ἐνημένη ἀερόμορφε*
*Ἥρα παμβασίλεια Διὸς σύλλεκτρε μάκαιρα,*
*ψυχοτρόφους αὔρας θνητοῖς παρέχουσα προσηνεῖς.*

*Aeriam ostentans faciem Iuno alma, sinuqua*
*Cyaneo resides præbens mortalibus auras*
*Magna Iouis coniunx faciles, ventosque salubres.*

Quæ apud Virgilium etiam lib. 4. se facultatem habere cõcitandorum imbrium & grandinum inquit hoc pacto;

*His ego nigrantem commista grandine nimbum*
*Desuper infundam, & tonitru cœlum omne ciebo.*

Vbi enim Iupiter Iunonis amore incaluit, eamque cõmplectitur, omnium pullulant herbarum fructuumque genera: aer enim nisi superiorum corporum calore commoueatur, generare omnino non potest, quod significauit Homerus in libro ξ. Iliad.

*ἦ ῥα καὶ ἀγκὰς ἔμαρπτε Κρόνου παῖς ἣν παράκοιτιν.*

*Τοῖσι δ' ὑπὸ χθὼν δῖα φύει νεοθηλέα ποίην,*

*Sic ait: uxorem amplexus Saturnius hinc est,*
*Sub quibus alma parit tellus cum gramine flores.*

Et quoniam aer non solum est per quem spiramus, pèr quē viuimus, per quem videmus, sed etiam qui nobis occultam vim naturalem in sanguinem præbeat, vt vel formidemus pericula, vel ea fortiter subeamus: idcirco Iunonem Timoris & Audentiæ potestatem habere crediderunt antiqui, vt Orpheus testatur in Argonauticis;

*Δεῖμα δ' ἐνὶ φρεσὶ θῆκε θεὰ λευκώλενος Ἥρη.*

*Terrorem hic menti iniecit Saturnia Iuno.*

Fertur in Samo insula nata & educata fuisse, quoniam saluberrimus ibi est aer. Hæc habuisse Horas nutrices dicitur, quia ita sibi vicissim succedunt elementa, vt assidue & singulis horis corrumpantur secundum partes ac gignantur: quod nisi contingeret, periret omnino aeris elementum, cum tam facilis sit aer ad omnes mutationes. Educata fuit Iuno etiam ab Oceano & Tethye, vel à filiabus fluuij Asterionis, vel à nymphis Oceaninis, quoniã aer ex aquis præcipue rarioribus factis gignitur, quemadmodum è densioribus terra. Hæc ideo ex Ioue peperit Vulcanum, quia ignem calefactus aer procreat, vt frigidior & densior aqua: quod ita expressit Lucretius in lib. 1.

*Et primum faciunt ignem se vertere in auras*
*Aetheris hinc imbrem gigni, terramque creari*
*Ex imbri, rursusque à terra cuncta reuerti:*
*Humorem primum, mox aera deinde calorem.*

Hæc eadem filios habuit Heben & Martem, tum quia tēperies aeris causa est abundantiæ & vbertatis rerum omnium; tum etiam quia affectus quodammodo aer diuinitus bellorum & discordiæ semina imprimit in animis mortalium: eandemq; lætitiæ & pubertatis Deam putarunt, quod ea omnia bene affectus aer agat inde dicitur:

*Adsit letitiæ Bacchus dator, & bona Iuno.*

Neq; placet Zeræ sententia, qui Martē & Heben è Iunone natos putauit, quia frequētia bella ꝓpter salubria loca oriantur inter homines. Hinc Pronuba, hinc cōiugiis prȩfecta putabatur, quod aeris benignitas omnia in lucem euocet: quare ēt iure credita est diuitiarũ Dea. Hæc Iouis coniunx, quia in ipsum aera calor æthereus agit, & quia summa pars aeris

aëris propius accedit ad æthercam puritatem, vt ait Cic. in 2. de Nat. Deor. Aër autẽ, vt Stoici disputant, interiectus inter mare & cœlum Iunonis nomini consecratur, q̃ est soror & coniunx Iouis, quod & similitudo est ætheris, & cum ea summa coniunctio. Effœminarunt autem eum, Iunoniq; attribuerunt, quod nihil est eo mollius. Ob eam mollitiem cum Dii in Ægyptum propter Gigantum metum fugientes varias formas sumpsissent, in vaccam mutata dicitur, & à cuculo molli auicula decepta. Hæc ligata fuisse à Ioue dicitur, quia aër sit inferior vi naturali cum superiore corpore coniunctus, vt ait Plato in Timæo. Incudes sunt aqua & terra, quæ videntur ex ipso aëre pendere, cum aër super his omnibus supernatet: neque Dii omnes possent ipsam Iunonem ab his vinculis liberare, quia tanta est Dei potentia, tantumq; artificium in his mundanis corporibus coniungendis, vt nulla vis vel humana vel diuina, quidquam horum dissoluere possit, nisi idem artifex qui ea fabrefecit. Idẽ significauit per auream cathenam: quæ est vis æthereorum & superorum corporum inter se diuinitus cõnexorum. Dicitur fuisse ab Hercule vulnerata, quoniam grauissima semper fere est fortuna virtuti aduersaria, cũ raro vtrumque sidera in alicuius ortu coniungere consueuerint. Nymphæ complures Iunonis seruitio assistentes quid aliud significant, quam varios in aëre mutationum euentus? Sacer est illi pauo, quod superbum, quod ambitiosum, quod alta petens, vtpote aereo temperamẽto animal, quod variis colorib. ornatũ, quod multos habet oculos: quia superbi sunt, ambitiosi, rerũ arduarum appetentes, qui diuitiarum Deã habent tutelarem, quos multos homines obseruare necesse est ad rerum suarum custodiam, neq; tamen totũ est corpus coloribus distinctum, sed quædam pars deformis, cum nihil omnino felix possit contingere. varietates autem colorum quid aliud significant, quã facultatum iacturas, fortunæque multiplices vicissitudines, & insidias ab externis, & amicorum carissimorumq; mortem & calamitates, quæ omnia intimam animi partem eorũ qui cæteris felices videntur, infestant. Huic Deæ templum in ea via quæ ducebat è Phalero Athenas, sine foribus, aut tecto fuisse extructum scripsit Pausanias in Atticis: quod quidẽ nihil aliud significat, nisi Deam hanc nullũ in locum esse includendam.

cum Dea sit per quam spiramus ac viuimus. Hæc illa sunt quidem, quæ physice de Iunone ficta fuerunt ab antiquis: Nunc quid horum possit ad mores retorqueri, inuestigandum est.

¶ Quod attinet ad auream catenam, quod omnes Dii Iouem de cœlo detrahere non possent, ego modo auaritiã, modo ambitionem esse auream catenam crediderim, quæ etsi potentissima est, multosque a vera Dei religione ad falsa dogmata retraxit, multasq; sectas falsarum religionum à Christo solo veridico, Dei summi sapientiæque summæ filio desciscentes, instituit; tamen virum bonum suo loco dimouere non poterit, neque veritatem vllo tempore labefactare, quæ aduersus omnes iniurias inconcussa persistit. Qui enim vir bonus vere extitit, ille neque auaritia neque ambitione vlla loco dimouetur. quare vnusquisque sui potest experimentum habere, an vir bonus nominari possit, cum hæc sint tanquam indices lapides. Sic igitur neque Iupiter cum in rebus ciuilibus pro lege capiatur, neque lex Christi, quę est anima ciuitatum bene institutarum, neque iudices, vel præfecti vrbium, vel Imperatores, si viri boni sint, dimoueri possunt de recta sententia largitionibus, cùm possit ipsa lex, aut iudices, corruptores & sceleratos homines labefactare. Non potest igitur Iuno per suas opes, neque per eloquentiam Mercurius, neque blanditiis Venus, nec minis Mars Iouem de cœlo deiicere, neq; quantuscumque fuerit reliquorum Deorum cœtus.

Chemici artifices præterea conati sunt nonnullas fabularum Iunonis partes ad suos ignes & ad sua vascula retrahere. Dicitur Iuno (inquiunt) Saturni & Opis filia, Iouisque soror & cõiunx & ante Iouem nata eodem partu, Reginaq; esse Deorum & diuitiarum Dea, partubus & matrimoniis præfecta; quæ nihil est aliud quam aqua Mercurii, quæ Iuno nominatur. Saturni ea de causa est filia, quod ab eo & eius terra distillat ac manat: Hæc terra dat opes, siue aurum chemicũ, quod vna distillet: Iuno & Iupiter siue aqua Mercurii, & sal in ima parte vasculi vitrei ac in fece relictus. Cum vero prius effluat aqua Mercurii è vasculo, nascitur Iuno ante Iouem. Præest eadem partubus, quod cũ manat, Phœbũ chemicum educit in lucem, vnde Lucina etiã vocata est. Præfecta connubiis putatur eadẽ, quoniam media est coniun-

coniungendis sulphureis humoribus Venere ac Marte scilicet: quæ quod antequam manet cum Ioue coniungatur, & ambo gignant Solem chemicum, Iouis vxor vocata fuit. Regina deorum dicta est, quoniam illa regit, soluit, coniũgit, separat ac reprimit metalla, quæ variis Deorum nominibus appellantur. Ac de Iunone satis, nunc de Hebe dicamus.

## *De Hebe.* CAP. V.

CVm de Iunone loqueremur superius, dictum fuit Heben, quam Latini Iuuentatem vocarunt, Iunonis fuisse filiam. Huius patrem fuisse Iouem alii crediderunt, inter quos fuit Homerus, qui ita scripsit lib. λ. Odyss.

τὸν δὲ μέτ' εἰσενόησα βίην Ἡρακληείην
εἴδωλον αὐτὸς δὲ μετ' ἀθανάτοισι θεοῖσι
παῖδα Διὸς μεγάλοιο καὶ Ἥρης χρυσοπεδίλου.
*Post hunc, Alcidæ mihi nota accessit imago,*
*Is superos inter conuiuia læta frequentat.*
*Nata Iouis magni, Iunonisq; additur illi*
*Nunc Hebe coniunx.*

Alii magis fabulosum Hebes ortum memorarunt: dicunt enim Iunonem aliquando ab Apolline in domum Iouis ad conuiuium fuisse conuocatam, atque inter alias epulas lactucas agrestes appositas fuisse, quas vbi comedisset, cum anteà esset sterilis, repente fit grauida, atque Heben filiam postea peperit. Ea cũ pulcherrima esset, ac Ioui placuisset, iuuentuti præficitur ab ipso Ioue, & id præterea illi munus datum est, vt Ioui pocula ministraret, cui variis floribus compositum sertum capiti impositum fuit. Verumtamen cum lapsa aliquando inter ministrandum fuisset, partesq; pudendas omnibus præsentibus ostendisset, ab illo officio remouetur, & Ganymedes Laomedontis Troiæ regis ab aquila in cœlum Iouis iussu portatus, sufficitur. Quod Hebe pocula Ioui porrigere antea consueuerit, testatur Homerus ita lib. 4. Iliadis:

——— μετὰ δὲ σφίσι πότνια Ἥβη
Νέκταρ ἐῳνοχόει. τοὶ δὲ χρυσέοις δεπάεσσι
δειδέχατ' ἀλλήλους. *Hos Hebe venerabilis inter*
*Fundebat nectar pateris; hi protinus aurum*
*Excipere è manibus, seq; inuitare vicissim.*

Cum Ganymedes igitur ad id munus fuisset assumptus, tum Iuno grauiter tulit.

*Et genus inuisum & rapti Ganymedis honores.*

Quod testatur etiam Cicero in lib. 1. de Natura Deorum ita inquiens: At poëtæ quidem nectar, ambrosiam, epulas cõparant, & aut Iuuentatem, aut Ganymedem pocula ministrantem. Hanc fuisse aliquando Ganymedem vocatam ab antiquis testatur in Corinthiacis Pausanias: nam antiqui Heben oblectationem seu voluptatem quæ percipitur in conuiuiis, vocarũt: quare Homerus in conuiuiis ministeriũ illi attribuit. Apud Sicyonios & in Phliunte Dia nominabatur: quibus in locis fuit eximium illius fanum, & illa eximie colebatur, vt ait Strabo lib. 8. Memoriæ prodiderunt antiqui, Herculi post absoluta certamina, cum in cœlum ascendisset, Heben datam fuisse à Ioue in matrimonium: quare in ea regiuncula, quæ Horti dicebatur apud Athenienses, aræ in communi templo Herculi & Hebæ consecratæ fuerunt, vt ait in Atticis Pausanias: quæ vt ait Apollodorus lib. 2. illi Alexiaren filiam & Anicetum peperit.

¶ Hæc breuiter de Hebe, nunc sententiam ex his eliciamus. Ego Ciceronis opinioni sane facile accedo. qui ita scribit in libro primo Tusculanarum disputationum; Non enim ambrosia Deos, aut nectare, aut Iuuentate pocula ministrante lætari arbitror: nec Homerum audio, qui Ganymedem à Diis raptum ait propter formam, vt Ioui pocula ministraret. Non iusta causa, cur Laomedonti tanta fieret iniuria. Fingebat hæc Homerus, & humana ad Deos transferebat. Quo pacto Hebe Iunonis filia dicitur? quoniam è fœlicissima aëris temperie omnia herbarum, arborumque genera pullulant, & pubescunt. Nam quomodo sine parẽte Ioue vel nasci vel Iunonis filia esse poterit? nulla est aëris temperies quam non efficiat ætheris calor ex motu, cum omnis inferiorum corporum actio ex agitatione superiorum proueniat. Qui enim potest aër aliquid ad ortum euocare nisi Solis æthereæque regionis calore concitatus istud ipsum efficiat? Quippe cum litigium & amicitia non solum principia sint ortus & interitus rerum, vt sapiens credidit, verum etiã omnia nata conseruent: quibus suas vires æque impertiuerint. Martis soror Hebe esse dicitur, quoniã vbertas rerum omnium, & fertilitas agrorum ex eiusdem aëris tempera-

temperamento oriatur ex quo etiam bella & illorum omnium deuastationes. Mars præterea bonitate regionum alitur, cum nemo prope de sterili & inope regione contendat. Quod autem esis lactucis agrestibus Iuno facta est grauida, quid aliud significat, quam ex ipsa aeris temperie natam fuisse Heben? Iuno vbi est conuiuio accepta ab Apolline in domum Iouis, nimio calore Solis exarsit ac æthens? quare agrestes lactucas, q̃ frigidæ sunt; comedit, ac fit prægnans. Quis non videat per hæc aeris temperiem significari? qui vbi plus æquo incaluerit, frigus expetit & symmetriã ad reges generandas. Inde nascitur Hebe, quæ iuuentuti tã plantarum quam animalium præest. Hæc vbi lapsa fuisset dum ministraret, pudendasq; partes superis ostendisset, priuata est à Ioue eo munere ꝙ propter pulchritudinem obtinuerat? hoc quid est aliud, nisi cũ folia deciderunt arboribus, iuuenturẽ & honorem plantis delabi? q̃ si cum priore conditione comparentur, turpes sunt, & parum decoræ. Eo tempore Ganymedes in eius locum subrogatur qui nihil aliud quã hyemem significat q̃ dicta est etiã à pluuiis: quare & in Aquariũ signũ deniq; Ganymedes conuersus est. Hæc ea sunt, quæ mihi spectare videbãtur ad naturales rationes.

¶ Quod attinet ad mores, ita intelligendum censeo, gratiam atque fauorem principum rem esse inconstantissimam, quippe quibus ad pulchrius alio tempore appareat: neque, vlla res est illis tantopere iucunda, cuius non breui tempore nascatur satietas. Hæc leuitas in illis est præcipue principibus, qui fortunæ ornamentis cæteris præstant hominibus, at prudentia animi illorum vulgo adæquatur: nam facultatum copia multos facit insipientes. Apud sapientes vero principes omnis turpitudo vel exterorum vel familiarium potest animum vel beneuolentissimum alienare: quia pulchritudo omnis ad integritatem morum & æquitatem & innocentiam transferenda est, sine quibus virtutibus omnino est ex oculis viri boni remouenda. Ac de Hebe satis: nunc de Vulcano dicamus.

## *De Vulcano.* CAP. VI.

VVlcanus, sicuti dictum fuit, Iunonis fuit filius, vt testatur Hesiodus in Theogonia;

Ἥρη δ' Ἥφαιστον κλυτὸν ἐν φιλότητι μιγεῖσα

*Vulcanum peperit Iuno coniuncta in amore Præstantem.*

Hunc, vt dictum est, quidam voluerunt subuentaneo conceptu fuisse genitum sine patre quem tamen Homerus è patre Ioue Iunoneque matre natum esse putauit. Neque enim fieri potest vt natus sit sine maris desiderio, vt ostendetur, neque fieri potest rursus vt frustra Iuno marem tantopere cupierit. Sed audiamus quemadmodum incredibili prope furore & desiderio maris concitentur fœminæ, quæ subuentaneos concipiunt:

*Continuoq; auidis vbi subdita flamma medullis.*
*Vere magis (quia vere calor redit ossibus) illæ*
*Ore omnes versæ in Zephyrum stant rupibus altis,*
*Exceptantque leues auras: & sæpe sine vllis*
*Coniugiis vento grauidæ.*

Num tantum maris desiderium frustra Iunonem inuasit? ô infelicissimam Iunonē, si neminem neq; Deorū neq; hominum inuenire potuit, cum adeo stimulis libidinis agitaretur, qui suo desiderio satisfaceret. Fuerunt qui dixerint Vulcanū Iouis fuisse filium, qui cum deformis natus esset, fertur à Ioue in Insulā maris Ægæi Lemnū præcipitatus, vt ipse de se ipso testatur apud Homerum in primo lib. Iliadis;

ἤδη γὰρ με καὶ ἄλλοτ' ἀλεξέμεναι μεμαῶτα,
ῥῖψε ποδὸς τεταγὼν ἀπὸ βηλοῦ θεσπεσίοιο.
πᾶν δ' ἦμαρ φερόμην, ἅμα δ' ἠελίῳ καταδύντι
κάππεσον ἐν Λήμνῳ, ὀλίγος δ' ἔτι θυμὸς ἐνῆεν.

*Me quoq; de cœlo pede iecit Iupiter olim,*
*Contra illum auxilium misero vt mihi ferre pararem.*
*Ast ego cum cœlo, Phœboque cadente ferebar,*
*In Lemnum vt cecidi vix est vis vlla relictā.*

Quod autem diu fuerit in Lēno Vulcanus Iunonis Iouisq; filius, ita scripsit Cic. lib. de natura Deorum: Vulcani item complures; primus Cœlo natus, ex quo Minerua Apollinē eū, cuius in tutela Athenas antiqui historici esse voluerunt: secundus Nilo natus, Opas, vt Ægyptii appellāt, quem custodē esse Ægypti volunt: tertius ex tertio Ioue & Iunone, qui Lemni fabricæ traditur præfuisse, quartus Mænalio natus, qui tenuit Insulas propter Siciliam, quæ Vulcaniæ nominabātur. Verum Lucianus in dialogo de Sacrificiis fabulam hanc non sine risu recitat quod Vulcanus ita fuerit è cęlo pcipitatus: χωλὸν θεῖναι γε αὐτὸν ἀπὸ τοῦ πτώματος. ὁπότε ἐρρίφη

ἐρρίφθη ὑπὸ τοῦ Διὸς, ἐξ οὐρανοῦ καὶ εἴ γε μὴ οἱ Λήμνιοι, καλῶς ποιοῦντες, ἔτι φερόμενοι αὐτὸν ὑπεδέξαντο, ἐτεθνήκει ἂν ἡμῖν ὁ Ἥφαιστος, ὥσπερ ὁ Ἀστυάναξ ἀπὸ πύργου καταπεσών. *Claudum factum esse inquiunt ab eo casu, cum de cœlo fuit à Ioue præcipitatus: ac nisi Lemnii, rectè facientes, cum ferretur adhuc, illum excepissent, mortuus esset omnino nobis Vulcanus tanquam Astyanax, cum cecidisset è turri.* Myrtillus libro primo rerum Lesbicarum memoriæ prodidit Lemnum idcirco fuisse consecratam Vulcano existimatur, quia calida sit quædam vis terræ eius insulæ, quam etiam sigillatam vulgo Medici appellãt, cuius vsus vermes necat; si fiat ex ea lutum cum vino albo, atque non parum prodest illis etiam, qui venenum hauserunt, multasque alias facultates præterea obtinuit. nam non solum res philosophicæ, sed etiam Medicæ aliquando per fabulas ab antiquis explicabantur. At Homerus in hymno quem scripsit in Apollinem, non à Ioue, sed à Iunone Vulcanum præcipitatum fuisse de cœlo memorat, ac in mare decidisse, fuisseque non a Lemniis sed à Thetide educatum, qui Iunonem ita narrantem factum introducit in his:

παῖς ἐμὸς Ἥφαιστος ῥικνὸς πόδας, ὃν τέκον αὐτή.
ῥίψ' ἀνὰ χερσὶν ἑλοῦσα, καὶ ἔμβαλον εὐρέι πόντῳ·
ἀλλά ἑ Νηρῆος θυγάτηρ Θέτις ἀργυρόπεζα
δέξατο, καὶ μετὰ ᾗσι κασιγνήτῃσι κόμιζεν.

*Ipse meus natus claudus Vulcanus, ego ipsa*
*Hunc peperi, manibus capiens & in æquora ieci.*
*Filia mox cepit Nerei Thetis alma marini,*
*Germanasq; adiit, quibus hunc portauit alendum.*

Alii dixerunt fuisse à simiis educatum. Neq; mirari conuenit, si cum de Ioue superius loqueremur, paucos filios illi tribuimus, cum præter supradictos Mercurius quidam, & Venus, & alii nonnulli eius filii extiterint: quoniam ita obscuri fuerunt, vt eorum nomina pene deleta & extincta sint eodem quo vita die. Memoriæ prodidit in Atticis Pausanias, Vulcanum iniuriæ acceptæ à matre minime oblitum auream sellam cum occultis quibusdam vinculis dono matri misisse; quæ Deam, cum assedisset, statim implicauerunt: quod etiam Plato innuit in secundo de republica καὶ τοὺς ποιητὰς ἐγγὺς τούτων ἀναγκαστέον λογοποιεῖν, Ἥρας δὲ δεσμοὺς ὑπὸ υἱέος, καὶ Ἥφαιστον ῥίψειν

ὑπὸ πατρός. *Atq; poetæ cogendi sunt, vt moderata vtantur oratione, vt Iunonis vincula à filio, & à patre Vulcanum deiectum.* Habuit vxorem Vulcanus Aglaiam vnam è Gratiis, vt ait Isacius. Communior tamen est hominum sententia quod Venerem è Lemno duxerit: quare Virgilius eam vxorem Vulcani nominauit hoc pacto in octauo Æneidos:

*At Venus haud animo nequidquam exterrita mater*
*Laurentumq; minis, & duro mota tumultu,*
*Vulcanum alloquitur thalamoq; hæc coniugis aureo*
*Incipit, & dictis diuinum inspirat amorem.*

Hunc Deum facem ferre in nuptiis inquit Euripides in Troadib. cum faces accensæ ad nuptias afferri solerent, vt patet ex his:

Ἥφαιστε δᾳδουχεῖς μὲν ἐν γάμοις βροτῶν.
*In nuptias mortalium Vulcane fers Faces.*

Certamina currentium præterea cum accensis facibus in honorem Vulcani celebrabantur, quæ dicebantur Lampadophoria, de quibus ita mentionem fecit Herodotus in Vrania; καθάπερ Ἕλλησι ἡ λαμπαδοφορίη, τὴν τῷ Ἡφαίστῳ ἐπιτελέουσι: *vt apud Græcos Lampadophoria, quæ in honorem Vulcani peragunt.* Erat horum certaminum consuetudo, vt currentes summo studio conarentur accensas faces ad metam vsque deferre: at cui fax esset extincta, ille cum infamia cessabat à cursu. Si quis cum accensa face fuisset à sequente superatus currendo, lege certaminum cogebatur sequenti accensam lampadem tradere: quam rem indicauit Lucretius in lib. 2. ita scribens:

*Et quasi cursores vitai lampada tradunt.*

Nam si quis recte consideret huic certamini simillima, vniuersa vita mortalium videbitur. Fuit autem ea de causa certamen Vulcano cum igne institutum, quod is ignem inuenisse à nonnullis creditur, vt testatur Zezes in historia 335. decimæ chiliadis, his versibus;

Ἥφαιστός τις Αἰγύπτιος ἐν χρόνοις τοῖς τοῦ Νῶε
ὃς Νῶε καὶ Διόνυσος καὶ Ὄσιρις καλεῖται.
ἐφεῦρε πῦρ, καὶ τέχνας δὲ τῶν ἐκ πυρὸς ὁπόσας.
*Vulcanus quidam Ægyptius temporibus Noe,*
*Qui Noe & Dionysius & Osiris vocatur,*
*Inuenit ignem, & artes ex igne quot sunt.*

Verumtamen in Prometheis quoq; & Panathenæis sacrifi-

ciis lampades pari ratione ferebantur. Et quamuis multi fuerint Vulcani, nos, ſicuti de Ioue loquentes fecimus, omnes vni res geſtas reliquorum tribuentes, communem ſcriptorum opinionem ſequemur; qui ſolum fere Iunonis & Iouis filium nominare ſolent. Neq; enim multum differre putamus ad ſuſcepti laboris vtilitatem, hic ne an ille huius nominis hoc vel illud fecerit, modo factum fuiſſe dicatur à Vulcano. Non enim hiſtoricas narrationes aut res geſtas nunc ſcribimus ſed antiquorum fabuloſa figmenta explicare contendimus. Verumtamen neque illud eſt ſine controuerſia, quod Vulcanus ignem primus inuenerit. cum illius inuentionem nonnulli Prometheo aſcribant, ac Lucretius multo his probabiliorem inuenti ignis rationem attulit in lib. 5.

*Illud in his rebus tacitus ne forte requiras,*
*Fulmen detulit in terras mortalibus ignem*
*Primitus; inde omnis flammatarum dicitur ardor.*

Illud fortaſſe contigit, quod igne ita inuento primus Vulcanus eas artes quæ fiunt per ignem, inuenerit: qui cum per ignem duriſſima metalla in varias formas diduceret; creditus eſt igni imperaſſe, & fuiſſe ignis Deus, quem tamen ſuccedentibus temporibus ignem etiam eſſe putarunt, vt ſenſit Orpheus in eo hymno;

*Ἥφαιστ' ὀβριμόθυμε, μεγασθενὲς, ἀκάματον πῦρ,*
*λαμπόμενε φλογέαις αὔραις φαεσίμβροτε δαῖμον.*
*Vulcane & præſtans, & fortis, flamma perennis,*
*Flammatis auris ſplendens peramabile numen.*

Verum quid opus pluribus? vt antiquorum conſuetudinem intelligamus, & quod ij variis nominib. Deorum rem eandem nominarint, huc aſcribenda exiſtimaui carmina quædam ex minore Cratere Orphei ad hanc rem valde ſpectantia: in quibus quid ſint Dij nonnulli exprimitur;

*Ἑρμῆς δ' ἑρμηνεὺς τῶν πάντων ἄγγελόν ἐστι.*
*Νύμφαι ὕδωρ, πῦρ Ἥφαιστος, σῖτος Δημήτηρ.*
*ἡ δὲ θάλασσα Ποσειδάων μέγας, ἠδ' Ἐνοσίχθων·*
*καὶ πόλεμος μὲν Ἄρης, εἰρήνη δ' ἐστ' Ἀφροδίτη.*
*οἶνος, τὸν φιλέουσι θεοὶ θνητοί τ' ἄνθρωποι,*
*ὅς τε βροτοῖς δὲ ἐν λυπῶν παλλήτορα παυσῶν,*
*ταυρογενὴς Διόνυσος εὐφροσύνην πόρε πᾶσιν*
*ἡδίστην, πίσυνοι ἐπ' εἰλαπίνῃσι πάρεισι.*

*καὶ Θέμις, ἣ περὶ ἅπασι θέμις οὖσι τὰ δίκαια.*
*ἥλιος ὃν καλέουσιν Ἀπόλλωνα κλυτότοξον,*
*Φοῖβον ἑκηβελέτην, μάντιν πάντων ἑκάεργον·*
*ἰητῆρα νόσων Ἀσκληπιὸν ἐν πᾶσι πάντα.*
*Nuncius interpres Cyllenius omnibus ipse est:*
*Nymphæ aqua sunt, frumenta Ceres, Vulcanus at ignis.*
*Ast mare Neptunus canenti a littora pulsans,*
*Mars bellum, pax alma Venus, mortalibus ipse*
*Taurigena, & superis animi, curæque leuamen,*
*Corniger est Bacchus, conuiuia læta frequentans:*
*Aurea iustitiamque Themis rectumque tuetur.*
*Sol est mox idem contorquens spicula Apollo,*
*Eminus & peragens, & diuinator, & Augur,*
*Morborum expulsor Deus est Epidaurius. Ista*
*Omnia sunt vnum, sint plurima nomina quamuis.*

Sic etiam suauissimus poeta Mænander stellas & elementa ex Epicharmi sententia Deum fuisse creditum inquit in his carminibus:

*Ἐπίχαρμος ὕδωρ, αἴθερα, γῆν, πῦρ, ἥλιον,*
*ἀνέμους, σελήνην, ἢ θεὸν ποτ' ἔμμεναι.*
*Aquam Deum, terramque, Solem, sidera,*
*Ventosque, Lunam, ignemque Epicharmus asserit.*

Atque Orpheus in hymnis Vulcanum, Solem, & Lunam, & astra, & lumen purissimum atque æthera ipsum nominauit, vt est in his:

*Αἰθὴρ, ἥλιος, ἄστρα, σελήνη, φῶς ἀμίαντον:*
*Æther, Sol, lumen purum, idem sidera, Luna.*

Neque minus luculenter sane hoc explicauit præclarus ille & suauis poeta Hermasianax, vbi ita cecinit;

*Πλούτων, Περσεφόνη, Δημήτηρ, Κύπρις, Ἔρωτες,*
*Τρίτωνες, Νηρεὺς, Τηθὺς, καὶ Κυανοχαίτης,*
*Ἑρμῆς θ' Ἥφαιστός τε κλυτὸς, Πὰν Ζεύς τε καὶ Ἥρη,*
*Ἄρτεμις, ἠδ' ἑκάεργος Ἀπόλλων, εἷς θεός ἐστι.*
*Pluto, Persepone, Ceres, & Venus & alma, & Amores,*
*Tritones, Nereus, Tethys, Neptunus, & ipse*
*Mercurius, Iuno, Vulcanus, Iupiter, & Pan,*
*Diana, & Phœbus iaculator, sunt Deus vnus.*

Cum igitur Vulcanus artes illas excogitasset quæ per ignẽ exercentur, ac Deus ignis fuisset creditus, Ætnæ montis cauernas, in quibus magna vis ignis subterranei exæstuat,

Vulcani

Vulcani officinam esse crediderunt antiqui, vbi Ioui fulmina fabricaret. Idcirco Agathocles in ijs commētarijs quos de arte Ferraria Vulcani scripserat, duas fuisse Insulas narrat apud Siciliam, quarum altera Hiera, altera Strongyla vocabatur, in quibus per diem ac noctem ignis assidue emittebatur: cum tamen in septimo Historiarum alteram fuisse Æoli, alteram Vulcani dixerit. Idcirco Apollonius etiam Rhodius in libro quarto Argonaut. vbi de Lipara & Strongyla loquitur, ibi fuisse Vulcani incudes scribit his carminibus;

—— αὐτὰρ ἔπειτα
ἐλθεῖν εἰς ἀκτὰς, ὅθι τ᾽ ἄκμονες Ἡφαίστοιο
χάλκειοι στιβαρῇσιν ἀράσσονται τυπίδεσσιν,
—— *tum rursus adire*
*Littora, vbi resonant percussæ pondere vasto*
*Vulcani incudes, fumique exæstuat vnda.*

Hanc eandem rem expressit Iuuenalis breuiter suauissimis his carminibus in Satyra tertia post decimam;

*Et priuatus adhuc Idæis Iupiter antris:*
*Nulla super nubes conuiuia cœlicolarum,*
*Nec puer Iliacus formosa nec Herculis vxor*
*At cyathos, & tam siccato nectare tergens*
*Bracchia vulcanus Liparæa nigra taberna.*

Fuit autem Lipara præpotens, imperiumque late habuit, cum coloniam Chidiorum accepisset, quę vocabatur prius Meligunis, & opima spolia multa deposuit in Delphis. Habebat autem terram feracem aluminis, & multas aquas calidas, tanquam Sicilia, & ignes erumpentes. Inter hanc & Siciliam fuit Insula, quam Vulcano consecratam dixerunt, tota saxosa & deserta & ignifera, habuit tres voragines tanquam tres hiatus ignis, quorum è maximo flammæ ignitas massas euomebant, sed postea sunt obstructi. ex illorum obseruatione cognitum est, quod flammæ à ventis excitabantur, quæ & ibi erant in Ætna. Neque hoc est absurdum credendum, quando venti gignuntur ac nutriuntur initium sumentes è marinis vaporibus tanquam à proxima materia & actu. Dictus est maior hiatus habere ambitum quinque stadiorum. quod si Notus esset afflaturus, caligo turbida circa Insulam dispergebatur tanta vt Sicilia prospici non posset: in Boreas flamma

in altum efferebatur ab ipso hiatu, fiebantque maiores fremitus; sin zephyrus, media quædam ratio seruabatur. Reliqui hiatus erant consimiles, at vi vaporum longe erant inferiores, atque è differentia fremituum & è loco vnde incipiunt flatus & flammæ & nebulæ, significabatur mutatio vētorum flaturorum vel tertio ante die. cum autē non esset è Lipara soluendum, prædicebatur futurus ventus à Vulcano vt quidam voluerunt, vt alij ab Æolo, neq; cognoscebatur aliter euenire. Inde proditum est memoriæ à fabulosa antiquitate Vulcanum fuisse ignis Deum, atque Æolum quæstorem, regemq; ventorum: quod sub ænigmate proferebatur, vt scriptum reliquit Diocles in reb. fabulosis. scripsit etiam Posidonius circa solstitium æstiuū inter Hieram & Euonymam per auroram mare aliquando visum esse in sublime elatum, atque sic aliquandiu constitisse assidue tumefactum, ac postea resedisse. Qui ausi sunt adnauigare, & calore & fœtore repulsos ab vnda, reiectosque refugisse, vidisseque pisces mortuos, multos post dies mare cœnosum apparuisse, exhalauisseque flammas & fumos & caliginem, atque postmodo coaluisse, fuisseque cōpactum simile lapidibus molaribus. Nonnulli voluerunt Vulcanum peritissimum fuisse illius diuinationis, quæ fit per ignem, quæ pyromantia à Græcis nominatur, sicuti Nereus habitus est inuentor hydromantiæ, diuinationis per aquam scilicet. Hic Vulcanus creditus fuit in ea insula Lipara & diis multis arma fabricasse, & Ioui fulmina facere, vti dicebam: cuius famuli erant Brontes, Steropes ac Pyracmon Cyclopes vt scripsit Virgilius lib. 8.

*Insula Sicanium iuxta latus, Æoliamque*
*Erigitur Liparen fumantibus ardua saxis:*
*Quam subter specus, & Cyclopum exesa caminis*
*Antra Ætnæa sonant: validique incudibus ictus*
*Audiri referunt gemitus, striduntque cauernis*
*Strictura Chalybum, & fornacibus ignis anhelat:*
*Vulcani domus, & Vulcania nomine tellus.*
*Huc tunc ignipotens cœlo descendit ab alto,*
*Ferrum exercebant vasto Cyclopes in antro,*
*Brontesque Steropesque, & nudus membra Pyracmon,*
*His informatum manibus iam parte polita*
*Fulmen erat toto genitor quæ plurima cœlo*
*Deijcit in terras.*

Ex

Ex quibus patet vbi haberet officinam Vulcanus, & qui essent eius ministri, & quod esset eorum officium. scriptum reliquit Iulius Pollux lib. 5 canem æneum eximiæ pulchritudinis à Vulcano fuisse fabricatum, quem cum viuum fecisset postea Ioui largitus est: Iupiter illum dono dedit Europæ, illa Procridi, quæ Cephalo. atq; is canis postea fuit à Ioue in lapidē conuersus. Huic leones cōsecratos fuisse quidam tradiderunt propter vim ignis. Fabulantur præterea de Vulcano, quod vbi arma Ioui aduersus Gigantes fabricasset, pro suæ diligentiæ laborisque mercede, Mineruę nuptias expetiuit. Illi cum Iupiter perpetuam incorruptamque virginitatem iuratus concessit, neque tamen huic abnuere posset, quia per Stygiam paludem iurasset, se quidquid peteret esse daturum; Mineruam clam monuit vt suā virginitatem defenderet, atque huic quod peteret, se concedere dixit: Deinde cum Miuerua Iouis monitu Vulcani desiderio ac libidini reluctaretur, Vulcani semen dicitur in terram cecidisse, vnde natus est Erichthonius, quod nomē & contentionis & terræ nomen intra se continet. Habuit communem aram cum Prometheo Vulcanus, quia crediderunt nonnulli ignem à Prometheo, at artes per ignem à Vulcano fuisse repertas. Huic insulam Lemnum tribuerūt, quod in ea insula primum & ignis & armorum faciendorū ars fuerit inuenta, sicuti scriptum fuit ab Hellanico in cōmentariis de ædificatione Chij. Nam cum multo antiquior Vulcano fuisset Prometheus, is idcirco ignifer Titan à Sophocle dicitur in Ædipode in Colono;

ἐν δ' ὁ πυρφόρος θεὸς τιτὰν Προμηθεύς.
*Intus ignifer Deus Titan Prometheus,*

Memoriæ prodidit Sophoclis enarrator de Lysimachide sentētia multo antiquiorem fuisse Vulcano Prometheum, atque illius statuam cum sceptro effingi solitam. aramque communem fuisse vtrique in base. Homerus præterea in hymno quem scripsit in Vulcanum, illum fabricandi inuentorem vna cum Pallade, autoremque putauit, vt patet in his:

Ἥφαιστον κλυτόμητιν ἀείδεο μοῦσα λίγεια,
ὃς μετ' Ἀθηναίης γλαυκώπιδος ἀγλαὰ ἔργα
ἀνθρώπους ἐδίδαξεν ἐπὶ χθονὸς, οἳ τὸ πάροςπερ
ἄντροις ναιετάασκον ἐν οὔρεσιν ἠύτε θῆρες.

*Arte mihi clarum Vulcanum dicite Musæ,*
*Plurima mortales docuit cum Pallade vt olim*
*In terris homines speluncas more ferarum*
*Incoluere prius vitantes frigora cœli.*

Deinde cum Iupiter pro igne à Prometheo rapto magnas calamitates hominibus machinaretur, hic Pandoram Iouis iussu formauit, vt ait Hesiodus in operibus & diebus, cum aqua rigasset, vt est in his,

Ἥφαιστον δ᾽ ἐκέλευσε περικλυτὸν ὅττι τάχιστα
γαῖαν ὕδει φύρειν.

*Egregium iussit Vulcanum spargere lympha*
*Continuo terram.*

Fabulantur Venerem huius vxorem fuisse; quæ cum maritum ob deformitatem corporis & claudum non magnopere amaret, dum is esset fabrilibus operibus intētus, clam cum Marte bellorum Deo congrediebatur, adulteriumque committebat: Gallumq; iuuenem sibi dilectum adolescentulum secum Mars adducebat custodem, quem relinquebat ad ostium, vt aduentantes nunciaret, obseruaretq; Solem præcipue, quem maxime omnium Deorum Mars metuebat ne rem. Vulcano indicaret propter singularem inter illos amicitiam. at Gallus fertur in somnum versus fuisse: quare nemine præsciente Sol rem conspexit superueniens, Vulcanoq; indicauit. Illud demum supplicij à Marte Gallo illatum est, vt in animal sui nominis verteretur, quare nunc etiam Solis exortum insigni vociferatione indicat, quasi Marti significaturus vt Solem caueat. Vbi Sol igitur rem persensisset, Vulcanoque indicasset, is tenuissimū rete ferreum confecit, & circa thorum ita tetendit, vt conspici non posset. Mox vtrosq; nudos in illo rete implicatos omnibus Dijs ridendos exposuit. quam rem explicauit Ouid. in lib. 2. de arte amandi;

*Fabula narratur toto notissima cœlo,*
*Mulciberis capti Marsque Venusque dolis.*

Quam rem etiā Hom. multis carminibus complexus fuit in lib. θ. Odyss. Ex hoc adulterio nata est Hermione tutelare numen, vt ait Plut. in Pelopida. Habuit Vulcanus filios Ardalū, qui cellā fecit Musarum apud Trœzenios, & à quo tibiā inuentam ferunt: Brotheum, qui irrisus ab omnib. propter deformitatē oris in ignem se coniecit, vel morte infamiam

miam deuitaturus: Corynetam Æthiopem, qui nomē dedit Æthiopib. cum ante illum Ætherij dicerentur, vt ait Arist. lib 4. de fluminibus: Olenū a quo vrbs vocata est Bœotiæ: Albionem. Morgionem, Ægyptum, à quo dicta est Ægyptus: Deriphemum, Erichthonium, Acumq; & alios complures ex varijs fœminarum, Dearumque congressibus.

Atque hæc ea sunt fere quæ de Vulcano fabulati sunt antiqui. nunc quid sub his ambagibus verborum occultauerint antiqui, perquiramus, Atque illud primum, quod è sola Iunone subuentaneo conceptu natus sit Vulcanus, vt ait Plato in Cratylo, qui φάεος ἵστωρ ἐστὶν, siue luminis præses fieri omnino non potest. nam præter id quod inauditus est in fœminis huiusmodi conceptus, quæ cum Veneris titillationibus infestantur, facile medicinam suo dolori inuenire solent: tum si sit ignis Vulcanus, qui ex aere procreatur, vt esse omnium elementorum naturam accepimus à sapientibus, quæ ex sese vicissim oriuntur: certe nulla fieri potest ignis ex aere generatio, nisi per calorem, ac superiorum corporum motum Neque Iuno si consistere possit, & nulla vi externa calefiat, vllum Vulcanum vel Martem: vel Heben è se gignet: quia calor artifex est, marisque locum obtinet in rerum naturalium generatione. quare cum pro igne illo purissimo ac sublimi corpore, quod purissimum est elementorum omnium, capitur; Vulcanus ex Iunone & Ioue, siue ex aere superiorum corporum motu calefacto, nasci dicitur. Idem è cœlo deiectus à patre dicitur, vel (vt alij maluerunt) à Iunone propter deformationem, quia ignis ille qui in nubibus colitur, cum è crassiore materia constet, si conferatur cum eo qui sublimis est, & in purissima, supremaque regione constitutus, crassus est & deformis, & vix dignus vt ignis nominetur: & illa de causa ad impuriorem corporum locum, tanquam ex illegitima possessione depellitur, & vi superiorum corporum, & ab ipsa superioris aeris natura. Alij maluerunt Lemnum illi fuisse dicatam, & illum collem, in quem præcipitatus fuit, propter calorem ac sterilitatem loci, qui cum sit exusto similis, nullam omnino plantam producit. nam nimius calor loci comburit, ac non procreat. Hic educatur à Thetide, & à marinis nymphis, exceptus, quoniam ex humore & cū illo vniuersa eius ignis materia colligitur. Enimuero cum terra

omnium sit diuitiarum mater, aurea sella fingitur, cui Iuno sit Vulcani artificio alligata: hoc quid significat: nisi partem illam aeris, quæ propinquior est terræ & impurior, superiorum corporum motu non agitari, quippe quod intra montium vertices includatur, sed prope firmam esse & alligatam terræ; non enim facile vi superiorum corporum extenuatur, sed tanquam aquarum stagnum consistit. Vxorem Aglaiam & Venerem habuisse dicitur, quia è calore & humore vniuersa rerum humanarum generatio fit, quorum omnium semper intelligenda est symmetria. Nihil est enim aliud Aglaia, quam splendor & vbertas rerum quæ calorem ipsum consequitur, quod etiam nomen ipsum significat. Et quoniam nulla esse potest in rebus humanis naturalis procreatio sine calore, ea causa fuit cur faces in nuptijs accenderentur, quibus præesse putabatur Vulcanus. Effectum est præterea vt qui currerent in Lampadophorijs, extinctis facibus cessarent à cursu, quia cum cessauerit calor, rerum omnium vita extinguitur, & cessat. At quod sit posterior priorem cursu superasset, ille prioris accensam lampada caperet, id ad successionem rerum omnium, vicissitudinesque ostendendas fictum fuit. Neque mirum est si, cum elementa & sidera pro Diis sint culta, hic quoque tanquam Deus cultus fuit, quippe cum idem esse Sol, Luna, Æther, Astra, ignisque putaretur, vt diximus. Hunc finxerunt Diis cæteris arma fabricare, quia calor sit artifex omnium operum naturæ, quippe cum nulla alia res sit, quæ vel animantia aptius per excessum impellat ad interitum, vel per mediocritatem conseruet, vel ægrotantia sanitati restituat quam vis moderati caloris: nam & hæc concoquere, & innatum eorum calorem excitare, vbi naturalis calor non potuerit, iam de eius animãtis salute spes omnis abiecta est. Hinc igitur arma seu vires Diis omnibus vbi oporteret, dictus est Vulcanus ad singulorum cõseruationem ac sui tutelam fabricare ac tribuere solitus. Fulmina dicuntur à Vulcano Ioui fieri solita, qui ignis est in sublime elatus, qui vbi à circumstante frigore comprimitur, vi erũpit; cuius famuli sunt βροντὴ, καὶ ἀστεροπὴ, καὶ πῦρ ἀκμάζον, Brontes, Steropes, Pyracmon. nam βροντὴ tonitrũ significat, ἀστεροπὴ fulgur, πῦρ ἀκμάζον ignẽ multum. sic enim nomina ipsa rem per se significãt. nam nisi multa sit ac dẽsa vis

ignis

ignis, fit fulgur tantum & tonitru, at non etiam fulmen. Hic igitur ignis cum sit impurus, vtpote qui adhuc in materia, deorsum à Ioue depellitur cum incredibili impetu, quæ est fulminum natura. Nam neq; lapis, neq; ferrum, neque solidum aliquod corpus, meo quidem iudicio, putandum est fulmen, cuius tot tergiuersationes, tantamq; vim, & tam mirabilem videmus: sed vis craßioris ignis frigore & antiperistasi magno cum impetu disrupta, qui deorsum impellatur. Eum Vulcanum Mineruа, quæ purißima est pars ætheris, è qua nulla nascuntur animalia, cum perpetuam obtinuerit virginitatem, amore sui captum repellit, qui semen in terram effundit, ac inde monstrum nascitur quid hoc est portenti Dii boni? quod monstrum ita horrẽdum? Natura illa ætheris superioris ad inferiora vsque corpora ita pura non descendit; sed calor ille qui generationẽ adiuuat impurus est, & in materia crassa commistus. quare semen Vulcani in terram decidens multiplicia gignit animalia, quæ res per variam Erichthonii formam iudicatur. turbulentus enim ignis & in materia commistus vbique Vulcanus est intelligendus; qui aptus est rerum generationi. Hic formauit Pandoram, omnium Deorum donum, vt nomen ipsum significat, quoniam hic calor & Cereris, & Bacchi, & Palladis & aliorum creditorum Deorum inuentiones adiuuat. Hanc omnes artes edocuit, quoniã in quib. vis est ignea, quorumq; sanguis subtilior est, & rarius corpus, illi plurimum valent ingenio & prudentia. Hic idem obscuris omnino rebus, & quæ videri non possent, Martem bellorum Deum cum Venere implicauit, & nudos omnibus Diis ridendos exposuit: quod quidem si ad rationes astronomicas transferatur, nihil aliud significat quam Martis & Veneris planetarum congressu adulterorum fieri ortus: sed si Sol propius accesserit, minime latebunt adulteria. Quamobrem dictus est Sol Veneris adulterium patefecisse, vt ait Plutarchus in libello de audiendis poetis. At Lucianus in Astrol. quosdam filios Deorum ait dictos, quod sidera habuerint in ortu bona. Homerus per hanc fabulam videtur homines ad æquitatem adhortari, & ad integritatem vitæ, & ad innocentiam, cum facile Dii viam inueniant, qua in sceleratos quamuis fortissimos & potentissimos homines animaduertant. ita enim scribit;

*οὐκ ἀρετᾷ κακὰ ἔργα, κιχάνει τοὶ βραδὺς ὠκύν.*
*εἷς δὲ νῦν Ἥφαιστος ἐὼν βραδὺς εἷλεν Ἄρηα*
*ὠκύτατόν περ ἐόντα θεῶν, οἱ ὄλυμπον ἔχουσι.*
*χωλὸς ἐὼν, τέχνῃσι. τὸ δὲ μοιχάγρι ὀφέλλει.*
*Si quid turpe facis, lento pede magna Deorum*
*Ira capit celerem. Sic nunc Vulcanus iniquum*
*Retibus implicuit Martem tardissimus alter*
*Sit quamuis, superorum at velocissimus alter.*

Quis enim vir malus, & iniqua faciens, diu fœlix esse poterit: non amplitudo diuitiarum, non amicorum stipantium frequentia, non nobilitas generis, non virium & imperii magnitudo, non armatorum numerus, possunt virum nefarium meritis suppliciis & vindictæ Dei demum surripere. est enim verum quod à Poeta canitur:

*Ἀνθρώπους μὲν ἴσως λήσεις ἄτοπόν τι ποιήσας,*
*οὐ λήσεις δὲ θεοὺς οὐδὲ λογιζόμενος.*
*Si quid turpe facis, mortales forte latebis.*
*Nemo Deum latuit turpia mente putans.*

Nam sola est innocentia, vitæque integritas, quæ nullam vel à Diis vel ab hominibus vindictam expectat, quæque vbique tuta & tranquilla est. Finxerunt hunc Deum vxorium qui relictis Iouis & Martis ministeriis ad optata Veneris se converterit. per quod innuunt, libidinosos esse honoris, facultatum, virtutumque contemptores, quodq; omnes Deos relinquant pro arbitrio Veneris, vt finxit Virg. lib. 8. qui facit Vulcanum pro precibus Veneris omnia incœpta reliquisse. Nec me præterit illorum qui torquendis metallis per ignem student, esse opiniones nonnullas, quas suis vasculis accommodare conantur. Neq; enim credibile est metallorum formas posse per artem inter se conuerti, non solum quia ars naturæ est imitatrix & adiutrix ac ministra, quæ cum formas non confundat, neque ars apparet illud posse efficere; sed etiam quia natura ac singula puriora perficienda in singulis formis, puriore indiget materia, purioribusque quibusdam principiis, vt ait Theophrastus in libro de lapillis, quæ certe ipsa sibi pro arbitrio effingere semper non potest. nam non solum propriis principiis indigent singulæ formæ ad suam generationem, quæ in plurimum diuersa non possunt referri, sed etiam iis ipsis purioribus opus est ad singula perfectiora peragenda. In-

de sit

de fit vt alia sint adamantis, alia smaragdi, alia sardonichis principia, alia marmoris: atque item alia ferri inter metalla, alia æris, alia auri, alia argenti, neque eadem horum omnium putanda sunt quod si contingeret: omnia in omnib. esse generationis principia, non minus saxa aut ligna, quã metalla, in aurum possent per artem conuerti. Neque omnia esse in omnibus denique concludendum est, & certa esse rerum singularum principia, & ea non posse per artem inter se confundi, deinde in alterius naturam conuerti. Dicunt enim Vulcanum ob deformitatem deiectum de cœlo fuisse, nihil aliud esse, quam aut sulphur, aut argentum cursitans: quod nihil, nisi suæ naturæ, in se recipit, sed ab omnibus separatur. Modo Mineruam dicunt amari à Vulcano, quia existimant sulphur id & ferrum aquam Mercurialem: quam nominant Mineruam: qui cum simul sint, in putrefactione separantur, cum diuersas naturas sint sortiti, quare dicta fuit Minerua fugere Vulcanum. Et ne persequar huiusmodi ineptias, quas tormenta & calamitates multorum loculorum fuisse certo scio, multorumque etiam in posterum futuras, multi ad has suas inuentiones antiquorum fabulas detorquere conati sunt. quod autem vanam esse artem chemicam putemus, & quid de arte illa sentiamus; ita in epistola quadam aliquando expressimus, quam aduersus fuliginosas chemicorum fallacias scripsimus, è qua nonnulla his scribenda putauimus.

*Ars fallax, inuisa bonis dulcedine captos*
*Iucunde vt perimus? dementibus improba siren.*
*Naturam superare putas te posse per ignem?*
*Stulta quid insanis? te longis passibus illa*
*Deserit ac tandem nil perficis illa colorum*
*Te fallit, rerum te ludit mille figuris.*
*Sic fertur Protheus se in multas vertere formas,*
*Cum fieret serpens dirus, cumq; vnda, vel ignis.*
*Vris opes properans quas fumus portat in auras.*
*Inde ardens miseris torquet præcordia virus,*
*Exitialis amorque auri, sæuiq; dolores,*
*Quos semel insanæ fallacia ceperit artis.*
*Occupat hæc nulli misero vesania mentem,*
*Ni pro peccatis hominum sator atq; Deorum*
*Supplicia, ingentesq; paret mox sumere pœnas.*
*Mendici fiunt semper caligine barba*

*Squallet, & immodico turbantur pallia fumo.*
*Et noua quærentes semper mendacia iactant,*
*Defecisse sibi vires. vbi noua reperta est*
*Mercurium ratio qua possint sistere in aurum,*
*Ad notos homines inde hæc contagia serpunt.*
*Si quenquam arripiant qui stultas præbeat aures,*
*Non prius effugiet, quam sit perpessus eandem*
*Fortunam, scopuloq; ratem confregerit vno.*

Neque satis validam rationem illam vnquam fore putaui, qua nonnulli artifices suam artem confirmare conantur, quod scribitur à Suida in hanc sententiam, artem illam aliquando apud Ægyptios floruisse: Chemia argenti auriq; præparatio est, cuius libros aliquando conquirens Dioclетianus concremauit propter illa quæ aduersus ipsum Ægyptii innouarunt. Hos enim crudeliter trucidauit, ac libros de Chemia auri & argenti ab antiquis conscriptos inquirens igni absumpsit, ne Ægyptii ex arte illa diuitias compararent atque opum abundantia freti arma mouere Romanis auderent in posterum. Neque enim lex est diuina quidquid à Suida dicitur, & multa fabulosa de sapientia Ægyptiorum circumferuntur. Neq; illud sane prætermittendum videtur, quod quidam primum Vulcanum regnasse in Ægypto, illumque fuisse primum inuentorem ignis tradiderunt: quia cum fulmen ignem detulisset in arborem, dicitur Vulcanus hyberno tempore propius ad ignem accessisse, ac sensisse caloris beneficium, cessantique igni materiam iniecisse, atque sic naturam ignis cognouisse, & conuocatis aliis hominibus vtilitatem, naturamque ignis ostendisse. At nunc de Marte.

## *De Marte.* CAP. VII.

DIctum est à nobis superius, quod Mars Iunonis fuit filius: at quod nonnulli arbitrati sunt, hunc etiã sine patre fuisse natũ, id omnino absurdum est, & portento simile. Neq; enim omnium partium fabularũ legitima expositio semper inueniri potest; quoniã aliæ additæ sunt ad fabulas ornandas, aliæ ad probabilitatẽ, aliæ continent veram rerũ gestarũ explicationẽ. Iupiter igitur cum primã vxorem Metim, deinde Themim, tertiã Iunonẽ duxisset, ex ea suscepit Martẽ & Hebẽ, vt in his testatur Hesiodus in Theogonia:

λοισθο τάτ-

*λοισθοτάτην δ' Ἥρην θαλερὴν ποιήσατ' ἄκοιτιν.*
*ἣ δ' Ἥβην, καὶ Ἄρηα, καὶ ἰλείθυιαν ἔτικτε,*
*μιχθεῖσ' ἐν φιλότητι θεῶν βασιλῆϊ καὶ ἀνδρῶν.*
*Addita mox vxor post has est vltima Iuno,*
*Lucinam, Martemque parit, quibus est prior Hebe:*
*Iuno hominum Regi coniuncta Deorum.*

Habuit Mars nutricem Thero. vt ait Pausanias in Laconicis. Hic cum Halirrhotium Neptuni filium interemisset Alcippæ filiæ suæ vim inferre conantem, caussam capitis dixit audientibus duodecim Diis, de qua cæde meminit Pausanias in Atticis, atque omnibus suffragiis fuit ab ea accusatione absolutus. Locus vero in quo dicta est caussa, vocatus est ab illo Areopagus, atque inde caussæ capitales ab Areopagitis iudicibus duodecim auditæ. Hic nullam certam ac legitimam vxorem habuisse dicitur, quod ego quidem meminerim, cum quidam Nerienen siue Nerien putarint: cum multos filios è diuersis susceperit, cum quib. congressus est. Nam & Ænomaus, & Ascalaphus, & Biston eius filii dicuntur, & Thespius, Ialmenus, Pylus, Parrhasius, Thereus, Molus, Parthaon, Thestius, Euannes, Zesius, Cupido, Hyperius, Chalybs qui populis nomen dedit; Otrera, Bithys è Seta, à quo Bithinia: Tlepolemus ex Astyochia & Thrace, à quo Thracia dicta est: Parthenopæus è Menalippe: Phlegyas Pangæus è Critobule: & Strymon illi natus est ex Helice: & Tmolus è Theogone, à quo mons dictus est, & Theogones alter: Oxylus, Etholus, Sithon, Euenus, Sinope, Calydon, Hermiona, & alii nonnulli è furtiuis congressibus fabulantur hunc in curru vehi solitum, cuius auriga erat Bellona. sic enim ait Virgilius;

*Quam cum sanguineo sequitur Bellona flagello.*

Nam Terror & Pauor equi vocati currũ ipsum Martis trahebant. Hic cum feroci & acri esset ingenio nullam certam habuit sedẽ, sed tanquã furiosus huc illuc pererrans: omnia luctu & calamitatib. replebat. Verumtamẽ neq; ipse mortaliũ omniũ iram deuitauit, cũ fuerit aliquando à Diomede vulneratus, vt scripsit Hom. lib. 5. Iliad. Huic Deo lupus ob rapacitatẽ ac feritatẽ consecratus fuit; vt ait Virg. lib. 9.

*Quæsitum aut matri multis balatibus agnum*
*Martius à stabulis rapuit lupus.*

Inter aues picus cõsecratus fuit Marti, qui etiã inde cogno-

men obtinuit vt Martius diceretur, atque gramen inter plantas. quia patetur plurimus nasci ex hominum sanguine & apud Thraces eximie colebatur Mars, vt in hoc carmine ait Lycophron:

*ὀρχωμεστῆσαι τὸν Κρηστώνης θεόν.*
*Saltate Deum iurare Crestones item.*

Est enim Crestone Thraciæ ciuitas, ac Deus Thracum Mars, vt ait Lycophronis enarrator. Id ea de causa dictum fuit ab Homero in lib. ά Odysseæ. quod vbi solutus fuit à Vulcano cum Venere implicitus, hic in Thraciam, illa in Cyprum se contulit.

*τὼ δ' ἐπεὶ ἐκ δεσμοῖο λύθεν κρατερῷ περ ἐόντος,*
*αὐτίκ' ἀναΐξαντε, ὁ μὲν Θρῄκηνδε βεβήκει,*
*ἡ δ' ἄρα Κύπρον ἵκανε φιλομμειδὴς Ἀφροδίτη.*
*Hiq; vel vnii illis dur ssima vincla solutis,*
*Di cedunt subito Thracas mox ille petiuit:*
*Ipsa venus Cyprum petit alma nata Diones.*

Habuit hic Deus multa cognomina à locis, in quibus templa erecta fuerunt, vel ab euentis, vel ab iis qui dicarunt templa. Sic Candæus, & Mamertus, & Rhacius, & Equestris dicitur: quem tamen nihil esse aliud quam bellum putauit Heraclides Ponticus, vt patet ex his eius verbis: ὁ Ἄρης οὐδὲν ἐστιν ἄλλο πλὴν ὁ πόλεμος, παρὰ τὴν ἀρὴν ὠνομασμένος, ἤγουν βλάβην. *Nihil aliud Mars est quam bellum, ita ab imprecationibus nominatum, siue à detrimento.* & Orpheus in hymno in Martem furorem belli ac rabiem in animis hominum Martem esse putauit, vt patet in his:

*Ἄρες ἄναξ, δολόδουπε φόνοις πεπαλαγμένε αἰεί,*
*αἱματ' ἀνδροφόνῳ χαίρων, πολεμόκλονε, φρικτέ,*
*ὃς ποθέεις ξίφεσίν τε καὶ ἔγχεσι δῆριν ἄμουσον.*
*Mars Rex perpetua sanieq; & cæde cruenta,*
*Horrende, humano gaudens & sanguine numen,*
*Qui gladiis ve hastis ve cupis contendere semper.*

Hic Deus in Lemno colebatur, cui fiebant sacra humanis hostiis: sed cũ res crudelis videretur, mox ritus mutatus est, & modo sus castratus, modo verres illi mactabatur, quamuis propria fuit victima equus ob similem illi ferocitatẽ: lupus ob perspicacitatẽ; canis ob vigilantiã, & gallus, & picus, ac vultur. Neque illud prætermittendum sane hoc loco duxerim, quod poëtæ bellorum Deum Martem existimãtes illi

Timorem & Irã & Clamorem comites addiderũt, qui Deũ ipsum assidue consequerentur: licuit enim omnibus poetis quidquid collibuisset pro suo ingenio de Diis confingere. Hunc Deũ, quia nullã propriam haberet arborẽ, gramine coronabant, q̃ herbam, abductis per bellum agricolis, fouere videbatur, cũ pateretur illã late serpere. At nunc quæramus quid memoria dignũ sub his figmẽtis occultaretur.

¶ Cur natus esse dicitur è Iunone? an quod Iuno sit diuitiarũ Dea, ex quib. inuidentia & contentio exoritur, vt dictũ est superius, & quod nemo est opulentus, cui nõ assidue ab inuidia & maleuolentia bellũ indicatur? Quis enim aduersus inopẽ bellum gerit? omnes qui exercitũ cogũt, alias quidem bellorũ caussas multas proferunt cur arma susceperint, at veram fateri palam pudet, vt per has caussas tanquã leues, exterarum gentium occupent ciuitates. Nam si pro æquitate tantum pugnaretur, supplicium sumeretur tantũ de consceleratis, at res relinquerentur. Nutritus fuit apud barbaras nationes Mars sub septentrionis plaga, quæ gentes cum minime digestũ habeant sanguinem calore Solis, plurimum vi corporis & proceritate valent, at minimũ consilio & prudentia. Hunc educauit Thero nutrix, quæ feritas est. Deinde cum tyránnus sit Mars, vt dicere solebat Timotheus iuxta Plutarchum, merito murorũ percussor & euersor dictus fuit: cum lex cõtra ciuitatum omnium regina sit, vt ait Pindarus. Atq; Homer. Iouem omnium regẽ & patrem non bellica tormenta, neque rostratas naues, sed leges & æquitatem regibus dedisse scribit ad regna conseruanda, quæ his omnibus sunt potentiores. Istud ipsum fecit, vt nullum certum, Mars haberet domicilium aut sedẽ, cum Iupiter in cœlo omnibus & Diis & hominibus imperaret Demosthenes idcirco in oratione contra Aristogitonem primas leges inquit tanquã optimum quiddã ac inuẽtum deorũ esse vniuersæ vitæ mortaliũ ac ciuitatũ moderatrices, quarũ beneficio si quid deprauatũ sit in rerũ natura, corrigitur apud viros bonos spõte: at malos cogunt vel inuitos ea quæ iniqua sunt euitare. sic. n. inquit. ἅπας ὁ τῶν ἀνθρώπων βίος ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, κἂν μεγάλην πόλιν οἰκῶσι, κἂν μικρὰν, φύσει καὶ νόμοις διοικεῖται. τούτων δ' ἡ μὲν φύσις ἐστὶν ἄτακτον καὶ ἀνώμαλον, καὶ κατ' ἄνδρα ἕκαστον ἴδιον τοῦ ἔχοντος οἱ δὲ νόμοι, κοινὸν καὶ τεταγμένον ταὐτὸ πᾶσιν ἡ μὲν οὖν φύσις

ἂν ᾖ πονηρὰ, πολλάκις φαῦλα βούλεται. διόπερ τοὺς τοιούτους ῥᾳδίως ἐξαμαρτάνοντας εὑρήσετε. οἱ δὲ νόμοι τὸ δίκαιον καὶ τὸ καλὸν καὶ τὸ συμφέρον βούλονται, καὶ τοῦτο ζητοῦσι; καὶ ἐπειδὰν εὑρεθῇ, κοινὸν τοῦτο πρόσταγμα ἀποδείχθη πᾶσιν ἴσον καὶ ὅμοιον. καὶ τοῦτ᾽ ἐστὶ νόμος, ᾧ πάντας προσήκει πείθεσθαι διὰ πολλὰ, καὶ μάλιστα ὅτι πᾶς ἐστι νόμος, εὕρημα καὶ δῶρον θεῶν, δόγμα δ᾽ ἀνθρώπων, ἐπανόρθωμα δὲ τῶν ἑκουσίων καὶ ἀκουσίων ἁμαρτημάτων, πόλεως δὲ συνθήκη κοινὴ, καθ᾽ ἣν πᾶσι προσήκει ζῆν τοῖς ἐν πόλει. *Vniuersa mortalium vita, ô viri Athenienses, siue magnam siue paruam quis habitet ciuitatem, natura & legibus gubernatur: horum alterum, natura nimirum inordinata est & inaequabilis, atque pro ingenio cuiusque priuatorum. leges autem communes & institutum idem omnibus. natura igitur si mala sit, iniqua saepius suggerit consilia, quare tales homines facile peccantes inuenietis, at leges & iustum & bonum & vtile procurant atque hoc inuestigant: quod vbi repertum sit, illud mandatum omnibus proponitur aequum & sibi constans: atque id lex est, cui conuenit omnibus parere cum multis aliis de causis, tum praesertim quod omnis lex inuentum est & munus Deorum, atque institutum sapientum hominum, & correctio vel consulto vel inconsulto peccantium, communisque institutio ciuitatis, secundum quam conuenit omnibus ciuibus vitam degere.* Sed quoniam pro variis euentis varie fabulas interpretati sunt antiqui, ita vt aliae ad res naturae, aliae ad astronomiam, aliae ad mores spectarent, aliae ad haec simul omnia; quid Martis cum Venere adulterium significet explorandum est. Quid est tam contrarium quam occidere & procreare, expolire & deuastare, erigere & prosternere? At Mars tamen qui haec omnia facit; vt ait Homerus;

ἄρες βροτολοιγὲ μιαιφόνε τειχεσιπλῆτα.
*Mars hominum occisor, qui agros popularis & vrbes.*

Cum Venere, quae omnia animalia plantasq; in lucem producit, congreditur. Quid ex hac tam discordi coniunctione orietur? nihil omnino superueniente Vulcano praecipue. Nam litigiũ & amicitia sunt Mars & Venus intelligendi, quorum vtrumq; opprimit Vulcanus, siue calor immodicus, principiaq; vincit, neq; ita illis suis funguntur viribus. Ad exprimendum igitur quod symmetria necessaria est reb. naturalibus, ista fabulose confinxerunt. Hunc eundẽ Deum

& so-

& Solem esse aliquando putatum superius expressimus, & apud Aquitanos Hispaniæ populos Martis simulachrum radiis ornatum eximia religione cultum fuisse memoriæ proditur. & ratio ipsa naturaq; videtur expetere vt corpora illa superna, quæ calorem rebus inferioribus inferunt, nominibus potius quam reipsa sint diuersa. Et Hom. lib. ε. Iliad. Martem vim igneam videtur putasse cum inquiat?

*Μαίνετο δ' ὡς ὅτ' Ἄρης ἐγχέσπαλος, ἢ ὀλοὸν πῦρ.*

*Insurgit veluti Mars strenuus, vel ingenia, vel vis.*

Bellonam aurigam Martis populatoris finxerunt, quia aër pestifer est mortis auriga, & artifex. Quidam memoriæ prodiderunt Martem bellorum Deum fuisse. creditum, quod is prior armare inuenerit, & in aciem instruere, & omnes bellicos vsus, cum impios delere niteretur. Quod Mars omnium Deorũ fortissimus & velocissimus arte Vulcani fuerit retibus implicitus, & debilis & claudicantis & tardi Dei, quid aliud significat, quam sceleratos homines nullis viribus, nulla pedum celeritate fretos posse Dei vindicis omnium flagitiorum iram deuitare? quod etiam innuit Theognis his versibus:

*καὶ βραδὺς εὔβουλος εἷλεν ταχὺν ἄνδρα διώκων,*
*Κύρνε, σὺν ἰθείῃ θεῶν δίκῃ ἀθανάτων.*

*Ter celerem tardus comprendit Cyrne secutus*
*Iniustum cursu, huic numina cuncta fauent.*

Et illa carmina

*οὐκ ἀρετᾷ κακὰ ἔργα· κιχάνει τοι βραδὺς ὠκύν.*
*ὡς καὶ νῦν Ἥφαιστος ἐὼν βραδὺς εἷλεν Ἄρηα,*
*ὠκύτατόν περ ἐόντα θεῶν οἳ Ὄλυμπον ἔχουσι,*
*χωλὸς ἐών, τέχνῃσι· τὸ καὶ μοιχάγρι' ὀφέλλει.*

*Si quod agis virtute caret, celerem capiet te*
*Vel tardus, tarde Mars est comprensus vt ipsi*
*Vulcano superum cum velocissimus esset:*
*Ars etenim prodest cunctis animalibus ipsa.*

Atq; tot de Marte dicta sint, nunc dicendum de Neptuno.

## *De Neptuno.* CAP. VIII.

NEPTVNVS Saturni & Opis filius, vt dictum fuit eandem sortem, patrisque crudelitatem expertus prope est quam etiam Iupiter. Nam cum Rhea Neptunum peperisset, puerum in ouili absconditum opilionibus edu-

candum inter agnos tradidit, atq; pullum equinum, quem se simulabat peperisse, Saturno vt fabulantur, vorandum tradidit. Isacius Neptunum educatum fuisse scribit ab Arno nutrice, quam ita appellatam fuisse dicunt, quia quærenti Saturno Neptunum se non habere responderit, ac negauerit: ex quo etiam ciuitas Bœotiæ ita vocata fuit, quę antea Sinousa dicebatur, vt scripsit Teseus lib. 3. rerum Corinthiacarum, cum alij ab agnorum multitudine maluerint dicta fuisse, inter quos fuit Crato. Alij contra putarunt Neptunum à Iunone educatum fuisse. Hic cum Iouis socius & adiutor fuisset in bellis post Saturnum è regno depulsum, iactis sortibus de totius mundi imperio, mare & omnes insulas, quæ in mari existunt, tenere cum imperio sortitus est Neptunus; cum cœlum Ioui, infernus locus, vt diximus Plutoni obtigisset. vxorem habuit Amphitriten, quam cum deperiret, neque in amorem sui vllo pacto posset allicere, Delphinum misit, qui eam sibi conciliaret, persuaderetque vt maritum Neptunum æquo animo ferret. Id cum Delphinus impetrasset, ad perpetuam tanti beneficij memoriam dicitur Delphini signum inter sidera relatũ, vt ait Hyginius in fabulis stellarum: isque Delphinus est non longe à Capricorno collatus, vt scripsit Aratus in Astronomicis:

*Δελφὶς δ' οὐ μάλα πολλὸς ἐπιτρέχει αἰγοκερῆι.*
*μεσσόθεν ἠερόεις. τὰ δέ οἱ περὶ τέσσαρα κεῖται*
*γλήνεα παρβολάδην δύο πεπτηῶτα.*

Quæ carmina ita sunt alicubi elegantissime expressa:

*Tum magni currens Capricorni corpora propter*
*Delphinus iacet haud nimio lustratu' nitore:*
*Præter quadruplices stellas in fronte locatas,*
*Quas interuallum binas disterminat vnum.*

Alij Veniliam fuisse Neptuni vxorem crediderunt. Scriptũ reliquit Lucianus in Sacrificiis Neptunum nigros habuisse capillos, & oculos cæruleos, vt ait in primo Cicero de natura Deorum: quem nudum cum tridente & concha aliquando introduxere poetæ; aut qui indutum putarunt, vestem habere cyaneam dixerunt, vt ait Phurnutus. Memoriæ prodidit Pausanias in Arcadicis Neptunum primum equitandi artem inuenisse, quod etiam Pamphi antiquissimi hymnographi testimonio comprobatur, qui

Neptu-

Neptunum equorum, rostratarumque & turritarum nauium Largitorem vocauit. Ac Sophocles videtur apud Athenienses, vbi erecta postea fuit Academia, Neptunum primum iunxisse equos putasse, vt patet in his ex OEdipode in Colono;

δῶρον τοῦ μεγάλου δαίμονος εἰπεῖν
αὔχημα μέγιστον,
εὔιππον, εὔπωλον, εὐθάλασσον.
Ὦ παῖ Κρόνου, σὺ γάρ νιν εἰς
τόδ' εἷσας αὔχημ' ἄναξ Ποσειδάν,
ἵπποισι τὸν ἀκεστῆρα χαλινὸν
πρώταισι ταῖσδ' ἐκτίσας ἀγυιαῖς.

*Munus magni dæmonis dicere*
*Gloriam maximam,*
*Equis, pullis, mari bene imperitantem.*
*O fili Saturni, tu enim ipsum in*
*Hanc ducis gloriam: Rex Neptune*
*Equis moderans fræno.*

Apollonij vero enarrator Sesonchosem Ægypti Regem qui post Orum Isidis ac Osiridis filium regnauit, quem nonnulli Sesosrim vocarunt, primum inuenisse equum ascendere scribit, quod affirmauit & Dicæarchus in libro secundo rerum Ægyptiacarum: quod tamen quidam Oro acceptum ferunt. Neptunum idcirco finxerunt poetæ in curru vehi super æquore, vt sensit Appollonius in lib. 4.

——εὖτ' ἂν δή τι Ἀμφιτρίτη
ἅρμα Ποσειδάωνος ἐΰτροχον αὐτίκα λύσῃ.

——*quam mobilis Amphitrite*
*Neptuni celerem currum apto tempore soluet,*

Orpheus in hymnis currum hunc à quatuor equis trahi solitum scribit, vt est in eo versus:

κυμοθαλὴς χαροπῶπα, τετράορον ἅρμα διώκων.

*Quadriiugum impellens currum, summo æquore labens.*

Alij maluerunt eius currum trahi à vitulis marinis & cete quam ab equis: quippe cum eo tempore equũ inuenisse dicatur, cum in Areopagum cum Minerua in contentionem descẽdit de nomine Athenis imponẽdo, cum ipse equũ hominib. Minerua oliuã munus attulit, vt scripsit Plutarchus in Themistocle. fabulãtur Theseũ Phædræ vxoris precibus commotum à Neptuno patre impetrauisse vt Hippolytum

filium necaret. quem Phædra falso accusauit tentatæ pudicitiæ, quia nouercæ libidini noluisset assentiri. Neptunus Phocas Hippolyto iuxta litt⁹ maris vecto in curru immisit, quibus tanta trepidatio equis iniecta est vt in fugam versi illum è curru delapsum discerpserint. quare Phœdra postmodo pœnitentia ducta, vt plerique senserunt laqueo vitam finiuit. Ædificauit mœnia Troiana Neptunus, qui hac de causa Laomedonti Troianorum regi seruuisse dicitur: cum Iouem ligare Dij voluerunt, id Iupiter cognouit è Thetide, ac in cæteros quidem Deos animaduertit, & Neptuno atq; Apollini iussit vt Laomedonti seruirēt, dum Troiam ædificaret, Laomedon diuinis honorib. prosecutus est Apollinem, at Neptunus vbi diu seruiuisset, nullamque accepisset mercedem, indignatus horrēdum ac infestissimum cete immisit, ꝙ mare euomens vniuersam regionē inūdauit. illa de causa & filiam Hesionen quam vnicè amabat, ac multo magis quam vel Æthasam vel Ayochen vel Medicasten, quas ceteras filias habebat, ceto exponere iussus est ab oraculo Laomedon, & multa alia incōmode inde sunt consecuta. At Herodotus non verum esse inquit, quod Laomedonti Neptunus & Apollo seruierint, sed datum esse locum fabulæ, quia pecuniam Neptuni & Apollinis sacrificiis dicatam Laomedon ad extruenda mœnia ciuitatis conuerterit. atqui Virg Neptunum scribit suis manibus Troiam ædificasse, vt est in libro nono;

*——an non viderunt mœnia quondam*
*Vulcani fabricata manu considere in ignes.*

Quamuis Ouid. in epist. Paridis mœnia Troiana Apolline lyram pulsante ædificata fuisse inquit his carminibus;

*Ilion aspicies, firmataque turribus altis*
*Mœnia Phœbeæ structa canore lyræ*

Cum Amphitriten vxorē, vt diximus, haberet, infinitus prope filiorū est numerus quos ab variis nymphis & pellicibus suscepit Phœnicem habuit. è Libya & Bellum & Agenorē, è Calęno vna Danaidum Calęnum: Nauplium ex Amymone, è Pitane à qua vrbs Laconum dicta fuit, Euadnē, & Aonem, à quo vocata est Aonia regio, & herum Phæacem, à quo Phæacia dicebatur, quę nūc Corcyra vocatur, Phœnicem à quo Phœnicia, & Athon. à quo mons. nam pleriq; vrbib. nomina imposuerunt eius filij. & Dorum à quo Dorij, & ex

&ex Otifilia Laide Althepum Ancæum ex Aſtypalea & Periclimenum & Erginum: ex Alcyone Atlantis Anthamum: & Anthan & Hypereten, à quibus oppida condita nominataque ſunt apud Trœzenios, Bœotum ex Arne, Hippothoum ex Alope Cercionis: Aſopum è Cecluſa: Orionem è Brylle: Tritones alterum cum Euripylo è Cæleno, alterum ex Amphitrite: Palęmonem & Neleum è Thyrro: Creatum & Eurytum, è Molione: Minyam è Chryſogone Almi filia: Delphum è Melantho: Minyum è Callirhoe, Erycem è Venere, Ogygum de Aliſtra Taphium ex Hippothoe, Cygnũ alterum è Cayce, alterum è Scamandrodice, Minyas è Tritogenia filia Æoli, è Midea nympha Aſpledonem: Parnaſum è Cleodora, Eurypylum & Euphenum è Mecionica; cui munus dedit vt ſuper vndis tanquam ſuper terra proficiſceretur, vt ait Aſclepiades. Neque vero hi ſolum filij eius commemorantur, ſed Euphemus præterea, qui proreta fuit in Argo naui, Amycis, Albion, Aello, Anthæus, Amphimanus, Aethuſa, Aon, Alebius, Dercylus, Neleus & Pelias, & Aſtræus qui per inſcitiam congreſſus cum Alcipa ſorore ſequenti die cognita affinitate ex animi mœrore captus ſe in fluuium præcipitauit, qui prius dictus eſt Atætus ab ipſo mox Caicus à Caico Mercurij Ocyrhoeſque filio, vt ſcripſit Leo Byzantius in lib. 3. de fluminibus, & Melane à qua Melas prius Nilus dictus eſt: Actorion, Borgion, Brontes, Buſiris, Certion, Crocon, Cromus, Chryſaor, Cenchreus, Chryſogonea, Chius, Dorus, Euphemus, Irceus, Lelex, Lamia vates & Sibylla, Hallirhotius, Læſtrigone, Megareus, Meſapus, Epialtes, Nycteus, Melion, Nauſithous, Othus, Occipite, Polyphemus, Pyracmon, Phorcus, Pelaſgus, Oncheſtus, Phæax, Pegaſus, Phocus, Peratus. Siculus, Sicacus, Steropes, Taruc, Theſeus, Tarentus, Hyretus, vt alios infinitos prope prętermittã: nam plures quam octoginta me legiſſe memini: quos tamen omnes non putaui hic eſſe numerandos. quod ſi verum eſt id quod ſcribitur à Zeze in hiſtoria 51. Chil. 2. multo etiam plures fuerunt Neptuni filij. Inquit enim:

τοὺς θυμικοὺς σύμπαντας καὶ πάντας τοὺς ἀνδρείους
υἱοὺς καὶ φίλους, καὶ ἐραστοὺς φασὶ τοῦ Ποσειδῶνος.

*Elatos animo enim omnes & omnes ſtrenuos,*
*Filios & amicos dicunt, & amatos à Neptuno.*

Hunc aliquando venisse in contentionem de artificio cum Minerua & Vulcano scripsit Lucianus in Hermotimo: quo tempore Minerua domum excogitauit hominē fecit Vulcanus, Neptunus taurum atq; ea de causa crediderunt posteri Neptunum primum equos domuisse. Quod illi in orbis diuisione maris imperium contigit, iam dictum fuit superius. Scriptum reliquit Herodotus in Polymnia Thessalos dicere solitos Neptunum lacunam fecisse, per quam fluat Peneus; idque iure putari censuit ab ijs qui Neptunū terram concutere existimant: nam loca distātia interiecto maris spacio sunt opus huius Dei terræ motus, quod etiam Neptunus fecisse dicitur. Hæc est Herodoti sententia qui iuxta opinionem antiquorum vim aquarum causam esse terræmotuum credidit, at non ventos sub terra inclusos, qui erumpere conentur, vt scripsit Aristoteles libro tertio Meteororum, & Lucretius lib. 6. in his;

*Quod nisi prorumpit, tamen impetus ire animai,*
*Et fera vis venti per crebra foramina terræ*
*Dispertitur, & vt horror, & incutit inde tremorem.*

Huius Dei duplex erat munus, & nauigantiū curam habere scilicet. & equorū, vt in hymnis Homerus scriptum reliquit

Διχθά τοι ἐννοσίγαιε θεοὶ τιμὴν ἐδάσαντο,
ἵππων τε δμητῆρ' ἔμεναι, σωτῆρά τε νηῶν.
*Bina tibi superi Neptuno munera donant,*
*Flectere equos, regere & naues, quæ marmora sulcant.*

Quæ eadem scripta sunt & in hymno Orphei. idcirco Hippij siue Equestris Neptuni ædes fuit in Arcadia apud fluuiū Milaontem. vt ait Pausanias in Arcadijs, & Proschlystij siue inundātis: qui est ita appellatus, quia quo tēpore Inachus, & qui cum eo erant in cōsilio, terram Argiuorum Iunonis esse debere nunciarunt, maxima pars agri fuerit inundata atq; summersa. Deinde Iunone Neptunū precante vt mare deduceret, per quem locum refluxit, in eo Argiui Proschlystij Neptuni delubrum erexerunt, vt est apud Paus. in Corinthiacis. Ad huius rei memoriā fortasse factus fuit & dicatus Neptunus apud Athenienses vndam proferens, vt est in Atticis. Multa sunt deniq; cognomina, quæ propter varios euentus huic Deo sint attributa, vt Tænarius, Phitalmius, Heliconius, Temenius, Onchestus, Speculator, Natalitius, Hippocurius, Genesius, Gæouchus, Domatitis, pacor Rex

Ægæus

Ægæus, Taraxippus. Plutarchus commemorauit in vita Pompeij tria templa fuisse Neptuni opulentissima, vbi loca Deorum à piratis spoliata recenset: quorum vnum in Isthmo, aliud in Tenaro, aliud fuit in Calabria. erat enim Calabria Neptuno consecrata, vt scriptum fuit à Philostephano in rebus Italicis, atque loca nonnulla recenset Apol. lib.3. quibus præesset Neptunus;

*οἷος δ' Ἰσθμιον εἶσι Ποσειδάων ἐς ἀγῶνα*
*ἅρμασιν ἐμβεβαώς, ἢ Ταίναρον, ἢ ὅγε Λέρνης*
*ὕδωρ, ἠὲ κατ' ἄλσος Ὑαντίου Ὀγχηστοῖο,*
*καί τε Καλαύρειαν μετὰ δή θ' ἅμα νείσεται ἵπποις.*
*πέτρην θ' Αἱμονίην. ἢ δενδρήεντα Γεραιστόν.*
*Ad ludos properat qualis Neptunus in Isthmum,*
*Quadrigis inuectus adit cum flumina Lernæ,*
*Tenariumve solum, vel Hyantia rura, Geræstum*
*Syluosum, Æmoniamve petram fumantia colla*
*Cum premit alipedum, Calabra idem vt rura reuisit.*

Huic Deo taurum immolare consueuerunt, vt ait Homerus in libro quinto Odysseæ.

*ταύρους παμμέλανας Ἐννοσίχθονι κυανοχαίτῃ.*
*Cyaneos crines, taurus mactetur habenti.*

Sic Virgilius libro quinto;

*Tantum Neptuno, taurum tibi pulcher Apollo.*

Quod genus victimæ illi mactari iussit oraculum. ferunt enim aliquando euenisse Corcyræ, vt multis bobus per bellum Persarũ re'ictis taurus è pastu rediens sępius in pelagus mugitus ediderit, ibiq; per totũ diem constiterit, deinde cũ ad mare bubulcus descendisset, magnũ atq; infinitum prope thunnorũ numerum cõspexit, quod significauit Corcyræis. Illi tum capere thunnos conati, opera luserunt quare sciscitantibus oraculũ postea responsum est, Neptuno taurum mactari oportere; qua re peracta incredibilẽ piscium numerum cepere, vt ait Paus. in Phocicis. quamuis thunnus aliquando mactari Neptuno consueuit, vt scriptum est ab Antigono Carystio in lib. de Dictione Atq; Neptuno pisces illi cælestes consecrati esse putabantur, vt scriptũ est à Marco Manilio in lib. secundo rerum astronomicarũ, vbi signa cœlestia, quæ sint diis quibusque tributa, commemorat;

*Lanigerum Pallas, Taurum Cytherea tuetur.*
*Formosos Phœbus geminos, Cyllenie cancrum.*

*Iupiter & cum matre Deum regit ipse leonem*
*Spicifera est virgo Cereris, fabricatque libra*
*Vulcano pugnax Mauorti scorpius hæret.*
*Venantem Diana virum sub partis equinæ,*
*Atque angusta fouet Capricorni sidera Vesta.*
*Et Iouis aduersum Iunonis Aquarius astrum est.*
*Agnoscitque suos Neptunus in æquore pisces,*

Neptunum magna Deorum marinorum ac nympharũ manus comitabatur, quorum nonnullos ita numerauit Virg.

*Tum variæ comitum facies, immania cete,*
*Et senior Glauci chorus, Inousque Palæmon,*
*Tritonesque citi, Phorcique exercitus omnis:*
*Læua tenet Thetis, & Melite, Panopæaque virgo*
*Nesæe, Spioque Thaliaque Cymodoceque.*

Hunc in varias formas ob amores fuisse mutatum scripsit Ouidius lib 6. maioris sui operis atq; hæc ea sunt, aut certe non multo plura his, q̃ de Neptuno fabulose dicta sunt ab antiquis scriptoribus: nunc quid ea significẽt perquiramus.

¶ Iam primum omnium quid sit Neptunus ita explicat Cicero in primo lib. de natura Deorum, de Chrysippi sententia: quique aer per maria manaret; eum esse Neptunum Verumtamen non aer simpliciter per maria manans, sed ipsum aquæ elementum Neptunus plerunque nominabatur: aut aliquando spiritus ille ac mens diuina, quæ per maria esset diffusa, totamq; aquæ naturam ac molem à corruptione præseruaret: quod quidem nihil aliud est, quam anima per elementa diffusa, sicut in animalibus est, & in plãtis. Vbi enim illa recesserit siue harmonia sit & quædam symmetria, siue numerus seipsum mouens, siue diuina quædam & immortalis οὐσία, corpus ad corruptionem statim properare necesse est. Quare etsi elementa nobis non viuere apparent, tamen diuina quadam virtute & potentia seruante ab interitu ita sunt commista, itaque fermentata, vt ab ea seruentur à corruptione. Hanc vim diuinam in æthere Iouem, in aera Iunonem, in aqua Neptunum, & in singulis horum partibus variis Deorum nominibus appellarunt antiqui. Quod Saturno ereptus clam fuit Neptunus, & quid Saturnus sit, & quo pacto crudelitati Saturni erepta sint elementa, dictum est satis vt arbitror, cùm de Ioue & de Saturno loqueremur. At cur ab Arno fuit educatus?

tus? quia nullam fidem præstandam esse pelago experiuntur nauigantes. Nam quo tempore recens fuit Arnus nutricis Neptuni memoria apud antiquos, non fuit tanta nauigiorum multitudo mare solicitantium & prope infestantium: nec vt ait Lucretius lib. 5.

*——— turpida ponti*
*Æquora lædebant naues ad saxa, virosq;*
*Nec temere incursu fluctus mare sæpe coortum*
*Sæuibat, leuiterq; minas ponebat inanes.*
*Nec poterat quenquam placidi pellacia ponti*
*Subdola pellicere in fraudem ridentibus vndis.*

Quid enim verius de mari dici potest quam nullam illi esse constantiam? nam cum leuissimus ventorum flatus aliquando extiterit, tanta oritur tempestas, vt iratæ vndæ in cœlum minaces insurgere appareant, atq; incredibilis earum fremitus vel è longinquis montibus exaudiatur. Huic Deo taurus niger merito immolabatur, quod tauri & furorem & mugitum imitaretur Neptunus. Huius vxor dicebatur esse Amphitrite, quæ nihil aliud est, quam ipsa aqua vt in Cyclope ait Euripides.

ἄνω δ᾽ ἐπ᾽ ὄχθον εἶμι, καὶ περ ὢν τυφλὸς,
δι᾽ ἀμφιτρίτης τῆσδε προβαίνων ποδί.
*Ego vadum pertransco cæcus licet,*
*Per Amphitriten hanc meo incedens pede.*

Quam Amphitriten glaucam & piscosam nominauit Orpheus in Argonauticis, cum illa sint maris, at non alicuius Deæ proprie adiuncta;

Γλαυκὴν δ᾽ ἰχθυόεσσαν ἀπείριτον ἀμφιτρίτην.
*Glaucam, piscosam, immensam simul Amphitriten.*

Hæc cum aqua sit, dicitur vxor Neptuni cum is sit spiritus, vti dicebam, per vniuersam aquæ molem diffusus; & tanquã anima ipsius aquæ elementi: est enim Amphitrite corpus & materia humoris omnis, qui vel circa terram est, vel intra terram ipsam includitur. Neque aliud significare voluerunt illi, qui delphinum Neptuno amatam Amphitritẽ conciliasse fabulantur, quam omnium marinorum pisciũ maxime ingenio & cognitione, corporisq; celeritate Delphinum præstare; cum reliqua marina animalia amẽtia atque prope stupida sint, quæ profundius habitant in mari propter indigesti à Sole humoris copiam; ita vt de nonnul-

lis merito dubitent, an sint animalia dicenda. Fieri tamen potuit, vt homines hi fuerint ita vocati, ad quorum gratiã ista fuerint ficta, ita vt possint etiam ad rerum naturalium, morumve rationem accommodari. Neptuni forma, quæ finguntur à poetis, quid aliud est quam maris vel natura vel color? quis enim dubitat cyaneum colorem esse aquæ marinæ. Rursus nudus Neptunus nihil aliud est, nisi dulciũ aquarum natura. Illæ enim aquæ sunt saluberrimæ, quæ nullum habeant colorem, aut qualitatem apparentem. Tridens vero quem habet Neptunus pro sceptro, triplicem illius ostendit potestatem, quod habet facultatem scilicet tollendi æquoris & placandi & seruandi. quod alii fictum esse maluerunt, quia dulcibus, salsis, mediocribus aquis, quales sunt lacustres, imperet. Dictus est equum prior inuenisse, & equitandi peritiam, quoniam quidam vocatus Neptunus vir Thessalus prior omnibus equitandi artem excogitauit: quamuis non desunt qui ad nauigationem id referant, quoniam videntur nauigia super maris dorso quasi equitare. Dictus est Neptunus vehi curru super æquore comitantibus Tritonibus, ac marinis monstris: quia cum multo vndarum strepitu vndis quasi totis carinæ subiectis naues videntur deferri per tempestates. Hoc ita esse probatur Plutarchi testimonio, qui scripsit in vita Themistoclis ea de causa locum datum esse fabulæ de contentione Palladis ac Neptuni de nomine Athenis imponendo, quod Neptunus equum, Pallas oliuam attulisset, & pro munerum præstantia iudicati sunt, quia ἐκεῖνοι μὲν (ὡς λέγεται) πραγματευόμενοι τοὺς πολίτας ἀποσπάσαι τῆς θαλάσσης, καὶ συνεθίσαι, ζῆν μὴ πλέοντας, ἀλλὰ τὴν χώραν φυτεύοντας, τὸν περὶ τῆς Ἀθηνᾶς διέδοσαν λόγον, ὡς ἐρίζοντος περὶ τῆς χώρας τοῦ Ποσειδῶνος, δείξασα τὴν μορίαν τοῖς δικασταῖς ἐνίκησεν. *Illi sane (vt ferunt) cum studerent ciues à mari retrahere, ut assuescerent viuere non nauigantes, sed regionem arboribus ornantes, sermonem illum vulgarunt, quod Neptuno de regione contendente, Pallas oliuam iudicibus obtulerit, ac vicerit.* Qua in contentione si Neptunus equum obtulisset, ac nisi pro nauigio intelligeretur equus, quo pacto viderentur ciues à nauigatione reuocari? Dictus est Neptunus & Apollo Laomedonti Troianorum Regi seruiuisse, quoniam is pecuniam horum Deorum sacrificiis dicatam in

suam vtilitatem & ad extruēda mœnia ciuitatis conuertit, quam tamen sacerdotibus non restituit, vt promiserat. At calamitates, quas pro neglecto Neptuno passus est, quid aliud significant quā Dei cultū sine calamitate non negligi? Ingens filiorum Neptuni numerus præterea quid nisi maris fertilitas est? Nam nisi tantam filiorum copiam squammosis illis marinis gentibus natura dedisset, facile futurum erat vt mare piscibus orbatum haberemus; quippe cum vix tanta sit feracitas aquarū, quāta est voracitas piscium. Hæc ipsa caussa fuit cur crudeles Neptuni filii dicerētur omnes.

¶ Nunc quid sub his lateat ad humanæ vitæ institutionē spectans, explicemus. Ac primum cum virtutum omnium princeps & Regina sit, vt ita dicā; liberalitas & munificentia, quæ non nisi ad Deum vel ad Reges pertinet, omnium vitiorum grauissimum merito iudicabitur acceptorum obliuio, quæ nō nisi in sordidos animos cadere potest. Ea de causa finxerunt antiqui, quod Neptunus gratias retulit Delphino pro accepto beneficio: atq; vt æterna huius facinoris memoria, & ad beneficentiam adhortatio ad posteros manaret, numerus & ordo quidam stellarum Delphini nomine in eius honorem fuit appellatus. Quod autem ob neglectos Deos Laomedon pœnas persoluerit, multasque calamitates subierit, id etiam ad religionem Deorum immortalium homines impellit: quoniam qui pie sanctèque per probitatem & integritatem vitæ Deum coluerit, quiq; illa quæ instituta sunt à sapiētibus, Deo persoluerit, ille solus Deum placatum in omne tempus habebit, multa incōmoda deuitabit & se in omni molestia rectorum cōsiliorū consciētia consolabitur. Qui vero beneficiorum omnium autorem, omniumq; patrem Deum neglexerit, quo pacto vir iustus, & bonus & temperans esse poterit? aut si nihil horū poterit, quo pacto non in multas calamitates illabetur? Nos igitur ad religionem, & ad memoriam acceptorum beneficiorum sempiternam per hanc Laomedontis fabulam sapientes antiqui adhortabantur: fortunæq; inconstātiam ante oculos proponebant, cum vel Dii inhumaniter agentes aduersus Iouem de cœlo expulsi coacti sint homini seruire. Imprudens est omnino Theseus, qui filio Hippolyto mortem à Neptuno precatus fuit, quem falso nouerca Phædra apud Theseum accusauerat, quod eam de stupro

interpellasset, at id tamē Theseo concessit Neptunus. Quid hoc est nequitiæ Dii boni charissimis illa concedere quæ in omne tempus perniciosa futura sunt? nam phocas Neptunus in equos Hippolyti iuxta mare equitantis immisit, quibus in fugam versis ille discerptus fuit. Cui tamen Hippolyto Diomedes lucum eximia pulchritudine postea dicauit cum delubro, & antiqui operis simulacro, ac rem diuinam primus omnium fecit, vt ait Pausanias in Corinthiacis: & apud Trozenios virgines sibi succisum capillum ante nuptias in eiusdem templo consecrabant. voluerūt igitur antiqui per has ambages verborum nos adhortari vt æquo animo essemus, si quando ad nostra vota Dii surdi viderentur, quoniam perniciosa sæpius expetuntur ab ignaris hominibus, & quæ maximo detrimento impetrantib. in posterum sint futura. Sapienter ideo dictum est ab illo poëta:

*Nil ergo optabunt homines si consilium vis,*
*Permittes ipsis expendere numinibus quid*
*Conueniat nobis, rebusq; sit vtile nostris.*

Quod autem hęc huius rei causa tantum ficta sint, vel ex eo patet, quod omnium mortalium imprudentissimum & crudelissimum finxerunt Neptunum. Quis enim vir bonus esse poterit, qui causam ignotam iudicarit: aut qui pro vel charissimorum precibus viros bonos & iustos & temperantes trucidarit, vel condemnarit, quo pacto non sceleratus & nefarius esse poterit? Non fuit igitur Deus sapiens Neptunus, sed neque bonus quidem, aut iustus, si tam iniqua filio Theseo concessit: quæ de Deo dicenda omnino non sunt; cum hæc solum institutionis ergo sint inuenta. Non defuerunt qui putarint imperium maris idcirco attributum fuisse Neptuno, quia prior ille classem instruxerit, cui Saturnus commisit rerum maritimarum imperium, vnde datus est locus fabulæ. At de Neptuno satis, nunc dicamus de Plutone.

## *De Plutone.* CAP. IX.

PLuto quem inferorum Deum putarunt antiqui, natus est ex Opi & Saturno, vt dictum est, isque vna cum Ioue militauit, & post varias victorias, rerumq; gestarum felices successus cū Ioue & Neptuno iactis sortib. terrarum mundiq; totius (vt aiunt) imperium diuisit: cui Hispaniarum, &

locorum

locorum omnium ad occidentem Solē obtigit imperium. Scriptum reliquit Pausanias in Atticis Plutonis & Amphiarai statuas quodam in loco fuisse apud Atheniēses, vbi Pluto puer à Pace nutrice portabatur. Fama est hunc claues habuisse ꝓ insigni, sicuti sceptrum Ioui, & Neptuno tridēs tribuebatur, vt idem Pausanias ait in prioribus Eliacis. Et Orpheus in hymno in Plutonem idem affirmauit his verbis;

*Πλούτων ὃς κατέχεις γαίης κληῖδας ἁπάσης.*

*Pluto qui terræ claues & regna gubernas.*

Plutonem præterea fuisse opulentiæ Deum, & in Iberia apud Pyrenæos montes habitasse memoriæ prodidit Strabo lib. 3. Geographiæ. Hunc defunctorum Deum esse crediderunt, quem appellarunt Iouem, siue Deum terrestrem, cui sacra faciebant pro defunctorum manibus, vt testatur Euripides in Phœnissis;

*τοῖς γὰρ θανοῦσι χρὴ τὸν οὐ τεθνηκότα*
*τιμὰς διδόντα, χθόνιον εὐσεβεῖν θεόν.*

*Cum iusta soluit mortuis viuus, decet*
*Deum simul terrestrem honore prosequi.*

Quo vero tempore illi sacra hæc fierent, Februus vocabatur, Plutonem finxerunt antiqui in curru vehi atrorum equorum, vt testatur Ouidius libro Metamorph. quinto;

*Hanc metuens cladem tenebrosa sede tyrannus*
*Exierat: curruq́; atrorum inuectus equorum*
*Ambibat Siculæ cautus fundamina terræ.*

Attribuerunt claues Plutoni, quia non datur reditus eius regiam ingressis, cui Deo narcissus & adianthum & cyparissus in coronas erant dicata, sicuti narcissus Parcis. Aiunt hunc Deum aliquando grauiter tulisse, quod solus omniū Deorum cœlibem & filiis carentem vitam traduceret, cum tanti imperii Deus esset, neq; vllam inueniret quæ sibi nuptui daretur: quippe cum & Iouis esset frater, & Deorum omnium opulentissimus. Nulla enim Dea illum ob deformitatem & obscuritatē regni maritum esse suum pati poterat. Ille igitur hac opinione, vel (vt verius dicam) hoc animi furore agitatus atrorum equorum currum conscendit, & in Siciliam peruenit. Ibi forte Proserpinam Cereris filiā inter cæteras virgines flores colligentem visam adamauit, quippe cum omnes illas & fama & corporis elegantia antecelleret. Hanc igitur rapuit, & in curru ad fluuium Cha-

marum deportauit; vnde ad sua regna, quæ sub terris esse putantur, deportauit, vt testatur Pausanias in Corinthiacis, & Claudianus rem totam carmine elegantissimo complexus est. Magno in honore fuit in Pylo Pluto, templumque eius ibidem magnificentissimum, vt ait Strabo libro octauo. Neque procul distat a Pylo mons qui vocatus fuit Menthes, à Menthe Plutonis pellice, quam dolo circumuentam Proserpina in herbam hortensem sui nominis mutauit. Testatur idem Strabo libro nono ad ripas Coralii fluuii, vbi sacra fiebant Pambœotia, constructam fuisse ob mysticam quandam causam Plutonis ac Palladis aram communem. Immolabantur tauri Plutoni, vt testatur Horatius libro secundo carminum:

*Non si tricenis, quotquot eunt dies,*
*Amice places illacrymabilem*
*Plutona tauris.*

Scriptum reliquit Strabo lib. tertio decimo Plutonium os in Cybircsium regione apud Hierapolim in paruo quodam montis cliuo fuisse, in quod homo excipi poterat. idque fuisse miræ profunditatis, & admirabilis multo magis potentiæ. Nam huic oppositum fuit vallum quadratum, ambitu dimidii fere iugeri, quod nebulosa crassaque caligine tegebatur: at propinquus aer erat innoxius. Quod si aliquod animal ingrederetur, continuo moriebatur, taurique eo adducti statim concidebant. fuit Pluto Latinis Orcus appellatus, vt scripsit Cicero in actione sexta in Caium Verrem: Hic dolor erat tantus, vt Verres alter Orcus venisse Ennam, & non Proserpinam asportasse, sed ipsam abripuisse Cererem videretur. dictus est autem Pluto, quia diuitias largiatur, vt ait Lucianus in Timone, & Plato in Cratylo his verbis: τὸ δὲ Πλούτωνος, τοῦτο μὲν κατὰ τὴν τοῦ πλούτου δόσιν, ὅτι ἐκ τῆς γῆς κάτωθεν ἀνίεται ὁ πλοῦτος, ἐπωνομάσθη. *Plutonis vero nomen ob diuitiarum largitionem, quia diuitiæ è terra in lucem emittantur, dictum fuit.* quamuis Lucianus in dialogo postea de luctu, Plutonem dictum putant, διὰ τὸ πλουτεῖν τοῖς νεκροῖς, *quia abundet mortuis scilicet.* Dicebantur ad hunc omnes animæ mortuorum descendere, quas vbi ille acceperat, ineuitabilibus vinculis coercebat, iudicibusque tradebat iudicandas atque omnib. pro meritis vel pœnas vel præmia dispẽsabat. Neque vlli concessum est præterquam

terquam admodum paucis ad superam regionem reuerti, & id maximis de causis, vt fama est. Illius Dei regio turbidissimis & amplissimis fluuiis vel ipsis nominibus horrendis interluitur. Defluit cum magno strepitu Cocytus, cum rapidissimis flammarum vndis Phlegethon deuoluitur, ibidem cœno plena est profundissimo & graueolenti Acherusia palus. Quid de squalore cymbæ, portitorisq; animarum deque tremenda illius voce tonitrui non dissimili dicam? Terret altissimis & stridulis latratibus vel longinquos nauigantes Cerberus triceps: horrent viperinis capillis Furiæ, formidabilis est iudicum iustissimorum seueritas ita vt nemo sit tam sanctus aut integræ vitæ, qui ad id iudicium accessurus non aliquantulum expauescat. Verum de his in sequenti libro pertractabimus.

¶ Nunc huius fabulæ explicationem aggrediamur. Pluto siue elementũ sit terræ, siue diuitiarum Deus, vtroq; nomine filius est Saturni nã primum omniũ architectatus est cœlum Deus, ex quo natum tempus, in quo reliquum quod erat ædificii expletum est. Si diuitiarũ Deus rursus sit Pluto, nemini obscurũ esse arbitror, ciuitates & regiones per diuturnam pacem opib. & hominum frequentia repleri: quare Pax illius merito dicitur fuisse nutrix. Rursus quod fuerit Saturni filius, & Iouis Iunonisque frater; quid aliud hoc est quam genus omne diuitiarũ è tempore nasci, & cœli aerisq; bonitate ac tẽperie procreari & adiuuari? Dicitur idcirco illi imperium inferorum obtigisse, quoniam apud occidentis nationes & in Hispania (vt diximus) regnauit, quæ fertilissima est prope omnium prouinciarum, & omnis generis frugum plenissima, præter loca illa, in quibus effodiebantur metalla, vt testatur Strabo lib. 3. Qui vero Plutonem elementum terræ esse putarunt, non solum diuitiarum Regem, quæ omnes è terra oriuntur esse crediderunt: sed etiã mortuorum omniũ, qua omnia quia nata sunt, in ea tandem principia soluuntur, è quib. sunt orta: quod etiam expressit Cic. lib. 2. de Nat. Deor. his verbis: Terrena autem vis omnis atq; natura Diti patri dedicata est: qui Dis vt apud Græcos Πλούτων dicitur, quia & recidant omnia in terras, & oriantur è terris. Et quoniam quod semel mortuum est, nunquam idem reuiuiscit, inde dictum est ab antiquis quod Pluto habet claues, à quo ita sedes inferorum

clausæ sunt, vt exitus nemini pateat, sicuti testatur Pausanias in Eliacis. Hic idem Proserpinam Cereris filiam rapuit quia (vt ait Cic. in 2. de Nat. Deorum) ea est quæ Περσεφόνη Græce nominatur, & quam frugum semen esse volunt, absconditamque à matre quæri fingunt, vt ait Eusebius libro secundo Euangelicæ præparationis. Plutonem esse virtutem terræ, & aliquando terram ipsam, ita scripsit Orpheus in hymno in Plutonem;

*πλουτοδοτῶν γενεὴν βροτέων καρποῖς ἐνιαυτῶν.*

*Nam fac.. ipse homines opulentos fructibus anni.*

Attrahit igitur vis terræ ad se radices frugum inferius, quare dictus est Pluto sub terram rapuisse Proserpinam, quadrigis inuectam, cum per tot mensium tempus ad inferiora crescant frugum radices. sic autem quadrigarum nomina expressit Claudianus in 1. lib. de raptu Proserpinæ;

*Orphnæus crudele micans, Æthonque sagitta*
*Ocyor, & Stygii crudelis glor a Nycteus*
*Armenti, D t .q; nota signatus Alastor.*

Quæ cum finguntur, & alicubi fieri necesse sit; scripsit Orpheus in Attico solo non procul ab Eleusi id contigisse, vt Pluto sub terram sit ingressus, sicuti patet ex his versibus:

*——— ἁγνοπόλου Δημήτερος ὅς ποτε παῖδα*
*νυμφεύσας λειμῶνος ἀποσπάσας διὰ πόντου*
*τετρώροις ἵπποισιν ὑπ' Ἀτθίδος ἤγαγες ἄντρον.*
*δήμου Ἐλευσῖνος, τόθι περ πύλαι εἰσ' Ἀΐδαο.*
*Pluto tibi castæ Cereris nam filia quondam*
*Cum legeret flores in prato, rapta quadrigis*
*Imposita est, & Cecropium portata sub antrum,*
*Huc vbi Eleusis adest, vbi nigri ianua Ditis.*

Enimuero non solum de rebus gestis quæ Diis inferis tribuuntur, hæc intelligenda sunt, sed multo magis ad mores hominum vitæque institutionem pertinent. Nam quibus curis torquentur, quantisque molestiarum fluctibus agitantur diuitum animi? cæcitas enim mentis prius occupet mortalium animos necesse est, quam opes acquirantur: pro quibus diu laborandum est, cum breuissima futura sit, aut etiam nulla aliquando partarum rerum fruitio. Quas tamen si quis breui comparare studeat, ad omnem probitatem & innocentiam conniueat oportet, omnemque impuritatem induat & crudelitatem, cum primum

mum ingẽtium opum desiderio capitur. Illud autem significatur per illorum equorum nomina, quibus vehebatur Pluto cum sine scelerib. nemo prorsus breui ditescere possit. quidam putarũt Plutonem esse dictum regem mortuorum, quia primus ille inuenerit sepulturas & exequias, cum prius cadauera sine vllo cultu passim vt contingebat sepelirentur, aut etiam inhumata feris relinquerentur. atque de Plutone satis, nunc de Pluto pertractemus.

## *De Pluto.* CAP. X.

PLVTONEM sapientes antiqui vim ac naturam esse terræ crediderunt, quamuis illi diuitiarum etiam nonnulli tribuerint imperium. At Pluto nemo est quin omnib suffragiis distribuendarum diuitiarum munus concessum esse sciat: quem Cerere & Iasione natum commemorauit Hesiodus in Theogonia:

*Δημήτηρ μὲν Πλοῦτον ἐγείνατο δῖα θεάων*
*Ἰασίῳ ἥρωϊ μιγεῖσ' ἐρατῇ φιλότητι.*
*Alma Ceres Plutum peperit coniuncta in amore*
*Iasio Heroi Cretes in diuite regno.*

Theocritus in tertia Ægloga significasse videtur dormientem Iasionem fuisse à Cerere adamatum, cum illum inter eos commemorauerit, qui dormientes à Deabus adamati fuerunt, vt est in his:

*ζαλωτὸς μὲν ἐμὶν ὁ τὸν ἄτροπον ὕπνον ἰαύων*
*Ἐνδυμίων ζαλῶ δὲ φιλαγλώαν Ἰασίωνα.*
*Endymiona velim sopitum posse profundo*
*Somno imitari, sum simul æmulus Iasioni.*

Hunc Deum cæcum esse tradiderunt, & cuiusmodi ab Aristophane in Comœdia introducitur; quod passus est à Ioue propter inuidiam: cum antea, dum acutissime videret, ad viros bonos tantum accederet, multique flagitiosi homines rerum necessariarum inopia perirent, vt ex his carminibus indicatur;

*ὁ Ζεύς με τοῦτ' ἔδρασεν ἀνθρώποις φθονῶν.*
*ἐγὼ γὰρ ὢν μειράκιον ἠπείλησ' ὅτι*
*ὡς τοὺς δικαίους καὶ σοφοὺς καὶ κοσμίους*
*μόνους βαδιοίμην· ὁ δέ μ' ἐποίησε τυφλὸν,*
*ἵνα μὴ διαγιγνώσκοιμι τούτων μηδένα.*
*οὕτως ἐκεῖνος τοῖσι χρηστοῖσι φθονεῖ.*
*His Iupiter me affecit inuidens viris.*

*Puer minatus ipse quod sum, me fore*
*Solis bonis, solis viris prudentibus*
*Domesticum: tunc ille me cæcum facit,*
*Ne quem bonum, ne quem malum dignoscerem.*
*Sic bonis, sic inuidet prudentibus.*

Hunc eundem Deorum omnium timidissimum finxerunt antiqui, sicuti testatus est Euripides in Phœnissis;

δειλὸν δ᾽ ὁ Πλοῦτος καὶ φιλόψυχον κακόν.
*Plutus timidus, vitæ suæque amans malum.*

Quare ad hoc festiue allusit is poeta qui inquit:

*Nocte iter ingressus gladium contumque timebis,*
*Aut mota ad Lunam trepidabis arundinis vmbram,*
*Cantabit vacuus coram latrone viator.*

Quidam omnium Deorum maxime perniciosum esse crediderunt, in quem etiam Timocreon Rhodius Epicus poeta scoliū siue conuiuale carmen conscripsit, cuius est initiū:

Ὤφελες ὦ τυφλὲ Πλοῦτε μήτ᾽ ἐν γῇ, μήτ᾽ ἐν θαλάττῃ,
μήτ᾽ ἐν ἠπείρῳ φανήμεναί ποτε,
ἀλλὰ τάρταρόν τε ναίειν κ᾽ ἀχέροντα.
διὰ σὲ γὰρ πάντ᾽ ἐν ἀνθρώποις κακά.
*Debebas cæce Plute neque in terra neque in mari,*
*Neque in continente apparuisse vnquam,*
*Sed tartarum habitare, atque Acheronta.*
*Per te enim omnia inter homines mala.*

Hunc Deum esse minime cæcum existimauit Theocritus cum dicat: τυφλὸς δ᾽ οὐκ αὐτὸς ὁ Πλοῦτος: *cæcus nō ipse Plutus.* Sic etiā Plato primo de legibus scripsit Plutum non solum non esse cæcum, sed etiam acutissime cernere: τέταρτον δὲ δὴ Πλοῦτος. οὐ τυφλὸς. ἀλλ᾽ ὀξὺ βλέπων ἅπερ ἅμ᾽ ἕπεται φρονήσει. *Quartum autem Plutus, non cæcus sed acute videns quæ prudentiæ sunt adiuncta.* Hic Plutus Deus esse creditus est à nonnullis, maiorique honore cultus, quam Dij cæteri: vt scripsit Theognis;

οὕνεκα σ᾽ ὦ Πλοῦτε βροτοὶ τιμῶσι μάλιστα.
ἦ γὰρ ῥηιδίως τὴν κακότητα φέρεις.
*Num merito coluere viri te maxime Plute?*
*Nequitiæ facile est pondera ferre tibi.* Et alibi;
Πλοῦτε θεῶν κάλλιστε καὶ ἱμεροέστατε πάντων,
Σὺν σοὶ καὶ κακὸς ὤν, γίγνομαι ἐσθλὸς ἀνήρ.
*Optime cunctarum Plute & dulcissime rerum,*

Vel

*Vel prauus tecum vir bonus esse ferat.*

Non tamen multo mitius est monstrum Paupertas nisi voluntaria sit, quæ ad infimum vergat, in quam nos his Græcis carminibus aliquando lusimus:

Ἡ Πενία σίνει μᾶλλον δειλήμονας ἄνδρας
Ἀθανάτων πάντων ἀλγινόεσσα θεά.
Ὤ χθρὸς ἀεὶ δαίμων, πεινῶν, ὁ ἀκέεσσι γεγηθώς.
Ἄρσενα δ' οὐ πάμπαν, σ' οὐδὲ γυναῖκα λέγεις.
Οὐδὲ μὲν οὐδὲ βροτοῖ' οὐδ' εὐλόγου ἐστὶν ἐοικὸς
τοῦτο τέρας, πᾶσαν καὶ κακότητα φέρει.
Ταρτάρῳ ἐν φιλότητι μιγεῖσα μελάμπτερος ἡ Νὺξ
Ἣν τίκε δειλαίοις πῆμα κακοῖο βροτοῖς.
Ἔσχε τιθήνην δ' ἀκλειῶν πολλὸν ἀριθμόν.
Μαίωσεν πρώτως ὀκλαδὸν Ἀφροσύνη.
Ἀργὴ ἐδέξατο τὸ βρέφος, ὃ τρέφεν, ἠδ' ἀτίταλλεν·
Ἑλκεχίτων Τρυφὴ μάζον ἑοῖο πόρε.
Σπαργάνισε δὲ Ῥαθυμία ὡς εἰκὸς ἀτέχνως
Χειμῶν ἐν κρυερῷ καὶ γὰρ ἔγεντο τότε.
Ἔνδειάν τε Φόβον τε φίλους καὶ Θρῆνον ἑταίρους
Ἀτρυφέρους εἶχεν αἰὲν ἀπεμβομένους.
Ἄχθος, Ἐρημίη ἔπειτ' αὐτῇ συμπαίστορε βήτην·
Ἀπορία τε κακή, Ἀφιλία τε κόρη.
Οὔ ποτε γὰρ τοῦτο τέρας θνητοῖς φοβερώτερον ἄλλο,
Οὐδ' ἐχθρὸν μᾶλλον τοῖς μακάρεσσι θεοῖς.
Τοῦτο γὰρ ἐκφεύγων κατὰ τὸν μεγακήτεα πόντον
Ἔμπορος, οὐ τρομέει βένθεα, κ' οὐκ ἀνέμους·
Οὔτε θεῶν μῆνιν τόσον, οὓς κατὰ πολλ' ἐμπιορκεῖ,
Οὔτε πόνον κατὰ γῆν, ἔντεά τ' ἀλλοδαπῶν,
Ὅσσον τῆς Πενίας δυσφερὸν βλέμμ' ἀθρόα καὶ γὰρ
Προὔτρεπεν ἐν φθόγγῳ ἔθνεα δεινὰ κακῶν.
Δοῦλον, καὶ δύσποτμον, ἀναιδῆ, πᾶσι γέλοιον,
Νωθρὸν, ἄπιστον, ἐπεὶ ποιέεται Πενία.
Ἄφρονα, δύστηνον, καὶ ἀλήτην, πτωχὸν, ἄυπνον,
Ἄθλιον, ἀχρεῖον, παίγνιον ὥστε τύχης.
Πάσης ἀτυχίας βάθρον τὰ πλεῖστα παρέστη
Ἡ Πενίη ἀνθρώπων δακρυόεντα βίον.
Εἴαρος ἐρχομένου ὅσσ' ἄνθεα γίνεται ὥρῃ,
Ἢ δ' ὅσσους καρποὺς ἡ καλ' ὀπώρα φέρει,
Τόσσα πέρεσι κακῇ Πενίῃ κακά, τόσσα βέβηλα.
Τόσσ' ἄλιτ'. αὐτῶν γὰρ τίς κεν ἀριθμὸς ἔῃ,

Ῥᾷον ἀριθμεῖσθαι νιφετοῦ μῦθος, ἢ χαλάζης,
 Δένδρε᾽ ἀποθραύει ῥίζοθεν ὅσσ᾽ ἄνεμος.
Οὔτις σῶμα δίδοι πενιχροῦ χάριν, οὔτις ἄποινα.
 Οὔτε πένης ζώων ἐν λόγῳ, οὔτε θανών.
Οὔ ποτέ τις Πενίας σκυπελὸν κακὸν ἤπλετ᾽ ἀπήμων
 Οὐ μὰ τὸν πλοῦτον τὸν χαρίεντα θεόν.
Τῶν ἑκατὸν γηῶν ῥοφέει δέκα μήτε θάλασσα,
 Μήτε Ποσειδάων πολλάκις ἰχθυφάγος.
Τῶν χιλίων χίλιοι κακοδαίμονές εἰσι πένητες.
 Ἔχθιστον Πενία γένετο πῆμα βροτοῖς.
Ἐστὶ τέλος Πενίας ὀλοώτερον οὐδὲν ἰδέσθαι,
 Πλὴν τῆς Ἀδικίας ἣ μάλα δὴ κακίων.
*Improba Pauperies nocuit mortalibus una*
 *Plus superis cunctis, saeua, grauisque Dea.*
*Vestibus & gaudet laceris, & pallida semper*
 *Ora fame est: nec mas, foemina & illa nec est:*
*Non est illa homini similis, non illa animanti.*
 *Hoc monstrum secum tristia cuncta tulit.*
*Tartarus hanc genuit Nocti coniunctus, at illa*
 *Poena viris facta est, exitiumque graue.*
*Sordida nutricum fuit illi copia multa:*
 *Nam fuit obstetrix improba Stultitia.*
*Segnities cepit, quam nutriit inde, puellam:*
 *Discinctumque dedit vbera Delicium.*
*Vilibus arte carens inuoluit inertia pannis*
 *Frigora per bruma: hoc tempore nata fuit.*
*Se comitem querulam mox illi iunxit Egestas,*
 *Cui Pauor & luctus charus amicus erat.*
*Hinc Solitudo atque Pudor colludere sueti:*
 *Et mala Formido, nulla & Amicitia.*
*Nec magis horrendum monstrum mortalibus ortum est,*
 *Inuisum superis coelicolis ve magis.*
*Hoc fugiens per monstriferum mare nauita ventos*
 *Mercator spernit, nec maris alta timet:*
*Nec tanti superum facit, hos cum peieret, iram,*
 *Non quae fert tellus, quaque pericla mare,*
*Quanti Pauperiae aspectum toruum. inde malorum*
 *Aufugere hortatur plurima turba procul.*
*Iure quidem infelix, seruus, ridendus, inersque*
 *Fit pauper; pudor huic excidit atque fides.*

*Inso-*

*Insomnis, demens, querulus, mendicus, & erro est,*
*Implacidus, huius stantis in orbe Dea.*
*Pauperies est vna mali certissima sedes,*
*Vita superposita est qua lacrymosa virum,*
*Quot flores verno nascuntur tempore vel quot*
*Vndis autumnus dulcia poma tulit;*
*Tot mala Pauperiem, tot pone impura sequuntur,*
*Tot delira. quis hæc dinumerare queat?*
*Sed citius quando conuellunt robora venti,*
*Percipias numerum grandinis atque niuis.*
*Præmia seruato donat pro paupere nemo.*
*Viuat, vel pereat, nulla inopis ratio est.*
*Pauper illæsus scopulum nemo attigit vnquam:*
*Testificor Pluti numina magna Dei.*
*Nauibus è centum haud sorbet Neptunus & vndæ*
*Sæpe decem, reliqua marmora tuta secant:*
*Sint inopes si mille, videbis mille misellos,*
*Pauperies cunctis denique dira lues.*
*Qua pestis non vlla viris nocet acrius vrgens.*
*Est peior multo sed tamen improbitas.*

Hunc Deum, quem alij potentissimum putarunt, quidam crediderunt imbecillum ac debilem esse, quia sine virtute non posset homines ad honores extollere, aut elatos retinere. quare scite dictum est;

οὔτ᾽ ἀρετῆς ἄπερ ὄλβος ἐπίσταται ἄνδρας ἀέξειν,
οὔτ᾽ ἀρετὴ ἀφένοιο.

*Tollere mortales nequeunt virtute carentes*
*Diuitiæ, aut inopem virtus.*

Nam vtræque conspirent necesse est ad mortalium fœlicitatem. Filiam habuit Euribeam, de qua meminit Apollonidorus lib.1. Bybliothecę. Sed insulsus est omnino qui plutum aut fuisse Deum, aut fuisse aliquid omnino putarit: quoniam antiqui singulis animorum motibus proprios Deos præfecerunt, ne quid diuina prouidentia non gubernari crederetur.

Nunc quid hæc significent, perquiramus. Plutus è Cerere & Iasione natus esse dicitur, quoniam opes è prædiorum prouentu, & ex agricolarum diligentia nascuntur. Est autem dictus Iasion ἀπὸ τοῦ ἰᾶσθαι siue à medendo quia Ceres medetur inopiæ mortalium. Quod Plutus luctus est

cæcus à Ioue, quoniam viris bonis Iupiter inuideret: quia hoc tam scelestum & impium facinus significat? an potest bonitas diuina impuris fauere, ac bonos persequi? Cum Iupiter sit fatum, & vis illa mentis diuinæ quæ res humanas gubernat, cum modo huc, modo illuc facultates pro arcano & inexplicabili Dei iudicio transferat arbitrati sunt nonnulli illud temere fieri, quare cęcum diuitiarum Deum esse dixerunt. Hoc autem ita accidit, quia diuitiarum possessio illis non solum concedebatur, qui vel ingenio, vel robore, vel aliquo virtutis genere præstarent cæteris, ac seruatum fuit apud antiquos sicuti testatur Lucretius lib. 6.

*Et pecudes & agros diuisere atque dedere.*
*Pro facie cuiusq; & viribus, ingenioque.*

Neque tamen præmium virtutibus oportuit proponi diuitias, cum virtus per se expetenda sit à viris bonis. Nam qui propter præmium virtutis virtutem amplectitur, aut vitia relinquit propter metum pœnarum; is non est plane vir bonus: iure igitur Plutus factus est cæcus à Ioue. Hunc potentissimum existimarunt ac nobilem. quia & virtuti diuitiæ vulgo adæquentur, cum tamen vera nobilitas sola sit virtus; at vulgus quod caret virtute pro ea introduxit opes. Deinde cum multitudo hominum creuisset, auctaque fuisset singulorum audacia & inertia, leges latæ sunt prædia singulis assignata, & certi agrorum termini statuti. Inde rapinæ, latrocinia, rerum alienarum direptiones inceptæ. Cum igitur alii pro comparandis opibus nulli labori parcerent, nullumque periculum deuitarent, quibus tamen repugnante fortuna nihil commodi accidebat, aliis contra omnia succederent fœliciter, nunc cæcam fortunam, nunc cæcum diuitiarum Deum appellarunt. Atque ita ficta est fabula, quod cum Plutus antea fuisset perspicax, Iupiter viris bonis, ad quos prius solos accedebat, inuidit; & idcirco illum cæcum fecit, qui nullo postea delectu ad quosuis accedere coactus est. Vulgus enim mortalium ea quæ fiunt, quorum certam causam non videant, non quidem diuina prouidentia gubernari, sed fortuito accidere arbitrantur. Tantus honor postea diuitiis accessit, vel quod illæ non sine prudentia & industria parari cœperint, vel quod multa commoda humanæ vitæ præberent, vt Plutus nullo Deorum fuerit habitus inferior.

Nunc vero virtus omnis, & scientia, & probitas sanctissimę diuitiarum Maiestati cedere cogitur: maioremque honorem obtinet is, qui largiri potest cum libeat, quamuis sit amens, & sicarius, & latro; quam prudentissimus quisque, & integerrimus, & qui multa beneficia in omnes ciues suos contulerit.

# NATALIS COMITIS MYTHOLOGIÆ

## LIBER TERTIVS.

*Quam praeclare dicta de inferis excogitata sint ab antiquis.*

SAPIENTISSIMI & optimi sane illi homines fuerunt, illustriss. Campeggi, qui primi inter mortales hanc opinionem introduxerũt, quod anima nostra immortalis existens, postquã fuerit ex his corporum vinculis soluta, ad seuerissimos iudices accedat, ibiq; pro meritis vel ingentia præmia vel grauissima supplicia sortiatur. Nã si nulla esset veræ religionis, si nulla Christianæ veritatis cognitio, poterat tamẽ vel ratio ista ita homines ad probitatẽ informare, vt se potius præmiis dignos præberent, quã vt vitare supplicia conarẽtur: quas ipsã veritatẽ Iesus Christus postea clarius intelligere volentib. omnibus nationib. explicauit. Quid enim tam potest ab omnib. sceleribus animos hominum retrahere, quam si sibi persuaserint omnibus tum reddendam esse anteactæ vitæ rationem, cum neque mentiri neque tergiuersari licebit; sed omnia quæ fuerint nefarie in vita commissa, vniuersis gentibus conspicua, tanquam maculæ, aut putrescentes pustulæ in corpore apparebunt? Quæ leges ciuiles, quæ consuetudo ciuitatum, quæ seueritas iudiciorum tãtum potest in animis hominum? His enim neglectis multa flagitia clam committi possunt & nonnulli tormenta parui faciunt & mortem si res ita poscat, æquissimo animo perferunt. At vbi neque

tunc tamen finem laborum & calamitatum sibi adesse sentiunt, mirum est quantopere ab ipsa consciētia, & ab æternorum suppliciorum metu retardantur. hoc ita esse facile fuit viris bonis & temperantibus persuadere: at multitudini, quæ non nisi crassiore quodā modo allicitur aut impellitur, non faciebant hæ rationes satis ad persuadēdum: sed multa apud inferos terribilia, & vel dictu horrenda ficta sunt, multa ad voluptatem excogitata, quibus rudiores homines ad probitatē adducerentur. Quis enim nō commoueretur magnopere, cū sciret post mortē sibi adeūdam esse paludē Acherontis, quæ prima excipiebat obuias animas? cū terribilis animatū portitor Charon squalidus, barbaq; promissa, ac rutilātibus oculis nigrā nauiculā gubernaret, & nigro malo annexa caliginosa antenna velificaret? cum Phlegethontē animo cōplecteretur frementibus flammarū vndis conuolutum? cum Cocytus subiret grauissimus & tristissimus amnis, cuius fremitus querularū animarum voces imitabatur? cum Cerberus triceps, cum seuerissimi iudices, cum Furiæ venirent in mentē, quę singulos cogerent per varia tormenta cōmissa scelera fateri, quis intrepido animo aliquod flagitiū aggrederetur? Accedebat ad terrorē terribilis inferorū tyranni vultus, stridularumq; cathenarū strepitus à vinctis animabus tractarū. sonabant plagarum verbera, quæ sontibus infligebantur. vndiq; exaudiebantur cruciatarum animarū lamentationes. Hæc tametsi à nonnullis parui fierent ac deriderentur, tamen nemo erat, qui extremū vitæ præsentis diem sibi adesse sentiret; quin magnopere formidaret, atq; vniuersæ vitæ suæ rationē ad hæc non timenda si fieri posset, quum paratissimā esse nō cuperet. Vnum est enim morituris bonū viaticum innocentiæ, recteq; præteritæ vitæ recordatio, quæ sola nos intrepidos ad omniū iudicum præsentiā, & ad omnia pericula perducit. Ex altera parte nos hortabantur sapientes ad probitatē ingentib. & iucundissimis voluptatib. propositis in campis Elysiis. Nam quicunq; virorum bonorum instituta seruasset, sancteq; vixisset, hic in beatorum cœtum deducebatur, vbi omnis generis ferax erat tellus fructuum; aquæque de fontibus limpidissimis fluebant, ac prata varijs florib. ver perpetuum agentia vestiebantur. ibi concilia erant philosophantiū, ibi theatra poetarū, ibi cyclici chori, ibi musicæ oblecta-

oblectamenta ibi concinna & elegantia cõuiuia voluptasque nulli molestiæ cõiuncta. Neq; enim calor immodicus, nec frigus sentiebatur, sed aer semper erat salubris & temperatus, neq; vehemẽtioribus Solis radiis inflammabatur. Quod est enim suauissimarum auicularum genus, quod ibi non mirificos concentus exerceret? aut quæ arbores sunt odoriferæ, quæ non semper amœnissimis floribus vestirentur? hinc lites, hinc inimicitiæ, hinc odia, hinc latrocinia, hinc doli, hinc periuria, hinc inuidia exulabat. Hic fœlicissima vita, & ab omni molestia tranquilla sine mortis aut ægritudinis metu traducebatur, vt dicebant. Quod fœlicitatis genus illis Solis expositum erat, qui sanctè pieque vixissent, aut qui peccata quidem nonnulla, sed medicabilia & leuia commisissent; quæ quodam in loco non lõge ab hoc expurgabantur. His rationibus ad corporis voluptates pertinentibus (alias enim voluptates vulgus non percipiebat) aliisq; similibus conati sunt antiqui multitudinis animos partim spe voluptatum, partim metu suppliciorum ad iustitiam, vitęq; integritatem reuocare. Sed quoniam primus omnium mortaliũ Pluto istas rationes excogitauit, vt sensit Hecatęus, hunc esse locorum illorum Regem crediderunt: sicuti ventorum Æolum, quia mutationes ventorum prior obseruasset: Lunæq; amicũ Endymionem, quia Lunæ cursum prior & mutationes percepisset. Et quoniã de Plutone verba fecimus, nunc quæ formidabilia fuisse crederẽtur in eius regno, inuestigemus, ac primũ de Acherõte loquamur.

## *De Acheronte.* CAP. I.

SCRIPTVM reliquit diuinus Plato in Axiocho, si modo legitimus est eius scriptoris dialogus, Opim & Apollinẽ tabulas quasdam æneas in Delum ex Hyperboreis detulisse, in quibus scriptum erat, animam, postquam fuerit à corpore exoluta, in ignotum quẽdam subterraneum recessum peruenire, vbi regia sit Plutonis, nihilo minor quam Iouis sit aula. Nam cum medium globosi orbis terra obtineat, superius hemisphęrium Iupiter & eius filij gubernant, cum inferiori Pluto Iouis frater & nepotes dominentur. Sed antequam ad Plutonis regiæ vestibulum peruentum sit, vbi porta ferrea firmissimis pessulis claustrisque offirmata excipit adeuntes, primus est Acheron fluuius, post quem Co-

cytus, ac alii deinceps, vt explicabitur. Húc fluuium igitur Acherontem, qui primus accedentes ad inferos mortuorũ animas excipit, ac traiiciẽdus est, nonnulli Cereris, alii terræ filium esse fabulantur, quem alii alia de causa missum fuisse ad inferos dixerunt. Acherontem fluuium esse, qui in Acherusiam paludem illabatur, ita scripsit Plato in Phædone; τούτου δὲ καταντικρὺ καὶ ἐναντίως ῥέων Ἀχέρων, ὃς δι' ἐρήμων τε τόπων ῥεῖ ἄλλων. καὶ δὴ καὶ ὑπὸ γῆν ῥέων, εἰς τὴν λίμνην ἀφικνεῖται τὴν Ἀχερουσιάδα, οὗ αἱ τῶν τετελευτηκότων ψυχαὶ πολλῶν ἀφικνοῦνται. καί τινας εἱμαρμένους μείνασαι, αἱ μὲν μακροτέρους, αἱ δὲ βραχυτέρους, πάλιν ἐκπέμπονται εἰς τὰς τῶν ζῴων γενέσεις. *At contra, è regione huius fluit Acheron, qui per alia loca deserta labitur, atque sub terram occultatus in Acherusiam paludem ingreditur: quo multæ mortuorum animæ proueniunt. Ibi tempora quædam diuinitus statuta alia longiora, alia breuiora expectantes rursus in animalium ortus relabuntur.* Alii contra non ingredi, sed egredi ex Acherusia palude Acherontem fluuium putarunt, vt sensit Strabo libro octauo, qui Acherontem scribit in portum Chimerium dulcem multis acceptis fluminibus intrare, atque eum sinum dulcem efficere, qui non procul distat ab Ephyra Thesprotorum ciuitate, quem etiam Acherontem & Dauiium inquit in Alpheũ irrumpere. Huic fluuio datum esse nonnulli inquiunt id nomen, quoniam Cereris, Proserpinæque, ac Plutonis tẽpla, quæ magno in honore apud Thriphylicam Hypanam fuerunt, alluebat. Enimuero scire conuenit duo fuisse flumina variis in locis eodem nomine appellata, fuit Acheron fluuius in agro Brutio iuxta Pandosiam, vbi Molossorum Rex Alexander ab oraculo Dodonæo deceptus, trucidatus fuit, vt ait Strabo libro sexto; cum iuberetur Acherontem atque Pandosiam deuitare: isque arbitratus esset ea esse loca in agro Thesprotio, quæ erant eo nomine per id tempus celeberrima. Alius item fuit Acherõ Epiri fluuius ex Acherusia palude defluens iuxta Pandosiam ciuitatem, qui multis fluminibus auctus, vt dictum est, in sinum Ambracium illabebatur. Erat autem Acherusia palus per quam sub terra dictus est Acheron in Mariandynorum regione defluere, vt ait Appollonius libro 2.

κεῖθεν δ' οὐ μάλα πουλὺ διὲξ ἁλὸς ἀντιπέραιαν
γῆν Μαριανδυνῶν ἐπικέλσετε νοστήσαντες.

ἔνθα

ἔνθα μὲν εἰς ἀΐδαο καταιβάτις ἐστὶ κέλευθος,
ἀκτή τε προβολῆς Ἀχερουσιὰς ὑψόθι τείνει,
δινήεις τ' Ἀχέρων αὖ τὴν διὰ νειόθι τέμνων
ἄκρης ἐκ μεγάλης προχοὰς ἵησι φάραγγος.

*Inde iter exiguum redeuntes per mare, terram.*
*Ibitis ad Mariandynam è regione locatam.*
*Est ibi Tartarei descendens ianua Ditis:*
*Atque alte tellus Acherusia prominet, inde*
*Hanc Acheron scindens sub terra vortice multo*
*Voluitur: atque specu de magno effunditur vnda.*

Hæc palus Acherusia non multum à Cichyro oppido distabat, vt ait Paus. in Atticis. & Strabo libro quinto proximam fuisse scribit Miseno promontorio, quæ deinde reducta profundum littus in sinu Baiano aperiebat, aquasque præbebat sanandis morbis accommodatas. Cum essent igitur duæ Acherusiæ, altera in agro Brutio, altera iuxta Pãdosiam in agro Thesprotio, siue in Epiro apud vrbem Heracleam, non procul à Sinope: iuxta hanc Epiri Acherusiã Acherontem fluuium inferorum fluere scripserunt antiqui, quem sub terram immergi, & inferos vsque peruenire, paludemque ibi altissimam efficere crediderunt. Iuxta hanc Acherusiam fuit descensus ad inferos, vt scripsit his verbis Aretades Cnidius in lib 2 rerum Macedonicarum, & repetiuit perdoctus Apollonii enarrator: ἡ περὶ Ἡράκλειαν Ἀχερουσιὰς καλουμένη πανταχόθεν ἐκ θαλάσσης ἐστὶν ὑψηλή τε καὶ ἀπόκρημνος, καὶ ἀπονένευκεν εἰς δυσμὰς εἰς τὸ περὶ τῆς Βιθυνίας πέλαγος. καὶ περιπίπτον αὐτῇ τὸ κῦμα σφοδροὺς ἀποτελεῖ ἤχους. καὶ περὶ τὸ ἐπ' ἄκρης αὐτῆς πεφυκυιῶν πλατανῶν, καὶ τοῦ ἐπ' αὐτῇ πεδίου καὶ δοκεῖ αὐτόθι κατάβασις εἰς ᾅδου ὑπάρχειν. *Acherusia vocata, quæ est iuxta Heracleam, vbique alta est & præceps supra mare, atque in occidentem respicit in mare Bithyniæ: cui vnda incidens ingentes sonos efficit. Huius in summa parte nata sunt platani, & in eius planitie; ibique videtur esse ad inferos descensus.* quod scripsit etiam Nymphis Samius in primo Heracleæ. Nam apud eum fluuium speluncam fuisse, quæ duceret ad inferos, creditum est, vti scripsit de prædictorum scriptorum sententia Apollonius in secundo Argonauticorum:

ἐκ δ' αὐτῆς εἴσω κατακέκλιται ἠπείροιο

*κοίλη ὕπαιθα νάπη, ἵνα τε σπέος ἐς ἀίδαο*
*ὕλη, καὶ πέτρῃσιν ἐπηρεφὲς. ἔνθεν ἀϋτμὴ*
*πηγυλὶς ὀκρυόεντος ἀναπνείουσα μυχοῖο*
*συνεχὲς, ἀργινόεσσαν ἀεὶ περιτέτροφε πάχνην.*
*Nil procul, interius prospectat terra propinquis,*
*Ad modum conuersa diem, spelunca remittit*
*Frigida, vbi exhalat graue olentes vique vapores:*
*Semper & has albis facit circa cana pruinam.*

Ex hac palude Acheron fluuius in mare fluit, quod est orientem versus, de quo nunc loquimur: qui cum sub terram occultetur, mox per quandam speluncam vallemq; emergit, tanquam ab inferis, ad quos per multum spatium accedere creditur, vt est apud eundem poëtam;

*ἔνθα δὲ καὶ προχοαὶ ποταμοῦ Ἀχέροντος ἔασιν.*
*ὅς τε διὲξ ἄκρης εἰσερεύγεται εἰς ἅλα βάλλων*
*ἠοίην. κοίλη δὲ φάραγξ κατάγει μιν ἄνωθεν.*
*Hic Acherontae vasti sunt ostia fluctus:*
*Qui summa de parte fluens prorumpit in aequor*
*Eoum: reuocat valles in luminis auras.*

Fama est hinc & per hanc speluncam Herculem Cerberum in lucem eduxisse, vt in his scripsit enarrator Nicandri: Ἀχέρων δὲ ποταμὸς ἐν Ἡρακλείᾳ τῇ Ποντικῇ, ἔνθα τὸν τοῦ ἅδου κύνα Ἡρακλῆς ἐξήγαγε, καὶ ὁ λόφος Ἀκόνιτος λέγεται. *Acheron fluuius est Heracleae Ponticae, qua Hercules Plutonis canem eduxit, atque collis Aconitus dicitur* Huius fluminis aquam insuauissimam fuisse, sicuti etiam Cocyti, scripsit Pausanias in Atticis, cuius alumna est alba populus, vt oleaster Alphei, populus nigra Eridani; quare cum ad Cerberum Hercules per eam portam accessisset, dicitur fuisse alba populo coronatus, cum ob caliginem tamen inferorum facta sit postea nigra illa corona, de qua apud Padum defossa nata est nigra populus, vt fabulantur. Hic Acheron dicitur è Gorgyra filium Ascalaphum habuisse, quem tamen quidã ex Orphne nympha Auerni suscepisse maluerunt, qui Proserpinam accusauit, quia ieiuniũ apud inferos soluisset: de quo ita scripsit Apollodorus Grammaticus libro primo: καταμαρτυρήσαντος δὲ αὐτῆς Ἀσκαλάφου τοῦ Ἀχέροντος καὶ Γοργύρας: *cũ testimoniũ aduersus ipsam dixisset Ascalaphus Acherontis & Gorgyrae filius.* Quare Ascalaphus vel iust⁹ accusator ob accusationis inuidiam

inuidiam fuit in bufonem mutatus. Dictus fuit Acheron ἀπὸ τοῦ ῥεῖν ἄχη quia fluant vndæ molestiarum &c. nam, vt ait Isacius, ῥεῖ ἄχη καὶ λύπας τῶν τεθνηκότων συγγενῶν: quia dolores scilicet & mœrores coniunctorum mortuis magnis vndis deuoluantur. Ego tamen illorum sententiæ potius accesserim, qui Acherontem dictum putarunt, ab Acheronte illo qui in iis locis regnauit, vt scripsit Andro Teius in sua nauigatione. Atque ex his patuit primum Acherontem descendentes ad inferos animas excipere solitum, & Cereris, vel (vt aliis magis placuit) Terræ fuisse filium. Hũc quia potum præbuerit Titanibus aduersus Iouem pugnantibus ad inferos detrusum crediderunt, qui ex Acherusia deflueret per loca subterranea, atque per vallem profundam rursus ederetur in lucem, aquamque haberet insuauissimam.

¶ Hæc illa sunt quæ de Acheronte fabulose scripta inueniuntur, quæ cur ficta sint, nunc perquiramus. Cur Acheron primus excipit mortuorum animas? quia cum morituri sunt homines, torpor quidam mentem, animumque ita labefactat, vt propinqua mors esse facile sentiatur. tunc enim conscientia, rerumque gestarum memoria animum perturbat: quæ palus est omnibus primum traiicienda, vt fabulose fingitur à poëtis, neq; enim in hac præteritæ vitæ inuestigatione potest animus nõ magnopere commoueri. Cereris autem siue terrę filius hic fluuius dicitur, quoniam vniuersa animi molestia & perturbatio aut ex acquirendarũ aut seruandarum diuitiarũ studio nascitur. Hic fluuius potum Titanibus aduersus Iouem pugnantibus præbuit, quoniam multæ iniquæ cogitationes aduersus sacra Dei mandata insurgunt, quas si animus diutius aluerit, à vera Dei lege desciscit, & in brutorum naturam delabitur. Vbi vero quis vir bonus vel etiam malus omnem spem in Dei clementiã & benignitatẽ collocauerit post hanc præteritæ vitæ ratiocinationem, tum mœror ille, qui Acheron dicebatur, per vallem profundam pectoris scilicet in lucem extollitur, atque lubens ad optimi iudicis Dei præsentiam contendit. Hic fluuius insuauissimæ aquę esse dicitur, quoniam vitæ nostræ ratio si diligenter perpendatur, multas habet insuauitates. Atque (vt rem paucis explicem) nihil aliud per hæc quæ sunt apud inferos ficta, significare voluerunt antiqui, quam ita vitam nostram oportere com-

parare, vt recordatio præteriti temporis quam maxime animos nostros & ob innocentiam & integritatem consoletur in morte, & intrepidos ad omnem iudicum seueritatem nos perducat. sub his enim fabulis omnes morituri hominis cogitationes exprimuntur. At nunc dicamus de Styge.

## *De Styge.* CAP. II.

STyx item inferorum fluuius post Acherontem ad inferos accessuris offert; quam alii ex aliis parentibus ortam crediderunt. Nam Hesiodus in Theogonia ex Oceano natam esse Stygem tradidit in his:

*δεινὴ Στὺξ θυγάτηρ ἀψορρόου Ὠκεανοῖο*
*πρεσβυτάτη· νόσφιν δὲ θεῶν κλυτὰ δώματα ναίει*
*μακρῇσι πέτρῃσι κατηρεφέ'· ἀμφὶ δὲ πάντη*
*κίοσιν ἀργυρέοισι πρὸς οὐρανὸν ἐστήρικται.*

*Styx grauis, Oceani reflui de semine nata:*
*Quæ procul à superis colit alta palatia, longis*
*Marmoribus suffulta: tenent vtrinque columnæ*
*Argento è puro, & cœlum firmantur ad ipsum.*

Atque Pausanias in Arcadicis hanc ipsam fuisse etiam Lini poetæ opinionem scribit. Alii Acherontis, alii Terræ fuisse filiam crediderunt. Apollodorus Grammaticus è patria quadam apud inferos Stygem effluere inquit libro primo: *τὸ δὲ Στυγὸς ὕδωρ ἐκ πέτρας ἐν ᾅδου ῥέον. Stygis enim aqua è petra apud inferos fluit.* Hanc Pallanti quidam nupsisse arbitrati sunt, quidam Piranti, vt ait Pausanias, cui peperit Hydram. habuit filiam Victoriam ex Acheronte patre, vt tradiderũt nonnulli. cum huius filiæ, Victoria, Vis, Robur, Zelusque Ioui aduersus Titanas opem tulissent, illi nobilitatem hãc & dignitatem Iupiter concessit, vt sanctissimum iusiurandum per Stygem Dii haberent: quod testatur Hom. lib. 5. Odyss.:

*ἴστω νῦν τόδε γαῖα καὶ οὐρανὸς εὐρὺς ὕπερθεν,*
*καὶ τὸ κατειβόμενον Στυγὸς ὕδωρ, ὅς τε μέγιστος*
*ὅρκος δεινότατός τε πέλει μακάρεσσι θεοῖσι.*

*Hoc sciat & tellus, & vasti sidera mundi,*
*Quæque Stygis de fonte fluit venerabilis vnda,*
*Quæ iuramentum est superis numenque beatis.*

Sic etiam Apollonius in lib. 2. Irim per Stygiam aquam iurantem introducit.

*Sic ait & Stygiam iurauit protinus vndam,*
*Quæ superis veneranda Deis, quam fallere terror,*

Fingebant antiqui Victoriam huius filiam quidem fœminam esse super globo altero pede stantem, sed non alatam, tanquam lubricam; cui primus alas addidisse dictus est pater Bupali & Athenidis, cum alii dicant Aglaophontem pictorem istud primum fecisse, alii Pegramenum Carystium. Erat iis illa pœna proposita, qui per aquam Stygiam peierassent, vt per quoddam temporis spacium ab epulis Deorum abstinerent & ab omni Deorum consuetudine, vt testatur Hesiodus in Teog.

ἣ δ' μιν ἐκ πέτρης προρέει μέγα πῆμα θεοῖσιν.
ὅς κεν τὴν ἐπίορκον ἀπολείψας ἐπομόσσῃ
ἀθανάτων, οἳ ἔχουσι κάρη νιφόεντος ὀλύμπου,
κεῖται νήποινος τετελεσμένον εἰς ἐνιαυτόν.
οὐδέ ποτ' ἀμβροσίης καὶ νέκταρος ἔρχεται ἆσσον
βρώσιος, ἀλλά τε κεῖται ἀνάπνευστος καὶ ἄναυδος
στρωτοῖς ἐν λεχέεσσι, κακὸν δ' ἐπὶ κῶμα καλύπτει.
αὐτὰρ ἐπὴν νοῦσον τελέσῃ μέγαν εἰς ἐνιαυτὸν,
ἄλλος δ' ἐξ ἄλλου δέχεται χαλεπώτερος ἄεθλος.
ἐνάετες δὲ θεῶν ἀπομείρεται αἰὲν ἐόντων.
οὐδέ ποτ' ἐς βουλὴν ἐπιμίσγεται. οὐδ' ἐπὶ δαῖτας
ἐννέα πάντ' ἔτεα, δεκάτῳ δ' ἐπιμίσγεται αὖτις
εἴρας ἀθανάτων, οἳ ὀλύμπια δώματ' ἔχουσι.
τοῖον ἄρ' ὅρκον ἔθεντο θεοὶ Στυγὸς ἄφθιτον ὕδωρ.

*Supplicium superis de petra profluit vnda,*
*Quam si quis Diuum superorum peieret, horum*
*Queis domus incolitur præcelsa niualis Olympi,*
*Bis senos iacet infœlix ex ordine menses:*
*Nectare & Ambrosia simul abstinet: inq; grabato*
*Decumbit mutus, oppressus membra veterno.*
*Ast vbi per longum morbum tolerauerit annum.*
*Tum grauiora manent miserum certamina semper.*
*Ille nouem procul à Diuis depellitur annos:*
*Concilio totidem Diuorumq; abstinet, idem*
*Cum superis pariter conuiuia nulla frequentat.*
*Pristina conditio decimo cui redditur anno.*
*Tantus honor Stygiis iuratis additur vndis.*

Tum idem poeta declarauit qui ritus in Deorũ iuramẽtis seruaretur, dicitq; Irim poculũ aqua Stygia plenum men-

tientibus Diis afferre solitam: cum Iupiter ita iuberet, vt est in his carminibus:

*καί ῥ' ὅστις ψεύδηται Ὀλύμπια δώματ' ἐχόντων,*
*Ζεὺς δέ τε Ἶριν ἔπεμψε θεῶν μέγαν ὅρκον ἐν εἴκῃ,*
*τηλόθεν ἐν χρυσέῃ προχόῳ πολυώνυμον ὕδωρ*
*ψυχρὸν, ὅτ' ἐκ πέτρης καταλείβεται ἠλιβάτοιο*
*ὑψηλῆς. πολλὸν δ' ὑπὸ χθονὸς εὐρυοδείης*
*ἐξ ἱεροῦ ποταμοῖο ῥέει διὰ νύκτα μέλαιναν.*
*Ὠκεανοῖο κέρας δεκάτη δ' ἐπὶ μοῖρα δέδασται.*
*Cum quis de superis mendacia dixerit, Irim*
*Iupiter afferre hinc iuramentum sibi mandat*
*Aurato in cyatho lympham, celeberrima sensim*
*Quæ fluit è petra, & paulatim labitur alta.*
*Sub terris fluit, & tenebras per noctis opaca*
*Flumine de sacro cornu maris Atlantai.*
*Nam decima Oceani pars est Styx ipsa profundi.*

Alii honorem illum datum fuisse Stygi dixerunt, quia coniuratium Deorum aduersus Iouem, cum illum vincere voluerunt, insidias patefecerit, vt sensit Isacius. vbi fuerit Styx verè, multa est controuersia apud scriptores: nam alii non procul à Lucrino portu, Auernoque lacu in sinu Baiano existimauerunt. quod fiebat fraude sacerdotum, qui vt fructibus amœnissimi loci potirentur, & multis fructiferis arboribus consiti, illum consecratum inferis esse dicebant, nullique nisi placatis per solennia sacrificia manibus, locus putabatur adeundus. Ibidem cum fons esset scatens aquis fluuialibus, & in mare defluens, omnes ab eius aqua abstinebant, quod aquam Stygiam è sermone sacerdotum esse opinarentur. At Homerus, vbi de Nonacri ciuitate loquitur in Erato, ita de aqua Stygia scripsit: ἐν δὲ ταύτῃ τῇ πόλι λέγεται εἶναι ὑπ' Ἀρκάδων τὸ Στυγὸς ὕδωρ, καὶ δὴ καὶ ἔστι τοιόνδε τι· ὕδωρ ὀλίγον φαινόμενον ἐκ πέτρης στάζει εἰς ἄγκος. τὸ δὲ ἄγκος, αἱμασιῆς τις περιθέει κύκλος. ἡ δὲ Νώνακρις ἐν τῇ ἡ πηγὴ αὕτη τυγχάνει ἐοῦσα, πόλις ἐστὶ τῆς Ἀρκαδίας πρὸς Φενεῷ. *In hac autem ciuitate dicitur aqua esse Stygia ab Arcadibus. Est autem huiusmodi: apparet aqua exigua in vas quoddam defluens quod sepis cuiusdam circulis ambit. atque Nonacris, vbi fons ille existit, ciuitas est Arcadiæ parum distans à Pheneo flumine.* Hanc aquam memoriæ prodidit Pausanias in Arcadicis è prærupta rupe ad Nonacrim in præcelsum saxum gutta-

guttatim cadere, ac inde fluuium Crathim delabi, cuius potus perniciosus est omnibus animalibus. Sed neque illis solum perniciosa est aqua, verum etiam omnia metallorũ genera ab ea solui dicebantur, neque vllum erat vas quod aquæ vim sustinere posset. Declarauit Plato in Phædone non solum quo pacto deflueret Styx apud inferos, sed etiam qui illi color adesset: ὁ τέταρτος ἐκπίπτει εἰς τόπον πρῶτον δεινόν τε καὶ ἄγριον, ὡς λέγεται· χρῶμα δ' ἔχοντα ὅλον οἷον κυανὸν, ὃν δὴ ἐπονομάζουσι Στύγιον καὶ τὴν λίμνην ποιεῖ ὁ ποταμὸς ἐμβάλλων Στύγα. *Quartus incidit prius in locum grauem ac ferũ vt aiunt: coloremque habet cyaneum prope: quem fluuium Stygium nominant: & paludem, quam hic fluuius ingressus facit Stygiam.* Hic fluuius, quoniam fuit sub terra, aquamque habet insuauissimam creditus est ad inferos vsque descendere, & esse fluuius inferorum, qui ob insuauitatem suam dictus est Styx, quasi στυγνὸς, quod odiosum significat apud Græcos. Hoc in flumine cum alia complura monstrosa esse dicerentur, tum pisces ita graciles, vt magis piscium vmbris similes, quam piscibus viderentur, vt ait Pausanias in Phocicis. Hic erant omnia animalia nigra, & ranæ nigræ, vt ait is poeta:

*Esse aliquos manes, & subterranea regna,*
*Et contum, & Stygio ranas in gurgite nigras,*
*Atque vna transire vadum tot millia cymba.*

Nam cum loquerentur poetæ de reb. fabulosis, illis omnia iniunxerunt, quæ res veras consequi solent, quo probabiliores viderentur. hæc ea sunt, quæ memoriæ prodita fuerunt de Styge. Nunc ex his veram sententiam eliciamus.

¶ Vbi de Acheröte loqueremur superius, diximus Acherontem esse mœrorem illum ac tristitiam quæ nasceretur in mente hominis morituri è consideratione rerum præteritarum; at Styx odium est illud erga transacta facinora; quod pœnitentiam consequitur. cum enim peccata præterita odio habere incepimus, tunc dicuntur animæ Stygiam paludem traijcere, quæ ex Acherante exoritur. At qui ad fluminis ipsius ortum suam orationem conuerterunt, illi omnem vim aquarum Oceano cõcedentes eo flumina omnia confluere, & ex illo fontium, imbriumq; materiam manare crediderunt. Rursus qui ex aere in locis cauis sub terra concreto & in aquam verso dulcium aquarum

vim oriri putarunt, illi Terræ filiæ Stygem, vt cætera flumina, arbitrati sunt: quare non est absurdum si res eadem alijs de causis varios ortus apud fabularum inuentores sortita sit. Quod autem honorem illum consecuta sit, Styx; quia Ioui aduersus Titanas fuerit auxilio, vel quia Ioui insidias indicasset, nihil aliud significare voluerunt antiqui, nisi principes suos à singulis nationibus esse pro viribus in imperio retinendos, si viri boni sint præcipue: atque principes ipsos munificos esse oportet erga illos, qui sceleratorum proditiones & insidias patefaciunt; quare nihil esse potest neque sanctius, neque ad seruandas ciuitates accommodatius, ac de Styge satis, nunc de Cocyto dicamus.

## *De Cocyto.* CAP. III.

COCYTVM quoque defunctarum animarum multitudini transeundum esse fabulati sunt antiqui, priusquam ad inferos deueniretur hic fluuius & quo illabatur, & vnde oriatur, ita patefecit Plato in Phædone: ὁ δὲ ἐμπεσὼν ἐνταῦθα, καὶ δεινὰς δυνάμεις λαβὼν ἐν τῷ ὕδατι, δὺς κατὰ τῆς γῆς, περιελιττόμενος, χωρεῖ ἐναντίως τῷ Πυριφλεγέθοντι καὶ ἀπαντᾷ ἐν τῇ Ἀχερουσιάδι λίμνῃ ἐξ ἐναντίας. καὶ οὐδὲ τὸ τούτου ὕδωρ οὐδενὶ μίγνυται, ἀλλὰ καὶ οὗτος κύκλῳ περιελθὼν, ἐμβάλλει εἰς τὸν Τάρταρον, ἐναντίως τῷ Πυριφλεγέθοντι. Ὄνομα δὲ τούτῳ ἐστὶν (ὥς οἱ ποιηταὶ φάσκουσι) Κωκυτός. *Hic vero huc delatus, magnasque vires ab aqua assumens, terramque ingressus ac circumuolutus contrarius fluit Pyriphlegethonti, illique fit obuius in stagno Acherusia: neque huius aqua cum alia commiscetur, sed in gyrum circumuolutus in Tartarum irrumpit Pyriphlegethonti aduersus ipsius autem nomen est (vt aiunt poetæ) Cocytus.* Fabulati sunt antiqui Minthem nympham non indecoram fuisse Cocyti filiam, quam vbi Proserpina cum Plutone deprehendisset, tam diu indignationem dissimulauit, donec Pluto recederet. Deinde post grauem reprehensionem in mentham herbam conuertit, & de prisco nomine appellauit. Istud cum in monte Pylo propinquo accidisset, mons etiam nomē inde accepit vt ait Sostratus in secundo introductionis fabulosæ historiæ. Fratrem etiam spurium, qui furto conscius assensisset vel propter metum, vel propter reuerētiam Plutonis, in syluestrem herbam prope similem odore & aspectu conuertit. Scripsit Homerus in libro λ.

Odyss. Cocytum & Pyriphlegethontem in Acherontem perfluere, cum, sit Cocytus tanquam riuus Stygis, vt patet ex his:

*ἔνθα μὲν, εἰς Ἀχέροντα Πυριφλεγέθων τε ῥέουσι.*
*Κωκυτός θ', ὃς δὴ Στυγὸς ὕδατός ἐστιν ἀπορρώξ.*
*Atque Pyriphlegethon, Cocytusque è Styge labens*
*Immensas Acherontis aquas mox fluctibus augent.*

Neque plura fere de Cocyto memoriæ prodita sunt ab antiquis, nunc veritatem ex his eliciamus.

¶ Dictus est autem Cocytus à querelis & lamentationibus, vt nomen ipsum significat, & veluti testatur Plato in tertio libro de rep. quia morituri pleriq; post commissorũ pœnitentiam lamentantur, quia illa contra Dei optimi omnium parentis leges cõmiserint. Alij maluerunt dictum esse, quia queruntur & grauiter ferunt, quia res charissimas sint relicturi: alij ob lamentationes coniunctorum dictum putant hunc fluuium, qui morituris est transeundus. Neq; potest quispiam ad inferos accedere, nisi per hæc flumina, vel (vt verius dicam) per turbulentissimas has animi cogitationes, quas antiqui per suas fabulas significarunt. Qui quidem ita viuendum esse per hæc figmenta ostendebant, vt intrepidi essemus ad omnem post mortem fortunam. Nunc dicatur de Charonte.

## *De Charonte.* CAP. IV.

CHARON vero, cujus nomen lætitiam significat, qui fuit Erebi & noctis filius, vt sensit Hesiodus, qui in Theogonia omnia prope inferorum monstra ex ijs nata esse affirmauit, portitor animarum & trium horum fluuiorum nauta dicebatur. Erat quidem præter hos Phlegethon siue Pyriphlegethon, de quo cum fabula in idem recidat cum Cocyto, plura dicenda non putaui. Hic Charon dictus est ab antiquis grandæuus, & à Polygnoto pictore senex pingebatur: qui Minyadem poesim fortasse secutus fuit, in qua erat de Charonte huiusmodi sententia:

*Atque hic exangues longæuus portitor umbras*
*Puppe vehit patula.*

Sic etiam Virgilius lib. 6. Charontem senem esse demonstrauit, vbi illius formam describit:

*Portitor has horrendus aquas & flumina seruat.*

*Terribili squallore, Charon, cui plurima mento*
*Canities inculta iacet, stant lumina flamma:*
*Sordidus ex humeris nodo dependet amictus.*

Hic erga omnes implacidus esse dicebatur, quos traijciebat, neque Reges ac principes ciuitatum à reliqua multitudine putabat differre, cum omnes vno ordine nudos, & omnibus bonis spoliatos cerneret: vt testantur ea carmina:

κάτθαν' ὁμῶς τ' ἄτυμβος ἀνὴρ, ὅς τ' ἔλλαχε τύμβου.
ἐν δ' ἰῇ τιμῇ Ἶρός τε κρείων τ' Ἀγαμέμνων.
Θερσίτῃ δ' ἶσος Θέτιδος παῖς ἠϋκόμοιο.
Πάντες εἰσὶν ὁμῶς νεκύων ἀμενηνὰ κάρηνα,
γυμνοί τε ξηροί τε, κατ' ἀσφοδελὸν λειμῶνα.

*Mortuus est æque tumuli qui haud cepit honorem,*
*Quique fuit nactus prægrandis pondera saxi.*
*Non Iro magis est Agamemnon clarus: & ipsi*
*Thersitæ similis Thetidis pulcherrima proles.*
*Hi pariter nudi atque inopes per regna vagantur.*
*Vmbrarum apta suis referentes præmia factis.*

Testatur Lucianus in dialogo de luctu, moris id fuisse apud antiquos, vt obolum numisma perexiguum in os singulis mortuis includerent, quod naulum esse Charōtis arbitrabantur, cum ita scribat: ὥς τι ἐπειδάν τις ἀποθάνῃ τῶν οἰκείων, πρῶτα μὲν φέροντες ὀβολὸν, ἐς τὸ στόμα κατέθηκαν αὐτῷ, μισθὸν τῷ πορθμεῖ τῆς ναυτιλίας γενησόμενον. *Quare cum quis è domesticis obierit, primum quidem obulum illi in os depositum naulum portitoris fore arbitrantur.* is autem nummulus Danace à Græcis dicebatur, sicuti testatur Callimachus his carminibus in Hecale:

τοὔνεκα καὶ νέκυες πορθμήϊον οὔ τι φέρονται
μοῦνοι ἐπιπτολίων, ὅτι μὴ θυμιαστίμεν αὐτοῖς·
ἀλλὰ κενοῖς στομάτεσσι νεὼς ἀχερουσιὰς ἴσαν.
βάθρον, καὶ δανάκης ἐπιδεύεται ὕλης ἁπάντων.

*Idcirco nulli naulum portare feruntur*
*Vrbe ex hac vita functi: nisi sacra feramus*
*Nos & suffitus, adeunt Acherusia templa*
*Ore illi vacuo: danace non indiget vllus.*

Aristophanes autem in Rhanis duos obolos postea nauium eiusdem fuisse scripsit in his versibus:

ἐν πλοιαρίῳ τυννουτῳΐ σ' ἀνὴρ γέρων
ναύτης διάξει δύ' ὀβολὼ μισθὸν λαβών.

*Mercede capta nauta te senex vehet*
*Binis obolis in naue parua protinus.*

Neque tamen ea parua mercede semper contentus fuit, sed aliquando ab Atheniensium Imperatoribus, ne illi æquari multitudini cogerentur, auctum est Charonti stipendium, & vsque ad triobolum peruentum est. Tanta fuit antiquorum nonnullorum dementia, vt inferos etiam auaritia & nummorum desiderio vexari arbitrati sint dicitur: nonnullos Charon viuos ad inferos traiecisse: nam Hercules, Vlysses, Orpheus, Æneas, Theseusque eo descendisse memorantur, quæ omnia ficta sunt, vt singula suis locis explicabuntur. Soli ex omnibus hominibus Hermionenses nullũ naulum mortuis in os includebant, quod sibi breuissimum esse ad inferos descensum dicerent; quamuis illi poeta vndique tantundem itineris esse ad inferos inquiat:

εἰς ἀίδην ἰθεῖα κατήλυσις, εἴτ' ἀπ' Ἀθηνῶν
    στείχοις, εἴτε νέκυς νείσεαι ἐκ Μερόης.
μὴ σέ γ' ἀνιάτω πάτρης ἄπο τῆλε θανόντα·
    πάντοθεν εἷς ὁ φέρων εἰς ἀίδην ἄνεμος.

*Vndique recta ibis fera tartara, siue ab Athenis*
    *Mortuus accedas seu magis è Meroe.*
*Nec doleas procul à patria quod forte peribis,*
    *Vndique namque idem ad tartara ventus aget.*

¶ Nunc quid hæc fabulosa significent explicemus. Charon Erebi & Noctis filius dicitur, quia animas trans Acherontem, & Stygem, & Cocytum ac Phlegethõtem traiecit, quoniam ex illa hominum mente, quæ prius erat confusa, peccatorumque tenebris inuoluta, ac minime examinata conscientia, prius illi motus qui superius nominati sunt, per illa flumina exoriuntur: deinde vbi innocentiæ opinio aut innocentiæ proxima deliberatio in posterum integritatis seruandæ, surrexit, quæ per præteritorum scelerũ pœnitentiam comparatur, cum piget summi Dei voluntatem per auaritiam, crudelitatem impietatemq; offendisse; tum spes de bonitate Dei exurgit, atq; inde lætitia, quæ nos trãs ea turbulenta flumina traiicit. & Charon appellatur. Hæc ad seueros iudices intrepidos nos deducit, hæc in grauissimis periculis nos consolatur & adiuuat, hæc pro viatico est quocunque accedamus. Quare si quis recte consideret, inueniet antiquos omnes animorum motus illis qui sub

mortis tempus in homine nascerentur. sub his fluuiorum figmentis fuisse complexos. Nam cum senex sit Charon, quid aliud significat, quam rectum consilium, & quæ ex illo concepto prouenit, lætitiam: aut quæ alia lætitia in moriturо homine excitabitur, quam illa quæ nascitur ex opinione innocentiæ aut è spe veniæ? Illa vero quæ ad obolos naulumque portitoris attinent ego ridicula esse censeo, & pro simplicium muliercularum opinionibus inuenta, & tanquam ad inuentæ fabulæ probabilitatem admissa à sapientibus, si modo hæc ab illis manarunt. nunc de Cerbero dicamus.

## *De Cerbero.* CAP. V.

VBI superiora illa flumina mortuorum animæ traiecissent, tum Cerberus atrocissimus canis inferorum custos in spelunca quadam ante fores Plutonis recumbebat; qui omnibus ingressuris humanissime blandiebatur; at neminem patiebatur exire, sed omnes egressuros altissimis & maxime horrendis latratibus deterrebat. Hic Cerberus è Typhone & Echidna natus est, vt scripsit Hesiodus in Theogonia. quod autem seruaret inferorum sedes, ita testatur Virg. lib. 6.

*Cerberus hæc ingens latratu regna trifauci*
*Personat, aduerso recubans immanis in antro.*

Eius formam corporis cani persimilem fuisse dicebant, cuius tamen è capite angues densissimi pro villis pendebant, vt ait Horatius in libro tertio Odarum;

*Cessit immanis tibi blandienti*
*ianitor aulæ*
*Cerberus: quamuis furiale centum*
*Muniant angues caput eius atque*
*Spiritus teter, saniesque manet*
*Ore trilingui.*

Huius totũ deniq; dorsum pro villis serpentes habuisse, & anguinea cathena vinctũ fuisse videtur significasse Tib. l. 3.

*Nec canis anguinea redimitus terga cathena,*
*Cui tres sunt linguæ, tergeminumque caput.*

Tria capita illi fuisse testatur ita Sophocles in Trachinijs;

ἅδου τελίκρανον σκύλακ᾽, ἀπρόσμαχον τέρας.

*Canemque Ditis efferum, huic trium caput.*

Quod

Quod etiam affirmauit Cicero in primo libro Tusculanarum disputationum. at Hesiodus in Theogonia quinquaginta capita illi tribuit, vt patet in his carminibus:

*δεύτερον αὖτις ἔτικτεν ἀμήχανον οὔτι φατειὸν*
*Κέρβερον, ὠμηστὴν, Ἀΐδεω κύνα χαλκεόφωνον,*
*πεντηκοντακέφαλον ἀναιδέα τε κρατερόν τε.*
*Crudelem rursus catulum parit illa nefandum,*
*Cerberon, vmbrarum custodem, ferreà cui vox,*
*Quinquaginta simul capita: illis nilque pudoris.*

Verumtamen Isacius illum centum capita habere scribit: quem & canem inferorum nominat, & eius diligentiam ita describit: ἐκεῖ δὲ λέγουσιν εἶναι τὰς τῶν ἀνθρώπων ψυχὰς, ἃς φυλάσσει ὁ κύων τοῦ ᾅδου, ὃς ἔχει ἑκατὸν κεφαλάς. καὶ λέγουσιν ὅτι τοὺς εἰσερχομένους μετὰ κολακείας προσδέχεται, τοὺς δὲ ἐξελθεῖν θέλοντας οὐκ ἐᾷ. εἰ δέ τις τολμήσει τοῦ τείχους αὐτοῦ λαβέσθαι, αὐτίκα δαπανᾷ αὐτόν. *Ibi hominum animas esse inquiũt, quas Plutonis canis custodit, qui centum habet capita. Aiunt praeterea quod accedentes animas cum blanditiis excipit, at egredi conantes deturbat: quare si qua celeriter effugere conetur, illam repente corripit ac vorat.* Sic etiam Horatius illum centum capita habere scribit in 2. Carminum:

*Demittit atras bellua centiceps*
*Aures.*

De illius forma ita meminit Apollodorus libro secundo: Δωδέκατον ἆθλον ἐπετάγη Κέρβερον ἐξ ᾅδου κομίζειν. εἶχε δὲ οὗτος τρεῖς μὲν κυνῶν κεφαλὰς, τὴν δὲ οὐρὰν δράκοντος, κατὰ δὲ τοῦ νώτου, παντοίων εἶχεν ὄφεων κεφαλάς. *Duodecimum certamen impositum Herculi, Cerberum ab inferis educere. Habebat hic pro communi sententia tria canina capita, caudam draconis, at in tergore variorum serpentum capita.* Quem Hesiodus in Theogonia & blanditi adeuntibus (vt diximus) & vorare egredientes animas ita inquit:

*δεινὸς δὲ κύων προπάροιθε φυλάσσει*
*νηλειής· τέχνην δὲ κακὴν ἔχει· ἐς μὲν ἰόντας*
*σαίνει ὁμῶς οὐρῇ τε καὶ οὔασιν ἀμφοτέροισιν.*
*ἐξελθεῖν δ' οὐκ αὖτις ἐᾷ πάλιν, ἀλλὰ δοκεύων*
*ἐσθίει, ὅν κε λάβῃσι πυλέων ἔκτοσθεν ἰόντα.*
*Hic canis horrendus nigrantia limina seruat,*
*Praeditus arte mala, cauda blanditur & aure*

*Vtraque accedat si quis euadere contra*
*Conetur quisquam, hunc auidam mox condidit in aluum.*

Atqui cum nullos esse inferos putarent antiquorū nonnulli, scriptum reliquit Pausanias in Laconicis non solum nulla esse Deorum regna subterranea, quo animæ deuenirent, vbi è vita excesserint sed Cerberum etiam terrum ac immanem serpentem fuisse, qui lustrum haberet in spelunca quadam apud Tænarum: qui quemcunque momordisset, continuo vis veneni interimebat vt sensit etiam Hecatæus Milesius, quare dictus est canis inferorum. Hunc serpentem primus omnium Homerus, vt ait Pausanias, canem appellauit, qui nihil tamen de illius forma fabulatus est, cum posteri & cerberum nominarint, & tot illi beluæ capita iniunxerint. Alij fabulati sunt illum ab infernis eductum fuisse ab Hercule, per eam speluncam, quæ non procul distat à Tænaro, qui cum primum lucem sensisset, vomuit; ex quo vomitu, spumaq; oris natum est aconitum, vt asserit Strabo libro octauo. Lucretius Epicureus philosophus, quoniam hæc reuocare à voluptatibus videbantur, non solum cerebrum de medio ex Epicureorum sententia sustulit, sed omnia prorsus illa quæ supplicium aliquod nefariis hominibus apud inferos post mortem minitarentur: cum ita scribat in lib. 3. sui poematis:

*Cerberus & Furiæ iam vero, & lucis egenus*
*Tartarus horriferos eructans faucibus æstus,*
*Hæc neque sunt vsquam nec possunt esse profecto.*

Fuerunt qui fabulas has conati sint ad historias, verasque narrationes traducere. Dicunt enim quod cū Theseus & Pirithous Helenam rapuissent, quæ obuenit Theseo, coactus est Theseus iurare se opem laturum Pirithoo, dum is quoq; aliquam eximiam mulierem sibi raperet. Tunc in Epiro Aidonei Molossorum Regis eximia forma filiam esse audiētes, eo contenderunt, vt illam raperent. Est autem idem Aidoneus, & Aides, & Orcus, & Pluto vocatus. huius filiæ nomen fuit proserpinæ: matri, Cereri; canemque habuit acerrimum, qui Cerberus dicebatur. Iubebantur cum Cerbero prius pugnare, qui Proserpinæ nuptias peterent: qui victi laniabantur. hanc Theseus cum Pirithoo per insidias rapere conati sunt, quos cum non vt procos, sed vt raptores accessisse intellexit Aidoneus, in vincula coniecit, ac Pirithoū

cani

cani statim vorandum exposuit Theseo, cum sponte sua non accessisse cognouisset, pepercit: at in custodias tradidit, vt scripsit Zezes, & Plutarchus in vita Thesei. Fabulati sunt postea poëtæ Theseum & Parithoum ad inferos descendisse, Plutonisque vxorem Proserpinam rapere voluisse: quod ita attigit Virgilius libro sexto:

*Nec vero Alcidem me sum lætatus euntem*
*Accepisse lacu, nec Thesea Pirithoumq;*
*Diis quanquam geniti, atque inuicti viribus essent.*
*Tartareum ille manu custodem in vincla petiuit*
*Ipsius à solio regis, traxitq; trementem:*
*Hi dominam Ditis thalamo deducere adorti.*

Atque hæc ea sunt quæ de Cerbero fabulati sunt poetæ: nunc illorum sentētia est exprimēda. Cur Cerberus Echidnæ & Typhonis filius dictus est? Nam si rem hanc ad naturę vires conferamus, nihil aliud erit Cerberus, quam rerum naturalium generatio: cum enim Typho ardens sit; frigidissimumque animal Echidna, quæ viperam significat, ex harum qualitatum commistione fit ortus rerum naturalium. hinc efficitur vt animalibus è cœlo ad inferos descendentibus, hoc est nascentibus Cerberus blandiatur: at contra nitentes, morituras scilicet animas deterreat, quia natura clamat: nec æquo animo interitum ferre potest. Qui terram Cerberum esse putarunt, has easdem vires illi dare nihilominus coguntur. Hunc in spelunca obscura habitare dixerunt, ob ignorationem sui, & ob sordidas res, ex quibus singula oriuntur: alii propter sepulchrorum tenebras putarunt, cui viperas tribuerunt pro villis, quoniam id animal in sepulchris frequenter versetur. At pro vi occulta terræ, quæ sepulta cadauera absumit, & pro ratione temporum, quæ plurimum conferunt ad celeritatem aut tarditatem corruptionis, illi tot capitum numerum addiderunt. Ipsum siquidem nomen significat sepulchrum esse Cerberum, quia κρέας caro est, βορῶ autem voro. Atque hæc ad vim naturæ. Hunc extraxit Hercules, quia virtus nominis sui perpetuitate & sepulchri & mortis vires infregit, & ab omni temporum iniuria se vindicauit. ¶ Qui ad mores, vitæque humanæ institutionem hæc transtulere, Cerberum auaritiarum esse diuitiarumq; cupiditatē arbitrantur, quæ non nisi è malis cogitationibus oritur: cum nemo

vir bonus diues breui euadat. est enim auaritiæ proprium aduenientibus opibus blandiri; at vbi vel in res necessarias faciendus est sumptus grauiter ferre, discruciari, & prope præ mœrore insanire. quod si vlla necessitas opus ipsas in lucem extraxerit, tum reclamat auarus, & nulla cum dignitate vel iudicio ipsas, profundit, quare visa luce Cerberus vomuisse dicitur. habet multorum capitum numerum vel quia multorum scelerum & flagitiorum principium & fōs est auaritia, vel quia mortales in multas miserias inducit, cum alii ferro, alii veneno, alii aliis insidiarum generibus propter diuitias opprimantur. quippe cum nullus sit auarus, quem & filii, & vxor, & Coniuncti omnes non quam citissime decedere cupiant. Dictus est Cerberus in obscura spelunca habitare, quoniam omnium prope vitiorum stultissimum sit auaritia: cum neque sibi prosit, nec reliquis, nec sibi vel posteris gloriam comparare studeat, sed semper inter sordidos & obscuros homines versetur. At Hercules, quæ virtus est animi magnitudo, Cerberum in lucem extraxit, sibique perpetuam gloriam comparauit. Quis enim sine opibus facilem esse sibi viam ad perpetuitatem nominis affirmauerit; Illæ sane nihil aliud putandæ sunt à viris prudentibus quam commodiores rationes rerum præclare gerendarum. nunc de Parcis dicendum.

### *De Parcis.* CAP. VI.

ET quoniam nihil horum sine Parcarum imperio & voluntate fieri poterat, vt creditū est ab antiquis, tempus iā postulat vt de illis loquamur. Fuerūt autē parcæ sorores tres, ita cōcordes, vt nulla vnquā illarū dissensio, sicuti cæterorū Deorum, audita fuerit. Has Iouis & Themidis fuisse filias scriptum reliquit Hesiodus in Theogonia hoc pacto:

*δεύτερον ἠγάγετο λιπαρὴν Θέμιν, ἣ τέκεν Ὥρας,*
*Εὐνομίην τε, Δίκην τε, καὶ Εἰρήνην τεθαλυῖαν,*
*αἵτ' ἔργ' ὠραίουσι καταθνητοῖσι βροτοῖσι·*
*Μοίρας θ', ᾗς πλείστην τιμὴν πόρε μητίετα Ζεύς,*
*Κλωθώ τε, Λάχεσίν τε, καὶ Ἄτροπον, αἵτε διδοῦσι.*
*θνητοῖς ἀνθρώποισιν ἔχειν ἀγαθόν τε κακόν τε*
*Inde Themin duxit Saturnius: hæc parit horas*
*Eunomiamque Dicenque Irenen deinde virentem:*
*Omnia maturant miseris mortalibus ista.*

*Parcas*

*Parcas, quis multum mox Iupiter addit honoris,*
*Clothoque, & Lachesin, simul Atropon Hæ bona cunctis,*
*Hæ mala dant, nutuq; suo res quæq; geruntur.*

Idem tamen poeta in eodem libello Noctis filias & Parcas & Mortes, siue fata malueris nominare fuisse scribit, cum illas inter Noctis filias connumerauit, vt patet ex eo versu:

*καὶ Μοίρας καὶ Κῆρας ἐγείνατο νηλειοποίνους:*
*Et Parcas parit & Mortes mala multa ferentes.*

Cui sententiæ accessit etiam Orpheus, qui ita scripsit in hymno in Parcas:

*Μοῖραι ἀπείρεσιαι, Νυκτὸς φίλα τέκνα μελαίνης.*
*Immensæ Parcæ, nigrantis pignora Noctis.*

Alii necessitatis, siue (vt aiunt Græci) ἀνάγκης filias esse Parcas crediderunt. Has in spelunca quadam sublimi habitasse scripsit Orpheus, atque inde ad humana opera, vbi libuerit, euolare solitas;

*κλῦτέ μευ εὐχομένου πολυώνυμοι, αἵ τ' ἐπὶ λίμνης*
*οὐρανίας, ἵνα λευκὸν ὕδωρ νυχίας ὑπὸ θέρμης*
*ῥήγνυται, ἐν σκιαρῷ λιθίνῳ μυχῷ εὐλίθου ἄντρου*
*ναίουσαι, πεπότησθε βροτῶν ἐπ' ἀπείρονα γαῖαν.*
*Audite orantem, celebres audite sorores,*
*Quæ excelsum colitis stagnum, quà murmurat vnda*
*De Nychia tepida, vmbroso quæ habitatis in antro*
*Marmoreo, celeris hominumq; per arua volantis.*

Alii putarunt has ex illa cõfusa & informi materia cũ Pane pastorũ Deo natas fuisse, q̃ Chaos ab antiquis fuit appellata: seq; in illam speluncam recepisse, vnde quocũq; liberet facile conuolaret. creditæ sunt ipsæ Parcæ esse Deorũ scribæ, atq; quidquid euenturum esse nascentib. iam tum hominibus impartiri, vt testatur Homerus in lib. η. Odysseæ:

——— ἔνθα δ' ἔπειτα
*πείσεται ὅσσα οἱ Αἶσα Κατακλῶθές τε βαρεῖαι*
*γεινομένῳ νήσαντο λίνῳ ὅτε μιν τέκε μήτηρ.*
——— *ille deinde*
*Cuncta feret, quæ Fata dabunt, Parcæque seueræ*
*Nascenti neuere, parens quando edidit ipsum.*

Non defuerunt qui & id munus habere Parcas crediderint, & è nulla necessitate natas, sed maris esse filias, sicut innuit Licophron in his versibus:

*ὑγραὶ γὰρ εὐναστῆρες ἄμναμοι τελχαῖς*
*πηγαῖς κατεκλώσαντο δηναιᾶς ἁλός.*

*Parce sonis maris seuera filia,*
*Filius tribus iam destinant adulteros.*

Has parcas triformes nominauit Æschylus in Prometheo: quæ pro Diis summa religione colebātur apud Sicyonios, & eodem prope ritu, quo vocatæ Eumenides, vt testatur Pausanias in Corinthiacis. Harum Parcarum nomina varia fuerunt: nam vt scribit in Atticis Pausanias, Venus cœlestis vna fuit earum quæ Parcæ appellabantur, natu maxima. Idem scribit in Eliacis fœminam quandam apud Eleos sculptam fuisse dentibus & vnguibus aduncis quauis fera immaniorem, quæ inscriptio vnam fuisse è Parcis significabat Mortam nomine. Idem rursus in Achaicis; Fortunam omnibus sororibus Parcis potestate præcellere deinde in Arcadicis, Lucinam εὔλινον, quasi Lanificam dixerim, vnam esse putauit è Parcis, quę dicta est Pepromene; quæ Saturno multo fuit antiquior: quod etiam sensit Lycius Delius antiquissimus poëta, qui hymnos cum in alios Deos, tum in Lucinam composuit. Patet ex his, è quibus genitæ sint Parcæ, & quot, & quod earum esset officium, & quæ illarum essent nomina; nūc quid occultatum sit sub his, inquiramus.

¶ Existimarunt antiqui, quibus Christianæ sapientiæ semina nondum innotuerant, omnia quæ nascerentur siue animalia, siue essent plantæ, siue ædificia, ac ciuitates, non solum proprium habere Genium à quo perpetuo gubernarentur: sed etiam sub Parcarum atque fati potestate esse sita, ita vt quoties nasceretur aliquid, illi post certum dierum numerum ex ordine fatorum vel ferro, vel igne, vel ægritudine, vel sideratione, vel alio mortis genere esset pereundum: quam necessitatem nulla ratione, nullaq; hominis prudentia deuitari posse putarunt: atque eandem vim in omnia sese extendere, Hanc vim Latini scriptores Fatum vel Parcam at Græci μοῖραν vel αἶσαν dixerunt: de cuius fati necessitate ita scripsit Æschylus in Prometheo.

*τὴν πεπρωμένην δὲ*
*χρὴ αἶσαν φέρειν.*
*Statutum vero*
*Opus est fatum perferre.*

Id ipsum fatum ineuitabile esse, dixit ita Euripides in Ione:
ἀνοικτέον πάντ᾽ ἐστὶ, καὶ τολμητέον.

τοὶ

*τί γὰρ πεπρωμένʼ ἐστʼ ὑπεκδραμεῖν ποτʼ ἄν.*
*Hac sunt ferenda, conuenit considere.*
*Decreta fato praterire quis queat?*

Sed hoc etiam apertius enucleauit Homerus in lib. ζ. Iliadis, qui non solum multum tribuit fatis, sed etiam propriã esse Parcam singulorum credidit, quæ quid euenturum esset singulis cum nascerentur statueret:

*Μοῖραν δʼ οὔ τινά φημι πεφυγμένον ἔμμεναι ἀνδρῶν,*
*οὐ κακὸν οὐδὲ μὲν ἐσθλὸν, ἐπὴν τὰ πρῶτα γένηται.*
*Non potuit Parcam quisquam vitare virorum,*
*Fortis, vel timidus: cum visit luminis auras.*

Et Apol. in 1. Arg.

*Μοῖραν ἀνέπλησεν. τὴν γὰρ θέμις οὔ ποτʼ ἀλύξαι*
*θνητοῖσιν. πάντῃ γὰρ περὶ μέγα πέπταται ἕρκος.*
*Impleuit Parcam: mortalis vincere nullus*
*Vnam potuit: circumuolitat septa omnia praeps.*

Arbitratus est Herodotus fatum non hominibus solum, sed etiam Diis ipsis dominari; qui ita scripsit in Clio: *τὴν πεπρωμένην μοῖραν ἀδύνατα ἐστι ἀποφυγέειν καὶ θεῷ: ipsum autem fatum deuitare nec Deus quidem vllo pacto potest.* Quid aliud tres Parcæ, quam tria tempora, instans, elapsum, & venturum scilicet, existimatæ sunt? nam vt est in libr. de Mundo, siue Aristotelis sit, siue alius cuiuspiam: *τρεῖς αἱ Μοῖραι κατὰ τοὺς χρόνους μεμερισμέναι. νῆμα ἀτράκτου τὸ μὲν ἐξειργασμένον, τὸ δὲ μέλλον, τὸ δὲ περιστρεφόμενον. τέτακται δὲ κατὰ μὲν τὸ γεγονὸς μία τῶν Μοιρῶν Ἄτροπος, ἐπεὶ τὰ παρελθόντα πάντα ἄτρεπτα. κατὰ δὲ τὸ μέλλον Λάχεσις. εἰς πάντα γὰρ ἡ κατὰ φύσιν μένει λῆξις. κατὰ δὲ τὸ ἐνεστὸς Κλωθὼ, συμπεραίνουσά τε καὶ κλώθουσα τὰ οἰκεῖα. Tres sunt Parcæ iuxta tria tempora diuisæ, quarum alia res transactas, alia venturas, alia præsentes significat. Nam vna Parcarum Atropos nomine res præteritas spectat, quia quæ præterierunt, nulla ratione possunt conuerti aut reuocari. Alia quæ futuri curam sortita est, Lachesis dicitur, quoniam qui rerum naturalium euentus, stabilis est. At Clotho præsentia perficit, illaque absoluit quæ sui sunt muneris.* Dictæ sunt Parcæ stamina de colo nascentibus detrahere, quibus vniuersa vitæ fortuna contineretur: quia pro primo aeris temperamento, quem nascentes infantes imbiberunt, crediti sunt à philosophis & mores, & fortunam, & actiones, & vim etiam vitalem habere & haurire: quarum omnium rerum euentum ac fi-

nem Fatum siue Parcam appellarunt illud ita esse testatus est Iuuenalis Satyra septima in his:

*——— distat enim, quæ*
*Sidera te excipiant modo primos incipientem*
*Edere vagitus, & adhuc à matre rubentem.*

Illud sane non negauerim plurimum posse in nobis aëris vim, quo nascentes primum imbuimur, tum ad vires corporis, ad temperamentum, & ad fortunæ benignitatem, quam imprimit in nobis occulta vis siderum, tum etiam ad morum bonitatem, & animi magnitudinem: quod etiam expressimus ita in nostro libello de Venationibus:

*Scilicet & multum refert ad corpora, vires,*
*Et mores genitali solum quæ sidera spectent.*

Nullam tamen vim astrorum esse putamus tantam, quæ vim inferre vel nolentibus nobis possit, vel rationis consiliique potentiam opprimere: si quidem corpus animi habenis, at non contra, corporis animus paret & obtemperat. Neque me tamen præterit, quidquid ex anteactis rebus accidat, illud fatum à vulgo sapientum vocari solitum, quod alii Fortunam vocarunt, cum minime viderent omnia diuino quodam ordine gubernari, ac nihil frustra accidere, neque è nullis antecedentibus principiis.

¶ At nunc, quid ad morum probitatem sub his occultari senserint antiqui, ex his discutiamus. Cum Parcas Iouis & Themidis, quæ iustitia est, filias esse dicerent: illud significare voluerunt, quidquid vnicuique eueniret, illud & iure, & pro meritis, rerumque gestarum dignitate contingere, & altissimi Dei consilio. Qui vero minus erant perspicaces, & in his magis cæcutiebant, illi non pro meritis singulorum, sed ex inordinato fortunæ cursu mala & bona hominibus euenire putarunt: quare ex illa prima confusa materia Parcas euocatas dixerunt. Qui ex inscitia hominum mala contingere putarunt, ii Noctis filias Parcas appellarunt, illi vero etiam qui obtusiore adhuc fuerunt ingenio, neque diuina prouidentia res humanas gubernari, neque quidquam diuino consilio regi putarunt; sed solam suppliciorum acerbitatem considerantes minime perpendentes scelerum grauitatem, quia omnes maris filii crudeles & inordinati fuerunt, Parcas maris esse filias sunt arbi-

arbitrati. Diuinus præterea Plato Parcas Necessitatis filias nominauit in duodecimo dialogo de Rep. quoniam supplicia, quæ pro reb. gestis hominib. debentur, necessario subeunda sunt, neq; quispiam vir malus Dei vindictam iustam deniq; effugere potest. Hæ dictæ sunt in spelunca quadam obscura habitare solitę, quoniam occulta sunt Dei iudicia, neq; statim ad sceleratos homines conuolant supplicia: verum vbi oportunum tempus vindictæ Dei accesserit, nulla neque arx munitissima, neq; legio peditum, aut cataphractorum equitum præsidia possunt ab homine nefario Dei vindictam depellere vel retardare. Atque hæc dicta sint de Parcis, pro quarum arbitrio animæ ad inferos accedere putabantur: nunc de iudicibus inferorum dicamus.

## *De Minoe.* CAP. VII.

SEd quoniam vulgus imperitorum non facile intelligebat omnes animi nostri recessus, omnesq; cogitationes Deo esse conspicuas, quare vel præmia vel supplicia singulis pro meritis tribuerentur: idcirco necesse fuit crassa quadam & populari ratione hominibus id fieri aliquo pacto persuadere: quare iudices & tortores animarum post mortem apud inferos constituti sunt, qui singulos confiteri sua scelera cogerent, vt singulis deinde vel præmia vel supplicia pro seuerorum iudicum sententia darentur. Inter hos iudices præcipuum locum obtinuit Minos Rex Cretæ Iouis filius; de quo ita scripsit Homerus in lib. λ. Odyss.

ἔνθ' ἤτοι Μίνωα ἴδον Διὸς ἀγλαὸν υἱὸν
χρύσεον σκῆπτρον ἔχοντα, θεμιστεύοντα νεκύεσσιν
ἥμενον· οἱ δέ μιν ἀμφὶ δίκας εἴροντο ἄνακτα
ἥμενοι ἑσταότες τε κατ' εὐρυπυλὲς Ἄϊδος δῶ.

*Hic vidi Minoa Iouis de semine natum.*
*Iura sedens vmbris dabat hic, sceptrumq; tenebat.*
*Quem Regem stantes, quem Regem iura sedentes,*
*Poscebant, aulam ditis quæ turba frequentat.*

Natus est autē Minos ex Europæ, quam alii Phœnicis, alii Agenoris filiam crediderunt, & ex Iouis cōcubitu, quæ Sarpedonem etiā & Rhadamanthū peperit, vt ait Isacius. Hic cum furtiuo partu natus esse crederetur, post Iouis Astherii obitum impediebatur à Cretensibus quo minus in pater-

num imperium succederet. Quare cum persuadere Cretensibus niteretur se diuinitus regnum esse suscepturum, Neptuno se taurum immolaturum vouit, si sibi faustum signum ostenderet. Cum taurus insignis repente è mari apparuisset, regnum illi a Cretensibus delatum est, vt scripsit Zezes in historia 19 primæ chiliadis. Reliqua quæ ad labyrinthum, Dædalumq; pertinent, in Dædalo explicabimus. Fuerunt qui dixerint Minoem fuisse insulæ hospitem Cretæ, alii putarunt fuisse indigenam, at non Iouis filium. Verum difficilimum huiusce rei veritatem inuenire existimo, tum ob varias scriptorum sententias, tum etiam ob temporum interuallum. Ephorus autem Minoem Rhadamanthyos cuiuspiam antiquissimi, & propter iustitiam ac æquitatem celeberrimi viri imitatorem fuisse scribit, qui postea propter iustitiam Iouis filius fuit existimatus. Homerus in Odyss. τ non Iouis filium postea, sed ὀαριστὴν tantum, discipulum scilicet Minoem nuncupauit, quem per annos nouem scribit regnasse in Creta, vt patet in his:

*Κρήτη τις γαῖ' ἐστὶ μέσῳ ἐνὶ οἴνοπι πόντῳ,*
*καλὴ καὶ πίειρα, περίρρυτος· ἐν δ' ἄνθρωποι*
*πολλοὶ ἀπειρέσιοι, καὶ ἐννήκοντα πόληες.*
*ἄλλη δ' ἄλλων γλῶσσα μεμιγμένη· ἐν μὲν Ἀχαιοί,*
*ἐν δ' Ἐτεόκρητες μεγαλήτορες, ἐν δὲ Κύδωνες,*
*Δωριέες τε τριχάϊκες, δῖοί τε Πελασγοί.*
*τοῖσι δ' ἐνὶ Κνωσὸς μεγάλη πόλις, ἔνθα τε Μίνως*
*ἐννέωρος βασίλευε Διὸς μεγάλου ὀαριστής.*
*Creta mari medio iacet insula, fertilis illa est,*
*Et multis habitata viris, hanc undique fluctus*
*Pulsant, sunt vrbes hic nonaginta: nec vnus*
*Est sermo, è cunctis sed mistus. sunt ibi Achiui,*
*Magnanimi & veri Cretes, pariterq; Cydones.*
*Martigenæ Dores gens & diuina Pelasgi.*
*Has inter Gnosus præclara vrbs, ipseq; Minos*
*Discipulus Iouis hic nonum regnauit in annum.*

Quamuis Eusebius & alii scriptores, non parum inter se de numero annorum, quos Minos in Creta regnauit, dissentiunt. Vsus est (vt aiunt) Minos Rhadamãthi opera viri quidem boni, sed qui tamen regias artes non prorsus fuerat edoctus, quem Minos in vrbe habuit legum custodem, cũ extra vrbẽ Talais opera vteretur, qui vocatus, fuit Æreus, quia

quia tabulas æreas per vicos circumferret. Fama est longe lateque Minoem mari imperasse, atque propter Androgei mortem bello Atheniensibus illato illos tributarios fecisse, vt in Theseo scriptum est à Plutarcho, & nos suo loco declarabimus. Habuit Minos Androgeum, Glaucum, Deucalionemq; filios, & Phædram & Ariadnam memoriæ prodidit Zezes 19. primæ chiliadis Minoem à filiabus Cocali per dolum fuisse ita necatum: cum fugientem Dædalum insequēs venisset in Siciliam, à Cocalo perbenigne hospitio, accipitur, tum ab eius filiabus, bulliente aqua arte Dædali è laqueari, summoq; fastigio domus repente demissa, in balneum perfusus enecatur. fuit eius filius etiam ex Acacallide Oaxus, qui nomen dedit vrbi Cretensi. Verum siue Iouis & Europæ fuit filius, siue ob suas virtutes Iouis filius dici meruit, iudex apud inferos fuit creditus, vt scripsit Plato in Gorgia; Ἐγὼ μὲν οὖν ταῦτα ἐγνωκὼς πρότερος ἢ ὑμεῖς, ἐποιησάμην δικαστὰς υἱεῖς ἐμαυτοῦ, δύο μὲν ἐκ τῆς Ἀσίας Μίνωτε καὶ Ῥαδάμανθυν, ἕνα δὲ ἐκ τῆς Εὐρώπης Αἰακόν. *Ego sane vel vobis prior cum hac ipsa cognouerim, filios meos iudices instituì, duos quidem ex Asia Minoem ac Rhadamanthum; vnum ex Europa, Æacum.* Atque omnia hic ascribam, eorum quæ sequuntur hæc est sententia: hi ergo postquam mortui homines eo accesserint, iudicabunt in prato, & in triuio, ex quo geminæ procedant viæ, altera ad Tartarum, altera ad insulas beatorum. Asiaticos Rhadamanthus: eos vero qui ex Europa accedent, Æacus iudicabit. Minoi illud erit muneris, vt si quid fuerit ambiguum diiudicet, vt quam iustissimum fiat iudicium, ac legitime in posterum animæ demittantur. Hæc sunt illa quæ traduntur de Minoe inferorum iudice ab antiquis, quæ spectant ad id, de quo agitur, negotium. Nunc de reliquis iudicibus transigamus.

## *De Rhadamantho.* CAP. VIII.

RHADAMANTHVM etiam Iouis Asterij & Europæ filium ob singularem prudentiam & æquitatem animarū fuisse iudicem antiqui scriptores tradiderunt. Hunc aiunt omnium hominum suæ ætatis fuisse temperantissimum, cuius temperantiā admiratus Theognis, hæc de illo cecinit:

οὐδ᾽ εἰ σωφροσύνην μὲν ἔχεις Ῥαδαμάνθυος αὐτοῦ,
πλείονα δ᾽ εἰδείης Αἰολίδου Σισύφου

Quorum carminum sententia hæc est:

*Non tibi si ipsius temperantia sit Rhadamanthi,*
*Pluraque cognoscas Æolide Sisypho.*

Fuerunt enim, vt constat, legumlatores Cretensium antiquissimi, viri optimi ac iustissimi: inter quos hi dicuntur excelluisse. Erat Rhadamanthus præfectus inquirendis criminibus præcipue quæ quis in vita commisisset, vt testatur Virgilius libro sexto:

*Gnosius hæc Rhadamanthus habet durissima regna:*
*Castigatque auditque dolos, subigitque fateri*
*Quæ quis apud superos furto lætatus inani,*
*Distulit in seram commissa piacula mortem.*

Hic & Æacus virgam tenere solebant dum iudicarent, vt scripsit Plato in Gorgia. Memoriæ prodidit Cicero lib. 1. Tusculanarum Disputationum, quod dixit & Plato in Socratis Apologia, non hos solos fuisse iudices apud inferos, sed etiam Triptolemum ijs fuisse additum. Sic enim scribit Cicero. Id multo iam beatius est, te, cum ab ijs qui se iudicum numero haberi volunt, euaseris, ad eos venire, qui vere iudices appellentur, Minoem, Rhadamanthum, Æacum, Triptolemum; conuenireq; eos qui iuste & cum fide vixerint, Rhadamanthum tamen exulem è patria profugisse scribit Isacius, quia fratrem suum interfecisset: ita enim inquit: μετὰ γὰρ θάνατον Ἀμφιτρύωνος Ῥαδάμανθυς ἀνελὼν ἴδιον ἀδελφὸν, φυγὼν ἐκ Κρήτης καὶ ἐν Ὠκαλέᾳ τῆς Βοιωτίας ἐλθὼν γαμεῖ τὴν Ἀλκμήνην. *Post Amphitryonis mortem profugit Rhadamanthus, quia fratrem occidisset, è Creta: atque in Ocaleam Bœotiæ ciuitatem profectus, Alcmenam duxit vxorem.* Illud est proprium virtutis vt viri boni patriam vbique inueniant: neque vllus est locus honorificus, quin pateat virtuti: quare qui se in aliquem locum, vt propriam patriã includendum putat; aut qui, nisi vbi natus est, se viuere non posse arbitratur, is omnino vel animi vel consilij est inops: cum solis plantis natura propriam patriam tradiderit, vbi illas affixit. Nunc de Æaco dicamus.

## *De Æaco.* CAP. IX.

AEACVS & ipse mortuorum iudex, ex Ægina Asopi filia & Ioue natus esse dicitur, quam in ignem conuersus compressit, vt innuit Ouidius in lib. 6. maioris sui operis, in his:

*Aureus*

*Aureus vt Danaen, Asopida luserit ignis.*

Compressit enim illam in Insula Ægina, quæ ita ab ipsa vocata est. Fama est Æginæ colonos aliquando vniuersos morbo fuisse absumptos, ita vt solus Æacus fuerit superstes: qui cum (vt aiunt) grauiter ferret insulæ solitudinem, Iouem precatus est, vtpote Iouis filius vt aliquo pacto homines repararet, cum ita inquiat apud Ouid. lib. 7.

*Iupiter ô, dixi, si te non falsa loquuntur*
*Æoniæ amplexus quondam sub Asopidos isse*
*Nec te magne pater nostri pudet esse parentem:*
*Aut mihi redde meos, aut me quoque conde sepulchro.*

Iupiter illius precibus commotus formicas, quæ in annosa quercu & vacua vagabantur, in homines mutauit, vt testatur idem poeta & Hesiod. in Theogonia, qui inquit:

μοῦνος ἐὼν ἤσχαλλε πατὴρ ἀνδρῶν τε θεῶν τε,
ὅσσοι ἔσαν μύρμηκες ἐπηράτου ἔνδοθι νήσου,
τοὺς ἄνδρας ποίησε βαθυζώνους τε γυναῖκας.
οἱ δ' ἤ τοι πρῶτοι ζεῦξαν νέας ἀμφιελίσσας.

*Solus tristis erat hominum sator atque Deorum:*
*Insula quas habuit formicas protinus omnes*
*Has homines facit, vt mas est aut fœmina in illis,*
*Hi salsas primum, sulcarunt puppibus vndas.*

Hi vocati fuerunt Myrmidones, quia Græci myrmicas formicas vocent. Cæterum tantæ fuit autoritatis & existimationis Æacus, vt cum diurna siccitate vniuersa Græcia laboraret, responsum sit à Pythia ijs qui Delphos ea de causa legati accesserant, placandum esse Iouem: quod facile impetrari posset, si deprecatore Æaco vterentur: qua re impetrata Ioui Panellenio templum fuit erectum, vt diximus. Huic tres filij fuisse dicuntur è duabus mulieribus, Phocus è filia Nerei Psammathe, Telamon & Peleus ex Endaide filia Chironis, quam vxorem duxit, vt testatur Isacius.

¶ Nunc quid significent iudices perquiramus. Vbi Parcæ alicuius stamina expleuerint, ac mortis instat dies, tunc animus morituri hominis, vti dicebam, id futurum præsagiens, vniuersam vitæ suæ rationem examinat: atq; ad præsentiam & iudiciũ conscientiæ vt ita dixerim, omnia antiqua peccata reuocat. Nam cũ animæ nostræ partim rationem dominari dicãt sapiẽtes, partim rationi illam minime

obtemperare, rursus expers rationis pars in iracundiam propensa est, pars alia appetentia ducitur. Hi iudices igitur primi si quid per iracundiam, aut per huiusmodi animi affectus perpetratum sit aut per appetentiam illegitime diiudicant. His accedit ratio ipsa pro Minoe, quæ rursus si quid à prioribus iudicibus non sit discussum, aut si quid sit ambiguum, examinat. Quare si quis se grauissima scelera aduersus sanctam Dei religionem, vel aduersus patriæ incolumitatem, vel aduersus eos quibus plurimum pro acceptis beneficiis debebat, commisisse inuenerit per iram, aut per auaritiam, aut alicuius libidinis explendæ causa, aut propter ambitionem, ille grauissimis animi cogitationib. ante extremum vitæ diem necessario discruciatur, suoque vel ipsius iudicio iã grauissimis suppliciis putatur dignus? Sin cõtra leuissima sint peccata quæ commiserit; tristatur quidem animus, quia Dei voluntatem offenderit, at cum diuinæ clementiæ venit in mentem statim illi spes veniæ suboritur. Qui vero pie sancteq; se vixisse inuenerit per vniuersum vitæ suæ cursum, maior hunc lætitia capit quam vllo orationis genere explicari possit. Quid enim tam iucundũ, quid tam optabile, aut tam gloriosum cuiquam esse potest, quod tam præclarum viaticum ante summi Dei tribunal, quam conscientia ab omnibus scelerib. libera? aut quæ diuitiæ, quæ nobilitas, qui honores cum animi nullius turpitudinis sibi conscij fœlicitate, vel etiam præclarorũ facinorum memoris, comparari potest? illi mœrores qui è cõscientia multorum scelerum exsurgunt, illi inquam sunt tartara, illi Phlegerontes, illi Styges, illi Acherontes. At lætitia quæ ex integritatis & innocentiæ memoria oritur, illi sunt campi Elysij, illæ beatorum insulæ, illa summa fœlicitas animarum, quam viris bonis antiqui sapientes proponebant. Hæc enim omnia futuram Dei vel vindictam, vel remunerationem præsagiunt: hæc illa sunt omnia quæ sapientes antiqui de inferis ad coercendam ab omni turpitudine multitudinem excogitarunt. Illa grauitas suppliciorũ in sacris libris, quę sceleratis proponuntur; aut pręmiorum magnitudo, quæ viris bonis iam non amplius fabulose, sed vere à summi Dei filio Christo est proposita, atq; eadẽ nulla vi humana est explicabilis. Dicuntur ab antiquis inferorũ iudices fuisse Iouis filij, quod anima nostra, in qua sunt illæ

illæ prædictæ iudicandi facultates, diuina est & ab anima mundi (vt voluerunt antiqui) tanquã aliqua eius portio, in hæc corpora profecta. At enim quid est hæc anima mundi, nisi Deus omnipotens, qui omnia curat, omnia gubernat, omnia quæ veniũt in generationem dispensat ac distribuit? Quod fabulati sint Æaci precibus formicas in homines fuisse conuersas, quid per hanc fabulam significarent antiqui, explicauit Theagenes in rebus quas scripsit Æginetarum, lib. 3. quod Æginetę perrari erant aliquando in Insula quia frequentibus piratarum, aliarumq; nationum incursionibus infestarentur: qui cum minime scirent resistere, in speluncis tanquam formicæ delitescebant. Æacus autem naues ædificare illos docuit, populosq; ad rei militaris exercitationem euocauit: quare timore deiecto, externisque virib. paulatim resistere docti, è speluncis in apertũ prodierunt: inde è formicis in homines dicuntur fuisse conuersi, vt scripsit Zezes historia 133. septimæ Chiliadis. At Strabo lib. 8. fabulæ locum datum fuisse inquit, quia formicarum more terram fodientes vt agriculturæ locum haberent, ad petras transferrent fossasq; incolerent, ne in ædificia sumptus facerent. alij dicunt eos prius formicarum more ex illis fructibus qui sponte nascerentur, in speluncas congestis victitasse, ignaros prorsus agriculturæ aut nauigationis & omnis politioris victus, quæ omnia per Æacum edocti dicuntur è formicis in homines fuisse conuersi. Hoc ipso vsi sunt Græci deprecatore: quia virorum bonorum & iustorũ & temperantium preces possunt vel vniuersis ciuitatibus à Deo veniam & calamitatum finem impetrare, atq; de iudicib. inferorum satis dictũ est, nunc de Eumenidib. dicatur.

## *De Eumenidibus.* CAP. X.

AT enim quia poterat nõnullos ea fallere opinio, quod possent descendentes ad inferos sua crimina occultare; cum & pauci homines multis peccatis testes adhibeantur, & si qui fuerint testes, illos non eodẽ tẽpore esse perituros, cum prius mortui iudicentur, quam testes accesserint, necesse fuit persuadere multitudini imperitorum, quibus impressi iam erant in animo hi iudices, & tortores esse, & suppliciorum ministros his iudicib. assistere, qui mirificis modis variisque supplicij reos cõfiteris quid turpe in vita egis-

ſent cogerent. Additæ ſunt igitur illæ quas variis de cauſis modo Furias, modo Erinnyas, modo Eumenides nominarunt. quæ Iouis cœleſtis & inferni mandata afficiendis meritis calamitatibus hominibus exequerentur, & quæ miniſtræ eſſent præfectorum iudicum in excutiendis cuiuſque ſceleribus. Dictæ ſunt autem Furiæ à furore, quo ſontes homines ob conſcientiam ſcelerum exagitantur. Erinnyes ab ἐριννύειν, quod indignari ac magnopere commoueri ſignificat. Seueræ à quibuſdam ob acerbitatem Eumenides dictæ ſunt ab Oreſte, quia Palladis cõſilio illas Argos profectus placaſſet, à beneuolẽtia & manſuetudine, cum prius ab indignatione Erinnyes dicerentur: vt ſcripſit Sophocles in OEdipode in Colono:

ὥς σφας καλοῦμεν Εὐμενίδας ἐξ εὐμενῶν
στέρνων δέχεσθαι τὸν ἱκέτην σωτήριον,
*Ipſas vocamus Eumenidas, pectore*
*Quod ſupplicium ſeruauerint amabili.*

Eumenidas fuiſſe Noctis filias teſtatur Lycophron in Caſſandra his verſibus:

ἧμος ξυναίμους πατρὸς αἱ Νυκτὸς κόραι
πρὸς αὐτοφοίτην στηνὸν ὥπλισαν μόρον
*Fratres vbi patris puellæ filiæ*
*Noctis parauerint graues in mutuas*
*Cædes.*
Et Æſchylus in Eumenid.
ἡμεῖς γάρ ἐσμεν Νυκτὸς αἰανῆς τέκνα.
*Nos filiæ Noctis ſumus grauiſſimæ.*

Alij noctis & Acherõtis filias fuiſſe Eumenides crediderũt. At Orpheus in hymno quem ſcripſit in Eumenides, illas Plutonis, Iouis terreſtris & proſerpinæ filias dixit in his:

Κλῦτέ μου Εὐμενίδες μεγαλώνυμοι εὔφρονι βουλῇ
ἁγναὶ θυγατέρες μεγάλοιο Διὸς χθονίοιο.
Φερσεφόνης τ' ἐρατῆς τε κούρης καλλιπλοκάμοιο
*Audite Eumenides me orantem mente benigna,*
*Terreſtris Iouis & caſtæ, & digniſſima proles*
*Infernæ Iunonis.*

Heſiodus in eo libro quem ſcripſit de Origene Deorum, è terra & Saturni ſanguine natas eſſe Erinnyes putauit, cum Iupiter patri pudenda abſcidit, ac guttæ ſanguinis in terram cecidiſſent, vt eſt in his:

*ὅσσαι γὰρ ῥαθάμιγγες ἀπέσσυθεν αἱματόεσσαι*
*πάσας δέξατο γαῖα· περιπλομένων δ' ἐνιαυτῶν*
*γείνατ' Ἐριννῦς τε κρατερὰς, μεγάλους τε Γίγαντας.*
*Tum quæ fluxerunt atro de sanguine guttæ,*
*Terra bibit cunctas: mox & labentibus annis*
*Edit Erinnyas has tristes, magnosque Gigantes,*

Epimenides poeta Cretensis scriptum reliquit illas Euonymes & Saturni filias fuisse, vt patet ex his versibus:

*γήματο δ' Εὐονύμην θαλερὴν Κρόνος ἀγκυλομήτης·*
*ἐκ τοῦ καλλίκομος γένετο χρυσῆ Ἀφροδίτη,*
*Μοῖραί τ' ἀθάναται, καὶ Ἐριννύες αἱ ὀλόωροι.*
*Euonymen teneram Saturnus duxit, & illi*
*Nascitur alma Venus primum, Parcæ inde decoræ,*
*Æternæque simul nascuntur Erinnyes atræ*

At Sophocles in OEdipode in Colono Terræ & tenebrarum filias illas esse scribit in his:

*—— αἱ γὰρ ἔμφοβοι*
*θεαί σφ' ἔχουσι γῆς σκότου κόραι.*
*—— nam terribiles*
*Terræ & tenebrarum tenent natæ Deæ*

Has ait Hesiodus in libello de Diebus esse Rixæ filias, vindicesque peierantium, in quos iussu Plutonis animaduertunt, & die quinto Lunæ natas esse:

*ἐν πέμπτῃ γάρ φασιν Ἐριννύας ἀμφιπολεύειν,*
*ὅρκον τιννυμένας, τὸν Ἔρις τέκε πῆμ' ἐπιόρκοις.*
*Inde die quinto Eumenides versantur & errant*
*Vltrices qui Rixa parit pœnam periuris.*

Et Virgilius in primo Georg.

*—— quintam fuge: pallidus Orcus.*
*Eumenidesque sata*

Atque id quidem ex Pythagoricorum sententia, qui numerum illum in diebus lunaribus iustitiæ & æquitatis diem esse tradiderunt. Nam & exuperans adimit, & quod deficit, restituit æquitas, quorum vtrumque est iudicis munus. Istud ipsum efficit dies quinta, quæ prima addit deficienti, cum altera quinta labentis & occidentis mensis adimat, quod est exuperans. Dicebantur Eumenides pro capillis angues contortos habere in morem cincinnorum, vt innuit Horatius in secundo Carminum:

*—— & intorti capillis.*

*Eumenidum recreantur angues.*

Sic Catullus in Argonaut.

*Quare facta virum mulctantes vindice pœna*
*Eumenides, quibus anguineo redimita capillo*
*Frons expirantis præportat pectoris iras.*

Et in primo Elegiarum Tibull.

*Tisiphoneque impexa feros pro crinibus angues*
*Sæuit: & huc illuc impia turba fugit.*

Fabulati sunt antiqui neque has quidem seuerissimas Deas Cupidinis vim potuisse deuitare, quando scriptum reliquit Mænãder in rebus fabulosis Tisiphonem in amorem cuiusdam pueri formosi Cytheronis nomine incidisse, cuius desiderium cum ferre non posset verba de congressu ad illum perferenda curauit. at is formidandum aspectum veritus, neque responso quidem dignam fecit, quo illa vnum è suis draconibus è capillis conuulsum in eum coniecit, quem serpens intra nodos constringens interemit vbi Deorum misericordia mons ab illo dictus fuit, qui prius Asterius dicebatur. Sophocles præterea in Electra sic Erinnym æripedem nominauit:

——— ἀδεινοῖς
κρυπτομένα λόχοις χαλκόπους ἐρινύς.
——— *In grauibus*
*Insidiis Erinnys æripes latens.*

Licet autem ex lib. τ. Illiadis cognoscere has Furias tanquam aues aeriuagas à poetis fuisse vocatas quia volantes ad iussa sceleratorum supplicia conuolarent:

ἀλλὰ Ζεὺς, καὶ Μοῖρα, καὶ ἠεροφοῖτις Ἐρινύς.
*Iupiter, & Parcæ quaque aera transit Erinnys.*

Has in vestibulo inferorum habitare dixerunt poetæ, de quibus Virgilius cecinit libro sexto;

*Vestibulum ante ipsum, primisque in faucibus Orci,*
*Luctus & vltrices posuere cubilia curæ;*
*Pallentesque habitant morbi, tristisque senectus,*
*Et metus, & malesuada fames, & turpis egestas;*
*Terribiles visu formæ. lethumque, laborque*
*Tum consanguineus lethi sopor, & mala mentis*
*Gaudia; mortiferumque aduerso in limine bellum,*
*Ferreique Eumenidum thalami.*

Qui idem tamen postea in duodecimo illas & ad solium

Iouis

Iouis assistere scribit, & eius nutum obseruare si quando mortalibus calamitates velit immittere.

*Dicuntur geminæ pestes cognomine Diræ,*
*Quas & Tartaream Nox intempesta Megæram*
*Vno eodemq; tulit partu paribusq; reuinxit*
*Serpentum spiris, ventosasq; addidit alas.*
*Hæ Iouis ad solium, sæuiq; in limine Regis*
*Apparent, acuuntq; metum mortalibus ægris.*

Harum nomina, & locum vbi habitabant apud inferos, atque adeo officium declarauit Orpheus in hymno quem scripsit in Eumenides:

κλῦτέ θεαὶ πάντιμοι, ἐρίβρομοι, εὐάστειραι,
Τισιφόνη τε καὶ Ἀλληκτὼ καὶ δῖα Μέγαιρα·
νυκτέριαι, μύχιαι. ὑπὸ κεύθεσιν οἰκί' ἔχουσαι
ἄντρῳ ἐν ἠερόεντι, παρὰ Στυγὸς ἱερὸν ὕδωρ·
οὐχ' ὁσίαις βουλαῖσι βροτῶν πεποτημέναι αἰεί.
*Horrisona hæc audite Deæ, veneranda propago,*
*Tisiphone, & simul Allecto, & diuina Megæra:*
*Nocturnæ, arcanæ, vmbroso quæ habitatis in antro*
*Sacratas fluuii Stygii nigrantis ad vndas:*
*Consiliant non recta virumq; vela is acerbe.*

Ac deinde:

ἀλλ' αἰεὶ θνητῶν πάντων ἐπ' ἀπείρονα φῦλα
ὄμμα δίκης ἐφορῶπε, δικασπόλοι αἰὲν ἐοῦσαι.
*Iustitiæ quæ oculos gentes torquetis ad omnes,*
*Iustitiæ assecla semper, rectiq; ministra.*

Cum grauissimæ scelerum vltrices haberentur Eumenides, magna fuit earum reuerentia apud omnes gentes: atque ita vt illarum nomina nemo prope auderet proferre. quare hæc inquit Electra apud Euripidem in Oreste:

——— ὀνομάζειν γὰρ αἰδοῦμαι θεὰς
Εὐμενίδας, αἳ τόνδ' ἐξαμιλλῶνται φόβῳ.
——— *nominare haud adeo*
*Eumenides, quæ istum pauore territant.*

Orestes idcirco cum suas calamitates quas passus fuerat ob matris cædẽ, Iphigeniæ in Tauris enarraret, vbi in mentionem Eumenidum incidisset, illas ἀνωνύμους θεὰς appellauit, hoc est Deas, quas nominare non liceret, quia propter seueritatem nemo illas nominare auderet. ita enim scribit Euripides in illa tragœdia:

——— ἔθετ᾽ μοι πόδα
εἰς τὰς Ἀθήνας δή γ᾽ ἔπεμψε Λοξίας
δίκην παρασχεῖν ταῖς ἀνωνύμοις θεαῖς.
——— *hinc me pedem*
*Apollo ferre iussit Atticum in solum,*
*Anonymis inulta & Deabus soluere.*

Tantus vero fuit earum timor, vt cum cæcus OEdipus in Atticam ductus fuisset, Dearumque Erinnyum nemus intrasset, nesciens cui Deorum dicatum esset, aut quæ foret eius loci religio, magnus Atticorum colonorum cõcursus fuerit ad ipsum OEdipum, qui mirabãtur illum eo ausum esse ingredi, cum ipsi neq; aspicere quidem lucũ prætereuntes auderent, vt est in OEdipode Colono apud Sophoclẽ:

πλανάτας τις ὁ πρέσβυς, οὐ
δ᾽ ἔγχώριος. προσέβα γὰρ οὐκ
ἄν ποτ᾽ ἀστιβὲς ἄλσος ἐς,
τᾶνδ᾽ ἀμαιμακετᾶν κορᾶν,
ἃς τρέμομεν λέγειν,
καὶ παραμειβόμεσθ᾽ ἀδέρκτως.
*Erro nam quispiam senex. at non*
*Indigena: non adisset is vnquam*
*Lucum glabrum Erinnyum grauium,*
*Quas tremimus vel dicere;*
*Nec intuentes transimus.*

Neque id sane iniuria. cum tantopere essent graues ac implacidæ, vt si quis spectandi causa vel cæde vel aliquo incæsti aut impietatis genere pollutus in Eumenidum templum illud intrasset, quod illis Orestes in Cerynea Achaiæ oppido dicarat, continuo fieret mente captus, dirisque terroribus exagitaretur, vt ait Pausanias in Achaicis. Illas arbitrati sunt antiqui vestibus atris fuisse indutas, vt ait Isacius, ac nigras vestes Erinnyum vestes appellarunt, quas ἐριννύων ἐσθῆτας vocauit Lycophron. Colebantur eximia religione Erinnyes in Telphusia ciuitate Arcadiæ, vt ait Isacius, quibus ouis nigra prægnans mactabatur, totaq; comburebatur in Carmia Peloponensi, vt ait Sophoclis enarrator. fiebant vero illa sacra tacite, & quietis tempore, neque quisquam è nobilib. his sacrificiis interesse iure religionis poterat, vt scriptum reliquit Polemo. Tum illi sacerdotes qui hæc sacrificia faciebant, Hesychidæ nominabantur. Hinc

& aries

& aries ſacer Hero taciturno ante ſolennia immolabatur, quem boni ominis gratia appellabant, cuius ſacellum fuit apud Cydonios extra nouem portas. Quod vero in illis ſacrificiis mulſo pro libamentis meliceris etiam vterentur, teſtatur Callimachus in his carminibus:

*νηφάλιαι τῆπιν ἀεὶ μελιηδέας ὄπας*
*λήπτεσθαι κρίειν ἔλαχον Ἡσυχίδαις.*
*Mellitos ſucc s ſemp er ieiuna ſacerdos*
*Vrere perpetuu aſſ let H.ſychidis.*

Vtebantur floribus prętereaSicyonii pro corollis, quo ritu etiam Parcis ſacrificare ſolenne fuit, vt ait Menander in ſecundo libro myſteriorum;& Pauſanias in rebus Co inthiacis. Magnus erat omnino labor has inuocare, magnaque opus erat veneficis mulieribus ſacrificiorum multitudine, quæ illas ad ſe allicerent, (nam & hæ plurimum conferre ad veneficam facultatem putabantur) quod patet ex iis carminibus Orphei in Argonauticis, vbi Medea ſacrificat pro Iaſonis incolumitate, veneficiisq; conatur dràconem ſopire. Non enim illa ſacrificia quæuis ligna admittebant, ex quibus ignis fieret, ſed cedrum tantum, & aluum, & iuniperum, & rhamnum: è quib. pyra fiebat ante foueam quandam triplici ordine excauatam, tum victimarum illis ſacrificiis conuenientium ſanguis in foueam effundebatur: at corporum membra ſuper pyra vrebantur, cum quibus multæ res, multaque herbarum genera miſcebantur cum precibus, quorum magna pars continetur in his verſibus:

*σκύμνους παμμέλανας σκυλάκων τρεῖς ἱερεύσας,*
*αἵματι δ' αἰχάλκανθον ἰδὲ στρούθιον ἔμιξα,*
*κνῆκόν τε σχιστὴν, ἐπί τε ψύλλιον ἀειδὲς,*
*ἄγχουσάν τ' ἐρυθρὴν, ἰδὲ χάλκιμον, αὐτὰρ ἔπειτα*
*νηδύας ἐμπλήσας σκυλάκων φιτροῖσιν ἔθηκα*
*ὕδατι, ἐξ δ' αἵματος χελάδας χεόμην περὶ βόθρον.*
*ὄφρινά θ' ἱστάμενος φάρη, καὶ ἀπεχθέα χαλκὸν*
*κρούων, ἐλλισάμην αἱ δ' ὀτραλέως ἐπάκουσαν,*
*ῥήξασαι κευθμῶνας ἀμειδήτοιο βερέθρου,*
*Τισιφόνη τε καὶ Ἀλληκτὼ, καὶ δῖα Μέγαιρα,*
*ἀζαλίαις πεύκαις φόνιον σέλας αἴσσουσαι.*
*Mactaui catulos tres toto corpore n gro.*
*Purpuraſcum miſtu & lanar a ſanguini eorum,*
*Sciſſilis & cnecus, pulicaria triſtis, & vna*

*Additur his anchusa rubens, & chalcimus: inde*
*Oppletos ventres catulorum in vasa repono.*
*Funditur ad foueas lympha atque omenta, cauatas.*
*Induor & nigras vestes odiosaq; pulsans*
*Æra vocans oro quæ me audiuere repente*
*Rumpentes tetrici feralia monstra barathri*
*Accensasq; tulere faces, crudeleq; lumen,*
*Tisiphone, & simul Allecto, & diuina Megæra.*

Existimabatur vinum illis omnino non placere in sacrificiis, quare OEdipus (vt diximus) cum in illarum lucum accessisset, iubetur ab accolis eius loci aquam è perenni fonte afferre, deinde pocula quædam in hunc vsum parata coronare & labra & ansas lana iuuenis agnæ, vt scribit Theocritus in Pharmaceutria. Deinde cum steterit ad orientem Solem inferias effundere mulsum, neque vinum vllo pacto afferre sed post effusas inferias iubetur nouem ramos oleæ ambabus manibus ter ad terram cum precibus deflectere & deiicere. His Deabus creditis mos fuit Sicyoniis hominibus prægnantes oues mactare, ac mulso vti pro libamentis, floribus atque loco coronarum, vt traditum est a Menandro in secundo Mysteriorum. Fiebant coronæ à narcisso, quibus coronabantur his Deabus sacrificantes, quæ planta illis erat dicata: siue quia apud sepulchra plerumq; nasceretur, siue quia illæ torporis ac timoris essent Deæ, quod conueuit cum Narcissi nomine. Hanc fuisse plantam vna cum croco coronis Eumenidum dicatam, testatur Sophocles ita in OEdipode Colono:

ὁ καλλίβοτρυς κατ' ἦμαρ αἰεὶ
νάρκισσος, μεγάλαιν θεαῖν
ἀρχαῖον στεφάνωμ', ὅ τε
χρυσαυγὴς κρόκος.

*O pulchris racemis in dies semper*
*Narcisse, magnarum Dearum*
*Antiqua corona, simul &*
*Aureus crocus.*

Scriptum reliquit Pausanias in arcadicis Cererẽ aliquando fuisse nominatam Erinnym, quia Neptunus, cũ illius filiá quærentis amore captus esset, illam conatus est vitiare: sed cum in equã se Ceres vertisset, & ad Oncium inter armenta pasceretur, à Neptuno cognita nihilominus cõpressa est,

cum is equi formam cepisset. Id cum illa grauissime tulisset, quia furere Arcades ἐριννύειν dicunt, dicta fuit eo nomine. Apud eosdem erecta fuit Erinnyis statua, quæ manu sinistra cistam, dextera facem præferebat. Plutarchus in libello quem scripsit de sera numinis vindicta, vnam tantum Erinnym esse putauit, quæ Adrastia Iouis ac Necessitatis esset filia, vindex & scelerum ministra, & quæ omnes animas huc illuc cursitantes & tergiuersantes comprehenderet, ad supplicium raperet, & in æternas, inauditas, profundissimasque tenebras demergeret.

¶ Nunc quid hæc significent perquiramus. Nullus stimulus vel acrior vel vehementior conscientia homines ad confitendum impellere potest, quæ vel sine testibus se prodit: quare illa est diligentissima iudicum inferorum ministra. Hi timores, qui traditi sunt in fabulis, flagitiosis hominib. assidue ante oculos obuersantur. Nam (vt ait Cic. in oratione pro Roscio Amerino) nolite putare, quemadmodum in fabulis sæpenumero videtis, eos qui aliquid impie scelerateq; commiserint, agitari & perterreri Furiarum tædis ardentibus: sua quemq; fraus & suus terror maxime vexat: suum quemq; scelus agitat amentiaq; afficit suæ malæ cogitationes, conscientiaq; animi terrent. Hæ sunt impiis assiduæ, domesticæq; Furiæ, quæ noctesque diesque pœnas præteritorum peccatorum à consceleratissimis hominib. repetunt. Atq; Orestes nihil aliud esse quam conscientiam, commemorauit apud Euripidē in sua tragœdia, quę ipsum pro Furiis assidue torqueret & exagitaret, vt patet ex his;

τί χρῆμα πάσχεις; τίς σ' ἀπόλλυσι νόσος;
ἡ σύνεσις, ὅτι σύνοιδα δείν' εἰργασμένος.

Menel. *Quis conficit morbus? quid est tibi mali?*
Orest. *Quod multa feci turpia, hinc conscientia.*

Quid enim aliud sunt istæ Furiæ, quam affectuū vindices, vel potius affectus commissorum scelerum caussa? omnia enim flagitia quorum nobis sumus conscii, vel per inuidiā, vel per odium, vel propter spem alicuius commodi cōmittuntur. Idcirco τίσις vltio, φόνος cædes est. quod scelus per iram aut odium nascitur, quod vlciscitur Tisiphone μεγαίρειν vero inuidere significat, quæ Megæra per inuidiam cōmissa peccata punit. At ἄληκτος nūquam cessantem significat, quæ titillatio est voluptatum; per quas in peccantes

Allecto animaduertit. Hæ dicuntur Noctis filiæ, propter inscitiam mortalium, & ignorationem rerum futurarum. Quis est enim omnium mortalium, qui non turpe putet, si rem diligentius perpenderit, se illa propter breuissimas voluptates committere, quæ mox æterna supplicia consequentur? aut quis non intelligat indecorum esse homini tanquam beluam huc illuc his impuris; voluptatibus agitari? ex ignoratione sui igitur nascuntur hi affectus, qui vbi in aliqua scelera homines impulerint, discruciatur animus, quorum recordatio fit quasi crudelissimi & infestissimi in animo tortores. Alii Iouis terrestris & Proserpinæ filias illas esse tradiderunt, & id quidem iure optimo: nam cum Pluto præsit diuitiis, Proserpinaque sit vis frugum, vt patebit: quibus è Diis aptius oriuntur furiæ, quam è diuitiis, aut vnde apertius originem capient? quippe cum omnia scelera, omnesque voluptates è diuitiarum copia, tanquam ex vberrimo fonte manent. Quæ tamē si ad bonum & temperantem virum affluxerint, illum minime à suo instituto possunt deturbare: quare videtur mihi Deus sapientissimus facultates tanquam viaticum ad probitatem optimis earum moderatoribus, aut tanquam duces ad æterna supplicia impuris latronibus, concessisse. Necesse est igitur aut eximie bonum & Dei amicum esse virum opulentum, aut egregie sceleratum, & Diis hominibusque inuisum illum, qui multa possideat: quoniam nulla diuitiarum præstantia vel bonitatis vel malitiæ patitur mediocritatem. Idem sensisse mihi videntur, qui è turpibus partibus Saturni & ex terra natas esse Erinnyes putarunt. Quid enim Saturnus est, nisi tempus? aut quid pudendæ partes, nisi turpitudines quæ in ipso tempore committuntur? terra omnium diuitiarum parens est, ex quibus nascuntur. Sunt igitur illæ animi solicitudines, quæ ob diuitiarum facultatem exurgunt per temporis oportunitatem. Qui Saturni & Euonymes filias putarunt, nil diuersum ab his sentiebāt. Hæc, & quæ dictæ sunt superius rationes, in idem recidūt. nam qui Saturni, qui Noctis, qui Terræ, qui Tenebrarum filias esse Erinnyes arbitrati sunt, solo inter se nomine differebant, re ipsa idem putarunt. Quidam Erinnyas dictas crediderunt, quia imprecationes exaudirent: nam ἀρὰς imprecationes significare inquiūt, ἀνύειν vero perficere & exaudire

audire. Alii quia in terra habitent, cum ἔρα sit terra, ναίειν habitare est. Dicuntur natæ Erinnyes die quinto Lunæ, ea ratione quæ dicta est superius. Æripides dictæ sunt, quia cum Dei sint ministræ, scelerumque vltrices, tarde ad impiorum supplicia mitterentur. non enim Deus repente in sceleratos animaduertit, sed pro tarditate temporis grauitatem pœnarum plerumque compensat. Æriuagæ dictæ sunt quia citissime ad impurorum pœnas conuolarent, vbi Deus aliquos vel publice vel priuatim punire statuisset. Ego tamen aëriuagas ea de caussa fingi crediderim, quia vbi vel pestis, vel fames homines inuadit, vel bellorum motus excitantur in animis mortalium, id ex aere quodammodo affecto ita Deo iubente proueniat. Nam hæc tria morborum genera ita sunt inter se connexa, vt ex iisdem parentibus & eodem partu nata sint quod ita expressit Virg. lib. 12.

*Hæ Iouis ad solium, sæuique in limine Regis*
*Apparent, acuuntque metum mortalibus ægris,*
*Siquando lethum horrificum, morbosue Deûm Rex*
*Molitur, meritas aut bello territat vrbes.*

Dicebantur habitare in vestibulo inferorum, quia solliciti sunt præcipue animi morientium, grauiusque torquentur recordatione præteritorum scelerum: quod etiam senserunt ii, qui dixerunt illas ad vndam Stygis in antro quodam habitare. Hoc antrum quid est aliud, nisi obscurissimus cordis & conscientiæ recessus, in quo latent hæ cogitationes, & animorum sollicitudines? Quod per hæc significare voluerunt antiqui soli viro bono omnia esse tuta, solamque integritatem & innocentiam homines intrepidos & tranquillos ad omnem fortunæ commutationem perducere, iam explicauimus superius: ac de furiis satis, nunc dicendum est de carcere impiorum.

## De Tartaro. CAP. XI.

VBi sceleratorum animæ multis grauissimisque vitiis cōtaminatæ per tormenta fuerint cognitæ à iudicibus: quod inter voluptates per cæterorum hominum iniurias vixerint, quod patriam prodiderint, quod multos ob diuitias fefellerint, quod propter auaritiam vel amicos, vel viros bonos, vel parentes, vel benemeritos deseruerint, quod Deorum immortalium religionē ob pecuniā cultumue negle-

xerint, illæ Furiis prædictis traduntur in Tartarum deducendæ: qui locus est pœnarum, luce omnino carens, neque inde exire in perpetuum licitum est. Hic Tartarus quod antiquissimus sit locus, omnes affirmant: & Aristophanes comicus illum coætaneum cum Nocte, & confusa mundi materia existimauit, vt est in Auibus:

Χάος ἦν καὶ Νὺξ Ἔρεβός τε μέλαν πρῶτον, καὶ Τάρταρος εὐρύς.
Γῆ δ' Ἀὴρ οὐδ' Οὐρανὸς ἦν. Ἐρέβους δ' ἐν ἀπείροσι κόλποις:

*Chaos erat & Nox Erebusq; niger primum, & Tartarus amplus.*
*Terra nec aer nec cœlum erat: Erebiq; immensis finibus.*

Hesiodus in Theogonia videtur Tartarum ex illa confusa mole, quæ Chaos vocabatur, genitum esse credidisse; vt ex his licet cognoscere:

ἤτοι μὲν πρώτιστα Χάος γένετ'· αὐτὰρ ἔπειτα
Γαῖ' εὐρύστερνος, πάντων ἕδος ἀσφαλὲς αἰεὶ
ἀθανάτων, οἳ ἔχουσι κάρη νιφόεντος Ὀλύμπου·
Τάρταρά τ' ἠερόεντα μυχῷ χθονὸς εὐρυοδείης.

*Ante Chaos natum: post Tellus ampla, Deorum*
*Firma domus semper, colitur queis culmen Olympi:*
*Tartaraq; obscura; hac terra conduntur in ima*

Maximum sane spacium fuit à Tartaro ad terram, & quanto tellus distat ab ipso cœlo, tanto à terra tartarum distare putarunt. vt expressit idem poëta in his carminibus:

τόσσον ἔνερθ' ὑπὸ γῆς, ὅσον οὐρανός ἐστ' ἀπὸ γαίης.
ἶσον γάρ τ' ἀπὸ γῆς ἐς Τάρταρον ἠερόεντα.
ἐννέα γὰρ νύκτας τε καὶ ἤματα χάλκεος ἄκμων
οὐρανόθεν κατιὼν, δεκάτῃ ἐς γαῖαν ἵκοιτο.
ἐννέα δ' αὖ νύκτας τε καὶ ἤματα χάλκεος ἄκμων
ἐκ γαίης κατιὼν, δεκάτῃ ἐς Τάρταρον ἵκοι.
τὸν περὶ χάλκεον ἕρκος ἐλήλαται, ἀμφὶ δέ μιν νὺξ
τριστοιχεὶ κέχυται.

*——— tum Tartarus ipse*
*Nam patet in præceps tantum, tenditq; sub auras,*
*Quantus ad æthereum cæli suspectus Olympum.*
*Ferrea nam cælo si incus mutatur ab alto,*
*Vix poterit decima terram contingere luce,*
*Ferrea mox si incus terra mittatur ab alta,*
*Tartara vix poterit decima contingere luce.*
*Ærea septa tenent isthæc: nox atra tenebris*

Ordine

*Ordine mox cingit triplici.*

Qui Tartarus quod obscurissimus sit indicauit in his versibus Homerus in lib Iliadis θ.

ἤ μιν ἑλὼν ῥίψω ἐς Τάρταρον ἠερόεντα,
τῆλε μάλ', ἧχι βάθιστον ὑπὸ χθονός ἐστι βέρεθρον·
ἔνθα σιδήρειαί τε πύλαι καὶ χάλκεος οὐδός·
τόσσον ἔνερθ' ἀΐδεω, ὅσον οὐρανός ἐστ' ἀπὸ γαίης.

*Aut ipsum capiens obscura in Tartara mittam,*
*Sunt vbi sub terris vastissima regna barathri.*
*Ærea sunt ibi septa, solumque ex ære: sub ima*
*Tantum tellure, hac quantum quoque distat Olympo.*

Hunc autem & Erebum & Chaos esse locum, in quo scelerati homines excruciarentur, ita declarauit autor Axiochi: ὅσοις δὲ τὸ ζῆν διὰ κακουργημάτων ἠλάθη, ἄγονται πρὸς Ἐριννύων ἐπ' Ἔρεβος καὶ Χάος διὰ Ταρτάρου, ἔνθα χῶρος ἀσεβῶν, καὶ Δαναΐδων ὑδρεῖαι ἀτελεῖς, καὶ Ταντάλου δίψος. *At illi quibus per scelera vita fuerit transacta per Tartarum à Furiis ad Erebum Chaosque trahuntur, vbi impiorum locus est, & Danaidum hydria nunquam satura, & sitis Tantali.* Atqui Plato cum in Phędone Tartarum locum esse intellexerit id quod ab Homero barathrum nominatum fuit superius, quem locum esse putauit sub terra prope centrum, è quo, & in quod omnes aquæ laberentur, sub finem demum dialogi de Rhetorica scelestorum carcerem appellauit his verbis; τὸν δὲ ἀδίκως καὶ ἀθέως, εἰς τὸ τῆς τίσεώς τε καὶ δίκης δεσμωτήριον, ὃ δὴ Τάρταρον καλοῦσιν, ἰέναι. *Qui vero iniuste ac impie vixisse comperientur, in punitionis, iustique supplicij carcerem, quem tartarum appellant, accedere.* Ibi etiam animæ vinctæ tenebantur, vt his declarauit Æschylus in Prometheo:

εἰ γάρ μ' ὑπὸ γῆν νέρθεν τ' ἀΐδου τοῦ νεκροδέγμονος
εἰς ἀπέρατον Τάρταρον ἧκε
δεσμοῖς ἀλύτοις ἀγρίως πελάσας.

*Nam si me sub terram sub inferos mortuos capientes*
*In immensum Tartarum detrusisset,*
*Vinclis firmissimis asperèque alligasset.*

¶ Atque hæc ea sunt quæ de Tartaro ab antiquis scripta inuenimus, nunc quid sub his lateat perquiramus. Nonnulli antiquorum Tartarum locum esse crediderunt sub vtroque cardine, vt aiebat Crates, tum ob frigoris acerbita-

tem, tum etiam ob diuturnitatem tenebrarum. Verum illi meo iudicio fallũtur: quia multo maiores sunt tenebrę nocturnæ sub æquãte circulo habitantibus, quam prope cardines. Nam tametsi continui sunt sex menses vna nox sub Arctico cardine, dum Sol à principio Libræ vsque in finem Piscium signa meridie percurrerit, tamen non est adeo obscura nox vt literæ legi non possint. quare non videtur is locus obscuritatis causa posse Tartarus appellari. Ego sane potius accesserim Zezæ opinioni, qui Tartarum subterraneum incendium esse credidit, quia vapores ibi gignantur, quare & clamores & strepitus incerti & tremores apparent, vnde Tartarus appellatus est à Græcis, quia multæ ibi ταραχαὶ siue perturbationes existant. Neque id nomen sortitus est is locus, quod ibi præcipue, ac nullibi præterea fiant res huiusmodi. Sed varia loca variis nominibus dicũtur: cum id in sublimi fit, æther: cum sub terra, Tartarus vocatur. At nos quid dicemus esse Tartarum, in quem deducantur mortui, vnde non amplius datur reditus? terram ipsam nimirum, sub qua occultantur cadauera quæ vbi semel deciderunt in perpetuum carcerem, nunquam omnino resurgere possunt. ibi æstuantes igne plurimo lacus esse dicunt... & alij rursus conglaciati, in quos vicissim animæ sceleratorum à dæmone merguntur, vt ait Plutarchus in libello de sera numinis vindicta. His fidem fecerunt loci ignibus subterraneis frementes & æstuãtes propter varios vapores qui sub terra concipiuntur. Fuerunt igitur ista de inferis excogitata ad deterrendos homines à flagitiis: quæ si ita credita essent, pauci omnino scelerati homines, pauci sicarij, pauci latrones in omnibus ætatibus fuissent. Atque vtinam iam non fabulis, non vanis inuentionibus, non figmentis poetarum amplius, sed soli veridico, soli sapienti, soli bonorum omnium autori Christo crederetur, vel saltem ab ijs qui se Christo imitatores esse profitentur. Huic æterna supplicia consceleratis hominibus minitanti si crederetur, quis peieraret? quis prædaretur? quis vel fratrem, vel virum bonum pulsaret, aut falleret? quis homo ineptissimus, & omni plebecula rudior ac impurior intrepido animo alterius controuersias iudicaret, si crederet suorum iudiciorum rationem aliquando sibi esse reddendam? cum nulla fides vel antiquorum dictis, vel Christo denique summi Dei

mi Dei filio habeatur: inde accidit vt omnia fraudibus, omnia insidiis, omnia cõtrouersiis plena sint, omnia periuriis, atq; plus potest in iudiciis opulenti hominis, quam legum humanarum vel diuinarum autoritas. sed malos denique male perdet. Hactenus de Tartaro satis dictum est, nunc de reliquis inferorũ ministris dicamus, ac primum de Nocte.

## *De Nocte.* CAP. XII.

NEQVE Nox quidem paruo in honore fuit apud antiquos, quam Deorum omnium antiquissimam crediderunt, cum omnes loco ante Deorum ortus occupasset, & informem materiam, quæ Chaos dicta est. Hanc tamen nonnulli ex ipsa informi materia natam esse putarunt, sicuti testatur Hesiodus in Theogonia:

ἐκ Χάεος δ' Ἔρεβός τε μέλαινά τε Νὺξ ἐγένοντο.
*Inde Chao est Erebus, Nox & tenebrosa creati.*

Hanc antiquissimam vocarunt illi poetæ, qui è Chao natã esse crediderunt, cum neq; illam quidem ante mundum in ordinem digestum vsquam fuisse intelligant. Sic igitur illam antiquam appellauit Aratus in Astronomicis:

ἀλλ' ἄρα καὶ περὶ κεῖνο θυτήριον ἀρχαίη Νὺξ
ἀνθρώπων κλαίουσα πόνον χειμῶνος ἔθηκεν
εἰνάλιον μέγα σῆμα.
*Nox antiqua suo curru conuoluitur aram*
*Hanc circum, quæ signa dedit certissima nautis*
*Commiserata virum metuendos vndique casus.*

Non iniuria igitur Orpheus in hymnis hanc Deorum ac hominum matrem appellauit, quod omnia ex illa nata esse credantur, vt in his legitur:

Νύκτα θεῶν γενέτειραν ἀείσομαι, ἠδὲ καὶ ἀνδρῶν,
Νὺξ γένεσις πάντων, ἣν καὶ Κύπριν καλέσωμεν.
*Te canimus Nox alma parens hominumque Deumque,*
*Cunctorum alma parens quam Cyprida dicimus esse.*

Hæc vehebatur in curru, vt fictum est à poetis; cuius ante rotas astra nitescere dicebantur, ac præuia esse, sicut in his scripsit Theocritus:

——— χαίρετε δ' ἄλλοι
ἀστέρες εὐκήλοιο κατ' ἄντυγα Νυκτὸς ὀπαδοί.
——— *Saluete que Noctis.*
*Sydera, quæ canthis tacite præcurritis alta.*

Finxerunt hanc Deam antiqui nigris vestibus indutam, nigroq; capitis velamine, quam etiam sequerētur astra; at nō solum præcederent, sicut testatur Euripides in Ioue in his:

*μελάμπεπλος δὲ Νὺξ ἀστείρωτον ζυγοῖς*
*ὄχημ' ἐπαλλεν ἄστρα δ' ὁμαρτεῖ θεᾷ.*
*Induta nigris vestibus currum insilit*
*Nox: astra sunt Deam secuta protinus.*

Vehebatur autem à bigis, vt ait Virgilius libro quinto:

*Et nox atra polum bigis subuecta tenebat.*

Quamobrem Apollonius libro tertio Noctem venientem describens, illam dixit iugum equis imponere:

*Νὺξ δ' ἵπποισιν ἔβαλλεν ἐπὶ ζυγά.*
*Non iniecit equis iuga.*

Quod genus incedēdi in Nocte recentius est Homeri temporibus: nam ad Homeri vsq; tempora nemo prorsus poetarum vectam fuisse in curru noctem scriptum reliquit. Alij alatam illam fuisse, sicut Cupidinem & Victoriam, tradiderunt: quam opinionem secutus Virgilius ita scripsit libro octauo:

*Nox ruit, & fuscis tellurem amplectitur alis.*

Alij præterea voluerunt hanc ex Oceano consurgere decedente die, sicut idem poeta lib. 2. Æneidos:

*Vertitur interea cælum, & ruit Oceano Nox,*
*Inuoluens vmbra magna terramque polumque.*

Quam tamen non vt ex Oceano, sed vt ex Erebo venientem ita Euripides inuocauit:

*πότνια πότνια Νὺξ,*
*ὑπνοδότειρα τῶν πολυπόνων βροτῶν,*
*ἐρεβόθεν ἴθι' μόλε μόλε κατάπτερος.*
*Verenda verenda Nox,*
*Quæ das somnia miseris mortalibus,*
*Ex Erebo veni, cede cede volucris.*

Et Orpheus ad inferos lucem mittere, ac rursus ipsam ad illos accedere scribit in eodem carmine:

*ἣ φάος ἐκπέμπεις ὑπὸ νέρτερα, καὶ πάλι φεύγεις*
*εἰς ἀίδην.*
*Quæ lucem pellis sub terras, rursus & ipsa*
*Tartara nigra petis.*

Huic vbi sacrificaretur, mos fuit vt gallus immolaretur, tāquam animal silentio aduersarium, vt ait in lib. 2. de Dijs Theage-

Theagenes. Multi Noctis filij fuisse commemorantur. nam & Rabiem eius filiam fuisse scripsit Euripides in Hercule insano:

*θυρσεῦτι Νυκτὸς τήνδ᾽ ὁρῶντες ἔκγονον*
*λύσσαν γέροντες.*
*Rabiem senes hanc Nocte natam fidite*
*Cuncti videntes.*

Sic etiam Rixam siue contentionem atque inuidiam eius filias vocauit Hesiodus in Operibus & Diebus inquiens:

*τὴν δ᾽ ἑτέρην προτέρην μὲν ἐγείνατο Νὺξ ἐρεβεννή.*
*Namque illam primam pariens Nox edidit atra.*

Et quæ in hanc sententiam sequuntur. Deinde idem poeta in Theogonia multos scripsit fuisse Noctis filios quasi subuentaneos: vt est in his versibus:

*Νὺξ δ᾽ ἔτεκε στυγερόν τε Μόρον, καὶ Κῆρα μέλαιναν,*
*καὶ Θάνατον, τέκε δ᾽ Ὕπνον, ἔτικτε δὲ φῦλον Ὀνείρων.*
*οὔ τινι κοιμηθεῖσα θεὰ τέκε Νὺξ ἐρεβεννή.*
*Nox peperit Fatumq; malum, Parcamq; nigrantem,*
*Et Mortem, & Somnium, diuersaq; Somnia: natos*
*Hos peperit nulli Dea Nox coniuncta marito.*

Cicero autem in tertio libro de Natura Deorum, cum omnes Noctis filios connumerauit, tum illos patre Erebo genitos fuisse tradidit, vt patet in his: Quod si ita est, Cœli quoque parentes Dij habendi sunt, Æther, & Dies, eorumque fratres & sorores: qui à Genealogis antiquis sic nominantur, Amor, Dolus, Metus, Labor, Inuidentia, Fatum, Senectus, Mors, Tenebræ, Miseria, Querela, Gratia, Fraus, Pertinacia, Parcæ, Hesperides, Somnia; quos omnes Erebo & Nocte natos ferunt.

¶ Verum de ijs quæ fabulose de Nocte dici solent, satis. Ex illa nuper cōmemoratæ pestes natæ esse dicuntur, quoniam inscitia & malitia mortalium, quæ Nox est mentis, omnium prope calamitatum quæ humanum genus inuadunt, parens est & altrix, cum æquitas, tanquam Aquilo leuissimas nubes, has ex hominum conspectu possit propellere. Hæc enim omnia insciciam consequuntur, cum ea quoque quæ sunt naturæ, possint nonnihil retardari sapientia, aut certe leuiora effici, vt senectus, amor, fatū, mors, & alia huiusmodi. Noctem antiquissimam appellarunt, quia antequam Sol & cœlum fieret, nulla erat lux, quam ex

Erebo & ab inferis venire finxerunt, cum terrã semper circumnatat: nam Sole inferiore cœli parte sub terra occultato, apud nos vmbram esse terræ necesse est, cum nihil aliud sit Nox, quam vmbra terræ. Hanc ipsam Noctem tamen nõnulli Cupidinis filiam fuisse dixerunt, vt testatur Orpheus in Argonauticis in his carminibus:

καὶ διφυῆ περιωπία κυδρὸν Ἔρωτα,
Νυκτὸς ἀειγνήτης πατέρα κλυτὸν, ὅν ῥα Φάνητα
ὁπλότεροι καλέουσι βροτοί. πρῶτος γὰρ ἐφάνθη.

*geminum noctis præstantem dicite amorem*
*Obscuræ noctis patrem; dixere Phanetem*
*Illum mortales, quod primum apparuit ille.*

Quod certe nulla alia de causa fictum est, nisi quod amoris ratio plerunq; reddi non possit, aut quod eius causam conueniat plerunq; nocte & silentio occultari. Hanc in curru vehi finxerunt antiqui, quia nihil cum labore sit diuturnum, & ad narrationis voluptatem. Dicta est eadem mater omnium, quia rerum omnium partũ antecesserit, & à nocẽdo Nox dicitur, vt quidam voluerunt, quia noctis humor infestus sit hominibus, quod vel in laborantib. scabie, vel febre, vel alijs morbis, patet: qui quidem grauiores fiunt, magisque infestant per noctem. nunc de Morte dicamus.

## *De Morte.* CAP. XIII.

MORS cum esset sola prope & potentissima omnium inferorum satelles, omnesq; mortales ad Acherontem fluuium traijciendos deduceret, nihil prope de se fabulosum audiuit: nisi quod soror esset Somni, vt scriptum reliquit Homerus in lib. ξ. Iliadis:

ἔνθ' Ὕπνῳ ξύμβλητο κασιγνήτῳ Θανάτοιο:

*Tum mortis fratrem somnum conuenerat ipsa:*

Quodq; à Nocte matre sua fuisset educata. Quare memoriæ prodidit Pausanias in Eliacis apud Eleos in tẽplo quodã fœminam expressam fuisse, quæ pueros sopitos sustineret, manu quidẽ dextra, album, at sinistra alterũ nigrũ, & hunc dormienti similem; ambos distortis pedibus: quorum inscriptiones indicabit, alterum esse Somnum, alteram Mortem, at fœmina quæ illos alebat, Nox erat. Mos erat Morti gallum gallinaceum, sicut Marti & Æsculapio aliquando immolare, quod ea victima Nox lætaretur vt silentium

suum

ſuum infeſtante, ac ſæpius perturbante. Hanc finxerunt ant: qui alas habere nigras, vt ait Horatius in ſecundo libro ſermonum in his:

*Seu mors atris cum volat alis.*

& illud:

*Et mors atra caput fuſcis circumuolat alis.*

Hæc ipſa mors omnium malorum, hæc omnium humanarum calamitatum, hæc omnium dolorum remedium optimum data eſt hominibus Dei ſapientiſſimi beneficio, quod in illo epigrammate ſuauiter expreſſit Agathias:

τὸν Θάνατον τί φοβεῖσθε, τὸν ἡσυχίης γενετῆρα,
 τὸν παύοντα νόσους, καὶ πενίης ὀδύνας,
μοῦνος ἅπαξ θνητοῖς παραγίγνεται, οὐδέ ποτ' αὐτὸν
 εἶδέ τις θνητῶν δεύτερον ἐρχόμενον.
αἱ δὲ νόσοι πολλαὶ, καὶ ποικίλαι, ἄλλοτ' ἐπ' ἄλλον
 ἐρχόμεναι θνητῶν, καὶ μεταβαλλόμεναι.

*Cur timor eſt: vobis genitrix Mors alma quietis,*
 *Quæ morbos placat, pauperiemque leuat?*
*Illa ſemel tantum mortales viſere ſueuit,*
 *Nec quiſquam vidit mox rediiſſe virum.*
*Sæpe recurrentes cum vexent corpora morbi.*
 *Mutati, huc illuc & ſine lege fluant.*

Hæc vna duriſſima omnium Deorum, maximaque implacabilis habebatur: quæ cum nullius precibus flecteretur, nulla etiam ſacrificia, nec templa nec ſacerdotes, nec ritus ſacrorum obtinuit. Huius duritiem & implacabilem voluntatem ita ſignificauit. Orpheus in hymnis:

οὔτε γὰρ εὐχαῖς σὸν πείθει μόρος, οὔτε λιταῖσιν.

*Nec prece muneribus nec tu placabilis vlli.*

Induta erat veſte ſtellata, quæ erat atri coloris. Hanc miris laudib. antiqui ſapientes extulerunt, vt ſolā portū ſedemq; tutiſſimā quietis. Hæc multis corporis morbis nos liberat, hæc tyrannorum crudelitati ſubtrahit, hæc principib. adæquat, hæc omnibus viris bonis iucundiſſima accidit, niſi quantū naturę leges repugnant: neq; quiſquā eſt, quin eam lætiſſimo animo excipiat præter ſceleratos, qui grauiora ſe paſſuros eſſe poſt mortē iam nunc viuentes augurantur & quaſi præſentiunt. Huius laudādæ ampliſſimum & vberrimū argumentum habuit Alcidamus, qui orationē compoſuit de laudibus Mortis, hanc multis rationib. æquo animo

ferendam esse demonstrauit Plutarchus in consolatoria. Et profecto nihil aliud est vita, quam vsura lucis à Deo nobis mutuo concessa; quæ si repetatur, non ægrius ferendum est, quam si in domum amici profecti vesperi domum nostram redire; aut instrumentum mutuo acceptum, reddere domino iubeamur quare nulla certe nobis fieret iniuria, si à Deo quod suum est repetatur. de qua quoniam nihil mystice dictum ab antiquis video, reliqua quæ de illa dicũtur fabulose, prætermittere decreui & de Somno pertractare.

## *De Somno.* CAP. XIV.

QVOD Somnus ex Erebe Nocteque natus sit, dictum est iam superius: cui præter supradictas Mortem sororem etiã addidit Orpheus. Huic ἐλπίδας siue Spes sorores quidã ex antiquis iunxerunt. Hunc tamen non ab inferis, sed è cælo missum fuisse ad Palinurum scripsit Virg. lib. 5.

*Cum leuis æthereis delapsus somnus ab astris*
*Aera dimouit tenebrosum, & dispulit vmbras*
*Te Palinure petens.*

Hunc alatum esse tradiderunt poetæ, quia celerrime vniuersum terrarum orbem peragret, & leuissimus ac tacitus inopinantium oculos aggrediatur, vt ait Tibullus in secundo Elegiarum:

*Postque venit tacitus fuluis circumdatus alis*
*Somnus, & incerto Somnia nigra pede.*

Illud vero quod scribitur ab homero in principio secundi libri Iliadis, non facile intelligo, cur Somnus scilicet à Ioue mittatur ad excitandum Agamemnonem, quo armari iuberet multitudinem: cum sit somni munus vel magis etiam opprimere somno grauatos, quam excitare: nisi tamen pro Somno Somnia ibi intelligantur. Hic Somnus facit vt vulnera, vt vincula, vt seruitutem, vt carceres, vt omnia incommoda mortales, dum adest, æquo animo ferant, vt omnium malorum obliuiscantur, vt omnes animi curæ solicitudinesque recedant, vt ait Euripides in Oreste:

*ὦ φίλον ὕπνου θέλγητρον, ἐπίκουρον νόσου,*
*ὡς ἡδύ μοι προσῆλθες ἐν δέοντί γε.*
*ὦ πότνια λήθη τῶν κακῶν, ὡς εἶ σοφὴ,*
*καὶ τοῖσι δυστυχοῦσιν εὐκταία θεός?*

Somnus

*Somne ô leuamen dulce, & ægritudinis*
*Medela dulcis, vt venis mi optabilis.*
*Obliuio malorum, vt apto tempore*
*Nobis misellis aduenis iucundaq;.*

Hic Somnus tanquam atrocissimus publicanus, vt dicere solebat Aristo, dimidium ætatis nostræ ad se rapit: quare & Lethes frater iure dictus est ab Orpheo, & rerum omnium quies, vt est in hymno in Somnum:

ὕπνε ἄναξ μακάρων πάντων, θνητῶν τ' ἀνθρώπων,
λυσιμέριμνε, κόπων ἡδεῖαν ἔχων ἀνάπαυσιν,
καὶ πάσης λύπης ἱερὸν παραμύθιον ἔρδων.
καὶ θανάτου μελέτην ἐπάγεις, ψυχὰς διασώζων.
αὐτὸς γὰρ γνήσιος ἔφυς Λήθης. Θανάτου τε,

*Somne beatorum Rex, & Rex omne virorum.*
*Quem fugiunt curæ, sequitur quem blanda quies: &*
*Solus habes grauium solamina certa malorum,*
*Qui mortis formam inducens animalia seruas.*
*Nam germana tibi cum Lethe Pallida Mors est.*

Sic Ouidius etiam in lib. 11. mutationum illum inter Deos ob beneficentiam collocauit, cum tot beneficia in mortales conferat, vt patet ex his:

*Somne quies rerum, placidissime Somne Deorum,*
*Pax animi, quem cura fugit, qui corpora duris*
*Fessa ministeriis mulces, reparasq; labori.*

Cuius mira elegantia, poeticaque suauitate domum descripsit idem poeta, cui mille filios, vel potius infinitam filiorũ multitudinem tribuit, sed tres præcipue nominauit, Morphea, Icelum, & Phantasum. Est enim Somnus omniũ prope rerum naturalium dulcissimus, optimus, ac vtilissimus, si moderatus existat, cui omnia animalia subiiciũtur: quare iure ab Orpheo Rex hominum & Deorum dictus est. Quam misera sit eorũ qui cæteris fœlicissimi videntur cõditio, qui summæ rerum sunt præfecti demonstrauit Homerus in lib 2. Iliad. cum omnes Deos & homines dormiẽtes induxerit vno excepto Ioue. Idem poeta lib. ξ. ingentibus donis à Iunone solicitatum Somnum facit, vt Iouem consopiret, qui se id facere alias aggressum memorat, sed ea causa iratum Iouem ipsum in mare deiecisse: quem nisi Nox hominum ac Deorum domitrix seruasset, ad quam confugit, periisset omnino: quare se id nulla ratione ausu-

rum contendit. tanta est regum summorumque Imperatorum fœlicitas: qui, cum vt Dii coli videantur, omnium etiam mortalium sunt miserrimi. Fabulosam Somni ciuitatem, in qua Somnia habitare dicebantur, non ineleganter descripsit in libro secundo verarum historiarum Lucianus: qui in amplissima planitie illam sitam esse inquit, circa quã sylua est frequentissimis procerisque arboribus, quæ papauera sunt, altissimæque mandragoræ, atque herbæ ibidem complures, quarum succi inducant soporem, quæ florent vbique in illa planitie. Magna vespertilionum copia est huc illuc ad illas arbores volitantium, & noctuarum, & bubonum, & nocturnarum, auium neque vllæ præterea aues ibi esse consueuerunt. Fluuius hanc vrbem alluit placidissimus Lethe nomine, quem alii Nyctiporum appellãt, cuius cursus tacitus est, & oleo persimilis. Nascitur is è duobus fontibus in obscuro & nulli cognito loco scatentibus: quorũ alter Pannychius, alter Negretus appellatur. Habet hæc ciuitas duas portas, alteram corneam miro quodam artificio constructam, in qua omnia prope expressa sunt, tanquam in pictura quæ dormientibus vera insomnia occurrunt: alteram ex ebore candidissimo; in qua & ipsa sunt Sõnia, sed non expressa, at adumbrata tantum. In hac ciuitate templum est Noctis augustissimum omnium, quod eximia religione colitur. Tum aliud est Apates Deæ, & aliud Alethiæ delubrum, in quibus vtriusque & adytum esse inquiũt & oracula. At Somniorum à quibus frequentissimis ciuitas habitatur nulli eadem est forma; siquidem alia sunt gracilia & parua & contortis cruribus & gibbosa, & monstris similia, alia procera suauique facie & rubicunda, & aurea, vt ita dicam; alia sunt terribili aspectu, & alata & videntur assidue aliquam calamitatem minitari; alia sunt regali pompa luxuque induta. Quam ciuitatem si quis mortalium ingrediatur, continuo illi sunt obuia domestica Somnia, quę blande venientes excipiunt, atque aliquæ semper prædictarum formarum se illis offerunt, modo aliquid lætum, modo triste nunciantes, quæ modo fidem seruant, quod quidem perraro accidit, (mendax est enim magna ex parte illius ciuitatis multitudo & subdola) modo contraria etiam loquuntur, atque in animo excogitauerint.

¶ Hactenus de Somno, nunc quæ conficta sint de illo, explice-

explicemus. Somnum non ausum esse Iouem sopire idcirco fingitur, quoniam illi cui commissa est rerum omnium cura & administratio, dormire non conuenit, neq; diuina natura Somno indiget, vt per illum vires recuperet, aut incrementum capiat, cum nullum vel laborem vel incõmodum patiatur. Lethenque Somni sororem illa de causa faciunt, quia per Somnum omnium ærumnarum & malorũ obliuiscimur. Qui cum ad multa animalia eodem tempore veniat, & citissimus & alatus fingitur, & Noctis filius. Cum enim noctis humor stomachi vapores ad supremas partes corporis ascendentes augeat, qui postea facti frigore cerebri frigidiores descendunt inferius, atque ita gignant somnum, iure optimo Somnus dictus est Noctis filius. Ab illo maxime plantarum & animalium omnium fit incrementum, quibus per ætatem id licet, quod accidit nocturni humoris beneficio: cum vis diurni caloris interim tanquam occulta vis fermenti in corporibus lateat, dum nox superueniat. Ex iis igitur vaporibus nascuntur plures somniorũ formæ pro ciborum, regionum, temporum, impressorum in mente negociorum, ac pro temperamentorum cuiusq; varietate: quæ omnia consideranda sunt in explicãdis somniis. Nam somnia sunt tanquam duces aut exploratores aliquando Medicis ad dignoscendos morbos, cum fiant pro vaporibus diuersa, quamuis somnia aliquando formæ sint rerum optatarum, quæ subministrantur ab ipsa phantasia. vt enim ait Artemidorus in lib. I. de somniis, ὄνειρός ἐστι κίνησις ἢ πλάσις ψυχῆς πολυσχήμων, σημαντικὴ τῶν ἐσομένων ἀγαθῶν ἢ κακῶν: *somnium est motus vel figmentũ animæ multiplex, significans vel bona vel mala futura.* Consimili ratione spes addiderunt sorores, quia sæpius in rebus dubiis, vanosque habentib. exitus, collocantur, quare euanescunt tanquã somnia, Alii tamen humana, alii diuina esse somnia contenderunt. Ciuitas autem illa somniorum quæ descripta est superius, propter humorũ abundantiam, ex quib. somnia oriũtur, apud Oceanum fuisse fingitur, vt patet ex his carminib.

*πὰρ δ' ἴσαν Ὠκεανοῦ τε ῥοὰς καὶ Λευκάδα πέτρην,*
*ἠδὲ παρ' ἠελίοιο πύλας, καὶ δῆμον ὀνείρων.*
*Oceani fluctus petiere, & Leucada petram,*
*Et Solis portas, quæ gens insomnia fertur.*

Dicuntur esse duæ Somniorum portæ, vt diximus: atq; per

corneam vera somnia exire: quod ita fictum est, quia sicut ignis in laterna inclusus si cornea sit, & subtilis materia, facile lumen transmittit, atq; aliquo pacto videtur; ita si corpus hominum fuerit per temperantiã ab omni sordidorum humorum colluuione expurgatum, facile anima per id veritatem, & spectra sibi diuinitus oblata recipit, quæ somnia ἐκ Διός ἐστιν. At si crassa fuerint corpora, & multorum ciborum, vel sordidorũ humorum è diuturna crapula oppleta, tũc ea corpora animam tanquã in laterna cui eburnea sint latera & crassioris materiæ, inclusam veritatem somniorũ intueri non patiuntur: quod per somni portas Homerus explicauit & Virgilius. Didymus tamen pelliculam primã oculorum corneam habere formam sensit, atque visa significare; ebur dentes sunt, quia falsa insomnia edunt. nam veriora certioraque sunt visa, quam audita, & ab aliis relata. ac de Somno hactenus, nunc dicamus de Hecate.

## *De Hecate.* CAP. XV.

AT Hecate quibus è parentibus orta sit, non facile affirmauerim: siquidem alii ex aliis natam esse tradiderunt. Bacchylides Noctis filiam esse dixit, cum inquiat:

> Ἑκάτα δᾳδοφόρε Νυκτὸς μεγαλοκόλπου θύγατερ,
> *Hecate facifera Noctis amplæ filia.*

Musæus Iouis & Asteriæ, Pherecydes Aristæi Pæonis filii, Orpheus in Argonauticis Tartari filiam putauit, quam ita cum Eumenidibus ad sacrificia accedere scripsit:

> ——— σὺν δ᾽ αἰολόμορφος ἵκανε
> τριοσοκέφαλος ἰδεῖν, ὀλοὸν τέρας οὐ δαητόν,
> ταρταρόπαις Ἑκάτη.
> *Cumq; illis Hecate properans horrenda cucurrit,*
> *Cui trinum caput est, genuit quam Tartarus olim.*

Atque idem Orpheus hanc ipsam Hecaten alibi Cereris filiam & Iouis fuisse scripsit, vt est in his;

> καὶ τότε δὴ Ἑκάτην Δηὼ τέκεν εὐπατέρειαν
> ἐκ Διὸς αἰγιόχοιο.
> *De Cerere est Hecate sata nobilis atq; tonante*
> *De Ioue,*

Hesiodus antiquissimi eius Persæ, qui fuit & Cœi filius, & Asteriæ filiam Hecaten scripsit:

γείνατο

γείνατο δ' Ἀστερίην εὐώνυμον, ἥν ποτε Πέρσης
ἠγάγετ' ἐν μέγα δῶμα φίλην κεκλῆσθαι ἄκοιτιν.
ἡ δ' ὑποκυσσαμένη Ἑκάτην τέκε.

*Edidit Asteriam pulchram, quam Persea dicunt*
*Vxorem duxisse domum: quæ mox parit illi*
*Natam Hecaten.*

Quod etiam testatur Ouid. in lib. 7. maioris sui operis in his:

*Ibat ad antiquas Hecates Perseidos aras.*
*Quas nemus vmbrosum, secretaq; sylua tegebat.*

Et Apollodorus libr. 1. hanc eandem esse Proserpinam, & Hecaten, & Lunam credidit; quare Lucifera dicta est ab Euripide in Helena:

ὦ φωσφόρ' Ἑκάτη, πέμπε φάσματ' εὐμενῆ.

*Lucifera Hecate benigna da phasmata.*

Hanc terribilem aspectu, proceritateque corporis vel ad mensuram dimidii stadii accedere dixerũt, pedesq; habuisse ad serpentis formam, cum vultus & aspectus figura proxime ad Gorgonum naturam accederet. Pro coma densissimi dracones & viperæ, aliæ in concinnorum morem contortæ, atque sibilantes visebantur; aliæ collum ipsum amplexabantur; aliæ spargebantur in humeros demissæ, vti testatur Lucianus in Philopseud. Dicta est etiam Brimo à fremitu, quoniam in Apollinem inter venandum, cum illam viciare conaretur, infremuisset: vel aduersus Mercurium potius, vt sensit Isacius. Vocatam autem fuisse Brimo ita testatur Apollonius in libro tertio Argonauticorum:

—— δαΐ δὲ φιτρούς,
τῶδε ὑπένερθεν ἱεὶς· ἐπὶ δὲ μιγάδας χέε λοιβάς.
Βριμὼ κικλήσκων Ἑκάτην ἐπαρωγὸν ἀέθλων.

—— *tum vasa cremauit*
*Ignibus impositis mistim libamina fundens.*
*Auxilio Brimoq; vocans Hecaten sibi diuam.*

Credebatur esse inferorum Regina, vt idem poeta testatur in eodem libro:

ἑπτάκι δὲ Βριμὼ κουροτρόφον ἐγκαλέουσα
Βριμὼ νυκτιπόλον, χθονίην, ἐνέροισιν ἄνασσαν.

*Protinus hac Brimo stans terq; quaterque vocauit,*
*Brimo nocturnam, Reginam quæ imperat vmbris.*

Hanc canes complures sequebantur, vt apparet in his:

——— ἀμφὶ δὲ τήνγε
ὀξείῃ ὑλακῇ χθόνιοι κύνες ἐφθέγγοντο.
*Hanc circum latrare canes latratibus altis.*

At alii memoriæ prodiderunt illam querneo ramo coronatam apparere, quam etiam serpentes ingentes habere circa caput in his significauit Sophocles in radices cædentibus siue Rizotomis tragœdia inscripta:

ἥλιε δέσποτα καὶ πῦρ
ἱερὸν τῆς εἰνοδίας Ἑκάτης,
τὸ δι' Οὐλύμπου
πωλοῦν φέρει, καὶ γῆς ναίουσ' ἱερὰς τριόδους
στεφανωσαμένη δρυῒ καὶ πλεκτοῖς
ὠμῶν σπειράμασι δρακόντων.

*O Sole rex, & ignis*
*Sacer in via habitantis Hecates,*
*Hasta quam per cœlum*
*Recte fert, ac terra habitat sacra triuia,*
*Coronata quercubus plurimis*
*Super humeris spinis draconum.*

Idcirco cum de venefica quadam muliere loqueretur Tibullus in primo Elegiarum, canes Hecates domuisse pro scientia veneficiorum & artis magicæ dixit, quia rabidi canes illam semper sequerentur:

*Sola tenere malas Medea dicitur artes,*
*Sola feros Hecates perdomuisse canes.*

Dicta est etiam canicida Dea, & caniuora, quoniam illi canes immolarentur, vt scripsit in Mimis Sophron, & Lycophron:

Ζήρινθον ἄντρον τῆς κυνοσφαγοῦς θεᾶς.
*Zerinthon antrum mox caniuoræ stat Deæ.*

Quidam putarunt canes illi immolari, quia inuisum sit id animal, cuius latratu phantasmata quæ ab Hecate mittuntur, dissoluantur: nam cum aër vel æris tinnitu, vel alicuius rei strepitu concutitur, illa offenduntur grauissime: quare non possunt diutius consistere. Huic Deæ sacrificabatur in triuiis, vnde etiã Triuia dicta est: quod ideo accidit quia eadẽ Luna & Diana & Hecate sit de qua sic Virgilius:

*Tergeminamq; Hecaten, tria Virginis ora Dianæ.*

Alii dictam fuisse Triuiam arbitrati sunt, quia eadem sit Iuno, Diana, Proserpina. Alii triformem illam putarunt quia,

quia nunc in cornua,& prope vacua surgit:nũc diuidua est, nunc orbe pleno. Alii qui dextrum caput equinum habeat, sinistrum caninum, medium hominis, vel, vt alii maluerũt, suis agrestis. Non defuerunt, qui Triuiam vocatam Hecaten putarunt, quia in triuiis sit exposita, & à pastoribus inuenta ac educata. Alii, quia in cœlo, in terra, & apud inferos polleat: alii, quia cẽtum grana pro singulis tritici ferat: alii, quia cẽtum hostiis placetur. Hecaten nominarũt? alii, quia centum annos insepultos errare faciat. Huic Deæ sacrificabatur in triuiis apud Athenienses singulis mensibus in nouilunio, quo tempore illi qui erant opulenti, cœnam in triuio exponebant, ac pauperes eò per noctem conuenientes vorabãt, Hecatenq; edisse dicebant: quam consuetudinem ita significauit Aristophanes in Pluto:

——— παρὰ τῆς Ἑκάτης ἔξεστιν τοῦτο πυθέσθαι,
εἴτε τὸ πλουτεῖν, εἴτε τὸ πεινῆν βέλτιον. φησὶ γὰρ αὕτη,
τοὺς μὲν ἔχοντας καὶ πλουτοῦντας δεῖπνον κατὰ μῆνα προπέμπειν
τοὺς δὲ πένητας τῶν ἀνθρώπων ἁρπάζειν πρὶν καταθεῖναι.

*——— Ex Hecate licet id cognoscere:*
*An ditescere quam famescere melius: iubet enim ipsa*
*Habentes & diuites cœnam singulis mensibus exponere,*
*At pauperes homines rapere vel antequam exponatur.*

Vocabatur autem sordida propter id cœnæ genus & parca, quia vmbræ porro, malua, mænidibus, & triglis vesci creditæ sunt: atque in triuiis præcipue colebatur, quod ibi (vt diximus) exposita fuit, vt quidam putarũt, ab Æolo & Pherea parentibus, à bubulcis Pheretis fuerit educata. Hanc vestibula domorum tueri arbitrabantur, quare ante fores aras erigebant, vt in his testatur Æschylus:

δέσποιν' Ἑκάτη τῶν βασιλείων πρόδρομος
μελάθρων.
*Regalium atriorum praeuia Hecate.*

Huius vires & officina ita commemorauit Hesiod. in Theogon.

——— τὴν περὶ πάντων
Ζεὺς Κρονίδης τίμησε, πόρεν δέ οἱ ἀγλαὰ δῶρα,
μοῖραν ἔχειν γαίης τε καὶ ἀτρυγέτοιο θαλάσσης.
ἡ δὲ καὶ ἀστερόεντος ἀπ' οὐρανοῦ ἔμμορε τιμῆς.
ῥεῖα μάλ' ᾧ προφρων γε θεὰ ὑποδέξεται εὐχάς:
καί οἱ ὄλβον ὀπάζει, ἐπεὶ δύναμίς γε πάρεστιν

ὅσσοι γὰρ γαίης τε καὶ οὐρανοῦ ἐξεγένοντο,
καὶ τιμὴν ἔλαχον, τούτων ἔχει αἶσαν ἅπαντων.

*——nam super omnes*
*Iupiter ingentes illi largitur honores,*
*Muneraque imperium terraq; marisq; profundi*
*Cunctorumq; simul quae cælum amplectitur altum,*
*Admittitq; preces facilis Dea, prompta, benigna,*
*Diuitias præbet, quod ei concessa potestas,*
*Imperat hæc cunctis, qui sunt è semine nati*
*Et terræ & cæli, cunctorum fata gubernat.*

Præerat & veneficiis, quæ magicas artes exercentes inuocare consueuerũt cum Luna, vt Theocritus scripsit in Pharmac.

τᾷ χθονίᾳ θ' Ἑκάτᾳ, τὰν καὶ σκύλακες τρομέοντι,
ἐρχομέναν νεκύων ἀνά τ' ἠρία καὶ μέλαν αἷμα.
χαῖρ' Ἑκάτα δασπλῆτι, καὶ ἐς τέλος ἄμμιν ὀπήδει.

*Terrestriq; Hecate, catulis quæ terror & horror,*
*Dum per defunctos ruit, & vim sanguinis atri.*
*Salue Hecate grauis, & nobis hæc perfice Diua.*

Hac de causa maximè omnium Deorum illam se colere inquit Medea venefica in his apud Euripid.

οὐ γὰρ μὰ τὴν δέσποιναν ἣν ἐγὼ σέβω
μάλιστα πάντων, καὶ συνεργὸν εἱλόμην,
Ἑκάτην.

*Non per Hecaten, ego colo quam maxime*
*Vnam omnium, quam fere opem legi mihi,*

Vocabatur autem septies; mox illa sacrificia fiebant, certis ac propriis ritibus; qui omnes prope sunt ab Apollonio expressi ita in lib. 3. Argonaut.

δὴ τότε μέσσην νύκτα διαμμοιρηδὰ φυλάξας,
ἀκαμάτοιο ῥοῇσι λοεσσάμενος ποταμοῖο,
οἶος ἄνευθ' ἄλλων ἐνὶ φάρεσι κυανέοισι
βόθρον ὀρύξασθαι περιηγέα· τῷ δ' ἐνὶ θῆλυν
ἀρνειὸν σφάζειν, καὶ ἀδαίετον ὠμοθετῆσαι,
αὐτῷ πυρκαϊὴν εὖ νηήσας ἐπὶ βόθρῳ.
μουνογενῆ δ' Ἑκάτην Περσηΐδα μειλίσσοιο,
λείβων ἐκ δέπαος σιμβλήϊα ἔργα μελισσῶν.
ἔνθα δ' ἐπεί κε θεὰν μεμνημένος ἱλάσσηαι,
ἂψ ἀπὸ πυρκαϊῆς ἀναχάζεο, μηδέ σε δοῦπος
ἠὲ ποδῶν ὄρσῃσι μεταστρεφθῆναι ὀπίσσω,
ἠὲ κυνῶν ὑλακή, μή πως τὰ ἕκαστα κολούσας.

*Obserua: medium vt nox fecerit humida cursum,*
*Fluminis ipse petas vndas: ibi lotus & vnus,*
*Cyanea veste indutus, fodere ipse memento.*
*Mox foueam. Iugulata tibi sit protinus agna.*
*Fœmina: & inde super fouea pyra structa crematur.*
*Atque voces Hecaten Perseida, mellaque libans*
*Dulcia munera apum places hanc hisque peractis*
*Rursus abire pyra moneo, conuertere nullius*
*Te retro strepitusve pedum fremitusve caninus*
*Cogat: nam sacri fiet labor irritus omnis.*

His ita peractis sacrificiis quædam phasmata continuo apparebant, quæ solebant vocare Hecatæa, eaque in varias formas se conuertebant. Dicuntur moly, quam rutam agrestem esse nonnulli arbitrantur, & laurus, & pulicaria, & rhamnus. & salix, & stella marina, & Iaspis magicis artibus resistere, & alia complura plantarum, animalium & lapillorum genera: quæ nunc omnia non opus est recensere, de quibus scripsit & Albertus Magnus, & Orpheus in libro de lapillis. Præcipuo in honore fuit Hecate apud Æginetas & Bœotos, vti memoriæ prodidit Pausanias in Corinthiacis. Cur inferorum Dea credita sit Hecate, Sophron fabulam huiusmodi recitauit, vt ait Theocriti enarrator: Cum Iupiter Iunonem aliquando compressisset, nata est puella Angelus nomine, quæ nymphis educanda data fuit, illa cum adoleuisset, vnguentum quo Iuno perungebatur, cum fieri vellet splendida, occultauit: quod cum pyxide Europa Phœnicis filiæ tradidit. Illud facinus cum sensisset Iuno, velletque in illam animaduertere, primum Angelus in domum mulieris, quæ nuper pepererat, confugit, atque inde ad efferentes mortuum, vnde abstitit Iuno Iupiter Cabarnos illam expiare iussit, qui in Acherusiam portantes expiarunt; deinde mortuorum & terrestris Dea credita est: quæ ob prædictas causas postea vocata fuit, Hecate. Non defuerunt tamen, qui illam natam è Ioue & Cerere crediderunt, quæ cum robore corporis & magnitudine excelleret, ad quærendam Proserpinam missa est, & postea, regnis subterraneis præfecta quæ dicta fuit Hecate ab illo tempore, vt quidam putarunt, quia procul absit à nobis: alij quia ad illa recedendum sit: alij, quia centum obeat munia in negociis naturæ. Ac de fabulosis hactenus.

Quidam ex antiquis scriptoribus Hecaten fuisse Persæ filiam venatricem egregiam memoriæ prodiderunt, sed tamen immanem, quæ si feras non posset assequi, sagittas in homines conijceret. Hæc pharmaca lethifera inuenit quomodo componerentur, & in primis repetit aconitum, quare formidabilis Dea inferorum credita est. Experiebatur singularum herbarum vires in cibis, quos hospitibus exhibebat. Pharmaco patrem prius è medio sustulit, accedit imperium, postea Dianæ erexit sacellum, vbi adnauigantes Deæ mactabat. deinde Æetæ nupta Circen & Medeam filias peperit, ac filium Ægialeum. Circe ad pharmaca instructa inuenit & ipsa varias vires herbarum, patreq; venenis necato imperium suscepit: sed ob crudelitatem ex illo excidisse dicitur, fugisseq; ad Oceanum in insulam desertã, vel (vt alij maluerunt) in Italiã ad promontoriũ ab illa vocatum Circæũ. Medeæ diuersum fuisse consilium inquiunt: quippe quæ mirifice salutis omnium peregrinorum esset studiosa, cum à sorore & à matre multa medicamina didicisset. sæpius etiam fuit à patre reprehẽsa quod per nimiam facilitatẽ regnum patrium esset in magnũ periculum coniectura, cum patri moriendum esset pro oraculi responso cum vir externus aureum vellus cepisset. Eius preces cum nihil profecissent. aiunt Æetam veritum insulas illam in custodias tradidisse. quæ cũ fugisset in sacrũ lucum Solis ad mare, mox accedentib. Argonautis omnia proposita pericula, & paternam crudelitatem narrauit, & vt per insidias omnes hospites mactare solebat. Deinde ab Argonautis exorta tulit opem Iasoni ad superanda pericula, quia Iason iurauit se illã virginẽ in stabile matrimoniũ ducturum. Nã & ingenia formidabilique pericula exteris proponebantur ante quam vellus aureum caperetur, & curabat Æeta per famã crudelitatis omnes externos & aduenas homines ab illis littoribus abstertere. ¶ Quid igitur per has fabulas significare voluerunt antiqui? Aut cur noctis filia dicta est Hecate? quoniam fatorũ cuiusq; ordo ac vis est Hecate, vt patet è superioribus carminibus Hesiodi, quæ diuinitus in mortalia corpora infunditur, illa Iouis est filia vel Persæ: at quia nulli mortaliũ ordo ille est cõspicuus aut manifestus, ea causa Noctis filia dicitur. Illi qui Iouem rerum omnium moderatorẽ, existimarũt, cum omnia ab illo proficisci intellige-

telligerent, vim illã quæ occulte per astra ad inferiora corpora agens descẽderet, Hecaten Iouis & Asteriæ filiam nũcuparunt. At qui Solem omnia prospicere, omniaq; audire tradiderunt, & omnibus moderari, illi Persæ filiam Hecaten, vim illam scilicet prædictam putarunt. Eam Luciferã dictam fuisse constat, quia per sempiternos illos astrorum ignes descenderet. Eadem rursus inferorum Regina credita fuit, quia homines omnes fatorũ necessitati, hoc est, Dei voluntati, parent. Quid aliud canes sunt rabidi illam comitantes, quam calamitates & molestiæ quæ homines è fato assidue infestant? eius item forma tam formidabilis varietatem ærumnarum præ se fert. Potest eadem rursus veneficiorum præfecta fluuiorum cursus conuertere, segetes alio transferre, montes in profundum deijcere, astra deducere de cœlo, quod veneficæ facere dicebãtur, quia fatorum necessitati ac voluntati diuinæ nihil est quod non pareat. Cũ vellent igitur significare antiqui omnibus esse moriẽdum, neq; quenquam posse Deorum volũtatem effugere, aut ab illis statutum diem præterire, omniaq; & commoda & incommoda proficisci ex arbitrio voluntateq; Deorum, hæc & ad ortum & ad formam Hecates spectantia excogitarunt. At nunc de Proserpina verba faciemus.

## *De Proserpina.* CAP. XVI.

PROSERPINAM alij eandem esse voluerunt Hecaten Quam Dæram etiam vocarunt, vt scripsit Demosthenes alij cum Hecaten è superioribus parentib. natam esse affirment, Cererem matrem Proserpinę fuisse contendunt, quę si è diuersis parentib. natæ sunt, eædẽ certe esse non possunt Hãc Cereris fuisse filiã declarauit Hesiodus in Theogonia.

*αὐτὰρ ὁ Δήμητρος πολυφόρβης ἐς λέχος ἦλθεν,*
*ἣ τέκε Περσεφόνην λευκώλενον, ἣν Ἀϊδωνεὺς*
*ἥρπασεν ἧς παρὰ μητρὸς, ἔδωκε δὲ μητίετα Ζεύς.*
*Diuitis hic Cereris lectum conscendit, ab illo*
*Nascitur amplexis Propserpina: quam rapit inde*
*Pluto, restituit matri sed Iupiter almus.*

Apollodorus Atheniẽsis in primo lib. Iouis & Stygis filiam esse Proserpinam tradidit. Scriptũ reliquit Strabo lib. 7. Valentiã, quæ Hipponiũ olim dicebatur, ciuitatẽ esse Siciliæ in loco amœnissimo, vbi florẽtissima prata esse cõsueuerũt,

quo in loco cum flores legeret Proſerpina, à Plutone fuit rapta. Verum quoniam rem totam luculentiſſime expreſſit Cicero, & loci amœnitatem mirifice oratione pinxit, non grauabor ea ſcribere, quæ ſunt in actione ſexta in Verrem ad hunc locum pertinentia; Vetus eſt hæc opinio Iudices, quæ conſtat ex antiquiſſimis Græcorum literis atq; monimentis: inſulam Siciliam totam eſſe Cereri & Liberæ conſecratam. hoc cum cæteræ gentes ſic arbitrantur, cum ipſis Siculis tam perſuaſum eſt, vt animis eorum inſitum, atque innatam eſſe videatur. nã & natas eſſe has in his locis Deas, & fruges in ea terra repertas arbitrantur, & raptam eſſe Liberam, quam eandem Proſerpinam vocant, ex Eunenſium nemore: qui locus, quod in media eſt inſula ſitus, vmbilicus Siciliæ nominatur. Quam cum inueſtigare, & conquirere Ceres vellet, dicitur inflammaſſe tædas ijs ignibus qui ex Ætnæ vertice erumpunt: quas ſibi cum ipſa præferret, orbẽ omnium peragraſſe terrarum Enna autem, vbi ea, quæ dico, geſta eſſe memorantur, eſt loco præcelſo atq; edito, quo in ſummo eſt æquata agri planities, & aquæ perennes: tota vero omni aditu circumciſa atq; dirempta eſt. Quam circa lacus luciq; ſunt plurimi, & lectiſſimi flores omni tempore anni: locus vt ipſe raptum illum virginis, quẽ iam à pueris accepimus, declarare videatur. Etenim prope eſt ſpelunca quædam conuerſa ad Aquilonem, infinita altitudine, qua Ditem patrem ferũt repente cũ curru extitiſſe, abreptamq; ex eo loco virginem ſecum aſportaſſe: ac ſubito non longe à Syracuſis penetraſſe ſub terras, lacumq; repente in eo loco extitiſſe, vbi vſque ad hoc tempus Syracuſani feſtos dies anniuerſarios agunt, celeberrimo virorum mulierumque conuentu. Pauſanias tamen in Atticis ait locum fuiſſe apud Cephiſum amnẽ, cui nomen fuit Caprifico, vnde fama eſt cum rapta Proſerpina Orcum ad inferos deſcendiſſe. Idẽ in Corinthiacis inquit apud Chemarũ fluuium ſeptum fuiſſe è lapidib. vnde cum rapta Proſerpina Pluto ad ſubterranea deuenerit. Inde vero effectũ eſt, vt cum omnes è Sicilia raptam Proſerpinã putent, per Proſerpinã Siculi tanq̃ per familiare numen iurare cõſueuerint, vt eſt illud Ariſtophanis in Veſpis. ναὶ τὴν κόραν: Sane per Proſerpinam. Orpheus tamen in Argonauticis videtur ſignificaſſe Proſerpinã non in ſpecu à Plutone ſed ſuper mare latã fuiſſe, cum ita ſcribat:

*Ὥς ποτε Φερσεφόνην τέρεν' ἄνθεα χερσὶ δρέπουσαν.*
*ἐξαπάφον συνόμαιμοι ἀν' εὐρύ τε κῇ μέγα ἄλσος.*
*αὐτὰρ ἐπεί θ' ὥς μιν Πλοῦτος κυανότριχας ἵππους*
*ζευξάμενος ἠγέρην ἐπεσπήσατο δαίμονος αἴση,*
*ἁρπάξας δ' ἔφερεν διὰ κύματος ἀτρυγέτοιο.*
*Vt teneros olim carpens Proserpina flores*
*Sit patrui decepta dolo, & portata frequentes*
*Per syluas, vt iunxit equos sua sub iuga Pluto*
*Terrificos, celeres, rapta vt Proserpina vasti est*
*Per dorsum portata maris, perque aequoris vndas.*

Scriptum reliquit Sophoclis enarrator Proserpinā raptam fuisse a Plutone, cum narcissum colligeret, his verbis: *ὅτι πρὶν ἢ τὸν Πλούτωνα αὐτὴν ἁρπάσαι, τούτῳ ἐτέρπετο, συλλέγουσαν οὖν φασὶν αὐτὴν τὸν νάρκισσον ἁρπασθῆναι. Nam vel antequam raperetur à Plutone, eo delectabatur. Aiunt igitur ipsam cum narcissum colligeret, raptam fuisse.* Obtinuit deinde Proserpina propter multas matris lacrymas & lamentationes, vt eiulatus, & capillorum lacerationes, & plagae, quae in funere familiarum & carissimorum fierent, in eius honorem ederentur, tanquam quaedam sacrificia: quod ita expressit Euripides in Oreste:

*κτύπον τε κρατὸς ὃ ἔλαχ' ἀγαθὰ χθονὸς*
*νερτέρων Περσέφασσα καλλίπαις θεά.*
*Capitisque plagæ, pulchra, subterranea,*
*Sortita quas olim Dea est Proserpina.*

Quæ cum mortuorum esset Regina, dicti sunt omnes ab Horatio in Primo Carminum è Proserpina excipi in his:

*Mista senum ac iuuenum densantur funera nullum*
*Saeua caput Proserpina fugit.*

Cum rapta fuisset igitur Proserpina, ac Ceres eius mater ieiuna illam quæreret, ab Hippothoonte Neptuni & Alopes Cercyonis filio, & à Meganira eius vxore quam alij Celei vxorem fuisse tradiderunt, in hospitium fuit accepta. Tunc Meganira illi & mēsam parauit & vinum miscuit: at Dea mœrens recusauit, cum diceret sibi non fas esse bibere vinum in filiæ calamitate: at cinnum è farina sibi parari iussit, quem bibit. Erat Iambe muliercula quædam Meganiræ ancilla, vt tradidit Philochorus, Panos & Echus filia, quæ cum Deam mœstam videret, ridiculas narratiunculas, & sales Iambico metro, ad commouēdam Deam ad risum,

& ad ſedãdum dolorem, interponebat: quare genus id carminis non ante obſeruatum, Iambicum ab illa dictum fuit, vt teſtatur Nicander in Alexipharmacis:

*ἐμπλήδην κυκεῶνα πόροις ἐκ κύμβεσι πύξας.*
*νηστείρης Δηοῦς μορόεν ποτὸν ᾧ ποτὲ Δηὼ*
*λευκανίην ἔβρεξεν ἀν' ἄστυρον Ἱπποθόωντος*
*Θρηίσσης ἀθύρῃσιν ὑπαὶ ῥητῇσιν Ἰάμβης.*
*Ipſe mihi reple ſpumantia cymbia cinno,*
*Ieiunæ Cereris potu multa arte parato;*
*Quo Ceres os olim penes Hippothoonta rigauit,*
*Ludicris ſalibus cum lætaretur Iambes.*

Atque cum nuſquam Proſerpina inueniretur à Cerere, dicta eſt demum ab Arethuſa Nympha à Plutone rapta fuiſſe, & ad inferos deportata. Tum vero Iupiter roganti Cereri pro filia, & temeritatem fratris accuſanti, promiſit ſe facturum vt filia ſibi reſtitueretur, ſi ea conditione ad eam capiendam accederet, vt nihil eorum guſtaſſet, quæ forent apud inferos. Verum cum illa tria grana mali punici, vel nouem, vt alij maluerunt, ediſſet indice Aſcalapho, filiam liberam educere omnino non potuit. Verumtamen ad mitigandum Cereris dolorem ſtatuit Iupiter vt alterne ſex menſes apud maritum, totidemque cum matre degeret Proſerpina. ſic enim ab omnibus qui de Deorum antiquorum natura ſcripſere, memoriæ proditum eſt. Scriptum reliquit Theagenes & Apollodorus Cyrenaicus in libr. 1. de Dijs, Iouem ad placandam Proſerpinam, ipſi Siciliam donaſſe.

Idcirco fama eſt dedita de Syracuſis metropoli eius inſulæ, quod futura eſſet vrbs opulenta. cum enim Archias & Miſellus oraculum ſciſcitarentur de condendis vrbibus, reſponſum retulerunt:

*χώρας καὶ πόλιος οἰκήτορα λαὸν ἔχοντες*
*ἤλθετ' ἐρησόμενοι Φοῖβον τίνα γαῖαν ἵκησθε*
*ἀλλ' ἄγε δὴ φράζεσθ' ἀγαθῶν ποτερόν κεν ἕλοισθε*
*πλοῦτον ἔχειν κτεάνων ἢ τερπνοτάτην ὑγίειαν.*
*Ductores populi culturi mœnia & agros,*
*Quæritis è Phœbo quas terras præſtet adire,*
*Voluentes animis legite vtrum gratius horum,*
*Diuitias me magis vultis, terras ne ſalubres?*

Atque cum Myſcellus ſalubritatem, Archias diuitias potius elegiſſet,

elegiſſet, hic Syracuſas regiam ciuitatem Siciliæ, ille Crotonem multorum athletarum patriam condidit. Fama eſt Pirithoum ac Theſeum audita Proſerpinæ pulchritudine, illam rapturos ad inferos deſcendiſſe: quippe cum ita coniuraſſent, vt alter alteri in acquirenda muliere opem ferret, ac iactis ſortibus vtri prima obueniret, Theſeo rapta Helena contigit: Cum vero Pirithous in Proſerpinæ deſiderium incidiſſet, iureiurando aſtrictum habuit adiutorem Theſeum, qui ambo per Tænarum ad inferos deſcẽderunt. Illi cum ſuper petra quadam conſedißent inde cõſurgere non potuerunt, donec Hercules ad rapiendum Cerberum profectus, Theſeum, vt qui coactus eo acceſſerat, liberauit: ac Pirithoum ibi reliquit, quoniam conſulto ſe in ea pericula coniecerat. quam rem ita ſcripſit Apollonius in primo Argonauticorum.

*Θησέα δ' ὃς περὶ πάντας Ἐρεχθεΐδας ἐκέκαστο,*
*Ταιναρίην ἀΐδηλος ὑπὸ χθόνα δεσμὸς ἔρυκε*
*Πειρίθῳ ἑσπόμενον κεινὴν ὁδόν.*
*Theſea, Erechthidas inter clariſſimus omnes*
*Qui fuit, & celeber, duriſſima vincla tenebant*
*Tænaria ſub humo, quoniam comitatus euntem*
*Illuc Pirithoum fuerat.*

Et Virgilius lib. 6. ita de his querentem Charontẽ inducit:

*Nec vero Alcidem me ſum lætatus euntem*
*Accepiſſe lacu, nec Theſea, Pirithoumque;*
*Diis quanquam geniti, atque inuicti viribus eſſent.*
*Tartareum ille manu cuſtodem in vincla petiuit*
*Ipſius à ſolio regis, traxitque trementem:*
*Hi dominam Ditis thalamo deducere adorti.*

Proſerpinæ mos erat modo canes, modo nigras & ſteriles victimas immolari, quare ita ſcripſit Virgilius:

*——— ipſi atri velleris agnam*
*Æneas matri Eumenidum, magnaque ſorori*
*Enſe ferit, ſterilemque tibi Proſerpina vaccam.*

Hoc in loco nõ ſolum varios ritus ſacrorum, ſed etiã aliam eſſe Hecaten, aliam Proſerpinam obſeruare cõuenit: quoniam & Hecaten ſororẽ Eumenidum, & Proſerpinam poeta nominauit, cum huic agnam, illi vaccã ſterilem immolari dixit. Scripſit Pauſanias in Bœoticis Proſerpinam adhuc paruulam ad capiendum anſerem, quẽ inuita de manu

dimiserat, in cauernosum antrum ingressam, quo ansere à lapide sub quo se occultauerat retracto, statim fluuius ex eo loco emersit, qui fuit nominatus Hercynna. Fuit in agro Phocensi Proserpinæ Venatricis templum, & Soteræ siue Seruãtis siue Sospitæ apud Arcades; apud Philenses Primogeniæ. Nam & huius Deæ pro rerum euentis antiqui multa cognomina excogitarunt: atque cum fabulas huiusmodi ex historiis rerum verarum finxerint poetæ, tum multa ad ornatum & ad probabilitatem adiunxerunt. Scriptum reliquit Zezes historia 41. Chiliad. 2. Theseum in Molossorum regionẽ vna cum Pirithoo venisse, cuius regionis Rex dicebatur Aidoneus, vxor Ceres, filia Proserpina (nam mos fuit Molossorũ omnes formosas mulieres Proserpinas appellare) canemq; habebat Aidoneus eximiæ magnitudinis, qui Tricerberus vocabatur. Hi cum per insidias filiam Regis rapere conarentur, re patefacta in vincula coniecti sunt; atq; quoniã Pirithous autor illarum insidiarũ fuerat, Tricerbero piectus ab eo laniatur & voratur: Theseus quia nõ sponte, sed coactus & alieno ductu accesserat, in vinculis fuit retentus, donec Hercules eo ab Eurystheo missus ad abducendum Tricerberum, illum è vinculis liberauit.

¶ At nunc cur fabulas has finxerunt, explicemus. Cic. in lib. 2. de Nat. Deorũ vim omnem terrenam scribit esse Plutoni patri dedicatam: qui & Pluto & Dis ideo vocatus fuit, quod omnia & recidant in terras, & oriantur è terris. Is igitur rapuit Proserpinam, quam frugum semen esse volunt, absconditamq; quæri à matre fingunt. Illa Cereris filia nominatur, quia semina quæ iaciuntur, præteritis frugibus sunt exempta. At cur cum flores colligeret. fuit à Plutone rapta? aut cur narcissum præcipue colligens? quia per flores Siciliæ fertilitatem & aeris temperiem demonstrarunt scriptores: quippe cum in Sicilia per omnes prope mẽses anni flores esse cõsueuerint: sicut de Lusitania scripsit Athenæus libro 8. quod ibi rosæ ac violæ per maius spacium trium mensium deesse non consueuerunt. Præterea cum sub terra occultatur semen, tanquam spongia ad se nutrimentum attrahit, & impletur per hyemem, quod in radices trahitur: quippe cum a superiore frigore semen depressum excrescat in caput, radicesq; in loco tepidiore dilatet. Illud semen cũ impleatur nutrimento, in futuram æstatem semen colligit,

quare

quare colligens flores Proserpina sub terra detinetur à Plutone. At quo flores? Narcissum præcipue, quod nomen torporem & segnitiem significat. Non enim statim erumpit semen vbi nutrimentum collegit, ac florum materiam, sed in se cõtinet: donec anni tempore illud paulatim euocatur & in thyrsos diffunditur. Rapta esse dicitur in Sicilia, quod ea insula cæterarum omnium tritici feracissima sit, quæ etiam horreum fuisse dicitur Romanorum. Hæc ab Arethusa, quæ virtus est seminis, vt nomen ipsum significat, Cereri indicatur, quia apto tempore ab ipsa insita virtute expellitur. Hæc latet sex menses apud maritum, dum Sol in signis Australibus à semente fuerit, donec ad maturitatem fruges perducens ad Borealia paulatim redierit: tunc enim non amplius semen est sub terra per sex menses, sed in horreis agricolarum, & apud superos in locis editioribus. Dicta est vt quidam putarunt à Latinis à serpendo, quia semen per terram serpat. quam alii ita dictam existimarunt, quia Luna sit, & modo ad dexteram, modo ad sinistram declinet. Hæc filia est Iouis & Cereris, caloris scilicet ac terræ. quam tamẽ Lunã esse sensit Orpheus in hymnis, vt in his apparet.

*εὐφεγγὴς κερόεσσα μόνη θνητοῖσι ποθεινά,*
*εἰαρινὴ, λειμωνιάσι χαίρουσα πνοῇσιν,*
*ἱερὸν ἐκφαίνουσα δέμας βλαστοῖς χλοοκάρποις.*
*Splendida, sola viris optabilis, vneq; vernam*
*Ostentans faciem, cornutaq; frugibus almis,*
*Quæ sacrum corpus, monstras ridentibus agris.*

Qui igitur Lunam & Hecaten, & Proserpinam esse putarunt: vnam illam sex menses apud inferos esse alterne dixerunt, quia tantundem sub terra, quantum supra terram Luna in toto anno commoretur. Physici præterea ac Mythologi antiqui superius hemisphęrium, quod nos incolimus, Veneris appellatione coluerunt, inferius Proserpinam nominarunt: qua ratione Proserpinam à Plutone sub terram deportatam in fabulis tradiderunt, atque de Proserpina satis, nunc de Luna dicamus.

## *De Luna.* CAP. XVII.

At vero Lunam diuersam esse ab Hecate existimatam, diuersorum parentum ratio patefecit: cum Lunam alii Hyperionis filium esse crediderint, alii Pallantis cuiusdam

inter quos fuit Homerus, qui ita scripsit in hymno in Mercurium:

τάχα δ' ὄρθρος ἐγίγνετο δηιόωεργος.
ἡ δὲ νέον σκοπιὴν προσεβήσατο δῖα Σελήνη.
Πάλλαντος θυγάτηρ μεγαμηδείδαο ἄνακτος.
*Hinc Aurora tulit mortalibus orta labores,*
*Diuina ad speculum venit praesentia Luna,*
*Quae Megamedeo fuerat Pallante creata.*

At Hesiodus in Theogonia Lunam filiam fuisse Hyperionis & Thiae putauit, cum ita scribat:

Θεία δ' ἠέλιόν τε μέγαν, λαμπράν τε Σελήνην.
Ἠῶθ', ἣ πάντεσσιν ἐπιχθονίοισι φαείνει
ἀθανάτοις τε θεοῖς τοὶ οὐρανὸν εὐρὺν ἔχουσι,
γείναθ' ὑποδμηθεῖσ' Ὑπερίονος ἐν φιλότητι.
*Thia parit Solem magnum, Lunamq; nitentem.*
*Quae superis exorta viris quae lumina pandit:*
*Auroram, rebus reddit quae exorta colores,*
*Has parit amplexu coniuncta Hyperionis almi.*

Alii Solis filiam, at non sororem, fuisse crediderunt, vt testatur in his Euripides in Phoenissis:

ὦ λιπαροζώνου θύγατερ
Ἀελίου Σελαναία χρυσόκυκλον
φέγγος, ὡς ἀτρεμέα κέντρα
καὶ σώφρονα πώλοις μεταφέρων, ἰθύνει!
*O clarissimi filia*
*Solis Luna aurei circuli*
*Lumen: quam certos stimulos*
*Et prouidos pullis addens regit!*

Cum vero Luna lucem à Sole accipiat, eam & Phoeben nominarunt, vt Solem Phoebum, & in curru vehi finxerunt; vt scripsit Virgilius libro decimo:

*Iamq; dies coelo concesserat, almaq; curru*
*Noctiuaga Phoebe medium pulsabat Olympum.*

Quae cum in Delo insula nata fuisset, Delia vocata fuit. atque vt Sol quadrigis, ita Luna bigis vehi solita fuit, sicuti testatur in libro quinto rerum astronomicarum Marcus Manilius in his;

*Quadriiugis & Phoebus equis, & Delia bigis.*

Quem currum tamen alii a multo trahi finxerunt, alii ab

equis

equis discoloribus albo & nigro, alii à iuuencis: at Ouidius fuisse albos Lunæ equos inquit in lib. I. de Remedio amoris in his:

*Vt solet, in niueis Luna vehetur equis.*

At hymnographus Homerus ille, qui hymnum in Lunam scripsit, non solum in curru vehi solitam Lunam scribit: sed etiam poetica quadam suauitate vestes splendidas induere & exuere solitã inquit, cum vellet, quippe cum nunc lucida, nunc obscura sit pro vestiũ splẽdore, quam etiam in Oceano lauari inquit priusquam vestes sumeret, vt est in his:

*ἕστ' ἂν ἀπ' Ὠκεανοῖο λοεσσαμένη χρόα καλὸν,*
*εἵματα ἑσσαμένη τηλαυγέα δῖα σελήνη,*
*ζευξαμένη πώλους ἐριαύχενας αἰγλήεντας.*
*Rursus Atlanteis in lymphis membra lauata,*
*Vestibus induta & nitidis, Dea Luna micantes*
*Curru iunxit equos celeres, quibus ardua colla.*

Quidam tradiderunt Lunam fuisse vxorem Aëris, è quo Rorem filium conceperit ac genuerit, vt ait Alcman Melicus in eo carmine:

*Ἄρχουσι δρόσος αὔξει μὲν Μήνης τε καὶ Ἀέρος υἱός.*
*Aeris & Lunæ soboles Ros gramina nutrit.*

Fuerunt qui crediderint quoddam fuisse tempus, quo nondum nata esset Luna, quæ iunior esse Sole credebatur, cum vel Arcades ante illam nati fuisse putati sint illi, qui non procul ab Apidano incoluerunt, vt testatur Apollonius libro quarto Argonauticorum:

*οὐδέ τί πω Δαναῶν ἱερὸν γένος ἦεν ἀκοῦσαι*
*πευθομένοις. οἶοι δ' ἔσαν Ἀρκάδες Ἀπιδανῆες,*
*Ἀρκάδες οἳ καὶ πρόσθε Σεληναίης ὑδέονται*
*ζώειν φηγὸν ἔδοντες ἐν οὔρεσιν.*
*Nulli erat auditum Danaum genus. Apidanenses*
*Arcades at soli fuerant olim: Arcades illi,*
*Qui Lunam superare ferunt, et tempore & annis.*
*Cum glandes ederent dispersi in montibus altis.*

Nam Theodorus paulo ante bellũ quod ab Hercule aduersus Gigantes gestum est, Lunã apparuisse scribit libro vigesimo nono. Aristo Chius & Dionysius Chalcidẽsis in primo suæ ædificationis idem confirmarunt. At Mnaseas ait Proselenum Orchomeni filium Arcadibus imperasse: quod etiam affirmauit Duris Samius in libro quinto decimo rerũ

Macedonicarum, qui inquit Arcadiam ab sese, ac fluuium Orchomenum, à patre nominauisse, vnde & Mnaseas Arcades ante Lunam genitos fuisse dixit, vt scripsit Apollonii enarrator, qui etiam Arcades ipsos vocatos fuisse proselenos (quasi antelunares dixerim) ab Aristotele scripsit. Aiunt præterea Lunam ipsam esse cornutam, qualis Bacchus ab antiquis fingebatur, vt est in hymno Orphei:

*κλῦθι θεὰ βασίλεια φαεσφόρε δῖα Σελήνη,*
*ταυρόκερως Μήνη, νυκτιδρόμε, ἠεροφοῖτι.*
*Audi Luna Dea, & clarissima luminis autor,*
*Cornuta, & noctu incedens, quæ curris & alte.*

Quam eandem marem esse & fœminam putauit idem, vt est in eodem hymno:

*αὐξομένη, καὶ λειπομένη, θῆλύς τε καὶ ἄρσην.*
*Aucta, & deficiens; eadem quoq; fœmina masq;.*

Huic sagittas tribuerunt poëtæ, quam Cynthiam à monte Deli celeberrimo & altissimo appellarunt, quo in loco Diana & Apollo nati creduntur. atque Diana eadem est Luna, vt suo loco explicabitur. Sic igitur sagittas illi tribuit Horatius in tertio Carminum:

*Tu curua recines lyra*
*Latonam, & celeris spicula Cynthiæ*
*Summo carmine.*

Credita est Luna præesse veneficiis, quare inuocatur apud Theocritum in Pharmaceutria cum Hecate, quas diuersas fuisse existimatas constat, cum vtraque inuocetur. Hanc crediderunt è cœlo magicis artibus deduci. Quippe cum antiquæ veneficæ mulieres putarentur Solem, Lunamque abolere, & ad Democriti vsque tempora vulgo Solis Lunæq; defectus abolitiones appellauerint: quod facile colligi potest ex his carminibus Sosiphanis, quæ sunt in Meleagro:

*μάγοις ἐπῳδαῖς πᾶσα Θεσσαλὶς κόρη*
*[πάντες λέγουσιν ὡς] σελήνην καταιρεῖ καὶ γὰρ αἰ-*
*ψευδὴς Σελήνης αἰθέρος καταιβάτις.*
*Quæuis puella Thessalorum carmine, vt*
*Ferunt, abolet. Sed illa vana fama, quod*
*Labatur alto Luna puro ex æthere.*

Et velut illud carmen octauæ Æglogæ Virgilius declarat:

*Carmina vel cœlo possunt deducere Lunam.*

Atque Thessalæ mulieres præcipue illam artem callere, & in ea excellere putabantur, vt innuit Aristophanes in Nebulis his versibus:

*γυναῖκα φαρμακίδ᾽ εἰ πριάμενος Θετταλὴν,*
*καθέλοιμι νύκτωρ τὴν Σελήνην.*
*Veneficam si fœminam ipse Thessalam*
*Coemero, captabo Lunam noctibus.*

Inde vero natam fuisse hanc opinionem scripserũt antiqui quod specula quædam rotunda ita parabãtur, vt in his Luna omnino appareret è cœlo deducta. Atq; Pythagoræ ludicrum fuit quoddam Luna plena existente. vt quis in speculo quodam sanguine quæcunq; collibuisset, scriberet: atq; alteri prædicens à tergo illi assisteret, ea quæ scripsisset, Lunæ ostentans: atq; ille deinde intenta acie oculorum in Lunã vniuersa quæ forẽt in speculo scripta perlegeret, tanquã in Luna scripta fuissent. Inde existimo artificium Cornelii Agrippæ originẽ cœpisse, qui in occulta philosophia videtur rationem quandam attingere, vt qui maxime à nobis distant, possint quæ volumus in Luna descripta perlegere. Id eo tempore cõtigisse mihi narratum est, quo Franciscus præstãtissimus Gallorum Rex bellum gerebat pro Mediolanensi principatu aduersus Carolum V. Rom. Imp. vbi rediit Mediolanum. nam Roma in Insubriam inde Venetias paruulus accessi cum patre, quo accidit vt plerique me Venetum esse crediderint. Nam non semel quæ per diem agerentur Mediolani, per noctem significata fuisse dicuntur Parisiis. Existimabantur igitur venef[i]ciorum scientia præstare Thessalæ mulieres, quod esse[nt] rerum Astronomicarum peritæ: atque inter cœteras Aglaonice Thessalorum Regis filia hac scientia præstitisse dicitur, quæ quoties immineret Lunæ defectus, se velle Lunam è cœlo detrahere profitebatur. At enim quia multitudinem imperitorum deciperet, cum Deus nullam fraudem impune committi denique patiatur, in grauissimas calamitates incidit, quare id postea vsurpatum fuit apud posteros, vt cum quis ageret infœliciter, Lunam detrahere diceretur. Primus omnium mortalium ausus est Anaxagoras Lunæ defectum hominibus patefacere, vt scripsit Laertius Diogenes in eius vita: primusque illius vitam aperuit, cum antea Solis quidem defectum nemo admiraretur, cum scirent o-

mnes id interposito Lunæ corpore ita contingere: at Lunæ defectorum aliquam grauissimam calamitatẽ minari arbitrarentur. Nam cuius causa esset ignota, id diuinitus fieri semper putatum fuit ab antiquis: & de his rebus non t[illegible] fuit Philosophis verba facere: cum potius ad contemnendas vanas religiones, quam ad illustrandam veritatem dicere crederentur, vt ait Plutarchus in Nicia. Anaxagoras vero spretis falsarum religionum minis primus declarauit, quod terra inter duos præstantiores planetas interposita, vmbram tanquam pyramidem facit, cuius basis sit in planitie, dorsoq; ipsius terræ, conus vero vel ita extendatur vt Lunæ regionem pertranseat. Non defuerunt tamen qui à Typhone, qui ab Endimione, & qui ab Atlante Lunæ circuitum & mutationes prius obseruatas fuisse putarint, inter quos fuit Anaxagoras. Vbi fuerint oppositi isti planetæ, ita, vt alterius centrum centro alterius ac centro terræ per rectam lineam opponatur, tunc Luna incidens in vmbram tota occultatur, ac deficit repente illius lumen, cum nequeat tanquam speculum lumen ab eo accipere. At cum centra vtriusque planetæ non opponuntur, tanto minus obscuratur, quanto magis centrum eius à linea recta distiterit alterius. Quantus esset antiquorum timor, quantaq; trepidatio cum Luna deficeret, declarauit Plutarchus ita in Paulo Æmilio: *αἰφνίδιον ἡ σελήνη πλήρης οὖσα καὶ μετέωρος ἐμελαίνετο. καὶ τοῦ φωτὸς ἀπολιπόντος αὐτήν, χρόας ἀμείψασα παντοδαπὰς, ἠφανίσθη. τῶν δὲ Ῥωμαίων (ὥσπερ ἐστὶ νενομισμένον) χαλκοῦ τε πατάγοις ἀνακαλουμένων τὸ φῶς αὐτῆς, καὶ πυρὰ πολλὰ δαλοῖς καὶ δᾳσὶν ἀνισχόντων πρὸς τὸν οὐρανὸν, οὐδὲν ὅμοιον ἔπραττον οἱ Μακεδόνες. ἀλλὰ φρίκη καὶ θάμβος τὸ στρατόπεδον κατεῖχεν.* *Repente vero Luna cum plena esset & sublimis, facta est obscura: luminéq; deficiente multiplicibus mutatis coloribus euanuit. Romanis (sicut est apud eos consuetudo) æris tinnitu lumen reuocantibus, ignesque multos, & faces, & tædas in cœlum prætendentibus nihil simile fecerant Macedones: sed timor & trepidatio multa vniuersum habuit exercitum.* Atque Nicias dux Atheniensium ab hostibus circumuentus tanta trepidatione repletus est Luna deficiente, vt iussis suis à prælio abstinere cum quadraginta millibus hominum fuerit trucidatus, vt ait Plutarchus in libello de superstitione. Existimabant enim antiqui æris tinnitu & luminibus alte subla-

ſublatis Lunæ lumen in defectibus adiuuari: quare & Ouidius in libro 4. mutationum æra Lunæ auxiliaria dixit, quę pulſarentur.

*Cum fruſtra reſonant æra auxiliaria Lunæ.*

Alii tubarum ſtrepitu, muſicorumq; inſtrumentorum Lunæ lumen reuocâre conabantur, quod ita ſcribit Cornelius Tacitus in libro primo: Igitur æris ſono, tubarumque & cornuum concentu ſtrepere: prout ſplendidior obſcuriorve, lætari ac mœrere: & poſtquam ortæ nubes offecere viſui, creditumque conditam tenebris, vt ſunt mobiles ad ſuperſtitionem perculſæ ſemel mentes, ſibi æternum laborem portendi, ſua facinora auerſari Deos lamentabantur. Arbitrabantur enim antiqui non ſolum in defectu Lunæ, ſed etiam in morte pereuntium vtilem eſſe æris tinnitum, quoniam purus eſſet, & cui nullum piaculum poſſet accedere; qua de cauſa in omnibus luſtrationibus & expiationibus illo vtebantur, quod ſcriptum fuit ab Apollodoro Cyrenaico in libro de Diis. Eximias eſſe vires Lunæ ſupra omnes planetas fere vno Sole excepto, facile ſentimus, quãuis magnitudine corporis ſit illis inferior: Luna enim, vt oſtendunt Mathematici, vix maior eſt dimidia parte terræ: cum alia ſidera conſpicua maiora vniuerſa terra eſſe dicantur. Neque ſolum illius forma mutatur tum creſcendo, tum ad initia recurrendo: ſed etiam regio, cum modo ad Aquilonem, modo ad Auſtrum declinet à circulo animalium; atque in illa modo eſt quædam brumæ, modo ſolſtitii ſimilitudo. Multa denique ab illa manant & fluunt quibus animantes alantur, & augeſcant, pubeſcant, & maturitatem aſſequantur, quæ oriuntur è terra. Idcirco Chaldæi dicere ſolebant Lunam ortus naſcentium moderari, cum ſidera norent & animaduertant ea quæ Lunæ fuerint adiuncta. Sed carmina quædam huc aſcribenda putaui: quibus vniuerſa prope Lunæ natura in omnibus mutationibus explicatur:

ἐμοὶ τὸ λοιπὸν χρώμενος διδασκάλῳ
ἄκουε λεπτῶς τὴν σεληναίαν φύσιν,
φύσεις ἁπάντων τῶν χρόνων κληρουμένην.
ὑγρὰ μὲν ἐστι δίχα τῆς πρώτης μέχρι,
τὴν βρεφικὴν αὔξησιν ἐκμιμουμένη.
θερμὴ δὲ, πανσέληνον ἂν τρέχῃ δρόμον,

ἀκμαστικὴ γὰρ καὶ σφριγᾶν δοκεῖ τότε.
ἔπειτα λοιπὸν εἰς διχάδα δ' αὖ τέμνεται,
ξηρά τε πάντη. πρὸς παρακμὴν γὰρ τρέχει.
ἔπειτα γηρᾷ, καὶ δοκεῖ τεθνηκέναι,
ψυχρὰ δυσειδὴς συγκρυβεῖσα τῷ γνόφῳ.
κᾆν ἐξ ἀδήλου πάλιν ἔρχεται νέα.
πρόσωπα καλλαίνουσα καὶ πληρουμένη,
ταῦτ' ἐστὶ μὲν οὕτως· εἰ δέ τις πλείω γράφει,
κόμπος περισσὸς, καὶ κενὴ στωμυλία.
*In posterum me vsus magistro discito*
*Natura Lunæ quæ sit apto: hæc omnium*
*Vim continet succorum, & hæc potentiam.*
*Est vda primum, donec illa creuerit,*
*Infantibus prorsusq; sit simillima*
*Tepens at inde plena cursum perficit,*
*Vigere tum videtur, esse & florida.*
*Decrescere vt cœpit deinde, mox die*
*Vigesima remissus acta fit vigor,*
*Aretq; sensim. longa nec hic fit mora,*
*Senescit illa, mox videtur emori*
*Deformis, algens, atque operta nubibus,*
*Rursusque fit noua hæc prius qua nulla erat,*
*Vultu decoro prodit, & repletur hinc.*
*Hæc sic habent. Si plura quis dicat tibi,*
*Nugas loquaces credito, atque fabulas.*

Has autem mutationes sortita est Luna pro situ quem tenet Solem respiciens: nam cum semper Lunæ dimidium illustretur, accipit in coniunctionibus eam Lunæ partem illustrari, quæ superior est, nec nobis conspicua: quæ semper prope cum Sole supra terram consurgit. Illud autem longe aliter se habet in plenilunio, cum sola pars nobis conspicua illustretur, Solique opponatur, quippe cum media sit nox vbi ad cœli medium peruenerit. Hæc autem tanto magis vel minus cõtingunt, quanto magis Luna vel minus recesserit à Sole. Cum vero corpus Lunæ nõ sit ex aliqua materia densa vt terra est, aut ex ea cõposita, mirũ videtur cur Xenophanes adductus sit, vt in Luna habitari dixerit, eãq; locum esse multarum vrbium. Ego sane illam causam fuisse censeo, cur is eam sententiam introduxerit: quia sicut in frequentissimis ciuitatib. multi sunt rerũ nouarum cupidi,

ita in philosophia contingit: nonnulli enim ne nihil scisse videantur, aliqua noua monstra in philosophiam introducunt, vt alicuius rei inuentores fuisse appareant. Sic etiam Nicetas Syracusius cœlum, Solem, Lunam, Stellas, supera deniq; omnia stare dixit, neque quicquam super terram in mundo moueri: qua circa axem suum versa omnia illa contingere dicebat, quæ si cælum stante terra moueretur contingerent, vt testatur etiam Cic. in 2. quæst. Acad. & Ptolemæus in 1. Almagesti. Multæ fuerunt fabulæ de Luna fictæ, quod dormientē Endimionem in Latmo Cariæ mōte adamarit, & cū eo concubuerit, vt in his significauit Catullus:

*Vt Triuiam furtim sub Latmia saxa relegans,*
*Dulcis amor gyro deuocet aerio.*

Sic Ouid. in ea epist. quam scribit ad Heronem Leander:

*Luna mihi lumen tremulum præbebat eunti,*
*Vt omnes in nostras officiosa vias.*
*Hanc ego suscipiens, Faueas ô candida dixi,*
*Et subeant animo Latmia saxa tuo.*
*Non sinit Endymion te pectoris esse seueri.*

Et quod Panos amore in arietem versi capta fuit, vt significauit Virg. lib. 3. Georgicorum:

*Munere sic niueo lanæ [si credere dignum est]*
*Pan Deus Arcadiæ captam te luna fefellit.*
*In nemora alta vocans: nec tu aspernata vocantem.*

Memoriæ prodidit Thianus Cretensis in libro 13. Heracleę Lunam cum Endymione dormiuisse in montib. apud Trachinem. Atque Nicander in rebus Ætolis montes illos vocatos fuisse Aselenos ait, quia Lunæ lumine per id tempus carere consueuerint, quo Luna dormiret cum Endymione. Scriptum reliquit Pausanias in Eliacis, Endymionem filias quinquaginta ex ipsa Luna suscepisse. Ac præter cæteros mares Ætolum, qui cæso per imprudentiam Chęrone Cleodori filio in Hyantim profugit, quæ postea ab ipso vocata fuit Ætolia, vt testatur Antigonus Carystius in Dictionibus. Lunæ & Dionyso mos erat sues immolari apud Ægyptios: vt ait Herodotus in Euterpe: τοῖσι μὲν νῦν ἄλλοισι θεοῖσι θύειν ὗς οὐ δικαιεῦσι Αἰγύπτιοι Σελήνῃ δὲ καὶ Διονύσῳ μούνοισι τοῦ αὐτοῦ χρόνῳ τῇ αὐτῇ πανσελήνῳ τοὺς ὗς θύσαντες, πατέονται τῶν κρεῶν. *Cæteris quidem Diis sues immolare nefas esse putant Ægyptij: at Soli, Lunæ & Dionyso eodem tempore, in ipso*

*plenilunio, scilicet sues mactantes, carnes conculcant pedibus,* quo in loco ritus multiplex sacrorum, in quibus sues immolabantur apud Ægyptios, ostendit Herodotus. Erat tamen consuetudo apud alias nationes, vt nulli Deorum, nisi Cereri, sus immolaretur: cum Lunæ, cum haberet cornua, taurus mactaretur, vt ait Lactantius in libro de falsa religione.

¶ Ac de his quæ fabulose de Luna dicta fuerunt, satis dictum est: nunc ex illis sententiam sapientum explanemus. Hæc filia fuisse Hyperionis, quoniam super nos assiduo & celerrimo motu conuoluantur superna corpora, dicta fuit. Alij non ab etymologia nominis, sed ab Hyperione viro rē deductam arbitrati sunt, quia primus Hyperion astrorum motus obseruauerit: qui etiam pater astrorum vocatus fuit, & Lunæ, Solisque præcipue. quod ita Homerus videtur significasse in 1. Odyss.

*αὐτῶν γὰρ σφετέρῃσιν ἀτασθαλίῃσιν ὄλοντο*
*νήπιοι, οἳ κατὰ βοῦς ὑπερίονος Ἠελίοιο ἤσθιον.*
*Stultitia periere sua, quod cædere adorti,*
*Quod Solis mactare boues Hyperionis ausi.*

Cum lumen à Sole accipiat, Solis filia dicta est. At eadem soror, quod ex Hyperione cū Sole nata creditur, vel quod eodem tempore nata sit ab eodem parente creatore rerum omnium Deo, vel quod illi Sol tanquam sorori lumen impertiat, vel quod fraterne tempora inter se diuiserint, cum Luna nocti, Sol diei moderetur. nam cum Sol per se sit lucidus, Luna nullum habet proprium lumen, sed tanquam speculum corpus diaphanes existens receptum à Sole lumē ad terram trāsmittit. Dicta est in curru vehi, propter celeritatem, quam sine vehiculo vulgus intelligere non poterat, quod etiam attinet non mediocriter ad orationem poeticæ exornandam. Quod vestes indueret variorum colorum, id excogitatum fuit ad explicandas multiplices mutationes: quodque in Oceano lauaretur, dictum est ad opinionem vulgi, cum tantundem vndique distet à terra & ab aquis. Illud sane ridiculum est fuisse aliquod tempus, cum Luna non esset, neq; tamen vllum vel architectum, vel ferramēta proferri, vnde Luna fabricari cœperit. Ad exprimēdā Lunæ naturā siue ingeniū multorum mortaliū, qui mutantur in horas, fabulati sunt antiqui Lunā orauisse matrē

vt

vti sibi aptam tunicam contexeret, quæ respondit nulla ratione istud fieri posse, cum nunc plena sit, nunc in cornua curuata, nunc vtrinq; gibba; quare modo crescenti tunica disrumperetur, modo decideret è gracili corpore. Fuit eadem Lucina dicta, quia Luna per incrementum humorum semiplena faciliorem reddit nixum, atque partum euocat in lucem. quamobrem scite ait Timotheus:

*Διὰ κυάνεον πόλον ἄστρων*
*Διὰ τ' ὠκυτόκοιο σελάνας.*
*Per & cæruleum polum astrorum,*
*Per & citipara Lunæ.*

Huic filiam natam esse memorant antiqui Ersam nomine quam è Ioue conceperit sic. n. ros dicitur à Græcis, qui pro Lunæ potẽtia variatur. vnde nõ insuauiter scripsit Alcman:

*οἷα Διὸς θυγάτηρ Ἔρσα τρέφει ἤτε Σελάνας.*
*Ros Iouis & Lunæ vt soboles gratissima nutrit.*

Hæc eadem mas & fœmina putata est, quia humorem & nutrimentum prębent animantibus, & quia maris vice nocturnum præbeat calorem, quo plurima ad putredinem & ad generationem adiuuantur: vt ait Ptolomæus in magna compositione. quare illi sacrificabatur à maribus veste muliebri: à mulieribus virili indutis, vt scripsit Philochorus. Deinde sagittas Lunæ tribuerunt antiqui vel propter radios, quos ad corruptionem demittit, vel propter dolores parientium: cum illi non valde sint dissimiles doloribus vulnerum, acerbitatem eorum exprimentes. Hanc idcirco parturientes ad leuandos dolores inuocabant, vt infantes facilius in lucem ederentur, Lucinam nominantes: atque cum vna esset, varia nomina pro variis facultatibus sortiebatur. Credita est plurimum conferre veneficiis, quoniam multæ sunt admirabiles planetarum vires certo quodam ordine collocatorum. Nam alia vis est oppositorum, alia coniunctorum, alia in regionibus alijs existentium planetarum, cum per tertiam vel quartam vel sextam partem circuli distiterint. Neque hoc mirum videbitur si quis cognouerit Mercurium Trismegistum in statuas certo ordine collocatas certis magnitudinum rationibus seruatis dęmones solitum accire, ita vt illæ mox loquerentur. At quoniam eadem est etiam Diana vocata, nunc de Diana verba faciamus.

## De Diana. CAP. XVIII.

CVM eadem Luna sit, & Hecate, & Diana, tamen non omnes hæ vires, quæ per has intelliguntur, vno nomine dicuntur, etsi ab vno fonte manant. Cum enim Hecate nūc Iouis, nunc Aristæi, nunc Tartari, nunc Persæ filia dicatur: Luna modo Hyperionis, modo Pallantis: quod illa sit fatorum vis a Deo proficiscens, vt diximus; hæc velocissimus sit planeta, cuius multiplex est potentia in rebus inferioribus, quæ quoniam maxime remouetur à vi primi motus, maxime sua natura vtitur. Hanc eandem esse Hecaten patefecit Callimachus in hymno in Dianam, qui illam Pheræam nominauit, cuiatem fuisse Hecaten constat, vt est in his:

*πότνια μουνυχίη, λιμενοσκόπε χαῖρε Φεραίη.*

*Salue Munychia, & portus tutela, Pheræa.*

Hanc filiam fuisse Latonæ Cœique Titani constat, quam Nicander in Theriacis ita Titanidem nominauit:

*τὸν δὲ χαλαζήεντα κόρη Τιτηνὶς ἀνῆκε*
*σκορπίον ἐκ κέντροιο τεθηγμένον, ἦμος ἐπίχεν,*
*Βοιωτῷ τ' ἐύχευσα κακὸν μόρον Ὠρίωνι.*

*Grandine signatum Titanis at inde puella*
*Scorpion immisit, qui cuspide surgat acuta,*
*Bœoto meditata necem vt fuit Orioni.*

Alij ex Ioue & Latona natam esse dixerunt, de qua ita scripsit Cicero in tertio de natura Deorum: Dianæ item plures: Prima Iouis & Proserpinæ, quæ pinnatum Cupidinem genuisse dicitur: Secunda notior, quam Ioue tertio & Latona natam accepimus: Tertiæ pater Vpis traditur, Glauce mater: eam Græci sæpe Vpim paterno nomine appellant. Inter has omnes Iouis filia celeberrima fuit, quare omnia cæterarum illi vni tribuuntur à poetis. Hanc Deliam nominarunt, quia nata sit in Delo, sic enim vocauit Ouid. in Phædræ epist. ad Hippolytum:

*Iam mihi prima Dea est, arcu præsignis adunco*
*Delia, iudicium subsequar ipsa tuum.*

Hanc nō solum Iouis filiam, sed etiam *χθονίαν* vocauit Orpheus in hymnis siue terrestrem, vt dictum est de Hecate. Hāc eandem Lunam esse demōstrauit in his Virgilius lib. 9.

*Suspiciens altam Lunam sic voce precatur:*
*Tu Dea, tu præsens nostro succurre labori*

*Astrorum decus, & nemorum Latonia custos.*

Sic Ouid. lib. 15. Metamorph.

*Nec par, aut eadem nocturna forma Dianæ*
*Esse potest vnquam, semperque hodierna sequente,*
*Sic crescit minor; si contrahit orbem.*

Sic Cicero in secundo de natura Deorum: Dianam autem & Lunam eandem esse putant. Hæc cum nata esset ante Apollinem, at eodē tamen partu: obstetricis munere postea apud matrem est functa nascente Apolline. Quod autē illa quæ Iouis & Latonæ filia fuit, fuerit celeberrima, patet vel ex eo hymno Homeri, qui ita se habet in Apollinem:

χαῖρε μάκαιρ' ὦ Λητοῖ ἐπεὶ τέκες ἀγλαὰ τέκνα,
Ἀπόλλωνά τ' ἄνακτα, καὶ Ἄρτεμιν ἰοχέαιραν·
τὴν μὲν ἐν Ὀρτυγίῃ, τὸν δὲ κραναῇ ἐνὶ Δήλῳ.

*Salue Latona: vt peperisti pignora clara.*
*Venatrix Diana tua est, & clarus Apollo.*
*Edita in Ortygia hæc, in Delo est ortus Apollo.*

Et Cornelius Tacitus in lib. 3. Primi omnium Ephesij adiere memorantes, non vt vulgus crederet, Dianam atq; Apollinem in Delo genitos esse; apud se Cenchrium amnem, locum Ortygiam, vbi Latonam partu grauidam, & oleæ quæ tum etiam maneat adnixam, edidisse ea numina; Deorumq; monitu sacratū nemus, atque ipsum illic Apollinem post interfectos Cyclopas Iouis iram vitauisse. Hanc Cereris & Dionysi & ipsam & Apollinem fuisse filios scribit Herodotus ex Ægyptiorū sententia, ac Latona fertur illorum fuisse nutrix, vt patet in his: Ἀπόλλωνα δὲ καὶ Ἄρτεμιν Διονύσου καὶ Ἴσιος λέγουσιν εἶναι παῖδας, Λητὼ δὲ τροφὸν αὐτοῖσι καὶ σώτειραν γενέσθαι. *Apollinem vero & Dianam Dionysi & Isidis filios esse inquiunt: at Latonam eorum nutricem & seruatricem fuisse asserunt.* quam opinionem secutum postea Æschylum inquit Herodotus Dianam Cereris filiam appellasse, cum Ceres dicta sit Isis ab Ægyptijs, vt testatur Pausanias. in Arcadicis. Alij Cœi Titanis & Phœbes filiam putarunt. Cū mares omnes Diana auersaretur, quia viderat quæ passa erat mater, cum obstetricata est, impetrauit à patre Ioue vt perpetuam virginitatem seruare posset, vt apparet ex his Callimachi carminibus:

Δός μοι παρθενίην αἰώνιον ἄππα φυλάσσειν.

*Da mihi perpetuo vt sim virgo, da pater alme.*

Arcus prętereà & sagittas & puellas socias sexaginta Oceaninas, & alias viginti, quæ illi arcus cothurnosque & canes curarent Iupiter postulanti tribuit; deditque venationibus præesse, & viis, & portubus? quod patet ex his apud Callimachum:

—— καὶ μὲν ἀγυιαῖς
ἔσσῃ καὶ λιμένεσσιν ἐπίσκοπος.
*Nam præfecta viis & portubus ipsa fereris.*

Quæ quoniam venationibus delectaretur, Dictynna vocata fuit à retibus: nam δίκτυον rete est apud Gręcos. Sic enim illam nominari inquit à nymphis Callimachus in lauacrum Dianæ, & Ouidius lib 2. mutationum.

*Ecce suo comitata choro Dictynna per altum*
*Mænalon ingrediens, & cæde superba ferarum, Aspicit hanc.*

Cuius etiam cognomen fuit ἰοχέαιρα apud Græcos, quia sagittis delectaretur quibus insectaretur feras, vt eam nominauit Hesiodus in Theog.

Λητὼ δ' Ἀπόλλωνα, καὶ Ἄρτεμιν ἰοχέαιραν,
ἱμερόεντα γόνον περὶ πάντων οὐρανιώνων,
γείνατ' ἄρ, αἰγιόχοιο Διὸς φιλότητι μιγεῖσα.
*Nascitur hinc Phœbus, gaudensque Diana sagittis.*
*Pignora Latonæ, peperit clarissima Diuum.*
*Hæc Latona Ioui magno coniuncta in amore.*

Fabulantur hanc per imprudentiam venando, Cenchriam Pirenes nymphæ filiũ interemisse, quare cum Pirene eum lugeret, tantam vim lacrymarum profudisse, vt in fontem sui nominis sit conuersa. Cur venationibus præfecta credita sit Diana, causa huiusmodi ab antiquis memoratur: Nympha quædam Britomartis, vel (vt alij maluerunt) Britomartys, cum venaretur, in quædam retia cecidit. vnde cum se explicare non posset fera superueniente præcipue, Dianæ sacellum vouit si incolumis euaderet, quod postea erexit, & Dianæ Dictynnæ ab iis retibus nominauit. vnde dicta est postea venantibus præfecta Dea, vt scripsit Dicæarchus, & Aristophanis enarrator. Alij tamen maluerunt Dianam ipsam venationibus præfectam fuisse; quod venationibus mirum in modum delectaretur, quare eius imagini semper arcus adhiberi solitus fuit, vt scripsit Melanthus in libro de imaginibus Deorum. alij dicunt Britomartim Iouis & Charmes filiam charissimam fuisse Dianæ ob venan-

venandi studium, quæ cum Minoem insequentem fugeret, præ amore se in mare deiecit in retia, quæ ad capiendos pisces erãt in mare demissa, & à Diana in Deorum numerum delatam. Dictynnæ & Alpheiæ nomine culta est ab Æginetis & à Cretensibus vt ait Apollodorus Cyrenaicus in libro de Diis. Hæc eadem Dea choris, & musicis instrumentis delectari solita creditur, vt ait Hom. in hymno in Venerem:

*οὐδέ ποτ' Ἀρτέμιδα χρυσηλάκατον κελαδεινὴν*
*δάμναται ἐν φιλότητι φιλομμειδὴς Ἀφροδίτη.*
*καὶ γὰρ τῇ ἅδε τόξα, καὶ οὔρεσι θῆρας ἐναίρειν,*
*φόρμιγγές τε χοροί τε, διαπρύσιοί τ' ὀλολυγαὶ,*
*ἄλσεά τε σκιόεντα δικαίων τε πτόλις ἀνδρῶν.*
*Dianæ haud potuit mentem peruincere amore*
*Alma Venus, quam circumstant risusque iocique.*
*Huic arcus placuere, feras & cadere syluis;*
*Huic Citharæ atque chori, clamor concinnus; & vrbes*
*Iustorum huic hominum, vmbrosa super omnia sylua.*

Cum virginitatem perpetuã seruare, viis ac portubus præesse, à tot nymphis sociis obseruari impetrasset à Ioue, in syluis perpetuo fere degebat, vt marium cõsuetudinem deuitaret: quare venatrix dicta est, & nemorum atq; montium custos existimata est; vt ait Horat. lib. 3. Carminum:

*Montium custos nemorumque virgo;*
*Quæ laborantes vtero puellas*
*Ter vocata audis, adimisque letho*
*Diua triformis.*

Et Virgil. lib. 11.

*Alma tibi hanc nemorum cultrix Latonia virgo.*

Præfecta fuit præterea parturientibus, vt intelligeret quantum malorum cumulum deuitasset, cum virginitatem expetiuit: vt licet ex his Callimachi versibus intelligere, vbi se nunquam in vrbem adituram dicit, nisi cum à parturientibus vocabitur:

*——— πόλεσιν δ' ἐπιμίξομαι ἀνδρῶν*
*μοῦνον ὅτ' ὀξείῃσιν ὑπ' ὠδίνεσσι γυναῖκες*
*τειρόμεναι καλέουσι βοηθόον.*
*Vrbes accedam solum, ac sub tecta virorum,*
*Pressa dolore graui nisi cum me fœmina partus*
*Auxilio arcesset.*

Multiplex deniq; officium fuit Dianę, quippe cum virgines

pertæsæ iam virginitatis, vt eius Deæ, cuius hactenus in tutela fuissent, iram deuitarent, consueuerint in canistris sacrificia ad Deæ templum deportare, eius numinis, veniam postulantes, quod à Græcis κανηφορεῖν dicebatur. neq; eos canistros, nisi illæ ferebant, quæ ad nubilem ætatem peruenissent, de qua consuetudine meminit Theocritus in Pharmaceutria. Deinde cum ita vterus excreuisset grauidis puellis, vt sueta zona vti amplius non possent, eam zonam mos fuit in templo Dianæ λυσιζώνου cognomento zonam soluẽtis scilicet, quod fuit apud Athenienses, deponere. quare postea dictum est zonam soluere, pro eo quod est grauidam fieri, quod patet ex his carminibus Apollonij lib. 1.

*μίτρην πρώτον ἔλυσα καὶ ὕστατον, ἔξοχα γάρ μοι*
*Εἰλείθυια θεὰ πολέος ἐμέγηρε τόκοιο*
*Prima soluta mihi est postremaque Zona, quod ipsa*
*Inuidit multos natos Lucina misella.*

Eam vero dicandæ zonæ consuetudinem, vt Veneri coronas ob nuptias. ita significauit Agathias in his carminibus:

*τῇ Παφίῃ στεφάνους, τῇ Παλλάδι τὴν πλοκαμῖδα,*
*Ἀρτέμιδι ζώνην ἄνθετο Καλλιρόη.*
*εὕρετο γὰρ μνηστῆρα, τὸν ἤθελε, καὶ λάχεν ἥβην*
*σώφρονα, καὶ τεκέων ἄρσεν ἔτικτε γένος.*
*Minerua crines posuit, Venerique corollas,*
*Diana Zonam candida Callirhoe.*
*Nacta procum fuit hæc, quem tota mente petebat,*
*Atque maris mater facta fuit generis.*

Cum igitur obstetricis munere fungeretur, dicta est à Græcis Εἰλείθυια, à Latinis, Lucina, quia nascentia omnia in lucem euocaret. Cum vero venatum exiret, quo cultu corporis vteretur, expressum est in illo Epigrammate:

*Ἄρτεμι, ποῦ σοι τόξα, παραχειρίη τε φαρέτρη;*
*ποῦ δὲ λυκαστείων ἐνδρομὶς ἀρβυλίδων;*
*πόρπη τε χρυσοῖο τετυγμένη, ἠδὲ πέπλος ἄκρην*
*ἰγνύην φοίνιξ πέπλος ἑλισσόμενος;*
*κεῖνα μὲν εἰς ἄγρην ὁπλίζομαι· εἰς δὲ θυηλὰς*
*εἶμ' αὔτως. ἱερῶν αὐτομένη θυέων.*
*Arcus vbi Dianæ iacet, vel plena pharetra?*
*At vbi Cretensis endromis arbylidis?*
*Fibulaque ex auro fucataque matrice vestis,*
*Qua solita est summi populi ora tegi?*

Arma

*Arma ea sunt prædæ: sed cum mihi sacra parantur,*
*Vt cernis, læta ad pocula inermis eo.*

Huic Deæ currum aureum a ceruabus candidis tractum tribuerunt antiqui, vt ait in his Callimachus:

Ἄρτεμι παρθενίη Τιτυοκτόνε χρύσεα μέν τοι
ἔντεα καὶ ζώνη χρύσεον δ' ἐζεύξαο δίφρον
ἐν δ' ἐβάλευ χρύσεια θεὰ κεμάδεσσι χαλινά.

*Aurea nam domitrix Tityi sunt arma Diana*
*Cuncta tibi, & zona, & iuga quæ ceruicibus aurea*
*Ceruarum imponis currum cum ducis ad aureum.*

Credita est Diana fuisse piscatoribus etiam præfecta, sicuti testatur in his Apollonidas:

τρίγλαν ἀπ' ἀνθρακιῆς, καὶ φυλίδα σοὶ λιμενῖτι
Ἄρτεμι δωρεῦμαι Θῆρις ὁ δικτυβόλος.
καὶ ζωρὸν κρητῆρος ἰσοχειλὲς, καὶ τρύφος ἄρτου
αὖον ἐπιθραύσας, τὴν πενιχρὴν θυσίην.
αὖθ' ἧς μοι πλήθοντα δίδου βρέγμασιν αἰεὶ
δίκτυα. σοὶ δέδοται πάντα μάκαιρα λίνα.

*E pruna dono triglamq; aquamq; Diana*
*Piscator Theris hanc tibi littoream.*
*Pocula plena mero spumantia, siccaq; frusta*
*Vrsi: læta cape è paupere sacra manu.*
*Pro quibus alma mihi da præda plena videre*
*Retia: sunt enim retia sacra tibi.*

Memoriæ prodidit Pausanias alatam fuisse Dianę effigiem apud Eleos, quæ dextra pardum, sinistra leonem porrigeret. Ignifera præterea siue Lucifera Dea vocatur ab Euripide in Iphigenia in Tauris: qui eandem putauit esse & Lunam, vt diximus. Illam facultatem idcirco Dianæ tribuit Callimachus, vt grauissimis afficiat calamitatibus quos libuerit, vt est in his:

σχέτλιοι οἷς τύνη χαλεπὴν ἐμμάξεαι ὀργήν.
κτήνεά σφιν λοιμὸς καταβόσκεται, ἔργα δὲ πάχνη.
κείρονται δὲ γέροντες ἐφ' υἱάσιν αἱ δὲ γυναῖκες
ἢ βληταὶ θνήσκουσι λεχωΐδες

*O miseri, quibus ipsa grauem tu concipis iram.*
*Nam morbus depascit oues, segetemq; pruina.*
*Orbantur q; senes natis, & fœminæ abortum*
*Mox pariunt.*

Nam horum omnium facultas est Lunæ cõcessa. Scriptum

reliquit Plutarchus in vita Arati, Dianæ imaginem admirabilem quandam fuisse apud Pellenenses: quę cæteris quidem temporib. neglecta iacebat, at vbi à sacerdote efferretur, neminem quidem respiciebat, sed omnium refugiebat intuitum in faciem. Illius enim aspectus non hominibus solum, quos dementes faciebat, erat formidabilis ac grauis: sed etiam arbores vel faciebat infœcundas, vel fructus deiiciebat, quacunque lata fuisset. Et Strabo lib. 12. Castabalim fanum fuisse Dianæ Persicæ scribit, vbi sacræ mulieres illæsis pedibus super prunas ambularent. Legem fuisse in Tauris scribit Herodotus in Melpomene, vt omnes Græci, qui naufragi eo appulissent, virgini Dianæ immolarentur, vel (vt alii maluerunt) præcipites è quodam sublimi loco deiicerentur. Alii id moris fuisse inquiunt vt caput eorum percuteretur, qui cum essent mortui, eorum capita in crucem tollebantur, quæ alii tamen humari putarunt. Fuerunt qui putarint Tauricam illam Dianam Iphigeniā fuisse Agamemnonis filiam, de qua Diana talis refertur fabula à Pausania in posterioribus Eliacis. Fama est quod Alpheus amore Dianæ captus, vbi neq; gratia, neq; precibus se quidquam ad nuptias proficere intelligeret, sit ad vim conuersus: at illa fugiendo insequentem Alpheum vsq; ad Letrinos ad nocturnos choros protraxit, vbi interesse Nympharum lusib. consueuerat. Ibi Dea sibi suisq; sociis os cœno obleuit, quam cum dignoscere non posset Alpheus elusus abiit: tum Letrini Dianæ Alpheiæ templum dicarunt. Huic Deæ mos erat boues immolare, quare apud Persas Persicæ Dianæ in traiiciendo Euphrate scribit Plutarch. in Lucullo obuias fuisse boues, quæ incustoditæ per regionem vagabantur lampadem Deæ notam habentes impressam. Quamuis Horat. Verrem illi mactari dicit in his:

*Imminens villæ tua pinus esto:*
*Quam per exactos ego lætus annos,*
*Verris obliquum meditantis ictum*
*Sanguine donem.*

Alii dicunt omnium quæ nascerentur è terra primitias huic Deæ offerri solitas, vt apparet ex his versib. Euripidis:

——— ὅ,τι γὰρ ἐνιαυτὸς τέκοι
κάλλιστον ηὔξω φωσφόρῳ θύσειν θεᾷ.
*Ego quod annus optimum produxerit,*

*Voui*

*Voui immolare Lucifera certe Dea.*

Sic cum ab OEneo neglecta fuisset, qui primitias Diis cæteris agrestibus obtulerat, illa aprum Calydonium eximiæ magnitudinis excitauit ob indignationem, qui vniuersum agrum OEnei infestaret, quod expressit Ouidius in lib. 8. mutationum:

*Huius opem Calydon, quamuis Meleagron haberet,*
*Sollicita supplex petiit prece, causa petendi*
*Sus erat infesta famulus, vindexq; Dianæ.*
*Oenea namq; ferunt plenis successibus anni*
*Primitias frugum Cereri, sua vina Lyæo,*
*Palladios flauæ latices libasse Mineruæ.*
*Cœptus ab agricolis superos peruenit ad omnes*
*Ambitiosus honor: solas sine thure relictas*
*Præteritas cessasse ferunt Latoidos aras.*

Fuit consuetudo vt candida cerua Dianæ mactaretur, quæ sibi grata victima credita est, quod eam pro Iphigenia substituerit. quare inquit Ouidius:

*Candida quæ semel est pro virgine cæsa Diana,*
*Nunc quoq; pro nulla virgine cerua cadit.*

Mos fuit apud Plateenses antequam nuptias celebrarent Dianam cognomētoEuclam placare sacrificiis, quod cum esset virgo, putaretur habere odio matrimonia, de qua cōsuetudine meminit Plutarchus in Aristide. Habuit celeberrimum omnium templorum & augustissimum Ephesium, quod totius Asiæ studio ducentis & viginti annis architecto Chersiphrone fuerat ædificatum, cuius erat longitudo pedum quadringentorum & quinque ac viginti, latitudo ducentorum & viginti, in quo fuerant centum & viginti septem columnæ à totidem Regibus erectæ admirabilis longitudinis ac pulchritudinis: nam ad sexaginta pedum mensuram accedebant, quarum triginta sex fuerunt incredibili artificio & magnifice cælatæ, cum aptis tanto artificio columnarum epistyliis. Aderant & picturæ mirificæ & pulcherrimæ statuæ magnificentię eius templi conuenientes. quæ omnia ab Herostrato viro Ephesio incensa fuerūt vt hac ratione, cum ingenii præstantia non posset, sibi perpetuitatē nominis compararet. Illud autē incendium accidit circiter Idus Sextilis, quo die natus est Alexāder Macedo cognomento Magnus, vt ait Plutarchus in eius vita. Ne

potiretur autem Herostratus re per tantum scelus operata, sanxerunt Ephesii propositis grauissimis suppliciis ne quis in posterum Herostratum nominaret. Atq; huius magnificentissimi templi sublimitatem & mirabilitatem præclare expressit poeta in illo epigrammate, quod etiam ipsum templum Partheneonem vocauit, siue virginum thalamum:

τίς ποτ' ἀπ' οὐλύμποιο μετήγαγε παρθενεῶνα,
τὸν πάρος οὐρανίοις ἐμβεβαῶτα δόμοις;
ἐς πόλιν Ἀνδρόκλοιο θοῶν βασιλῆα Ἰώνων.
τὴν δορὶ καὶ μούσαις αἰπυτάτην Ἔφεσον;
ἦρα σὺ φιλαγρέτειρα τεκοῦσα τόσον μέζον' ὀλύμπου
τὴν τροφὸν, ἐν ταύτῃ τὸν σὸν ἔθου θάλαμον;

*Quis tulit è cœlo sublimem Partheneonem,*
*Qui fuerat superis cognitus ante Deis?*
*Mœnia vbi Androcli, Imperiumq; existit Ionum,*
*In claram Musis militiaq; Ephesum?*
*An quia grata magis cœlo tibi terra sit altrix,*
*Diana hic thalamum percupit esse suum?*

Scriptum reliquit Strabo in lib. 14. quod cum illud templum; quod affabre & multo artificio à Cherisiphone extructum fuerat, conflagrasset, aliud Ephesii non minus magnificum construxerunt refectis prioribus columnis, detractis mulieribus aureis ornamentis, multisque opibus & publice & priuatim vndique in vnum collatis. Hanc inuocare consueuerunt, cum fierent sacrificia veneficæ, vt est in libro Epodon apud Horatium in his:

*——— O rebus meis*
*Non infideles arbitra*
*Nox & Diana, quæ silentium regis*
*Arcana cum fiunt sacra.*

Multa cognomina sortita est Diana, à locis in quibus culta est, ab iis qui templa dicarunt, ab euentu rerum, sicut de Diis cæteris dictum est. Vt Tauropola siue Taurica, Persica, Minthia, Pergæa, Ephesia, Epione, Forensis, Orthosia, Istria, Hegemache, Isora, Limnæa, Lycea, Lucifera, Patrona, Pheræa, Propylæa, Leucophryne, Orthia, Suadela, Sospita, Saronis, Salaminia, Hegemona, Hemeretia, Callista, Cnacalysia, Agrotera, Elaphiæa, Condyleatis, Alpheia, Hymnia, Agrestis, Pyronia. Laphria

phria, Euclea, Stymphalia, Triclaria, Sciaditis, Philomirax Chryselacate, Sacrificula, Cordace, Lycoatis, Lymnea, Laculatrix, Venatrix. Rursus illius varia vsurparũt nomina variæ nationes: nam Cretenses Dictynnã, Thraces Vpim, Arcades Orthosiam, parturientes Lucinum tantum vocarũt.

¶ Atq; tot de Diana dicta sufficiant, nunc sensa horũ explicemus. Latonæ & Iouis filia putatur Diana, ac Phœbi soror. Quid ita? quia Latona, quam Plato in Cratylo a mansuetudine nominatam dicit potest etiam à λανθάνειν, quod latere significat, deduci, quia è tenebris Apollo & Diana nati sunt, è confusa scilicet rerum natura. Horum pater fuit Iupiter qui ex illa materia euocauit: Deus scilicet omnium parens & moderator, vt diximus. Alii ad mores hoc referentes, Latonam iniuriarum obliuionem putarunt, vt sensit idem Plato. Alii quoniam illi, quibus est Lunæ temperamentum, sunt obliuiosi, quibus humidum est cerebrum scilicet magnopere. Hanc virginem dixerunt, quod Veneris vsus plurimum obsit huiusmodi hominibus cum illorũ natura venationibus, aliisq; exercitationib. naturalem calorem adiuuantibus maxime conseruetur ac vigeat. Alii Dionysi & Cereris filiam putarunt, alii Cœi & Phœbes: cũ tamen omnes ad Lunæ naturam respicerent, scirentq; Dionysum ac Cœum Titanem Solem esse: Cererem nunc terram vocari, nũc crassiora corpora, cuiusmodi Lunæ corpus apparet. Atque cum Luna lumine luceat alieno, iure Solis & crassioris materiæ filia esse dicitur. Dicta est viarum & montium esse custos, quoniam viatoribus & venantibus lumen præbeat per noctem, quare etiam Lucifera vocata est. Hæc eadem confert parturientibus, quia ob humoris copiam facilius partus oriuntur, & cum maxime viget, in plenilunio scilicet facilius. Inde sagittas etiam illi tribuerunt antiqui ob dolorum grauitatem. Et quoniam humectandis rebus accommodata est eius natura, neq; vlla pestilentia sine humoris copia exoriri potest, hanc iure pestilẽtiæ autorem dixit esse Callimachus: cui pinus merito dicatur, quia Lunæ temperamentum illa arbos obtineat. Illius velocitatẽ admirati antiqui alatam esse finxerunt, & in curru à ceruabus candidis velocissimis trahi, quia color albus Lunæ præcipue tribuitur: qua de causa argentum inter metalla est illi consecratum. At dicatur iam de campis Elysiis.

## De campis Elysiis. CAP. XIX.

ATque quoniam superius locuti sumus de omnibus monstris quibus impiorum animæ torquendæ traderentur: nunc reliquum est, vt quæ præmia illis qui sancte pieque vixissent, proponerentur, breuiter explicemus. Ita enim homines ad probitatem denique adduci poterant, si & in puniendis peccatis non negligens Deum fuisse monstraretur: & in eos qui præstantes viri fuissent, atque optime de patria, vel de viris bonis, vel de vniuerso hominum genere meriti essent, non illiberalis: cum minime æquam rationem ignaui & scelerati, atque viri boni post mortem sortirentur. Pro scelerum igitur grauitate vbi tamdiu pœnas dedissent animæ, vt essent ab omni humana colluuie & contagione corporis expurgatę, tunc in Elysios campos transmittebantur, si modo illa fuissent peccata quę aliqua ratione possent expurgari. idcirco Virgilius de antiquorum sententia ita scripsit lib. 8.

*Ergo exercentur pœnis, veterumq; malorum*
*Supplicia expendunt: aliæ panduntur inanes*
*Suspensæ ad ventos: aliis sub gurgite vasto*
*Infectum eluitur scelus aut exuritur igni.*
*Quisq; suos patimur manes. exinde per amplum*
*Mittimur Elysium, & pauci læta arua tenemus.*

Sed antequam ad cętera pergamus, videbimur operæ precium facturi si perquiramus vbi fuisse dicantur campi Elysii, quoniam apud inferos non esse videbantur, cum purgatę animę eo transmitterentur. Alii igitur campos Elysios esse circa aplanes sphęram tradiderunt, vnde animę ab antiquissimis per tria elementia descendere putabantur. Alii circa lunarem globum, vbi purior est aer, alii in medio inferorum, alii in Hispaniis, & in insulis fortunatis. Isacius non procul à columnis Herculis, vbi Gades est insula, quę prius Cotinusa dicebatur, fluuiusque Bœtis campos Elysios esse sensit: vbi dies non paulatim, sed repente tanquam fulgur decidit, quod fit in extrema parte & in margine Europę. ibi enim fuerunt insulę beatorum, & in illis regionibus, quę mari Libyco dominantur. Fuerunt sane Herculis columnę, quarum altera Alybe, altera Abena dicta est, in occidente ab ipso Hercule ex ære extructę: in

quibus

quibus scriptum fuerat non esse vlterius progrediendum: quoniā nullū littus post illas columnas inuenire liceret, vt ipse credidit, quia amplissimum & infinitum prope spaciū Oceani nauigandum relinqueretur. At Caroli Quinti eius nominis Romanorū Imperatoris iussu vel alterius nauigatum est, multaq; fertilissima loca eaq; tota Europa non minoris ambitus inuenta, in quibus more ferarū adhuc, sicut ante Orphei tempora, homines viuebant. Non defuerunt tamen, qui non columnas, sed montes fuisse arbitrati sint columnas Herculis: quorū alter in extrema Europæ à sinistra, alter in extrema Africæ parte à dextra ex Oceano redeuntibus sese offerebant; qui cum essent altissimi, illis qui mare mediterraneum ingrederentur, columnis persimiles è longinquo apparebant. Scriptum reliquit Clearchus Solensis has beatorū insulas fuisse iuxta Herculis Briarei collinas, ad quas in Gades & Tyrius & Græcus postea Hercules accessit. Plutarch. Sertoriū inquit in extremā Iberiæ oram haud multū super Betæ fluuii ostia ad Gades transuectum, vbi Bætes in mare Atlanticum ingreditur, profectū esse: quo in loco obuios habuit quosdam ex insulis beatorū redeuntes. Hi duas esse paruas insulas referebant mari inter se diuisas, atque ventos ibi plurimū suaues & odoriferos leniter spirare, tanquam per incredibilem florum varietatē & amœnitatem transeūtes. Nam qualis odor est multis rosis, violis, hyacinthis, liliis, narcissis, myrtetis, lauris, cyparissis, talis aspirantium ventorū est suauitas. Hic in syluis motorum sensim foliorum iucūdissimi sunt susurri. Solū vero ita est pingue, vt non solum facile arari & plantari possit, sed etiam plurima sponte producat sua sine humana diligētia, ibique multam & sine molestia hominū copiā alere potest: nam ter quotannis fructum producit. Hic semper est ver, neq; vllus ventus præter Zephyrum aspirare solet, locusq; ipse omnibus florum generibus & mansuetis plantis vestitur. At vineæ fructū ferunt singulis mensibus. Aer sincerus & temperatus, qui nullā prope patitur mutationem tēporum: nam Aquilo, & alii acerrimi vēti prius per inania spacia defatigantur, quā eo ad eas insulas peruenire possint, ac deficiunt. Qui vero perueniūt Zephyri & Argestæ placidissimos imbres aliquando excitant: nam locus imbribus plerumq; nō indiget, cū ipso aeris humore ac bonitate omnia

& animalia & plantas fere sustentare possit. Esse dicuntur ibidem mirifici variarum auicularum cantus huc illuc ad ramos domesticarum arborum volitantium: ibi cantilenæ suauissimæ exaudiuntur, chorosque ducunt virgines cum pueris, quibus peritissimi cantores cum musicis instrumētis accinunt; quales fuisse dicuntur Arion Methymnæus, Eunomus Locrus, Stesichorus Himeræus & Teius Anacreon, Epulæ, quæ ibi nascuntur, saluberrimæ sunt, nullisq; noxiis succis refertæ: neque ibi senectus, neque ægritudo, neque vlla sentitur mentis perturbatio. Non auri, non diuitiarum cupiditas, non magistratuum ambitio mentes hominum infestat: omnes priuatam vitam rebus necessarijs contentam publicæ seruituti anteponunt: nam multis velle imperare, multis seruire ibi existimatur. Nam cum sit pratum pulcherrimum, circa illud nemus est omni arborum fructiferarum genere consitum. ibi fiunt conuiuia, ac nemus vmbram facit discumbentibus in campo Elysio, quibus flores plurimi substernuntur. ministrant viris puellæ formosissimæ, atque illis rursus pulcherrimi adolescentes, mutuis se poculis inuitantes. Tanta denique loci eius tranquillitas & aëris temperies in insulis fortunatis esse credita est, vt nullus neque aptior locus, neque accommodatior videretur, in quo virorum bonorum animæ post mortem habitarent, aut vbi campi Elysii collocarentur: quare ibi alium mundum esse dixerunt, alium Solem, non hunc aliquando molestum, alium æthera, alia sidera, vt scripsit Plato in Gorgia, & Virg. in lib. 6.

*Deuenere locos lætos, & amœna vireta*
*Fortunatorum nemorum, sedesq; beatas.*
*Largior hic campos æther & lumine vestit*
*Purpureo, Solemq; suum sua sidera norunt.*

Fuerunt nonnulli qui Thebanorum agrum tantum habere fœlicitatis crediderint, quantum de campis Elysiis antiqui diuulgarunt, illo epigrammate decepti, in quo hi sunt versus:

αἵδ' εἰσὶ μακάρων νῆσοι, τόθι περ τὸν ἄριστον
Ζῆνα θεῶν βασιλῆα Ῥέη τόκε τῷδ' ἐνὶ χώρῳ.
*Insulæ ibi fortunatæ sunt, Regem vbi Diuum*
*Alma Iouem peperit Rhea.*

Non enim insula fuit, vt diximus, ager Thebanus, quem & id epi-

id epigramma, & Lycophron postea ita beatorum insulas nominauit. vbi loquitur de Saturno:

*τύμβος γεγὼς κένταυρος ὠμόφρων ἀποργῆς,*
*νήσοις δὲ μακάρων ἐγκατοικήσεις μέγας.*
*Sauum sepulchrum filiorum qui fuit,*
*Magnus beatorumque habebis insulas.*

Atqui cum Thebanus ager neq; insula quidem fuerit omnino, quo pacto beatorum insula esse potuit? aptius igitur credetur Homero, qui scripsit in lib. 4. Odysseæ iuxta Britanniam non procul ab Herculis columnis, & in Gaditana regione beatorum esse insulas, & campos Elysios:

*ἀλλά σ' ἐς ἠλύσιον πεδίον καὶ πείρατα γαίης*
*ἀθάνατοι πέμψουσιν, ὅθι ξανθὸς Ῥαδάμανθυς,*
*τῇ περ ῥηΐστη βιοτὴ πέλει ἀνθρώποισιν.*
*οὐ νιφετὸς οὔτ' ἂρ χειμὼν πολύς, οὔτ' ποτ' ὄμβρος.*
*ἀλλ' αἰεὶ ζεφύροιο λιγυπνείοντος ἀήτας*
*Ὠκεανὸς ἀνίησιν ἀναψύχειν ἀνθρώπους.*
*Te vero Elysium & campum, vel ad vltima terræ*
*Cælestes mittent, flauens vbi nunc Rhadamanthus,*
*Victus vbi facilis, non nix, non frigora, & imbres,*
*Stridula sed semper Zephyrorum sibilat aura,*
*Quam placidam Oceanus mittit per amœna vireta.*

Tibullus propterea poetica quadam suauitate vniuersas camporum Elysiorum voluptates paucis carminibus summatim complexus est ita in primo libro:

*Sed me, quod facilis tenero sum semper amori,*
*Ipsa Venus campos ducet in Elysios.*
*Hic choreæ, cantusq; vigent: passimque vagantes*
*Dulce sonant tenui guttture carmen aues.*
*Fert casiam non culta seges, totosque per agros*
*Flore odoratis terra benigna rosis.*
*Ac iuuenum series teneris immista puellis*
*Ludit: & assidue prælia miscet amor.*

Atq; cum fortunatæ insulæ, campique Elysij in ea parte Britanniæ de communi omnium, prope præstantiorum scriptorum sententia, quæ est inter occidentem Britanniam & Thulen ad ortum Solis, dicerentur: piscatores quidam fuisse in littore maris Oceani narrantur iuxta hanc Britanniam insulam: qui ab alijs rebus omnibus & tributis essent immunes, quia defunctorum animas ad se euntes eo tran-

ſirent, vt aiunt. Hi homines per Noctem domi ſuæ dormientes voces audiebant, quibus vocarentur, & ſtrepitum ſentiebant circa fores: ſurgentes autem lembos quoſdam non ſuos viatoribus plenos inueniebant, quos ingreſſi citiſſime in Britanniam remigantes perueniebant, quo vix per totam noctem aptiſſimis vſi ventis in ſuis nauiculis nauigantes poſſent peruenire. eo igitur adeuntes educebant quos ferrent viatores neſcientes, neminemq; videntes. voces illos excipientium audiebant, qui ſingulos nomine & tributim & ex affinitate, arteq; appellabant, illoſq; pariter reſpondentes exaudiebant. Deinde ex eo loco citiſſime domum redeuntes lembos leuiores factos ſentiebant, quam cum illos ferebant. Huic rei addiderunt ſcriptores C. Iulium Cæſarem, cui multa feliciſſime ſucceſſerunt, in his inſulas cum triremi, in qua centum erāt milites, appuliſſe: atque loci amœnitate captum habitare decreuiſſe: ſed inuitum ab ijs qui erant in inſula fuiſſe depulſum. Scriptum reliquit in ſecundo libro verarum hiſtoriarum Lucianus homines qui ibi ſunt, neq; carnem, neq; oſſa, neque quidquam quod tangenti reſiſtat, habere: ſed ſolam eſſe corporis formam, & animas quaſdam corpori ſimilimo velamine coopertas, quæ moueantur, intelligant, vocem emittant, ac cætera omnia faciant quæ viuentes ſolent, cum nulla tamen temporis diuturnitate ſeneſcant, ſed ſemper eandem ætatem, eundemq; vigorem retineant: atq; quales ſunt ipſi homines, talia ſunt omnium fructuum genera, quibus veſci dicuntur. Neque id admirabile videtur illis, quibus fide digna videbuntur ea quæ ſcripta ſunt ab Arriano in Libyca nauigatione Hannonis Imperatoris Carthaginenſium, qui nauigauit vltra columnas Herculis, quam etiam nauigationem diligentiſſime deſcriptam in templo Saturni depoſitam fuiſſe conſtat. Scriptum autem fuit ibi Hannonem in magnum ſinum, qui Cornu Veſperis diceba tur, vt intellexit ex interpretibus, perueniſſe: in quo ſinu inſula erat permagna, in qua ſtagnum mari ſimile. Erat in eo inſula, in quam exeuntes per diem quidem nihil, niſi ſyluam denſam, videbant: at per noctem multi ignes accenſi erant, & tibiarum ſoni exaudiebantur, cymbalorumque & tympanorum ſtrepitus erat permultus. Sic aūt ſcribit Arrianus: ἐν δὲ ταύτῃ νῆσος ἑτέρα, εἰς ἣν ἀποβάντες ἡμέρας μὲν

ὐδὲν

οὐδὲν ἀφεωρῶμεν ὅτι μὴ ὕλην· νυκτὸς δὲ, πυρά τε πολλὰ καιόμενα, καὶ φωνὴν αὐλῶν ἠκούομεν, κυμβάλων τε καὶ τυμπάνων πάταγον, καὶ κραυγὴν μυρίαν φόβος οὖν ἔλαβεν ἡμᾶς. *In hac autē alia erat insula, in quam exeuntes die quidem, nisi syluam nihil videbamus: at per noctem multi erant ignes accensi, sonumque tibiarum audiebamus, & cymbalorum tympanorumque strepitum, clamoremque immensum, tunc autem timor nos inuasit.* Tertius igitur Hanno, & qui cum ipso erant, locum fugientes reliquerunt. Neque audiendi sunt illi qui nullos esse inferos tradiderunt, quam opinionem secutus est Pausanias in Laconicis, Cic. pro Cluentio, & Iuuenalis, qui de illorum sententia ita scripsit:

*Esse aliquos manes, & subterranea regna,*
*Et con u, & Stygio ranas in gurgite nigras,*
*Atque vna transire vadum tot millia cymba,*
*Nec pueri credunt, nisi qui nondum aere lauantur.*

Et Lucretius lib. 4.

*Cerberus, & Furiae iam vero, & lucis egenus*
*Tartarus horrificos eructans faucibus aestus,*
*Haec neque sunt vsquam, nec possunt esse profecto.*
*Sed metus in vita poenarum pro malefactis*
*Est insignibus insignis, scelerisque luela*
*Carcer, & horribilis de saxo iactus eorum,*
*Verbera, carnifices, robur, pix, lamina, taeda.*

Nam tametsi non illa sunt ad vnguem quae de ijs traduntur, tamen aliqua ratione puniri scelera impiorum necesse est: quia nisi improbis supplicia, & viris bonis praemia proposita sint, qui locus erit iustitiae? aut quid reliquum erit in vita mortalium, quod nos ad probitatem adhortetur? aut quae praemia magis sunt allicienda ad honestatem multitudini accommodata, quam illa quae per sensus capiuntur? aut enim Dei optimi iustitiam nullam esse necesse est, quod vel dictu nefarium est: aut cum solus is id facere possit, in omnes sceleratos, animaduertat oportet, & viris bonis pro rebus praeclare gestis praemia impartiat. Nullus autem facilior modus est, neque verior quam vt à malignis daemonibus tanquam crudelissimis terroribus improbi torqueantur. Cum enim vera non esse dicantur ea quae pertinent ad supplicia apud inferos: neque illa vera sunt, quae spectant ad suauitatem ciborum

& reliquarum voluptatum, vt in his scripsit Theognis:

οὐδεὶ ἀνθρώπων, ὃν ἐπεί ποτε γαῖα καλύψῃ,
    ἔκτ' ἔρεβος καταβῇ, δώματά τε Περσεφόνης,
τέρπεται οὔτε λύρης οὔτ' αὐλητῆρος ἀκούων,
    οὔτε Διωνύσου δῶρ' ἐσαειράμενος.

*Non vllus, quem terra tegat post funera, quique*
    *Iuerit ad Ditis Persephonesque domum,*
*Mox cithara, sonitusque tubæ lætatur: & illum*
    *Non mulcent Bacchi dulcia dona Dei.*

Sed quoniam mors est certus terminus creditus vitæ cuiusque status pro viribus temperamenti, non solum illa est causa vt viri boni commoda multa post vitam sortiantur, sed etiam mala multa deuitentur præsentis vitæ, vt nos lusimus his Græcis carminibus:

Τίπτε θεῶν δώροις θνητοὶ χαλεπαίνομεν ἄνδρες.
    τὸν θάνατον; δρεπάνῃ πάντα τὰ μὲν μογερά.
οὗτος μὲν φοβεῖ ἄνθρωποις καὶ σκληρὰ τυράννων
    δεσμὰ κρατεῖ πάντων ῥεῖα θεὸς φιλόφρων.
καὶ γναμπτοῖσιν ὑποσπασθέντ' ὀνύχεσσι λεόντων
    οὗτος ζῶα σώει, καὶ κεράεσσι βοῶν.
οὗτος καὶ δεινοὺς δήμους κήπεσιν ὑφαιρεῖ·
    οὗτος ἐλευθερίῃ πάντα πληροῦντα χθόνι.
οὐδὲ μὲν οὐδὲ σοφοὺς ποιητάς γ' ὕστατον ἦμαρ
    δηλαίνει, καὶ χθὼν σώματ' ἔχουσι μόνα.
σώματ' ἂν ἐστὶ πέδοι, ψυχαὶ δ' ἐργμάτα θείων,
    [illegible] ζωὴ θάνατος, καὶ μόρος ἐστὶ βίος.
εὐδία νηνεμίη τε πέλει, καὶ πορθμὸς ἄαπλος
    τοῖς ἀνέμοις θάνατος, κ' οὐδὲν ἔνεστι βαρύ.
οὗτος ἐν ἐστήριξεν ἐν οὐρανῷ Ἡρακλῆα.
    οὗτος λαμπρύνει καὶ καλὰ τέκνα Διός.
οὐ θεὸ; ἠελίου ποτ' ἐς αὐγὰς κηδομένας τὰς
    πέμπε φίλας ψυχάς, ἐς κακὰ τῶν νεκύων,
εἰς πόνον, εἴς τε νόσους, καὶ οἰζύας, ἠδ' ὀδυνάων
    παντοδαπῶν πέλαγος, ἄθλιον ἄθλον ὅλως.
εἴπατε δῆτ' ἀνθρωπίσκων ἀμβλυνὰ κάρηνα,
    τίπτε βροτῶν βίος; οὐ καλὸν ἄθυρμα τύχης;
κάλλος ἐπεὶ μογερὸν γῆράς τε νόσος τε μαραίνει,
    οὐδὲ χρόνον πολλὸν γ' ἔμπεδον ἐστ' ἄφενος.
καὶ σθένος ἠπεδανὸν γηράσκει, καὶ κλέος, οὐδεὶς
    πρὶν θανάτου γ' ἐλθεῖν ὄλβιός ἐστι τέλος.

Quæ

Quæ carmina ita ſunt à Laurentio Gottio in Latinam linguam conuerſa, quem præcipuum inter amicos propter ſingularem morum bonitatem, modeſtiam, ſtudium literarum, iudicium, & habeo & vnice amo.

*Cur grauiter ferimus ſuperorum munere mortem*
*Conceſſam? falce hac cuncta odioſa ſecat.*
*Vna tyrannorum firmiſſima vincula fregit,*
*Omnia cognouit vincere rite Dea.*
*Vnguibus hæc ſeruat duris ſubſtrata leonum*
*Corpora, & à ſæuis cornibus vna boum.*
*Hæc madidas gentes ceto ſubtraxit, aueſque*
*Liberat è caueis, carceribuſque feras.*
*Sed neque diuinis nocuit ſuprema poetis*
*Lux quorum tellus corpora ſola tegit.*
*Corpora ſunt animis ergaſtula, vaſaque diuis:*
*Vita quibus mors eſt, mors quoque vita quibus.*
*Mors ſtatio quam nec venti, nec nubila cœli*
*Concutiunt, tuta eſt: nil graue habere ſolet.*
*Hac duce & Alcides clara inter ſidera fulget,*
*Hac illuſtrauit pignora bina Iouis.*
*Defunctas animas vel amatas Solis in auras*
*In mala non patitur rurſus adire Deus,*
*In morbos, curaſque graues, certamina prorſus*
*Triſtia, in ærumnas, eſt vbi vbique dolor.*
*Dicite mortales, niſi vanum fortis habendum*
*Ludicrum vita eſt noſtra, quid eſſe feram?*
*Abſtulit aut morbus formam, aut moroſa ſenectus,*
*Ipſarum haud vſus fit diuturnus opum:*
*Gloria fit ſenior, vireſque, ac nemo beatus*
*Supremum recte dicitur ante diem.*

Accedebat ad cæteras voluptates, quas viris bonis tribuebant antiqui in campis Elyſiis, quod vel mortui delectabantur ijſdem ſtudiis & exercebantur, quæ magis viuẽtibus placuiſſet. Ita vulgus ſuauiſſimorum conuiuiorum ſpe poſt mortem, multa ſcelera deuitabat. Sic Homerus in lib. λ. Odyſſeæ idolum Achillis inquit minitabundum ſagittas feris intentare. Atque Virgilius rem totam pluribus verbis expreſſit, & quemadmodum eadem in campis Eliſiis exercerentur, quibus delectabantur viuentes ſinguli, in his:

*Pars in gramineis exerceant membra palæstris:*
*Contendunt ludo, & fulua luctantur arena:*
*Pars pedibus plaudunt choreas, & carmina dicunt,*
*Nec non Threicius longa cum veste sacerdos*
*Obloquitur numeris septem discrimina vocum,*
*Iamque eadem digitis, iam pectine pulsat eburno.*

Ac deinde paucis interpositis:

*Arma procul currusque virum miratur inanes,*
*Stant terra defixæ hastæ: passimque soluti*
*Per campos pascuntur equi, quæ gratia currûm,*
*Armorumque fuit viuis, quæ cura nitentes*
*Pascere equos; eadem sequitur tellure repostos.*

Propterea cum Philosophis optimis hominibus summam fœlicitatem excogitare niterentur antiqui: nullā maiorem illis oblectationem inuenerunt, quam veritatis inuestigationem, & quam illud quod scriptum reliquit Cic. in lib. 5. de Fin. his verbis: Ac veteres quidem philosophi in beatorū insulis fingunt, qualis natura sit vita sapientū, quos cura omni liberatos, nullū necessariū vitæ cultum, aut paratū requirētes, nihil aliud esse acturos putarūt, nisi vt omne tēp° inquirendo ac discēdo in naturæ inuestigatione cōsumant.

¶ Atque de campis Elysiis tot à nobis dicta sint. Quid significare voluerint antiqui per hos campos Elysios manifestum esse arbitror. Nam vbi vitæ nostræ ratio diligenter examinata fuerit, si sanctè pieque vixerimus, incredibilis lætitia sub extremum vitæ diem mentes nostras capit, sicuti mœrore afficimur ob multorū scelerum recordationē, & ad eos inferorum fluuios traijcimur intrepidi, omniaq; monstra horrenda & terribilia præterimus, quæ quidē lætitia quantum valere debet ad homines ad probitatem adhortantes, nulla orationis copia explicari potest. Hæc ea sunt quæ apud inferos vel bona, vel mala ab antiquis proponebātur, cum simplex & magis vera ratio à summæ veritatis autore Christo proposita sit, ignis sempiternus improbis scilicet, ac viris bonis inexplicabilis bonorum cumulus. At nunc de Lethe fluuio dicamus.

### *De Lethe fluuio.* CAP. XX.

POST huiusmodi vitæ examinatę diligenter cōsiderationem exoritur paulatim omniū rerum obliuio, sensusq; amit-

amittuntur, neque vlla est amplius rerum præteritarum recordatio: quare effectum est vt antiqui scriptores multa de Lethe fluuio commenti sint. Verum nos pauca prius ad hanc rem pertinentia inuestigemus, deinde quid de Lethe senserint antiqui explicemus. Fuerunt quatuor fluuij Lethæi tantum, qui ad Magnesiam non procul à Mæandro, qui ad Gortynen vrbem Cretæ, qui ad Triccam vrbem Thessaliæ, vbi natus est Æsculapius, & qui in Libya Hesperiæ Illa fuit Pythagoræ, & nonnullorum philosophorum opinio, non solum quod animę immortales existant, verum etiam sempiternæ fuerint antequam in animalium corpora peruenirent. Huiusce sententiæ his similes rationes afferebant: nam si immortalis existet anima, & ex aliquo nascatur, vel ex immortali, vel è mortali necessario nascetur. Ex mortali non orietur, quia sic omnia fieri possent immortalia: neq; sempiternum quidquam in natura mortali rei commistum est suopte ingenio, nisi à Deo misceatur aliquādo secernēdum. Neq; rursus ex immortali, quod illud ꝙ tale est, nihil à se gignit. Atqui cum immortales animę existant, multaq; tamen & nascātur animalia, illud contingere putabāt, quia circuitum animę intra duodecim annorum millia peragāt, per omnesque sphæras & choros dæmonum ac Deorum discurrant, quod Plato in Phædone, Gorgia, Phædro, & alijs in locis varijs modis scripsit. Est autem per duodenariū numerum intelligendus numerus mundanarum sphærarum apud antiquos, qui supra quatuor elementorum globos octo cœlos esse putarunt, per quos animæ à corporibus solutæ, satisque purgatę permeare, & circumuolui putabantur, donec suos circulos perfecte absoluerent, tunc autē Deo ita iubente putabantur in corpora pro prioris vitæ rebus gestis demitti. Nonnulli tamen crediderunt annum magnum, quo spacio anima hominis suum circuitum expleret, & in idem reuerteretur, duodecim horum annorum millib. comprehendi: cum annus mundi magnus tribus annis huiusmodi absoluatur: nam & ipsa mundi anima per motum firmamēti eo spacio suum circuitum absoluit, ꝙ efficitur intra triginta & sex millia nostrorū annorum, si quis.n. firmamentum aut aplanes quæ vocatur sphæram, proprio motu contra motū diurnū cœli centesimo quoq; anno per gradū vnum fere secundum successionem signo-

rum procedere intellexerit, numerumq; annorum collegerit, is facile magnum annum mundi ex ambitu ipsius firmamenti intelligit. Hæc res quoniam ab imperitorũ multitudine intelligi non poterat, excogitarunt permulta poetæ ad vtiliter adducẽdam multitudinẽ quibus illam in hac sententia confirmarent, quod immortalis anima existat, vt spe aliquãdo melioris vitæ, & præsentes calamitates æquo animo fortiq; preferret, & nec nimiũ rebus prosperis tolleretur, cum sciret omnibus reddendam esse anteactæ vitæ rationem: & quam maxime se ad integritatem innocentiamque compararet, cum iucundissima præmia harum virtutum post mortem à Deo esset relatura. Finxerunt igitur post diuturnas voluptates Lethen esse fluuium apud inferos, qui obliuionem significet, cuius aquam si quis bibisset, illi continuo rerum omnium præteritorum obliuio exoriebatur. Nam nulla ratio facilius eam dubitationem diluere poterat, cur quæ per tot annorum millia tam admirabilia animæ vidissent, nullo pacto prorsus recordarentur. Hic igitur fluuius Deus suauissimus & Somno simillimus ab Euripide putatur: quando Orestes eum ab insania aliquantulum conquieuisset, vtrisque gratias egit Somno & Lethæ, siue Obliuioni hoc pacto:

ὦ φίλον ὕπνου θέλγητρον, ἐπίκουρον νόσου,
ὡς ἡδύ μοι προσῆλθες ἐν δέοντί γε!
ὦ πότνια Λήθη τῶν κακῶν, ὡς εἶ σοφὴ,
καὶ τοῖσι δυστυχοῦσιν εὐκταία θεός!

*Gratum leuamen Somnule ægritudinis*
*Quam suauis aduenisti, & oportunus huc!*
*Et tu malorum Obliuio quam dulcis es,*
*Optabilis viris misellis & Dea!*

Solus ex omnibus hominibus dictus est Æthalides rerum præteritarum memoriam non prorsus deposuisse, vt scriptum reliquit Apollonius in primo Argonauticorum.

οὐδ' ἔτι νῦν περ ἀποιχομένου Ἀχέροντος
δίνας ἀπροφάτους ψυχὴν ἐπιδέδρομε Λήθη.

*nondum illum ex Acheronte profectum*
*Vorticibus rapidis Lethe perfuderat vnda.*

Hunc enim munus illud à patre Mercurio obtinuisse inquiunt, vt aliquando esset apud superos, aliquando apud inferos. Hunc aiunt Pythagorici, cum anima sit immortalis,

talis, primum Troianis temporibus reuixisse, atque fuisse Euphorbum Troianum Panthi filium, deinde Pyrrhum Cretensem, postea quendam Eleum, mox Pythagoram: quam rem plane expressit Ouidius in decimoquinto libro Mutationum:

*O genus attonitum gelidæ formidine mortis,*
*Quid Styga quid tenebras, & nomina vana timetis*
*Materiem vatum, vastique pericula mundi?*
*Corpora siue rogus flamma, seu tabe vetustas*
*Abstulerit; mala posse pati non vlla putetis.*
*Morte carent animæ; semperque priore relicta*
*Sede, nouis domibus viuunt, habitantque recepta.*
*Ipse ego (nam memini) Troiani tempore belli*
*Panthoides Euphorbus eram.*

Plato præterea in Menone non solum animas esse immortales commemorat, sed postquam certum temporis spaciũ & quædam munia absoluerint, à Proserpina in hominum corpora remitti. sic enim scribit: φασὶ γὰρ τὴν ψυχὴν τοῦ ἀνθρώπου εἶναι ἀθάνατον. καὶ τοτὲ μὲν τελευτᾶν, ὃ δὴ ἀποθνήσκειν καλοῦσι, τοτὲ δὲ πάλιν γίγνεσθαι, ἀπόλλυσθαι δ' οὐδέποτε. δεῖν δὲ διὰ ταῦτα, ὡς ὁσιώτατα διαβιῶναι τὸν βίον. οἷσι γὰρ ἂν Περσεφόνα ποινὰν παλαιοῦ πένθεος δέξεται, εἰς τὸν ὕπερθεν ἅλιον κείνων ἐνάτῳ ἔτει ἀνδιδοῖ ψυχὰν πάλιν. ἐκ τᾶν βασιλῆες ἀγαυοὶ. καὶ σθένει κραιπνοὶ, σοφίᾳ τε μέγιστοι ἄνδρες. αὔξονται. ἐς δὲ τὸν λοιπὸν χρόνον ἥρωες ἁγνοὶ πρὸς ἀνθρώπων καλοῦνται. *Aiunt enim homini animam immortalem esse, at tunc quidem decedere, cum mori appellatur: atque iterum redire, interire vero & extingui nunquam. quare vita est quam sanctissime transigenda. Qui enim Proserpinæ pœnas antiquæ miseriæ iam dederint, eorum animas illa rursus ad supernum Solem transmittit nono anno, atque reges fiunt gloria, potentia, sapientiaque præstantissimi, atque isti in numerum Deorum aut Heroum capiuntur.* Physici duos tropicos signiferum circulum secantes portas duas esse putarunt, per quas animæ è cœlo in terras ferantur, & ascendant. Cancer hominum porta putatur: Capricornus Deorum, quia per illum ad immortalitatem ascendant hinc Pythagoras à lacteo circulo Diis imperium incipere credidit, quod animæ inde lapsæ à superis recesserint, inde in corpora lapsuræ. Hæc quamdiu in Cancro sunt, nondum à superis recessisse creduntur, at ad

Leonem profectæ vitæ exordium auspicari, cum in corpora defluant Plato in Phædone noua ebrietate trepidantem animam in corpus fluere ait, atq; potum materiæ circumfusæ alluuionem intelligit: nã sicut obliuio comes est ebrietatis, ita huiusce alluuionis materiæ. Dicitur igitur Lethe obliuio, quoniam animæ in corpora lapsuræ originis diuinę, fontisque, ac dignitatis suæ singulæ obliuiscantur. Cum ad inferos igitur animæ descenderint, diuq; fuerint in campis Elysiis, vt ad communiorem opinionem reuertamus, antequam ad supernum Solem transmittantur, dicuntur aquam fluminis Lethes bibere, vt omnium præteritorum obliuiscantur vt ait Virgilius in sexto:

*——— Animæ, quibus altera fato*
*Corpora debentur, Lethæi ad fluminis vndam*
*Securos latices, & longa obliuia potant.*

Bibebatur autem duplici de causa aqua Lethæi fluminis, tum vt obliuiscerentur animæ illarum deliciarum quibus fruebantur in campis Elysiis, tum etiam fierent immemores earum molestiarũ, quas antea in vita pertulissent: quarum rerum si perdurasset memoria, nemo reperiretur qui vellet reuiuiscere, aut qui cum primum posset, non vel sibi ipse manus inferret. Sed alterum Deos iubere dicebant, alterum quo minus fiat repugnat natura. Quis enim eorum qui mortui sunt, vellet, si possit, in hanc vitam molestiarũ plenam redire in tot animi perturbationes, corporisq; incommoda, nisi grauissimis suppliciis apud inferos vrgeatur? nam quãto diuturnior est hominum vitali tãto fit maior incommodorum cumulus: sunt filiorum vel amicorum vel propinquorum mortes, facultatum iacturæ; honorum repulsæ, infamia, morbi, vulnera, discordiæ, lites, quæ tanto plura videre necesse est, quanto diutius vixerimus. Duo igitur erant necessaria, alterum vt purgarentur animæ antequam in Elysios campos peruenirent, alterum vt post longissimum temporis spacium epota aqua Lethæa omnium præteritorum obliuiscerentur. quare dictum est.

*——— exinde per amplum*
*Mittimur Elysium, & pauci læta arua tenemus:*
*Donec longa dies perfecto temporis orbe*
*Concretam exemit labem, purumq; reliquit*
*Æthereum sensum, atque aurai simplicis ignem.*

Has

*Has omnes, vbi mille rotas voluere per annos,*
*Lethæum ad fluuium Deus euocat agmine magno:*
*Scilicet immemores supera vt conuexa reuisant,*
*Rursus & incipiant in corpora velle reuerti.*

Quis enim, vti dicebam, in hanc plenam miseriarum vitam, nisi & antiquarum miseriarum prius fiat immemor, & voluntati Deorum ac necessitati parere cogatur? nulla est adeo fœlix hominum conditio, quam non multo plura incommoda infestent, quam bona consolentur, quamuis parum firmis & sub frigidis rationibus contra hanc sententiam scripsit Euripides in Supplicibus:

——— ἔλεξε γάρ τις ὡς τὰ χείρονα
πλείω βροτοῖσίν ἐστι τῶν ἀμεινόνων.
ἐγὼ δὲ τούτοις ἀντίαν γνώμην ἔχω,
πλείω τὰ χρηστὰ τῶν κακῶν εἶναι βροτοῖς.
εἰ μὴ γὰρ ἦν τόδ᾽, οὐκ ἂν ἦμεν ἐν φάει.

*Quidam vir olim protulit mortalibus*
*Mala esse plura quam bona adsint. ast ego*
*Diuersa longe sentio: viris bona*
*Puto esse multo plura, quam sint iis mala.*
*Quod ni sit, haud Solem liceret cernere.*

Hæc enim ratio mihi valde videtur absurda, quia non est tanquam frigoris & caloris, quorum symmetria omnino necessaria est viuentibus corporibus, calamitatum, & molestiarum, & incommodorum, natura: nam tametsi iactura filiorum, aut charissimorum, aut facultatum, aut dignitatis, rerumque huiusmodi euentus animum perturbant, tamen non necessario interimunt: nisi forte hęc non esse mala, aut raro contingere, inquiat Euripides. Plura enim horum contingunt nonnullis quam bona in vniuersa vita, ad quæ iterum subeunda nullæ animæ omnino adduci possent, nisi fluminis Lethæi plenæ, ac prope ebriæ. Fuerunt igitur hæc partim ad persuadendum multitudini animas pro meritis in corpora denuo redire conficta: partim etiam declarant morituri iam hominis conditionem, vt illi sanctius viuant: cum sensus animique vigor paulatim post vitæ præteritæ considerationem deficit, omnesque cessant corporis actiones, atque illud demum extinguitur.

# NATALIS COMITIS MYTHOLOGIAE.

## LIBER QVARTVS.

### *Cur Lucinam parturientibus præfectam antiqui putarint.*

EXISTIMO me in superioribus libris ostendisse partim animorum affectus & cogitationes, quæ in mortuorum animis nascerentur, partim vires elementorum, cœlestiumq; corporum, quæ transfunderentur in hæc inferiora corpora, diuinis nominib. fuisse ab antiquis appellatas, & diuinis etiam honoribus cultas. Sed quoniam eo scribendo perducti sumus, vt res interire, & iterum post quoddam annorum spacium reuiuiscere, & animas easdem in alia corpora transmitti diceremus, quæ res sub Lucinæ tutelam primũ concidebant, videntur rationes illæ inuestigandæ, quibus adducti sunt sapientes, vt sibi persuaderent Lucinam præesse parturientibus. Hac in re illud horum omnium debet esse fundamentum, quod superius dictum fuit, quod Græci, id quòd ceperunt ab Ægyptiis, Solem, Lunam, cæteraq; sidera, quorum vires ac moderationes temporum apud nos essent conspicuæ, Deos putarunt: quos suffimentis, & cantilenis, & cæsarum victimarum nidoribus placarunt, cum res postularet. Cum Lunam igitur plurimum conferre parturientibus arbitrarentur, illam alii à luce, alii à circumuoluendo nuncuparunt. Aliæ similiter rationes sunt à rerum naturalium peritis traditæ, aliæ ab astronomis. Atqui Luna à rerum naturalium peritis partubus præesse credita est, quia illius ope propter vim propriam humoris fœtus adiuuetur, cum illius beneficio is in vtero intumeat: ad quam rem & Solis & Lunæ ratio præcipue conferre putatur. Nam manifestum esse arbitror omnibus vel medio-

mediocriter eruditis, quod Lunæ beneficio augentur humores, cuius vis in multis est conspicua, sed in conchyliorum genere præcipue, quæ cum Lunæ lumine augentur & decrescunt. Huc accedit quod parturiendi tempore plurimus humor sero persimilis in membranis cum fœtu continetur in vtero, quare & vterus insurgit ad expellendum cũ fœtu humorem: cui rei cum moderator humorum sit Lunæ planeta, plurimum conferre putatur, & idcirco Luna parturientibus præesse credita est. Qui vero ex astrorum potentia omnia humana pendere censuerunt, has omnes causas ad astronomicas rationes retulerunt: nam senserunt homines rerum cœlestium periti; quod septimo mense fœtus perficiatur & absoluatur, qui mensis dicatus est Lunæ: quare iure optimo Luna præest parturientibus. Atque huiusce rei talis est ratio & ordo. Primus mensis est Saturni, qui suo frigore ac siccitate facit vt semen, quod fluebat aquæ simile, densetur & consistat. Deinde sequẽti mense Iupiter suo calore & humore nutrit quibus indiget viribus vt augeatur & dilatetur; quippe cum superioris planetæ natura formationem lineamentorum impediret si perduraret diutius. Tertio deinde mense Marti cura ista committitur, qui per naturalem suum calorem humores superuacaneos exsiccat, fœtumque calefacit, & motum in illo procreat. est enim calida vis & sicca maxime ad motum propensa. Hunc eundem fœtũ excipit mox Sol astrorum omnium & mundi princeps ac moderator, qui & vigorem plurimum adhibet, & non mediocriter confert ad vitam. Huic succedit Venus Martis Solisque calorem & siccitatem suis his aduersariis virib. temperans, multoq; magis auget fœtum, & illius membra ad figuram homini conuenientem perducit. Negocium ipsum mox in manus tradere Mercurio putatur, qui superuacaneum quodq; exsiccando temperiem & ipse inducit, vniuersasq; corporis partes etiam magis distinguit & clariorem formam exprimit. Ac septimus mensis Lunæ tribuitur, quæ ita fœtum suo humore nutrit, vt perfectus completusq; sit: possitque vel si tunc ex vtero exeat viuere. Quod si humoris copia adhuc superat, & respiratio nondum sit præualida, quam per vmbilicum capit infans, ita vt oris respiratione non magnopere indigeat, natura optima horum alimentorũ cellaria & moderatrix in nouum men-

ſem partum prorogat: at ſi inops ſit humorum, & non amplius ſatis magna aëris copia per vmbilicum trahatur, ac ſi vterus tractabilis molliſque ſit, qualis eſſe ſolet fere puerperarum, tunc ſeptimo menſe partus in lucem prodit & viuit. Quamobrem ſiue ad planetarum vires, ſiue ad phyſicas rationes quis reſpexerit, omnino Lunæ humor plurimum ad emittẽdos fœtus adiuuabit. Sed quoniam explicauimus quib. cauſis commoti antiqui Lucinæ tantum tribuerunt, nunc reliquum eſt, vt quæ de Lucina ab iis dicta fuerint, percurramus.

## *De Lucina.* CAP. I.

LVcinam filiam fuiſſe Iouis & Latonæ, ſororemq; Phœbi, iam dictum eſt ſuperius, cum de Diana loqueremur. Atqui cum re ipſa vna eademque ſit Diana, Lucina, Hecate, Luna, quamuis varia ſunt nomina, & res variȩ, in quibus illæ ſuas vires exercent, tamen varii parentes earum ſiue Dearum ſiue facultatum, ſiue eorum nominum, fuiſſe traduntur. Cum enim Luna filia eſſe Thiæ, & Hyperionis. Diana Iouis, & Latonæ, Hecatæ vel Iouis vel Ariſtæi, & Noctis vel Aſteriæ: ita Lucina Iouis filia fuiſſe dicitur, vt apparet in hymno Callimachi in Dianam, Iunonemque habuit matrem, vt memoriæ prodidit Pauſanias in Atticis, qui illam in Gnoſio agro apud Amniſum fluuium ex opinione Cretenſium natam eſſe ſcribit. Qui Latonæ filiam eſſe dixerunt, hanc in Ortygia natam eſſe inquiunt, atq; ſtatim natam obſtetricis munere functam eſſe apud matrem, cũ mox Apollinem eſſet paritura vt dictum eſt ſuperius. Pauſanias tamen in Atticis Lucinam ait in Delum ex Hyperboreis aduentaſſe, vt parturienti Latonæ adeſſet obſtetrix. Hæc varia habuit nomina: nam Ilithyia in encomio Ptolemæi vocata eſt à Theocrito, quam Lyſizonam appellat ſiue ſoluentem zonam. Solebant enim antiqui, ſed Græci inprimis, vſurpare, zonam ſoluere, pro eo quod eſt rem cum viro habere, quia prægnantes mulieres priorem zonã geſtare non amplius poſſent, quam ſoluere cogebantur, cum ob ventris amplitudinem tum ob moleſtiam, quam affert grauidis zona ad reſpirandum quare cum venirent ſub tutelã Lucinæ, zonam ſoluebant. Sic autem ea ſunt Theocritis.

ἶθμα γὰρ Εἰλείθυιαν ἐβώσατο λυσίζωνον

Ἀντι-

*Ἀντιγόνας θυγάτηρ βεβαρυμμένα ὠδῖνεσσιν.*

*Hic Lysi zonam Lucinam nata vocauit*

*Antigonis, et isti partus oppressa dolore.*

Nam & Horatius in secularibus carminibus multis nominibus vocatam fuisse innuit in his:

*Rite maturos aperire partus*

*Lenis Ilithyia tuere matres:*

*Siue tu Lucina probas vocari,*

*Seu Genitalis.*

Tanta fuit Lucinæ reuerentia apud antiquos, vt non solũ præesse parturientibus credita sit. cum inuocaretur, illisq; opem ferre: verum etiam tanquam custodiis, cui ortus & vitæ salutisq; humanæ initia deberentur, illius imago ante fores domorum ponebatur. quare ita hymnum scripsit Orpheus in eius laudem, quam Prothyræam nominauit;

*κλῦθί μοι, ὦ πολύσεμνε θεά, πολυώνυμε δαῖμον,*

*ὠδίνων ἐπαρωγὲ λεχῶν ἡδεῖα πρόσοψι.*

*θηλειῶν σώτειρα μόνη φιλόπαις ἀγανόφρον,*

*ὠκυλόχεια, παροῦσα νέαις θνητῶν, Προθυραία.*

*Audi me veneranda Dea, cui nomina multa:*

*Pregnantium adiutrix, parientium dulce leuamen:*

*Sola puellarum seruatrix solaq; prudens,*

*Auxilium velox teneris Prothyræa puellis.*

Atque paulo post eandem esse & Dianam, Ilithyiam & Prothyræam aperte demonstrat in his:

*μούνην γὰρ σε καλοῦσι λεχοὶ, ψυχῆς ἀνάπαυμα.*

*ἐν γάρ τοι τοκετῶν λυσιπήμονες εἰσιν ἀνῖαι,*

*Ἄρτεμις, Εἰλείθυια, καὶ ἡ σεμνὴ Προθυραία.*

*Solam animi requiem te clamant parturientes,*

*Sola potes diros partus placare dolores.*

*Diana, Ilithyia grauis, simul & Prothyræa.*

Credita est autem fuisse à Parcis parturientibus præfecta, quoniam neque cum illam mater gestaret in vtero, neque cum pareret, vllos dolores sensit, vt in his ait Callimachus:

*——ἧσί με Μοῖραι*

*γεινομένην τὸ πρῶτον ἐπεκλήρωσαν ἀρήγειν,*

*ὅττι με καὶ τίκτουσα καὶ οὐκ ἤλγησε φέρουσα*

*μήτηρ, ἀλλ' ἀμογητὶ φίλων ἀπεθήκατο κόλπων.*

*——hisce leuare*

*Vix bene me natam Parcæ statuere dolores,*

rum procedere intellexerit, numerumq; annorum collegerit, is facile magnum annum mundi ex ambitu ipsius firmamenti intelligit. Hæc res quoniam ab imperitorũ multitudine intelligi non poterat, excogitarunt permulta poetæ ad vtiliter adducēdam multitudinē quibus illam in hac sententia confirmarent, quod immortalis anima existat, vt spe aliquãdo melioris vitæ, & præsentes calamitates æquo animo fortiq; præferret, & nec nimiũ rebus prosperis tolleretur, cum sciret omnibus reddendam esse anteactæ vitæ rationem: & quam maxime se ad integritatem innocentiamque compararet, cum iucundissima præmia harum virtutum post mortem à Deo esset relatura. Finxerunt igitur post diuturnas voluptates Lethen esse fluuium apud inferos, qui obliuionem significet, cuius aquam si quis bibisset, illi continuo rerum omnium præteritorum obliuio exoriebatur. Nam nulla ratio facilius eam dubitationem diluere poterat, cur quæ per tot annorum millia tam admirabilia animæ vidissent, nullo pacto prorsus recordarentur. Hic igitur fluuius Deus suauissimus & Somno simillimus ab Euripide putatur: quando Orestes cum ab insania aliquantulum conquieuisset, vtrisque gratias egit Somno & Lethæ, siue Obliuioni hoc pacto:

*ὦ φίλον ὕπνου θέλγητρον, ἐπίκουρον νόσου,*
*ὡς ἡδύ μοι προσῆλθες ἐν δέοντί γε!*
*ὦ πότνια Λήθη τῶν κακῶν, ὡς εἶ σοφὴ,*
*καὶ τοῖσι δυστυχοῦσιν εὐκταία θεός!*
*Gratum leuamen Somnule ægritudinis*
*Quam suauis aduenisti, & oportunus huc!*
*Et tu malorum Obliuio quam dulcis es,*
*Optabilis viris misellis & Dea!*

Solus ex omnibus hominibus dictus est Æthalides rerum præteritarum memoriam non prorsus deposuisse, vt scriptum reliquit Apollonius in primo Argonauticorum.

*οὐδ' ἔτι νῦν περ ἀποιχομένου Ἀχέροντος*
*δίνας ἀπροφάτους ψυχὴν ἐπιδέδρομε Λήθη.*
*nondum illum ex Acheronte profectum*
*Vorticibus rapidis Lethe perfuderat vnda.*

Hunc enim munus illud à patre Mercurio obtinuisse inquiunt, vt aliquando esset apud superos, aliquando apud inferos. Hunc aiunt Pythagorici, cum anima sit immortalis,

talis, primum Troianis temporibus reuixisse, atque fuisse Euphorbum Troianum Panthi filium, deinde Pyrrhum Cretensem, postea quendam Eleum, mox Pythagoram: quam rem plane expressit Ouidius in decimoquinto libro Mutationum:

*O genus attonitum gelidæ formidine mortis,*
*Quid Styga quid tenebras, & nomina vana timetis*
*Materiem vatum, vastique pericula mundi?*
*Corpora siue rogus flamma, seu tabe vetustas*
*Abstulerit; mala posse pati non vlla putetis.*
*Morte carent animæ; semperque priore relicta*
*Sede, nouis domibus viuuntque habitantque receptæ.*
*Ipse ego (nam memini) Troiani tempore belli*
*Panthoides Euphorbus eram.*

Plato præterea in Menone non solum animas esse immortales commemorat, sed postquam certum temporis spaciũ & quædam munia absoluerint, à Proserpina in hominum corpora remitti. sic enim scribit: φασὶ γὰρ τὴν ψυχὴν τοῦ ἀνθρώπου εἶναι ἀθάνατον. καὶ τοτὲ μὲν τελευτᾶν, ὃ δὴ ἀποθνήσκειν καλοῦσι, τοτὲ δὲ πάλιν γίνεσθαι, ἀπόλλυσθαι δ' οὐδέποτε. δεῖν δὲ διὰ ταῦτα, ὡς ὁσιώτατα διαβιῶναι τὸν βίον. οἷσι γὰρ ἂν Περσεφόνα ποινὰν παλαιοῦ πένθεος δέξεται, εἰς τὸν ὕπερθεν ἅλιον κείνων ἐνάτῳ ἔτει ἀνδιδοῖ ψυχὰν πάλιν. ἐκ τᾶν βασιλῆες ἀγαυοὶ. καὶ σθένει κραιπνοὶ, σοφίᾳ τε μέγιστοι ἄνδρες. αὔξονται. ἐς δὲ τὸν λοιπὸν χρόνον ἥρωες ἁγνοὶ πρὸς ἀνθρώπων καλεῦνται. *Aiunt enim homini animam immortalem esse, at tunc quidem decedere, cum mori appellatur: atque iterum redire, interire vero & extingui nunquam. quare vita est quam sanctissime transigenda. Qui enim Proserpinæ pœnas antiquæ miseriæ iam dederint, eorum animas illa rursus ad supernum Solem transmittit nono anno, atque reges fiunt gloria, potentia, sapientiaque præstantissimi, atque isti in numerum Deorum aut Heroum capiuntur.* Physici duos tropicos signiferum circulum secantes portas duas esse putarunt, per quas animæ è cœlo in terras ferantur, & ascendant. Cancer hominum porta putatur: Capricornus Deorum, quia per illum ad immortalitatem ascendant hinc Pythagoras à lacteo circulo Diis imperium incipere credidit, quod animæ inde lapsæ à superis recesserint, inde in corpora lapsuræ. Hæc quamdiu in Cancro sunt, nondum à superis recessisse creduntur, at ad

Leonem profectæ vitæ exordium auspicari, cum in corpora defluant. Plato in Phædone noua ebrietate trepidantem animam in corpus fluere ait, atq; potu materiæ circumfusæ alluuione intelligit: nā sicut obliuio comes est ebrietatis, ita huiusce alluuionis materiæ. Dicitur igitur Lethe obliuio, quoniam animæ in corpora lapsuræ originis diuinę, fontisque, ac dignitatis suæ singulæ obliuiscantur. Cum ad inferos igitur animæ descenderint, diuq; fuerint in campis Elysiis, vt ad communiorem opinionem reuertamus, antequam ad supernum Solem transmittantur, dicuntur aquam fluminis Lethes bibere, vt omnium præteritorum obliuiscantur vt ait Virgilius in sexto:

*——— Animæ, quibus altera fato*
*Corpora debentur, Lethæi ad fluminis vndam*
*Securos latices, & longa obliuia potant.*

Bibebatur autem duplici de causa aqua Lethæi fluminis, tum vt obliuiscerentur animæ illarum deliciarum quibus fruebantur in campis Elysiis, tum etiam fierent immemores earum molestiarū, quas antea in vita pertulissent: quarum rerum si perdurasset memoria, nemo reperiretur qui vellet reuiuiscere, aut qui cum primum posset, non vel sibi ipse manus inferret. Sed alterum Deos iubere dicebant, alterum quo minus fiat repugnat natura. Quis enim eorum qui mortui sunt, vellet, si possit, in hanc vitam molestiarū plenam redire in tot animi perturbationes, corporisq; incommoda, nisi grauissimis suppliciis apud inferos vrgeatur? nam quāto diuturnior est hominum vitali tāto fit maior incommodorum cumulus: sunt filiorum vel amicorum vel propinquorum mortes, facultatum iacturæ; honorum repulsæ, infamia, morbi, vulnera, discordiæ, lites, quæ tanto plura videre necesse est, quanto diutius vixerimus. Duo igitur erant necessaria, alterum vt purgarentur animæ antequam in Elysios campos peruenirent, alterum vt post longissimum temporis spacium epota aqua Lethæa omnium præteritorum obliuiscerentur. quare dictum est.

*——— exinde per amplum*
*Mittimur Elysium, & pauci læta arua tenemus:*
*Donec longa dies perfecto temporis orbe*
*Concretam exemit labem, purumq; reliquit*
*Æthereum sensum, atque auraï simplicis ignem.*

*Has*

*Has omnes, vbi mille rotas voluere per annos,*
*Lethæum ad fluuium Deus euocat agmine magno:*
*Scilicet immemores supera vt conuexa reuisant,*
*Rursus & incipiant in corpora velle reuerti.*

Quis enim, vti dicebam, in hanc plenam miseriarum vitam, nisi & antiquarum miseriarum prius fiat immemor, & voluntati Deorum ac necessitati parere cogatur? nulla est adeo fœlix hominum conditio, quam non multo plura incommoda infestent, quam bona consolentur, quamuis parum firmis & sub frigidis rationibus contra hanc sententiam scripsit Euripides in Supplicibus:

——— ἔλεξε γάρ τις ὡς τὰ χείρονα
πλείω βροτοῖσίν ἐστι τῶν ἀμεινόνων.
ἐγὼ δὲ τούτοις ἀντίαν γνώμην ἔχω,
πλείω τὰ χρηστὰ τῶν κακῶν εἶναι βροτοῖς.
εἰ μὴ γὰρ ἦν τόδ᾽, οὐκ ἂν ἦμεν ἐν φάει.

*Quidam vir olim protulit mortalibus*
*Mala esse plura quam bona adsint. ast ego*
*Diuersa longe sentio: viris bona*
*Puto esse multo plura, quam sint iis mala.*
*Quod ni sit, haud Solem liceret cernere.*

Hæc enim ratio mihi valde videtur absurda, quia non est tanquam frigoris & caloris, quorum symmetria omnino necessaria est viuentibus corporibus, calamitatum, & molestiarum, & incommodorum, natura: nam tametsi iactura filiorum, aut charissimorum, aut facultatum, aut dignitatis, rerumque huiusmodi euentus animum perturbant, tamen non necessario interimunt: nisi forte hęc non esse mala, aut raro contingere, inquiat Euripides. Plura enim horum contingunt nonnullis quam bona in vniuersa vita, ad quæ iterum subeunda nullæ animæ omnino adduci possent, nisi fluminis Lethæi plenæ, ac prope ebriæ. Fuerunt igitur hæc partim ad persuadendum multitudini animas pro meritis in corpora denuo redire conficta: partim etiam declarant morituri iam hominis conditionem, vt illi sanctius viuant: cum sensus animique vigor paulatim post vitæ præteritæ considerationem deficit, omnesque cessant corporis actiones, atque illud demum extinguitur.

# NATALIS COMITIS MYTHOLOGIAE.

## LIBER QVARTVS.

### *Cur Lucinam parturientibus praefectam antiqui putarint.*

EXISTIMO me in superioribus libris ostendisse partim animorum affectus & cogitationes, quae in mortuorum animis nascerentur, partim vires elementorum, coelestiumq; corporum, quae transfunderentur in haec inferiora corpora, diuinis nominib. fuisse ab antiquis appellatas, & diuinis etiam honoribus cultas. Sed quoniam eo scribendo perducti sumus, vt res interire, & iterum post quoddam annorum spacium reuiuiscere, & animas easdem in alia corpora transmitti diceremus, quae res sub Lucinae tutelam primũ concidebant, videntur rationes illae inuestigandae, quibus adducti sunt sapientes, vt sibi persuaderent Lucinam praeesse parturientibus. Hac in re illud horum omnium debet esse fundamentum, quod superius dictum fuit, quod Graeci, id quòd ceperunt ab Aegyptiis, Solem, Lunam, caeteraq; sidera, quorum vires ac moderationes temporum apud nos essent conspicuae, Deos putarunt: quos suffimentis, & cantilenis, & caesarum victimarum nidoribus placarunt, cum res postularet. Cum Lunam igitur plurimum conferre parturientibus arbitrarentur, illam alii à luce, alii à circumuoluendo nuncuparunt. Aliae similiter rationes sunt à rerum naturalium peritis traditae, aliae ab astronomis. Atqui Luna à rerum naturalium peritis partubus praeesse credita est, quia illius ope propter vim propriam humoris foetus adiuuetur, cum illius beneficio is in vtero intumeat: ad quam rem & Solis & Lunae ratio praecipue conferre putatur. Nam manifestum esse arbitror omnibus vel medio-

mediocriter eruditis, quod Lunæ beneficio augentur humores, cuius vis in multis est conspicua, sed in conchyliorum genere præcipue, quæ cum Lunæ lumine augentur & decrescunt. Huc accedit quod parturiendi tempore plurimus humor sero persimilis in membranis cum fœtu continetur in vtero, quare & vterus insurgit ad expellendum cũ fœtu humorem: cui rei cum moderator humorum sit Lunæ planeta, plurimum conferre putatur, & idcirco Luna parturientibus præesse credita est. Qui vero ex astrorum potentia omnia humana pendere censuerunt, has omnes causas ad astronomicas rationes retulerunt: nam senserunt homines rerum cœlestium periti; quod septimo mense fœtus perficiatur & absoluatur, qui mensis dicatus est Lunæ: quare iure optimo Luna præest parturientibus. Atque huiusce rei talis est ratio & ordo. Primus mensis est Saturni, qui suo frigore ac siccitate facit vt semen, quod fluebat aquæ simile, densetur & consistat. Deinde sequẽti mense Iupiter suo calore & humore nutrit quibus indiget viribus vt augeatur & dilatetur; quippe cum superioris planetæ natura formationem lineamentorum impediret si perduraret diutius. Tertio deinde mense Marti cura ista committitur, qui per naturalem suum calorem humores superuacaneos exsiccat, fœtumque calefacit, & motum in illo procreat. est enim calida vis & sicca maxime ad motum propensa. Hunc eundem fœtũ excipit mox Sol astrorum omnium & mundi princeps ac moderator, qui & vigorem plurimum adhibet, & non mediocriter confert ad vitam. Huic succedit Venus Martis Solisque calorem & siccitatem suis his aduersariis virib. temperans, multoq; magis auget fœtum, & illius membra ad figuram homini conuenientem perducit. Negocium ipsum mox in manus tradere Mercurio putatur, qui superuacaneum quodq; exsiccando temperiem & ipse inducit, vniuersasq; corporis partes etiam magis distinguit & clariorem formam exprimit. Ac septimus mensis Lunæ tribuitur, quæ ita fœtum suo humore nutrit, vt perfectus completusq; sit: possitque vel si tunc ex vtero exeat viuere. Quod si humoris copia adhuc superat, & respiratio nondum sit præualida, quam per vmbilicum capit infans, ita vt oris respiratione non magnopere indigeat, natura optima horum alimentorũ cellaria & moderatrix in nouum men-

ſem partum prorogat: at ſi inops ſit humorum, & non amplius ſatis magna aëris copia per vmbilicum trahatur, ac ſi vterus tractabilis molliſque ſit, qualis eſſe ſolet fere puerperarum, tunc ſeptimo menſe partus in lucem prodit & viuit. Quamobrem ſiue ad planetarum vires, ſiue ad phyſicas rationes quis reſpexerit, omnino Lunæ humor plurimum ad emittẽdos fœtus adiuuabit. Sed quoniam explicauimus quib. cauſis commoti antiqui Lucinæ tantum tribuerunt, nunc reliquum eſt, vt quæ de Lucina ab iis dicta fuerint, percurramus.

## *De Lucina.* CAP. I.

LVcinam filiam fuiſſe Iouis & Latonæ, ſororemq; Phœbi, iam dictum eſt ſuperius, cum de Diana loqueremur. Atqui cum re ipſa vna eademque ſit Diana, Lucina, Hecate, Luna, quamuis varia ſunt nomina, & res variç, in quibus illæ ſuas vires exercent, tamen varii parentes earum ſiue Dearum ſiue facultatum, ſiue eorum nominum, fuiſſe traduntur. Cum enim Luna filia eſſe Thiæ, & Hyperionis. Diana Iouis, & Latonæ, Hecatæ vel Iouis vel Ariſtæi, & Noctis vel Aſteriæ: ita Lucina Iouis filia fuiſſe dicitur, vt apparet in hymno Callimachi in Dianam, Iunonemque habuit matrem, vt memoriæ prodidit Pauſanias in Atticis, qui illam in Gnoſio agro apud Amniſum fluuium ex opinione Cretenſium natam eſſe ſcribit. Qui Latonæ filiam eſſe dixerunt, hanc in Ortygia natam eſſe inquiunt, atq; ſtatim natam obſtetricis munere functam eſſe apud matrem, cũ mox Apollinem eſſet paritura vt dictum eſt ſuperius. Pauſanias tamen in Atticis Lucinam ait in Delum ex Hyperboreis aduentaſſe, vt parturienti Latonæ adeſſet obſtetrix. Hæc varia habuit nomina: nam Ilithyia in encomio Ptolemæi vocata eſt à Theocrito, quam Lyſizonam appellat ſiue ſoluentem zonam Solebant enim antiqui, ſed Græci inprimis, vſurpare, zonam ſoluere, pro eo quod eſt rem cum viro habere, quia prægnantes mulieres priorem zonã geſtare non amplius poſſent, quam ſoluere cogebantur, cum ob ventris amplitudinem tum ob moleſtiam, quam affert grauidis zona ad reſpirandum quare cum venirent ſub tutelã Lucinæ, zonam ſoluebant. Sic autem ea ſunt Theocritis.

ἔνθα γὰρ Εἰλείθυιαν ἐβώσατο λυσίζωνον

Ἀντι-

Ἀντιγόνας θυγάτηρ βεβαρυμένα ὠδίνεσσιν.

*Hic Lysi Zonam Lucinam nata vocauit*
*Antigonis, tristi partus oppressa dolore.*

Nam & Horatius in secularibus carminibus multis nominibus vocatam fuisse innuit in his:

*Rite maturos aperire partus*
*Lenis Ilithyia tuere matres:*
*Siue tu Lucina probas vocari,*
*Seu Genitalis.*

Tanta fuit Lucinæ reuerentia apud antiquos, vt non solũ præesse parturientibus credita sit. cum inuocaretur, illisq; opem ferre: verum etiam tanquam custodiis, cui ortus & vitæ salutisq; humanæ initia deberentur, illius imago ante fores domorum ponebatur. quare ita hymnum scripsit Orpheus in eius laudem, quam Prothyræam nominauit;

κλῦθί μοι, ὦ πολύσεμνε θεὰ, πολυώνυμε δαῖμον,
ὠδίνων ἐπαρωγὲ λεχῶν ἡδεῖα πρόσοψι.
θηλειῶν σώτειρα μόνη φιλόπαις ἀγανόφρον,
ὠκυλόχεια, παροῦσα νέαις θνητῶν, Προθυραία.

*Audi me veneranda Dea, cui nomina multa:*
*Pragnantium adiutrix, parientium dulce leuamen:*
*Sola puellarum seruatrix solaq; prudens,*
*Auxilium velox teneris Prothyræa puellis.*

Atque paulo post eandem esse & Dianam, Ilithyiam & Prothyræam aperte demonstrat in his:

μούνην γάρ σε καλοῦσι λεχοὶ, ψυχῆς ἀνάπαυμα.
ἐν γάρ τοι τοκετῶν λυσιπήμονες εἰσὶν ἀνίαι,
Ἄρτεμις, Εἰλείθυια, καὶ ἡ σεμνὴ Προθυραία.

*Solam animi requiem te clamant parturientes,*
*Sola potes diros partus placare dolores.*
*Diana, Ilithyia grauis, simul & Prothyræa.*

Credita est autem fuisse à Parcis parturientibus præfecta, quoniam neque cum illam mater gestaret in vtero, neque cum pareret, vllos dolores sensit, vt in his ait Callimachus:

——ᾗσί με Μοῖραι
γεινομένην τὸ πρῶτον ἐπεκλήρωσαν ἀρήγειν,
ὅττι με καὶ τίκτουσα καὶ οὐκ ἤλγησε φέρουσα
μήτηρ, ἀλλ' ἀμογητὶ φίλων ἀπεθήκατο κόλπων.

——*hisce leuare*
*Vix bene me natam Parcæ statuere dolores,*

*Quod me cum pareret, vel cum gestaret in aluo*
*Mater non vnquam doluit, siue læta dolore*
*Deposuit quod ventris onus.*

Mos fuit apud antiquos vt Lucinam ipsam dictamo coronarent, quoniam id plurimum conferre videretur ad facilitatem pariendi: quam consuetudinem possumus vel ex hoc carmine Euphorionis colligere, vbi loquitur de Lucina:

στεψαμένη θαλερῇσι συνλώτεος δικτάμνοισι.
*Obuia, dictamis teneris redimita fit illa.*

Neque hominibus solum præesse parturientibus hæc Dea putabatur, sed etiam brutis, & plantis: quoniam his omnibus Lunæ humor vel nascentibus vel parientibus confert. quare ita Virg. inquit de bobus:

*Ætas Lucinam, iustosque pati Hymenæos,*
*Desinit ante decem post quatuor incipit annos.*

Effingebatur imago Lucinæ, cuiusmodi fuit illa apud Ægienses, quæ alteram manum vacuam porrigebat, altera gerebat facem: ita enim & infantem susceptura videbatur, in lucemque eductura; & dolores, quos inflammatio totius corporis consequitur, significare. At mihi magis huic loco conuenire illud Theophrasti videtur, quod scriptum est in secundo de causis plantarum, exuri maxime vires naturæ fœcunditate fœtuũ tum in animalibus, tum etiam in plantis. quare fax Lucinæ merito assignabatur: nam quæ minus fœcunda sunt in singulis generibus, illa magis sunt diuturna. Scripsit in hanc hymnum quendam Lycius Delius, vt diximus, cum loqueremur de Parcis: qui illam Eulinum, quasi lanificam appellauit: quam fati sororem esse credidit vt est apud Pausaniã in Arcadicis. Maxima religione apud Eleos præcipue colebatur Lucina. cuius ope victoriam Elei ex Arcadibus reportarunt. Nam cum Arcades Eleorum agrum hostiliter inuasissent, omniaque incursionibus popularentur, in aciem aduersus illos prodierunt Elei. Tum fama est mulierem, quæ puero mammam præberet, ad Eleorum duces accessisse, quæ se puerum illum peperisse diceret, hortataque est vt eum eius belli socium sibi asciscerent, quod ipsa ita fuisset per somnum admonita. Tum qui summæ rei præerant inter Eleos fidem mulieri præstantes puerum nudum ante signa locandum curarunt: deinde cum facerent impressionem in hostes, puer is in serpentem vertitur

tur in conſpectu omnium. Eo prodigio territi Arcades in fugam vertuntur, atque Elei quo in loco ſub terrá ingreſſus eſt ſerpens vbique victoriam ſunt adepti, templum illi puero erexerunt, quem Soſipolim, ſiue vrbis ſeruatorem appellarunt: ibidemq; ſunt Lucinæ ſolẽnes honores decreti, quod illam puerũ illum peperiſſe & attuliſſe Elei interpretati ſunt. Annua ſacerdos ibi eligi ſolita fuit quæ Lucinæ ſacrificaret, ad quam omnibus erat aditus. Ad Soſipolim vero nemini accedere licebat, niſi vetulæ ſacerdoti, quam etiam certo ritu ornatam eſſe oportebat: nam & capite & facie velata candido textili ad illius ſimulachrũ accedebat. In templo Lucinæ tum virgines tum etiam nuptæ remanentes hymnum Soſipolim decantabant, atq; quoduis odorũ genus adolebant, cum vinum ex illis ſacrificis omnino exularet. Culta eſt apud Hermionenſes etiam pręcipuo quodã honore Lucina, quã ſumma religione & hoſtiis & odoribus, & donis quam plurimis decorabãt: neq; illius ſignum cuipiam, niſi illis mulierculis quę rem ſacram facerent, conſpicere fas erat, vt ait Pauſanias in Corinthiacis.

¶ Hæc illa ſunt fere omnia quæ de Lucina dicta ſunt ab antiquis, quæ ex iis quæ dicta ſunt ſuperius, manifeſta eſſe cenſeo: niſi illud fortaſſe non pateat cur Iunonis aut Iouis filia eſſe dicatur. Explicatum fuit ſuperius Lucinam eſſe Lunam, humoreſque ab ipſa Luna aliquando augeri, quod cum fiat per aera, quem modo Iunonem, modo Iouem appellari oſtendimus; iure Lucina, ſiue vis illa, quæ agit per aera in inferiora corpora, Iunonis filia dicta eſt, vocata fuit Luna Lucina, quia luceat per noctem, vel quia lucem præbeat fœtibus, qui nati ante ſeptimum Lunæ menſem hac Solis luce perfrui minime poſſunt, vel quia maturos fœtus in lucem ex vtero euocet. Dicitur eadem à Græcis Ilithya, quia præſto ſit parturientibus. reliqua nomina, quæ illi tribuuntur, ſunt à contingentibus rebus à poetis ficta, & illi tributa. Nunc de Penatibus dicendum eſt.

## *De Penatibus.* CAP. II.

IAM vero ſtatim natos infantes, vbi Lucina ſuum munus expleuiſſet, Penates Dij ſuſcipiebant, vt fuit opinio antiquorum: qui Penates qui eſſent aut quod eſſet illorum munus, videtur eſſe inueſtigandum. Fuerunt igitur nonnulli

qui Penates Deos esse putarunt illos per quos spiramus, per quos cognoscimus, per quos viuimus, per quos Solē intuemur: Iouē scilicet, & Iunonē, & Mineruam, & Vestam: hanc etiam siquidem nonnulli addiderunt. Nam Iouem æthera medium, Iunonem aera imum, Mineruam summam ætheris partem quæ vis est diuina intelligentiæ, Vestam terram esse dixerunt. Hos & Deos patrios & familiares & ciuitatum præsides & priuatarum domorum custodes nominarunt & crediderunt, vt in his significare videtur Cicero in oratione pro domo sua: Vosque qui maxime me repetistis, atque reuocastis, quorum de sedib. hæc mihi proposita est contentio, patrij Penates, familiaresque, qui huic vrbi & reipublicæ præsides estis. Sic & Halicarn. in primo antiquitatum: τούσδε θεοὺς τούτους Ῥωμαῖοι μὲν Πενάτας καλοῦσιν· οἱ δ' ἐξερμηνεύοντες εἰς τὴν Ἑλλάδα γλῶσσαν τοὔνομα, οἱ μὲν πατρῴους ἀποφαίνουσιν, οἱ δὲ γενεθλίους· εἰσὶ δ' οἱ κτησίους, ἄλλοι δὲ ἑρκίους, οἱ δὲ μυχίους. *Deos autem hos Romani Penates vocant atque nonnulli in Græcam linguam transferentes, genitales interpretati sunt: alij vocant Deos patrios, alij domesticos ac familiares, alij possessionum præsides, alij arcanos.* At vero cur erant hi patrij, ac non potius communes omnium ciuitatum & domorum? Quoniam non modo singulas ciuitates, sed etiam singulas domos, atq; adeo singulos homines & animalia & plantas certos ac peculiares habere Deos crediderūt, quorum essent illi tutelares. Idem prope sensisse videtur Cicero, vbi ita scribit in secundo de Natura Deorum: nam Vestæ nomen à Græcis: ea est enim quę ab illis ἑστία dicitur. Vis autem eius ad aras & focos pertinet. itaque in ea Dea, quæ est rerum custos intimarum, omnis & precatio, & sacrificatio extrema est. Nec longe absunt ab hac vi Dij Penates, siue à penu ducto nomine, (enim omne quo vescuntur homines, penus) siue ab eo quod penitus insident; ex quo etiā Penetrales à Poetis vocantur. Erant igitur Penates Dij familiares, quibus vinum & thus in sacris offerebatur, penes quos nos nati essemus qui superius commemorati esse putabantur. Alij tamen voluerunt Penates esse Apollinem & Neptunum, qui Troiana mœnia extruxere, & vestam: qui eximia religione apud Samothraces sculpti colebantur: mox à Dardano in Phrygiam, & è Phrygia in Italiam ab Ænea fuerunt delati: quam rem expressit Virgilius libro

secundo

secundo vbi Hector Æneæ Penates Deos ita commendat:

*Sacra suosque tibi commendat Troia Penates.*
*Hos cape fatorum comites, his mœnia quære:*
*Magna pererrato statues quæ denique ponto.*
*Sic ait: & manibus vittas, Vestamque potentem,*
*Æternumque effert adytis penetralibus ignem.*

Hæc si quis recte considerat nihil aliud esse Penates Deos existimabit, quam elemēta ipsa penes quæ nati sumus. Qui enim Apollinem & Neptunum Penates putarunt, nonne duo generationis principia Deorum nomine appellarunt, cum ex humore tanquam materia, & è calore tanquam artifice ad formam euocante, omnia nascantur? humor enim fœminæ, calor maris vice fungitur in reb. naturæ. His merito Vastam comitem addiderunt, tanquam condensandi corporis, quod gignitur, fundamentum. Quod idem sensisse videntur illi qui corporis generationē elementis concedunt, & animi vim de cœlo deducunt, vt illi superiores, qui Iouem, Iunonem, Mineruam, ac Vestam censuerunt. Finxerunt nonnulli adolescentes duos esse Penates, qui sedentes pilam vtrinque tenerent, qui quidem nihil aliud esse putabant, quam propriam singulorum fortunam atque euentus, cum penes nos nascerentur. Hos Penates vocarūt & magnos Deos, & bonos, & potētes quod penes illos vniuersam humanæ vitæ moderationem, singulorumque esse, arbitrarentur. Horum Deorum imagines quæ forent apud ciuitatum principes aut apud Reges, rerum vniuersarū ciuitatum tutelam credebantur habere: at quæ forent apud priuatos, priuatarum domorum: quippe cum omnia serie quadam fatorum gubernari & seruari crederentur: quam etiā Genium nominarunt, quare nunc dicamus de Genio.

## *De Genio.* CAP. III.

ENIMVERO Genius Iouis & Terræ filius fuisse dicitur, vt asserit Pausanias in Achaicis. Hic sine fœminæ congressu è semine Iouis in terram per somnum profuso natus esse dicitur, figura quidem humana, sed ambiguo sexu, quem postea Agdisten appellarunt. Huic cum sacra fierent ab antiquis flores complures humi spargebantur, vinumque illi in pateris offerebatur, vt innuit Horatius in secundo Epistolarum:

*Tellurem porco, Syluanum lacte piabunt,*
*Floribus & vino Genium memorem breuis aui.*

Inter arbores fuit platanus dicata Genio: atque crediderunt singulos homines, statim atq; nati fuissent, dæmones duos habere, alterum malum, alterum bonum, quorū nos sub tutela essemus, quos ambos Genios vocarunt, & putarunt nobiscum esse natos. Eius formā descripsit Pausanias in prioribus Eliacis, atque ait quo tempore vnus ex Vlyssis sociis, Temessensibus cæsus fuit, illos iussos fuisse per assiduas patriæ calamitates vnam è virginibus, quæ esset formosissima, vouere quotannis manibus eius socij Vlyssis. cum vero Euthymus ille, qui septuagesimam quintā olympiadem pugillatu vicerat, eo accessisset, ac postulans in tēplum fuisset admissus puellæ misericordia ductus, & eius amore præterea inflammatus, quæ sese illi nuptui concessum iri promiserat si eius virtute liberata fuisset ac euasisset periculum: fertur sumptis armis cum Genio eius socij Vlyssis cæsi, qui tunc illi apparuit, dimicasse, at Genius denique victus non solum extra mœnia Temessensium, sed etiam extra Temessensium agrum profugisse dicitur, tandemque se in mare demersisse, dicitur is fuisse colore vehementer atro, reliqua forma magnopere formidabili, ac pelle lupina, vt aiunt, apparebat amictus.

¶ Dictus est autem Genius, vt placuit Latinis, à gignendo, vel quia nobiscum gignatur, vel quia illi procreandorum cura diuinitus commissa putaretur. Hic creditur nobis clam nunc suadens, nunc dissuadens, vniuersam vitam nostram gubernare, esseq; mentis & voluntatis nostræ prope moderatorem. Nam existimantur Genij dæmones rerū quas voluerint nobis persuadere, spectra & imagines sibi tanquam in speculo imprimere, quod illis facilimum sit. In quæ spectra cum anima nostra clam respexerit, illa sibi veniunt in mentem, quæ si ratione perpendantur, tum recta fit animi deliberatio. At si quis posthabita ratione malorum, spectrorum & visorum ductu feratur, illa in multos errores incurrat necesse est si spectra fuerint, præcipue à malignis dæmonibus oblata. Ita multi fiunt supra modū libidinosi, aut crudeles aut auari, quæ omnia ad Genium referuntur. Inde factum est vt ita Socraticus crediderit Euclides, & Plato de Socratis dæmone cōsultore mentionem

fecerit

fecerit sæpius. Quod vero Genius dæmon fuerit, testatur Plutarchus, qui illum Bruto per noctem apparuisse scribit ita in eius vita: ὁ δὲ συλλογιζόμενος καὶ σκοπῶν πρὸς ἑαυτὸν, ἔδοξεν αἰσθέσθαι τινὸς εἰσιόντος· ἀποβλέψας δὲ πρὸς τὴν εἴσοδον, ὁρᾷ δεινὴν καὶ ἀλλόκοτον ὄψιν ἐκφύλου σώματος καὶ φοβεροῦ, σιωπῇ παρεστῶτος αὐτῷ. τολμήσας δὲ ἐρέσθαι, Τίς ποτ᾽ ὢν (εἶπεν) ἀνθρώπων ἢ θεῶν, ἢ τί βουλόμενος ἥκεις ὡς ἡμᾶς; ὑποφθέγγεται δὴ αὐτῷ τὸ φάσμα, Ὁ σὸς ὦ Βροῦτε δαίμων κακός· ὄψει δέ με περὶ Φιλίππους· καὶ ὁ Βροῦτος οὐ διαταραχθεὶς. Ὄψομαι, εἶπεν. ἀφανισθέντος δ᾽ αὐτοῦ, τοὺς παῖδας ἐκάλει· μήτε ἀκοῦσαί τινα φωνὴν μήτ᾽, ἰδεῖν ὄψιν φασκόντων. *Is igitur, cum quid secum ratiocinaretur, visus est sibi ingredientem quendam ad se perspexisse: quare oculis ad ingressum conuersis monstrosam quandam & horrendam formam aspexit, quæ silentio sibi postea astitit. Hanc interrogare ausus est Brutus, & quis inquit hominum es, aut Deorum? aut quid tibi vis? cur ad nos venisti? ad quæ submurmurans illa forma, Tuus sum, inquit, ô Brute, malus Genius, me videbis postea in Philippis. Tum Brutus minime exterritus, Videbo respondit. Cum vero is dæmon euanuisset, pueros ad se intro vocauit Brutus, qui nullam neque vocem se audiuisse, neque quidquam vidisse responderunt.* Alij igitur crediderunt elementorum symmetriam, quæ corpora humana ac viuentia omnia conseruaret, Genij nomine fuisse vocatam. Alij occultam vim planetarum, qua ad singulas res gerendas impellimur. Nam dæmones illi primum Geruli deinde Genij vocati sunt. Neque vero homines solum Genios habere credebantur, sed etiam plantæ, & ædificia, & loca, vt his ait Virgil lib. 7.

*Sic deinde effatus, frondenti tempora ramo*
*Implicat: & Geniumque loci, primamque Deorum*
*Tellurem, Nymphasque & adhuc ignota precatur*
*Flumina.*

Sed quoniam symmetria elementorum mores pro sua bonitate in nobis imprimit, quod etiam putatur vis siderum efficere, illud inuito Genio facimus. quod ab alia externa necessitate, & non sponte facimus. Defraudamusque Genium, vel illi indulgemus, cum iucunda voluntati nostræ subtrahimus, vel concedimus. Dixerunt Genio frontem præcipue esse dicatam, quoniam illa pars plerunque indicio est an inuiti, vel sponte quid faciamus: & an læ-

tiſſimus, vel triſtes. Ac de Genio ſatis, nunc dicamus de Laribus.

## De Laribus. CAP. IV.

AT Laribus diuerſa à Penatibus & à Geniis origo fuiſſe traditur: nam fama eſt è furtiuo Mercurij Laræque Almonis filiæ concubitu Lares geminos fuiſſe genitos, quia cum Lara Iouis adulteria Iunoni indicaſſet, Iupiter iratus illi linguam præcidit & ad infernam paludem relegauit; quam cum Iouis mandato eo deduceret Mercurius, in itinere compreſſit, ex quo nati creduntur ij dæmones, qui Lares ſunt vocati. Id ſignificauit Ouid. lib. 2. Faſtorum in his:

*Iupiter intumuit quoque eſt non vaſa modeſte,*
*Eripuit huic linguam, Mercuriumque vocat*
*Duc hanc ad manes, (locus ille ſilentibus aptus)*
*Nympha, ſed infernæ Nympha paludis, erit.*
*Iuſſa Iouis fiunt, accepit lucus euntes.*
*Dicitur illa duci tum placuiſſe Deo.*
*Vim parat hic, vultu pro verbis illa precatur,*
*Et fruſtra muto nititur ore loqui*
*Fitque grauis, geminoſque parit, qui compita ſeruant.*
*Et vigilant noſtra ſemper in æde Lares.*

Hanc Laram, ſiue vt alij dixerunt, Larũdam, nonnulli Maniam etiam appellarunt: cui vna cum Laribus compitalia ex oraculi reſponſo ſacra fiebant: atq; pueri apud Romanos pro familiarum ſalute immolabãtur. Nam credita eſt Mania ſi qua pericula familijs imminerent ea depellere cum fuiſſet expiata, ſequentibus poſtea temporibus apud eoſdem Romanos alliorum, papauerumq; capitibus pro pueris immutato ritu ſacrificatum fuit. Credebantur ab antiquis hi dęmones curam habere compitorum & ciuitatum, vt patuit è ſuperioribus carminibus Ouid. Erant his dęmonibus canes præterea, veluti etiam Dianæ, dicati, quia cõmunes familiarum cuſtodes putabantur: quibus etiam focus erat conſecratus; exiſtimabanturque tanquam penates domorum curam habere, quos etiam eſſe penates quidam crediderũt. quare effectum vt Laris nomine focum & vniuerſam domum vocauerint. Alij agrorum cuſtodes eſſe Lares cenſuerunt, vt ait Tibullus in 1. lib. Elegiarum.

Vos

*Vos quoque felicis quondam, nunc pauperis agri*
*Custodes, fertis munera vestra Lares.*

Et quoniam penates esse Lares putabantur, quæcunque de penatibus dicta sunt, Laribus etiam conuenire sunt putanda. Erat præterea consuetudo, vti Laribus vinum & thuris odor offerretur, exornarenturque variis florum coronis: quibus Diis etiam aliquando offerebantur soluti flores & primitiæ frugum. Nunc autem de Pallade verba faciamus.

## *De Pallade.* CAP. V.

EXISTIMO sane nos rem minime absurdam esse facturos, si post eorum Deorum explicationem, qui natos infantes excipere putabantur, Deos illos exposuerimus, qui pueros erudiendos ijs artibus excipiebant, ad quas Genius ipse credebatur impellere: illis interim fabulosis ac ridiculis Dijs, Deabusq; prætermissis, qui variis temporibus à vanis superstitionibus fuerunt introducti, vt Edulia, Potica, Cuba siue Cunina, & reliquis Diis huiuscemodi autoritatis. Et quoniam Pallas sapientia præfecta putabatur, quæ rebus omnibus magis humanæ vitæ est necessaria, eaque non inutilis Dea formandis credita est adolescentum ingenijs, de hac primum verba faciamus. Scriptum reliquit Pausanias in Atticis Mineruam Neptuni & Tritonidis Africæ paludis filiam fuisse, quæ Gygis temporibus floruit, de qua sic Herodotus in Melpomene: τὴν δὲ Ἀθηναίην φασὶ Ποσειδέωνος εἶναι θυγατέρα, καὶ τῆς Τριτωνίδος λίμνης. *Mineruam inquiunt Neptuni fuisse filiam & Tritonidis Paludis.* cui fabulæ faciunt fidem quod per eius natalem diem virgines certare inter se ludicris solebant apud eam paludem natalem Mineruæ celebrantes. est enim eadem & Pallas. Fuerunt tamen qui è Iouis cerebro armatam Mineruam natam fuisse memoriæ prodiderint, vt scripsit Apollonius. lib.4. Argonaut in his.

ἡρῷσσαι Λιβύης τιμήοροι, αἵ ποτ' Ἀθήνην,
ἦμος ὅτ' ἐκ πατρὸς κεφαλῆς θόρε παμφαίνουσα,
ἀντόμεναι Τρίτωνος ἐφ' ὕδασι χυτλώσαντο.

*Egregiæ Libyæ Heroinæ Pallada quondam*
*Cum patris, è capite exilijt clarissima paruam*
*Lauarunt Tritonis aqua, sordesque puellæ,*

Atqui primus omnium Stesichorus Mineruam è Iouis capite natum fuisse dixit: quem secutus est Apollonius: & acerrimus derisor humanæ dementiæ Lucianus in dialogis Deorum Iouem parturientem introducit, & Vulcanum cũ acutissima & prævalida securi, vt sibi caput diuidat, quod erat sibi pro castris: nam ex illo in duas partes diuiso armatam virginem erupisse inquit. neque Ioui, vt cæteris parturientibus, Lucina aut obstetricum mulierculárum turba astabat, cum nata sit Minerua sine matre: qua de causa illi fuit septenarius numerus consecratus à Pythagoricis. Illud autem idcirco contigisse memorat, quia Iupiter, cum Iunonem sterilem esse videret: grauiterque ferret orbitatem, cerebrum sibi percussit, vt aliquem filium procrearet, vnde nata est Pallas. At Hom. lib. 4. Iliad. nõ à Tritonide palude, sed ab oppido Bœotiæ Alalcomenio Alalcomeniam nominauit, quod apud se natam fuisse Mineruam dicerent Alalcomenij, vt ait Strabo lib. 9. qui postea libro decimoquarto scriptum reliquit in Insula Rhodiorum aurum pluisse cum Minerua è capite Iouis nata est. Apollodorus inquit lib. 2. Bibliothecæ, Persen & Astræum, & Palladem fuisse Crij & Euribiæ filios. Qui tamen videtur lib. 3. diuersas Mineruam & Palladem credidisse, cum ita scribat: *φασὶ γεννηθεῖσαν τὴν Ἀθηνᾶν, παρὰ Τρίτωνι τρέφεσθαι, ᾧ θυγάτηρ ἦν Παλλάς. ἀμφοτέρας δὲ ἀσκούσας τὰ κατὰ πόλεμον, εἰς φιλονεικίας ποτὲ προελθεῖν. Fama est natam Mineruam apud Tritonem educatam fuisse, cui filia erat Pallas: atque ambas cum res bellicas exercerent, in contentionem venisse.* Verum cum Pallas Mineruam esset vulneratura, Iouem veritum illi ægidem obiecisse. Tum territa Pallas respexit ad ægidem, quo tempore à Minerua vulnerata obijt: quod ægre ferens Minerua eius effigiem effinxit, thoracique ac pectori suo ægidem, quam timuerat, iniunxit: quod Palladium postea sequentibus temporibus fuit ad Troianos delatum. Nam vt ait Apollodorus Pallas Tritonis filia fuit ac Minerua alumna. Alij dicunt, inter quos Athenodorus fuit Byzantius, Thetidem in varias formas versam deniq; compressam à Ioue fuisse: quæ cum esset grauida, audiens Iupiter fore vt ex ea nasceretur, qui cœli imperio potiretur. illam absorbuit: quare ipse grauidus factus apud amnem Tritonem peperit. At vero ridiculum videtur, quod modo è Ioue, modo è

Tritonide palude, modo è Cranao, vt sensit Zezes, nata sit. Verum illud accidit, quia plures fuerunt Mineruæ, de quibus ita Cicero in tertio de Natura Deorum: Minerua prima, quam Apollinis matrem supra diximus: Secunda orta Nilo quam Ægyptii Saitæ colunt. Tertia illa, quam Ioue generatam supra diximus: Quarta Ioue nata & Coryphe Oceani filia, quam Arcades Coriam nominant, & quadrigarum inuentricem ferunt: Quinta Pallantis, quæ patrem dicitur interemisse, virginitatem suam violare conantem, cui pinnarum talaria affingunt. Atqui harum Mineruarum omnium facinora ad vnam Iouis filiam tertiam referuntur, sicuti de Ioue & reliquis Diis dictum fuit. Ferunt natam Mineruam à Dædale nutrice educatam fuisse, muliere sane ingeniosa, & ad omnia præclara opera prompta, quæ illam in teneris annis omnibus artibus ingenuis erudit, vt scriptum reliquit Posidonius in libro de Diis & Heroibus, Callimachus in hymno in lauacra Palladis, non solum eãdem Palladem & Mineruam esse censuit, verum etiam ostendit, quidquid Mineruæ collibuerit, idem Iouis nutu comprobari, in his:

*ὡς φαμένα κατένευσε. τὸ δ' ἐντελὲς ᾧ κ' ἐπινεύσῃ*
*Παλλάς, ἐπεὶ μώνᾳ Ζεὺς τό γε θυγατέρων*
*δῶκεν Ἀθηναίᾳ πατρώια πάντα φέρεσθαι.*
*Annuit his dictis Pallas, quodq; annuit illa*
*Perficitur. Natæ Iupiter hoc tribuit*
*Ipse Mineruæ vni, quæ sunt patris omnia ferre.*

Sic etiam Herodotus in Melpomene cum Mineruam Neptuni & Tritonidis paludis filiam nominasset, eandem Iouis filiam ascititiam rursus vocauit, vt est in his: *καί μιν μεμφθεῖσάν τι τῷ πατρὶ, δοῦναι ἑωυτὴν τῷ Διΐ. τὸν δὲ Δία ἑωυτοῦ μιν ποιήσασθαι θυγατέρα. At q; illam quadam de causa succensuisse patri, seq; ipsam Ioui tradidisse. Iouemq; suam ipsius asciuisse filiam.* quare ita inquit Homerus:

*Διὸς θυγάτηρ κυδίστη Τριτογένεια.*
*Iouis filia gloriosa Tritonia.*

Neque Homerus, aut reliqui poetæ illã Tritoniam appellarunt, quia sit è palude genita; quod quidem foret ridiculum: sed quia vel à Tritone educata sit, vel quia apud amnẽ eius nominis sit nata, cum ibi primum apparuerit vbi circa Tritonidis oram gentes Machlyes & Auses habitasse di-

cebantur: quorum virgines in turmas diuisæ, se inuicem per Mineruæ solennia fustibus & lapidibus cædebant. Harum si qua acceptis vulneribus obiisset, illam dicebant non fuisse virginem: quæ vero constantissima omnium fuisset, pluraque ac maiora vulnera pertulisset, illa cum Græco armorum apparatu, cistaque Corinthia in curru circa paludem cum magno suarum virginum applausu & lætitia circumferebatur, domumque iam lætissima deducebatur, vt scripsit Herodotus in Melpomene. Alii Itonii potius filiam fuisse crediderunt, & in Deorum numerum relatam, quia bellicosissima extiterit, vt in his ait Isacius: ὅθεν αὐτὴν ἐθεοποίησαν Ἕλληνες, καθότι καὶ τὴν πολεμικωτάτην. Ἀθηνᾶν, Ἰτωνίου μὲν ὑπάρχουσαν θυγατέρα. *Vnde ipsam in Deorum numerũ Græci retulerunt, tanquam bellicosissimam Mineruam, quæ fuit Itonii filia.* Fuerunt qui Pallantis filiam fuisse dixerint, vt dictum fuit, atque Mineruam primum fuisse vocatam; deinde Palladem, quia Pallantem patrem suum alatum sibi vim inferre, ac virginitatem rapere conantem obtruncarit: cuius pellem in ægidem composuerit, alasque sibi talarib. adiunxerit, vt ait in his idem Isacius: ἢ Πάλλαντα τὸν ἴδιον πατέρα πτερωτὸν ὑπάρχοντα, καὶ βιάζοντα ταύτην, ὡς θέλοντα συγγενέσθαι. ἢ τὴν παρθενίαν τιμῶσα, τοῦτον ἀνεῖλε, καὶ τὸ δέρμα αὐτοῦ εἰς αἰγίδα περιεβάλετο, καὶ τὰ πτερὰ τούτου τοῖς ποσὶ ταύτης περιήρμοσεν. *Vel Pallantem patrem suum alatum ipsamque violantem vt volentem cum illa concumbere quæ virginitatem plurimi faciens ipsam ceidit, eiusque pellem vt ægidem gestabat, atque alas suis pedibus accommodauit.* quare illam Græci in Deorum numerum retulerunt, cum tam præclarum suæ constantiæ ac temperantiæ argumentum edidisset, & Iodamam prætereaipsam impedire conatam intermisisset. quare de illa ita scriptum fuit à Simonide Ceo in 2. Genealog.

——— ὑψηλῶν ὀρέων

Πηλιάδες κορυφῇσιν ἐθάμβεον εἰσορόωσαι
ἔργον Ἀθηναίης Ἰτωνίδος, ἠδὲ καὶ αὐτοὺς
ἥρωας χείρεσσιν ἐπικροτέοντας ἐρετμά.

*Pelsades timuere videntes montibus altis*
*Palladis Itonidos factum, vel protinus ipsos*
*Spumosa heroas ferientes æquora remis.*

Alii Palladem nominatam fuisse maluerunt, quia cum aduersus Gigantes pro Ioue pugnasset, vt ait Callimachus in

laua-

lauacra Palladis,

*οὐδ', ὅκα δὴ λύθρῳ πεπαλαγμένα πάντα φέροισα*
*τεύχεα, τῶν ἀδίκων ἦνθ' ἀπὸ Γηγενέων·*
*Non armis quando permulta cæde cruentis*
*Venit ab iniustis horrida te rigenis:*

Pallantem Gigantem iaculo interfecerit, vt ait idem Isacius. Alii vocatam fuisse Palladem putarunt à iaculis mittendis, cum bellicosa sit Dea: alii, quia cor palpitās Dionysi ad Iouem detulerit. Nam Dionysus Iouis, & Proserpinæ filius frustratim à Titanibus fuit discerptus, cuius cor attulit ad Iouem Minerua, vt traditum est in fabulis. Huic Deæ cum armata dicatur è capite Iouis exiliisse, mox arma & currum tribuerunt, vt testatur Horat. in primo carminum:

*Iam galeam Pallas & Ægida,*
*Currusq; & rabiem parat.*

Et in his carminibus Stesichorus:

*Παλλάδα περσέπολιν κλήζω, πολεμαδόκον, ἁγνὰν,*
*παῖδα Διὸς μεγάλου δαμνοσπλον.*
*Pallada bellorum studiis cantamus amicam,*
*E Ioue progenitam magno, quæ destruit vrbes.*

Callimachus iam tum illi currum fuisse, cum pugnauit aduersus Gigantes, ait, & equos multos sanguine, multaque cæde conspersos: quia pugnabant antiqui è falcatis curribus. Hi igitur equi fuerunt à Pallade è bello redeunte in vndis Oceani loti, vt est in his:

*ἀλλὰ πολὺ πράτιστον ὑφ' ἅρματος αὐχένας ἵππων*
*λυσαμένα παγαῖς ἔκλυσεν ὠκεανῶ.*
*Sed prius illa iugis fumantia soluit equorum*
*Colla lauans alti fluctibus Oceani.*

Mirificum fuisse huiusce Deæ clypeum, miroque artificio extructum inquiunt, cuius formam ita describit Virgilius lib. 8.

*Ægidaq; horrificam, turbatæ Palladis arma,*
*Certatim squamis serpentum auroq; polibant.*
*Connexosq; angues, ipsamq; in pectore Diuæ*
*Gorgona desecto vertentem lumina collo.*

Nam vbi illud scutum concuteret, mirificum terrorem illis incutiebat, aut cōtra quos in bellum prodibat. Dictus est is clypeus, ideo Ægis quod ita vocaretur ante scutum Iouis, quia è pelle capræ factū fuerat: nam postea obtinuit cōsue-

tudo vt omnium Deorum ſcuta ægides vocarentur, quippe cum Herculis ſcutum ægidem etiam vocauerit Heſiodus in deſcriptione ipſius ſcuti. Fuerunt qui dixerint Palladem fuiſſe belli inuentricem, quod teſtatur Cicero in tertio de natura Deorum hoc pacto: Liberum alterum patre Cœlo, qui genuiſſe Mineruam dicitur quam principem & inuentricem belli ferunt. quam etiam Virgil. lib. 11. præſidem belli nominauit:

*Armipotens, belli præſes Tritonia virgo.*

Nam & Arion Methymnæus omnibus mortalibus prior Orthria carmina in Palladem compoſuit & cantauit, quorum is erat rhythmus, vt eo animi hominum mirum in modum ad bellum inflammarentur, quibus poſtea modulis vſi ſunt in caſtris Methymnæi. Hæc Dea ſemper virgo fuiſſe creditur, vt Diana, & Veſta, quas omnes Homerus in hymno in Venerem commemorauit. Ac ita de Mineruæ officio, virginitate & inuentis:

τρισσὰς δ' οὐ δύναται πεπιθεῖν φρένας, οὐδ' ἀπατῆσαι,
κούρην τ' αἰγιόχοιο Διὸς γλαυκώπιδ' Ἀθήνην.
οὐ γάρ οἱ εὔαδεν ἔργα πολυχρύσου Ἀφροδίτης,
ἀλλ' ἄρα οἱ πόλεμοί τε ἅδον, καὶ ἔργον Ἄρηος,
ὑσμῖναί τε, μάχαι τε, καὶ ἀγλαὰ ἔργ' ἀλεγύνειν.
πρώτη τέκτονας ἄνδρας ἐπιχθονίους ἐδίδαξε
ποιῆσαι σάτινα καὶ ἅρματα ποικίλα χαλκῷ.
ἡ δέ τε παρθενικὰς ἁπαλόχροας ἐν μεγάροισιν
ἀγλαὰ ἔργ' ἐδίδαξεν ἐπὶ φρεσὶ θεῖσα ἑκάστῃ.

*Sed tribus haud potuit ſuadere, aut fallere mentes,*
*E Ioue prognata, cui lumina glauca, Minerua.*
*Aurea non illi Veneris ſunt munera cordi:*
*Prælia ſed placuere feri ſed munera Martis,*
*Sed cædes, ſed bella, ſed & certamina, pugnæ.*
*Prima viros docuit currus, orbeſq; rotarum.*
*Suppoſuiſſe, l gent quas partes robora ferri.*
*Virginibuſq; eadem monſtrauit prima domi quæ*
*Munera conueniant, animiſq; impreſſa notauit.*

Hæc prima ædificãdi viam inueniſſe dicitur, vt teſtatur Lucianus in Hermotimo: φησὶ γὰρ ὁ μῦθος ἐρίσαι Ἀθηνᾶν καὶ Ποσειδῶνα καὶ Ἥφαιστον εὐτεχνίας πέρι. καὶ τὸν μὲν Ποσειδῶ ζῶον ἐρ[illegible] ἀναπλάσαι, τὴν Ἀθηνᾶν δὲ οἰκίαν ἐπινοῆσαι. *Inquit enim fabula Palladem Neptunum ad Vulcanum de artificio contendiſſe: at-*

*ſe: atq; Neptunum taurum fabricaſſe, Palladem excogitaſſe domum.* Eiuſdem inuentum eſt colus, vt ait Theocritus Ægloga triceſima quarta, & Virgil. lib. 7.

*Non illa colo, calathiſue Mineruæ*
*Fœmineas aſſueta manus.*

Hæc eadem tibiarum vſum & muſicam excogitauit, hæc acu pingere, telam texere, omne lanificium, leges, claſſicaq; adinuenit. quorum inuentorum mentionem fecit Ouid. lib. 6. Mutationum, & ita lib. 3. Faſtorum:

*Pallade placata lanam mollire puellæ*
*Diſcant, & plenas exonerare colos.*
*Illa etiam ſtantes radio percurrere telas*
*Erudit, & rarum pectine denſat opus.*
*Hanc cole qui maculas læſis de veſtibus aufers.*
*Hanc cole velleribus quiſquis ahena paras.*
*Nec quiſquam inuita faciet bene vincula plantæ*
*Pallade: ſit Tychio doctior ille licet.*

Cultum præterea & plantationem oleæ inuenit, & fructus expreſſionem, cum planta quidẽ ante naſceretur, ſed ignota inter cæteras arbores. nam vt teſtatur Herod. in Terpſichore, quibuſdam temporibus apud neminem, niſi apud Athenienſes, oliua inueniebatur. Atque cum Epidaurii ex oraculo Apollinis Delphici ſtatuas erigere Damiæ & Auxiſiæ iuberentur, percunctati ſunt æreas ne an lapideas erigerent. Cum reſpondiſſet Pythia ex oliua domeſtica, ad Athenienſes confugerunt. ἐδέοντο ὦν οἱ Ἐπιδαύριοι Ἀθηναίους ἐλαίην σφι δοῦναι ταμέσθαι, ἱρωτάτας δὴ κείνας νομίζοντες εἶναι. λέγεται δὲ ὡς ἐλαῖαι ἦσαν ἄλλοθι γῆς οὐδαμοῦ κατ᾽ ἐκεῖνον τὸν χρόνον ἢ Ἀθήνῃσι. *Rogarunt igitur Athenienſes Epidaurii, vt ſibi oliuam cadere permitterent. cum maxime ſacras illas arbitrarentur. Ferunt enim quod per id tempus nullibi, niſi apud Athenienſes, erant oliuæ.* quare etiam annua ſacrificia mittere Athenas pro cæſis oliuis Epidaurii pepigerunt. Cum vero oliuæ fructus ad omnes artes ſit accommodatus, oleum ſcilicet, omnes denique artes Minerua inueniſſe creditur. Nam profecto nulla eſt fere ars, quæ non olei beneficio vtatur, aut aliqua ex parte adiuuetur; ſicuti etiam ignis munere. quare non iniuria ſenſit Æſchylus, vt antiquorum ſcriptorum plerique, Prometheum omnes artes excogitaſſe quod ignem de cœlo ad mortales detulit, vt ſuo loco aper-

tius à nobis & oportunius explicabitur, cum pertractabimus illa quæ fabulose dicta sunt à maioribus de ipso Prometheo. Fama est adeo virginitatis fuisse studiosam Mineruam, vt cum forte se lauans in fonte Heliconidis Hippocrenes cõspecta fuisset à Tiresia, illum cæcum fecerit, quoniam periniquum sibi videbatur, quod mortalis aliquis gloria posset se nudam, lauantemq; Mineruam vidisse. Verumtamen Chariclo Tiresiæ mater ab eadem postea imperauit, vt pro lumine corporis, mentis splendorem & artem diuinandi ab ipsa Minerua Tiresias obtineret, vt patet ex hymno Callimachi in lauacra Palladis Quare illud non satis considerate dictũ est à poëtis, quod Paris nudam Palladem cum reliquis deabus iudicarit. Nec defuerit qui illam prope violatam fuisse inquiant à Vulcano, cum ad illum accessit petens, vt sibi arma fabricaret, vt scribit Apollodorus lib.3 Nam Vulcanum absente Venere constuprandæ Mineruæ cupido incessit: quæ cum reluctaretur, neque virum vllo modo pati vellet, fertur Vulcanus semen in eius femur deniq; effudisse, quod ab ea lana detersum & in terram deiectũ fuit, è quo natus est Erichthonius, qui & contentionis & terræ nomen continet, qui Pandrasi Cecropis filiabus in cista seruandus traditus fuit: quæ postea in furorem actæ, quia contra Deæ mandatum cistam aperuissent, se ex arce summa præcipitarunt: vel, vt aliis magis placuit, à serpente in cista cum Erichthonio latente fuerunt interemptæ. Neque prætermittenda esse illa sane hoc loco censuerim, quæ mirifica de vi Palladii ab antiquis scriptoribus memoriæ prodita fuerunt: appellata sunt Palladia, vt dicere solebat Pherecydes, omnes imagines, quæ manibus non essent factæ, & omnes quæ forent è cœlo in terram deiectæ. cuiusmodi fuisse dicitur illud Mineruæ celeberrimum Palladium, id enim fuisse trium cubitorum fertur, & è cœlo in Pessinuntem Phrygiæ ciuitatem, quæ ab eo casu nomen obtinuit, vt Dio putauit & Diodorus, delapsum. Quãquam non defuerunt historici qui ab alio casu circa Ganymedem raptũ, cum multi ibi in bello cecidissent, quo tempore Ilus frater Ganymedis aduersus Tantalum, quem rapuisse Ganymedem putabat, dimicaret, ita vocatum fuisse crediderint. Ioannes Antiochus Palladium illud non quidem de cœlo cecidisse scribit, sed ab Asio quodam philosopho,

ſopho, ad cuius gratiam vocata ſit Aſia mundi pars, ac mathematico per optimum horoſcopum fabrefactum: ita vt illa ciuitas eſſet inexpugnabilis, in qua illud Palladium inuiolatum ſeruaretur: quod etiam largitus eſt Troianis. At Apollodorus ſcriptum reliquit lib. 3. quod vbi Ilus Ilium condidit diſcolorem bouem ſecutus. Deos precatus eſt, vt aliquod ſibi ſignum appareret, atque tunc decidit Palladiũ trium cubitorum, quod ſponte ambulare videbatur dextra haſtam tenens, ac ſiniſtra manu colum & fuſum. Huic Ilo poſtea reſponſum fuit ab oraculo tamdiu ciuitatem Troię incolumem futuram, quamdiu inuiolatum illud Palladiũ in vrbe ſeruaretur. Quidam addiderunt difficultatibus capiendæ Troiæ ſagittas Herculis, quæ dono datæ fuerant Philoctetæ, cui moriens Hercules in OEta monte inter Theſſaliam & Macedoniam mandauit ne cui corporis ſui reliquias indicaret, atque illud factum iuramento affirmari voluit, cum donauit illi ſagittas. Sed cum poſtmodo Delphicum oraculum Græcos monuiſſet Troiam ſine ſagittis Herculis capi non poſſe, aut ſine reliquiis corporis, inuentus eſt Philoctetes, & de Hercule interrogatus negauit ſe quidquam ſcire. Sed cum maxime cogeretur, ne iuſiurandum violaret, tacuit quidem, ſed pede locum oſtendit. Fuerunt tamen nonnulli, qui non ſemper virginem fuiſſe Mineruam crediderint, quippe cum Pauſanias in Atticis Hygiam Mineruæ & Æſculapii filiam fuiſſe ſcribat. Atque Minerua ipſa Hygia ſiue ſalubris cognomento fuit appellata. Sic & Laphria & Mamerſa apud Athenienſes, vt memini Lycophron in his?

——— οἱ δὲ Λαφρίας
οἶκοι Μαμέρσας ἠθαλωμένοι φλογί.
——— *atque Laphria*
*Domus Mamerſa exuſta flammis horridis:*

Vocata eſt fortaſſe Laphria quoniã ſpolia quæ de captiuis hoſtibus reportantur, Laphyra dicuntur: & rurſus Pyletis, quoniam pingebatur ab antiquis in portis ciuitatum, quã etiam in priuatarum domorum foribus collocabant, tanquam Martem in ſuburbanis. Hanc nominauit Budiam & Æthyiã Lycophron, quia arantes & nauigantes protegere & ſeruare putabãtur. Dicta eſt & Iconia a ciuitate Bœotiæ, vt ait Apollonii enarrator. Fuit eãdẽ Iſmenia & Æcęa apud

Thebanos, vel vt putarũt alii Alalcomenia, & Cadmea culta est & Tritonia, & Telchinia, & Polias, & Machinatrix, Pronœa, Zosteria, Panadæis, Halea, Ergana, Cydonia, Coria, Hippoleris, Pania, Tithrone, Sospita, Ergare, Ophthalamis, Alea, Axiopœna, Narcæa, Cissæa, Promachorma, Saitis, Poliuchos. Chalciœcos, Equestris, Apaturia, Cyparissia, Frænatrix, Ambulia, Hospitalis, Perspicax, Pæonia, Sciriăs, Sunias, atque multa denique fuerunt illi variis de causis iniuncta cognomina. Celebrabantur Lampadophoria in huius honorem Deæ, vt alibi dicemus, cui taurus candidus aliquando, aut indomita iuuenca immolari consueuit ab antiquis. vt testatur Ouid. lib. 4. Metamorph.

*Diis tribus ille focos totidem de cespite ponit,*
*Læuum Mercurio, dextrum tibi bellica virgo,*
*Ara Iouis media est: mactatur vacca Mineruæ,*
*Alipedi vitulus, taurus tibi summe Deorum.*

Atque tot de iis quæ fabulose dicta fuerunt de Minerua, dicta sufficiant.

¶ Nunc reliquum est, vt quid per hæc fabulosa significare voluerint antiqui, perquiramus. Quid aliud significat Palladem fuisse Neptuni & Tritonidis paludis filiam, quã sapientiam ex illis perturbationibus nasci, quas homines in vita & in mari præcipue experiuntur; aut quis nesciat vitam nostram multis calamitatibus assidue, quasi Neptuni tempestatibus exagitari; nam qui maris est ignarus, vt ego quidem censeo, malorum est ignarus. Ex importunis igiter vitę perturbationibus, & è cœno tenebrarum mentis & inscitiæ nascitur sapientia: quæ quoniam res est diuina & Dei munus, dicitur à nonnullis merito Minerua è Iouis capite fuisse nata, quando memoriæ & sapientiæ sedes est caput, in quo diuinum est & incredibile Dei & naturæ opificium. Dicta est rursus Iouis filia, quia sapientia & peritia nascitur regib. ex assidua exercitatione ac varietate negociorum. Nata est armata, quod nunquam inermis est animus sapientis ad euentus fortunæ vel consilio, vel patientia superandos. Hanc Deam populatricem ciuitatũ appellarunt, quia plurimum possit sapientia & consilium in reb. bellicis ad euertendam consceleratorum improbitatem, cum graue sit sapientem hominem hostem habere. nam & Homerus non Aiacem aut Achillem populatores vrbium appel-

appellauit ob ferocitatem, sed Vlyssem ob sapientiam. Hæc nata esse dicitur sine matre, quia perrara est in fœminis sapientia. Nec me latet sane illam dictam fuisse ab Ægyptiis sibi perpetuam virginitatem indixisse, quia præstiterit temperātiam, quæ cum esset ingeniosa, multas artes inuenit, & inprimis studiosa fuit rei bellicæ, cum robore & fortitudine præstaret. confecit & alias res memorabiles, & Ægida feram vocatam mōstrum prope inexpugnabile obtruncauit. illud cum è terra genitum esset, immensam flāmam ex ore proflabat, primumq; apparuit in Phrygia, quā combussit, vnde Phrygia diutissime vocata fuit vsta. Inde accessit ad loca mōti Tauro proxima, omnesque syluas ad Indiam vsq; in cineres conuertit. atque cum ad mare descendisset apud Phœnicas, concremauit syluas ad montem Libanum, per Ægyptumque in Libyam penetrauit, ac demum in nemora Ceraunia, qua regione concremata, hominibusq; vel extinctis vel fugatis è patria ob metum, Palladem inquiūt prudentia & robore præstantem monstrum interemisse, eiusque pellē suo pectori gestamē adaptasse, partim ad propulsanda pericula, partim etiam vt gloriosum monumentū rerum gestarum. At terra mater monstri dicitur irata peperisse Gigantes Dijs aduersarios, quos Iupiter adiuuantibus Pallade & Dionyso vna cum Diis aliis debellauit. Vocata fuit Tritonia, vt sensit Callisthenes, quia tertio die Lunæ nata fuerit, cuiusce rei facit argumentum, quia apud Athenienses is dies consecratus est Palladi. Ab hoc magnopere dissentiunt qui Trito caput dici apud gentes Ponticas existimarunt, cum cranium in tres partes findatur. alij Lunam ita dici crediderunt, quia tertio die à coniunctione apparere soleat: quāuis eodem die aliquādo nonnullis caussis cumulatis & vetus & noua prodeat. Nec defuerunt qui animā esse arbitrarentur, quæ sic vocetur, cuius tres sunt vires, ratiocinandi, cupiendiq; & qua ira concitetur. Alij aera esse maluerunt, qui tribus temporibus maxime immutatur & generatur vere, æstate, hyeme: cum annus fuerit in hæc tria tempora diuisus. Hanc marem & fœminam esse inquit Orpheus in hymnis: *Ἄρσην μὲν καὶ θῆλυς ἔφυς: fœmina masq; eadē es*. quoniam sapientis est & cedere tempori, & vti opportunitatibus. Præclare sane fictum est ab antiquis Iouem suas vires vni Mineruæ impertiuisse, quia Deus maxime amat

ſapientem virum, neq; vlla eſſe poteſt ſapientia quæ à Deo diſſideat, quæ eadē cauſa eſt, cur fuerit à Ioue pro filia aſcita. Ægyptij hāc Iouis fuiſſe filiam & ſemper virginem tradiderunt, cum aer ſit natura incorruptibilis, ſupremumque locum habeat, vnde è capite Iouis nata dicitur. at Tritonidem. quia ter mutat naturam quotannis, æſtate, vere, hyeme Demonſtrauit hæc præterea in bello Giganteo omnem vim humanam quæ aduerſus Deum inſurgeret omnem temeritatem, omnemque arrogantiam eſſe vanam, cum nonnullos ex ijs nullo prope negocio trucidarit. Sed quoniam in bellis gerēdis præcipue neceſſaria eſt ſapientia, hæc bellis præfecta eſt, cui ſcutum perlucidum, & multis anguibus circumtectum tribuitur. At enim quæ natura eſt anguium? vt acutiſſi ne cernāt, vnde etiam nomen à Græcis obtinuerunt. Nam niſi vigilantia & prudentia rebus vel longe proſpiciendis Imperatorem caſtrorum decorauerit, quis non videat ſæpius hoſtium inſidias aut impetus repentinos à caſtris arceri non poſſe? quibus omnibus periculis caſtrorum & ciuitatum proſpicit rerum omnium moderatrix & Deo amica ſapientia. Eius ſcutum quod præ ſe ferret, clariſſimū & cryſtallinum effingitur? quoniā ſapientis veritatem, & omnem vitæ rationem omnibus conſpicuam eſſe, maximum eſt aduerſus fortunæ iniurias propugnaculum, & in aduerſis rebus conſolatio. Huic Deæ noctuam ſacram auem eſſe voluerunt, quia vbiq; videat ſapientia, & illa etiam diiudicet, quæ cæteris obſcura videantur: cui gratus eſt draco eadem de cauſa, at cornicem ob garrulitatē auerſatur. Datur illi criſta & galea: quia non ſolis viribus vti conueniat, ſed etiam vrbanitate & moderatione quadam in rebus omnibus cum ornamento. Cuſpis vero tribuitur propter neceſſarium acumen ingenij: nam qui craſſo ingenio eſt ab ipſa naturæ præditus, neque munus Dei clariſſimū acceperit iudicium, hunc vel decē Mineruæ expolire nunquam poterūt. Inſidebat caſſidi huiuſce Deæ gallus gallinaceus, vt ait Pauſanias in prioribus Eliacis, quia pugnax ſit id animal, vel potius, vt ego arbitror, quia præſcia ſit futurorum temporū illa auis & vigilantiſſima. Hæc amica Muſarū & ſemper virgo exiſtimata eſt, quoniā voluptates omnes grauiſſimæ ſunt ſapientiæ aduerſariæ, ac Venus præcipue, quæ memoriā, bonitatemq; ingenij maxime debilitat. Neq; aduerſus

uersus hanc insurgere quisquam audet, cum faciem horrendam Gorgonis gestaret in pectore, quę viperas habebat pro capillis, quoniam maxime formidabilis est sceleratis hominibus vir sapiens, & vigilans, & moderatus, & in rebus agendis prouidus. Hanc vnam ex omnibus Diis proximum Ioui locum tenere putarunt poetæ. quare ita scribit Horatius:

*Proximos illi tamen occupauit*
*Pallas honores.*

Est enim vir sapiẽs Deo similis tum ob rerum humanarum contemptum, quas longo interuallo sub se relinquit, tum etiam ob potentiam. & in negocijs transigendis fælicitatẽ. Tanta est enim ipsius sapientiæ præstantia & splendor, vt Pallas artes prope vniuersas excogitasse dicatur. Hęc oleam inuenisse etiam dicitur, quoniam disciplinæ & præstantes omnes artifices oleo & lucubrationibus egeant. Tiresiam idcirco cæcum fecisse dicitur, quod ipsam nudam vidisset, quia qui dulcissimum sapientiæ fructum gustauerit, aut lumen eius perceperit, ad res cæteras cæcus lubens efficitur: vel, vt alij maluerunt, quia cum diuinam sapientiam inspicimus, nos cæcos esse & nihil scire omnino cognoscimus. At si postea diuina ope adiuuante res inspiciamus, tunc ꝙ demptum fuerat corpori, mentis, oculorum, & animi incredibile acumen recuperamus, resq; futuras sapiẽter prædicimus. Neque videntur rem altius considerasse. qui Paridem nudas inquiunt has Deas iudicasse, Venerem, Iunonem, Palladem: quia si diuinæ sapientiæ suauitatem semel percepisset, eamque paulo diligentius fuisset intuitus, omnes voluptates corporis nedum immundæ libidinis, omnemque humanam potentiam pedibus conculasset. Nam illas indutas iudicauit, cum non bene cognouisset, & donis potius, quam conscientia commotus. Credita est portis ciuitatum, priuatarumque domorum præfecta, vt ait Æschylus in Eumenidibus:

*κὴ κλῇδας οἶδα δωμάτων μόνη θεῶν.*
*Claues domorum sola Deis ex omnibus Noui.*

Quia sapientia omnib. & ciuitatibus, & priuatis domibus moderatur: cum illa sola ciuitas vel domus diu incolumis esse possit, quæ Mineruæ legibus obtemperarit, modestiæ scilicet, & parsimoniæ, & temperantię: cum Martis opus sit

Pernoctare extra ciuitatem, vrbesq; ab hostibus defendere. Nam domi leges, & consilium in rebus deliberandis, foris industria & robore opus est, non segniter ijs quæ deliberata sunt & cito peragendis. Erit igitur tam diu ciuitas incolumis & inexpugnabilis ab hostibus, quamdiu inuiolatum in ea Palladiũ seruabitur. Quid hoc significabat Dij boni? an adeo stupidi sunt homines, vt nesciant neq; lapideã, neque ligneã, neq; æream statuã per hæc recte significari? an credendum est statuarios esse in cœlo, è quorum officinis, vt primum absolutæ sunt statuæ, ad nos aufugiant? quid hoc est monstri Dij boni? Quis non intelligit mirificam quandam sapientiam sub hac fabula occultari? Nam ciuitas illa, in qua religio, ac Deorum metus parui fiat, in qua sapientia desit in rebus publicis administrandis, in qua iustitia nulla sit, in qua non viri boni, sed opulenti & gratiosi summæ rerum præficiantur, diutius consistere non potest. Ast vbi sapienter omnia gubernantur, neq; vlli impune fit iniuria, tunc inuiolatum persistit Palladium, neque vlla vis est humana, quæ ciuitatem illam vel possit vel cupiat euertere. Illud videtur significasse Æschylus in Persis in eo carmine:

θεοὶ πόλιν σώζουσι Παλλάδος θεᾶς.

*Vrbem Dei Deæ tuentur Palladis.*

Quod si Paris vel res alienas per iniuriam nõ attigisset, vel si Priamus male ablatas reddidisset, & eandem rationem secuti fuissent posteri, nũc etiam staret amplissimum Troianorum Imperium. Dicitur Palladium è cœlo delapsum, quia res diuina sit sapientia, cuius initium est timor Dei; atque omnis humana sapiẽtia originem habet à Deo: quare Palladium de cœlo cecidit. Hæc necessaria est terram colentibus, hæc nauigantibus, hæc artes exercentibus, cum omnia sapientiæ pareant: quod ea Mineruæ cognomina significarunt. Non defuerunt tamen qui Mineruam esse crediderunt vim Solis, quæ mentibus humanis sapientiam infundat, cui multos angues tribuerunt ob flexum Solis cursum in signifero circulo. Splendorem clypei clarissimam Solis naturam putarunt. Gorgonis caput in pectore gestabat, quia nemo contra Solis claritatem aut contra sapientiã aciem oculorũ intendere impune potest. Hæc nata est è Iouis capite, è summa scilicet ætheris parte, quæ purissima est, paresque sibi vires Iupiter impertiuit, quo-

quoniam post Deum ipsum omnium agentium in res humanas vis Solis potentissima est, quae facit vt aliae res intereant, aliae oriantur, semperque mouetur praesentium rerum vicissitudo. Atque de Pallade satis, nunc de Prometheo dicamus.

## *De Prometheo.* CAP. VI.

ATQVI Prometheum multarum artium inuentorem omnes consentiunt Iapeti fuisse filium, sed de matre magna est controuersia, siquidem, vt aliis placuit, Asiae Nymphae filius fuit: alij ex Asope, alij ex Themide natum esse putarunt. Hesiodus in Theogonia Clymenes & Iapeti filium fuisse scribit in his:

κούρην δ' Ἰαπετὸς καλλίσφυρον Ὠκεανίνην
ἠγάγετο Κλυμένην, καὶ ὁμὸν λέχος εἰσανέβαινεν.
ἡ δέ οἱ Ἄτλαντα κρατερόφρονα γείνατο παῖδα.
τίκτε δ' ὑπερκύδαντα Μενοίτιον, ἠδὲ Προμηθέα
ποικίλον αἰολόμητιν, ἁμαρτίνοόν τ' Ἐπιμηθέα.

*Iapetus Clymenen duxit de hinc Oceaninen*
*Perpulchram, simul hique thorum pressere iugalem.*
*Mox Atlanta parit prudentem deinde Menoeti.*
*Te genuit, pariterque Promethea callida cui mens.*
*Hinc Epimetheus exoritur, quem fallere promptum est.*

Fuit autem Iapetus vnus è Titanibus qui aduersus Iouem arma sumpserunt, qui ante bellum Giganteum filiam habuit Anchialen, à qua nominata est vrbs Ciliciae, de quo ita Virg. in primo Georg.

*——tum partu terra nefando*
*Coeumque Iapetumque creat, sauumque Typhoea.*

Quare cum herbas quas colligebat Medea, recenseret Apollonius, & inter illas quandam, cuius vires prior obseruarat Prometheus vel (vt alij maluerunt) rem fabulose explicantes, ex ipso Prometheo natam nominaret, illam Titanidem vocauit ita in libro tertio:

μυκηθμῷ ὑπένερθεν ἐρεμνὴ σείετο γαῖα.
ῥίζης τεμνομένης Τιτηνίδος· ἔστενε δὲ αὐτὸς
Ἰαπετοῖο πάϊς ὀδύνῃ περὶ θυμὸν ἀλύων.

*Terribili tremuit mugitu terra sub ipsa*
*Radice incisa Titanide: at ipse dolore*
*Filius Iapeti gemuit, tenuitque querelas.*

Hic habuit vxorem Asiam, vt inquit Herod. in Melpomene, & præterea Hesionem, & Axiotheam, vt Isacius meminit. Habuit sororem Ephyram, fratrem Epimetheum, Buphagum Menœtium, & Atlantem, & alios complures: nam ad triginta fratres fuisse dicuntur filium habuit Deucalionem, de quo ita Apollon. lib. 3.

——— ἔνθα Προμηθεὺς
Ἰαπετιονίδης ἀγαθὸν τέκε Δευκαλίωνα,
ὃς πρῶτος ποίησε πόλεις, καὶ ἐδείματο νηοὺς
ἀθανάτοις.

*——— Hic ipse Prometheus*
*Filius Iapeti genuit mox Deucalionem,*
*Primus templa Deis, primus qui condidit vrbes.*

Habuit filius præterea Lycum & Chimareum è Celæno, Hellenem è Pyrrha, à quo dicti sunt Græci. Suscepit ex alia nympha etiam Theben, quæ nomen dedit Thebanæ vrbi, sicut eius soror Ægina Æginæ. Hic fertur homines primum è luto finxisse, & vniuersi generis hominum fuisse parens, vel potius artifex. quod ita testatur Ouid. in lib. 1. maioris operis:

*Siue recens tellus, seductaque nuper ab alto*
*Æthere cognati retinebat semina cœli:*
*Quam satus Iapeto mistam fluuialibus vndis*
*Finxit in effigiem moderantum cuncta Deorum.*

Et Antipater in hisce carminibus:

ἀδάμαλις (δοκέω) μυκήσεται ἦ ῥα Προμηθεὺς
οὐχὶ μόνος πλάττεις ἔμπνοα, καὶ σὺ Μύρων.

*Mugiet ipsa (puto) bos olim, haud ergo Prometheus*
*Effinxit solus viua, sed inde Myro.*

Nam fama est Prometheum cum hominē fingeret portiones captas è singulis elementis suo operi admiscuisse: atq; pro ipsorū elementorum tēperamentis non solū vires singulis corporibus addidisse, sed etiam motus amicorum & mores. Qui vero etiā magis fabulose rem aggressi sunt explicare, dixerunt timorem leporis, astutiam vulpis, pauonis ambitionem, tigridum feritatem, leonum iracundiam & magnitudinem animi fuisse hominib. ab ipso Prometheo iniunctas: quod ita significauit Horat. in primo Carminū.

*Fertur Prometheus addere principi*
*Limo coactus particulam vndique*

*Desectam,*

*Desectam & insani leonis*
*Vim stomacho apposuisse nostro.*

Nam memoriæ prodidit in Phocaicis Pausanias non procul à Panopensibus apud torrentem quendam saxa fuisse ingentia, reliquias creditas eius luti, è quo Prometheus vniuersum genus hominum finxit. Hūc poetica quadā cum suauitate reprehendit Propertius in lib. 3. quia cum plurimum operæ in corpore hominum recte formando consumpsisset, mentem neglexerit, in qua scite & optime formanda totum studium erat adhibendum: sic enim inquit:

*O prima infelix fingenti terra Prometheo*
*Ille parum cauti pectoris egit opus.*
*Corpora disponens, mentionem non vidit in arte:*
*Recta animi primum debuit esse via.*

Dicitur Prometheus aliquando duos tauros Ioui immolasse, atque eorum carnes ab ossibus diuisisse: tum in alteram pellium carnes, in alteram ossa inclusisse, deinde Ioui dedisse optionem vtrum mallet taurum eligendi. Iupiter capta optione cum dolos eius viri grauiter ferret, vt iustam oportunitatem vltionis nactus videretur, ossa elegit, atque illa fraude iratus ignem mortalibus eripuit, vt testatur his verbis Hesiodus in Theogonia:

*τῷ μὲν γὰρ σάρκας τε καὶ ἔγκατα πίονι δημῷ*
*ἐν ῥινῷ κατέθηκε καλύψας γαστρὶ βοείῃ.*
*τῷ δ᾽ αὖτ᾽ ὀστέα λευκὰ βοὸς δολίῃ ἐπὶ τέχνῃ*
*εὐθετίσας κατέθηκε, καλύψας ἀργέτι δημῷ.*
*δὴ τότε μιν προσέειπε πατὴρ ἀνδρῶν τε θεῶν τε·*
*Ἰαπετιονίδη πάντων ἀριδείκετ᾽ ἀνάκτων,*
*ὦ πέπον, ὡς ἑτεροζήλως διεδάσσαο μοίρας.*
*Pelle sub hac bubula carnes & pinguia cuncta*
*Viscera composuit, recteque ligauit in vnam.*
*Altera repleta est, qua condidit arte dolosa,*
*Ossibus, vsque adipis tectis candore superne*
*Talia deinde refert hominum pater, atque Deorum:*
*Iapetoniade cunctorum maxime Regum,*
*Stulte, quid has partes componis ita arte dolosa;*

Cum vero iratus Iupiter illa de causa ignem hominibus rapuisset, fertur Prometheus Mineruæ auxilio ascendisse in cœlum, ibiq; ferula ad currum Solis admota ignē rursus in terras detulisse, quod inquit Horatius in primo carminū:

*Audax Iapeti genus*
*Ignem fraude mala gentibus intulit.*
*Post ignem ætheria domo*
*Subductum, &c.*

Id cum resciuisset Iupiter, Vulcano imperauit vt fœminam è luto componeret, quæ cum astutissima esset & omnibus artibus à Dijs donata, vocata fuit Pandora. Neque ante illam extitisse fœmineum sexum crediderunt, vt testatur Pausanias in Atticis. Hanc fabulantur missam fuisse à Ioue ad Prometheum cum omnibus malis in vasculo inclusis: quod munus cum spreuisset Prometheus, illa ad Epimetheum contẽdit, qui dempto vasculi operculo omnia mala euolare sentiens, vix vltimam & in imo residentem spem occlusit, cum qua vas illud seruauit. Cum vero Prometheus Iouis munus reiecisset, quod insidias formidaret, dicitur è Mercurio Iouis iussu ad Caucasum montem adductus, & in spelunca, quæ erat apud Paropamissadas, vinctus, vt testatur Strabo libro decimoquinto, ne tantum furtum videretur impune contra Iouis voluntatem commisisse. dicunt præterea huic additam fuisse aquilam, Thyphonis filiam, vt ait libro secundo historiarum Pherecides, & Echidnæ Phorbantis, quæ iecur illius assidue renascens laniaret ac deglutiret, vt ait Apollonius lib. 2.

καὶ δὴ Καυκασίων ὀρέων ἀνέτελλον ἐρίπναι
ἠλίβατοι, τόθι γυῖα περὶ στυφελοῖσι πάγοισιν
ἰλλόμενος χαλκέῃσιν ἀλυκτοπέδῃσι Προμηθεὺς
αἰετὸν ἥπατι φέρβε παλιμπετὲς ἀΐσσοντα.

*Exoriebantur rupes, & grandia montis*
*Culmina Caucasis, vinclis vbi membra Prometheus*
*Praduris, ferroque miser iacet ipse ligatus,*
*Sæpius atque aquilam redeuntem pectore pascit.*

Erat enim columnæ alligatus, neque vllo pacto se mouère poterat: cui quantum iecinoris per diẽ ab aliqua consumebatur, tantundem per noctem excrescebat, ne vnquam doloris materia deficeret, vt ait Hesiodus in Theogonia:

δῆσε δ' ἀλυκτοπέδῃσι Προμηθέα ποικιλόβουλον
δεσμοῖς ἀργαλέοισι, μέσον διὰ κίον' ἐλάσσας.
καί οἱ ἐπ' αἰετὸν ὦρσε τανύπτερον, αὐτὰρ ὅγ' ἧπαρ
ἤσθιεν ἀθάνατον, τὸ δ' ἀέξετο ἶσον ἁπάντη
νυκτὸς, ὅσον πρόπαν ἦμαρ ἔδοι τανυσίπτερος ὄρνις.

Impli-

*Implicat indomitis, nectitq; Promethea vinclis*
*Actr ctumq; columna tenet medium, fera semper*
*Pascitur immortale iecur Iouis ales: at illud*
*Deficit haud vnquam: nam quan tum luce volucris*
*Carpserit, huic misero tantum nox vda reponit.*

Duris autem Samius scriptum reliquit non ob ignem raptum, sed quia Palladem amauerit, Prometheum coniectum fuisse in vincula, & ita excruciatum: cuiusce rei facit argumentum, quia ad montem Caucasum habitantes populi soli Ioui & Mineruæ non sacrificabant, vt illius supplicii autoribus, cum eximie colerent Herculem, qui Prometheum è vinculis liberasset. Fabulam quandam attigit Nicander in Theriacis, quæ apud antiquos circumferebatur, quod ingrati homines, ad quos ignem Prometheus detulerat, furtum Promethei Ioui indicarunt, pro qua accusatione præmium perpetuam iuuentutem à Ioue impetrarunt. Hanc igitur cum suo asello clitellario imposuissent redeuntes, asinusque graui siti in itinere laboraret, ad fontem quendam peruenit, vbi serpens ne ad aquam accederet, prohibuit, nisi prius peracto precio. Tum vero pactus est asinus se quodcunque haberet esse daturum, ne siti periret inde senectutem exeunt quotannis serpentes, ac fiunt iuuenes. Sic fabulam describit Nicander:

Ὠγύγιος δ' ἄρα μῦθος ἐν αἰζηοῖσι φορεῖται,
ὡς ὁπότ' οὐρανὸν ἔσχε Κρόνου πρεσβύτατος υἱός,
νειμάμενος κασίεσσιν ἑκὰς περικυδέας ἀρχὰς
ἰδμοσύνῃ. νεότητα γέρας πόρεν ἡμερίοισι
κυδαίνων δὴ γάρ ῥα πυρὸς ληίστορ' ἔνιπτον,
ἄφρονες, οὐ μὲν τῆς γε κακοφραδίης ἀπόναντο,
νωθεῖ γὰρ κάμνοντες ἀμορβεύοντο λεπάργῳ
δῶρα πολυσκαρθμὸς δὲ κεκαυμένος αὐχένα δίψῃ,
ῥώετο γωλειοῖσι δ' ἰδὼν ὁλκήρεα θῆρα
οὐλοόν, ἐλλιτάνευε κακῇ ἐπαλαλκέμεν ἄτῃ,
σαίνων αὐτὰρ ὁ βρῖθος, ὃ δή ῥ' ἀνεδέξατο νώτοις,
ᾔτεεν ἄφρονα δῶρον· ὁ δ' οὐκ ἀπανήνατο χρειῇ.

*Fabula per iuuenes celeberrima oberrat, vt olim*
*Fratribus imperia diuisit maximus ano*
*Vnus natorum Saturni: præmia honorisq;*
*Indicium cepere domestica turba iuuentam.*
*Mortales preciosa Deum sed munera posthac*

*Dementes carpsere: nihil iuuere querelæ.*
*Nam tardi dorso imposuerunt pondus aselli*
*Dona Dei: cui sicca siti præcordia vbi essent,*
*Ad fontem properat prægrandem hic repperit anguem*
*Quem supplex orauit opem sibi ferre: sed ille*
*Quod gestet precium lymphæ, pondusq; petiuit,*
*Ita sit: pressus facile annuit ista petenti:*

Quare merito Prometheus de hominibus ingratis queritur, vt scripsit Iulianus poëta in eo epigrammate:

τέχνης πυρσὸν ὄπασσα φερέσβιον, ἐν δ' ἄρα τέχνης,
  καὶ πυρὸς ἀλλήκτων πήγματος ὄψιν ἔχω.
ἦ μερόπων ἀχάριστον ἀεὶ γένος, εἴγε Προμηθεὺς
  ἀντ' εὐεργεσίης ταῦθ' ὑπὸ χαλκοτύπων,

*Lumina sunt artis nobis inuenta: sed ignis,*
  *Arsq; repertori grandia damna ferunt.*
*Ingratum genus est hominum, si pœna Prometheo*
  *Tanta repertori, pro meritisq; dolor.*

Nam si qui beneficium acceperant non tales fuissent, quales diximus, quo pacto ingrati possent appellari, Scripsit tamen Pausanias in rebus Corinthiorum, non Promethei, sed Phoronei cuiusdam ignem fuisse inuentum: quare apud Corinthios templum fuit Apollonis Lycii, in quo statua erat Phoronei ignem accendentis. Torquebatur Prometheus ab aquila illa in Scythiam supra Caucasum montem deportatus, vt ait Lucianus in Prometheo, & in dialogo de sacrificiis. At Menander suauissimus poëta merito torqueri Prometheum inquit, non quia ignem, sed quia multo grauius malum, quia fœminam scilicet omnium humanarum calamitatum autorem, & scelestum omnino animalis genus inuenerit, vt est in his:

εἶτ' οὐ δικαίως προσπεπατταλευμένον
γράφουσι τὸν Προμηθέα πρὸς ταῖς πέτραις,
καὶ γίνετ' αὐτῷ λαμπάς, ἄλλο δ' οὐδὲ ἓν
ἀγαθόν: ὃ μισεῖν οἶμ' ἅπαντας τοὺς θεοὺς,
γυναῖκας ἔπλασ', ὦ πολυτίμητοι θεοί,
γένος ἀνιαρόν.

*Ergo immerentem dictitant Prometheum*
*Pendere fixum Caucasi de rupibus?*
*Repertus ignis huic, aliud nihil boni;*
*Sed, quod Deos odisse cunctos credidi,*

*Inuenit*

*Inuenit idem fœminas, ô Dii boni,*
*Genus nefandum.*

Huic ipso Prometheo ara fuit in Academia cum Vulcano & Pallade communis, vt ait Sophoclis enarrator: fuitque, vt scripsit Lisimachides, Vulcano multo antiquior Prometheus, cuius statua cum sceptro in dextra manu erigebatur. Scriptum est à Pausania in Atticis non solum aram illi fuisse erectam in Academia, sed etiam Lampadiferorum cursus certamen inde incepisse, qui in vrbem accensas faces deferentes decurrebant: in quo certamine studebant vt accensæ faces seruarentur. Nam cuius fax extincta fuisset, is victoriam succedenti concedebat, atque hic eodem modo sequenti si sua extingueretur, & reliqui eodem ordine. Quod si nemo accensam facem tulisset, palma in medio relinquebatur. Atque hæc fiebant in honorem Promethei, quod is omnium artium fontem & autorem ignem putabatur inuenisse, vt ait Æschylus in eius nominis Tragœdia:

ναρθηκοπλήρωτον δὲ θηρῶμαι πυρὸς
πηγὴν κλοπαίαν. ἣ διδάσκαλος τέχνης
πάσης βροτοῖς πέφυκε, καὶ μέγας πόρος.
*Artis magistrum ignem (fui namq; is viris*
*Magnum iuuamen artibus perutile)*
*Inueni.*

Sed non solam inuentionem ignis Prometheo tribuunt, verum etiam medicinæ, pharmacorumque mistiones, & leges diuinationum, & somniorum interpretationes: primusque Prometheus inuenisse auguria, quamuis alii ea quæ sunt auium à Cara rege Cariæ primum inuenta fuisse putarunt, & obseruasse auium volatus, eorumque qualitates: & quarum essent auium, & quid significarent. Inuenit idem extorum obseruationes, & colores, & situs, & quibus victimis, & quo ritu mactatis Dii singuli lætarentur: idemque fulgura, & signa de cœlo notauit, inuenitque metallorum vsum, & omnium denique artium est inuentor, vt ipse de se ipso apud Æschylum testatur: cuius carmina, etsi plura sunt tamen ob mirificam argumenti suauitatem huc ascribenda putaui:

τὰ λοιπά μου κλύουσα θαυμάσῃ πλέον,
οἵας τέχνας τε καὶ δόλους ἐμησάμην.

τὸ μὲν μέγιστον, εἴ τις νόσον πέσοι.
οὐκ ἦν ἀλέξημ' οὐδὲν, οὐδὲ βρώσιμον,
οὐ χριστὸν οὐδὲ πιστὸν, ἀλλὰ φαρμάκων
χρείᾳ κατεσκέλλοντο πρὶν ἐγώ σφισιν
ἔδειξα κράσεις ἠπίων ἀκεσμάτων,
αἷς τὰς ἁπάσας ἐξαμύνονται νόσους.
τρόπους δὲ πολλοὺς μαντικῆς ἐστοίχισα.
κἄκρινα πρῶτος ἐξ ὀνειράτων ἃ χρὴ
ὕπαρ γενέσθαι, κληδόνας τε δυσκρίτους
ἐγνώρισ' αὐτοῖς ἐνοδίους τε συμβόλους,
γαμψωνύχων τε πτῆσιν οἰωνῶν σκεθρῶς
διώρισ' οἵτινές τε δεξιοὶ φύσιν,
εὐώνυμοί τε καὶ δίαιταν ἥντινα
ἔχουσ' ἕκαστοι καὶ πρὸς ἀλλήλους τίνες
ἔχθραι τε καὶ στέργηθρα, καὶ συνεδρίαι.
σπλάγχνων τε λειότητα καὶ χροιὰν τίνα
ἔχοντ' ἂν εἴη δαίμοσι πρὸς ἡδονήν.
χολῆς, λοβοῦ τε ποικίλην εὐμορφίαν,
κνίσῃ τε κῶλα συγκαλυπτὰ καὶ μακρὰν
ὀσφὺν πυρώσας, δυστέκμαρτον εἰς τέχνην
ὥδωσα θνητοὺς καὶ φλογωπὰ σήματα
ἐξωμμάτωσα πρόσθεν ὄντ' ἐπάργεμα.
τοιαῦτα μὲν δὴ ταῦτ'· ἔνερθε δὲ χθονὸς
κεκρυμμένα ἀνθρώποισιν ὠφελήματα,
χαλκὸν, σίδηρον, ἄργυρον, χρυσόν τε τίς
φήσειεν ἂν πάροιθεν ἐξευρεῖν ἐμοῦ;
οὐδεὶς, σάφ' οἶδα: μὴ μάτην φλῦσαι θέλων.
βραχεῖ δὲ μύθῳ πάντα συλλήβδην μάθε.
πᾶσαι τέχναι βροτοῖσιν ἐκ Προμηθέως.

*Mi aberis mage audiens at cætera,*
*Artes repertæ quæ mihi sunt, aut doli.*
*Illudq; primum, si quis ægritudinem*
*Sensisset, ullum non erat remedium,*
*Nulla unctio, nullum fuit potabile*
*His pharmacum. arebant prius quam ipsis ego*
*Commissiones pharmacorum protuli,*
*Omnes quibus leuantur ægritudines.*
*Modosq; multos vaticinandi repperi:*
*Quæ sint putanda vera dixi somnia,*
*Quæ sint viarum signa, quæ sint omnia.*

*Tum*

*Tum diligenter qui volatus dexteri*
*Sint, quæ sinistræ nominentur alites:*
*Quis singulorum victus, & benignitas*
*Inter se, odiumue, primus ipse comperi:*
*Tum qualia exta sint, colores qui Deis*
*Grati magis videntur immortalibus:*
*Bili decora forma, quæ fibris vesit:*
*Ostendi ego quo sacra ritu conuenit*
*Imponere aris, vrereatq; victimas:*
*Artemq; feci ex his ego mortalibus.*
*Hæc nota feci, quæ fuere incognita.*
*Hæc si habent. quid proferam quod commoda*
*Educta per me sunt humi latentia:*
*Ferrum, vel argentum, vel aurum, vel quid æs,*
*Ni mentiatur, repperit quis me prior?*
*Nemo profecto ni velit mentirier.*
*Vt cuncta dicam, pluribus ne te morer,*
*Artes repertæ quæq; sunt Promethei.*

Memoriæ prodidit Pausanias in priorib. Eliacis inter cœtera Herculis facinora illud quoque censeri, quod aquilam sagitta transfixerit, Prometheumque è vinculis exemerit: quod testatus est Pherecydes in libro decimo de nuptiis Iunonis, qui à Sole Herculem poculum accepisse scribit, ac in eo nauigasse per Oceanum; qui est extra terras, cum ad aurea mala Hesperidum contenderet: à quo etiam Prometheo, postquam fuit è vinculis liberatus, viam didicit eo tendentem. Lucianus vero in Dialogis Deorum Prometheum à Ioue solutum fuisse scribit, quoniam illi vaticinatus esset, quod si rem cum Nerine nympha haberet, futurũ erat vt filius nasceretur, à quo eadem Iupiter pateretur, quę ab ipso passus fuerat Saturnus. Fuerunt Lycus & Chimæreus Promethei filii, quos ille è Celæno Atlantis filia suscepit, quibus alii Horæum & Alcimenen adiunxerunt.

¶ Atque hactenus fabulosa dicta sint de Prometheo: nunc quid illa significent, explicemus. Est autem Prometheus, vt sensit Zezes, mens, quæ res futuras multo ante præuidet: sicut Epimetheus cognitio quam acquirimus post rerum euentus, cuius filia est Pœnitentia. Orpheus tamen in hymno in Saturnum, Prometheum tempus esse, siue Saturnum putauit, cum ita inquiat:

*Ῥείας πόσι, σεμνὲ Προμηθεῦ.*

*Rheæ coniunx, alme Prometheu.*

Est enim tempus rerum omnium & artium magister & inuentor, vt dictum est de Prometheo. Dicitur fuisse filius Iapeti, qui nihil aliud est, vt sensit Proclus, nisi celerrimus motus cœli, & huius vniuersi: qui vocatus est Iapetus apud Græcos ἀπὸ τοῦ ἴεσθαι καὶ πέτεσθαι: *à motu scilicet & volatu.* cum Prometheus igitur ex Iapeto matre Themide oriatur, erit optimus affectus in animis nostris, qui ex impressione cœlorum nobis nascitur mater iustitia atq; æquitas, è quibus bona consilia & prudentia tum in rebus priuatis, tum etiam in publicis administrandis, & rerum humanæ vitæ necessariarum inuentiones exsurgunt. Nam nisi sit ratio in nobis Prometheus diuinitus immissa, & ex æquitate iustitiaque exorta, ac quasi rerum futurarum præcognitio, quo pacto erit Prometheus, aut quo eorum parentum filius. Alii Clymenen matrem Promethei putarunt, quoniam æquitas omnes ad se aduocet, vel quia ab omnibus audiatur, qua etiam de causa Clymenus dictus est Pluto. Qui aliarum filium putarunt, in eandem sententiam sensim delabuntur. Quod Prometheus hominem finxerit, cui singulorum animalium particulas adiunxerit, quid aliud significat, quam prudentiam multas mutationes animis nostris imprimere? alii rem hanc ad historiam magis transtulerunt: dicuntque illos è Græcis sapientibus, qui mundum aliquando cœpisse putarunt, humanæ vitæ initia per hanc fabulam explicasse. Nam cum primum aër & aqua & ignis secessērunt inuicem, terraque limosa ac tenera adhuc illis omnibus substitit, membranas quasdam ex ipsa terra natas autumant, ex quibus per diem à Sole calefactis, Lunæque humoribus nutritis, varia animalium genera pullularunt. Ex his igitur post incrementum disruptis putantur homines exiisse. Verum terra postea calore Solis paulatim exsiccata, cessauit & ipsa è terra generatio, & animalia ex mutuo congressu, coniunctioneq; sunt orta. Tunc vero homines simplices neque arandi viam neque artem vllam sciebant: neque morbos esse aut mortem opinabantur, sed in terram collapsi ignari quid sibi accidisset, expirabant: viuebantq; ferarum more agrestium arborum fructibus aut oleribus vescentes, nudique aduersus feras nudis manibus

pugnabant. Hi cum nullam omnino futuri temporis haberent rationem, nullis fructibus in hyemem reseruatis inedia per hyemem multi eorum absumebantur. At experientia paulatim necessitateque magistra & cauatas arbores ingressi sunt, & speluncarum beneficio ab aëris iniuria protegebantur: quod genus vitæ degebant omnium fraudum & ignis expertes: neque quid essent leges, quid Reges, quid furta, quid cædes, quid militia cognorant. Verum cum diuturna incommoda illos prudentiores fecissent (nihil enim facit magis ingeniosos, quam pericula & difficultates) dictus est Prometheus siue prudentia ignem inuenisse, & per illum postea omnes artes, quibus humana vita excolitur. Nulla enim prope est ars, quæ igne non egeat, Quod vero Prometheus homines ad vrbaniorem vitam è syluis euocauerit, iisque domos extruxerit, quod illorum linguam formauerit, quod illos rationes syderum docuerit, quod literarum compositionem inuenerit, ipse testatur ita apud Æschylum;

οἳ πρῶτα μὲν βλέποντες ἔβλεπον μάτην,
κλύοντες οὐκ ἤκουον. ἀλλ' ὀνειράτων
ἀλίγκιοι μορφαῖσι, τὸν μακρὸν χρόνον
ἔφυρον εἰκῆ πάντα, κοὔτε πλινθυφεῖς
δόμους προσείλους ἴσαν. οὐ ξυλουργίαν.
κατώρυχες δ' ἔναιον ὡς ἀείσυροι
μύρμηκες ἄντρων ἐν μυχοῖς ἀνηλίοις.
ἦν δ' οὐδὲν αὐτοῖς οὔτε χείματος τέκμαρ,
οὔτ' ἀνθεμώδους ἦρος, οὔτε καρπίμου
θέρους βέβαιον. ἀλλ' ἄτερ γνώμης τὸ πᾶν
ἔπρασσον, ἔς τε δή σφιν ἀντολὰς ἐγὼ
ἄστρων ἔδειξα, τάς τε δυσκρίτους δύσεις.
Καὶ μὴν ἀριθμὸν ἔξοχον σοφισμάτων
ἐξεῦρον αὐτοῖς, γραμμάτων τε συνθέσεις.
μνήμην θ' ἁπάντων μουσομήτορ' ἐργάνην.
κἄζευξα πρῶτος ἐν ζυγοῖσι κνώδαλα,
ζεύγλαισι δουλεύοντα. σώμασιν θ' ὅπως
θνητοῖς μεγίστων διάδοχοι μοχθημάτων
γένοινθ' ὑφ' ἅρματ' ἤγαγον φιληνίους
ἵππους, ἄγαλμα τῆς ὑπερπλούτου χλιδῆς.
θαλασσόπλαγκτα δ' οὔτις ἄλλος ἀντ' ἐμοῦ
λινόπτερ' εὗρε ναυτίλων ὀχήματα.

*τοιαῦτα μηχανήματ' ἐξευρὼν τάλας.*
*Videre frustra qui videbant antea,*
*Nec audiebant audientes, somniis*
*Simillimi turpiter cuncta nouerant*
*Stulte, indecore nec domos effingere,*
*Dolare ligna nec sciebant arborum.*
*Formicae vt antra nam colebant concaua,*
*Vmbrosa, luce Solis & carentia:*
*Non vlla cogitatio nec frigoris,*
*Nec floridi veris fuit, nec vtilis*
*Æstatis illis. ast agebant omnia*
*Vt sors ferebat: donec ipse repperi*
*Signorum obitus ortusq; qui mortalibus*
*Sint vtiles: & multitudinem artium*
*His repperi, componere inde literas.*
*Matremq; Musarum auxi ego memoriam,*
*Perutilem cunctis. ego iunxi prior*
*Iugo feroces belluas quae pro viris*
*Ferrent labores: additi sunt curribus*
*Equi trahentes, quos habenae flecterent.*
*Liniuola inde nauita vehicula*
*Inueni ego prior freto currentia.*
*Inuenta sunt mihi misello haec omnia.*

Fabulati inde sunt antiqui, quod Iupiter ob ignis inuentionem iratus Prometheo omnia malorum genera demisit hominibus: quia nullum est malum quod non ex voluptuaria vita, quae multas artes habet ministras, proueniat. Nam vna cum artibus ipsis & Reges exorti sunt, & latrocinia, & bella, & solicitudines animorum eruperunt, & omnia illa denique, quibus humana vita vndique vexatur. Dicunt praeterea Ioui Prometheum carnes in alteram pellem inclusas, in alteram ossa obtulisse: quia cum voluptatibus & deliciis non solũ legum & aequitatis ob spem commodorum, sed etiam Deorum immortalium contemptus in genus humanum irrumpit. Quis enim vere gloriari potest, aut certe quam pauci sunt qui magis sint soliciti de vero & legitimo Dei cultu, quam de bonitate praediorum, aut numero pecuniarum. Haec vna contentio multas fecit haereses: atque si auaritia & spes diuitiarum priuatorumq; commodorum de medio tollatur, collabentur omnes haereses

reses facilime, eritque omnibus gentibus vnus Deus, vna religio, vnus ritus, vnus pastor, vnum ouile. Verum ob has fallacias sub forma religionis latentes & bella intestina, & cædes & calamitates è cælo, & perpetuæ animorum curæ oriuntur, & orientur in posterum, donec hæ auaritiæ radices in animis hominum insidebunt. Nam certe quidem omnes qui dissident à Christi legibus, & à sanctis Romanæ Ecclesiæ dogmatibus, præter illud quod viri boni esse non possunt: tum id fateantur necesse est (si modo verum fateri velint) sed vel auaritia, vel ambitione, vel odio quodã proprio, vel inscitia veritatis ductos, ab Ecclesia Romana, hoc est, à Spiritu sancto & ab omnium bonorum cœtu desciuisse: non quod ita sentiant. horum nos temeritatem & dementiam aliquando ita reprehendimus in quibusdam carminibus, quæ misimus ad clarissimum virum Valerium Faenzum hæreticæ prauitatis Quæsitorem prudentissimum apud Venetos & ob singulares animi sui dotes Romano Pontifici gratissimum. Sic enim quædam ex illis carminibus se habent:

*Improba Lutheri soboles, quæ dogmata Christi,*
*Iuraque naturæ pariter contemnis, & æquum,*
*Quæ tua ferre putas cœlestia numina mente*
*Delicta erroresque? modo nos turpia quæque*
*Autore ac cogente Deo facere inquis: eundem*
*Et modo segnitie captum facis, ac nihil illum*
*Humanum curare putas. delira vagaris*
*Huc illuc, certaque nihil ratione, modo vt*
*Conaris: de Diis plena inter pocula quæris,*
*Fortunaque regi credis moderamine cuncta.*
*Sic etenim sentis, sic & fateare necesse est.*
*Esse Deo si forte putas mortalia curæ,*
*Respicere & res humanas: hæc accipe paucis.*
*Vna fides, vna est pietas, est vna colendi*
*Ritè Deum ratio: dementia cætera cuncta.*
*Quod si nostra videt summi clementia patris*
*Pectora, si exauditque preces diuina potestas:*
*Quo magis illa mouet mortalia tempore corda*
*Aptè, quam populus cum sacris rite peractis*
*Inspirare Deum delectis patribus orat*
*Quas statuant leges Christi cultoribus, & quo*

*Lætetur ritu magis. Hac sententia cunctis*
*Quæ placuit, latam diuino numine remur.*
*Adde quod æterni patris sine labe carensque*
*Sordibus humanis, natus de virginis aluo,*
*Filius has leges primus tulit utque colendus*
*Sit pater omnipotens docuit, quia legibus orbem*
*Viuendi recte instituit, scelerumque profundas*
*Radices tetigit, subijt sub rege nefando*
*Diræ supplicium mortis, prior edidit aras*
*Esse nefas posthac taurorum sanguine tingi,*
*Atque alios ritus idem mox protulit: illis*
*Nunc colimus sanctum numen, namque edidit esse*
*Cuncta Deo curæ mortalia nullius auarus,*
*Nullus credulis potuit quem fallere nullus*
*Impius: huic notæ fraudes sub vulpe latentes.*

*Nunc quoque Pontifices oderunt impia sanctos*
*Sæcula, quod leges curent seruarier illas:*
*Nec mirum semper probitas inuisa figuris*
*Mille fuit scelerum, circumstant plurima namque,*
*Est vna, & similis semper sibi viuida virtus.*

*Quos iuuat ebrietas & crapula, sobrius illis*
*Displicet: insanumque vocant, solatia vitæ*
*Qui non gustarit. Quos vexat dira libido,*
*Quos Veneris stimulus, quos immoderatus habendi*
*Vrget amor, stupidum dicunt qui temperet istis.*
*Sobrius at contra tutus, cum sæua podagra*
*Articulos tumidos fecit, capitisque dolores*
*Infestant, tanquam nautas è littore ridet,*
*Qui se consulto turbantibus æquora ventis*
*Crediderint, quorum prædixit sibilus auras.*

*An quia diuitiis & nobilitate parentum*
*Te Latio præstare putas, populisque Latinis,*
*Idcirco Christi leges audire recusas*
*Vt magis obscuræ venientes gentis ab ore;*
*Fabula nobilitas maiorum & nomina picta.*
*Denique nobilitas sola est, atque vnica virtus.*
*Quid cum diuitiis & nobilitate parentum*
*Legibus est sanctis, & veræ relligioni?*
*Scilicet auratis donantur lancibus aræ,*

*Munera*

*Munera grata magis superis, iucundaque, quam si*
*Fictilibus puris veniant de paupere tecto.*
*O vanas hominum mentes ô pectora multo*
*Pleno mero quando cœlestia numina auara*
*Creditis, & pro opibus voces audire precantum.*
*Omnibus est idem Deus, est pater omnibus idem.*
*Siue decem vertas saxosa iugera terræ.*
*Seu iuga mille boum tibi sudent pondere aratri,*
*Tantundem referes, nec gurges cuncta vorabis.*
*Munera grata Deo credas, quæ pectore casto,*
*Quæ manibus sint lata piis. tolle ambitionem,*
*Tolle & auaritiam, quæ Diis inuisa beatis.*
*Cuncta regi dices diuino numine rectè*
*Quod si persistes in eadem mentis iniqua*
*Stultitia, vt rectè viuendi spernere leges*
*Libertas sit visa tibi, nec iura, nec æquum*
*Esse putes, nisi quod libeat, si denique Christi*
*Dogmata, Pontificis si spernis iussa piumque*
*Consilium: quanto spargetur sanguine campus*
*Teutonicus? video splendentes are cateruas.*
*Armorumque grauem sonitum, radiosque tremisco.*
*Ista mouente Deo loquimur, iam dira bipennis*
*Credite adest sterilis radicibus addita plantæ.*
*Dum licet, & venia locus est, temeraria vitæ*
*Crimina corrigite, & vestras conuertite mentes*
*In melius, precibusque piis orate tonantem.*
*Vt cladem vertat mox religionis in hostes,*
*Et donet vobis longam per sæcula pacem.*

Dicta est Iouis aquila iecur Promethei assidue lacerare: quia prudentioribus hominibus mens semper ad varias cogitationes distrahitur. Et quoniam nullus dolus, nullumque latrocinium diuturnam sociam habere tranquillitatem conuenit, inde traditum est in fabulis, quòd igne inuento Iupiter omnem prioris vitæ tranquillitatem mortalibus eripuit. Crescere per noctem tantum iecinoris solitum Prometheo dicitur, quantum aquila per diem deglutiuerit, quoniam natura alterna tempora quieti & animicuris cogitationibusque determinauit. Alligatus columnæ dicitur, quoniam corpori alligata est anima prudentiæ sedes & domicilium, quod ipsum per se est

tanquam saxeum, cum nullam habeat cognitionem. At epar est rationis motus, quia nonnulli sapientes id cogitationibus mentis sedem esse crediderunt. Dicitur formasse Pandoram Vulcanus, quia calor & temperies apta cœli donet fertilitatem, quæ vt ait Theophrastus in causis plantarum, magis quam vllus labor mortalium operatur. Sic illi omnes Diis sua munera concesserint & Horæ ac Dei siue elementa dederunt ventos, pluuias, calorem, quibus semina aluntur. Quid vero significant Lampadophoria quæ in honorem Mineruę, Vulcanique & Promethei celebrabantur, in quibus cursores accensis facibus currebant? nihil aliud sane, quam vniuersum præsentis vitæ cursum esse nobis molestiarum atq; curarum plenum, quæ vbi cessauerint à cursu ipsius vitæ cessandum est, & succedentibus lampades, lites, morbi, calamitates, animorumque solicitudines in manus tradendæ. Atq; vt summatim colligam, significare voluerunt per hæc sapientes maximam esse vitæ præsentis perturbationem, auaritiam cuncta recta subuertere: viris bonis esse semper aduersus difficultates pugnandum, omnẽ mortalium vitam esse curarum plenam, neq; vlli sperandam esse quietem dum viuimus. Hęc sub Promethei fabula, & alia his similia continebantur. Nonnulli tamen ad historiam hæc detorquenda putarunt: quippe cum Cicero etiam libro quinto Tusculanarum Disputationũ, Prometheum, Atlantem, Cepheum scribat, aliosq; nonnullos, ob rei astronomicæ peritiam locum fabulæ dedisse. Sic enim inquit: Nec vero Atlas sustinere cœlum, nec Prometheus affixus Caucaso, nec stellatus Cepheus cum vxore, genero, filia traderetur, nisi diuina cognitio nomen eorum ad errorem fabulæ traduxisset. At alij ad aliam historiam transtulerunt. Nam Herodotus memorię prodidit in eo libro, quẽ composuit de Vinculis Promethei, Scytharũ fuisse Regem Prometheum: qui, cum subditis populis res victui necessarias suppeditare non posset, quod Aquila fluuius ita vocatus illius regionem inundaret, in vincula cõiectus à Scythis fuit. At Hercules cum eo diuertisset, fluuiumq; detorsisset in mare, ita vt non amplius inundaret regionem, dictus est interemisse aquilam, & ipsum Prometheum è vinculis liberasse. Scriptum est ab ijs qui res Ægyptiacas memoriæ prodiderunt, & à Polycharmo in rebus Lyciis atque à Dio-

doro

doro Siculo Nilum Ægypti fluuiũ aliquando sub exortum canis Sirij, quo tempore per Etesias maxime solet intumescere, aggeres disrupisse, atq; Ægyptum inundasse, & illam partem præcipue cui imperabat Prometheus. Tãta vero facta esse dicitur inũdatio, vt omnes fere homines perierint, quare propius periculo fuit ne per desperationem Prometheus spõte vitã cum morte commutaret. Is autem fluuius ob celeritatem & vim cursus Aquila fuit vocatus, qui intima Ægypti deuastabat. Fama est Herculem gnauum continuo obturasse eruptionẽ, fluuiumq; in suũ alueum conclusisse, quare Græci postea fabulati sunt quod Hercules Aquilã occiderit iecur Promethei assidue rediuiuum vorantem. Agrætas autem lib. 13. rerum Scythicarum, quia Aquila fluuius optimam atq; intimam partem Scythiæ, cui imperabat Prometheus, laniaret, locũ esse datum fabulæ scripsit, quod Aquila hepate Promethei vesceretur: idq; Iouis iussu quoniam imbres frequentes eius impetum & amplitudinem augerent. At Theophrastus in quibusdam commentarijs scriptum reliquit Prometheum dictum fuisse ignem ad homines è cœlo detulisse, quia rerum diuinarum & philosophiæ cognitionem primus omnium mortalium hominibus ostenderit, primusq; oculos illorum ad illa cœlestia & sempiterna corpora speculanda erexerit: cui sententiæ astipulantur ea quæ scripta sunt ab Æschylo: atque scripsit Duris Samius, quod ita Prometheus torqueatur, quia Palladem amauerit. At nunc de Atlante dicamus.

## *De Atlante.* CAP. VII.

DE Atlante vero quod frater fuit Promethei, ac filius Iapeti & Clymenes, vel Asiæ, vel Asopes, vel Libyes, dictum fuit superius. Verum ex hac matrum varietate facile conijcere possumus diuersos fuisse Atlãtes ac Prometheos, cum tamen cæterorum res gestæ omnes ad eius nominis celebriorem deferantur. Habuit Atlas vxorem Pleionem Oceani filiam & Tethyos, vt patet in lib. 5. Fast. apud Ouid.

*Duxerat Oceanus quondam Titanida Thetyn,*
*Qui terram liquidis qua patet, ambit aquis,*
*Hinc sata Pleione cum stellifero Atlante*
*Iungitur, vt fama est, Pleiadesque parit.*

Suscepit è Pleione septem filias, quas vna cum matre, cum

Orion per quinquennium insecutus esset: vt cum ijs congrederetur illæ Deos tandem precatæ sunt, ne vim Orionis paterentur. Iupiter igitur earum precibus commotus illas inter sidera, vt fama est, collocauit, quarum nomina ita recensuit Aratus in Astronomicis:

ἑπτὰ δ᾽ ἐκεῖναι ἐπιῤῥήδην καλέονται,
ἓξ οἶαι περ ἐοῦσαι ἐπόψιαι ὀφθαλμοῖσιν,
Ἀλκυόνη, Μερόπη τε, Κελαινώ τ᾽, Ἠλέκτρη τε.
καὶ Στερόπη, καὶ Ταϋγέτη, καὶ πότνια Μαῖα.

——— *septem illæ esse feruntur,*
*Quamuis sint oculis hominum sex obuia signa:*
*Alcyone, Meropeque, Electraque diua Celæno,*
*Taygete, Sterope, præclaro lumine Maia.*

Sic & ex illis carminibus patet has fuisse filias Atlantis:

Ταϋγέτη τ᾽ ἐρόεσσα, καὶ Ἠλέκτρη κυανῶπις,
Ἀλκυόνη τε καὶ Ἀστερόπη, δῖη τε Κελαινώ,
Μαῖά τε καὶ Μερόπη. τὰς γείνατο φαίδιμος Ἄτλας.
*Taygete suauis nigris Electraque ocellis,*
*Alcyone, Asterope pariter diuina Celæno.*
*Et Maia, & Merope. genuit quas splendidus Atlas.*

Quas etiam, cum in capite sint tauri ita vt duę cornua, duę nares, duæ oculos designent, alia in medio frontis, vbi pili vertuntur, collocatæ sint, Atlantidas appellauit Virgil. in 1. Georgicorum, & Sole cum scorpione exoriente, in vndas cum oppositæ sint demergi inquit in his:

*Ante tibi Eoæ Atlantides abscondantur.*

Fuerunt tamen nonnulli, qui duodecim fuisse Atlantis filias dixerint, & Hyantem fuisse illarum fratrem: qui cum à serpente ictus obiuisset, quinque illarum ita eius mortem defleuerunt, vt præ dolore denique mortuæ sint. At Iupiter illarum misertus, dicitur in Hyadas eas mutasse, quarum nomina hæc sunt apud Hesiodum:

Φαισύλη ἠδὲ Κορωνὶς, ἐϋστέφανός τε Κλέεια,
Φαιώ θ᾽ ἱμερόεσσα, καὶ Εὐδώρη τανύπεπλος,
νύμφαι, ἃς Ὑάδας καλέουσιν φῦλ᾽ ἀνθρώπων,
*Phæsla siue Coronis, & hinc formosa Cleia.*
*Phæoque Eudoreque implexis crinibus auro;*
*Quas Nymphas Hyadas mortales nomine dicunt.*

Alij Ambrosiam siue Coronidem nominarunt, & Eudorem, & Dionem, & Æsilam, & Polyxo: alij Phileto, Thyenen, &

nen, & Proydilen his addiderunt, quas etiam Bachi fuisse nutrices crediderunt, & Dodonias à Dodono Europæ filio nuncuparunt: qui etiam non ex his, sed alijs parentibus natas arbitrantur, cum alij Erechthei, alij Cadmi filias fuisse putent. Quidam Calypso etiam filiam fuisse putarunt Atlantis. Ac neque numerus quidem Hyadum caret controuersia, quoniam Thales Milesius duas tantum esse putauit, quarum altera Borealis, altera Australis nominaretur: Euripides in Tragœdia quam de Phaethonte scripserat, tres: Achæus autem quatuor: at Pherecydes, sex. Quidam Hyadas putarunt nominatas, quia Dionysum educauerint, qui Hyes dictus est, vt testatur illud Euphorionis:

*Ὑῇ ταυροκέρωτι Διωνύσῳ κοτέουσαι.*

*Hya cornuto Dionyso irata.*

Alij à pluuio dictas putarunt, quod illarum ortus imbrem vernis diebus excitet. Nam certissima sunt illa signa quæ ex ortu Hyadum colliguntur à nauigantibus, vti demonstrauit Euripides in Ione cum ita scribat:

Πλειὰς μὲν ᾔει μεσοπόρου δι' αἰθέρος,
ὅτε ξιφήρης Ὠρίων. ὕπερθε δὲ
Ἄρκτος στρέφουσ' οὐραῖα χρυσήρη πόλῳ.
κύκλος δὲ πανσέληνος ἠκόντιζ' ἄνω
μηνὸς διχήρης, Ὑάδες τε ναυτίλοις
σαφέστατον σημεῖον, ἥ τε φωσφόρος
ἕως διώκουσ' ἄστρα.

*Pleias medium vadit secans per athera,*
*Ensifer atque Orion. at desuper*
*Postrema cum polo aureo vrsa voluitur.*
*Ac Luna plena mensis medij circulum*
*Oppleuit. Hyades nauitis clarissimum*
*Signum dedere, & proferens lucem simul*
*Aurora stellas assequens.*

Mentionem fecit Pausanias in Arcadicis de Mæra Atlantis filia, quæ nupsit Thegeatæ Lycaonis filio. Et Homerus de Calypso in 1. Odyss. in his:

——— θεὰ δ' ἐν δώμασι ναίει
Ἄτλαντος θυγάτηρ ὀλοόφρονος, ὅς τε θαλάσσης
πάσης βένθεα οἶδεν.

*——— colit atria Diua*
*Filia prudentis Atlantis, qui alta profundi*
*Omnia cognouit pelagi.*

Fama est Atlantem nationibus Hesperis imperasse, habuisseq; responsum is à Themide Parnasia, futurũ esse, vt à quodam Iouis filio regno priuaretur, quod testatur Ouid. lib. 4. Metamorph. ——— *memor ille vetusta*
*Sortis erat: Themis hanc dederat Parnasia sortem:*
*Tempus Atla veniet, tua quo spoliabitur auro*
*Arbor, & hunc prædæ titulum Ioue natus habebit.*

Deinde cum Perseus abscissum caput Medusæ reportaret, petiissetque ab eo vt in hospitium caperetur, reiectus fuit & vi depulsus ab Atlante; quia semper recens in memoria illud oraculi responsum haberet. Huic igitur Medusæ caput Perseus ostendit ita inquiens:

*At quoniam parui tibi gratia nostra est.*
*Quantus erat mons factus Atlas.*
*Accipe munus ait: læuaque à parte Medusæ.*
*Ipse retrouersus squalentia protulit ora.*
*Quantus erat mons factus Atlas.*

Alij dixerũt, quod Atlas homo fuit Lybicus, qui, vt facilius astrorum cursus specularetur, in montem illum solebat ascendere: qui post modo ab ipso Atlante in propinquũ mare per errorem delapso ac mortuo Atlas fuit appellatus. Polyidus tamen dithyrambicus poeta pastorem fuisse ait Atlantem, qui fuerit in montem sui nominis à Perseo cõuersus. Mentionem fecit de hoc monte Strabo lib. 17. quem esse scribit in Libya extra columnas Herculis procedenti ad sinistram, qui fuit etiam Diris à nonnullis nominatus. Eius loci incolæ Atlantes communi nomine dicti sunt, neque vllum proprium nomen habuerunt. Esse vero Atlantem montem altissimum ita testatur Herodotus in Melpomene: ἔχεται δὲ τοῦ ἁλὸς τούτου, ὄρος, τῷ ὄνομα Ἄτλας. ἔστι δὲ στεινὸν καὶ κυκλοτερὲς πάντῃ ὑψηλὸν δὲ οὕτω δή τι λέγεται, ὡς τὰς κορυφὰς αὐτοῦ οὐκ οἷά τε εἶναι ἰδέσθαι. οὐδέκοτε γὰρ αὐτὰς ἀπολείπειν νέφεα, οὔτε θέρεος οὔτε χειμῶνος. τοῦτο κίονα τοῦ οὐρανοῦ λέγουσιν οἱ ἐπιχώριοι εἶναι, ἐπὶ τούτου τοῦ ὄρεος οἱ ἄνθρωποι οὗτοι ἐπώνυμοι ἐγένοντο. *Extat in hoc mari mõs, cui nomen Atlas: est autẽ vbiq; per angustus & teres. ita vero sublimis esse dicitur, vt ad illius verticem oculi mortalium peruenire non possint. Neque ibi*

*vnquam*

*vnquam vel per æstatem vel per hyemem nubes deesse consueuerunt. Hunc incolæ cœli columnam esse dicunt, in quo monte habitantes homines eodem nomine quo mons vocantur.* Hi populi sunt in extrema parte Libyæ ac Mauritaniæ, qui exorientem Solem conuitiis insectabantur, quod ipsos, ipsorumq; regionem radiis exureret. Sic etiam Pausanias in rebus Atticorum famam esse inquit, quod mons Atlas vertice cœlum attingat, tanta est eius altitudo: qui ob frequentiam proceritatemque arborum, & ob aquarum defluentium copiam interclusus, nemini accessibilis dicebatur. Huius montis situm ac sublimitatem ita attigit Virg. lib. 4 Æneid.

*Oceani finem iuxta, Solemq; cadentem,*
*Vltimus Æthiopum locus est, vbi maximus Atlas*
*Axem humero torquet stellis ardentibus aptum:*

Qui poëta in eo monte describendo omnia hæc & historice & fabulose, tanquam in descriptione alicuius hominis expressit:

*Iamq; volans apicem & latera ardua cernit*
*Atlantis duri, cœlum qui vertice fulcit:*
*Atlantis, cinctum assidue cui nubibus atris*
*Piniferum caput, & vento pulsatur & imbri.*
*Nix humeros infusa tegit: tum flumina mento*
*Præcipitant senis, & glacie riget horrida barba.*

Ab hoc monte vniuersus Oceanus qui vel extra vel intra columnas Herculis est in extrema parte Mauritaniæ, Atlanticum mare appellatur, quod idem & rubrum dicitur, vt Herodotus testatur in Clio: καὶ ἡ ἔξω στηλέων ἄλασσα ἡ Ἀτλαντὶς καλεομένη, καὶ ἡ ἐρυθρὴ, μία τυγχάνει ἐοῦσα. *Atque mare illud, quod extra columnas Herculis est, Atlanticum vocatum idē est quod & rubrum.* quamuis scriptum reliquit Plato in Critia mare Atlanticum ab Atlante Neptuni filio fuisse vocatum Huius finxerunt esse Oceanum socerum, at alii fratrē, quoniam mare illud Atlanticum & Oceanus multis nominibus pro differentiis locorum nominatur. Nam in Hesperiis regionibus Atlanticum, ita apud Septentrionem Boreę expositum, glaciale dicitur; alii mortuum vocarunt, quoniam Sol & tardos & imbecillos radios supra hoc mare transmittit. vbi vero prius apparet exoriens, Eoum vocatur aut Indicum. Quod ad austrum est, Æthiopicum & rubrū nominatur. Cum vero altissimus sit Atlas mons ille Mauri-

taniæ, ita vt vertex cerni non possit, ac cœlũ attingere summo vertice appareat, locus datus est fabulæ, quod Atlas is qui regnauit in Mauritania, cœlum sustineret, vt ait Æschylus in Prometheo, quem Oceani ita fratrem nominauit:

Ὠκεανός. οὐδῆτ', ἐποί με καὶ κασιγνήτου τύχαι
τείρουσ' Ἄτλαντος, ὃς πρὸς ἑσπερίους τόπους
ἕστηκε κίον' οὐρανοῦ τε καὶ χθονὸς
ὤμοις ἐρείδων, ἄχθος οὐκ εὐάγκαλον.

Ocean. *Non sic profecto, torquet infortunium*
*Atlantis inde fratris, ille pondera*
*Solem ad cadentem sustinet prægrandia,*
*Cœli columnam, totius terræq; onus.*

Hunc montem etiam Homerus columnam nominauit in 1. Odyss. & vna cum illo alium montem, qui non procul distat a columnis Herculis, vt est in his:

——— ἔχει δέ τε κίονας αὐτὸς
μακρὰς, αἳ γαῖάν τε καὶ οὐρανὸν ἀμφὶς ἔχουσιν.
——— *habet ille columnas*
*Prælongas, cœlum ac terram fulcire valentes.*

Huic Hesperũ quoque fratrem nonnulli addiderunt, à quo dicta sit Hesperia, qui cum montem fraternũ ascendisset ad sidera speculanda, neq; amplius apparuisset, creditus est in stellam lucidissimam mutatus de suo nomine vocatam. Alii dixerunt Hesperum fuisse filium Atlantis religione, iustitia, humanitate præstantem, qui à ventis repente raptus è supremis partibus montis, nullibique inuentus, fabulæ locum dedit, quod in stellam sui nominis sit conuersus. Atq; hæc ea sunt quæ de Atlante memoriæ produntur ab antiquis scriptoribus. Nunc quid hæc significent explicemus.

¶ Atq; illud primum nullo pacto fieri potest, vt Atlas cœlum sustineat, sicuti demonstrauit Arist. in 2. lib. cœli, quia si cœlum vt sustineatur indigeat, erit graue. At non est tale, vt multis rationibus ibi ostenditur. Ipse præterea Atlas præ labore aliquando deficiet, quoniam nihil cum labore est sempiternũ. Scriptum reliquit Zezes histor. 1. quintæ Chil. Atlantem Ægyptium, qui multis annis Libyco Atlante fuit antiquior, dictum fuisse cœlum humeris sustinere, quia rerum cœlestium & astronomicarum primus inuentor fuerit apud Ægyptios. Atq; illa quæ de Hercule Ægyptio Atlanteque

teque dicta sunt ab Ægyptiis, Græci ad posteriorē & Atlantem & Herculem Alcmenæ filium transferentes fabulis accommodarunt. Dicunt enim cœlum sustentandum Herculi ab Atlante parumper datum fuisse, quia res astronomicas & stellarum motus Hercules ab Atlante didicerit. Idcirco etiam Pleiades & Hyades filiæ Atlantis dicuntur, quod ille prior & ipsas stellas, & quas vires exerceant, in reb humanis obseruarit. Refert Pausanias in Bœoticis Polusam vicum fuisse non procul à Tanagris, in quo Atlas consedisse, & ea quę sunt sub terra, resq; cœlestes accurata diligētia inuestigasse dicitur. Sunt qui dicant Atlantem primum fuisse qui Lunæ cursum obseruauerit: quod alii tamen tribuunt Arcadi Orchomeni filio, vnde dicta est Arcadia; quare Arcades ante Lunam, vel potius ante Lunę obseruationē (vt ego quidē iudico) gloriantur se natos esse. Alii obseruationē Lunæ Endymioni tribuunt, alii Typhoni, inter quos fuit Xenagoras Philosophus. Isacius Libycum Anlātem primū fuisse scribit, qui astrorum motus, Lunæq; mutationes obseruauerit, quem postea secutus est Thales. Alii dictum esse in fabulis existimant, quod Atlas pedes in terra habuerit, humeros ad ortum & occasum, caput ad meridiē: quod ait Arist. in lib. de causis motuum animalium: quia indicabant mundum firma sede indigere, circa quam volueretur: nam per eam sedem transire intelligitur diameter, qui ea quæ supra nos sunt, ab inferioribus disterminat. Atlantem igitur & cœlestium & subterraneatum rerum habere cognitionem putarunt hi, qui axem mundi ita appellarunt, quod & nomen ipsum significat: dicitur enim Ἄτλας à particula incrementum aliquando significante & τλῆμι *perfero & sustineo* quia indefessus sit axis in mundi machina sustinenda. Columnas, esse Atlantis Borealem & meridianum polum quidam censuerunt, quod ab his cardinibus mundus sustineri videatur. Atlantis filiæ Hyades & Pleiades fuerūt, quia post cœli siue axis ortum & stellæ ipsæ natæ sunt. Has ita nominatas quidam putarunt à filiabus Atlantis Libyci peritissimi astronomi, qui ad perpetuam sui memoriam nomina suorum filiorum astris indidit, quod & alii plerique fecerunt, & Conon Ptolemæi tempore Comam vocauit Bernices. Proclus in commentariis quos in Opera & Dies Hesiodi scripsit omnium sphærarum animas, viresq;

diuinas illas esse scripsit, quæ Pleiades vocantur: vt Celæno Saturni sit anima, Sterope sphæræ Iouis, Merope Martis, Electra Solis, Alcyone Veneris, Maia Mercurii, Taygete Lunæ: quarum aliæ cum suis planetis, aliæ cum aliis Diis rem habuisse dicũtur, quod Ouid. indicauit lib. 4. Fastorũ:

*Pleiades incipient humeros releuare paternos,*
*Quæ septem dici, sex tamen esse solent:*
*Seu quod in amplexus sex hinc venere Deorum.*
*Nam Steropen Marti concubuisse ferunt,*
*Neptuno Alcyonem, & te formosa Celæno;*
*Maiam, atq; Electram, Taygetemq; Ioui.*
*Septima mortali Merope tibi Sisyphe nupsit.*
*Pœnitet, & facti sola pudore latet.*

Cætera multa quæ de his fabulantur antiqui, prætermittenda censui in præsenti, quia ad hanc partem suscepti negocii non attinent. Nunc de Endymione dicamus.

## *De Endymione.* CAP. VIII.

ENdymion autem fuit Æthlii filius & Calices. Hic vt scribit Pausanias in Prioribus Eliacis, à Luna fuit amatus, ex qua filias quinquaginta suscepisse fabulantur, cum tamen alii tres tantum filios inquiant, Pæonem, Epeum, ac Ætolum, filiam Eurydicen ex Asterodia, vel Chromia, vel Hyperippe illum suscepisse. Habuit filiam præterea Pisam, quæ Pisæ Olympicæ nomen dedit. Habuit Endymion filium etiam Ætolum, à quo Ætolia dicta est, cum antea Hyanthis diceretur, vt ait Demaratus in primo libro de mutatis nominibus prouinciarum & locorum, quamuis alii Mortis, alii Martis eum fuisse filium crediderunt. Huic alium filium addidit Isacius cum ita scribat: † †

Alii dicunt quod Phthir fuit Endymionis filius, quidam addiderunt illi filium Eleum, quẽ ex Eurycyda suscepit, qui imperauit Epeis, à quo postea vocati sunt Elei. Hunc aiunt Iouis fuisse nepotẽ, quippe cum Æthlius Iouis & Protogeniæ fuisset filius; qui munus id à Ioue obtinuit, vt vitę mortisq; sibi esset arbiter, vt traditum est ab Hesiodo, Acesilao, Pisandro, Pherecyde, & Nicandro in secũdo rerum Ætolicarum, & vt scripsit Theopompus in Epopæis. Fertur præterea Iupiter illum in cœlum accepisse: quem cum Iunonẽ viciare conatus esset, deceptum ab idolo oblato ad inferos

detru-

detrusit. Fuerunt qui dicant Endymionem fuisse Elidis Regem atq; ob iustitiam in Deorum numerum relatum mox impetrasse à Ioue vt perpetuo dormiret; quem alii Spartanum, alii Eleum esse crediderunt. Fama est hunc in Latmo Cariæ monte in antro quodam versari solitum, vbi ciuitas erat Heacla, vt scripsit Nicander in secundo Europæ. Dicunt Lunam in illud antrum venire solitam, & cum Endymione congredi, quod ita attigit Ouid. in Epist. Leandri:

*Non sinit Endymion te pectoris esse seueri.*
*Fac subeant animo Latmia saxa tuo.*

Cicero tamen lib. 1. Tusculanarum disputationum perpetuo dormientem Endymionem in Latmo Cariæ monte à Luna adamatum dicit sola oscula Lunæ accepisse, neq; vnquam experrectum fuisse, cum ita scribat: Ennymion verò, si fabulas audire volumus, nescio quando in Latmo obdormiuit, qui mons est Cariæ, nondum opinor experrectus. Num igitur eum curare censes, cum Luna laboraret, a qua consopitus putatur, vt eum dormientem oscularetur? quod ipsum scripsit etiam Lucianus in dialogo Veneris & Lunæ. Theocritus fœlicem putauit Endymionem, quia semper dormiret, neque vllas sentiret molestias, cum ita scribat in tertia Æglog.

*ζαλωτὸς μὲν ἐμὶν ὁ τὸν ἄτροπον ὕπνον ἰαύων*
*Ε᾿νδυμίων.*
*Inuideo dulci somno, semperq; grauato*
*Endymioni.*

Atque tot fere sunt de Endymione fabulose ab antiquis tradita.

¶ Nunc quæ causa horum fingẽdorum fuerit, inuestigemus. Atque primum scire conuenit multa antiquos ad illustrium virorũ perpetuam memoriam cõfinxisse, quæ postea fabulosis ornamentis vestita ad humanæ vitæ vtilitatem & eruditionem fuerunt informata. Sic illa quæ dicta sunt de Endymione, ad perpetuam eius viri memoriam ab antiquis poëtis fuerunt ficta. Qui vero magis historice rem explicarunt, dicunt Endymionem dictum fuisse in eo monte perpetuo dormire, & à Luna amari, quia cum dormiret per diem, per noctẽ, quo tempore feræ exire solent de suis latebris, ad Lunæ lumẽ venaretur: neq; vnquam per diem videbatur. Alii dicũt primum Endymionem rerum sublimium

ſpeculationem inueniſſe, cui rei fabulæ locum dedit Luna ob tam varias luminis formas & mutationes, cum de illa præcipue cognoſcenda eſſet ſolicitus: qui cum noctu his conſiderationibus eſſet intentus, ſomno non fruebatur, at dormiebat per diem. Hic prior, vt teſtatur Lucianus in Aſtrologia, Lunæ rationem mortalibus oſtendit, ſicuti Phaethon deprehendit Solis curſum: quæ cauſa extitit cur Luna illum amaſſe dicta ſit, vt teſtatur Plin. in lib. 2. Non defuerunt tamen qui Endymionem hominem ſegnem, ac ſomno deſidiæq; deditũ fuiſſe putarint, vnde in illos qui ſunt huiuſmodi conuenit id dictum, Somnus Endymionis: in illos enim conuenit, qui negligenter adeo aliquid faciũt, vt dormire videantur. Neq; mirum videri debet Endymionem virum Aſtronomiæ peritum, & in conſiderandis ſtellarũ curſibus diligentiſſimum, ab illis ſegnem & voluptarium fuiſſe creditum: cum etiam Æneas, quem nonnulli tantopere extollunt laudibus, vt bibax & glorioſus & iactabundus ab Apolline carpatur apud Homerum in lib. 20 Iliadis:

*Αἰνεία Τρώων βουληφόρε, ποῦ τοι ἀπειλαὶ.*
*τὰς Τρώων βασιλεῦσιν ὑπίσχεο οἰνοποτάζων;*
*Ænea, Troum ductor, quo grandia facta,*
*Quæ Reges inter replet atq; pocula lætus*
*Pollicitus fuerat?*

Quæ res forte cauſa fuit cur Æneas Veneris & Anchiſæ filius creditus ſit. Me tamen non prætererit alios fuiſſe, qui paſtorem fuiſſe Endymionem putarint, qui nocturnis paſcuis delectaretur, cum alii paſtores clauſos greges in ſtabulis haberent: atque cum huius greges magnopere pingueſcerent, fabulæ datus eſt locus quod Luna eius amore capta illud Endymionis gregibus donaret. Hunc mortuum eſſe & ſepultum apud ſe teſtati ſunt Elei, qui inſigne ſepulchrum illi erexerunt. Nihil autem per hæc ſignificatur, quam diligentiam omnibus in rebus eſſe vtilem, cum maxime Dei auxilium iis præcipue præſto eſſe ſoleat, qui & ipſi non ſint deſides & illud ſuppliciter implorauerint. Nam certe quidem Deus non fauet deſidiæ. At Endymione relicto de Fortuna dicamus.

## *De Fortuna.* CAP. IX.

DE Fortuna, quæ maxime omnium Deorum in quotidianis ſermonibus nominatur, & penes quam omnes humanæ

humanæ vitæ mutationes. omne facultatum, & honorum, & amicitiarum, & commodorum arbitrium esse creditur, nihil neque certum, neque vna multorum scriptorum voce confirmatum habemus, nisi quod rerum omnium sit incōstantissima, neque vllo in loco diutius potest consistere. Homerus in hymno quodam in Cererem illam fuisse Oceani filiam innuit, & testatur Pausanias in Messeniacis, quippe cum illam etiam cum reliquis filiabus Oceani cum proserpina colludentibus connumerauit, quam Tychen Græci appellant, quorum carminum hæc est sententia:

*Vna omnes vario per prata comantia flore,*
*Candida Leucippe, Phenoq; Electraq; Ianthe,*
*Melobosisq; Tyche, Ocyrhoe præsignis ocellis.*

Orpheus in hymno quem scripsit in Fortunam, illam natam fuisse è sanguine ait in his:

*αἵματος ἐκ γεγαῶσαν, ἀπορθήτον χθ' ἔχουσαν.*
*Sanguine prognatam, vi & inexpugnabile numen.*

Quamuis scripsit quidam quod ante Homeri tempora nemo de Tyche mentionem fecit antiquior poeta: neque Hesiodus quidem, qui Deorum omnium ortus conscripsit, de Fortuna meminit omnino. Est enim recens, vt ita dixerim, & Homeri inuentum, Fortuna, quam permulti scriptores post Homeri tempora nobilitarunt. Nam siue ante ea tempora nominata fuit, nullum nomen obtinuit: siue ab Homero primo, certe post eius tempora, vires assumpsit. Hanc ferunt res humanas sursum ac deorsum subuertere pro suo arbitrio, hanc in singulos homines ius habere, hanc ciuitates, hanc regna, hanc amicitias euertere cum libuerit, hanc omnia illa euersa & iacentia erigere, opulentia, hominumque frequentia replere, & florentissima efficere. Quare si quid prosperum, si quid ex voto, si quid fœlix ex obscuris causis eueniat; aut contra, si quid turbulentum, molestum, calamitosum contingat: id totum Fortunæ tribuitur, velut ex his carminibus videri licet, quæ sunt in Agamemnone actu apud Senecam tragicum:

*O regnorum magnis fallax*
*Fortuna bonis, in præcipiti*
*Dubioq; nimis excelsa locas.*
*Nunquam placidam sceptra quietem,*
*Certumve suum tenuere diem.*

*Alia ex aliis cura fatigat,*
*Vexatq; animos noua tempestas.*
*Non sic Libycis Syrtibus æquor*
*Furit alternos voluere fluctus,*
*Non Euxini turget abimis*
*Commota vadis vnda, niuali*
*Vicina, vbi cœruleis*
*Immunis aquis lucida versat*
*Plaustra bootes,*
*Vt præcipites Regum casus*
*Fortuna rotat! metui cupiunt,*
*Metuiq; timent, non nox illis*
*Alma recessus præbet tutos,*
*Non curarum somnus domitor*
*Pectora soluit.*

Atque vt vno verbo dicam, hæc vna rerum omnium domina fuit existimata, vt ait Euripides in Hecuba:

ὦ Ζεῦ, τί λέξω; πότερά σ' ἀνθρώπους ὁρᾶν;
ἢ δόξαν ἄλλως τήνδε κεκτῆσθαι μάτην
ψευδῆ, δοκοῦντας δαιμόνων εἶναι γένος,
Τύχην δὲ πάντα τἀν βροτοῖς ἐπισκοπεῖν;
*Dicam viros te Iupiter ne cerneret*
*An frustra eos inuasit illa opinio,*
*Quod vspiam sit forte dæmonum genus,*
*Fortuna cuncta cum regat mortalia?*

Alii tantam vim facultatemque fortunæ tribuerunt, vt vitam omnium mortalium fortunæ ludum esse crediderint, sicuti scriptum reliquit Palladas in his carminibus:

παίγνιόν ἐστι Τύχης μερόπων βίος, οἰκτρὸς ἀλήτης,
πλούτου καὶ πενίης μεσσόθι ῥεμβόμενος.
καὶ τοὺς μὲν κατάγουσα πάλιν σφαιρηδὸν ἀείρει,
τοὺς δ' ἀπὸ τῶν νεφελῶν εἰς ἀΐδην κατάγει.
*Vita hominum ludus Fortunæ est, & miser erro [illegible]*
*Inter pauperiem nauigat, inter opes.*
*Atq; pilæ in morem nunc hos ad sidera [illegible]*
*Elatos & nunc tartara ad ima [illegible]*

Quamuis idem postea Euripid[illegible]actus sanioris mentis, vel minus insanam personam [illegible]oducens in Electra, Fortunę autores & moderato[illegible] Deos i[illegible], illamque Deorum ministram:

Θεὸς

θεοὺς μὲν ἡγοῦ πρῶτον Ἠλέκτρα τύχης
ἀρχηγέτας τῆς δ', εἶτα κἀμ' ἐπαίνεσον
τὸν τῶν θεῶν τι, τῆς Τύχης θ' ὑπηρέτην.
*Deos putato Electra fortunæ prius*
*Istius autores fuisse, postea*
*Laudato Fortunæ ministrum me, & Deum.*

Scriptum reliquit Pausanias in Achaicis Fortunam vnam esse è Parcis quæ potentia cæteras sorores antecelleret. quare & Orpheus illi vniuersæ vitæ humanæ potestatem & administrationem ita tribuit:

ἐν σοὶ γὰρ βίοτος θνητῶν παμποίκιλός ἐστιν.
*Ipsa regis variam mortalem numine vitam.*

Hanc potentissimam & rerum omnium moderatricem significauit Demosthenes in his oratione ad epistolam Philippi: μεγάλη γὰρ ῥοπὴ μᾶλλον δὲ τὸ ὅλον, ἡ Τύχη ἐστὶ πρὸς ἅπαντα τὰ τῶν ἀνθρώπων πράγματα. *Magnum enim quid est momentum rerum, vel potius totum est Fortuna ad omnia hominum negotia.* Cum de illa mentionem fecisset Homerus nō tamen tantum autoritatis potentiæque tribuit, quantum posterorum plerique, quippe cum Diis cæteris propria officia concessisset. Sequentibus postea temporibus quidquid fieret, cuius causa esset occulta, illud Fortunæ imputari cœpit, quare Plutarchus in libello de fortuna Romanorum multa cognomina ab euentu illi indita fuisse memorat. Illud autem idcirco contigit, quia multa fiunt fortuna sapientiæ persimilia, vt est apud Athenæum in carminibus Iouis, quorum hæc est sententia:

*Longissime à sapientia Fors dissidet:*
*Sed multa perficit tamen similia.*

Theognis omnium bonorum & malorum, diuitiarumque & paupertatis autorem Iouem esse credidit, quamuis illa tam præclara Fortunæ Orpheus tribuerit, quare videtur Theognis nullam esse Fortunam in his existimasse:

Ζεὺς γάρ τοι τὸ τάλαντον ἐπιρρέπει ἄλλοτε ἄλλῳ·
  ἄλλοτε μὲν πλουτεῖν, ἄλλοτε δ' οὐδὲν ἔχειν
*Iupiter huc illuc interdum pondera flectit,*
  *Nunc dat diuitias, nunc dat habere nihil.*

Quare præclare scriptum est à Iuuenale stulte inter Deos collocatam fuisse Fortunam. Nam si prudentia potius quam temeritate quadam & cæcitate mentis res humanæ

gubernarentur, oblitesceret penitus è mentibus hominum Fortunæ nomen: fieretque sibi quisq; illa fortuna, quam sibi parasset, neque magnopere vel de occulta potentia siderum, vel de Dei clementia ac prouidentia, vel de occultis naturæ causis quereremur, cum quis agit inconsiderate multaq; propter suam patiatur inscientiam, vt nos aliquãdo lusimus in quadam epistola his versibus, ad clarissimum virum Petrum Sanutum missa:

*Aut tamen occulta via est prudentia & alta futuri*
*Vt solis sit nota Deis series: ratione*
*Et trahitur certa venturi temporis ordo.*
*Aut si non flectit mentes vis ætheris alti, &*
*Ingenium fuit cuique suum Fortuna: miselli*
*Erramus cæci terra caligine mersi.*
*Nec quicquam rectum certa ratione, modoque*
*Conamur, velut in tenebris erramus & ipsa*
*Inscitia à nobis fatorum creditur ordo.*
*Deteriora capi contingit, ad optima sordent,*
*Candida nigrescunt, nigrantiaque alba videntur.*

Sed quod inscitia mentibus hominum insidet, sæpius illi admonendi sunt, quod

*Nullum numen abest, si sit prudentia: sed te*
*Nos facimus Fortuna Deam, cœloque locamus.*

Sapientissime igitur Bupalus opinionem hominum secutus, vt est in Messeniacis Pausaniæ, ædificandis templis, fingendisq; simulachris ingeniosus ac solers, Fortunæ signum apud Smyrnæos omnium antiquorum primus effinxit: cuius capiti polum imposuit, cum altera manu vocatæ Amaltheæ cornu teneret. Neque aliud Archilochus significare voluit, qui manu dextra flammas, at sinistra manu aquam gestantem effinxit nisi fortunam eandem bonorum malorum cellariam: quæque donet fælicitatem, eandem & calamitates afferre. Nam cum perditis & omni flagitiorum genere contaminatis hominibus facultates plerunque obueniant, multique viri boni sint inopes, Fortuna cæca, & inconsiderata, & inconstans, & ebria ac titubans dicta est, vt patet ex his apud Ouidium in libro secundo de Ponto.

*Passibus ambiguis Fortuna volubilis errat,*
*Et manet in nullo firma tenaxque loco.*

Nam malus est dæmon plane credita Fortuna, cui omnia hominum stultorũ deliria ab antiquis attributa sunt, quæ ad naturam ingeniumque brutorum propius accederent. Sic etiam Palladas inquit in his carminibus:

*οὐ λόγον, οὐ νόμον οἶδε Τύχη, μερόπων τυραννεῖ,*
*τοῖς ἰδίοις ἀλόγοις ῥεύμασι συρομένη.*
*μᾶλλον τοῖς ἀδίκοισι ῥέπει, μισεῖ δὲ δικαίους,*
*ὡς ἐπιδεικνυμένη τὴν ἄλογον δύναμιν.*

*Improba non nouit leges Fortuna, modumve,*
*Sed semper, quo fert impetus, illa ruit.*
*Illa odit plerunque bonos, blanditur iniquis,*
*Et monstrat quæ sint robora stultitiæ.*

Qua de causa fuit existimata à poetis super rota quadam perpetuo circum volui, ita vt nunquam in eodem loco diutius persisteret, vt in eo versu significauit Tibullus in 1. Elegiarum:

*Versatur celeri Fors leuis orbe rotæ.*

Et Ouidius secundo de Ponto:

*Scilicet indignum iuuenum rarissime ducis*
*Te fieri comitem stantis in orbe Deæ.*

Quod ideo fictum est quoniam non solum eo quæ bona hominũ sunt, assidue subuertuntur: verum etiam quia consiliorum incerta est ratio, cum multa sint quæ nullo pacto præuidere possimus, vt nos in quadam epistola lusimus his versibus: quam ad clarissimum & integerrimũ causidicum, singularisque eruditionis & integritatis virum Philippum Tertium cognomine aliquando misimus:

*Nondum onerata ratis cum staret vincta sereno*
*Æthere, & insani tacite pellacia Ponti*
*Alliceret puppes, quoties retinacula nautas*
*Inuitos tenuere suis vbi compede arcta*
*Demeret Hippotades rapidis iam vincula ventis?*
*At contra quoties qui vincula frementibus vndis*
*Soluerunt, vastum nimbis tollentibus æquor,*
*Mitia pacatis sulcarunt alta procellis?*

Hanc Deam cum cæcam finxissent antiqui, in curru vehi solitam dixerunt, qui ab equis cæcis trahebatur, vt ait Ouidius in epistola ad Liuiam:

*Fortuna arbitriis tempus dispensat vbique,*
*Illa rapit iuuenes corripit illa senes.*

*Quaque ruit, furibunda ruit: totumque per orbem*
*Fulminat, & cæcis cæca triumphat equis.*

Nullus est omnium Deorum, qui tot conuitia, tot lamentationes, tot querelas mortalium in se audiat: quam ab hominibus tanquam scopum contumeliarum, ne de diuina administratione tam nefarie pro stultitia nostra quereremur, introductam fuisse iudico. Hanc cæcam, hanc stultã, hanc temerariam, hanc leuissimam, hanc amentium parentem, hanc bonorum nouercam appellarunt. Huic pro bene acceptis petraræ sunt gratiarum actiones, at frequentissimæ pro calamitatibus contumeliæ & obiurgationes. Hæc eadem tantum existimationis, tantumque imperium ab Homeri temporibus accepit, vt Iupiter de cœlo ab ea prope fuerit detrusus, omnemq; rerum administrationem & sceptrum ipsum è manibus illa Ioui prope extorserit, sicut crediderit insuli homines.

¶ Atque vt summatim dicam nulla alia de causa excogitatum fuisse Fortunæ nomen ab antiquis crediderim, nisi vt hominum lamentationes à summi Dei cogitatione ad inane nomen, & ad numen quod nusquam existeret, diuerterent. Nam cum quid aduersum accidit, illud diuino consilo euenire constat, cum omnia à Deo proueniant. Quod si homines omnes sapientes essent, facile cum eo viro optimo dicerent: Si bona de manu domini accepimus, quare non & mala sustineamus, at quoniam pauci sunt sapientes, cum pro acceptis malis doleamus, non ne præstat de vano nomine fortunæ, quam de diuina prouidentia queri? inde fit vt quibus res è sententia succedunt, fortunati dicantur, cuiusmodi dicebatur Timotheus ille Atheniensis, quem dormientem fingebant pictores, ac fortunam illi vrbes, tanquam pisces in retia impellentem: at de Fortuna satis, nunc de Apolline dicamus.

## *De Apolline.* CAP. X.

FVIT Apollo, vt diximus, Latonæ Iouisque filius, siquidem Latona à Ioue compressa vno partu Apollinem & Dianam peperit, vt ait Hesiodus in Theog.

*Λητὼ δ' Ἀπόλλωνα καὶ Ἄρτεμιν ἰοχέαιραν,*
*ἱμερόεντα γόνον περὶ πάντων οὐρανιώνων,*
*γείνατ' ἄρ' αἰγιόχοιο Διὸς φιλότητι μιγεῖσα.*
*At Phœbum peperit Latona Dianam*

Pignora

*Pignora cunctorum quæ sunt clarissima diuum,*
*Cœlicolum regni magno coniuncta tonanti.*

Quare Apollo ita gloriatur apud Ouidium, se è Ioue natum esse:

*——— mihi Delphica tellus,*
*Et Claros, & Tenedos, Panopæaque regia seruit;*
*Iupiter est genitor.*

Herodotus autem in Euterpe non Iouis, at Dionysi filios fuisse Apollinem & Dianam scribit in his: Ἀπόλλωνα δὲ καὶ Ἄρτεμιν, Διονύσου καὶ Ἴσιος λέγουσι εἶναι παῖδας. Λητὼ δὲ τροφὸν αὐτοῖσι καὶ σώτειραν γενέσθαι. *Apollinem ac Dianam Dionisi & Isidis filios esse aiunt: Latonamque illorum fuisse nutricem, cum illos seruauerit.* Nam Latona cum esset vna ex octo Dijs Ægyptiorum, à Cerere depositum apud se Apollinem seruauit, cum in insula Plote siue natante ab impetu Typhonis Osiridis filios quærentis protexisset. Hos filios qui Latonæ attribuunt, in Delo peperisse dicunt, vt testatur Cicero in actione 3. in Verrem. Postridie cum spoliatum fanum viderent ij, qui Delum incolebant, grauiter ferebant: est enim tanta apud eos eius fani religio, vt in eo loco ipsum Apollinem natum esse arbitrentur. Atque Homerus hymnographus in Delo palmæ arborem fuisse inquit, quæ ostendebatur, cui innixa Latona Apollinem peperit, vt est in his.

κεκλιμένη πρὸς μακρὸν ὄρος, καὶ Κύνθιον ὄχθον
ἀγχοτάτω φοίνικος, ὑπ᾽ Ἰνώποιο ῥεέθροις.
*In monte excelso deflexa, in vertice Cynthi,*
*Inopa ad primas ripas, palmaque propinqua.*

Et Ouidius in Epistola Cydippes:

*Miror & innumeris structam de cornibus aram,*
*Et de qua pariens arbore nixa Dea est,*

Nam Herodotus in Euterpe multas arbores palmarum in insula Plote vocata fuisse scribit, & templum Apollinis magnificentissimum, & aras tergeminas, & arbores tum fructiferas, tum etiam steriles permultas. Plutarchus in vita Pelopidæ in ciuitate Tegyra natum fuisse Apollinem scribit, ibiq; esse duos fontes, quorum alter Palma, alter Olius dicitur: montemq; Delum nomine, atq; illa quæ de Tityo ac Pythone dicuntur, possunt omnia ad hunc ortum perduci. Sed vt res magis perspicua sit, verba Plutarchi ascribēda duxi, μικρὸν δὲ ὑπὸ τὸ ἕλος νεώς ἐστιν Ἀπόλλωνος Τεγυραίου,

καὶ μαντεῖον ἐκλελειμμένον οὐ πάνυ πολυχρόνον, ἀλλ' ἄχρι τῶν Μηδικῶν ἤκμαζε, τὴν προφητείαν Ἐχεκράτους ἔχοντος. Ἐνταῦθα μυθολογοῦσι τὸν θεὸν γενέσθαι καὶ τὸ μὲν πλησίον ὄρος, Δῆλος καλεῖται, καὶ πρὸς αὐτὸ καταλήγουσιν αἱ τοῦ Μέλανος διαχύσεις. ὀπίσω δὲ τοῦ ναοῦ, δύο ῥηγνύνται πηγαὶ, γλυκύτητι καὶ πλήθει καὶ ψυχρότητι θαυμαστοῦ νάματος' ὧν τὸ μὲν φοίνικα, τὸ δὲ Ἐλαίαν ἄχρι νῦν ὀνομάζομεν, οὐ φυτῶν μεταξὺ δυεῖν, ἀλλὰ ῥείθρων, τῆς θεοῦ λοχευθείσης. *Nec longe hinc ſane diſtat Apollinis Tegyræi templum & Ora: ulum non multo iam tempore euerſum, quod vſque ad Medorum bellum cum præſideret ſumma rerum Echecrates vaticiniis ac reſponſis floruit. Hic fabulantur Deum natum eſſe, cui loco finitimus eſt mons Delus nominatus, ad cuius montis radices vndæ Melanis fluuij ceſſant. Poſt ipſum templum gemini fontes ſcatent ſuauitate aquarum, & copia, & frigore mirabiles: quorum alterum Palmam, alterum Oliuam nominant his etiam temporibus. Neque verum quidem eſt quod inter duas arbores, ſed inter duo fluentia vteri pondus Dea depoſuerit.* Multos fuiſſe Apollines ſcribit Cic. lib. 3. de natura Deorum his verbis: Apollinum antiquiſſimus is quem paulo ante ex Vulcano natum eſſe dixi, cuſtodem Athenarũ Alter Corybantis filius, natus in Creta: cuius de illa inſula cum Ioue ipſo certamen fuiſſe traditur. Tertius Ioue natus & Latona: quem ex Hyperboreis Delphos ferũt adueniſſe. Quartus in Arcadia, quem Arcades Nomionẽ appellant, quod ab eo ſe leges ferunt accepiſſe. Atq; cum tot Apollines fuerint, reliqui omnes ſilentur, omneſq; res aliorũ geſtæ ad vnũ Apollinẽ Latonæ & Iouis filiũ referuntur. Hic multos filios habuiſſe dicitur è variis mulieribus: ex Æthuſa Neptuni filia Eleutherũ ſuſcepit è Corycia nympha Lycorum, è Thyia, vel, vt aliis magis placet, è Melęne filia Cephiſſi Delphum, ex Acachallide Phylacidem, & Philandrũ & Naxum, è Cyrene nympha Ariſteũ ex Euadne Iamũ vatẽ, à quo Iamidæ apud Piſam vaticinabãtur in Olympicis pelles victimarum, in ignem iaciẽtes, ꝙ alij maluerunt fieri è ſectione, ſi recta fieret: Chæronem è Thero Phylantis filia, è Chryſorte Coronũ, Eutnoeũ è Cyrene, ex Atria Cleochi filia ſiue Ægea Miletũ, à quo dicta eſt vrbs, & Oaxũ, à quo Oaxia, & Arabum, à quo Arabia: ex Babylonia & Garmantẽ, Iſmeniũ, & Acrephum à quo Acrephia vrbs Bœotiæ; futurus erat pater etiam è Caſtalia, niſi fontem euanuiſſet: è Syllide nympha, Xeuxip-

Xeuxippum: ex Asterie, Idmonem è Sinope, Syrum: è Dia Lycaonis, Dryopem: è Manto Mopsum: è Melia Oceani, Tænarum vatem ac diuinatorē & Ismeniū: è Calliope, Orpheum & Hymenæum & Ialemum, vt ait Asclepiades in sexto Tragicorum: ex Acachallide Delphum, qui nomen dedit Delphis vmbilico totius orbis terræ. nam fabulati sunt antiqui Iouem cum vellet medium atque vmbilicum terræ inuenire, alteram aliquā ab oriente, alteram ab occasu pari velocitate emisisse, iussisseque illas recta & è regione cōuolare, quæ cum in Delphos deniq; cōuenissent, ibi ad sempiternā facti memoriam aurea aquila dicata est. è Chione, Philammonem. amauit etiam Rhodiam virginem, quę nomen dedit insulæ. suscepit Megareum, à quo Megara & ne singulis matribus ab ipso Apolline factis numerandis diutius immorer, Linus, Philisthenes, Iamus, Laphitus, Anius, Argeus, Ilaria, Psyche, Philemon, Pythaeus, Garamantes, Actous, Branchus, Nomius, Eurynome, Dorus, Laodocus, Polypetes, alijque cōplures dicuntur fuisse Apollinis filii. & Chius ex Anathippe, à quo insula vocata fuit, amauit & Bolinam nympham, quæ fugiens eius impetū se in mare proximum abiecit, atq; Apollinis miseratione immortalis est facta non procul à Drepano promontorio. è Peneo Oceani & Tethyos, à quo si dictus est Thessaliæ, & Creusa natus est Hypseus & Silbe, de qua Apollo filios Lapithem & Centaurum procreauit. Lapithes ducta Orsinome Phorbantem & Periphantem suscepit, qui cum in regnum successissent omnes suos populos à patre nominarūt Lapithas. Fuit autem Æscula pius omnium filiorū Apollinis celeberrimus, quem Iupiter fulmine confecisse dicitur, quia mortuos per medendi peritiam in viam reuocaret. Id grauiter ferens Apollo cum vlcisci nō posset Iouis in se iniurias, omnem iræ impetum conuertit in Cyclopas, quos quia fulmina Ioui fecissent, sagittis confecit. Ea re indignatus Iupiter Apollinem è cœlo relegauit. Quod ita scripsit in Argonauticis Orpheus:

Ἄδμητος δ' ἀφίκανε Φεραιόθεν, ᾧ ποτε Παιὰν
θητεύων ὑπόεικε Διὸς δ' ἠλεύατο μῆνιν,
οὕνεκά τοι Κύκλωπας ἀμαιμακέτοισιν ὀϊστοῖς
ἐν φθιτοῖσιν ἔπεφν', Ἀσκληπιοῦ εἵνεκα λώβης.

*Inde Pheris Admetus adest: seruiuit Apollo*

*Huic olim, cuperet vitare is cum, Iouis iram.*
*Cyclopas quoniam confecerat ille sagittis,*
*Atque neci dederat Asclepi pignoris ergo.*

Inde demissus ac exul errabundus mortalium calamitatibus factus est obnoxius, vt testatur Lucianus in dialogis mortuorum. Hic idem Deus propter inopiam rerum omnium victui necessariarum mortalis omnium miserrimus factus operam suam Admeto Thessaliæ Regi pascendis armentis concessit. Vel vt alij maluerunt, datus est in seruitutem Admeto, qui, quoniam oues pauit, vocatus fuit Nomius & Agreus, de quo ita Pindarus in Pythicis:

καὶ ἀγνὸν Ἀπόλλων'
ἀνδράσι χάρμα φίλοις,
ἄγχιστον ὀπάονα μήλων.

*Et Clarum Apollinem*
*Viris lætitiam amicis.*
*Propinquam custodem ouium.*

à quo magnopere dicitur fuisse amatus contracta postmodo non vulgari amicitia propter bonitatem ingenij & industriam ipsius Apollinis. Huic eodem die natus Mercurius vesperi boues surripuit, vt est in hymno Homeri in Mercurium:

ἠῷος γεγονὼς μέσῳ ἤματι ἐγκιθάριζεν·
ἑσπέριος βοῦς κλέψεν ἑκηβόλου Ἀπόλλωνος.

*Editus is mane est, citharam pulsauit eadem*
*Luce, boues Phœbo celauit vespere raptos.*

Deinde cum quereretur Apollo, Mercuriumq; minis terrere conaretur, vt boues per furtum raptas sibi restitueret, idẽ Mercurius pharetram etiam surripuit: qua re cognita coactus est ridere Apollo, vt ait Horat. in 1. carminum:

*Te boues olim nisi reddidisses*
*Per dolum amotas, puerum minaci*
*Voce dum terret, viduus pharetra*
*Risit Apollo.*

Cum Pindarus oues, alij boues pauisse Apollinẽ inquinat. Callimachus tamen in hymno in lauacrum Apollinis equas illum pauisse asserit in his.

Φοῖβον καὶ Νόμιον κικλήσκομεν ἐξ ἔτι κείνου
ἐξ ὅτ' ἐπ' Ἀμφρυσσῷ ζευγίτιδας ἔτρεφεν ἵππους.

*Dixerunt Nomium Phœbum, ex quo tempore ad vndas.*

*Am-*

*Amphryſi Deus egit equas paſtum ille iugales.*

Qua de cauſa habitus eſt Deus poſtea paſtorum vna cum Pale, vt ait Virg. in Ecloga 5.

*Ipſa Pales agros, atque ipſe reliquit Apollo.*

Et in tertio Georgicorum:

*Te quoque magna Pales, & te memorande canemus*
*Paſtor ab Amphryſo.*

Huic lupus ſacer exiſtimatur, quia cum infeſtum ſit animal gregibus & armentis, Apollinis tamen armento pepercerit. Aſt ego crediderim, vt inimicum animal mactari ſolitum armentorum Deo, eadem cauſa qua ſus Cereri, & caper Baccho immolantur. Alii crediderunt ob rapacitatem ſacratum fuiſſe, quia caloris rapacitas per illum ſignificatur, ſicut coruus eidem erat ſacratus ob diuinationem pluuiarum & ſerenitatis, cum nunc clara, non rauca voce vteretur pro mutationibus temporum. Arati tamen enarrator ob præſtantiſſimum oculorum acumen ſacrum Apollini perſpicaci exiſtimari cenſet. Sic enim inquit: ὡς γὰρ ἐκεῖνος μακρόθεν ὢν ὁρᾷν δύναται, οὕτω δὴ καὶ ὁ λύκος ὀξυδερκής. καὶ διὰ τὸ ὀξυδερκὲς αὐτοῦ, προσνέμουσιν αὐτὸν τῷ Ἀπόλλωνι. *Vt enim ille cum procul extiterit, tamen poteſt perſpicere ſic lupo magnum eſt aciei acumen: qui etiam quoniam eſt perſpicax, Apollini ſacer putatur.* Hic idem Deus mox cum ad Eurotæ ripas in Sparta Hyacinthi pueri amore captus diſco certaret, Hyacinthum imprudens occidit, vt ait Ouidius libro mutationum 15. atque ita Nicander in Theriacis:

ψίλωθρον, καρπόν τε φιλοθρήνου Ὑακίνθου,
ὃν Φοῖβος θρήνησεν ἐπεὶ ἀέκων ἔκτα,
παῖδα βαλὼν προπάροιθεν Ἀμυκλαίου ποταμοῖο
πρωθήβην Ὑάκινθον, ἐπεὶ σόλος ἐμπεπτηκὼς
πέτρης ἀφαλλόμενος, νέατον δ' ἤραξε κάλυμμα.

*Pſilothrum, fructum miſerabilis atque Hyacinthi,*
*Quem Phœbus luxit, quod nolens forte cecidit.*
*Inuadens puerum prima lanugine malas*
*Florentem gelidas Amyclæi ad fluminis vndas.*
*Hic etenim ſaliens percuſſit tempora diſcus,*
*Temporis & fregit puero ferus oſſa tenelli.*

Hac de cauſa profugus è Sparta ad Laomedontem dicitur Troiam confugiſſe, qui tum forte mœnia ciuitatis extruẽda curabat: ibi Apollo vna cum Neptuno, cum ambo rerũ

necessariarum inopia laborarent, suam operam pro promissa mercede Laomedonti locarunt lateres componentes. Non tamen tantam mercedem ceperunt, quanta sibi promissa fuerat ab illo Phryge. At Ouidius non manibus Appollinis extructa fuisse mœnia Troiana scribit in epistola Paridis, sed per sonum lyræ: quam dum tractaret, saxa se sua sponte ait concinne accommodasse. Ita enim inquit:

*Ilion aspicies, firmataq; turribus altis*
*Mœnia Apollineæ structa canore lyræ.*

Neque solum extruendis muris Troianis cæmentum & lateres Apollo contrectauit, sed etiam opem tulit Alcathoo in extruendis muris labyrinthi, vt testatur Pausanias in Atticis ex omnium Megarensium opinione. Vbi etiam saxum ostendebatur, super quod citharam deposuit Phœbus, cum esset opus aggressurus: quod saxum si lapide percuteretur, citharæ sonum emittere per aliquod tempus consueuisse dictum est. Non defuerunt sane qui dixerint Appollinem fuisse Arcadum Regem: qui cum seuerius imperaret, pulsus fuit à suis ciuibus, & ex altissima imperii dignitate ad priuatam vitam, tanquam è cœlo in terram deiectus, ad Admetum Thessaliæ Regem confugerit: qui illi concessit, vt iis populis, qui circa Amphrysum fluuium habitabant, imperaret. Inde pastor apud eum amnem Admeti fuisse dicitur, cum Reges antiquitus & gubernatores ciuitatum ποιμένες siue pastores dicerentur, ad custodum pecudum similitudinem: quia non minus vtilitatem suorum Reges antiqui procurabant, atque vel pastores pecudum, vel patres filiorum. Inde Homerus etiam ex antiqua illa consuetudine Reges ac principes populorum, ποιμένας λαῶν vocat. Hæc igitur nominis consuetudo cum ab eis qui curat armenta translata sit. postea locum dedit fabulæ Herodotus in Euterpe omnes illos qui ab Ægyptiis Dii habiti sunt, regnasse apud Ægyptios ostendit, atque inquit eorum omnium postremum Orum Osiridis, quem Apollinem Græci vocarunt, imperasse, vt est in his: τὸ δὲ πρότερον τῶν ἀνδρῶν τούτων, θεοὺς εἶναι τοὺς ἐν Αἰγύπτῳ ἄρχοντας, οὐκ ἐόντας ἅμα τοῖσι ἀνθρώποισι. καὶ τούτων αἰεὶ ἕνα τὸν κρατέοντα εἶναι· ὕστατον δὲ αὐτῆς βασιλεῦσαι Ὦρον τὸν Ὀσίριος παῖδα, τὸν Ἀπόλλωνα Ἕλληνες ὀνομάζουσι. τοῦτον καταπαύσαντα Τυφῶνα, βασιλεῦσαι ὕστατον Αἰγύπτου. *Atque prius horum hominum*

*Deos*

*Deos fuisse illos, qui regnauerant in Ægypto, qui non amplius inter mortales degerent: inter quos vnus fuerit semper, qui reliquos autoritate anteiret. Postremus autem omnium regnauit Orus Osiridis filius, quem Græci vocarunt Apollinem.* Est enim Osiris Bacchus, vt dictum est. Dictus est Apollo, cum boues Admeti custodiret, ocii pertæsus citharam inuenisse, vt ait Pausanias in prioribus Eliacis, cum lyram Mercurius inuenerit, vt dicetur. Fertur idem fuisse musicæ & vaticiniorum inuentor, vt est in primo Metamorphoseon Ouidij:

*Iupiter est genitor: per me quod eritq; fuitq;,*
*Estq; pater: per me concordant carmina neruis.*

Perutile sane & præclarum inuentum fuit Apollinis musica, quæ tanquam solatium quoddam, & ad obliuionem humanarum calamitatum remedium, quibus vita hominum vndique septa est, fuit inuenta. verum illam nunc magis effœminarunt quam conueniebat, vt chromati cum melos adhibuerunt ad demulcendos animos: nunc magis virilem fecerunt: nunc ex his ambobus modulis fecerunt permistam: sicuti requirebat rerum præsentium ratio. Neque rudis omnino aut inurbanus habitus est, qui musicæ non fuisset ignarus. Alius fuit musicæ modus, cum per numeros animi in bellum essent incitandi, alius modulus fuit in conuiuiis, alius inter Deorum sacrificia. Qui enim modulos recte cognouerit, & quibus ex numeris componantur singuli, ille facile ad omnia tempora musicam rationem accommodabit. Fuerunt hac ipsa de causa Musæ in eius tutela creditæ, quarum & dux pater Apollo fuit existimatus. Fabulantur Linum Amphimaro Neptuni filio & Vrania genitum fuisse: qui cum omnes mortales gloria musicæ antecelleret, ab Apolline, cui se cantu conferebat, fuit extremo supplicio affectus, cui etiam parentant ante sacra Musarum. Fuit etiam Linus Apollinis & Terpsichores filius: vel, vt alii maluerunt, Vraniæ & Mercurii, qui fuit ab Hercule cithara occisus, cuius discipuli fuisse memorantur Thamyras, Orpheus, Hercules. Hic natus est Thebis, vt in primo lib. disciplinarum scripsit Hermodotus Platonicus, qui cum fuisset poeta præstantissimus scripserat de mundi generatione, cuius in initio dixit omnia simul esse genita: atque idem scripsit de Lunæ & Solis cursu, deq; generatione animaliũ scriptum reliquit Dio in tertia,

compositione, Linum alium natũ esse ex Apolline & Psammate nympha, quam alii neptem, alii filiam fuisse Crotopi asserebant: quæ cum ex occulto concubitu apud Nemeũ fluuiũ peperisset infantem, illum Linum appellauit, quod antiqua Argiuorum lingua spurium significat. Hunc Linũ tamen alii ob timorem patrui canibus expositum ac laniatum fuisse memorant, alii ob negligentiam pastoris aiunt id accidisse, cui datus fuerat educandus: Fuit & alius Linus, qui lamentationes ac fletus carmine prior edidit elegiaco, de quo mentionem fecit Phylarchus historicus. Huic Deo sacer creditus fuit oleaster, quia iuxta oleam & palmã natus sit, vt quidam putarunt. ego vero crediderim, quod illa planta solem maxime amet, cum in locis frigidis nõ nascatur. Quod illi sacer sit, ita Theoc. ait in Hercule Leonicida:

*χλωρή τ' ἀγριέλαιος Ἀπόλλωνος νομίοιο*
*ἱερὸν ἁγνὸν ξεῖνε τελέθει τέτοιο θεοῖο.*
*Atq; virens oleaster Apollinis ipse sacratus,*
*Ac purus, coma sacra Deo, frondescit adulto.*

Et quoniam musica fuit Apollinis inuentum, illi consecratas etiam cicadas, canorum omnino animalis genus existimarunt, & fidiculam piscem, vt bocam Mercurio, trigiem Hecate, phalaridem siue apuam Veneri, fusaneos Dionyso, & vitulum marinum, pompilum Neptuno, mulum Dianæ, vt ait Dorion in piscibus. Hic Deus patrius & ciuitatis defensor creditus fuit ab antiquis Atheniensibus, ad cuius Dei memoriam mos fuit priscis Atheniensibus comã nutrire, & aureas cicadas capillis adnexas gestare, vt his verbis testatur Thucydides: *καὶ οἱ πρεσβύτεροι αὐτοῖς τῶν εὐδαιμόνων οὐ πολὺς χρόνος ἐπειδὴ χιτῶνάς τε λινοῦς ἐπαύσαντο φοροῦντες, καὶ χρυσῶν τεττίγων ἐνέρσει κρωβύλον ἀναδούμενοι τῶν ἐν τῇ κεφαλῇ τριχῶν. Atque antiqui, qui inter illos diuites præstiterunt, nec longum intercedit temporis spatium, ex quo lineas tunicas gestare cessarunt, & aurearum cicadarum corymbos è capillis capitum dependentes.* Verum rem hanc apertius patefecit Aristophanis enarrator in his: *οἱ ἀρχαιότατοι τῶν Ἀθηναίων τέττιγας χρυσοῦς ἐν ταῖς τῶν τριχῶν πλέγμασιν εἶχον, διότι οἱ τέττιγες μουσικοὶ ὄντες ἀνάκεινται τῷ Ἀπόλλωνι, ὃς ἦν πατρῷος τῇ πόλει. Antiquissimi Atheniensium aureas cicadas capillis implicitas gestabant, quoniam cum musica sint cicadæ: sacratæ sunt Apollini: qui patrius est DEVS illius ciuitatis.*

Hic Deus etiam celeberrimus fuit ob diuinandi artem & vaticinia, eoque maxime omnium Deorum ab omnibus fere gentibus in honore habebatur: cuius taberna quædam & officina responsorum diutissime patuit in Delphis præter cætera loca. Scriptum reliquit Lucianus in dialogo de Astrologia, virginem quandam apud Delphos prædicendi munere functam fuisse: cum tamen draco esset sub tripode qui vocem emitteret. Fabulantur tamen nonnulli Apollinem vaticinandi artem à Pane didicisse, vt ait Apollodorus libro primo in his: Ἀπόλλων δὲ τὴν μαντικὴν μαθὼν παρὰ τοῦ Πανὸς τοῦ Διὸς καὶ Θυμβρεως, ἧκεν εἰς Δελφοὺς χρησμῳδούσης τότε Θέμιδος. ὡς δὲ ὁ φρουρῶν τὸ μαντεῖον Πύθων ὄφις ἐκώλυεν αὐτὸν παρελθεῖν εἰς τὸ χάσμα, τοῦτον ἀνελὼν, τὸ μαντεῖον παραλαμβάνει. *Apollo autem vaticinandi arte ex Pane Iouis & Thymbris Nymphæ filio percepta Delphos se contulit, quo tempore Themis dabat responsa. At vbi illum Pytho serpens impediret, quò minus penetraret ad hiatum, eo cæso Apollo loco oraculi ipse potitus est.* Erat enim, vt quidam antiquorum tradiderunt, tripos aureus: sub quo serpens in adyto templi Apollinis Delphici, è quo loco responsa dabantur: atq; hic tripos hac de causa illi dicatus fuit. Fama est, vt testatur Plutarchus in Solone, Milesios hospites nonnullos à Cois piscatoribus aliquando emisse retium iactum, & certa mercede conuenerunt Coi vt quidquid eo iactu cœpissent, id esset hospitum Milesiorum. Aureum itaque tripodem reti annexum traxerunt: quem ferunt Helenam, cum Troiam nauigaret, iussu oraculi in eo loco deposuisse. Deinde cum nata esset controuersia de illo tripode inter piscatores & Milesios, ciuitates ambę causam illam publice susceperunt, donec ad arma ventum est. Deinde cum vtrique Pythiam consuluissent, responsum tulerunt sapientissimo omnium tripodem illum mitti oportere: tum omnibus assentientibus Cois, qui pro illo antea decertauerant, tripos ad Thaletem Milesium defertur, vt ait Laertius in eius vita: quem tamen Thales ad Biantem, vt se sapientiorem remisit: & ab eo rursus ad alios eodem pacto transmissus, demum ad Thaletem denuo remittitur: quem ille tandem Ismenio Apollini dicari oportere inquit. Theophrasti tamen opinio fuit, quod Bianti primum fuerit delatus, deinde Thaleti, & ad alios deinde, mox ad Biantem denuo remissus Apollini Delphico con-

compoſitione, Linum alium natũ eſſe ex Apolline & Pſammate nympha, quam alii neptem, alii filiam fuiſſe Crotopi aſſerebant: quæ cum ex occulto concubitu apud Nemeũ fluuiũ peperiſſet infantem, illum Linum appellauit, quod antiqua Argiuorum lingua ſpurium ſignificat. Hunc Linũ tamen alii ob timorem patrui canibus expoſitum ac laniatum fuiſſe memorant, alii ob negligentiam paſtoris aiunt id accidiſſe, cui datus fuerat educandus: Fuit & alius Linus, qui lamentationes ac fletus carmine prior edidit elegiaco, de quo mentionem fecit Phylarchus hiſtoricus. Huic Deo ſacer creditus fuit oleaſter, quia iuxta oleam & palmã natus ſit, vt quidam putarunt. ego vero crediderim, quod illa planta ſolem maxime amet, cum in locis frigidis nõ naſcatur. Quod illi ſacer ſit, ita Theoc. ait in Hercule Leonicida:

*χλωρή τ' ἀγριέλαιος Ἀπόλλωνος νομίοιο*
*ἱερὸν ἁγνὸν ξεῖνε τελείου πάτροιο θεοῖο.*
*Atq; virens oleaſter Apollinis ipſe ſacratus,*
*Ac purus, coma ſacra Deo, frondeſcit adulto.*

Et quoniam muſica fuit Apollinis inuentum, illi conſecratas etiam cicadas, canorum omnino animalis genus exiſtimarunt, & fidiculam piſcem, vt bocam Mercurio, trigiem Hecate, phalaridem ſiue apuam Veneri, fuſaneos Dionyſo, & vitulum marinum, pompilum Neptuno, mullum Dianæ, vt ait Dorion in piſcibus. Hic Deus patrius & ciuitatis defenſor creditus fuit ab antiquis Athenienſibus, ad cuius Dei memoriam mos fuit priſcis Athenienſibus comã nutrire, & aureas cicadas capillis adnexas geſtare, vt his verbis teſtatur Thucydides: *καὶ οἱ πρεσβύτεροι αὐτοῖς τῶν εὐδαιμόνων οὐ πολὺς χρόνος ἐπειδὴ χιτῶνάς τε λινοῦς ἐπαύσαντο φοροῦντες, καὶ χρυσῶν τεττίγων ἐν κρωβύλον ἀναδούμενοι τῶν ἐν τῇ κεφαλῇ τριχῶν. Atque antiqui, qui inter illos diuitiis præſtiterunt, nec longum intercedit temporis ſpatium, ex quo lineas tunicas geſtare ceſſarunt, & aurearum cicadarum corymbos è capillis capitum dependentes.* Verum rem hanc apertius patefecit Ariſtophanis enarrator in his: *οἱ ἀρχαιότατοι τῶν Ἀθηναίων τέττιγας χρυσοῦς ἐν τοῖς τῶν τριχῶν πλέγμασιν εἶχον, διότι οἱ τέττιγες μουσικοὶ ὄντες ἀνάκεινται τῷ Ἀπόλλωνι, ὃς ἦν πατρῷος τῇ πόλει. Antiquiſſimi Athenienſium aureas cicadas capillis implicitas geſtabant, quoniam cum muſicæ ſint cicadæ: ſacratæ ſunt Apollini: qui patrius eſt DEVS illius ciuitatis.*

Hic

Hic Deus etiam celeberrimus fuit ob diuinandi artem & vaticinia, eoque maxime omnium Deorum ab omnibus fere gentibus in honore habebatur: cuius taberna quædam & officina responsorum diutissime patuit in Delphis præter cætera loca. Scriptum reliquit Lucianus in dialogo de Astrologia, virginem quandam apud Delphos prædicendi munere functam fuisse: cum tamen draco esset sub tripode qui vocem emitteret. Fabulantur tamen nonnulli Apollinem vaticinandi artem à Pane didicisse, vt ait Apollodorus libro primo in his: Ἀπόλλων δὲ τὴν μαντικὴν μαθὼν παρὰ τοῦ Πανὸς τοῦ Διὸς καὶ Θύμβρεως, ἧκεν εἰς Δελφοὺς χρησμῳδούσης τότε Θέμιδος. ὡς δὲ ὁ φρουρῶν τὸ μαντεῖον Πύθων ὄφις ἐκώλυεν αὐτὸν παρελθεῖν εἰς τὸ χάσμα, τοῦτον ἀνελὼν, τὸ μαντεῖον παραλαμβάνει. *Apollo autem vaticinandi arte ex Pane Iouis & Thymbris Nymphæ filio percepta Delphos se contulit, quo tempore Themis dabat responsa. At vbi illum Pytho serpens impediret, quo minus penetraret ad hiatum, eo cæso Apollo loco oraculi ipse potitus est.* Erat enim, vt quidam antiquorum tradiderunt, tripos aureus: sub quo serpens in adyto templi Apollinis Delphici, è quo loco responsa dabantur: atq; hic tripos hac de causa illi dicatus fuit. Fama est, vt testatur Plutarchus in Solone, Milesios hospites nonnullos à Cois piscatoribus aliquando emisse retium iactum, & certa mercede conuenerunt Coi vt quidquid eo iactu cœpissent, id esset hospitum Milesiorum. Aureum itaque tripodem reti annexum traxerunt: quem ferunt Helenam, cum Troiam nauigaret, iussu oraculi in eo loco deposuisse. Deinde cum nata esset controuersia de illo tripode inter piscatores & Milesios, ciuitates ambæ causam illam publice susceperunt, donec ad arma ventum est. Deinde cum vtrique Pythiam consuluissent, responsum tulerunt sapientissimo omnium tripodem illum mitti oportere: tum omnibus assentientibus Cois, qui pro illo antea decertauerant, tripos ad Thaletem Milesium defertur, vt ait Laertius in eius vita: quem tamen Thales ad Biantem, vt se sapientiorem remisit: & ab eo rursus ad alios eodem pacto transmissus, demum ad Thaletem denuo remittitur: quem ille tandem Ismenio Apollini dicari oportere inquit. Theophrasti tamen opinio fuit, quod Bianti primum fuerit delatus, deinde Thaleti, & ad alios deinde, mox ad Biantem denuo remissus Apollini Delphico con-

qui ramum gestaret myricæ: quare illam plantam illi Deo gratam putarunt. Metrodorus prætera in quodam libello quem scripserat de consuetudine, antiquissimam plantam esse myricam putasse videtur, qua etiam Ægyptii per pompam Iouis coronarentur. Verum hanc sententiam ita attigit paucis idem Nicander in Theriacis:

*καὶ μυρίκης λάζοιο νέον πανακαρπέα θάμνον*
*μάντιν ἐνὶ ζώοισι γεράσμιον, ᾗ ἐν Ἀπόλλων*
*μαντοσύνας κορυπαῖος ἐθήκατο, καὶ θέμιν ἀνδρῶν.*
*Inde nouum fruticem sterilis tu sume myricæ,*
*Quæ vates veneranda viros est inter. Apollo*
*Iura virum huic tribuit, venturaque dicere clarus,*

Fama est Democritum non solum solita auguria intellexisse, sed etiam certo nomine aues quasdam nominare solitum, è quarum sanguine commisto anguis nasceretur, ex quo si quis edisset, auium omnium intelligeret idioma. atque Melampo memorant angues quosdam aures labentes visos, quare ille postea sermones auium dicitur intellexisse. fama est Apollonium Thyaneum auium omnium voces intelligere solitum, quem aiunt aliquando passeres lætantes intuitum dixisse præsentibus non paucis, illos significasse cœteris asinum collapsum, milium quod portabat, disrupto sacco, effudisse, quare esse vnde vberrime pascerētur. Illud cum visum esset miraculum audientibus, aiunt nonnullos studiose spectatum accurrisse an vera essent, quæ nunciarentur, atque inuenisse sicuti ab Apollonio dictum fuerat. Hanc diuinationem Romani cum ad libros Sibyllinos & exta Tyrrhenorum & auguria & signa de cœlo retulissent, cæteras omnes diuinationes aboleuerunt. Erant autem multi modi diuinationum apud antiquos, siquidem vel volatus àuium, vel obseruationes tripudiorum vel auguria, quorum fuit Caras inuentor, vel intuitus auium, vel exta victimarum, vel signa de cœlo; vel prodigia, vel portenta, vel responsa Deorum, vel somnia, vel astra, vel aqua, vel ignis, vel mortui futura prædicebant ac præmonstrabant, vel alii modi, quos omnes recensere foret superuacaneum. Nam multa horum fuerunt ab Orpheo descripta in Argon. vt patet ex his:

*ἀμφὶ δὲ μαντείης ἰδάην πολυπείρονας ὄρμους*
*θηρῶν τ' οἰωνῶν τε καὶ ἣ σπλάγχνων θέσις ἐστίν.*

*ἠδ' ὅσα θεσπίζουσιν ὀνειροπόλοισιν ἀταρποῖς*
*ψυχαὶ ἐφημερίων, ὕπνῳ βεβολημέναι ἦτορ.*
*σημείων τεράτων τε λύσεις, ἄστρων τε πορείας.*
*Perdidici leges multas, ac munia vatum,*
*Quæ volucresque ferasque docent, quo conuenit exta*
*Esse modo: quæ diuinent insomnia mentes*
*Mortales vt habet sopor, & leuis irrigat artus:*
*Prodigiis quæ conueniat, monstrisque medela,*
*Portentisque Deum, quid nobis sidera monstrent.*

Nam & Virg. quosdam numerauit in 3. Æneid. hoc pacto:

*Troiugena interpres Diuum, qui numina Phœbi,*
*Qui tripodas, Clarij lauros, qui sidera sentis,*
*Et volucrum linguas, & præpetis omnia pennæ.*

Non iniuria idcirco vates, rerumque futurarum coniectores Apollinis filios antiqui esse existimarunt: quippe cum Thestor, qui fuit pater Calchantis, Apollinis & Aglaiæ filius sit creditus: & Mopsius eiusdem Dei, & Mantus, à quo etiam Mopso victus Calchas diuinandi peritia præ mœrore diem suum obijt. Dicunt enim oraculi responsum datum fuisse Calchanti tunc esse sibi pereundum, cum in vatem peritiorem incidisset, qui in Colophonem cum Amphilocho, vel vt alij voluerunt cum Antilocho, Perolypęte, Leonteo, alijsque quibusdã ducib. profectus post euersum Ilium incidit in Mopsum. Hi cum ambo in cõtentionẽ venissent de ficu agresti quot nã ficus haberet, respõdit Monsus decem millia, medimnam vnam, & si cum præterea, quam rem attrigit Hesiodus his carminibus:

*θαῦμά μ' ἔχει κατὰ θυμόν, ἐρινεὸς ὅσσος ὀλύνθους*
*οὗτος ἔχειν, μικρός περ ἐών. εἴποις δ' ἂν ἀριθμόν;*
*Quot grossos hæc ficus habet miror, licet illa*
*Parua sit: an numerum posses mihi dicere eorum?*

Respondit autem illo tacente:

*μύριοί εἰσιν ἀριθμόν. ἀτὰρ μέτρον γε μέδιμνος.*
*εἷς δὲ περισσεύει, τὸν ἐπελθέμεν οὔ κε δύναιο·*
*ὣς φάτο, καί σφιν ἀριθμὸς ἐτήτυμος εἴδετο μέτρου.*
*καὶ τότε δὴ Κάλχανθ' ὕπνος θανάτοιο κάλυψεν.*
*Mille quidem decies numero: mensura medimni est:*
*At superest vnus, quod non percurrere posses,*
*Sic ait, est numerus vere hinc compertus eorum.*
*Calchanti æterno clausit lumina somno.*

necessariarum inopia laborarent, suam operam pro promissa mercede Laomedonti locarunt lateres componentes. Non tamen tantam mercedem ceperunt, quanta sibi promissa fuerat ab illo Phryge. At Ouidius non manibus Appollinis extructa fuisse mœnia Troiana scribit in epistola Paridis, sed per sonum lyræ: quam dum tractaret, saxa se sua sponte ait concinne accommodasse. Ita enim inquit:

*Ilion aspicies, firmataq; turribus altis*
*Mœnia Apollineæ structa canore lyræ.*

Neque solum extruendis muris Troianis cæmentum & lateres Apollo contrectauit, sed etiam opem tulit Alcathoo in extruendis muris labyrinthi, vt testatur Pausanias in Atticis ex omnium Megarensium opinione. Vbi etiam saxum ostendebatur, super quod citharam deposuit Phœbus, cum esset opus aggressurus: quod saxum si lapide percuteretur, citharæ sonum emittere per aliquod tempus consueuisse dictum est. Non defuerunt sane qui dixerint Appollinem fuisse Arcadum Regem: qui cum seuerius imperaret, pulsus fuit à suis ciuibus, & ex altissima imperii dignitate ad priuatam vitam, tanquam è cœlo in terram deiectus, ad Admetum Thessaliæ Regem confugerit: qui illi concessit, vt iis populis, qui circa Amphrysum fluuium habitabant, imperaret. Inde pastor apud eum amnem Admeti fuisse dicitur, cum Reges antiquitus & gubernatores ciuitatum ποιμένες siue pastores dicerentur, ad custodum pecudum similitudinem: quia non minus vtilitatem suorum Reges antiqui procurabant, atque vel pastores pecudum, vel patres filiorum. Inde Homerus etiam ex antiqua illa consuetudine Reges ac principes populorum, ποιμένας λαῶν vocat. Hæc igitur nominis consuetudo cum ab eis qui curat armenta translata sit. postea locum dedit fabulæ Herodotus in Euterpe omnes illos qui ab Ægyptiis Dii habiti sunt, regnasse apud Ægyptios ostendit, atque inquit eorum omnium postremum Orum Osiridis, quem Apollinem Græci vocarunt, imperasse, vt est in his: τὸ δὲ πρότερον τῶν ἀνδρῶν τούτων, θεοὺς εἶναι τοὺς ἐν Αἰγύπτῳ ἄρχοντας, οὐκ ἐόντας ἅμα τοῖσι ἀνθρώποισι. καὶ τούτων αἰεὶ ἕνα τὸν κρατέοντα εἶναι· ὕστατον δὲ αὐτῆς βασιλεῦσαι Ὦρον τὸν Ὀσίριος παῖδα, τὸν Ἀπόλλωνα Ἕλληνες ὀνομάζουσι. τοῦτον καταπαύσαντα Τυφῶνα, βασιλεῦσαι ὕστατον Αἰγύπτου. *Atque prius horum hominum*

*Deos*

*Deos fuisse illos, qui regnauerant in Ægypto, qui non amplius inter mortales degerent: inter quos vnus fuerit semper, qui reliquos autoritate anteiret. Postremus autem omnium regnauit Orus Osiridis filius, quem Græci vocarunt Apollinem.* Est enim Osiris Bacchus, vt dictum est. Dictus est Apollo, cum boues Admeti custodiret, ocii pertæsus citharam inuenisse, vt ait Pausanias in prioribus Eliacis, cum lyram Mercurius inuenerit, vt dicetur. Fertur idem fuisse musicæ & vaticiniorum inuentor, vt est in primo Metamorphoseon Ouidij:

*Iupiter est genitor: per me quod erit, quod fuit que,*
*Estque pater: per me concordant carmina neruis.*

Perutile sane & præclarum inuentum fuit Apollinis musica, quæ tanquam solatium quoddam, & ad obliuionem humanarum calamitatum remedium, quibus vita hominum vndique septa est, fuit inuenta. verum illam nunc magis effœminarunt quam conueniebat, vt chromati cum melos adhibuerunt ad demulcendos animos: nunc magis virilem fecerunt: nunc ex his ambobus modulis fecerunt permistam: sicuti requirebat rerum præsentium ratio. Neque rudis omnino aut inurbanus habitus est, qui musicæ non fuisset ignarus. Alius fuit musicæ modus, cum per numeros animi in bellum essent incitandi, alius modulus fuit in conuiuiis, alius inter Deorum sacrificia. Qui enim modulos recte cognouerit, & quibus ex numeris componantur singuli, ille facile ad omnia tempora musicam rationem accommodabit. Fuerunt hac ipsa de causa Musæ in eius tutela creditæ, quarum & dux pater Apollo fuit existimatus. Fabulantur Linum Amphimaro Neptuni filio & Vrania genitum fuisse: qui cum omnes mortales gloria musicæ antecelleret, ab Apolline, cui se cantu conferebat, fuit extremo supplicio affectus, cui etiam parentant ante sacra Musarum. Fuit etiam Linus Apollinis & Terpsichores filius: vel, vt alii maluerunt, Vraniæ & Mercurii, qui fuit ab Hercule cithara occisus, cuius discipuli fuisse memorantur Thamyras, Orpheus, Hercules. Hic natus est Thebis, vt in primo lib. disciplinarum scripsit Hermodorus Platonicus, qui cum fuisset poeta præstantissimus, scripserat de mundi generatione, cuius in initio dixit omnia simul esse genita: atque idem scripsit de Lunæ & Solis cursu, deq; generatione animaliũ scriptum reliquit Dio in tertia,

compositione, Linum alium natū esse ex Apolline & Psammate nympha, quam alii neptem, alii filiam fuisse Crotopi asserebant: quæ cum ex occulto concubitu apud Nemeū fluuiū peperisset infantem, illum Linum appellauit, quod antiqua Argiuorum lingua spurium significat. Hunc Linū tamen alii ob timorem patrui canibus expositum ac laniatum fuisse memorant, alii ob negligentiam pastoris aiunt id accidisse, cui datus fuerat educandus: Fuit & alius Linus, qui lamentationes ac fletus carmine prior edidit elegiaco, de quo mentionem fecit Phylarchus historicus. Huic Deo sacer creditus fuit oleaster, quia iuxta oleam & palmā natus sit, vt quidam putarunt. ego vero crediderim, quod illa planta solem maxime amet, cum in locis frigidis nō nascatur. Quod illi sacer sit, ita Theoc. ait in Hercule Leonicida:

*χλωρή τ' ἀγριέλαιος Ἀπόλλωνος νομίοιο*
*ἱερὸν ἁγνὸν ξεῖνε πέλει ὁ τέτοιο θεοῖο.*
*Atq; virens oleaster Apollinis ipse sacratus,*
*Ac purus, coma sacra Deo, frondescit adulto.*

Et quoniam musica fuit Apollinis inuentum, illi consecratas etiam cicadas, canorum omnino animalis genus existimarunt, & fidiculam piscem, vt bocam Mercurio, trigiem Hecate, phalaridem siue apuam Veneri, fusaneos Dionyso, & vitulum marinum, pompilum Neptuno, mulum Dianæ, vt ait Dorion in piscibus. Hic Deus patrius & ciuitatis defensor creditus fuit ab antiquis Atheniensibus, ad cuius Dei memoriam mos fuit priscis Atheniensibus comā nutrire, & aureas cicadas capillis adnexas gestare, vt his verbis testatur Thucydides: καὶ οἱ πρεσβύτεροι αὐτοῖς τῶν εὐδαιμόνων οὐ πολὺς χρόνος ἐπειδὴ χιτῶνάς τε λινοῦς ἐπαύσαντο φοροῦντες, καὶ χρυσῶν τεττίγων ἐνέρσει κρωβύλον ἀναδούμενοι τῶν ἐν τῇ κεφαλῇ τριχῶν. *Atque antiqui, qui inter illos diuitiis præstiterunt, nec longum intercedit temporis spatium, ex quo lineas tunicas gestare cessarunt, & aurearum cicadarum corymbos è capillis capitum dependentes.* Verum rem hanc apertius patefecit Aristophanis enarrator in his: οἱ ἀρχαιότατοι τῶν Ἀθηναίων τέττιγας χρυσοῦς ἐν τοῖς τῶν τριχῶν πλέγμασιν εἶχον, διότι οἱ τέττιγες μουσικοὶ ὄντες ἀνάκεινται τῷ Ἀπόλλωνι, ὃς ἦν πατρῷος τῇ πόλει. *Antiquissimi Atheniensium aureas cicadas capillis implicitas gestabant, quoniam cum musica sint cicadæ: sacratæ sunt Apollini: qui patrius est DEVS illius ciuitatis.*

Hic

His Deus etiam celeberrimus fuit ob diuinandi artem & vaticinia, eoque maxime omnium Deorum ab omnibus ferè gentibus in honore habebatur: cuius taberna quædam & officina responsorum diutissime patuit in Delphis præter cætera loca. Scriptum reliquit Lucianus in dialogo de Astrologia, virginem quandam apud Delphos prædicendi munere functam fuisse: cum tamen draco esset sub tripode qui vocem emitteret. Fabulantur tamen nonnulli Apollinem vaticinandi artem à Pane didicisse, vt ait Apollodorus libro primo in his: Ἀπόλλων δὲ τὴν μαντικὴν μαθὼν παρὰ τοῦ Πανὸς τοῦ Διὸς καὶ Θύμβρεως, ἧκεν εἰς Δελφοὺς χρησμῳδούσης τότε Θέμιδος. ὡς δὲ ὁ φρουρῶν τὸ μαντεῖον Πύθων ὄφις ἐκώλυεν αὐτὸν παρελθεῖν εἰς τὸ χάσμα, τοῦτον ἀνελὼν, τὸ μαντεῖον παραλαμβάνει. *Apollo autem vaticinandi arte ex Pane Iouis & Thymbris Nymphæ filio percepta Delphos se contulit, quo tempore Themis dabat responsa. At vbi illum Pytho serpens impediret, quo minus penetraret ad hiatum, eo cæso Apollo loco oraculi ipse potitus est.* Erat enim, vt quidam antiquorum tradiderunt, tripos aureus: sub quo serpens in adyto templi Apollinis Delphici, è quo loco responsa dabantur: atq; hic tripos hac de causa illi dicatus fuit. Fama est, vt testatur Plutarchus in Solone, Milesios hospites nonnullos à Cois piscatoribus aliquando emisse retium iactum, & certa mercede conuenerunt Coi vt quidquid eo iactu cœpissent, id esset hospitum Milesiorum. Aureum itaque tripodem reti annexum traxerunt: quem ferunt Helenam, cum Troiam nauigaret, iussu oraculi in eo loco deposuisse. Deinde cum nata esset controuersia de illo tripode inter piscatores & Milesios, ciuitates ambę causam illam publice susceperunt, donec ad arma ventum est. Deinde cum vtrique Pythiam consuluissent, responsum tulerunt sapientissimo omnium tripodem illum mitti oportere: tum omnibus assentientibus Cois, qui pro illo antea decertauerant, tripos ad Thaletem Milesium defertur, vt ait Laertius in eius vita: quem tamen Thales ad Biantem, vt se sapientiorem remisit: & ab eo rursus ad alios eodem pacto transmissus, demum ad Thaletem denuo remittitur: quem ille tandem Ismenio Apollini dicari oportere inquit. Theophrasti tamen opinio fuit, quod Bianti primum fuerit delatus, deinde Thaleti, & ad alios deinde, mox ad Biantem denuo remissus Apollini Delphico con-

secratus fuerit. Fuit autem tripos: vt est in lib. ψ. Iliad. vas vel æneum, vel aureum, quod tribus pedibus fulciebatur, ansásque siue aures haberet, quibus capiebatur, quorum vasorum vsus erat in sacrificiis. Horum alii seruabantur ab igne intacti atque τρίποδες ἀνάθηματικοὶ dicebantur, oblati siue depositi tripodes scilicet quorum formæ ita fecit mentionem Homerus:

*καὶ τρίποδ' ὠτώεντα φέρειν.*
*Et tripoda auritum ferre.*

Illi tripodes, qui imponebantur igni, & quibus vtebantur in sacris, dicebantur ἐμπυριβῆται, hoc est, igni impositi, de quibus ita meminit idem poëta:

*τῷ μὲν νικήσαντι μέγαν τρίποδ' ἐμπυριβήτην*
*τὸν δὲ δυωδεκάβοιον ἐνὶ σφίσι τῖον Ἀχαιοί.*
*Impositumq; igni victori dat tripodem, quem*
*Bis senos superare boues rebantur Achiui.*

Sunt qui dicant tripodes mēsas fuisse in Apollinis Delphici templo, super quib. recumbentes Phœbades responsa redderent quas etiam mensas cortinas vocarūt, à corio Pythonis ita dictas, cum eo tripos Delphicus tegeretur, Alii tamē cortinā vas esse crediderūt trib. effultum pedibus, in quod mergebatur Phœbas vaticinatura. Alii sellā, quæ trib. pedibus fulciretur, tripodē esse senserūt, super qua sedēs oracula daret: quod videtur testari Callimachus in lauacrū Dianæ:

*οὔπω μοι Πυθῶνι μέλει τριποδήϊος ἕδρης.*
*Nondum cura mihi sedes tripodis fuit ante.*

Alii vas pulueribus plenum, vt sensit Hellanicus. Strabo diuinum domicilium, spelūcam scilicet profundam. Memoriæ proditum est à Musæo lib. 3. Iuniperum spinosam arborem cōsecratā fuisse, cui laurus præterea dicata putabatur, quod nympham Daphnen ab Apolline amatam in hāc ferūt mutatam, cum fugeret Apollinem: quia magis Leucippo iuuene imberbi ac præualido delectaretur. Ferunt Leucippum fuisse inuitatū cum cætero cœtu virginum vt se lauaret in fluuio Ladone, cum esset indutus veste muliebri, idq; impulsu Apollinis inuidentis eius fœlicitati, quod cū recusasset Leucippus, fuit deniq; protractus, ac deprehēsus virginem ementitus à sociis Daphnes iaculis & pugionibus confossus interiit. Atqui laurus Apollini sacra putabatur, non solum quia Ladonis filiam ab Apolline amatam in il-

iam arborem conuersam esse fabulantur, vt testatur Ouid. lib. 1. Metamorph. sed etiã quia naturæ ipsius Apollinis cõuenit, cũ arbor sit natura calida, cuius folia & fructus siccãt & calefaciunt vehementer, vt ait Aetius in libro primo, atq; magis etiã ipse fructus. Hæc eadẽ causa fuit cur Lunæ simulachrũ laureum ramum teneret, per quẽ calorem vna cum lumine illam à Sole accipere significabant, vt sensit Ptolemeus in Almagesto. hęc vna est arbor, quę fulmine minime tangitur. quare fuit ἀλεξίκακος dicta siue arcens ac repellens mala. neq; timet anni iniuriã, sed semper frondet, neq; vnquã senex apparet. eius odor ad vitandã pestilentiam cõmodus est, vt ait Herodianus: atq; non mediocriter confert diuinationibus, siquidem eius folia sub puluinari dormiẽtum posita vera somnia gignere putantur. Huius arboris coronæ Apollinis tẽplis appendebantur, & vates coronabantur, dicebanturq; lauri foliis vesci, ꝙ vtilia vaticinia capientib. significantes munera & sumptus in victũ reportabãt, resq; omnes humanæ vitæ necessarias, vt testatur Isacius. Nicander Ætolus, is qui Alexipharmaca scripsit, quiq; Apollinis Clarii fuit sacerdos, scriptũ reliquit in Æmonia primũ apud Tẽpe laurũ fuisse inuentã, quod inuenit in his:

*πολλάκι δ' ἢ οἴνης ἀμιγῆ πόσιν, ἠ᾽ ἀπὸ δάφνης*
*Τεμπίδος, ἢ ὀ αὐχοιο φέρεις ἐν καυλίου κόψας.*
*Vel purum vitis potum fer, vel dato lauri*
*Æmoniæ, pastinacamq;, aut caulia cæder. ...*

Apollinis Ismenii diuinatio non fiebat per respõsa, sed per illa animalia quæ comburebantur, sacerdotes futura vaticinabantur, vt ait enarrator Sophoclis. Magi præterea & Scythe per lignum myricæ vaticinabãtur, & per alias multas aliorum arbustorum virgas, quod genus vaticinii à Medis etiam seruari solitum scriptum fuit à Dione libro primo tertiæ compositionis: sicuti lamiadæ per pelles cæsarum victimarum ignibus impositarum, si recte inciderentur: cum alias astragalis super mensis impositis Deorum vaticinari mos fuisset. In Lesbo præterea fieri solita per virgas myricę vaticinia testatur vel cognomen ipsius Apollinis, qui inde Myricæus vocatus fuit à Lesbis. Scriptum reliquit præterea Archeus in iisque memoriæ prodidit de Archeanatide ac de bello Erythræo Apollinem apparuisse in somnis Archagetæ summo eius expeditionis imperatori,

qui ramum gestaret myricæ: quare illam plantam illi Deo gratam putarunt. Metrodorus præterea in quodam libello quem scripserat de consuetudine, antiquissimam plantam esse myricam putasse videtur, qua etiam Ægyptii per pompam Iouis coronarentur. Verum hanc sententiam ita attigit paucis idem Nicander in Theriacis:

*καὶ μυρίκης λάζοιο νέον πανακαρπέα θάμνον*
*μάντιν ἐνὶ ζωοῖσι γεράσμιον, ᾗ ἐν Ἀπόλλων*
*μαντοσύνας κόρυπαῖος ἰθήνατο, καὶ θέμιν ἀνδρῶν.*
*Inde nouum fruticem sterilis tu sume myricæ,*
*Quæ vates veneranda viros est inter. Apollo*
*Iura virum huic tribuit, venturaque dicere clarus,*

Fama est Democritum non solum solita auguria intellexisse, sed etiam certo nomine aues quasdam nominare solitum, è quarum sanguine commisto anguis nasceretur, ex quo si quis edisset, auium omnium intelligeret idioma. atque Melampo memorant angues quosdam aures labentes visos, quare ille postea sermones auium dicitur intellexisse. fama est Apollonium Thyaneum auium omnium voces intelligere solitum, quem aiunt aliquando passeres lætantes intuitum dixisse præsentibus non paucis, illos significasse cœteris asinum collapsum, milium quod portabat, disrupto sacco, effudisse, quare esse vnde vberrime pascerētur. Illud cum visum esset miraculum audientibus, aiunt nonnullos studiose spectatum accurrisse an vera essent, quæ nunciarentur, atque inuenisse sicuti ab Apollonio dictum fuerat. Hanc diuinationem Romani cum ad libros Sibyllinos & exta Tyrrhenorum & auguria & signa de cœlo retulissent, cæteras omnes diuinationes aboleuerunt. Erant autem multi modi diuinationum apud antiquos, siquidem vel volatus auium, vel obseruationes tripudiorum vel auguria, quorum fuit Caras inuentor, vel intuitus auium, vel exta victimarum, vel signa de cœlo; vel prodigia, vel portenta, vel responsa Deorum, vel somnia, vel astra, vel aqua, vel ignis, vel mortui futura prædicebant ac præmonstrabant, vel alii modi, quos omnes recensere foret superuacaneum. Nam multa horum fuerunt ab Orpheo descripta in Argon. vt patet ex his:

*ἀμφὶ δὲ μαντείης ἐδάην πολυπείρονας ὄγμους*
*θηρῶν τ' οἰωνῶν τε καὶ ἣ σπλάγχνων θέσις ἐστίν.*

ἠδ' ὅσα θεσπίζουσιν ὀνειροπόλοισιν ἀπειροῖς
ψυχαὶ ἐφημερίων, ὕπνῳ βεβολημέναι ἦτορ.
σημείων τεράτων τε λύσεις, ἄστρων τε πορείας.
*Perdidici leges multas, ac munia vatum,*
*Quæ volucresque ferasque docent, quo conuenit exta*
*Esse modo: quæ diuinent insomnia mentes*
*Mortales vt habet sopor, & leuis irrigat artus:*
*Prodigiis quæ conueniat, monstrisque medela,*
*Portentisque Deum, quid nobis sidera monstrent.*

Nam & Virg. quosdam numerauit in 3. Æneid. hoc pacto:

*Troiugena interpres Diuum, qui numina Phœbi,*
*Qui tripodas, Clarij lauros, qui sidera sentis,*
*Et volucrum linguas, & præpetis omnia pennæ.*

Non iniuria idcirco vates, rerumque futurarum coniectores Apollinis filios antiqui esse existimarunt: quippe cum Thestor, qui fuit pater Calchantis, Apollinis & Aglaiæ filius sit creditus: & Mopsius eiusdem Dei, & Mantus, à quo etiam Mopso victus Calchas diuinandi peritia præ mœrore diem suum obijt. Dicunt enim oraculi responsum datum fuisse Calchanti tunc esse sibi pereundum, cum in vatem peritiorem incidisset, qui in Colophonem cum Amphilocho, vel vt alij voluerunt cum Antilocho, Perolypęte, Leonteo, alijsque quibusdã ducib. profectus post euersum Ilium incidit in Mopsum. Hi cum ambo in cõtentionẽ venissent de ficu agresti quot nã ficus haberet, respõdit Monsus decem millia, medimnam vnam, & si cum præterea, quam rem attigit Hesiodus his carminibus:

θαῦμά μ' ἔχει κατὰ θυμὸν, ἐρινεὸς ὅσσος ὀλυνθους
οὗτος ἔχει, μικρὸς περ ἐών. εἴποις δ' ἂν ἀριθμόν;
*Quot grossos hæc ficus habet miror, licet illa*
*Parua sit: an numerum posses mihi dicer eorum?*

Respondit autem illo tacente:

μύριοί εἰσιν ἀριθμόν. ἀτὰρ μέτρον γε μέδιμνος.
εἷς δὲ περισσεύει, τὸν ἐπελθέμεν οὔ κε δύναιο·
ὣς φάτο, καί σφιν ἀριθμὸς ἐτήτυμος εἴδετο μέτρου.
καὶ τότε δὴ Κάλχανθ' ὕπνος θανάτοιο κάλυψεν.
*Mille quidem decies numero: mensura medimni est:*
*At superest vnus, quod non percurrere posses,*
*Sic ait, est numerus vere hinc compertus eorum.*
*Calchanti æterno clausit lumina somno.*

Illis vero collectis ita reipsa numerus, vt dictū fuerat, inuētus est at contra interrogatus Calchas de sue prægnāte prætereunte quot gestaret, in vtero, & quando esset paritura, & quibus signis, obmutuit: dicente Mopso decem & inter hos vnum tantum marem gestare in vtero & esse cras parituram initio horę octauæ, & marem totum nigrum, ac tres fœminas trāsuerse albā lineam supra humeros habituras, è reliquis duas rostrum albū ad oculos vsque reliquas posteriora crura sinistra ab vngula ad genu vsque Calchas, vbi res postridie eius diei ita esse fuisset comperta, mœroris impatiens vitā finiuit. quamuis hæ diuinationes, vt ait Apollonius Atalieus in libro secundo compositionis, tanquam infidæ ac plerunq; vanæ relinquendæ sunt, & in primis quæ fiunt p physiognomiā, astragulos circulos, terram, cribrū, formam, ignem, peluim, aquam, manum, caseum, ac mortuos euocatos. Sed aliquando tamen oracula veritatem expresserunt quæ non semper fallere mortales potuerunt, vt etiā veridicæ fuerunt Sibyllę. Sic enim Apollo Christi mortem expressit, & Sibylla eiusdem miracula, quæ ante mortem erat facturus atque Apollo quidem sic:

*θνητὸς ἔην κατὰ σάρκα, σοφὸς τερατώδεσιν ἔργοις.*
*ἀλλ' ὑπὸ χαλδαίων κριτῶν ὅπλοις σταυρωθεὶς*
*γόμφοις καὶ σκολόπεσσι πικρὴν ἀνέτλησε τελευτήν.*
*Namque caro mortalis erat, diuinaque facta,*
*Chaldæus sed iudicibus per tella redentus*
*In ligno, clauisque tulit post funus acerbum:*

Sic autem Sibylla inquit:

*——— νεκρῶν δὲ ἀνάστασις ἔσται,*
*καὶ χωλῶν δρόμος ἔστ' ὠκὺς, καὶ κωφὸς ἀκούει,*
*καὶ τυφλοὶ βλέψουσι, λαλήσουσ' οὐ λαλέοντες.*
*Consurgent extinctorum mox corpora, claudis*
*Cursus erit velox, surdusque exaudiet, atque*
*Prospicient longe cæci, mutique loquentur.*

Fuerunt autem duo Dei tantum, quorum celebrabantur responsa, Iupiter & Apollo; quorum ita fecit mentionem Æschylus in Eumenidibus:

*κἀγώ τε χρησμοὺς, τοὺς ἐμούς τε καὶ Διὸς*
*ταρβεῖν κελεύω.*
*Oracula ipse cum Iouis, tum dein mea*
*Confidere impero.*

Verun-

Verumtamen idem Æſchylus teſtatur in Sacerdotib. Apollinem à Ioue prius accipere reſponſa ſolitum, deinde eadem dare petentibus, vt eſt in his carminibus:

*στέλλειν ὅπως τάχιστα. ταῦτα γὰρ πατὴρ*
*Ζεὺς ἐγκαθιεῖ Λοξίᾳ.*
*Citiſſime huc venire: namque talia*
*Apollini pater loquenti ſuggerit.*

Quamuis Diodorus Siculus à matre vaticiniũ, & medendi artem filium edoctum fuiſſe inquit, nam idem eſt Orus Ægyptiis, qui Græcis Apollo: cum Iſis ſiue Ceres, vt quidam putarunt, multa pharmaca ad ſanitatem inuenerit, & magnam partem medicinæ empiricæ. Vocatus fuit autem Apollo Ἀμοιβεὺς à Delphicis, quia cum prius Neptunus Delphis coleretur, at Apollo in Calabria, loca mutarunt inuicem: ſic enim illum vocauit Lycophron:

*τοῦ τειχοποιοῦ ζαπέδων ἀμοιβέως.*
*Locum Dei mutantis atque mœnia Condentis.*

Huic Deo cygnus etiam dicatus eſt, quia diuinet ac vaticinetur quando moriturus ſit, & quaſi præ lætitia cantet, cũ proſpiciat quãtus bonorum cumulus ſit in morte, vel certe quantam moleſtiarum, quæ ſunt in hac miſerrima vita, frequentiam ſit relicturus: quam cauſam & cantus, & cur dicati ſunt Apollini cygni, ita ſcripſit Cicero in primo Tuſc. diſput. Itaque commemorant, vt cygni, qui non ſine cauſſa Apollini dicati ſunt ſed quod ab eo diuinationem habere videantur quia prouidentes quid in morte boni ſit, cum cantu & voluptate moriantur. Fuit autem templorum omnium opulentiſſimum Delphici Apollinis, quippe cum vel mille aureos lateres Crœſus ille ob inſignes diuitias celeberrimus aliquando dono miſerit, vt teſtatur Zezes hiſt. 1. vt aurea tota ara Apollini ex ijs strueretur. Fuit & alius infinitus prope Regum & Imperatorum munerum numerus auguſtiſſimorũ, vt videtur innuere Ouid. in Epiſt. Cydippes.

*Et modo porticibus ſpacior; modo munera Regum*
*Miror, & in cunctis ſtantia ſigna locis.*

Tribuebatur Apollini ars medendi, & ſagittarum ſcite emittendarum peritia, quod his verbis ſignificauit Ouidius libro primo Metamorph.

*Inuentum medicina meum eſt, opifexque per orbem*
*Dicor; & herbarum ſubiecta potentia nobis.*

Et Callimach. hymno in Apollinem.

τέχνῃ δ' ἀμφιλαφὴς οὔτις τόσον, ὅσσον Ἀπόλλων.
κεῖνος ὀϊστευτὴν ἔλαχ' ἀνέρα, κεῖνος ἀοιδόν.
Φοίβῳ γὰρ καὶ τόξον ἐπιτρέπεται, καὶ ἀοιδή.
κείνου δὲ θριαὶ, καὶ μάντιες· ἐκ δέ νυ Φοίβου
ἰητροὶ δεδάασιν ἀνάκλησιν θανάτοιο.

*Arte magis varius vllus, quam clarus Apollo.*
*Sunt illi artifices cantus curæ: ille sagittas,*
*Illæ arcus curat, pariterque oracula, vates.*
*Suffragia, ex illo didicerunt funera primum*
*Differre, & gelidæ vitare pericula mortis.*

Hunc Deum & aureos calceos gestare, & omnia prope aurea habere finxit Callimachus ex antiquorum opinione: & semper esse iuuenem, neque vnquam pubescere, aut lanugine prima barbæ vestiri, vt est in his versibus:

χρύσεα τῷ πόλλωνι, τό τ' ἐνδυτὸν, ἥ τ' ἐπιπορπίς,
ἥ τε λύρη, τό τ' ἄμμα τὸ Λύκτιον, ἥ τε φαρέτρη.
χρύσεα καὶ τὰ πέδιλα πολύχρυσος γὰρ Ἀπόλλων,
καί τε πολυκτέανος Πυθῶνί κε τεκμήραιο.
καί κεν ἀεὶ καλὸς, καὶ ἀεὶ νέος οὔποτε Φοίβου
θηλείαις οὐδ' ὅσον ἐπὶ χνόος ἦλθε παρειαῖς.

*Aurea sunt Phœbo hæc: vestisque, & fibula in illa,*
*Tum lyra, tum chordæ, ex humero pendensque pharetra:*
*Calcei & ex auro vtrique, auri diues Apollo est,*
*Possidet is multa: quod Pytho ostendit, & idem*
*Formosus, semper, semper iuuenisque: nec illi*
*Fœmineæ quantum nigrent languine malæ.*

Scripsit Homerus in hymno in Apollinem, Apollinē ipsum vocatum fuisse Pythium, quia Typhonem sagittis interemerit: qui Solis calore postea corruptus Apollini Pythio nomen dedit. Nam πύθεσθαι putrescere significat, vt est in his carminibus:

——ὁ δ' ἐπηύξατο Φοῖβος Ἀπόλλων,
ἐνταυθοῖ νῦν πύθευ ἐπὶ χθονὶ βωτιανείρῃ.

*——sic inde precatus Apollo est:*
*Putrescas tellure iacens, campoque feraci.*

Tum idem paulo post:

——οἱ δὲ ἄνακτα
Πύθιον καλέουσιν ἐπών. ὕμον οὕνεκα κεῖθι
αὐτοῦ πῦσε πέλωρ μένος ὀξέος ἠελίοιο.

*——inde vocarunt*
*Pythion hunc regem cognomine, putruit illic.*
*Quod monstrum radiis, & claro lumine solis.*

Fabulati sunt antiqui hunc è terra à Iunone pugno percussa natum esse, quem serpentem fuisse crediderunt, at non Typhonē, vt scripsit de illo Nicander Colophonius in his:

*ὣς ἄρα φωνήσασ' ἱμάσσε χθόνα χειρὶ παχείῃ·*
*κινήθη δ' ἄρα γαῖα φερέσβιος.*
*Sic effata grauis percussit robore dextra*
*Tellurem: motuumque solum est tum fertilis agri.*

Cęsus fuit hic Python serpens non procul à Cephiso flumine, qui fluit ad radices montis Parnasi, vt ait Dionysius in libello de situ orbis. Scriptum reliquit Ouid. in 1. lib. Metamorph. Pythia postea in honorem Apollonis fuisse instituta, quæ non à Typhone putrefacto, sed à serpente fuerunt instituta, vt in his scribitur:

*Instituit sacros celebri certamine ludos,*
*Pythia pro domitæ serpentis nomine dictos.*

Celebrabantur autem hi ludi vere ineunte ab omnib. Cycladum incolis, sicuti tradidit Dionysius in lib. de situ orbis in his carminibus:

*ῥύσια δ' Ἀπόλλωνι χορὸς ἀνάγουσιν ἅπασαι*
*ἀρχομένου γλυκεροῦ νέον εἴαρος, εὖτ' ἐν ὄρεσσιν*
*ἀνθρώπων ἀπάνευθε κύει λιγύφωνος ἀηδών.*
*Instituere choros omnes, victoria quando*
*Grata fuit, cum iucundum ver incipit, & cum*
*Arboribus dulces nidos subtexit aedon.*

Omnes enim insulæ etiam, quæ fuerunt circa Delum ludos pro illa victoria instituerunt. Scripsit tamen Pausanias in Corinthiacis Diomedem à Troia redeuntem cum effugisset tempestatem, quæ Græcis ab Ilio redeuntibus immissa est, apud Trœzenios templum Apollinis Incensoris dicauisse, & Pythicos ludos in eius honorem instituisse, Erat antiquissimus mos vt pulchrior ex omnibus hymnis qui offerrentur, in honorem Apollinis caneretur: postea vero cantus, ad citharam fuit institutus, & aulœdorum atque tibicinum certamina: & præmia ab Amphictyonibus de medio sublata, & coronarium dumtaxat fuit propositum: & quadrigis exceptis, omnia, quæ in Olympicis aderant athletarum studia, in hæc recepta certamina. Dein-

de paulo post repudiata fuit ars aulœdorum, & ex his ludis exclusa, quia iucundum quiddam & triste præ se ferrēt cum elegi, funebresque lamentationes his tibijs conuenirent. Mox additus est equorum cursus, & armatorū deinde, mox bigæ introductæ atq; variis temporibus & pullorum binorum & singulorum in iugum cursus instituti, quorum nonnullorum mentionem fecit Ouid. lib. 1. Metamorph.

*Hic iuuenum quicunque manu pedibusve, rotave,*
*Vicerat, æsculea capiebat frontis honorem.*
*Nondum laurus erat.*

Erat enim antiqua cōsuetudo iam tum à Thesei temporib. è Creta reducis incepta. vbi ludos Deli instituit, vt victores palma coronarentur. Mox coronis mutatis mansit tamen cōsuetudo, vt omnes victores vbicunque essent, palmā manib. gestarēt, vt ait Paus. in Arcadicis. At corona laurea propria fuit Delphicorū præmiorum, idq; cum ob perpetuum vigorē, tum quia arbor ipsa Apollini sit dicata. Verū de his ludis alio loco plurib. fortasse pertractabimus. Fuerunt qui dixerint hos ludos non ob serpentē ab Apolline cæsum institutos fuisse, sed ob incolam quendā Pythus (sic enim nominabāt Delphos antiqui) ab Apolline cōfixū sagittis, qui ibi extabuit. Atq; per id temporis ita nominabantur ea quæ corrumperētur, vt in Phocicis inquit Paus. Scriptū reliquit Ephorus, quo quidē tempore Apollo in terras deuenit, homines syluestribus fructibus viuentes ac ferarū more, mansuefecisse atq; id contigisse in Delphis primum, mox ad Panopeam vrbē profectum crudelissimum & violentū tyrannum Tityum interemisse, audisseq; è Parnasiis hominibus alium esse tyrannum nō minus hominib. infestum Pythonem nomine atq; cognomine draconē, quem & ipsum sagittis Apollo cōfecit. Atq; inter pugnandum cum Io Pæan clamitatum esset, quod mitte Apollo significat, mā sit postea consuetudo vt in Pæanib. & in epinicijs, & in omni lætitia alicuius victoriæ, Io Pæan conclamaretur, vt est illud Ouid. in secundo de Arte:

*Dicite Io Pæan, & Io bis dicite Pæan.*
*Decidit in casses in præda petita meos.*

Inde Pęanes dicti sunt hymni, qui in laudē, Apollinis cōpositi canebantur: erat aūt rythmus eorum, ille plerunq; qui à Sophoclę seruatur in hoc carmine in OEdipode Tyranno:

ἰὴ ἰὴ Δάλιε Παιάν Ieie Dalie Pæan.

Quamuis duo fuerunt Pæanum genera, quorum vsus erat etiam in bellis: nam horum alterum genus Marti ante bellum erat dicatum: alterum Apollini post victoriam. Cum cœpissent igitur Pæanes in Apollinem cantari, cœpit & Apollo vocari Ieius, vt Euelus Bacchus. Alij igitur ἰὴ ἀπὸ τοῦ ἰᾶσθαι, hoc est à medendo, alij ἰὴ ἀπὸ τοῦ ἱέναι à mittendo scilicet dixerunt: quippe cum radij Solis cum moderato calore demissi vitam mortalium conseruent, at contra lethiferi sunt ijdem radij si immoderatus calor extiterit. Alij vtrumque coniunxerunt, dixeruntque ἰήιε. Ieius deinde dictus fuit. Quod autem Pæanes vocarentur cantilenæ in Apollinem compositæ, declarauit id Homerus in 1. Iliadis:

*οἱ δὲ πανήμεροι μολπῇ θεὸν ἱλάσκοντο,*
*καλὸν, ἀείδοντες παιήονα κοῦροι Ἀχαιῶν,*
*μέλποντες ἑκάεργον· ὁ δὲ φρένα τέρπετ' ἀκούων.*
*Phœbeas iras placabant carmine Achiui.*
*Per totas luces pulchrum Paana canentes,*
*Cantantes Phœbum; huic mulcebant pectora cantus.*

Fuerunt tamen, qui putarint Pæanas dictos fuisse non quidem ἀπὸ τοῦ παίειν, vel à periendo: sed potius ἀπὸ τοῦ παύειν, quod placare significat: quoniam canebantur istæ cantilenæ, vbi vel famem, vel pestem cessare precabantur, vel aliquod imminens malum diuertere diuino implorato auxilio. Inde Æsculapius Pęon dictus fuit ab Aristoph. in Pluto, quia morbos mitiget acccessare faciat:

*Ἀσκληπιοῦ Παιῶνος εὐμενοῦς τυχών.*
*Æsculapium nactus benignum quod fuit*
*Pæonem.*

Eius Dei laudes & res gestæ canebãtur idcirco ad illum placandũ, quod ijs delectari putaretur, cum primus ijs, vt fama est, Iouis victoris laudes Saturno regno depulso cecinisset carminibus, cithara sumpta magnificisq; vestib. indutus, & coma mirifice ornata, vt ait in 2. Eleg. Tibullus:

*Sed nitidus, pulcherque veni; nunc indue vestem*
*Purpuream, longas nunc bene necte comas:*
*Qualem te memorant Saturno rege fugato*
*Victoris laudes tunc cecinisse Iouis.*

Hic Deus eximie colebatur in Soracte Phaliscorum mõte, cuius sacerdotes nudis pedib. ad simulandam sanctitatem

prunas accensas calcabant illęsi; sed illud fiebat quibusdam additis medicamentis & antidotis, quæ res multitudinem hominum in summam admirationem & superstitionem adducebat. Id ita fuisse testatur Virg. lib. 11. in his:

*Summe Deum & sancti custos Soractis Apollo,*
*Quem primi colimus, cui pineus ardor aceruo*
*Pascitur, & medium freti pietate per ignem*
*Cultores multa premimus vestigia pruna.*

Habuit Apollo multos locos in quib. colebatur: nam Homerus in 1. Iliad. Chrysen, Teneden, Cyllamque ciuitates connumerauit, in quibus præcipue Apollo colebatur. nam vt de Ioue dictum est, & de Diis reliquis, vel à ciuitatibus, in quibus sunt culti, vel ab euentu rerum, vel à conditorib. templorum cognomina obtinuerunt. vt Delphinius dictus est Apollo, quia Delphino similis in mari aliquando Gnosiis nautis apparuerit, sibique aram erigi in littore iusserit, vt est in hymno Hom in Apoll.

ὡς μὲν ἐγὼ τὸ πρῶτον ἐν ἠεροειδέϊ πόντῳ
εἰδόμενος δελφῖνι θοῆς ἐπὶ νηὸς ὄρουσα.
*Sic mihi Delphino simili super æquoris vndas*
*Cæruleas primum in nauim fuit impetus olim.*

At Heliodorus Delphinum vocatum fuisse scripsit, quia in Pythone Delphinum draconem Latonæ vim inferentem sagittis confecerit: cuius hæc sunt carmina:

ὁππότε πετραίης ὑπὸ δειράσι Παρνησοῖο
δελφίνην ἔξοιτο πελώριον ἐξενάριξεν.
*Vel cum saxosis Parnasi in collibus arcu*
*Serpentem horrendum confecit is, atque sagittis.*

Fuerunt qui dixerint ita dictum fuisse, quia Castalium Cretensem in coloniam Apollo deduxerit, à Delphino vectus: alij quia Delphino similis nauis fuerit dux vsque ad sinum Crissæum, & in Phocidem, alij quia sub forma delphini nauim conscenderit, & vsq; ad eum locum per mare deuenerit, mox exilierit illuc, vbi Delphi postea sunt vocati. Verum nos has fabulosas, variasq; opiniones, & fabulosa cognomina prætermittentes, illa tantum summatim percurramus, quæ cognitu necessaria sunt nostro huic suscepto negocio. Colebatur hic Deus & in Mileto & apud Mæonios, ab ijs causis, quas superius recensuimus, dictus Abæus ab vrbe Lyciæ, Acrita, Actius, Acesius, Agræus, Alexicacus,

cacus, Argenetes, Agyræus, Ægyptius, Boidromius, Gerpous, Curator, Carneus, Carinus, Carnias, Carmeus, Clarius, Delius, Didymæus, Diradiotes, Epicurius, Grynæus, Hylatus, Horius, Ismenius, Latous, Læmius, Loxias, Labystinus, Lycius, Maleates, Nomius, Napæus, Orchieus, Pastor, Pythius, Ptous, Phanæus, Pataræus, Patrous, Platanistius, Parnopius, Pilesius, Præsagus, Præstes, Phyllæus, Sithalcus, Smyntheus, Spodius, Sciastes, Theoxenios, Thyræus, Thymbræus, Thelpusius, Lilius, Zosterius, aliaque complura fuerunt cognomina, quæ omnia numerare longum esset. Fertur hic Deus in varias formas ob amores fuisse mutatus in leonem, in ceruum, in accipitrem. Mos fuit illi agnos immolari, vt testatur Homerus lib. 4. Iliad.

> εὔχεο δ' Ἀπόλλωνι λυκηγενέϊ κλυτοτόξῳ,
> ἀρνῶν πρωτογόνων ῥέξειν κλειτὴν ἑκατόμβην.
> *Ipse roga Lycium Phœbum, qui est clarus ob arcum,*
> *Et voue agnorum tenerorum sacra referre.*

At Virgil. in lib. 3. Æneidos taurum illi immolari solitum scribit his versibus:

> *Sic fatus, meritos aris mactauit honores,*
> *Taurum Neptuno, taurum tibi pulcher Apollo.*

Testatur Pausanias etiam in Bœoticis Thebanos taurum Apollini immolare solitos, at postea immutatum fuisse morem vt bos domitus mactaretur: quod ii qui missi fuerunt aliquando ad capiendum taurum cum nimis tardi fuissent, & cædendæ victimæ tempus instaret, bos à transeunte plaustro solutus fuerit, & pro tauro mactatus, quæ postea mansit consuetudo. Memoriæ prodidit Euarthes in Fabulosis, accipitrem fuisse sacratum Apollini, vnde illud est Homeri:

> κίρκος Ἀπόλλωνος ταχὺς ἄγγελος.
> *Nam celer accipiter fit Phœbi nuncius ales.*

Atque hæc ea sunt fere quæ de Apolline fabulose tradita sunt ab antiquis.

¶ Nunc quid per hæc senserint, inuestigemus. Appellarũt antiqui, vt sæpius dictum fuit, varias vel naturæ vires, vel siderum, vel summi Dei in res humanas actiones variis Deorum nominibus. Quid enim per Apollinem intelligebant, de quo tam multa tradita sunt in fabulis? Declarauit id Cicer. lib. 3. de Natura Deorum: Illa autem, Balbe,

quæ tu à cœlo, astrisque ducebas, quam longe serpant, non vides: Solem Deum esse, Lunamque; quorum alterum Apollinem Græci, alteram Dianam nuncupant. Et Plato in Cratylo, vbi nominis rationem perquirit, quæ ad quatuor facultates illius extenditur, ad musicam, diuinationem, medicinam, peritiamque mittendarum sagittarum, Apollinem, nunc quia non plures sint, nunc à soluendo, nunc à mittendo, nunc rerum simplicitate dictum contendit, quæ Soli conueniunt omnia, ac nulli præterea. Quid enim veritatem magis aperit quam Sol, & omnem tenebrarum caliginem ex humanis rebus dispescit? aut quid magis confert medicorum pharmacis? siquidem herbæ quæ in apricis locis nascuntur, multo magis rei medicæ conferunt, quam in vmbra aut in humidioribus locis nutritæ. Hic est generationis rerum & corruptionis vnicus autor, vt in lib. de iis sensit iure Arist. Hic longissime è cœlo in terras radios suos minime debilitatos iaculatur: vnde dictus est à poëtis ἑκάεργος, *è longinquo operans* scilicet; & Loxias, quia obliquum habeat incessum sub Ecliptica; & Phœbus à splendore luminis, & Delius, quia occulta manifestet: & ab huiusmodi causis multa nomina obtinuit quæ nulli certe nisi Soli, cõuenire possunt. Hic pestis & salutis solus est opifex, quoniã in symmetria caloris vniuersa animantium vita, salusque continetur. Hic medius inter cæteros planetas tanquam dominus cæterorum collocatur: quoniam motus incredibilem efficere harmoniæ suauitatem crediderunt Pythagorici, quare musicæ autor putatus est. Huic citharæ inuentionem tribuerunt, quæ septem chordis prius muniebatur, vt ait Virgil. lib. 6.

*Nec non Treicius longa cum veste sacerdos*
*Obloquitur numeris septem discrimina vocum.*

Qui chordarum numerus planetarum numero conueniebat: cum plurium chordarũ instrumenta musica recentiora sint vel Pythagoræ temporibus vel Orphei. Hic Iouis & Latonæ filius fuisse creditur & in Delo natus, quia post illã confusam mundi, vt vocãt, materiam, ex qua vniuersa quæ sunt creata creduntur, quæ Λητὼ quasi Ληθὼ vt ait Plato, à latẽdo & ab inscitia fuit vocata, ab omnium rerum opifice Deo lux prima omnium prodierit. Nam primum Solem & Lunã duo lumina maiora in principio creauit Deus omnipotens

potens. Nati dicuntur Apollo & Diana in Delo, quia continuo exorta luce res cognosci & videri posse cœperint, cum prius incōfusa & informi materia omnia delitescerēt. Qui Dionysi filios putarunt esse, vim & actiones Solis Apollinē esse crediderunt, ac Dionysum esse Solem ipsum, cuius filia sit Luna, cum à Sole patre lumē, vimq; suā vniuersam accipiat. Eadē ratione qua calor mediocris confertur omnib. animantibus, putatur Æsculapius, qui medēdi artem callet, Apollinis esse filius. Huic Apollini vt mitior esset, pestemq; leuaret, vt à nonnullis traditū est, ludi Apollinares fuerunt instituti. cuius cum duæ sint potestates nimio calore & intemperie aëris perdēdi, ad eam vim placandā, Pæan in hymnis cantabatur. In imprecationib. contra Ieium vocabāt ab immittendis sagittis at non à medēdo, vt quidam putarunt. Huius filius Æsculapius à Ioue irato fulmine percussus interiit: quia cum benignitas Solis & temperies animātibus sit salubris, aliquando ab inflāmato aëre pestis oritur & in morborū grauitatem tota illa Solis clemētia vertitur: quare grauior fit pestilentia mediis temporibus, quam per summos calores, aut per eximia frigora. Neq; illud mirum, quando vel in male affectis corporib. idem contingit: nam quæ firmis conferūt, eadem ægrotantibus plerumq; solent obesse, vel propter imbecillitatē concoquētis in stomacho caloris, vel quia magni refert quo naturalis potētia, humorumque cursus diuertatur. Fit enim, tanquam in humanis corporibus, ita in hac rerū vniuersitate aliquādo astrorum quorundā concursus: vnde concitetur aëris intemperies, ex qua nascitur pestilentia: quæ modo fit ex abūdantia, modo ex inopia nimia humoris: quā necessario sequitur annonæ penuria, cum omnia inferiora gubernentur à superioribus & illa omnia nō nisi Dei supremi & altissimi nutu quidquā agant. Apollo dicitur mortem filii grauiter ferēs Cyclopas Iouis ministros, fulminūq; artifices interemisse, quod nihil aliud significat, nisi Solis beneficio rabiem illam vaporum qui pestem excitauerant, fuisse extinctos. Nā ex ipsis vaporibus quodammodo affectis morbos procreari constat, & salubritatem euerti: & è vaporibus fulmina Ioui confici, cum illi sint fulminum artifices. Cum enim Æsculapius sit Apollinis filius medicus peritissimus, isque sit aëris optimo affecti temperies, hanc temperiem eximius calor destruit,

per quem vapores absumuntur, neq; vsquam possunt consistere. Cum aliquid simile fortasse superioribus temporib. contigisset, vt fabulati sunt de Phaethonte, ita ob hanc rem datus est locus fabulę, quia ob fulmine occisum filium Apollo Cyclopas, quod fulmina faciebant, occiderit. E cœlo igitur descendisse per id tempus putatur quia benignior & quasi humanior quam antea Solis natura sentiebatur. Id cum ita contigisset, cognouerunt mortales Solem esse omnium rerum moderatorem; quare cum tepor illius conferat animantibus, pauisse armenta Admeti putatur, & inter Deos agrestes non vltimum locum sortitus est.

¶ Fuerunt nonnulli qui Phorbantem, Hyacinthum, Admetum ab Apolline amatos fuisse fabulati sint, vt ait Plutarchus in Numa, quod Deus amet sapientes, sicuti memoriæ proditum est Pindarum, Archilochum, Hesiodum Diis fuisse gratos. Laurus illi tum ob innatum calorem consecrata est, cuius ex attritu lignorum facile ignis eliditur; tum etiam ob diuinationem: quia eius folia sub puluinari dormientis posita creduntur vera somnia gignere. Præterea illi quibus natura Solis plurimum dominatur, (nam alii aliorum planetarum naturæ magis clam adhæremus) multa facilius præsentiunt, quare diuinationem & vaticinandi peritiam Apollini tribuerunt. Huic Deo gryphes & corui ob similem vim præsentiendi dicati sunt. Huius imago ab antiquis fingebatur, quæ dextra manu Gratias gestaret, at sinistra sagittas & arcum, quia multo plura sunt eius in humanum genus beneficia, quam incommoda quæ inferuntur. Hunc Deum semper iuuenem finxerunt, quia sempiterna illa sublimia corpora nullam sentiunt senectutem, & quia semper eadem vis est Solis, quamuis minime appareat nonnullis ob signiferi circuli obliquitatem. Capillos illi tribuerunt prælongos, ad explicandam vim radiorum, quē etiam intonsum vocauit Horatius in his carminibus:

*Dianam teneræ dicite virgines,*
*Intonsum pueri dicite Cynthium.*

Sic is poëta in his versibus;

ὑμνέω Παιῶνα, μέγαν θεὸν Ἀπόλλωνα,
ἄφθιτον, ἀγλαόμορφον, ἀκερσεκόμην, ἀβροχαίτην,
*Cantamus Pæana Deum, qui est magnus Apollo,*
*Perpetuum, pulchrum, intonsum, semperq; comantem.*

Erat

Erat illi ſacer etiam accipiter propter rapacitatem & hyacinthus flos, qui dicitur fuiſſe puer Amyclæus ab Apolline & Zephyro vno tempore amatus: at enim cum propenſior in amorem Apollinis appareret, Zephyri odiū & indignationem in ſe concitauit quare cum Apollo diſci iactu ſe exerceret, Zephyrus diſcum ab Apolline miſſum in pueri caput conuertit, quem cæſum Apollo in florem ſui nominis commutauit, & ex cruore colorem indidit. Huic Deo antiquiſſimis temporibus ſacram comam ephebi nutrire ſolebant, quam eo tempore deciſam Apollini dicabāt & deponebant, cum ſimiles eſſe Apollini ceſſarent: hoc eſt, cum labra vel malæ prima lanugine veſtiebantur, Eam fuiſſe conſuetudinē teſtatur Plutarch. ita in Theſeo : ἔθους δ' ὄντος ἔτι τότε τοὺς μεταβαίνοντας ἐκ παίδων ἐλθόντας εἰς Δελφοὺς ἀπάρχεσθαι τῷ θεῷ τῆς κόμης. *Cum mos eſſet etiam tunc, vt qui ex ephebis exceſſerant, Delphos venirent, atq; comæ primitias Deo offerrent*: ſicut zonam Dianæ conſecrabant mulieres, cum virginitatis pertæſum eſſet. Lucianus tamen in Dea Syria morē fuiſſe apud Syros ſcribit, vt barbatū Apollinem fingerent: cum reliqui homines eum iuuenē & imberbem formarēt. Iſtud autem ea de cauſa efficiebatur, quia imperfectam exiſtimabant illam ætatem Aſſyrii, cum neque ad naturæ ſummum acceſſiſſet, neq; ob rerum præteritarum experientiam prudentia muniretur. At vero qui dicunt, quod Pythonem ſerpentem ſagittis confecerit, cum paruus adhuc eſſet, quid aliud ſignificant, quam Solis naturam, & mundi nuper naſcentis? cum enim Sol nuper natus eſſet, & poſt illum omnia ſidera, cœpit Sol vapores è terra, qui plurimi fuiſſe dicuntur, ſurſum ſuo calore attrahere: quo tempore pro natura infantium plena humoribus terra, multiſq; nebulis ex illis procreatis tecta, cum recens à cæteris elementis fuiſſet diuiſa, omnia putredine plena erant, quæ ex humoris abundantia, aut certe ſine humore non contigit. Tum vero Sol ſuis radiis nouam terram aſſidue illuſtrando, quaſi ſagittis quibuſdam ipſam putredinem feriens, paulatim excitauit, ſalubremq; animalibus ſedem fecit. Neq; aliam rationem aut cauſam fingendarū harum fabularum putauerim, niſi quod modo vires elementorū, modo ſidera pro Diis colentes, ſuorum Deorum vires celebrare per has fabulas voluerunt. Nā fabulæ quæ de Diis finguntur, ad rerum naturaliū

A

aut astronomicarũ considerationem spectant: quæ de hominib. ad vitam mortalium informandam & in melius vertendam. Sed de Apolline satis, nunc de Æsculapio dicatur.

## *De Æsculapio.* CAP. XI.

AEsculapium quidam Apollinis & nymphæ Coronidis filium fuisse arbitrantur, sicuti testatur Homerus hymnographus in his:

*ἰητῆρα νόσων Ἀσκληπιὸν ἄρχομ᾽ ἀείδειν,*
*υἱὸν Ἀπόλλωνος, τὸν ἐγείνατο δῖα Κορωνὶς,*
*Δωτίῳ ἐν πεδίῳ, κούρη Φλεγύου βασιλῆος.*
*Morborum medicum canto, quem diua Coronis*
*Et Phœbo peperit Phlegyæ olim filia Regis,*
*Dotius est vbi latus agerq; Amyriq; fluenta.*

Pausanias vero in Corinthiacis memoriæ prodidit Phlegiã Coronidis patrem Peloponesum ingressum filiam prægnantem ex Apolline, quod tamen ille non senserat, secum adduxisse. Illa puerum in finibus Epidauriorum enixa, illum in monte exposuit, qui ab eo euentu Titthias postea fuit vocatus, quamuis alii hoc in agro Thelpusio accidisse memorant. Ibi capra dicitur lac infanti præbuisse, quam canis, à grege quem custodiebat, discedens, obseruabat. Hos cum deesse gregi pastor cognouisset, vniuersum pascuum peragrans, puerum tandem & capram & canem inuenit: verumtamen cum ignis è capite infantis emicuisset, diuinum quiddam ratus eius rei famam per vniuersam regionem diuulgauit. Fama est hunc qui Æsculapium susceperit, filium fuisse nothum Arcadis, Autolaum nomine, in agro Thelpusio expositum, vt ait in libro de Diis & Heroibus Cyrenaicus Apollodorus. Deinde fama dissipata est, quod quouis morbo laborantes homines ab illo Deo generato possent sanari. Fuerunt qui dixerint Coronidem prægnantem cum Ischye Elati filio concubuisse, quod grauiter ferens Diana illam interemit, quia fratris contumeliam perferre non posset. Illa postea cum rogo imposita fuisset, Mercurius è ventre mortuæ Æsculapium extraxit, vel Phœbus ipse: vt testatur Ouid. lib. 2. Metamorph. in his:

*Non tulit in cineres labi sua Phœbus eosdem*
*Semine: sed natum flammis, vteroq; parentis*
*Eripuit, geminiq; tulit Chironis in antrum.*

Alii

Alii dicunt nō è nympha Coronide natum, sed ex ouo corniculæ: quia Coronis vtramque significat, & nympham ita vocatam, & corniculam, vt asserit Lucianus in dialogo de falso Vate, a quo res ita commemoratur. Frater quidam ex antiquis sacerdotibus serpentem perexiguum in ouum vacuum corniculæ inclusisse, ceraque studiose oblitum in luto in loco quodam occultasse: mox ara extructa populum in concionem ad eum locum aduocasse, cum nunciaret omnibus palam se Deum esse ostensurum. Post concionem incognitis quibusdam vocibus vsus Apollinem & Æsculapium inuocauit, vt dexter ac fœlix illi ciuitati accederet. Deinde phiala aquam hauriens in profundum demersa ouum illud vna cepit quod præsentibus multis fregit, pullumque recentem serpentis inueniens cunctos homines in admirationem rei induxit. Postea vero serpentem insignis magnitudinis paucis diebus elapsis in loco subobscuro ostendens artificiose se mouentem, illum ita creuisse aiebat, ac Deum esse Æsculapium Apollinis filium. Inde vero serpentes in eius tutela, sicuti Trophonio & Hercynnæ dicabantur, crediti sunt, & eius gestamen putatus fuit baculus serpente inuolutus, vt scripsit Dercylus: Atque Ouid. lib. 15. Metam. Æsculapium inquit aliquando fuisse in serpentem mutatum. Pausanias autem in Messeniacis natum fuisse Æsculapium ex Arsinoe Leucippi filia, at non è Coronide, memorat de nonnullorum sententia: cum tamen in Corinthiacis contendat illum Epidauri natum, & omnem eius Dei cultum ex Epidauro acceptum. Hunc natum esse apud Lacercam ad ripas Amyni fluminis testatur Apollonius libro quarto hoc pacto:

χωόμενος περὶ παιδὶ, τὸν ἐν λιπαρῇ Λακερείῃ
δῖα Κορωνὶς ἔτικτεν ἐπὶ προχοῇς Ἀμύροιο.

*Ob natum iratus prope pinguem quem Lacercam*
*Ad ripas Amyni peperit diuina Coronis.*

Huius nutricem fuisse Trigonem scripserunt nonnulli, sicuti testatur Pausanias in Arcadicis. quem apud Chironem Centaurum educatum fuisse constat, & ab eodem eruditum cum adoleuisset, sicuti dictum est ab Ouidio in his:

*Geminiq; tulit Chironis in antrum.*

Lactantius in lib. de Falsa Religione, Æsculapiū lacte canino nutritum, & Chironi traditum artem medendi ab ipso

Chirone doctum fuisse scribit. Fuit Æsculapius prius Apius vocatus, quare cum Lycophron de illo mentionem faceret, ita inquit:

*δρωγὸν αὐδήσουσιν Ἠπίου γόνον*
*ἀστοῖσι καὶ ποίμναισι πρευμενῆ μολεῖν.*
*Opem ferentem concinent satum Apio*
*Gregibus venire, ciuibus q; commodum.*

Scripsit Zezes chil. 10. non solum à Centauro Chirone Æsculapium fuisse edoctum, sed cum Apius primum diceretur ob facilitatem & mansuetudinē, vel quia dolores ęgrotantium medicamentis deliniret (ἤπιος enim blandum significat) mox quia Asclen quendā Epidauri tyrannum sanauerit, dictum fuisse Æsculapium vtroq; nomine coniuncto: nam Ἀσκληπιὸς ex Ascle & Apius componitur: ac paucis mutatis ita à Latinis fuit appellatus. Alii non Asclen, sed Aunem tyrannum Dauniæ qui ex oculis laborabat, ab illo sanatum fuisse malunt, qui eum nominatum fuisse contendunt ab artis præstantia, quia homines mori non pateretur; nam σκέλλεσθαι mori significat, at α litera priuationem adiungit. Dictus est igitur eo nomine, quod homines non fineret morbo aut dolore absumi: quamuis inuentionem medicinæ alii aliis inuentoribus tribuerunt, Ouid. vt diximus, Apollini illam tribuit. Pindarus in tertia Ode Pythiorum & Nemeorum Chironem Æsculapii magistrū inuentorē medicinæ putauit; Æschylus illam omnium primum Prometheum ait inuenisse. Homerus in lib 4. Odyss. videtur inuentionem medicinæ Pæoni tribuisse, vt est in his:

*ἰητρὸς δὲ ἕκαστος ἐπιστάμενος περὶ πάντων*
*ἀνθρώπων· ἦ γὰρ Παιήονός εἰσι γενέθλης.*
*Est medicus prudens cunctis præstantior vnus*
*Ille viris, cui Pæonia sit gentis origo.*

Hunc sororem habuisse Eriopen scriptum reliquit Myrleanus Asclepiades. Cicero multos fuisse Æsculapios inquit in tertio de Natura Deorum his verbis: Æsculapiorum primus Apollinis, quem Arcades colunt: qui specillum inuenisse, primusq; vulnus obligauisse dicitur: Secundus secundi Mercurii frater: is fulmine percussus dicitur humatus esse Cynosuris: Tertius Arsippi filius & Arsinoæ, qui primus alii purgationem, dentisque euulsionem, vt ferunt, inuenit: cuius in Arcadia non longe à Lusio flumine sepulchrum & lucus

lucus ostenditur. Hunc lucum scribit Pausanias in Corinthiacis fuisse montibus vndique pręcinctum, in quo ambitu quenquam vel mori vel nasci religio fuit, sicuti in Delo insula. Enimuero pauca prorsus morborum remedia protulit in medium vel Æsculapius, vel eius filij: vel quia moderatior diæta non afferebat tantam morborum varietatem, vel quia res medica nondum satis validum ceperat incrementum. Nam ad Troiana vsq; tempora perexigua fuit medicorum peritia: quando vel Æsculapij filij Eurypylo vulnerato farinam & tritum caseum mulierē commiscentem, potumq; præbentem cum vino Pramnio, non reprehendunt, vt ait Plato in tertio de rep. dialogo: cum illa omnia maxime inflammare vulnus, at non sedare dolores vllo pacto possent. Fertur fuisse primus Herodicus palæstræ Magister, vt scripsit Panyasis, qui cum esset valetudinarius, se ipsum ad certam viuendi rationem accommodauit, adhibitisque, medicamentis medicæ artis dogmata inuenit, quibus & se, & alios postea diutius sustentauit. Obtinuit tamen postea consuetudo propter aliqua, vt arbitror, quæ feliciter illi obuenerunt, vt peritissimi medici, qualis fuit Hippocrates, Æsculapij dicti sint: vt testatur Zezes decimæ Chiliadis hist. 349. Fabulātur præterea Hippolytum ab equis laniatum Æsculapij arte reuixisse, quare fertur Iupiter iratus ob inuentam artem qua homines in vitam reuocari possent, repertorem artis fulmine confecisse, vt ait Virgil. lib. 4. in his:

*Namque ferunt fama Hyppolytum, postquam arte nouercæ*
*Occiderit, patriasque explerit sanguine pœnas,*
*Turbatis distractus equis: ad sidera rursus*
*Ætheria, & superius cæli venisse sub auras,*
*Pæonis reuocatum herbis, & amore Dianæ.*
*Tum pater omnipotens aliquem indignatus ab vmbris*
*Mortalem infernis ad lumina surgere vita,*
*Ipse repertorem medicinæ talis & artis*
*Fulmine Phœbigenam Stygias detrusit ad vndas.*

Fertur Apollo grauiter tulisse mortem filij, ac magnopere luxisse: cuius lacrymæ in electrum dicuntur fuisse conuersæ, vt testatus est Apollonius libro quarto Argonautic. his carminibus.

Κελτοὶ δ' ἐπὶ βάξιν ἔθεντο

ὡς ἄρ' Ἀπόλλων⊙ παῖδι δάκρυα Λητοΐδαο
ἐμφέρεται δίναις, ἅτε μυρία χεῦε πάροιθεν.

——— *Celtæ famam fecere, quod illic*
*Lotoidæ Phœbi lacrymæ voluuntur in imo*
*Flumine, quas multas in nati funere fudit.*

Epione dicitur Æsculapij fuisse vxor, cuius filius fuit Machaon vir, vt ferebant ea tempora, artis medicæ peritissimus, qui vna cum cæteris Græcis militauit ad Troiam, de quo ita meminit Homerus lib 4. Iliad.

Ταλθύβι', ὅττι τάχιστα Μαχάονα δεῦρο κάλεσσον
φῶτ', Ἀσκληπιοῦ υἱὸν ἀμύμονος ἰητῆρος.
*Talthybiades celeremque Machaona ducito nobis*
*Præstantis medici natum, huic Asclepius olim*
*Nam pater ipse fuit.*

Fuit etiam Podalirius Æsculapij & Epiones filius, fraterq; Machaonis, vt ait Pausanias in Messeniacis. atq; in Eliacis prioribus multas illi filias tribuit, inter quas Iaso & Hygiæa fuisse memorantur, vt ait Aratus præterea Orpheus in hymno quodam in Æsculapium, non filiam, sed vxorem fuisse Æsculapij censuit Hygæiam cum ita scribat:

Φοίβου Ἀπόλλωνος κρατερὸν θάλος, ἀγλαόμορφον,
ἐχθρὲ νόσων, Ὑγίειαν ἔχων σύλλεκτρον ἀμεμφῆ.
*Stirpi Phœbi præclara, thori cui splendida consors*
*Est Hygiea, grauis morborum pulsor & hostis.*

Celebrabantur ludi quinquennales in prædicto luco Æsculapij, die nono post Isthmios, ante Megarenses tamen, incipiêre vere, ijque apud Epidaurios, penes quos natus fuisse dicebatur, in Æsculapij honorem. Hunc Deum alij imberbem, alij barbatum putarunt Lucianus in Ioue tragœdo prægrandem barbam fuisse Æsculapio tradidit his verbis: ὥστε μὴ μειρακιεύου πρὸς ἡμᾶς, ἀλλὰ λέγε θαρρῶν ἤδη τὰ δοκοῦντα, μηδ' αἰδεσθῇς, εἰ ἀγένειος ὢν δημηγορεῖς, καὶ ταῦτα βαθυπώγωνα καὶ εὐγένειον οὕτως υἱὸν ἔχων τὸν Ἀσκληπιόν. *Quare ne te adolescentulum erga nos geras, sedquæ tibi videntur, ea loquere animo intrepido: nec verearé quod imberbis concionem habeas, cum habeas filium tam ingentis ac promissæ barbæ Æsculapium.* Pausanias tamen in Corinthiacis imberbis Æsculapij statuam erectam apud Phliasios fuisse inquit. Scripsit Lucianus in Icaromenippo celeberrimum templum Æsculapij fuisse Pergami, sicut Apollinis in Delphis. Ac

Strabo lib. 8. fanum fuisse Æsculapij: insigne scribit Tetrapoli, quæ ciuitas & Ionibus & Caribus habitabatur. Erat id templum multitudine ægrotantium & variis morbis laborantium plenum, & parietes pictis tabellis vbiq; tecti in quibus scripti erant morbi & nomina eorum qui se ab illo Deo sanatos fuisse credebant, sicut in Co insula & in Trica. Somniauerat enim insulsa antiquorum multitudo, quod si quis ex aliquo morbo conualuisset, cui contigisset Æsculapium inuocare, illud Æsculapij opera factum fuisset, pro qua re & tabellas appendebant parietibus templorum, & alia nuncupata vota persoluebant, tanquam præmia illorum beneficiorum quæ diuinitus accepissent. Huic Deo capram immolare in sacrificiis mos fuit à Cyrenaicis, vt ait Pausanias, & Didymus scripsit lib. 3. vel quia à capra nutritus fuisset, vel quia sanitati aduersarium animal capra videatur, cum laboret perpetua febre. Socrates tamen in Phædone Platonis se gallum debere Æsculapio medico inquit, cum gallus illi mactari consueuerit. Nam gallus gallinaceus etiam isti ob vigilantiam fuit sacratus. Habuit & hic Deus multa cognomina à locis, in quibus illi templa fuerũt dicata, vel ab alijs causis: vt Aulonius, Medicus Oncæata, Leuctricus, Cortynius, Corilæus, Agnitas, Boonera. Nam, vt ait Cicero lib. 2. de Legibus, Æsculapius, veluti Dij cæteri, propter beneficia quæ in genus humanum contulisse dicitur, fuit in Deorum numerum relatus: sic enim inquit; Diuos, & ollos qui cœlestes semper habiti, colunto: & ollos quos in cœlum merita vocauerint, Herculem, Liberum, Æsculapium, Castorem, Pollucem, Quirinum.

¶ Atq; hactenus ea explicata sunt, quæ de Æsculapio Apollinis filio fabulati sunt antiqui. nunc eorum sententiam ex his eliciamus. Dicitur fuisse Apollinis & Coronidis filius. Quid ita? aut quæ fuit Coronis Phlegyæ filia? Est n. Phlegyas calor Solis, vt nomẽ ipsum videtur significare: φλέγειν enim comburere est. Huius filia fuit Coronis, aeris temperamentũ scilicet, & vis illa aeris modice humectata quę Solis accipit salubrẽ impressionem. Nisi enim Solis calor aera purget ac rariorem faciat, & nisi vis quædã humoris in ipso aere relinquatur à calore, nulla esse potest salubritas. Cum igitur è calore & humore temperato illa nascatur, iure

dicta est Coronis quasi ἀπὸ τῦ κιρνάνναι. Æsculapiũ inquit Pausanias in Achaicis nihil esse aliud quam aera. Cuius fuit filia Hygæa: quæ nihil est aliud quam bona valetudo. Est siquidẽ aeris temperies non homini solum, sed cunctis animalibus, atque etiã plantis salubris. Iure optimo igitur antiqui Apollinem Æsculapei patrẽ finxerunt, atq; ipsum Æsculapium salubrem vim de Sole animis corporibusq; mortaliũ subuenientem, hoc est sanitatis artificẽ, quia Solis calor vniuersis elementis dominatur. Ex ipsa igitur vi Solis aer assiduae mouetur & generatur. quare Æsculapius Apollinis filius: quod quoniam fieri non potest nisi per quandã mistionem ipsius aeris, idcirco mater eius fit Coronis. Ex hoc aere ita affecto nascitur salubritas, quare illa dicta est Æsculapij fuisse filia, & is sanitatis artifex, medicinæq; inuentor. Dicuntur fuisse multæ filiæ Æsculapio præter prædictam, inter quas fuit etiam Iaso, quia multa commoda proueniunt mortalibus ex aeris temperamento, inter quæ facilitas est conualescẽdi & medendi. nã Iaso ἀπὸ τῦ ἰᾶσθαι à medendo scilicet dicta est. Hæc autẽ omnia Sol per anniuersarias sui cursus conuersiones, vicissitudinesq; frigoris & caloris, hanc ipsam inquam & salubritatem, & hæc commoda hominibus impertit: quare Titane quod oppidum fuit Sicyniorum, signum Æsculapij Apollinis filij salubritatis signum fuit vocatũ. Fuit Æsculapio dicatus draco, cuius baculũ duo amplectebãtur, quia Sol, è quo ipse nascitur, quasi senectutẽ deponẽs, incipit à principio arietis vires resumere, donec ad Cancrũ perueniat, atq; cum illo multa & herbarũ, & animaliũ genera vires resumunt. Huc accedit vis oculorum quæ maxime Soli cõuenit, quoniam ὄφις ab aspiciendo dicitur à Gręcis, quem modo draconem, modo serpentem vocamus. Sol enim cui ille dicatus est, omnia videre existimatus fuit, quæ non sola ratio fecit vt coruus illi sacer putetur, sed etiam illa, quod hæc auis sit auspicijs accommodata. nam non solum artis medendi peritus fuit Æsculapius, sed etiam diuinãdi: quæ ad medendi artem tamẽ pertinent, quoniam non solum præsentia, sed præterita etiam quæ acciderunt ægrotantibus, & quæ mox euentura sunt, debet laborantibus medicus prædicere, quæ res non mediocriter fidem medico comparat, & plurimum postea conferet vniuerso negocio, vt ait Hippocrates. Hinc effe-

ctum

ctum est vt illi etiam gallum attribuerint ob vigilantiã, vel potius ob diligentiam erga aliquo morbo laborãtes. baculus erat eius gestamen cum serpente inuoluto, quia medicina sit quasi fulcimentum humanæ vitæ sensim labantis; atque anguis multis remedijs sit accommodatus. Hæc ea sunt quæ de Æsculapio memoriæ prodita sunt ab antiquis, quæ partim physice, partim historice sunt intelligenda. Quidquid enim de Dijs finxerunt antiqui, id habuit historia tanquam suarum narrationum fundamentum.

¶ Non defuerunt qui locum datum fuisse fabulæ de Æsculapio tradiderint, quod mortuos ab inferis reuocaret, quia nonnullos quorum cõclamata esset spes vitæ, sanitati restituerit per vim medicamentorum: vnde fabulati sunt antiqui Plutonem apud Iouem conquestum fuisse, quod suum imperium Æsculapius exinaniret. Idcirco fulmine percussum fuisse à Ioue inquiunt, quod accidit paulo ante Troiana tempora. Verum de Æsculapio satis, nunc de Chirone eius magistro dicamus.

## *De Chirone.* CAP. XII.

CHIRONEM Æsculapij magistrum alij ex aliis parentibus natum esse tradiderunt. Ouid. lib. 6. Metamorphoseωn Saturni filium putauit, vt est in hoc versu;

*Vt Saturnus equo geminum Chirona creauit.*

Hunc Apollonius libro primo Argonauticωn, Philyræ filium fuisse dixit in his:

αὐτὰρ ὅγ᾽ ἐξ ὑπάτου ὄρεος κίεν ἄγχι θαλάσσης
χείρων φιλλυρίδης,
*Ad mare descendit montis de parte suprema*
*Chiron Phillyrides.*

Nam fama est Saturnum Philyram Oceani filiam in insula Philyreide compressisse, qui veritus ne à Rhea superueniẽte in adulterio deprehenderetur, sese in equũ mutauit è quo concubitu natus est Chiron ab vmbilico superiores partes corporis habens hominis, inferiores equi, vt testatur Apollonius lib. 2. his carminibus:

νυκτὶ δ᾽ ἐπιπλομένῃ φιλυρηίδα νῆσον ἄμειβον·
ἔνθα μὲν Οὐρανίδης Φιλύρῃ Κρόνος, εὖτ᾽ ἐν Ὀλύμπῳ
Τιτήνων ἤνασσεν, ὁ δὲ Κρηταῖον ὑπ᾽ ἄντρον
Ζεὺς ἔτι Κυρήτεσι μετετρέφετ᾽ Ἰδαίοισιν.

Ρ'είην ἐξαπίφων παρελίξατο. τοὺς δ' ἐνὶ λέκτροις
Τέτμε θεὰ μιασηγύς. ὁ δ' ἐξ εὐνῆς ἀνορούσας
ἔσσυτο χαιτήεντα φυὴν ἐναλίγκιος ἵππῳ.
ἡ δ' αἰδοιχώον τε καὶ ἤθεα κεῖνα λιποῦσα
Ω'κεανὶς Φιλύρη, εἰς οὔρεα μακρὰ Πελασγῶν
ἦλθ', ἵνα δὴ Χείρωνα πελώριον, ἄλλα μὲν ἵππῳ,
ἄλλα θεῷ ἀτάλαντον, ἀμοιβαίη τέκεν εὐνῇ.

*Æquora sulcantes adeunte Phi'yreida tandem,*
*Huc, vbi cælestis Saturnus, cum puer esset*
*Iupiter, Idæis & nutriretur in antris*
*Cur.tes inter, regeret Titanas at ipse,*
*Congressus Philyræ est formosæ. Sed Rhea nullo est*
*Capta dolo: in lecto hos ambos inuenit, vt ille*
*Diffusis ceruice iubis hinniuit equinis.*
*Ipsa pudore locum, montes, collesque reliquit*
*Oceani Philyra ac montes petit inde Pelasgos.*
*Hic Chirona parit, cuius pars altera Diuis*
*Persimilis fit equus rursus pars altera turpis.*

Suidas tamen Chironem vna cum reliquis Centauris Ixionis filium fuisse censuit. Hic vxorem habuisse Chariclo memoratur Apollinis filiam, vel Oceani vel Persæ, sicut alij maluerunt, quæ accedentibus ad littus Argonautis, in quo habitabat Chiron, vna cum Chirone Achillem, quem educandum & erudiendum acceperat, vt ait Pausanias in Laconicis, secum attulit, vt scribit Apollonius in primo Argonauticorum:

σὺν καί οἱ παράκοιτις ἐπωλένιον φορέουσα
Πηλείδην Α'χιλῆα, φίλῳ δ' ἐδείσκετο πατρί.

*Peliden vxor paruum portabat in vlnis*
*Dulce onus, id charo properans ostendere patri.*

Memoriæ prodidit Staphylus in lib. de Thessalia, quod Chiron astrologiæ peritissimus, ac vir sapientissimus fuit, qui cum vellet Peleum esse virum celeberrimum, Actoris Myrmidonis filiam ad se aduocauit, famamque dissipandam dixit, quod Peleus Æaci & nymphæ Daidis filius ac Telamonis & Phoci frater, Thetidem Ioue ita concedente vxorem esset ducturus, ad quas nuptias Dij cum ingentibus imbribus & tempestate accedent. Ea cum dixisset, tempus obseruauit, in quo multæ fierent pluuiæ ac venti de cœlo: quo etiam tempore Peleo Philomelam dedit,

atque

atque inde fama increbuit, quod Peleus Thetidem duxerit. Quamuis scribit Dialochus ac Perecides, quod Peleus posteaquam purgatus fuit à fratris Phoci cæde, quem disco percussit cum exerceretur, ab Euryto actoris filio, eius filiã Antigonen, at non Thetidem vxorẽ duxit. Alij dicunt Antigonen prius nupsisse Peleo, deinde illa mortua ductam fuisse Thetidem. Deinde cum adoleuisset Chiron, in syluas abiisse dicitur, viresque herbarum primus obseruasse: qui etiam ob peritiam postea chirurgiæ, & ob leuitatem manuum in tractandis vulneribus, Chiron fuit nominatus. Est enim maximum peritiæ fere argumentum in dignoscendis chirurgis, si manus habeant leuissimas in vulneribus tractandis. Habuit Chiron è Chariclo nympha Ocyrhoen filiam, quę ita fuit appellata, quia ad ripas fluminis celerrimi nata sit, vt testatur Ouidius lib.2. Metamorphoseωn.

*Ecce venit rutilis humero protecta capillis*
*Filia centauri: quam quondam nympha Cariclo*
*Fluminis in rapidi ripis enixa vocauit* *Ocyrhoen*

Habuit & Endeidem è Philyra vxore. suscepit præterea Caryclum è Pisidice nympha. Fertur idem Chiron cum primum se in syluas contulisset, fuisse à Diana venandi rationem edoctus, vt nos in lib.4. Venationum nostrarum scripsimus:

*Quis primus tulit ista viris: hominumne, Deumne*
*Ingeniis inuenta? dedit quis commoda tanta?*
*Delia Phillyriden primum Chirona fugaces*
*In sparsos per rura greges syluaque vagantes*
*Armauit, fecitque vias in commoda tanta.*
*Salue magne parens, venandi magne repertor,*
*Herbarum, citharæque potens, cœlique perite.*

Nam præter cognitionem herbarum, rerumq; cœlestium fertur Chiron mirifice fuisse citharæ pulsandæ peritus. qua etiã ratione nõnullos morbos sedauit, vt ait Staphylus Lib. 3. rerum Thessalicarũ, & Boetius in Musica. Ab hoc Hercules astrologiam percepisse dicitur, vt suo loco dicemus. Cũ postea Herculis sagittas veneno Lerneæ hydræ plitas Chiron sequentibus temporibus tractasset, in alterũ pedem eius vnã illarum cecidisse affirmant: qui dolore vulneris diu discruciatus, cum natus esset ex immortali patre, mori non poterat, quare Deos precatus est, vt sibi mortali esse liceret,

vt testatus est Acusilaus, & Cratinus, qui huius argumenti actum composuit. Id vero cum Iouis misericordia obtinuisset inter sidera relatus fuit, vt testatur Hyginius in lib. de Stellis. Illud autem ita futurum esse vaticinata patri suo fuerat Ocyrhoe, vt est in his apud Ouid. quamuis eum mortuum fuisse dicat:

*Tu quoque chare pater nunc immortalis, & æuis*
*Omnibus vt maneas nascendi lege creatus,*
*Posse mori cupies tum, cum cruciabere dira*
*Sanguine serpentis per saucia membra recepto,*
*Teque ex æterno patientem numina Mortis*
*Efficient triplicesque Deæ tua fila resoluent.*

Conuersus est igitur Chiron in signum illud cœleste, quod nunc etiã à sagitta illa nomẽ retinet, atque ita formatur vt videatur sagittam è vulnere extractam ostẽtare. Cum vero eximie fuisset pius & Deorum immortalium cultor, fertur illa ara ante oculos collocata inter sidera, qua eius religio & pietas in perpetuũ demonstretur. At Mnesagaros nõ vulneratũ fuisse, sed longioris vitæ pertæsum censuit mortem à Dijs immortalibus precatum fuisse: quare etiã Theocritus in Thalasia illum senem ac longæuum nominat in his:

ἆρά γέ πα τοιόνδε Φόλω κατὰ λάινον ἄντρον
κρητῆρ᾽ Ἡρακλῆι γέρων ἐστάσατο Χείρων;
*Talia nonne Pholi saxoso rupis in antro*
*Alcidæ statuit longæuus pocula Chiron?*

Atque hæc ea sunt quæ de Chirone ab antiquis scriptoribus tradita sunt: nunc vnde deducta fuerint, perquiramus. Dicitur Chiron Saturni & Philyræ filius, quia cum artis medẽdi & chirurgiæ peritiam inuenisse putetur, illa cognitio è tempore & experientia nata fuerit. Est enim φίλη amica, πεῖρα vero expetientia: quare inuentionis chirurgię mater φίλυρα, quasi φίλπειρα dicta est. Nam si à πείρας dictione prima litera abijciatur, id nomen existet. Nam prior fuit empirica quam theorica medicina. Eius filia fuit Ocyrhoe quoniam hęc ars necessario viam aperit corruptis humoribus: qui quo citius & commodius defluxerint, eo citius vulnus sanari potest. Atque vt summatim dicã vniuersum fere chirurgiæ negocium inscite eliciendis malis humoribus consistit: qua in re primum est, vt per diætam, & viuendi moderationem quam maxime vacuum his humoribus

tibus corpus habeamus, quod quanto magis expurgatum fuerit, quasi faciliorem vitæ nostræ decursum transibimus: proximum vero vt male affecto corpori facilis exitus malis humoribus pateat. Fuit Chiron altera parte homo, altera equus: quia idem chirurgiæ beneficium non ad homines solum, sed etiam ad alia animalia, & ad vsum iumentorum extenderat. Hunc ex immortalibus parentibus natum esse dixerunt, quia infinita prope videatur illa cognitio, quæ nunquam satis percepta aut absoluta ab humanis ingeniis fuerit. Fabulati sunt post longum annorum numerum à Ioue hunc impetrasse vt aliquãdo mori posset, quia sæpius rerum omnium scientiæ & cognitiones sint per temporum vicissitudines immutatæ, quæ cum ad summum exercuerunt, mox, vt res cæteræ humanæ, decrescunt & relabũtur. Dicitur inter sidera Chiron fuisse relatus, non solum quia hominibus de reliquis benemeritis aræ erigerentur ab antiquis, quos inter Deos, aut inter sidera collocabant: sed etiam quia per hæc hominum religionem & pietatem à Deo non negligi volebant ostendere, vt cæteros homines ad probitatem hortarentur, cum viri boni & integri calamitates tandem Deus leuet, & pro iis magnam ac perpetuam fœlicitatem & gloriam denique largiatur. Non defuerunt tamen qui Æsculapium paternis inuentis chirurgiam addidisse putarint, & radicum quarundam herbarum cognitionem, & mistiones pharmacorum, qui eo rem medicam deduxit, vt princeps & inuentor & Deus medicinæ creditus sit. At de Chirone satis, nunc de Venere rerum omnium parente dicatur.

## *De Venere.* CAP. XIII.

VEnerem illam, quam vulgus mortalium, deliciarum, voluptatumque omnium, & blanditiarum, & elegantiæ Deam esse putauit, natam esse fabulantur è Cœli genitalibus partibus à Saturno cæsis, & in mare proiectis, sine matre, ex illa spuma scilicet, quæ ex illarum iactu in summa aquæ parte exorta est. Hanc, ne furere turpiter, & iumentorum in molem libidine agitari viderentur homines, vna cũ filio Cupidine introduxerunt, & pro Diis coluerunt: quorum in potestate esse dixerunt omnia commoda ad libidinem spectantia largiri. Nam si de medio Veneris & Cupidinis nomina tollantur: aut, si non Dei, sed desideria &

impetus naturæ, illi esse credantur, vt re ipsa sunt, quid reliquum erit nisi fœdissimum & turpissimum libidinis, effrenatæque lasciuiæ nomen? fecit igitur apud imperitos homines horum nominum creditorum Deorum inuentio, vt minus turpe facinus coitus, & animalium coniunctio putaretur. Hæc res sane vt necessaria prope est animalibus, ita frequens & immoderatus eius vsus in multa adducit illegitima, corpusque & animum labefactat. quare vt honestior culpa libidinosorum videatur, & currus triumphantium, & castra, & insignia Veneri & Cupidini tribuerunt. Verum quod turpe est, cum nullo nomine fieri honestum possit, nos libidinum furorem impuris hominibus, & immundis suibus, ac equis relinquentes, quæ de Venere fabulosa dicta sunt ab antiquis inuestigemus. Tibullus lib. 1. Elegiarum hanc è spuma maris & sanguine Cœli, vt dictum est, natam arbitratur in his:

*Nam fuerit quicunque loquax, is sanguine natam,*
*Is Venerem è rapido sentiet esse mari.*

Sic etiam Musæus in Leandro:

ἀγνώσσεις ὅτι Κύπρις ἀπὸ πόντου ἐστὶ θαλάσσης;
καὶ κρατέει πόντοιο, καὶ ἡμετέρων ὀδυνάων.
*An nescis Venus orta maris de semine quod sit?*
*Imperat hæc vndis, nostrisque doloribus vna.*

Cum nuper nata fuisset Venus, hanc ex vndis maris egredientē ambabus manib. è capillis & è facie aquā marinam expressisse inquiunt: quare omniū pictorū facile princeps Apelles Cous celeberrimam illam Venerem emergentem, quæ diuinum prope opus creditum fuit, pinxit. cuius mirabilitatem & præstantiam ita expressit Sidonius Antipater:

τὰν ἀναδυομένην ἀπὸ ματέρος ἄρτι θαλάσσας
Κύπριν Ἀπελλείου μόχθον ὅρα γραφίδος.
ὡς χερὶ συμμάρψασα διάβροχον ὕδατι χαίταν,
ἐκθλίβει νοτερῶν ἀφρὸν ἀπὸ πλοκάμων.
αὐταὶ νῦν ἐρέουσιν Ἀθηναίη, καὶ Ἥρα,
οὐκέτι σοὶ μορφᾶς εἰς ἔριν ἐρχόμεθα.

*Egressam nuper Venerem de marmoris vndis*
*Aspice, præclari nobile Apellis opus.*
*Exprimit æquoream manibus de crinibus vndam,*
*E longis spumas exprimit illa comis*
*Hac visa Pallas sic cum Iunone locuta est:*

*De forma Veneri cedere iure decet.*

Fertur in concha margaritarum feraci fuisse concepta, in qua etiam nauigauit in Cyprum. quare cum de formosa muliere loqueretur Venus apud Papinium, illam dignam esse inquit quæ sua esset soror, & in eadem concha nauigaret, vt patet ex his carminibus:

*Hac & cæruleis mecum consurgere digna*
*Fluctibus, & nostra potuit considere concha.*

Hanc vero fuisse ab Horis educandam susceptam, postquã in Cyprum super vndis à Zephyro fuit delata, testatur Homerus in hymno quodam in Venerem his carminibus:

αἰδοίην χρυσοστέφανον καλὴν Ἀφροδίτην
ἄσομαι. ἣ πάσης Κύπρου κρήδεμνα λέλογχεν
εἰναλίης: ὅθι μιν Ζεφύρου μένος ὑγρὸν ἀέντος
ἤνεικεν κατὰ κῦμα πολυφλοίσβοιο θαλάσσης,
ἀφρῷ ἐνὶ μαλακῷ. τὴν δὲ χρυσάμπυκες Ὧραι
δέξαντ' ἀσπασίως, περὶ δ' ἄμβροτα εἵματα ἕσσαν.

*Formosam canto Venerem, cui tempora sertis*
*Aureis cinguntur, cui Cypri terra marina*
*Florida paret, eam Zephyrus quod dulcis & aura*
*In molli spuma pepulit super æquoris vnda.*
*Molliter hanc Horæ ceperunt, vestibus illam*
*Diuinis texere: quibus nodantur in aurum*
*Crines, reticulumq; legit capitis decus ingens.*

Hic enim poëta nõ in concha, sed vna cum spuma delatam fuisse in Cyprũ sensit. Dicta fuit postea ab ipsa Cyprus, & Venus Cypria vel quia in vtero ferre præbeat, quod dicũt Græci κύειν πορεῖν; quippe cũ Cyprus, antequã Venus eo appulisset, diceretur Sphecia ab habitantib. ibi populis Sphecibus vocatis vt scripsit Philostephanus in reb. Cypriis. Deinde dicta Cerastia, vt inquit Xenagoras in lib. 2. de insulis, quod illam homines habitarent, qui multos tumores, tanquam cornua quædã in capitibus habere viderentur, cum cornua κέρατα dicta sint à Græcis, κεραστοὶ cornuti. alii voluerunt illa insulã vocatam fuisse Macariam quasi beatam ob fertilitatem: at postquã Venus illuc appulit, vocata fuit Cyprus. Huic ipsi Deæ fuit cõcha q. vocabatur lingua cõsecrata & cõchæ Cytheriacæ: quia illa Venerẽ excitet, hæ quia pertinent ad mundũ muliebrẽ: Scriptũ reliquit Cicero lib. 2. de Natura Deorũ ita, & plures Veneres fuisse, & illas è diuersis

parentibus fuisse ortas: Venus prima Cœlo & Die nata: cuius Elide delubrum videmus. Altera, spuma procreata, ex qua & Mercurio Cupidinem secundum natum accipimus. Tertia, Ioue nata & Dione, quæ nupsit Vulcano. Sed ex ea & Marte natus Anteros dicitur. Veneres tres fuisse scripsit Pausan. in Bœoticis, quarum vna Cœlestis, altera Popularis, altera Apostraphia dicta est At diuinus Plato in Conuiuio duas esse Veneres & duos Cupidines inquit in his: *πάντες γὰρ ἴσμεν, ὅτι οὐκ ἔστιν ἄνευ Ἔρωτος Ἀφροδίτη. μιᾶς μὲν οὖν οὔσης, εἷς ἂν ἦν Ἔρως. ἐπεὶ δὲ δύο ἐστόν, δύο ἀνάγκη καὶ Ἔρωτε εἶναι. πῶς δ' οὐ δύο τὼ θεά; ἡ μέν γέ που πρεσβυτέρα καὶ ἀμήτωρ, Οὐρανοῦ θυγάτηρ, ἣν δὴ καὶ Οὐρανίαν ἐπονομάζομεν· ἡ δὲ νεωτέρα, Διὸς καὶ Διώνης, ἣν δὴ Πάνδημον καλοῦμεν.* *Omnes enim scimus quod nulla est Venus sine cupidine: quæ si vna sit, vnus erit etiam Cupido. At cum sint duæ, binos esse Cupidines necesse est. At quo pacto non duæ sint Deæ? altera siquidem antiquior & sine matre Cœli filia existit, quam Cœlestem nominamus: altera iunior, Iouis & Diones, quam vocamus popularem.* At Orpheus tamen in hymnis eandem & Cœlestem, & maris filiam nominauit in his:

> *Οὐρανία πολύυμνε φιλομμειδὴς Ἀφροδίτη.*
> *ποντογενὴς γενέτειρα θεά.*
> *Cœlestis, genus rixæq; sono i filia Ponti,*
> *Lætitiaq; nitens Venus.*

Hanc alii nominatã fuisse putarunt à spuma, cũ *ἀφρὸς* spuma sit apud Græcos dicta: alii ab Aprile mẽse, quod eo mẽse nata fuerit, vt testari videtur Horat. in quarto Carminũ:

> *Vt tamen noris quibus aduoceris*
> *Gaudiis, id us tibi sunt agenda,*
> *Qui dies mensem Veneris marinæ*
> *Findit Aprilem.*

Ferunt eam perpulchris vestib. ornatam in cœlum ab Horis ductum postea fuisse, cuius Dii omnes dextram complexi sunt, ac singuli vxorem sibi dari ob formæ præstantiam cupierunt, vt ait Hom. in hymn. cum igitur hanc Diones filiam esse dixerit Theocritus in Syracusiis hoc pacto:

> *Κύπρι Διωναία, τὺ μὲν ἀθανάταν ἀπὸ θνατῶν*
> *ἀνθρώπων, ὡς μῦθος, ἐποίησας Βερενίκαν:*
> *Nunquam posse mori mortalem tum Beronicen,*
> *Fabula vt est, olim dederas Venus orta Dione:*

Sic

Sic Virg. illam Iouis filiam dixit:

*Illi subridens hominum sator, atq; Deorum,*
*Vultu quo cœlum, tempestatesq; serenat,*
*Oscula libauit natæ: dehinc talia fatur:*
*Parce metu Cytherea.*

At Epimenides Cretẽsis Saturni & Euonymes filiam fuisse Venerem ita inquit:

γήματο δ' Εὐονύμην θαλερὰν Κρόνος ἀγκυλομήτης·
ἐκ τοῦ καλλίκομος φύετο χρυσῆ Ἀφροδίτη.
*Euonymen teneram Saturnus duxit, ab illa*
*Nascitur alma Venus sparsis per colla capillis.*

Communior tamen sententia fuit, quod è mari & è spuma nata fuerit, quodque ad Cytherum mõtem primum appulerit, atq; inde in Cyprum, sub cuius pedibus flores oriebãtur, vnde dicta fuit Cytherea, vt testatur Hesiodus pluribus verbis in Theogonia. Verum de prima Venere Cœli ac Diei filia nulla est prope mentio apud antiquos scriptores: at de posteriore nulla habita generis differentia permulta scripserunt poëtæ. Enimuero cum è mari nata putaretur inter sidera vel Deos nautis salubres, ita numeratur ab Horatio;

*Sic te diua potens Cypri,*
*Sic fratris Helenæ lucida sidera,*
*Ventorumq; regat pater.*

Huius Deæ armiger Bacchus fuisse dicitur. Hanc primam artem meretriciam exercuisse & inuenisse inquiunt, quare amantium Dea credita est. Numeratur hæc eadem inter Deos nuptiis præfectos, vt ait Pauf. in Messeniacis, & Plut. in problematibus, qui præfectos esse nuptiis Iouem adultum inquit, Iunonem adultam, Venerem, & Suadelam, & Dianam hæc eadem quia ridens, vt ait Hesiodus, nata est, lætitiæ omnis & risus amica, quibus amor conciliatur & delectatur, credita fuit, vt innuit in his Horatius;

*Siue tu mauis Erycina ridens,*
*Quam Iocus circumuolat, & Cupido.*

Quare effectum est, vt φιλομειδὴς fuerit à poëtis sæpius nominata. Atque cum certa munia sint Diis singulis, certaque officia concessa, merito à Ioue reprehenditur cum vulnerata fuisset in Martis officium irrumpere ausa, hortaturque illam Iupiter matrimonia curare, vt est apud Homerum in libro quarto Iliadis.

*καί ῥα καλεσσαμένη προσέφη χρυσῆν Ἀφροδίτην.*
*οὔτι τέκνον ἐμὸν δέδοται πολεμήια ἔργα.*
*ἀλλὰ σύγ' ἱμερόεντα μετέρχεο ἔργα γάμοιο.*
*ταῦτα δ' Ἄρεϊ θοῷ καὶ Ἀθήνῃ πάντα μελήσει.*
*Tum Venerem alloquitur, tum soluit talibus ora:*
*Filia, non ars est tibi bellica tradita sed tu*
*Virgineas rixas, sed tu connubia cura.*
*Hæc Mars, hæc teneat communia munera Pallas.*

Cum his præesset muneribus Venus, illi merito baltheum iniunxerunt, siue cestum discolorem, in quo suauitas, & dulcia colloquia, & beneuolentia, & blanditiæ, suasiones, fraudes, veneficiaq; includebantur, de quo ita scripsit Homerus Iliad. ξ.

*ἦ καὶ ἀπὸ στήθεσφιν ἐλύσατο κεστὸν ἱμάντα,*
*ποικίλον· ἔνθα δέ οἱ θελκτήρια πάντα τέτυκτο·*
*ἔνθ' ἔνι μὲν φιλότης, ἐν δ' ἵμερος, ἐν δ' ὀαριστὺς,*
*πάρφασις, ἥ τ' ἔκλεψε νόον πύκα περ φρονεόντων.*
*Sic ait, & lorum cesti de pectore soluit:*
*In quo blanditiæ plures mortalia corda*
*Mulcentes inerant sermo iucundus, amores,*
*Gratia, quæ mentem falsam dulcedine fucant.*

Scriptum est ab Herodoto in Melpomene Enaries & Androgynos populos dicere solitos se per virgas saligñas vaticinandi artem à Venere accepisse, vt est in his: οἱ δὲ Ἐνάρεες καὶ οἱ Ἀνδρόγυνοι, τὴν Ἀφροδίτην σφίσι λέγουσι μαντικὴν δοῦναι. *Fatentur Enaries & Androgyni Venerem sibi artem vaticinandi tradidisse.* Hæc Dea cum amores blanditiasque curaret, ita blanda fuisse dicitur, vt vel iuramenta eorum qui per ipsam peierassent, riderent; vt asserit Tibullus in primo Elegiarum hoc pacto:

*Nec iurare time: Veneris periuria venti*
*Irrita per terras & freta longa ferunt.*

Hanc Deam finxerunt antiqui in curru vehi, quem à cygnis trahi autumarunt, vt ait Ouid. lib. 10. Metamor. his verb.

*Vecta leui curru medias Cytherea per auras*
*Cypron olorinis nondum peruenerat alis.*

Idem postea poëta lib. 15. eiusdem operis illum à columbis trahi inquit in his:

*Perq; leues auras iunctis inuecta columbis*
*Littus adit Laurens.*

Sappho

Sappho tamen eius currum à passeribus salacissimis auibus trahi finxit. alii putarunt passeres esse Veneri consecratos: quia στρουθοὶ vocantur, quo nomine aliquando membrū virile vocatum fuit, vt testatus est Pherecydes. Hanc Deam finxerunt rosea corona insigniri, quam de suo sanguine colorem accepisse fabulati sunt. Tribuerunt illi sagittas præterea, vt significauit Euripides in Medea his carminibus:

*μή ποτ' ὦ δέσποιν' ἐπ' ἐμοὶ*
*χρυσέων τόξων ἐφίης,*
*ἱμέρῳ χρίσασ' ἄφυκτον οἰστόν.*
*Nunquam regina mihi*
*Ab aureo arcu dimittas*
*Dulcedine vngens certam sagittam.*

Et Iulianus Ægyptius in his:

*αἰεὶ μὲν Κυθέρεια φέρειν δεδάηκε φαρέτρην*
*τόξα τε καὶ δολιχῆς ἔργον ἑκηβολίης.*
*Vsque Venus plenam didicit portare pharetram*
*Atque arcus, longe spicula quæ feriunt.*

Atque cum variæ essent Veneres, varii fuerunt illarum cultus, & ritus sacrorum: nam Veneri illi quæ cœlestis dicta est, vinum offerre in sacrificiis minime licuit, vt testatur Polemo in illo libro quem scripsit ad Timæum his verbis: Ἀθηναῖοι τε γὰρ ἐν τοῖς τοιούτοις ἐπιμελεῖς ὄντες; καὶ τὰ περὶ τοὺς θεοὺς ὅσιοι, νηφάλια μὲν ἱερὰ θύουσι, Μνημοσύνῃ, ἠοῖ, Ἡλίῳ. Σελήνῃ, Νύμφαις, Ἀφροδίτῃ οὐρανίᾳ. *Athenienses harum rerum obseruandarum studiosi, & in sacrificiis Deorum faciendis diligentes ac pii, Nephalia sacra faciunt Mnemosynæ, Musis, Auroræ, Soli, Lunæ, Nymphis, Veneri cœlesti.* quamuis Pythium oraculum postea iussit mel atque liquentia vina, vt dictum est, Nymphis offerre. vocata sunt Nephalia illa sacra à sobrietate, quoniam vinum omnis prope intemperantiæ fundamentum in illis nesciretur. tum ligna quoque illa Nephalia dicta sunt, vt sensit Philochorus, quæ neque è genere ficuum, neque vitium essent, neque mori quæ in sacrificiis Deorum vterentur. Lucianus in Dialogis meretriciis videtur aliam Cœlestem putasse Venerem, aliam Popularem: quam publicam vocauit, aliam Hortensem, atque Publicæ capram candidam mactari significat, Hortensi & Cœlesti iuuencam. Alii tamen putarunt iuuencam Mineruæ mactari oportere, quod illi esset sacra, vt fuit agnus Iunoni,

Isidi anser, Veneri columba, vt ait in libro de Diis Apollodorus. Sed Strabo libro nono sues etiam admissos aliquando fuisse ad Veneris sacrificia scribit, quod eius victimæ morte lætaretur ob cędem Adonis, quamuis aliquando lacte, melle, ac vino tantum litabatur. Quod alius esset ritus popularis Veneris, alius cœlestis, testatus est Pausanias in Atticis, qui etiam primum Theseum popularis Veneris & Suadelæ cultum apud Athenienses induxisse refert. Dicta est Venus à Latinis quod ad omnia veniat, vt ait Cicero in secundo de Natura Deorum: Quæ autem Dea ad res omnes veniret, Venerem nostri nominarunt. Maximam eius potestatem fuisse significauit Sophocles ita in Trachiniis, cum semper victoriam reportet:

*μέγα τι σθένος ἁ*
*Κύπρις, ἐκφέρεται νίκας ἀεί.*
*Magnum quoddam robur*
*Venus refert victorias semper.*

Idcirco præclare Leonidas inquit in armatam Venerem frustra illam armari in homines, cum vel Martem ipsum bellorum Deum nuda vicerit, hoc pacto:

*Ἄρεος ἔντεα ταῦτα τίνος χάριν ὦ Κυθέρεια*
*ἐνδέδυσαι, κενεὸν τοῦτο φέρουσα βάρος,*
*αὐτὸν Ἄρη γυμνὴ γὰρ ἀφώπλισας. εἰ δὲ λέλειπται*
*καὶ θεὸς, ἀνθρώποις, ὅπλα μάτην ἐπάγεις.*
*Hæc Martis sunt arma, Venus cur cingeris istis:*
*Cur Cytherea geris tam graue pondus iners*
*Mars est à nuda victus, cum cesserit ipse*
*Vel Deus, hæc frustra num geris arma viris?*

Tantæ vero eius vires dicũtur esse, vt nullus prope sit Deorum, qui Veneris imperio non cesserit; quæ cœlo, & terris, & omnibus elementis credita est dominari. quare omnia ab illa produci scripsit Euripid. in Coronifero Hippolyto, omniaque illius imperio parere, vt est in his carminibus:

*Κύπρις γὰρ οὐ φορητὸς, ἢν πολλὴ ῥυῇ.*
*ἣ τὸν μὲν εἴκονθ' ἡσυχῇ μετέρχεται.*
*ὃν δ' ἂν περισσὸν καὶ φρονοῦνθ' εὕρῃ μέγα,*
*τοῦτον λαβοῦσα, πῶς δοκεῖς καθύβρισε!*
*φοιτᾷ δ' ἀν' αἰθέρ'. ἔστι δ' ἐν θαλασσίῳ*
*κλύδωνι Κύπρις. πάντα δ' ἐκ ταύτης ἔφυ;*
*ἥδ' ἐστὶν ἡ σπείρουσα καὶ διδοῦσ' ἔρον,*

οὗ πάν-

ὦ παύτες ἐσμὲν οἱ κατὰ χθόν' ἔγγονοι.
*Non est Venus ferenda, si multa affluat.*
*Cedentibus quæ fit benigna, quæ leuis.*
*At si superbum reperit quem, quo putas*
*Tractauit illum more, quaue iniuria?*
*Percurrit æthera illa, rursus in maris*
*Vndis pererrat: inde nata cuncta sunt.*
*Hæc vna Amorem seminauit, hæc dedit,*
*E cuius orti semine omnes adsumus.*

Idcirco Hom. in hymno in Venerem omnes feras, & volucres, & animalia, & omnes denique Deos illius ductu gubernari & frænari inquit in his carminibus:

μοῦσά μοι ἔννεπε ἔργα πολυχρύσου Ἀφροδίτης
Κύπριδος, ἥ τε θεοῖσιν ἐπὶ γλυκὺν ἵμερον ὦρσε,
καί τ' ἐδαμάσσατο φῦλα καταθνητῶν ἀνθρώπων,
οἰωνούς τε διϊπετέας καὶ θηρία πάντα,
ἠμὲν ὅσ' ἤπειρος πολλὰ τρέφει, ἠδ' ὅσα πόντος.
*Musa refer Veneris formosæ munia, Diuis*
*Quæ superis olim teneros immisit amores,*
*Quæ genus humanum domuit, pictasque volucres,*
*Atque feras omnes, quæ pascunt æquora ponti,*
*Quæque errant campis, quæ latis fluctibus errant.*

Hanc vel Ioue ipso potentiorem esse scribit Theocritus in Europa in his verbis:

θυμὸν ἀναίστοισιν ὑποδμηθεὶς βελέεσσι
Κύπριδος, ἣ μούνη δύναται καὶ Ζῆνα δαμάσσαι.
*Perdomitus Veneris iaculis, leuibusue sagittis,*
*Quæ domuisse Iouem valet vna, Deosque supernos.*

Hanc vnam denique mundum procreasse, & procreatum nutrire & conseruare crediderunt: quem nullo pacto sine Veneris opera existimarunt coagmentari potuisse, vt ait Orpheus:

πάντα γὰρ ἐκ σέθεν ἐστίν, ὑπεζεύξαο δὲ κόσμον,
καὶ κρατέεις τρισσῶν Μοιρῶν, γεννᾷς δὲ τὰ πάντα,
ὅσσα τ' ἐν οὐρανῷ ἐστι καὶ ἐν γαίῃ πολυκάρπῳ,
ἐν πόντῳ τε βυθῷ τε.
*Omnia iunxisti, per te stant pondera mundi,*
*Imperitasque tribus parcis atque omnia gignis,*
*Quæ mare, quæ cœlum late terramque pererrant.*

Fabulantur poetæ Venerem Adonis desiderio captā fuisse,

qui natus fuerat Rege Cinyra & Myrrha eius filia, qui pastor fuit, vt testatur Virgilius in Gallo. Enimuero postea Martis inuidia ab apro immisso cæsus est, vt ait Ouidius lib. 10. Metamorph. cum iuuenis esset & prævalidus, plurimum Venus delectabatur, quare eius mortẽ grauissime tulit, vt ait Theocritus in Epitaphio Adonidis, neque vllam tamen de illo stirpem suscepit. cum Anchise congressa Æneam peperit, quem alij dicunt libertatem à Græcis post captam Troiam obtinuisse, & facultatem quidquid vellet efferendi, qui patrem, vxorem, filium, Deos penates capiẽs Atho montem conscendit, ibique vrbem cõdidit, quam de suo nomine Æneadem appellauit. Alij dicunt Æneam captiuum vna cum Andromache datum fuisse Neoptolemo Achillis filio, & in patriam Achillis Thessaliam deportatum, vt scriptum fuit his carminibus ab illo Lesche qui paruam Iliadem composuit.

*αὐτὰρ Ἀχιλῆος μεγαθύμου φαίδιμος υἱὸς*
*Ἑκτορέην ἄλοχον κάταγεν κοίλας ἐπὶ νῆας.*
*παῖδα δ' ἑλὼν ἐκ κόλπου ἐϋπλοκάμοιο τιθήνης,*
*ῥῖψε ποδὸς τεταγὼν ἀπὸ πύργου. τὸν δὲ πεσόντα*
*ἔλλαβε πορφύρεος θάνατος, καὶ μοῖρα κραταιή.*
*ἐκ δ' ἕλετ' Ἀνδρομάχην ἠΰζωνον παράκοιτιν*
*Ἕκτορος, ἥν τοι αὐτῷ ἀριστῆες Παναχαιῶν*
*δῶκαν ἔχειν. ἐπίηρον ἀμειβόμενοι γέρας ἀνδρί.*
*αὐτόν τ' Ἀγχίσαο κλυτὸν γόνον ἱπποδάμοιο*
*Αἰνείαν ἐν νηυσὶν ἐβήσατο ποντοπόροισιν*
*ἐκ πάντων Δαναῶν ἀγέμεν γέρας ἔξοχον ἄλλων.*

*Vxorem Hectoream nauem deduxit in atras,*
*Magnanimo ac forti quondam generatus Achille.*
*Atque è complexu raptum nutricis, ab alta*
*Turre iacit natum mox Hectoris: huncque cadentem*
*Purpureum cepit lethum, nigræque tenebræ.*
*Mox capit Andromachen, fuerat namque Hectoris vxor,*
*Quam sibi donarunt virtutis præmia Achiui.*
*Anchisæ clarum natum domitoris equorum*
*Protinus in naues duxit, quæ marmora sulcant,*
*Æneam fuit egregium quod munus Achiuum.*

Ex illo celebri Martis adulterio suscepit Harmoniã, vt testatur Hesiodus in Theogonia, q̃ tamẽ alij Iouis & Electræ filiã fuisse putarũt. è Mercurio suscepit Hermaphroditum,

vt nomen ipſum ſignificat: quod ita ait Ouid. lib. 4. Metam.

*Mercurio puerum & diua Cythereide natum*
*Naiades Idæis enutriuere ſub antris:*
*Cuius erat ſpecies, in qua materque paterque*
*Cognoſci poſſent: nomen quoque traxit ab illis.*

Concepit Erycem è Bute: vel vt alij maluerunt, è Neptuno: quem Hercules palæſtra ſuffocauit, vt ait Isacius. Fertur etiam Meligunis fuiſſe Veneris filia. Fama eſt præterea quod Venus Dionyſum amauit, quo ad Indicam expeditionem militante Venus Adonidis conſuetudine fruebatur: mox coronata redeunti Dionyſo occurrens & ipſum coronauit, & rogauit, vt ſe ſequeretur, quia iam nupſiſſet. mox in Lampſacum profecta eſt, quia ibi vellet parere, quod geſtabat in vtero. At Iuno Zelotypia capta illius vterum per dolum cõtrectauit, fecitque vt deformem puerum pareret, qui ingẽtia maxime haberet pudenda quem poſtea Priapum nominauit, vt ait Poſidonius in libro de Heroibus & Dæmonib. Non defuerunt qui Suadelam quoque Veneris filiam fuiſſe dixerint, quæ ſententia etiam fuit Sapphus. at Heſiodus in Theogonia è congreſſu Martis & Veneris Timorem & Pallorem natos eſſe ſcribit in his:

——— αὐτὰρ Ἄρηϊ
ῥινοτόρῳ Κυθέρεια Φόβον καὶ Δεῖμον ἔτικτεν.

——— *Marti clypeos atque arma ſecanti*
*Alma Venus peperit Pallorem, vnaque timorem.*

Suſcepit Rhodum filiam præterea è Neptuno, vt ſenſit Herophilus: quã tamen Epimenides Oceani fuiſſe ſcripſit. Dicitur & Electryonem & alios quinque filios è Sole peperiſſe. At cum Vulcanum maritum haberet, nullus ex illo filius commemoratur, cum multos è varijs congreſſibus, diuerſiſque adulteriis à ſcriptoribus natos fuiſſe Veneris acceperimus. Sortita eſt autẽ Venus multa cognomina vel à locis vel conditorib. vel euentis rerum, nam dicta eſt Salaminia, Acidalia, Paphia, Idalia, Cytherea, Erycina, Gnydia, Cyllenia, Melanis, Migonitis, Aſcræa, Colias, Epiſtropha, Euplœa, Ambologera, Olympia, Speculatrix, Pontica, & multa alia præterea quæ numerare mihi videtur ſuperuacaneũ. Multa fuerunt loca, in quib. eximie Venus coleretur quorum quædam ita recenſuit Ouid. lib. 10. Metamorph.

*Capta viri forma non iam Cythereia curat.*

*Littora: non alto repetit Paphon æquora cinctam,*
*Piscosamque Cnidon grauidamque Amathunta metallis.*

Et Virgil. lib. 10.

*Est Amathus, est celsa mihi Paphos, atque Cythera,*
*Italiæque domus.*

Et quoniam Venerem rerum omnium genetricem esse diximus superius, non est mirum si ad exprimendam eius potentiam Canachus Sicyonius illam ex ebore & auro ita fecit, vt capite polum gestaret, atque altera manu papauer, altera malum punicum, vt scripsit Eratosthenes libro tertio. In huius Deæ sacrificiis moris fuit vt femora victimarum omnium, præterquam suum, consecrarent, cum alias partes Sicyonij iuniperi lignis adolerent. verum cum torrerentur femora, cum illis folia herbæ pæderotis incendebantur, vt ait Pausanias in Corinthiacis. Hæc Dea, veluti etiam ceteri, sua sacrificia prætermitti non æquo animo ferebat: quare cum Lemnæ mulieris Veneris sacrificia spreuissent; Deæ maxime irā in se concitasse creditæ sunt, quod etiam non impune putantur fecisse. Nam tantum fœtorem illis excitasse fœminis Dea perhibetur, vt à suis maritis contemnerentur. Earum mariti cum bellum aduersus Thraces per id tempus suscepissent, sæpiusq; captiuas inde abducerent, ac proprias vxores aspernarentur, decreuerunt mulieres homines omnes per noctem iugulare: atque non id solum fecerunt, sed etiam captiuas vna cum illis trucidarunt. deinde veritæ ne cum filij adoleuissent patrum iniurias vlciscerentur, illos etiam ad vnum obtrūcarunt, atq; vniuersum genus de medio sustulerunt. Illud autem effectum est ob Veneris indignationem, quæ leuiter ferre non solet, nec neglectum sacrificiorum honorem obliuisci, si ab aliquo paruifiat, vt ait Euripides in Hyppolyto Coronifero in his:

πολλὴ μὲν ἐν βροτοῖσι, κοὐκ ἀνώνυμος
θεὰ κέκλημαι Κύπρις, οὐρανοῦ τ' ἔσω,
ὅσοι τε πόντου, τερμόνων τ' Ἀτλαντικῶν
ναίουσιν εἴσω, φῶς ὁρῶντες ἡλίου
τοὺς μὲν σέβοντας τἀμὰ πρεσβεύω κράτη
σφάλλω δ' ὅσοι φρονοῦσιν εἰς ἡμᾶς μέγα,
ἔνεστι γὰρ δὴ κἀν θεῶν γένει τόδε
τιμώμενοι χαίρουσιν ἀνθρώπων ὕπο.

*Inter viros permulta, non ingloria*

*Venus*

*Venus vocata sum; poli intra circulum.*
*Pontumue quisquis incolit, vel terminos*
*Atlanticos spectatque Solis lumina,*
*Si me colit, vires, decusque prabeo*
*Superbientes rursus in me deprimo.*
*Hoc est Deis commune, quod mortalium*
*Honoribus latantur, & coli à viris.*

Dicitur hæc Dea vna cum Iunone & Pallade de formæ præstantia contendentes ad Paridis iudicium venisse, quæ cum iudici Helenæ adulterium ad illum corrũpendum promisisset, victoriam ex illo iudicio reportauit. Verumtamen dolosum illud iudicium vniuerso Troianorũ imperio postea fuit calamitosum, quoniam stulta sunt omnia iniqua, sed omnium maxime Veneris opera quæ fiunt, vt ait Euripides in Troadibus: quippe cum non solum à spuma, sed etiam ab insania Veneris nomen deduci possit, vt est in his carminibus:

τὰ μωρὰ γὰρ πάντ' ἐστὶν Ἀφροδίτη βροτοῖς.
καὶ τοὔνομ' ὀρθῶς ἀφροσύνης ἄρχει θεᾶς.
*Mortalibus nam stulta cuncta sunt Venus:*
*Recteque cepit nomen hoc insania.*

Nam cum animorum motus qui nos ad aliquam deformitatem morum, vitæq; turpitudinem inducunt, maxime vitandi sunt, tum Veneris titillationes præcipue, omnemque lasciuiam conuenit aspernari: quibus nihil neque turpius, neq; minus honestum, neq; magis calamitosum cuiquam contingere potest. Nam quis se hominem esse vere audeat dicere, qui se effrenata illa beluarum libidine in Venerem rapi patiatur: omnium sane voluptatum quibus homines vexantur, maxima & deterrima est libido rei Venereæ, quæ opes dilapidat, obest memoriæ, vim oculorum labefactat, stomachum frigidiorem & imbecilliorem efficit, cum vim illam semen genitale secum auferat, qua cibus in stomacho concoquitur: ex quo plurima rerum redundantium copia fit, malorumque humorum abundantia in stomacho procreatur. Præclarum est igitur illud medicorum præceptum, semperque ad seruandam sanitatem in ore habendum: VESCI citra satietatem, IMPIGRVM esse ad laborem, VITALE semen conseruare, res esse saluberrimas. Quare scite dictum est ab eo poeta:

*οἶνος καὶ τὰ λουτρὰ, καὶ ἡ περὶ Κύπριν ἐρωὴ,*
*ὀξυτέρην πέμπει τὴν ὁδὸν εἰς ἀΐδην.*

*Vina, lauacra, Venus, mortalia corpora frangunt,*
*Et citius Ditis tartara adire iubent.*

Quod si vehemens sit Veneris pruritus & titillatio, facilia sunt & omnibus eiusce rei remedia, victus moderatio inprimis: vnde præclare illud defluxit: Sine Cerere & Baccho friget Venus. Neque id parum confert mãdatum medicorum, secundum quod etiam ita recitauit Ouid. in lib. de remedio Amoris:

*Ocia si tollas, periere Cupidinis arcus.*

Memoriæ prodidit Plutarchus in Symposiacis problematis rutam quoque, quam πήγανον ἀπὸ τοῦ πήγνυσθαι vocarunt à cogendo, non mediocriter conferre ob insitam illi à natura siccitatem, quam habet propter vim caloris. Nam genitale semen cogit & coagulat, quare etiam de illa ita scripsit Ouid. de remedio:

*Vtilius sumes acuentes lumina rutas.*

Prodest lactucarum etiam vsus ad sedandam Venerem ob naturæ frigus. Id autẽ significare voluerunt antiqui poetæ, qui mortuum Adonim inter lactucas à Venere depositum fuisse inquiunt. Scripsit præterea Nicandri enarrator cunilæ vsum, cum illa frigida sit, Venerem sedare quare in Thesmophorijs, in quibus sacrificiis castos esse sacerdotes & ad eundem populum oportebat, vt scripsit Hegesander, herba illa substernebantur. Fuerunt etiam loca huic rei accommodata, sicut Silemnus fluuius non procul à Pataris, vt refert Pausanias in Achaicis, in quo viri vel fœminæ lotę priscorum amorum obliuiscebantur. & Sappho apud Ouid. sublimem esse locum apud Nicopolim in Leucadia inquit, è quo se in mare præcipitantes, amores obliuiscebantur, sic enim inquit:

*Constitit, & dixit, quid nunc non ignibus aquis*
*Vreris? Ambracia est terra petenda tibi.*
*Phœbus ab excelso quantum pater aspicit æquor,*
*Actæum populi, Leucadiumque vocant.*
*Hinc se Deucalion Pyrrhæ succensus amore*
*Misit & illæso corpore pressit aquas.*
*Nec mora, iussus amor fugit lætissima mersi*
*Pectora: Deucalion igne leuatus erat.*

*Hanc legem locus ille tenet: pete protinus altam*
*Leucada, nec saxo desiluisse time.*

Primus omnium Phocus ex ea petra sese præcipitauit, vt ait Plutarch. in claris mulieribus. Hoc omnium remediorum vltimum, & non nisi furiosis hominibus adhibendum censuerim, vt è præcipiti loco in mare nō sine maximo periculo desiliant. Quamuis Cicero etiam lib. 4. Disputationum Tusculanarum meminit de hoc loco, vtpote è quo multi se præcipitarint: qui modum igitur vitio quærit, similiter facit vt si posse putet eum, qui se Leucade pręcipitauerit, sustinere se cum velit. Huic Deæ rosa & myrtus arbor consecrata fuit, quoniam vtraque planta eximiam præ se fert pulchritudinem: rosa inter flores scilicet, myrtus inter arbores, vt ait Pausanias in posterioribus Eliacis, & Virg. Æ-gloga septima:

*Populus Alcidæ gratissima, vitis Iaccho,*
*Formosæ Veneri myrtus, sua laurea Phœbo.*

Non defuerunt tamen qui myrtum sacratam esse Veneri putarint, quod illa ornata Venus sit ad iudicium de forma cum Deabus profecta, atque victoriam reportarit, quod innuit Nicand. in Alexipharmacis in his:

αὐτὸς δ' ἥ ποθι Δίκτυννα θεὰς ἐχθήρατο κλῶνας,
Ἥρης τ' Ἰμβρασίης μούνης στέφος οὐχ ὑπέδεκτο
κάλλιμον οὕνεκα. Κύπριν ὅτ' εἰς ἔριν ἠερέθοντο
ἀθάναται, κόσμησεν ἐν Ἰδαίοισιν ὄρεσσι.

*Preterea Dictynna tua est ex arbore ramos*
*Aspernata, tuam nec cepit Iuno coronam,*
*Quod Venus Idæis est illa in montibus olim*
*Compta comas, vbi de forma contentio nata est.*

Alij sacratā crediderunt, quia nascatur in littore maris, vnde nata est Venus: alij, qui multis morbis muliebrib conueniat, non tamen soli Veneri sacra putabatur, sed etiam Dionyso, vt Aristophanes testatur in Ranis:

Ἴακχ' ὦ Ἴακχε
ἐλθὲ τόνδ' ἀναλειμῶνα χορεύσων
ὁσίους ἐς θιασώτας.
πολύκαρπον μὲν τινάσσων
ἀμφὶ κρατὶ σῷ βρύοντα
στέφανον μύρτων.

*Iacche ô Iacche,*

*Veni per hoc pratum tripudians*
*Sacros ad initiantes:*
*Fructiferam concutiens*
*Circa caput tuum virentem*
*Coronam myrtorum.*

Huic Deæ Gratiæ dicuntur esse dicatæ, quod nihil ijs ignaris faciat: nam cum pomum à Paride esset captura, Hymænæum, & Cupidinem, & Amores, & Gratias iussit aduocari, vt ait Pausanias. Quas etiam Veneris & Liberi patris filius quidam dixerunt.

¶ Atque hæc ea fere sunt quæ de Venere ab antiquis scriptoribus tradita sunt: nunc quid ea significent perquiramus. Nihil est autem aliud Venus, quam occultum coitus desiderium à natura insitum ad procreandum, quod nos non inepte (vt arbitror) alicubi ita expressimus illam amorem appellantes:

*Nihil amor est aliud Veneris quam parua voluptas,*
*Quæ simul expleta est, inficit ora rubor.*

Et Lucretius lib. 4.

*Sic igitur Veneris qui telis accipit ictum,*
*Siue puer membris mulieribus hunc iaculatur,*
*Seu mulier toto iactans è corpore amorem:*
*Vnde feritur, eo tendit, gestitque coire,*
*Et iacere humorem ino corpus de corpore ductum.*
*Namque voluptatem præsagit multa cupido.*
*Hæc Venus est nobis: hunc ductum nomen Amoris.*

Est autem permagnum huiusce rei argumentum, quod omnia verno aeris tempore ad procreationem excitantur: quippe cum idem poeta Zephyri auram suauissimam Veneris nuncium appellarit, vt in his ait idem poeta:

*It Ver, & Venus, & Veneris prænuncius ante*
*Pennatus graditur Zephyrus vestigia propter.*

Nata esse dicitur è spuma maris, quoniam semen genitale animalium nihil est aliud, quam spuma sanguinis, & supernatans, vt est in secundo de Generatione animalium apud Arist. quare locus datus est fabulæ, quod à spuma genita sit: Nata esse dicitur ex ipso mari propter salsedinem, quæ non parum confert ad fertilitatem. cuiusce rei argumentum est copia muriũ, quæ nascitur in nauigijs sale onustis ac illud sæpe vectantib. Venerem amorum Deum credidit Lactantius

tius putatam, quia lena fuerit, quæ prima meretriciam artem instituerit. Ducuntur vero similia similium desiderio, vt canes canum, equi equarum, leænarum leones: quoniam dissimilium formarum prorsus nulla est inter se coniūctio. Efficitur istud ipsum naturæ ductu, quæ spectra quædam à valde diuersis abhorrentia indidit singulis animalibus, vt irritum & inutilem coniunctionis laborem deuitent. Vt enim è magnopere differentib. arboribus surculos arbores non recipiunt, ita neque marium fœminæ plurimum differentium cōgressu delectantur. Nam tametsi viperæ anguillarum attritu demulcentur, canes luporum coniunctionē non omnino respuunt, cum è similibus prope corporibus simile semē profundatur, quod plurimum confert ad procreationem, tamen ex anguillis & auibus, aut dissimilibus plurimū animalibus nihil nasceretur, si coniungātur: quare è consimilibus omnino aut parum differentib. fieri debet & solet generatio. Sunt igitur in singulis animalibus spiritus quidam ad conciliandos amores præpotentes, quibus tēperies aëris pro lena est atq; eorundem spirituum alii ad id munus tardiores sunt, alii promptiores & magis ingeniosi: quare accidit aliquando vt mas fœminā vel nō visam amauerit, aut marem fœmina. Alii naturam sapientissimā rerum harum parētem similium & animorum & temperamentorum conciliatricem crediderunt, quæ radios quosdā occultos è toto corpore mitteret: quos tamē alii ex oculis manare maluerunt, atq; alterius animum percutere, atq; illum, qui sit ictus, conuersum eo vnde percussus fuit quandā voluptatem diuinantem, & quasi præsentientem, similisq; cōiunctionem appetētem, in eius desiderium delabi, quod desiderium Amor, & proprio nomine Cupido appellatur. Cum tamē eueniat aliquando vt ex altero tantum illi radii manent, cum ad scopum ob dissimilitudinem hi peruenire non possint, nullam se facere impressionem sentiunt, quare neq; ita intenduntur, neq; sunt diuturni, & à suscepto negocio facile recedūt. Nihil enim natura frustra fieri diutius patitur. Est igitur Venus voluptas illa quam animus è similium coniunctione futurā præsentit, quare Dea credita est conciliandorū animorum. Alii motum illum animorum, qui fit ab ipsa natura per aëris temperiem, Venerem vocarūt. Quod nata sit è spuma, vt diximus, illud fit, quia ex pu-

riore sanguinis parte genitale semen secernitur: cuius rei indicium est, quod non minus stomacho, & memoriæ, & aciei oculorum obest vsus Veneris, quam venarum incisio. Alii natam è Ioue & Dione crediderũt, quoniam cupiditas procreandi è calore concipitur, & ex illa materia, quæ est inferior: nam Dione corruptibilis vniuersa materia nominari potest elementorũ. Qui cœli & Diei filiam tradiderũt, ii cum Theologis Christianis consenserunt, quoniam cum Deus omnipotens cœlũ & lucem & sidera creasset, mox rebus omnibus imprimendi amoris ad procreandum vim addidit: quare creatis animalib. & herbis statim inquit, Crescite & multiplicamini. Hæc eadẽ causa fuit cur fuerit præfecta nuptiis. Hæc risus amica dicta est, vel quia per lætitiã amor conciliatur, vel quia tum maxime vigent animalia, cum apta sunt generationi, quod efficit apta elementorum symmetria: qua etiam ratione dicta est vxor Vulcani. Hanc in adulterio cum Marte deprehensam nudam ac retib. implicitam Vulcanus ridendam exposuit, neq; vt inter homines lex Iulia de adulteriis permittit, interfecit, vel quia fieri non poterat vt Dii occiderentur, vel quia tam credere facinus committere turpe iudicauit, parumq; viro bono, nedum Deo conueniens: cum vanam & temerariam illam esse hominum opinionem conaretur demonstrare, quæ apud vulgus increbuit, quod libidinosæ vxoris lasciuia viri boni existimatio & integritas possit contaminari, nisi tamen vir ad vxoris turpitudines libens volensque conniueat. Nemo enim alienorum peccatorũ pœnas dare merito debet. Præclare igitur statutum fuit apud Lacedæmonios, vt adulterorum, si qui deprehensi fuissent, pudendæ partes publice in foro per tortorem vellicarentur, deinde ad quoddam tẽpus ex agro Lacedæmoniorum exularent. quod fiebat sine maritorum ignominia, vti scripsit Sosiphanes. Quare non insulse vir sapientissimus Stilpo, cum illi a Metrocle Cynico obiiceretur vt opprobriũ, quod sua filia esset impudica, ita Metroclem arguit percunctatus, num peccatum meũ est, an filiæ? filiæ, is inquit, peccatum, ac tuum infortuniũ. qui fieri potest? ait Stilpo. an non peccata sunt lapsus? sane. an non lapsus eorum qui lapsi sunt, fuerunt etiam aberramenta? & hoc inquit, nonne aberramenta eorum qui aberrarunt infortunia? his verbis vir sapiens demonstrauit nemini

mini esse crimini alterius peccata oportere. Dicitur vulnerata fuisse a Diomede, vt est apud Homerum: quoniam illi quorum in ortu Venus dominatur, facie sunt decora, animo elato, voluptatibus dediti: at corpora debilia & rei bellicæ minime accommodata quare cum illa in ortu Paridis dominata fuisset, ita inquit Ouid. in epist. Helenæ:

*Apta magis Veneri, quam sint tua corpora Marti.*
*Bella gerant fortes: tu Pari semper ama.*
*Hectora quem laudas pro te pugnare iubeto.*

Huic Deæ non conuenire aliorum Deorum officia dixit Iupiter, cũ singuli Dii singulis officiis sint præfecti, quia nulla est tanta potentia, quæ per se satis valida sit, nulliusq; alterius indigeat auxilio Hoc enim maxime faciebat ad deprimendam mortalium arrogantiam & temeritatem, cum vel Dii ipsi non omnia posse, sed mutuis auxiliis indigere, dicerentur. Qui omnia animalia ab ea domari inquiunt, & Iouem amori parere, ac Venerem mundum procreasse & conseruare atq; omnia ex illius nutu pendere, visi sunt per hoc diuinam bonitatem, & incredibilem Dei in humanum genus amorem diuinitus somniasse. Fabulati præterea sunt antiqui Venerem amantium periuria ridere, quia illi qui aliquo insigni animorum motu ad has res concitantur, non sunt sui compotes, sed eo affectu quo fert impetus rapiuntur. Nihil enim differt his rebus deditum iurare, ac si quis insanus secum ratione in posterum velle insanire iurauerit: quippe cum vterque horum quo fert impetus, at non quo ratio trahatur. Dixerunt præterea Veneris currum ab oloribus trahi, quia mundities & corporis ornatus mirifice cõfert ad amorem conciliandum: est enim omnium fere auiũ candidissima & maxime munda olor. Alii tamen ob salacitatem columbas ac passeres illius currum trahere finxerũt. Atque cum tres esse Veneres dicantur, diuersi erunt & Amores siue Cupidines illarum filii, illa quæ Cœlestis est Venus appellata siue Vrania purum significat, & sine corporis cupiditate, amorẽ, qualis est erga Deum & patriam & viros bonos ob aliquam virtutẽ, aut erga benemeritos. qui amor cœlestis, & purus, & diuinus, cum humana labe careat, potest appellari. Popularis Venus naturæ coniunctiones animalium quærit. At Venus cognomento Apostraphia, dicta fuit ab Harmonia, cui etiam erexit templum; quia, cum

multa turpiter per nefarios congressus fieri apud barbaros animaduertisset, leges ad coercendas cupiditates parum honestas tulerit, & de stupris incestis homines auerterit, vt nomen ipsum significat. Atq; cum cœlestis illa Venus, non nisi ab animo temperantissimo procedere possit, merito in eius sacrificiis obseruatum fuit ab antiquis ne vinum omnium deliramentorum, omnisque intemperantiæ causa offerretur. Illa Venus quæ popularis est, neque vinum neque temulentiam reiicit, cum vulgi & turbulentorum motuum multitudinis Dea sit. Hanc Venerem, cum ex aëris temperie gignatur, omniaque animalia ad procreandum impellat, rerum omnium procreatricem dixerunt antiqui, cum illa sit præcipue verni temporis benignitas: quam ita expressit Virgil. in 2. Georg. libro.

*Ver adeo frondi nemorum, Ver vt le syluis;*
*Vere tument terræ, & genitalia semina poscunt.*
*Tum pater omnipotens fœcundis imbribus Æther*
*Coniugis in gremium læ a descendit, & omnes*
*Magnus alit magno commistus corpore fœtus.*
*Auia tum resonant auibus virgulta canoris,*
*Et Venerem certis repetunt armenta diebus,*
*Parturit almus ager, Zephyriq; tepentibus auris*
*Laxant arua sinus, superat' tener omnibus humor.*

Nam physicas rationes in his complexus est Virgil. quibus efficitur vt eo tempore præcipue animalia in Venerem cōcitentur. quam rem ita mira quadam poetica suauitate etiam Lucretius, cum de Venere loquitur, complexus est;

*Æneadum genitrix, hominum Diuumq; voluptas*
*Alma Venus, cœli subter labentia signa,*
*Quæ mare nauigerum, quæ terras frugiferentes*
*Concelebras: per te quoniam genus omne animantum*
*Exoritur, visitq; exortum lumina Solis.*
*Te Dea, te fugiunt venti, te nubila cœli,*
*Aduentuq; tuo suauis tibi Dædala tellus*
*Submittit flores, tibi rident æquora Ponti,*
*Pacatumq; nitet diffuso lumine cœlum.*
*Nam simul ac species patefacta est verna diei,*
*Et reserata viget genitabilis aura Fauoni,*
*Aeriæ primum volucres te Diua, tuumq;*
*Significant initum perculsæ corda tua vi.*

At

At grauissimus & suauissimus scriptor Euripides multo etiam clarius demonstrauit rerum omnium procreationem ex elementorum esse symmetria: atque vim illam siue diuinam quæ nascitur è motu cœlestium corporum, siue naturalem vouemus quæ facit vt in hanc commistionem elementa ipsa deducantur, vel potius deducit, Venerem appellauit; quam ita de se dicentem is introducit, quemadmodum patet ex his:

——— οὐχ ὁρᾷς ὅση θεός;
ἣν οὐδ' ἂν εἴποις, οὐδὲ μετρήσειας ἂν
ὅση πέφυκε, κἀφ' ὅσον διέρχεται.
αὕτη τρέφει σὲ κἀμὲ, καὶ πάντας βροτούς.
τεκμήριον δὲ μὴ λόγῳ μόνον μάθῃς,
ἔργῳ δὲ δείξω τὸ σθένος τὸ τῆς θεοῦ.
ἐρᾷ μὲν ὄμβρου γαῖ', ὅτι ξηρὸν πέδον
ἄκαρπον αὐχμῷ, νοτίδος ἐνδεῶς ἔχῃ.
ἐρᾷ δ' ὁ σεμνὸς οὐρανὸς πληρούμενος
ὄμβρου, πεσεῖν ἐς γαῖαν, Ἀφροδίτης ὕπο.
ὅταν δὲ συμμιχθῆτον ἐς ταὐτὸν δύο,
φύουσιν ἡμῖν πάντα, καὶ τρέφουσ' ἅμα,
δι' ὧν βρότειον ζῇ τε καὶ θάλλει γένος.

*Non sentis ipse quanta sit Venus Dea?*
*Nam nec referre, nec queas metirier,*
*Sic quanta, quantum possit immortalibus.*
*Te nutrit ipsa, meq; & omnes hæc viros.*
*Considera: sermone ne solo scias,*
*Enucleabo robur ipse re Deæ.*
*Amauis imbrem terra; cum siccum solum est;*
*Non est ferax squallore. poscitq; humidum:*
*Amatq; cœlum pluribus plenum imbribus*
*Ob hanc Deam terris deorsum cedere.*
*Vbi duo miscentur ista, vnumq; fiunt,*
*Nascuntur inde cuncta quæ nos nutriunt,*
*Ob quæ viret, vigetq; vis mortalium.*

Hanc Deam iure Adonim amasse dicunt, qui Adonim Solem esse arbitrati sunt: quoniã sine vi Solis, nulla esset Venus. Hunc per brumam extingui dicũt, quia cessat eo tempore herbarum, & rerum multarum generatio. nam cum Sol obtusos angulos facit, minor fit eius virtus, ac frigora sunt omnibus naturæ actionibus maxime aduersaria. Nam

cur illum mortuum inter lactucas deposuit? propter frigus hyemis nimirum. atq; per id tempus fiebant sacra Adonia: cui fabulæ addiderunt per Adonia fluuium Adonim vocatum è Libano monte defluentem sanguinolentum fluere solitum. Addiderunt & Gratias illi filias, quæ Cœlesti conueniunt, ob debitam omnibus bonis liberalitatem. Harum vna auersa est, cum duæ Venerem respiciant, quia liberalis & magnanimi est imitari bonos agros, quod est maiori mensura reddere, quam acceperit. Sorores illæ dicuntur manibus implicitis se tenere inuicem, virginesque esse & ridentes: quia nulla spe motos oportet dici liberales, cum mercatores sint potius qui ob aliquam spem benefaciunt: atque quæ in aliquem extat beneficentia, tum demũ grata est, quæ hilari animo, minimeque inuito aut renitenti procedit. traditum est in fabulis Venerem iudicatam à Paride fuisse pulchriorem Iunone ac Pallade, quia multo sunt plures qui corporis voluptates, quam qui animi; qui vitia, quam qui virtutem; qui turpitudinem, quam qui gloriam sectantur. nam multi fuerunt qui dignitatem, qui gloriam, qui præclaras gerendarum rerum oportunitates pro impuris voluptatibus reliquerunt, & amplissimas opes in eas profuderunt; qui tandem facti omnium hominum infœlicissimi propter libidinem in maximas miserias sunt delapsi. At vero quid sit Venus, & quas vires illi antiqui præbuerint, & quæ de illa fabulose dicebantur, iam fere explicauimus, quo in negotio si quid reliquum est, id in cupidine eius filio pertractabitur.

## *De Cupidine.* CAP. XIV.

DE Cupidine vero, quibus ortus sit parentibus, non parua dubitatio est apud scriptores: quoniam alii vnum esse Cupidinem, alii plures senserũt. Plato in Symposio Phędrum induci, ita de Cupidinis origine dicentem: ὅτι μέγας θεὸς εἴη ὁ Ἔρως, καὶ θαυμαστὸς ἐν ἀνθρώποις τε καὶ θεοῖς, πολλαχῇ μὲν καὶ ἄλλῃ, οὐχ ἥκιστα δὲ κατὰ τὴν γένεσιν. τὸ γὰρ ἐν τοῖς πρεσβυτάτοις εἶναι τῶν θεῶν, τίμιον, ἦ δ' ὅς. τεκμήριον δὲ τούτου· γονεῖς γὰρ Ἔρωτος οὔτ' εἰσὶν, οὔτε λέγονται ὑπ' οὔτε ἰδιώτου, οὔτε ποιητοῦ. *Quod magnus Deus sit, & hominibus Deisque admirabilis Cupido, id idem compertum est sæpius cum in aliis, tum in iis quæ ad eius originem spectant præcipue. Neque enim me præterit*

*terit esse quidpiam præclarum inter antiquissimos Deos recenseri. Cupidinis autem parentes neque sunt, neque ab vllo vel priuatorum, vel poetarum fuisse dicuntur.* Hesiodus in sua Theogonia videtur Amorem siue Cupidinem ante omnia ex illa informi materia, quæ Chaos dicta est, in lucem eduxisse, cum ita scribat:

*ἤτοι μὲν πρώτιστα Χάος γένετ', αὐτὰρ ἔπειτα*
*Γαῖ' δ' εὐρύστερνος πάντων ἕδος ἀσφαλὲς αἰεὶ*
*ἀθανάτων, οἳ ἔχουσι κάρη νιφόεντος Ὀλύμπου,*
*τάρταρά τ' ἠερόεντα μυχῷ χθονὸς εὐρυοδείης·*
*ἠδ' Ἔρος, ὃς κάλλιστος ἐν ἀθανάτοισι θεοῖσι*
*λυσιμελής, πάντων τε θεῶν, πάντων τ' ἀνθρώπων*
*δάμναται ἐν στήθεσι νόον, καὶ ἐπίφρονα βουλήν.*
*Ante Chaos natum: superum firmissima sedes,*
*Inde solum terræ latæ: tum tartara nigra*
*Intra adytum terræ, & feralia claustra barathri:*
*Inde oritur superos inter pulcherrimus omnes,*
*Dulce Deum pariterq; virum gratumq; Cupido*
*Solamen qui corda domat, mentesq; feroces.*

Non statim post terrã natum esse Cupidinẽ inquit, eumq; eductum ex illa informi materia. At Aristophanes in Auibus Noctem Zephyriũ ouum peperisse scribit, è quo natus sit Cupido, qui cum Chao mistus omne Deorum genus ex illo excitauerit ita vero se habent carmina Aristophanis:

*χάος ἦν, καὶ νὺξ ἔρεβός τε μέλαν πρῶτον καὶ τάρταρος εὐρύς·*
*γῆ δ' οὐδ' ἀὴρ οὐδ' οὐρανὸς ἦν ἐρέβους δ' ἐν ἀπείροσι κόλποις*
*τίκτει πρώτιστον ὑπηνέμιον νὺξ ἡ μελανόπτερος ὠόν·*
*ἐξ οὗ περιτελλομέναις ὥραις, ἔβλαστεν Ἔρως ὁ ποθεινός,*
*στίλβων νῶτον πτερύγοιν χρυσαῖν.*
*Chaos erat, & nox erebusq; niger primum tum tartarus altus:*
*Terra nec aer, nec cœlum erat: erebiq; in finibus amplis*
*Parit prius Zephyrium nox alis nigrescentibus ouum.*
*Ex hoc labentibus horis pullulauit deinde Cupido,*
*Splendens tergum aureis alis.*

Quare & Orpheus his similia de illius natiuitate tradidit, quem, vt est in his carminibus, ante omnia natum putauit:

*πρωτόγονον καλέω διφυῆ, μέγαν, αἰθερόπλαγκτον,*
*ὠογενῆ χρυσέοισιν ἀγαλλόμενον πτερύγεσσιν,*
*ταυροβόαν, γένεσιν μακάρων θνητῶν, τ' ἀνθρώπων*
*Æthere labentem geminum, magnumq; vocemus,*

C 2

*Qui prior est natus, qui ex ouo qui nitet aureis*
*Alis laetatus, per quem superumq; virumq;*
*Est genus exortum tenues in luminis auras.*

At idem Plato qui nullos parentes Cupudinis superius esse dixit, mox fabulam quandam huiusmodi in Symposio de Cupidinis ortu memorauit: fama est Deos aliquando natalitia Veneris celebrantes in cœlo mensis accubuisse: tum Porus consilii & abundantiæ Deus fertur nectare paulo copiosius hausto ebrius fuisse, ac Peniam Deam paupertatis in horto Iouis inuenisse, quam etiam compressit: ex eo igitur congressu Penia Cupidinem postea peperit, quem Veneri famulum tradiderunt, cuius nutum mandataque obseruaret; quare postea creditus est Veneris filius. Theocritus in Hyla è Diis quidem parentibus illum natum esse arbitratur, at è quibus non affirmat, propter variam ac difficilimam cognitu eius originem, vt ex his patet:

οὐχ ἁμῖν τὸν Ἔρωτα μόνοις ἔτεχ᾽, ὡς ἐδοκεῦμες
Νικία, ᾧτινι τοῦτο θεῶν ποκα τέκνον ἔγεντο.
*Non solis natus nobis est ipse Cupido*
*Vt patet: è superis quicunq; fuere parentes.*

Non desuerunt qui Cupidinem Saturni filium fuisse dixerint, vt sensit Orpheus, quod ex illo carmine significatur:

αὐτὰρ Ἔρωτα Κρόνος καὶ πνεύματα πάντ᾽ ἐτέκνωσε.
*Sunt Amor & venti Saturni è semine nati:*

At Sappho poetria Cupidinem cœli ac terræ filium existimauit, Simonides Martis & Veneris, Acusilaus Noctis & Ætheris, Alcæus Contentionis & Zephyri. Idem Orpheus tamen omnes Amores, quos plures esse sensit, è Venere ortos scribit in alio hymno hoc pacto:

ὑμνέομεν σειρὴν πολυώνυμον Ἀφρογενείης
καὶ πηγὴν μεγάλην βασιλήιον, ἧς ἄπο πάντες
ἀθάνατοι πλερθέντες ἀνεβλάστησαν Ἔρωτες
*Cantamus Venerisq; genus, fontemq; perennem,*
*De quo immortales nati dicuntur Amores:*

Pausanias in prioribus Eliacis Venerem dicit emergentem à Cupidine fuisse exceptam, & à Suada coronatam. qui idem postea in Bœoticis Cupidinem omnium Deorum natu minimum vulgo creditum dixit, & Veneris filium. Cicero lib. 3. de Natura Deorum plures Cupidines è diuersis parentibus facit, vt in his scribit: Cupido primus Mercurio

curio & Diana prima natus dicitur: Secundus Mercurio & Venere: Tertius quidem est Anteros, Marte & Venere tertia. Hi etsi plures extiterunt, diuersisque parentibus geniti, tamen ad vnum Veneris filium omnia prope quæ de Amore dicta sunt, transferuntur. Præclare igitur Arcesilaus statuarius leænam è m. .more fecisse dicitur, circa quam ludentes fecit Cupidines, quam alli è cornu bibere cogebãt, alij soccos illi inducebant, alij saxo alligatam fune tenebant cum multos fuisse Cupidines vellet significare Horum quæ vires sint, aut quæ facultates, & qui habitus illi tribuerentur, ita patefecit Orpheus in hymnis:

*κικλήσκω μέγαν, ἁγνόν, ἐράσμιον, ἡδὺν Ἔρωτα,*
*τόξα κλῆ πτερόεντα, πυρίδρομον, εὔδρομον, ὁρμῇ,*
*συμπαίζοντα θεοῖς, ἠδὲ θνητοῖς ἀνθρώποις·*
*εὐπάλαμον, διφυῆ, πάντων κληῖδας ἔχοντα,*
*αἰθέρος οὐρανίου, πόντου, χθονὸς ἠδ' ὅσα θνητοῖς*
*πνεύματα παντογένεθλα θεὰ βόσκει χλοόκαρπος*
*ἠδ' ὅσα Τάρταρος εὐρὺς ἔχει πόντος θ' ἁλίδουπος.*
*μοῦνος γὰρ τούτων πάντων οἴηκα κρατύνεις.*
*Iucundum magnum, gratum cantamus Amorem,*
*Arciferum, alatum, celerem, flammisque potentem,*
*Ludentem pariter cum dijsque viris que, gemellum,*
*Tu maris & terræ claues, tuque ætheris alti*
*Sceptra tenes: tu quot ventos Dea parturit alma*
*Frugifera, aut pontus tumidus, vel tartarus ipse,*
*Et regis, & cuncta flectis moderamine solus.*

Pingebatur ab antiquis alatus Cupido, cuiusmodi illum Zeuxis pinxit Athanis pulcherrimum, rosis coronatum: nam, & Cupido & victoria alati fingebantur, quam primũ omnium Thasium Aglaophontem alatam fecisse ferunt: de quibus vt alatis, ita meminit Aristophanes in Auibus:

*αὐτίκα νίκη πέτεται πτερύγοιν χρυσαῖν, καὶ νὴ Δί' Ἔρως γε.*
*Statim victoria volat alis aureis & per Iouem Cupido simul.*

Idcirco cum victoriæ simulachrum de cœlo tactum fuisset, quod erectum fuerat apud Romanos in Capitolio eiusque solæ alæ decidissent, illud prodigium faustum esse interpretatus est Pompeius, quod inde auolare victoria amplius non posset, quare Pompeius ipse duo hæc carmina in eum euentum conscripsit:

Ῥώμη παμβασίλεια, τεὸν κλέος οὔποτ' ὀλεῖται.
Νίκη γάρ σε φυγεῖν ἄπτερος οὐ δύναται.

*Roma potens alis cur stat Victoria lapsis?*
*Vrbem ne valeat deseruisse tuam.*

Deinde addita sunt non solum nomina, sed insignia Cupidini, illius Dei potentiam, & animorum motus significantia, qualia Palladas descripsit in his carminibus:

γυμνὸς Ἔρως διὰ τοῦτο γελᾷ καὶ μείλιχός ἐστιν,
οὐ γὰρ ἔχει τόξον καὶ πυρόεντα βέλη.
οὐδὲ μάτην παλάμαις κατέχει δελφῖνα καὶ ἄνθος·
τῇ μὲν γὰρ γαῖαν, τῇ δὲ θάλασσαν ἔχει.

*Nudus Amor ridet, letatur & ille: nec arcus,*
*Nec flammata gerit spicula, vel pharetram.*
*Iure quidem recto florem, delphinaque gestat:*
*Continet hac terras, hac maris alta manu.*

In huius Dei facultate situm fuisse fabulati sunt vt ea quæ turpia essent ac deformia, faceret videri honesta & decora: & illos beatos arbitrarentur amantes, qui amata re potirentur, & omnes sensus denique obstupescere faceret. cuiusmodi sunt ea, quæ scripsit Sapho in hisce carminibus:

φαίνεταί μοι κεῖνος ἴσος θεοῖσιν
ἔμμεν ἢ μὴν, ὅς τις ἐναντίος τοι.
ἰζάνει, καὶ πλησίον ἁδὺ φωνεῦ-
σου ὑπακούει,
καὶ γελώσας ἱμερόεν· τό μοι τὰν
καρδίαν ἐν στήθεσιν ἐπτόασεν
ὡς ἴδον σε, ὡς βρόγχον, ἐμοὶ γὰρ αὐδᾶς
οὐδὲν ἔτ' ἥκει·
ἀλλὰ καμμὲν γλῶσσ' ἔαγ', αὐδὲ λεπτὸν
αὐτίκα χρῷ πῦρ ὑποδεδρόμακεν,
ὀμμάτεσσιν δ' οὐδὲν ὄρημι, βομβεῦσ'
ἐνδ' ἀκοαί μοι.
καδ δ' ἱδρὼς ψυχρὸς χέεται τρόμος δὲ
πᾶσαν αἱρεῖ. χλωροτέρη δὲ ποίας
ἔμμι τεθνᾶναι δ' ὀλίγω δέοισα,
φαίνομαι ἄπνους.

*Ille par Diuis superis videtur*
*Esse, qui contra sedet intuens te.*

*Hauris*

*Haurit Hyblæo magis & liquore.*
*Dulcia verba.*
*Dulce risisti, mihi quod misellæ.*
*Corda transfixit grauiter videnti.*
*Spiritus pressus fuit, & mihi vox.*
*Faucibus hæsit.*
*Facta tum lingua est tacita; & repente*
*Paruus in membris calor est relictus,*
*Lumina haud cernunt, resonat susurrus.*
*Multus in aure.*
*Labitur sudor gelidus, tremorque*
*Occupat totam: viridis magis sum*
*Gramine extinctæ simili retentus*
*Spiritus est vix.*

Tantam illi potestatem antiqui poetæ, tantumq; audaciæ Cupidini tribuerunt, vt omnes Dij antiqui ab Amoribus spoliati fuerint suis insignibus: vt Philippus quidam poeta in his luculentissimis carminibus expressit:

συλήσαντες ὄλυμπον ἴδ' ὡς ὅπλοισιν Ἔρωτες
κοσμοῦντ' ἀθανάτων σκῦλα φρυασσόμενοι.
Φοίβου τόξα φέρουσι, Διὸς δὲ κεραυνὸν, Ἄρηος
ὅπλον καὶ κυνέην, Ἡρακλέος ῥόπαλον,
Εἰναλίου τε θεοῦ τριβελὲς δόρυ, θύρσα τε Βάκχου,
πτηνὰ πέδιλ' Ἑρμοῦ, λαμπάδα δ' Ἀρτέμιδος
οὐκ ἄχθος θνητοῖς εἴκειν βελέεσσιν Ἐρώτων,
δαίμοσιν οἷς ὅπλων κόσμον ἔδωκαν ἔχειν,

*Exuuiis superum læti decorantur Amores,*
*Alta quibus cœli est iam spoliata domus.*
*Extorsere Ioui fulmen, Phœboque sagittas,*
*Alcidæ clauam, marsque caret galea,*
*Mercurio desunt talaria, faxque Dianæ,*
*Sic Baccho thyrsus, sic pelagoque tridens.*
*Nec mirum est iaculis homines quoque cedere Amorum,*
*Queis sua vel superi sceptra dedere Dei.*

Cum tanta fuerit igitur potẽtia Cupidinis, iure optimo illum Deorum omnium fœlicissimũ, & cui Dij omnes subijcerentur, appellauit ita Plato in Symposio: φημὶ οὖν ἐγὼ, πάντων θεῶν εὐδαιμονεστάτων ὄντων Ἔρωτα (εἰ θέμις καὶ ἀνεμέσητον εἰπεῖν) εὐδαιμονέστατον εἶναι αὐτῶν, κάλλιστον ὄντα καὶ

ἄμεινον. *Ego ſane ita ſentio, omnibus Diis fœlicibus exiſtentibus, Cupidinem (ſi fas eſt, ac ſine reprehenſione licet dicere) omnibus illis eſſe fœliciorem, cum & pulcherrimus ſit & optimus.* Atque in his cum duos eſſe cupidines dixiſſet, alterum Cœleſtem, alterum Vulgarem appellat: ἀναγκαῖον δὲ δὴ καὶ Ἔρωτα τὸν μὲν τῇ ἑτέρᾳ συνεργὸν, πάνδημον ὀρθῶς καλεῖσθαι, τὸν δὲ οὐράνιον: *Neceſſe eſt igitur & Cupidinem hunc quidem alteram ſequentem & adiutorem, Vulgarem recte vocari, hunc vero cœleſtem.* Addita fuerunt & alia inſignia præter ſuperiora, ſiquidem hunc puerum finxerunt, & cæcum, & illi comites adiunxerunt, Ebrietatem, Dolores, Inimicitias, Contentiones, & multas huiuſmodi peſtes, quas omnes recenſere moleſtum eſt, nedum experiri: quæ cum breuiſſime, tum elegantiſſime in eo Maruli Epigrammate ſunt expreſſa:

*Quis puer hic? Veneris plena quæ cauſa pharetræ?*
*Non bene prouiſus certa quod arma mouet.*
*Cur ſine veſte Deus? ſimplex puer odit opertum,*
*Vnde pueros quod facit ille ſenes.*
*Quis pennas humeris dedit? inconſtantia, quare*
*Nulla Deo frons eſt? ſigna inimica facit.*
*Quæ ſors eripuit lucem? immoderata libido*
*Cur macies? Vigiles cura dolorque facit.*
*Quis cæcum præit? Ebrietas, Otia, Luxus.*
*Qui comites? Rixa, Bella, Odium, Opprobrium.*
*Qui cœlo dignati? homines quæ cauſſa coegit?*
*Mitior autore eſt credita culpa Deo.*

Hunc è crapula, deliciarumq; copia naſci deniq; tradiderunt antiqui, cum nihil ſit, quod magis motum probitatē, vitamque humanam, quam deliciæ, labefactet. Sic enim de Amoribus inquit Phocilides:

οὐκ ἀγαθὸν πλεονάζον ἔφυ θνητοῖσιν ὄνειαρ·
ἡ πολλὴ δὲ τρυφὴ πρὸς ἀμέτρους ἕλκει ἔρωτας.
*Vtiliter nulli nimia eſt data copia victus,*
*Hoc ſtimulo in turpes homines pelluntur amores.*

Atque præclare idcirco ſcriptum fuit à Pallada, quod nihil magis repugnat diuinæ naturę quam immodica victus copia, quæ facilime ad omnes turpitudines impellit, quippe cum humanitas, & iuſtitia, & temperantia, & omnes vir-

tutes sint frugalitatis at non crapulæ asseclæ, vti optime per hæc carmina docemur:

*γαστέρα μισέουσι θεός, ἐ βρώματα γαστρὸς.*
*εἵνεκα γὰρ τούτων σωφροσύνη λύεται.*

*Iure inuisa Deus hæc ventris vasta vorago est.*
*Temperat à nullis turpibus illa sibi.*

Atque vt summatim dicam, tot insignia, tot vires, tot spolia, tam sæui comites, tam deformis oculorum cæcitas, & ætas minime apta prudentiæ, data sunt Cupidini ab antiquis poetis, ad exprimēdam libidinis hominum insaniam vt nihil tantopere abhorrere videatur ab ingenuo & bene instituto homine; quæ tamen omnia ita conuersa sunt ad hominum voluptates, vt etiam cum quadam animi suauitate recenseatur à nonnullis. Hoc mihi persimile sane graui aliquo morbo laboranti contigisse videtur, cui propter stomachum pessime affectum, vel in deterrimos humores pharmaca ipsa vertuntur. Hunc igitur ad deterrendos homines à turpitudine introductū, pro Deo coluit vulgꝰ mortaliū: cum nō intelligat Deū beneficentiæ, liberalitatis, tēperantiæ, & omnis probitatis atq; humanitatis esse autorē: at Cupidinē hunc vulgarē Deum bella, rixas, cōtentiones, dolos, iniurias, honoris facultatumq; iacturā habere perpetuos comites. Quare præclare scripsit poeta ille in his vers.

*τίς θεὸν εἶπεν Ἔρωτα, θεοῦ κακὸν οὐδὲν ὁρῶμεν*
*ἔργον· ὁ δ' ἀνθρώπων αἵματι μειδιάει.*
*οὐ θοὸν ἐν παλάμαις κατέχει ξίφος, ἠνίδ' ἄπιστα*
*τῆς δεοδηλήτου σκῦλα μιαιφονίης.*

*Quis prior esse Deum mortalis dixit Amorem?*
*Sanguine lætatur; sunt bona grata Deo.*
*Nonne ensem in manibus præacutum sustinet? ecce*
*Cœtibus è multis quot tulit exuuias.*

Idcirco Apollonius Rhodius omniū malorum fontē & originem Cupidinem putauit, quia propter lasciuiā iustitia cōtemnatur, omnesq; exoriantur iniuriæ, vt est in his lib. 4.

*σχέτλιε Ἔρως, μέγα πῆμα, μέγα στύγος ἀνθρώποισιν,*
*ἐκ σέθεν οὐλόμεναί τ' ἔριδες, στοναχαί τε γόοι τε,*
*ἄλγεά τ'.*

*Supplicium crudele viris, ac pœna Cupido;*
*Et sunt rixæ, certamina, bella, querelæ,*
*Et dolor.*

Quid est enim nostris temporibus, quod non per scorta & lenones, & meritorios pueros obtineatur? multæ sunt ciuitates, multa regna, multæ prouinciæ per hunc insanorum & furiosorum Deum deuastatæ. Nam quot ciuitates arma ceperunt ob raptas mulieres? quot fœminæ patriam & parentes hostibus prodiderunt propter hunc furorem? quot mariti vxoribus, aut cõtra illæ maritis ob hunc ipsum præclarum Deum insidias tetenderunt? quot filij à matribus fuerunt trucidati? atque vt vno verbo dicam, nihil est prope nefarium, impium, temerarium, Cuius cupido non sit autor. Quare nemo sapiens haberi iure potest, qui Cupidinem laudibus extollat: nemo non infœlix, qui eius cupiditatibus obsequatur. Quippe cum talia consilia plerumque suggerat stultis hominibus qualia Medeæ aliquãdo aduersus parentes & patriã & seipsam in mẽtem intrusit, cum illa ita secum diceret conquerens de futuris Iasoni periculis:

τότε δ᾽ αὖ κακὸν ἄμμι πέλοιτο
κεῖνο ὅτε ζωῆς ἀπαμείρεται· ἐρρέτω αἰδώς,
ἐρρέτω ἀγλαΐη.

*Quid mihi tunc animi cum vita excesserit illo?*
*Cede decus, discede pudor, procul omnis honestas.*

Nam Cupido reipsa multorum malorum, discordiarumq; occasio fit imprudentibus exterarum & domesticarum, velut ostendit Sophocles in Antigone in his:

Ἔρως ἀνίκατε μάχαν,
Ἔρως, ὃς ἐν κτήμασι πίπτεις,
ὃς ἐν μαλακαῖσι παρειαῖς
νεάνιδος ἐννυχεύεις
φοιτᾷς δ᾽ ὑπερπόντιος ἔν
τ᾽ ἀγρονόμοις αὐλαῖς.
καί σ᾽ οὔτ᾽ ἀθανάτων
φύξιμος οὐδείς,
οὔθ᾽ ἁμερίων ἐπ᾽ ἀν-
θρώπων ὁ δ᾽ ἔχων μέμηνεν.
σὺ καὶ δικαίων ἀδίκους
φρένας παρασπᾷς ἐπὶ λώβᾳ.
σὺ καὶ τόδε νεῖκος ἀνδρῶν
ξύναιμον ἔχεις ταράξας.
νικᾷ δ᾽ ἐναργὴς βλεφάρων
ἵμερος εὐλέκτρου
Νύμφας, τῶν μεγάλων

πέρεσιδι ἐν ἀρχαῖς
θεσμῶν. ἄμαχος γὰρ ἐμ-
παίζει θεὸς Ἀφροδίτα.

*Amor insuperabilis pugna,*
*Amor, qui opibus incidis,*
*Qui in mollibus genis*
*Puellæ pernoctas,*
*Incedisque super mare, &*
*Per pastorales aulas:*
*Te neque immortalium fugerit quisquam,*
*Neque mortales inter*
*Viros: habens vero insanit.*
*Tu & iustorum iniustas*
*Mentes facis per detrimentum.*
*Tu & hanc contentionem Virorum*
*Consanguineam contines perturbans.*
*Vincit palam ciliorum*
*Desiderium pulchræ*
*Nymphæ magnarum assessor in imperiis*
*Legum, inuictus enim illudit Deus Venus.*

Quamuis illud magis verum est, quod non malus est Cupido, sed occasio potius facinorosis & perditis hominibus male agendi, qui suopte ingenio mali sunt vt scripsit Archias in his carminibus:

οὐχ ὁ Ἔρως ἀδικεῖ μερόπων γένος, ἀλλ' ἀκόλαστοις
ψυχαῖς ἀνθρώπων ἐστ' Ἔρος ἡ πρόφασις.

*Nullum Amor offendit, prauis occasio sed fit*
*Mentibus ille hominum, quos mala multa iuuant.*

Neque n. vllus est animi affectus à Deo optimo inutiliter concessus hominib. sed vel ad exercendas virtutes, vel ad res naturæ necessarias: quare vt præclare ille inquit poeta, cum quis modũ excesserit in animi motibus, illisq; nimis obsequitur, ipse sibi fit hic Deus, cum voluntas cuiusq; inordinata, & inconsiderata cupiditas, fiat Cupido, vt est in lib. 9.

*Dij ne hunc ardorem mentibus addunt*
*Euryale; an sua cuique Deus fit dira cupido?*

Amoris sedes oculus creditus est præcipue, quod per eum tanquam per fenestram animus spectra & imagines concipiat, & interitus admittat, quibus perculsus incidit in rei spectatæ desiderium. Quod ita Musæus clarissime expressit:

κάλλος γὰρ περίπυστον ἀμωμήτοιο γυναικὸς

ὀξύτερον μερόπεσσι πέλει πτερόεντος ὀϊστοῦ
ὀφθαλμὸς δ᾽ ὁδός ἐστιν, ἀπ᾽ ὀφθαλμοῖο βολάων
ἕλκος ὀλισθαίνει, καὶ ἐπὶ φρένας ἀνδρὸς ὁδεύει.
*Vt mulier fuerit pulcherrima, formosa sagittis*
*Corda virum figit velocius: est via ocellus.*
*Ex oculi iactu paulatim labitur vlcus*
*In mentes, illasque domat. seque imprimit alte.*

¶ Atque de fabulosis ad Cupidinem spectantibus satis, nunc quid sub his, lateat serij, inuestigemus. Quod omniũ Deorum antiquissimum Cupidinem crediderint. id significare visi sunt, quod sensit Empedocles, quod res prius inter se confusas amicitia & odium inuicem discreuerint, cum illæ per se sine his nihil gignere possint. Nam tametsi Thales aquam rerum omnium principium posuit, aptissimam sane gignendis rebus & accommodatam materiam, tamen nihil ex illa simpliciter gignitur sine hoc artifice, siue amicitiam, siue matrem, siue maris vice fungentem, siue calorẽ quis appellauerit, vim diuinam scilicet res ad ortum euocantem neq; illud sane verum est. quod dicitur ab eo poeta

ἀλλ᾽ ὑμεῖς μὲν πάντες ὕδωρ καὶ γαῖα γένοισθε
*Vos aqua, vos tellus fiatis protinus omnes.*

Fieri enim non potest vt hæc sola sint elementa, in quæ cõposita dissoluantur: Vel ex his solis composita sint omnino inutilibus, sed diuiniore principio careant. Quid ergo nihil aliud, vt dicebam, esse cupidinem antiqui senserunt, nisi illud quod Empedocles, vim similium diuinã coire & coalescere cupientiũ, vel vt melius dicam, mentem diuinã quæ has ipsas motiones ipsi naturæ inducat. Idcirco alij multos parentes, tribuerunt Cupidini: alij cum primum illum apparuisse in mundo architectando putarint, ex illa informi materia natum dixerunt. Alij Veneris filium crediderunt cum Venus sit desiderium, (vt diximus) procreandi in reb. naturalibus, quod nascitur è symmetria corporum, & ex aeris temperie. Nam quod de Poro & Penia fabulose dicitur, quod è tam diuersis parentibus natus sit Cupido, etsi potest ad has ipsas res accommodari, tamen ad mores magis videtur spectare; siquidem auaritia non magis ex insignibus opib. fit cum à viro parum prudenti & prope ebrio possidentur, quam ex inopia, & rerum omnium penuria. Hic deinde ab vniuersa rerum natura ob effrenatam singulorum

gulorum appetentiam quasi personatus inductus est Hunc alatum finxerũt ob inconstantiam mortalium in rebus eligendis ad melius alatus dicitur, quia diuina bonitas velocissima conuolet ad res naturales gubernandas. Vel si ad animorũ affectus, libidinisq; desideria trãsferatur, huic Deo neq; vllam leuitatem, neq; vllas alas antiqui iure tradiderunt, quippe cum suauissimus poëta Eubulus illi mirificam quandam constantiam tribuat in Campylione ita scribẽs:

*τίς ἦν ὁ γράψας πρῶτος ἀνθρώπων ἄρα*
*ἢ κηροπλαστήσας Ἔρωθ' ὑπόπτερον;*
*ὡς οὐδὲν ᾔδει πλὴν χελιδόνας γράφειν,*
*ἀλλ' ἦν ἄπειρος τῶν τρόπων τοῦ τοῦ θεοῦ.*
*ἔστιν γὰρ οὔτε κοῦφος, οὔτε ῥᾴδιος*
*ἀπαλλαγῆναι τῷ φέροντι τὴν νόσον.*
*βαρὺς δὲ κομιδῇ. πῶς ἂν οὖν ἔχοι πτερά;*
*τοιοῦτο πρᾶγμα λῆρος ἦν, κἂν φήσει τις.*

*Quis omnium prior virorum pinxit, aut*
*Alatum Amorem finxit in cera prior?*
*Hirundines solum sciebat pingere,*
*Non ille mores norat, aut mentem Dei.*
*Nec est enim leuis, nec est is, qui celer*
*Morbum ferentis euolet præcordiis.*
*Illi nec alæ sunt, sed hæ nugæ leues.*

Huic sagittas tribuerunt, ob supplicia quæ insani patiuntur, cum potius ob mirificam diuinæ mentis celeritatem quæ per omnia transfunditur, & acutissime penetrat, magis illæ conueniant. Tunc cæcum Cupidinem dixerunt ob turpitudines, quæ ab hominibus dignitatis suæ oblitis cõmittuntur: cum illud potius ad diuinorum consiliorum mirabilitatem spectet ad quæ cognoscenda cæcum est & infans prorsus humanum genus, cum nulla vis humani ingenii possit rationem diuinæ administrationis percipere. Si cæcitas illa ad libidines hominum transferatur, quo pacto non rectissime excogitata est? aut quo pacto non paruus infantis est existimandus, qui neglecto consilio rationeq;, & gloriæ splendore, omnium iniquitatum & turpitudinũ autorem sectetur? aut qui omissis rebus diuinis, & legibus naturæ posthabitis, ad impuras voluptates stulte feratur, quæ visum debilitãt, nonne & stultus & cæcus & infans est existimandus? Idem Deus nudus fingebatur, ad explicandã

turpitudinem libidinosorum: quod tamen ad res diuiniores translatum immensam summi Dei liberalitatem & munificentiam significat, quia sine fuco & fallaciis mens diuina prouidet rebus humanis, cum nihil omnino inde expectet se commodi relaturam. Cum igitur Cupidinem diuinitus in res humanas transfundi putarunt, merito optimũ & pulcherrimum Deum esse dixerunt & antiquissimum, cum Dei benignitas sempiterna sit, at tunc primum nobis cognita est, cum mundum creauit. quare cum chao mistus fuisse dicitur: hanc ab hominum cupiditatibus secernentes, cœlestem Cupidinem appellarunt. At qui in parte animi nostri rationis expers sit, cur non erit potius furor & infamia quam Deus vocandus? nam Phocylides etiam illum Deum esse negauit, affectumque humanum existere asseruit, cum ita inquiat:

*οὐ γὰρ Ἔρως θεός ἐστι, πάθος δ' ἀΐδηλον ἁπάντων.*

*Non Deus est Amor, at cunctorum noxia cura.*

At nunc de Gratiis dicamus.

## *De Gratiis.* CAP. XV.

Gratiæ, quæ vocatæ sunt à Latinis, à Græcis Χάριτες, aliorum parentum filiæ ab aliis scriptorib. creditæ sunt. Hesiodus in Theogonia illas ex Eurynome Oceani filia, & è Ioue natas esse tradidit in his versibus:

*τρεῖς δέ οἱ Εὐρυνόμη Χάριτας τέκε καλλιπαρήους,*
*Ὠκεανοῦ κούρη πολυήρατον εἶδος ἔχουσα,*
*Ἀγλαΐην, καὶ Εὐφροσύνην, Θαλίην, τ' ἐρατεινήν.*
*Tres sibi & Eurynome Charitas pari, edita magno*
*Oceano forma præstanti & corpore Nympha,*
*Euphrosynen, atq; Aglaiam, Thaliamq; decoram.*

Orpheus vero in hymno quodã in laudem Charitũ cõpositõ nõ Eurynomes, sed Eunomię & Iouis filias esse ait in his:

*κλῦτέ μοι ὦ Χάριτες μεγαλώνυμοι, ἀγλαότιμοι,*
*θυγατέρες Ζηνός τε καὶ Εὐνομίης βαθυκόλπου,*
*Ἀγλαΐη τε Θάλειά τε καὶ Εὐφροσύνη πολύολβε,*
*χαρμοσύνης γενέτειραι.*
*Huc agite o Charites celebres, venerandæ propago,*
*De Ioue prognata, Eunomiaq; parentibus olim:*
*Aglaia, Euphrosyneq;, Thaliaq; splendida: claræ*
*Lætitiæ matres.*

Alii Iouis & Autonoes illas filias esse tradiderunt, nominaruntque Pasitheam, Euphrosynen, & Ægialen. Antimachus antiquissimus poëta illas Ægles & Solis filias esse censuit. Hac alii duas tantum putarunt, Clitan & Phaenam: Alii Auxo & Hegemonen, vt ait Pausanias in Bœoticis. Fuit Suadela etiam à nonnullis inter Gratias numerata At communior tamen fuit sententia quod tres fuerint, vt in eo versu testatur Meleager:

τρισσαὶ μὲν Χάριτες, τρεῖς δὲ γλυκυπάρθενοι Ὧραι.

*Sunt triplices Charites, tres Horæ: casta & vt aquæ.*

Iunguntur vna fere semper à poëtis, vt iunxit Horatius in quarto carminum:

*Gratia cum Nymphis, geminisq; sororibus audet*
*Ducere nuda choros.*

Harum vnam cæteris sororibus iuniorem Aglaiam Vulcani aiunt fuisse vxorem, vt eo versu indicatur:

Ἀγλαΐαν δ' ὁ Ἥφαιστος ποιήσατ' ἄκοιτιν.

*Aglaiam facit vxorem Vulcanus at ipsam.*

Omnes tamen scriptores Veneris asseclas putarunt Gratias, quoniam de habitu non parua fuit disputatio. siquidem alii nudas, alii indutas fuisse voluerunt. Pauf. in Bœoticis Gratias antiquitus tam à sculptoribus, quam à pictoribus, & à poëtis cum vestibus introductas fuisse testatur: quarum artifices Pythagoras Parius, & Bupalus, & Apelles extitere; & Socrates Sophronisci F. illas indutas in vestibulo arcis Atheniensium collocauit. His comas pulchras tribuerunt antiqui, vt in hoc carmine testatur Homerus in hymno in Apollinem:

αὐτὰρ ἐϋπλόκαμοι Χάριτες, καὶ ἐΰφρονες Ὧραι.

*Pulchricomæ Charites, & lætæ protinus Horæ.*

Horatius præterea in libro primo carminum illas soluisse zonas inquit, cum frustra zona sine vestimentis portari soleat, quæ cingulum est vestium, cum inquiat:

*Feruidus tecum puer & Solutis*
*Gratiæ zonis, properentq; Nymphæ.*

Illæ igitur cum vestibus operirentur antiquitus, vel quia turpe esset aspectu nudas mulieres sine vestibus conspici, vel quia brumæ frigora formidarent, inciderunt in recentiores tanquam in latrones, à quibus spoliatæ sint: & aufugere denique ex orbe terrarum sunt coactæ, vt præclare inquit ille poëta:

ᾤχετο μὲν Πίστις μεγάλη θεὸς, ᾤχετο δ' ἀνδρῶν
Σωφροσύνη. Χάριτές τ' ὦ φίλε γῆν ἔλιπον.
*Ipsa fides periit magnus Deus, ipsa virorum*
*Et probitas: terram diffugiunt Charites.*

Primus omnium mortalium Gratiis templum erexit Eteocles quidam Rex Orchomeniorum: nam sæpius ad Orchomenios has iotum ire solitas ad fontem Acidalium dixerunt antiqui, vt testis est Strabo libro nono. atq; de Gratiis hactenus fabulose.

¶ Dicuntur Gratiæ filiæ esse Iouis & Eurynomes; quod nihil aliud significat, quam fertilitatem agrorũ, frugumq; abundãtiam: nam εὐρὺ late significat, at νόμος legem, hæc nimirum agrorum vbertas non nisi pacis beneficio prouenit, quod ipsum significat etiam Eunomia. vbi enim leges & æquitas dominantur, cessatque vis, & latrocinia, & direptiones alienarũ rerum; tunc agri rident, domus lætantur, templa Deorũ immortalium iucunda sunt, omnibusq; rebus ornamentum accedit. hoc tamen munus non est solius Eurynomes, aut Eunomiæ, aut Autonoes, q̃ nomen prudentiã significat: sed etiam Iouis. nam humanæ facultates nullæ sufficiunt ad Gratiarum procreationem, cum diuina clementia opus sit, & aeris temperie optime affecti. Id enim senserunt illi qui Solis & Ægles Gratias filias putarunt, cũ nihil sine diuina bonitate, Solisq; calore nasci posse crediderint. Est enim profecto Sol omnium elementorũ gubernator, è cuius vi radiorum vbertas agrorum & omnium rerum nitor exoritur. Sunt illæ res coniunctæ sorores creditæ, quia triplex est vtilitas agriculturæ, è cultu agrorum scilicet, arborũ, & animalium: quare illa nomina merito data sunt Gratiis. Est enim θάλεια amœna arborum pullulatio, quippe cum θάλλειν pullulare significet, vnde Thalia ducta est. Aglaia splendor est, & Euphrosyne lætitia, quæ ex agrorũ cultu & vbertate dominum afficit. Hãc Aglaiã Vulcani vxorem dixerunt, quia splendor etiam fit è singulis artibus prouenienens. alii Pasitheam vnam Gratiarũ pro Aglaia esse dixerunt, quod ad gregis aut iumentorũ huc illuc cursitantium lætitiã spectat: nam θέειν currere significat, πάντη quouis. Istæ dictæ sunt beneficiorũ Deæ, quoniã sine fertilitate agrorũ nemo diues, nemo munificus esse potest. Duæ illarũ nos respiciunt, cũ vna auertatur, quia multiplex est mes-

ſis & terræ liberalitas, quæ tantum frugũ aceruum pro exiguo ſeminum cumulo reddiderit, ſi cœli clemẽtia ita patiatur. Neq; placet illorũ ſententia, qui dicũt pro acceptis beneficiis duplicem gratiam referri conuenire: quoniam viri boni multiplicem referũt; at mali non modo nullã, ſed iniurias plerunq; pro acceptis beneficiis faceſſunt. quidam. n. cum gratias referre nolũt, tum demum ſe liberos forte arbitrantur, ſi aliquã iræ ſimulationem inueniant. atq; is non vir bonus plane eſt, ſed gratiarum vẽditor & mercator, qui facit beneficiũ vt duplex referat. Has virgines putarũt, quia honeſtiſſimũ eſt lucrum è rebus prædictis. neq; tamen nudas omnino illas eſſe conceſſerim, quia nemo niſi inſanus, aut Deus optimus, & omniũ pater, nulla ſpe oblata eſt munificus. nam quæ in Deo laudabilis eſt munificentia & liberalitas, illa ſtultitia eſt in homine, niſi cum prudentia fuerit coniuncta. Vocatæ poſtea ſunt Charites non ſolum illæ ſuperiores, ſed omnia quæ iucunda viderentur, gratias continere, quaſi lætitiam, dicta ſunt: vt in his inquit Muſæus:

*ποιηταὶ δ' ἐκ μελέαι γράψαντες φίον· οἱ δὲ παλαιοὶ*
*τρεῖς Χάριτας ψεύσαντο πεφυκέναι· εἷς δέ τις Ἥρως*
*ὀφθαλμὸς γελόων ἑκατὸν Χάρισι τέθηλε.*

*Tres charites priſci falsô dixere, fluebant*
*Nam Charites plures è membris. vnus ocellus*
*Ridens florebat centum, vel pluribus, Heros.*

Quid igitur ſibi per gratiarum inuentionem voluerunt antiqui? homines ad pacem & ad probitatem hortabantur, quoniam ex his per diuinam bonitatem, quæ ſemper viris bonis eſt propenſa, omnia commoda, omnes diuitiæ, omnis tranquillitas in humanum genus manaret atque ita homines ad ſtudium honeſtiſſimum agriculturæ hortabantur. Verum cum iniuriæ & auaritia omnia recta conſilia ſubuertiſſent, omnemque vitæ tranquillitatem, & agriculturæ ſtudium prophanaſſent, has terram reliquiſſe inquiunt poëtæ: quas cum ad priuata negocia quidam detorſiſſent, ſpoliarunt, nudas oſtenderunt, multiſque iniuriis affecerunt, & ridicula quædam de illis confinxerunt, quæ illis explananda relinquimus. Nunc vero dicamus de Horis.

## *De Horis.* CAP. XVI.

DE Horarum parentibus & nominibus nulla eſt dubitatio, aut certe perexigua: cum omnes prope ſcriptores

consentiant illas è Ioue & Themide natas esse, inter quos fuit Hesiodus qui in Theogonia ita scribit:

δεύτερον ἠγάγετο λιπαρὴν Θέμιν, ἣ τέκεν Ὥρας.
Εὐνομίην τε, Δίκην τε, καὶ Εἰρήνην τεθαλυῖαν
αἵ τ' ἔργ' ὠρεύουσι καταθνητοῖσι βροτοῖσι.

*Inde Themim rursus ducit, sibique parit Horas,*
*Eunomiamq; Dicenq; Irenen deinde vigentem;*
*Maturare quibus curæ est mortalia facta.*

Orpheus non solum ex iisdem parentibus, sed etiam verno tempore natas esse dixit in his carminibus:

Ὧραι θυγατέρες Θέμιδος καὶ Ζηνὸς ἄνακτος,
Εὐνομίη τε, Δίκη τε, καὶ Εἰρήνη πολύολβε,
εἰαριναὶ, λειμωνιάδες, πολυάνθεμοι.

*Et Iouis & Themidis Horæ de semine natæ,*
*Eunomia, atq; Dice, atq; Irene diues, & omnes*
*Florentes, verna, prati velamine lætæ.*

Pausanias in Bœoticis non hæc, sed alia Horarum nomina attulit longe diuersa: vocauitq; aliam Carpo, aliam Thalloten, alterius nomen non dixit: nam καρπὸς fructum significat, θάλλειν pullulare: quas idcirco ἐπικαρπίους siue fructiferas vocauit Aratus in his carminibus:

ἐν τοῖς ἠέλιος φέρεται δυοκαίδεκα πάσι
πάντ' ἐνιαυτὸν ἄγων. καί οἱ περὶ τοῦτον ἰόντι
κύκλον, ἀέξονται πᾶσαι ἐπικάρπιοι Ὧραι.

*Per duodena redit mundi Sol aureus astra,*
*Deducens annum, dum circ'o labitur illo,*
*Fructiferæ semper crescunt, augentur & Horæ:*

Has portas cœli seruare dixit Ouidius in primo Fastorum:

*Præsidio foribus cœli cum mitibus Horis.*

Has & molles habere pedes, & omnium Deorum tardissimas, & noui semper aliquid afferre ita dixit Theocritus in Syracusiis:

μηνὶ δυωδεκάτῳ μαλακαί πόδες ἄγαγον Ὧραι.
βάρδισται μακάρων Ὧραι φίλαι, ἀλλὰ ποθειναὶ
ἔρχονται πάντεσσι βροτοῖσιν ἀεί τι φέροισαι.

*Mollibus hinc Horæ pedibus venere secundo*
*Post decimum mensem, vt gratæ tardissimæ at illæ*
*Sunt superum, ac noua ferre solent mortalibus vsque.*

Homerus lib. 5. Iliadis non solum portas cœli seruare, sed

ſed etiam nubes inducere, & ſerenum facere cum libuerit, inquit: quippe cum apertum ſerenum cœlum nominent poëtæ, at clauium tectum nubibus. ſic enim inquit:

*αὐτόμαται δὲ πύλαι μύκον οὐρανοῦ ἃς ἔχον Ὧραι,*
*τῆς ἐπιτέτραπται μέγας οὐρανὸς Οὔλυμπός τε,*
*ἠμὲν ἀνακλῖναι πυκινὸν νέφος, ἠδ᾽ ἐπιθεῖναι.*
*Sponte fores cœli patuerunt, numine ſeruant*
*Quas horæ: queis cura polus, regioq; ſuperna eſt:*
*Nubilla quæ pellunt, quæ inducun: nubila cœlo.*

Nam Horæ dictæ ſunt ἀπὸ τοῦ ὠρεύειν quod cuſtodire ſignificat: illæ enim & cœlum, & humanam diligentiam ſeruare dicuntur, & fauere diligentioribus ac ſtudioſis.

¶ Dicuntur Iouis & Themidis filiæ, quoniam cum hilaritas & lætitia ex agrorum fertilitate ſint Gratiæ, Horæ fructus ipſi ſunt, quas ſemper fere poëtæ vna cum Venere, at cum Gratiis ſemper certe coniunxerunt. Hæ igitur iiſdem artibus quibus & Gratiæ naſcuntur, cum Themis ſit æquitas, vt νόμος lex. Nam & Leges, & Iuſtitia, & Pax, quæ nomina ſunt Horarum, ſi latine proferantur, cultum agris inducunt: cum bella, iniuriæ, contentiones omnia populentur. Hę igitur naſcuntur ex obſeruatione rerum diuinarum ac legum ciuilium, quoniam cum Themis ſit ęquitas, in animis hominum ab ipſa natura inſita, diuinum eſt principium, vnde leges originem ceperunt. tum Iupiter aëri temperiem impertit, diuina clementia viris bonis ſcilicet. nam rerum omnium abundantia comes eſt probitatis, vt annonæ penuria ſcelerum & impietatis eſt aſſecla: neque vllum fere eſt ſpeculum illuſtrius malitiæ vel bonitatis hominū, aut diuinæ in nos iræ, quam temporum viciſſitudines. Id ſignificare voluerunt antiqui, cum Horas cœli portis præeſſe dixerunt, quæ pro arbitrio & nubes inducerent, & cœlum ſerenum facerent, & omnibus temporibus moderarentur. atque vt ſummatim dicam, nihil aliud per hæc ſignificabant antiqui, niſi quia propter peccata veniunt aduerſa. Verum quid eſſent Horæ, & quod ſemper cum Gratiis coniunctæ ſint, & cur Venerem ſequerentur, ex his manifeſtum eſſe arbitror, & quod per has propoſita rerum omnium copia, quam à Diis immortalibus conſequemur, ad probitatem nos hortabantur, & ad Deorum cultum: de quibus hæc dicta ſufficiant.

# NATALIS COMITIS MYTHOLOGIÆ,

## LIBER QVINTVS.

### *Cur Olympica, aliaq; certaminum genera fuerint instituta.*

PRÆCLARE ſane antiqui feciſſe mihi videntur, qui cum humanam vitam viderent multis calamitatibus, miſeriiſque circumuentam, multiſque incommodis aſſidue vexatam, permulta ad excitandos animos iacentes prope ac defeſſos ad hilaritatem excogitarẽt, vt à quotidianis curis aliquantulum relaxarentur, quibus tamen & cum voluptate mores informarẽtur, & exercerentur vires corporis, & ad religionis cultum vna excitarentur. Nam & comœdiæ, & tragœdiæ, & multa ludorum genera inuenta ſunt, quibus non ſolum ad corrigendos animi mores inſtituerentur, ſed etiam allicerentur homines ad corporis vires exercendas cum quadam voluptate. Ita enim fiebat vt populus qui ſpectatum conuenerat, eruditus cum voluptate diſcederet, cum vitæ moderationem non ſine delectatione imbibiſſet. Atque cum illa fierent animi relaxandi cauſa, tum in honorem Deorum immortalium multa certamina fuerunt inſtituta, quibus & ad cultum rerum diuinarum, & ad exercendas vires corporis homines excitarentur. Conueniebat igitur ex vniuerſa Græcia ingens ad certamina partim ſpe victoriæ, partim ſpectãdi deſiderio, multitudo: vbi poſt peracta certamina de reb. ciuitatibus vtilibus, & ad ſalutem vel gloriã totius Græciæ ſpectantibus, conſultabatur. Et quoniam illa certamina ad religionem antiquorum Deorum pertinebant, me operæ precium facturum exiſtimo, ſi quibus de cauſis, & vbi, & quando illa inſtituta fuerint, & quo pacto agerẽtur, explicauero. Fuerunt igitur quatuor certaminum

genera,

genera, Olympia, Pythia, Nemea, Isthmia, quæ celeberrima fuerunt, de quibus singulatim dicemus, ac primum de Olympicis.

### *De certaminibus Olympicis.* CAP. I.

FVERVNT Olympica certamina, quibus cum voluptate ad immortalium Deorum cultum, & ad exercendas corporis vires homines excitabantur, à Dactylis Idæis vocatis primum instituta, vt fama est. Nam ferunt illos fuisse quinque qui ab Ida Cretæ monte in Elidem venerunt, vbi vnus eorum natu maximus Hercules nomine, certamen cursus per ludum fratrib. proposuit: quorum nomina fuerunt ista Pœonæus, Ida, Iasius, Epimedes: atque victorem oleastro coronauit: quę arbor ab ipso Hercule primum fuit eo ex Hyperboreis deportata. Hercules igitur Idæus primus autor fuit certaminum Olympicorum, & cum quinque fratres fuissent, placuit quinto quoque anno, & quinque certaminũ genera diuersis modis celebrari. Quæ quod quinto quoque anno in plenilunio fierent, ita testatus est Aristophanes in Pluto:

ὁ Ζεὺς δήπου πένεται, καὶ τοῦτ' ἤδη φανερῶς σε διδάξω,
εἰ γὰρ ἐπλούτει, πῶς ποιῶν αὐτὸς τὸν Ὀλυμπιακὸν ἀγῶνα
ἵνα τοὺς Ἕλληνας ἅπαντας ἀεὶ δι' ἔτους πέμπτου ξυναγείρει.
ἀνεκήρυττεν τῶν ἀθλητῶν τοὺς νικῶντας, στεφανώσας
κοτίνου στεφάνῳ καί τοι χρυσῷ μᾶλλον ἐχρῆν, εἴπερ ἐπλούτει.

*Iupiter sane pauper est: quod te palam profecto docebo.*
*Nam si diues sit, quo pacto faciens in certamina Olympi*
*Illic quo Græcos omnes quinto quoque anno coegit,*
*Per præconem pronunciaret athletas victores, vbi coronasset*
*Oleastri corona? nam magis auro decuit, si diues is esset.*

Fuerunt qui victis Titanibus Iouem ipsum hæc certamina instituisse putarint, in quibus Apollo Mercurium cursu superauerit, cum Mars vicisset pugillatu: cuius rei indicium faciunt Pythicos tibiarum modos, qui salientibus quinquertionib. accinebantur, quod carmen consecratum fuit Apollini, vt memoriæ prodidit Pausanias in prioribus Eliacis. Fuerunt varijs temporibus varij modi in certaminibus Olympicis seruati: nam præter homines pueri etiam, & pulli equorum, & fœminæ, & varia vehiculorum genera in hos ludos admissa fuerunt: & iudices in singula certaminum genera delecti, pro quorum arbitrio præmia daren-

tur victoribus. Postea vero institutum fuit vt grauioris armaturæ cursus peditum admitteretur, quod eum ad rem bellicam non inutilem fore existimabant, in quo certamine primus victor declaratus est Demaratus Heræensis, Quod enim armati currerent, facile licet ex epiniciis cognoscere. Alij singulos ex Idæis Dactilis singulos ludos instituisse putarunt, qui quod quinque essent, à digitorum numero sunt vocati. Erant autem ista quinque ludorum genera: cursus, palæstra, discus, saltus, ars pugilum. de quibus ita meminit in eo Epigrammate Simonides:

Ἴσθμια καὶ Πυθοῖ Διοφῶν ὁ Φίλωνος ἐνίκα,
 ἅλμα, ποδωκείην, δίσκον, ἄκοντα, πάλην.

*Isthmia deuicit Diophon & Pythia, disco,*
 *Et saltu, & pugnis, & leuitate pedum,*
*Atque palæstra.*

In his præmia victoribus coronæ proponebantur; atque ingens honor illis habitus est, vt testatur Xenophanes Colophonius in his carminibus:

ἀλλ' εἰ μὲν ταχυτῆτι ποδῶν νίκην τις ἄροιτο,
 ἢ πενταθλεύων ἔνθα Διὸς τέμενος
πὰρ Πίσαο ῥοῇς ἐν Ὀλυμπίῃ, εἴτε παλαίων,
 ἢ καὶ πυκτοσύνην ἀλγινόεσσαν ἔχων.
εἴτε τι δεινὸν ἄεθλον, ὃ παγκράτιον καλέουσιν,
 ἀστοῖσίν κ' εἴη κυδρότερος προσορᾶν,
καί κε προεδρίην φανερὴν ἐν ἀγῶσιν ἄροιτο,
 καί κε σιτεῖη δημοσίων κτεάνων
ἐκ πόλεως, καὶ δῶρον ὅ οἱ κειμήλιον εἴη,
 εἴτε καὶ ἵπποισιν ταῦτά γ' ἅπαντα λάχοι.

*Quod si quis leuitate pedum certamina tentet,*
 *Pentathlum si quis, est vbi sylua Iouis,*
*Hic prope Pisæas vndas vbi surgit Olympus,*
 *Seu grauis ars pugilum, siue palæstra iuuat,*
*Seu graue bellum quod dicunt pancration illi:*
 *Ciuibus ad summum mox venerandus erit.*
*Huic dabitur sedes inter certamina prima.*
 *Impensa hinc illi publica victus erit.*
*Ex vrbe accipiet mox munera plurima, opesque*
 *Atque hæc vel celeri consequeretur equo.*

Scriptum reliquit Isacius Herculem Alcmenæ:

Idæum Dactylum, Olympia instituisse in honorem Iouis, vt tradiderunt in his attestari Pindarus in Olympicis in epinicio Theronis Agrigentini:

*ὁ τοι Πισσᾶν, Διὸς·*
*ὀλυμπιάδα δ᾽ ἔστα-*
*σεν Ἡρακλέης*
*ἀκρόθινα πολέμου.*
*Nam Pisa sane Iouis:*
*Olypiadem statuit*
*Hercules*
*Preludia belli.*

Ferunt enim Herculem post debellatū Augiam Elidis Regem, qui Solis Iphihoæ filius dicebatur, quoniam sibi promissam mercedem ob fimi boum purgationem non accepisset, ex Elidis populationibus & præda certamen Ioui instituisse Olympio, atq; illud Olympicum nominasse. Agebatur illud certamen quinto quoque anno, vt dictum est, vel vt melius dicam, quinquagesimo quoque mense, & eo mense, qui Parthenius fuit vocatus, aut Ἀπολλώνιος, vt ait Pindari enarrator. Id vbi Hercules instituisset dicitur omnes volentes ad palæstram prouocasse; quo nemo cum prodire auderet, fama est Iouem in palæstritam conuersum cū Hercule fuisse colluctatū. cum vero pugna diu anceps fuisset, Iupiter, qui esset, se ostēdit, atq; ita id certamē Ioui gratum fuisse creditum est. Incipiebant Olympia die Lunæ decimoquinto transacto peractis ante solennib. vt mos erat sacrificiis, atque per dies quinque agebantur: cum ante id tempus per dies triginta exercerentur Athletæ. Scribit Strabo libro octauo Olympia certamina post Troiana tempora incepisse, cuius rei illud facit argumentum, quod nullam de Olympicis mentionem fecit Homerus, cum meminerit tantum de nonnullis certaminibus funebribus. Agebantur igitur hi ludi in regione Eliensium non procul à Pisa ciuitate, & Alpheo flumine, vt testatur Virg. in 3. libr. Georgicorum in his:

*Sin armenta magis studium, vitulosque tueri:*
*Aut Alphæa rotis prælabi flumina Pisæ.*

Erat proposita victorib. corona ex oleastro (nam multa coronarum genera fuerunt in diuersis temporib. & locis: neq; omnes ex eadē arbore coronabantur: cū alij gramineis, alij

ſalignis, alij oleaginis, alij laureis vel myrteis, vel quernis coronis, vel apio, vel palma coronarentur) vt patuit è ſuperioribus carminibus Ariſtophanis, & Plutarchus in Catone Vticenſi meminit. Nam Faonius factus ædilis, vt is ait, ſpectaculum in theatro edidit, ac certantibus non ex auro coronas propoſuit, ſed quemadmodum in Olympicis fieri ſolet, ex oleaſtro. Herodotus in Vrania Xerxem Perſarum Regem Græciam inuaſiſſe ſcripſit, quo tempore agebātur Olympia, qui cum Arcadas nonnullos percūctatus eſſet, quæ præmia propoſita eſſent victoribus, illique coronam ex oleaſtro reſpondiſſent, miratus eſt magnopere. Ita ſe habent Herodoti verba: εἷς δὲ τις πρὸ πάντων ἦν ὁ εἰρωτῶν αὐτοὺς ταῦτα. οἱ δὲ σφι ἔλεγον ὡς Ὀλύμπια ἄγουσι, καὶ θεωροῖεν ἀγῶνα γυμνικὸν καὶ ἱππικόν. ὁ δὲ ἐπείρετο ὅ τι τὸ ἄεθλον εἴη σφι προκείμενον, περὶ ὅτου ἀγωνίζονται. οἱ δ᾽ εἶπον, τῆς ἐλαίας τὸν διδόμενον στέφανον. *Vnus præ cæteris illos interrogauit de his: qui reſponderunt, quod agerent & ſpectarent gymnica & equeſtria certamina. Tum rurſus quæſiuit is, quod præmium illis eſſet propoſitum, de quo contenderent: qui reſponderunt coronam oleaginam, quæ dabatur.* Tum dicunt Tigranem Artabani filium ſilentium continere non potuiſſe, quin tanquam timidus, an parum ſtrenuus miles diceret, papæ Mardoni, in quorum hominum regionem nos adduxiſti, qui non pro diuitiis, ſed pro gloria decertant! Nam præter ſuperiora ludorum genera mox additi ſunt equites armati, qui curſu certarēt, vt ait Pindarus in Pſaumide Camerinęo, & multa alia à primis differentia. Pro temporibus enim & negociorum contingentium oportunitatibus ludrica ſunt immutata, cum ſemper vſus fuerit optimus rerum gerendarum magiſter. Enimuero non è quouis oleaſtro tamen coronæ victorib. dabantur antiquitus, ſed è vocata Calliſtephano, vt his verbis teſtatur enarrator Ariſtophanis, de Ariſtotelis ſentētia: ἐν τῷ Πανθείῳ ἐστὶν ἐλαία, καλεῖται δὲ καλλιστέφανος. ταύτης δὲ ἔμπαλιν τὰ φύλλα ταῖς λοιπαῖς ἐλαίαις πέφυκεν, ἀφίησί τε τοὺς πτόρθους ὥσπερ ἡ μυρρίνη, εἰς τοὺς στεφάνους συμμέτρους. ἀπὸ ταύτης λαβὼν Ἡρακλῆς ἐφύτευσεν Ὀλυμπίασιν, ἀφ᾽ ἧς οἱ στέφανοι τοῖς ἀθληταῖς δίδονται. ἔστι δὲ αὕτη περὶ τὸν Ἰλισσὸν ποταμὸν, σταδίους ξ᾽ τοῦ ποταμοῦ ἀπέχουσα. περιῳκοδόμηται δὲ, καὶ ζημία μεγάλη τῷ θιγόντι αὐτῆς ἐστιν. ἀπὸ ταύτης ἔφερον λαβόντες Ἠλεῖοι τῶν ἀθλητῶν ἐν Ὀλυμπίᾳ τοὺς στεφάνους. Oliua quedā

*est in Pastnethio, quæ vocatur Callistephanus, cuius folia è contrario se habent ipsa natura, atque folia cæterarum oliuarum. Demittit ramos tanquam myrtus conficiendis coronis accommodatos. Ex hac cepit Hercules, atque in Olympicis plantauit, è qua dantur coronæ Athletis. Est vero ipsa circa Hilissum fluuium sexaginta stadiis distans ab ipso flumine, atque circumscpta est. Proposita est magna pœna siquis illam attigerit; è qua capientes Elei Athletis coronas in Olympicis proponebant.* Hanc & ab Hercule fuisse ita portatam, & ea coronari in Olympicis Athletas consueuisse, ita significauit Pindarus in epinicio, Tharonis Agrigentini:

Αἰτωλὸς ἀνὴρ ὑψόθεν
ἀμφὶ κόμαισι βάλῃ γλαυ-
κόχροα κόσμον ἐλαίας, τάν ποτε
Ἴστρου ἀπὸ σκιερᾶν παγᾶν ἔνεικεν
Ἀμφιτρυωνιάδας,
μνᾶμα τῶν Ὀλυμπίᾳ κάλλιστον ἀέθλων.

*Ætolus vir alte*
*Circa comas ponat vi-*
*rens ornamentum oliua, quam olim*
*Istri ab vmbrosis fontibus tulit*
*Amphitryoniades,*
*Monimentum in Olympicis pulcherrimum certaminum.*

Non erit fortasse iucundũ, si summatim & breuiter quantum natura rei patietur, cõplexi fuerimus varia certaminũ genera, quæ diuersis temporibus in numerum celebritatemque olympicam fuerunt admissa, quantum tamen aciem oculorum nostrorum intendere potuimus.

¶ Prima igitur olympiade Mars pugilum victor renunciatus est, & Apollo de cursu victoriam reportauit, pro illorum sententia, quia hæc ipsa certamina à Dijs primum fuisse instituta tradiderunt: in quibus Dij prius se exercuerint, atq; in ipsis quinque ludorum generibus. Alij tamen maluerunt vnicum prius fuisse de stadio certamen apud Eleos, vt ait Pausanias in rebus Messeniacis. Prius fuit omnium mortalium Corœbus Eleus, qui victor de cursu renunciatus est in Olympicis certaminibus, quæ cursus consuetudo dicitur aliquandiu perdurasse: quippe cum Olympiade quarta Polycrates Messenius vir cæteroquin minime obscurus olympica palma non parum fuerit nobilita-

tus,atq; eadẽ ratione sexta olympiade palma de stadio data est OEbotæ Dymæo: deinde cum Pisæi Eleos vehementer irritassent, quia cupidius contenderent condendi Olympicos ludos authoritatẽ sibi vẽdicare, atq; exitium illius struxissent, Elei accitis auxilijs Phidonis Argiui Tyranni cunctæ Græciæ inuidiosi,ac eius pręsidiis subnixi ludos octaua Olympiade commiserũt,qua victor de stadio declaratus est Agamedes Tanagræus. at sequẽti Olympiade renunciatus est victor de stadio Xenophon Messenius. Perdurauit sicut instituta fuerat Olympicorũ ludorum cõsuetudo ad decimam & quartã vsque olympiadem: nã decima quarta additus est duplicati spacij cursus, qua Olympiade renunciatus est victor primus Hypenus Pysæus,ac sequẽti Acanthus Lacon: decima octaua deinde olympiade cumquinquertionũ ars paulatim abolita esset, & luctæ cæteraq; ludicra tũ denuo fuerunt instaurata; quo anno præmium reportauit de quinquertio Lampidus, & de lucta Eurybatus Lacedæmonij, & de stadio Demaratus Heræensis. Tertia post vicesimam Olympiade, qua palma tulit de stadio Icarus Hyperesiensis, institutũ fuit cæstuum ludicrum, cuius victor declaratus est Onomastus Smyrneus: victoriã tulit de stadio proxima Olympiade Damon Corinthius. At vigesima quinta currule certamen etiam institutum fuit, & integræ ætatis equarum cursus,è quo certamine curru victoriã reportauit Pagondas Thebanus, quo etiã tempore fœminæ ad equestrem victoriã aspirare ausæ fuerunt. Nam cum equestrem victoriã prima omnium mulierũ Cynisca Archidami regis filia consecuta fuisset, de quadrigis vndeuicesima olympiade,qua iterũ vicit de stadio Chionis Lacon,qui vigesima septima quoq; vicerat,& de pugillatu Xenophõ Corinthius, deinde reliquæ Macędonum mulieres equos alere in certamina cœperunt: ad quod ludicrum & currus institutus fuerat decima sexta. Postmodo cum equi desultorij fuissent prætermissi, qui nona Olympiade fuerant instituti, eadem Olympiade in certamina Olympica redierunt, qua palmã de pancratio adeptus est Lygdamis Syracusanus, at equorũ desultoriorum victor declaratus est equa Cranonia Creusidas. sunt autẽ equi desultorij, quibus cum ephippijs exercebantur antiqui celeriter insilire ad vsum bellorũ. Quarta & tricesima deinde Olympiade, quarta nimirum ab ea qua terti-

tertiam palmam tulit Chionis Lacon, Pisęi comparatis vndique finitimorum auxiliis regē suum Pantaleontem secuti submotis Eleis ipsis ludis olympicis pręfuerunt, cum etiam de ea re non leuis ambitio & controuersia inter nonnullos Græcos fuisset exorta: quod accidit anno quinto, postquā currulem victoriam reportauit de quadrigis Myron Sycyoniorū tyrannus. tricesima septima Olympiade Elei pro sua sententia nullos veteris memoriæ exemplo, puerorū certamina cursus & luctæ instituerunt, & pręmia proposuerunt qua Olympiade palmam cursus accepit Eleus Polynices, at luctæ Hipposthenes Lacedęmonius. atq; horum quinquertium postea receptū fuit Olympiade tricesima octaua, qua palmam tulit de puerili palæstra & de quinquertio Eurelidas Lacædemonius. Nā tunc luctatorū prius, deinde quinquertionum ludicrum cōmittebatur. at illud postea ita reiectum est, vt postero dein tēpore nulli pueri quinquertiones sint admissi. Prima post quadragesimā Olympiade, qua fuit renunciatus victor Philetas Sybaritanus, admissi fuerunt pueri etiā in ludum cæstuum, cum cæstus nominaretur claua, quæ plumbeas quasdā pilas loris bubulis pręlongis haberet appensas, quibus decertabatur omni industria, robore, arte, constantia. de sequenti quinquertio palmam Olympicā reportauit Gorgius Eleus, cum tertiā ante istud obtinuisset, cum tibicines & citharœdi & aulœdi recepti fuissent quadragesima octaua Olympiade, qua declaratus est victor de pancratio Glaucias Crotoniates, reportauit palmam de tibicinibus Sacades Argiuus, de citharœdis Cephalo Lampi filius. de aulœdis Echembrotus Arcas. quinquagesima postea Olympiade, qua palmā tulit de stadio Epitelidas Lacon, iudices de communi nōnullarum Græcarum ciuitatū consensu delecti res Olympicas iudicare iussi sunt, idq; muneris duobus iudicibus Eleis sorte ductis, ex ipsa Eleorū ciuitate demandatum est, vt illis curæ esset quo res iuste apteq; succederet; darenturq; præmia quibus legitime & pro meritis conuenirent, qui iudices Hellanodicæ dicti sunt, quod idem est ac si dicas iudices Grecorum, cum antea soli Lacones, aut soli Athenienses iudicarent, atq; ille quidem binorum designatorum numerus ad multos annos perdurauit. Hi statuerunt primū vt cursores pueri ante Solis ortum suos ludos inciperent, qui opus esset illos

ante meridiem omnino esse absolutos. Nam cum esset iam meridies, mos fuit vti quinquertiones exercerentur, & illa certamina, quæ dicebantur grauiora. Arrhachion quarta post hãc olympiade, qui duas alias de superioribus pancratiastis reportauerat, victoriam est adeptus magna virtute: quippe cum victis alijs aduersarijs vnus relictus sit, cũ quo de oleastro certaret, ille eodẽ impetu pedibus Arrhachionẽ cinxit, & collum obstrinxit manibus, sed cum Arrhachion digitum pedis illi infregisset, iam prope strangulatus animaq; efflans, corruit aduersarius præ dolore digiti. Elei cadaueri tamen Arrhachionis palmã per præconẽ detulerũt. Octaua supra quinquagesimã olympiade palmã tulit Diognetas Crotoniates, cum sequenti cœperint primi athletarum omniũ statuas suas dicare Dijs, Praxidamus Æginetа, qui cæstibus vicit olympiade vna de sexagesima, & Opuntius Rhexibius, qui pãcratiastas superauit olympiade sexagesima prima. at quarta post hanc grauis armaturæ cursus, de quo palmam tulit Demaratus Heræensis, acceptus est in stadiũ cum magno applausu, quia cursus ille videretur esse rebus bellicis peraccõmodatus, cum mos esset vt cum scutis etiã decurreretur: vicit idem Demaratus sequenti etiam olympiade, qua Elei & Græci sustulerunt cursorũ ocreas & scutũ, atq; vicit de cursu equorũ Cleosthenes Epidamnius, qui nõ solum suum sed etiã equorum nomen statuę adscripsit, cum primus de victoribus equorum statuam sibi erigi curarit. tulit palmam cursus post modo Theopompus Demarati filius, & huius postea filius eodem nomine de quinquertio, ac de cursu puerili Lycinus Heræensis, Epicradiusque Mantinensis de pugillatu, sequẽti olympiade Theagenus Thasius de pancratio palmam tulit, cum antea Dromeus Mantinensis primus fuerit, qui sine puluere palmam sit adeptus. consecutus est idem Theagenes tres Pythicas coronas de pugillatu, nouemq; Nemiacas, & de mistis pugillatus & pancratij certaminibus decẽ in Isthumo. Renunciabantur autem victores iudicũ decreto per præconem in celeberrimo totius Græciæ conuentu cum magno suorum & ciuium & amicorum omnium applausu, atq; septuagesima Olympiade theda etiã & carpentum fuit introductum ad cætera ludicra. Sequenti postea Cleomedi Astypalæensi erepta fuit palma ab Ædilibus, quod ille in pugillatu men-
tis

tis impotens factus secum Epidaurium interemisset. inde Cleomedes Astypalæam reuersus pueros ad sexaginta in ludo literario oppressit, conuulsa columna robore brachiorũ ædificium fulciente: mox in sequentib. cum lapidibus Astypalæensib. in Mineruæ sacellum cõfugit, in arcamq; se inclusit, qua vi reclusa nemo fuit inuentus, vt memoriæ proditum est à Plutarcho, & Dioxippo Corinthio in rebus patriis. Nam parũ decorum videbatur iudicibus aduersarium iam victum & prostratum ac supplicem occidere, quod iã plurimũ fallaciarum & crudelitatis in hos ludos introduci cœperat. introductũ fuit deinde lata lege vt athletę omnes, eorumq; parentes, fratres, gymnasii magistri, conceptis verbis super exectis suis testibus iurarent se nihil fraudis esse cõmissuros, quo minus Olympici ludi recte legitimeq; procederent: quin etiam iurabant se decem menses in ludicris perdiscẽdis ante consumpsisse. Secunda post septuagesimã coronatus est de stadio Tisicrates Crotoniata, post quem palmam tulit Gelon Gelous, post quem Cæcini fluuii filius creditus Euthymus, vt ait Silenus Chius in fabulosis historiis. idẽ Euthymus cęstibus sequenti Olympiade victus fuit à Theagene Thasio, qui tamen Oleaginã non accepit, quia iudicatus sit aduersariũ fraude circumuenisse, cum pugillatus & pancratii palmã appeteret: quin etiam vnum talentũ Ioui sacrã multam Ædilium sententia, alterũ Euthymo ad luendã contumeliæ noxã iussus est pendere: quæ Olympias insignis esse potuit clade illa memorabili, qua euersæ sunt res Persarũ duce Mardonio. Sed quoniã qui virtute nõ poterat, virtutis insignia aliquando & victoriam ipsam corruptis iudicibus largitione reportabat, statutum fuit hac ipsa septuagesima quinta Olympiade communi omniũ Græcorum sententia, vt nouẽ iudices Hellonodicæ res Olympicas diligẽter curarẽt. Illa, quę secuta est, Olympiade Theagenes Ioui quod erat imperatum talẽtum dissoluit, at cum aduersario enumerare recusauisset, in pugillatũ non descẽdit, quare & hac & altera Euthymo pugillatus corona est decreta. Septuagesima septima Olympiade instituta sunt facta vt mactatis Deo victimis quinquertionum primũ & cursus certamina, deinde equorũ committerẽtur, cum antea & homines & equi eadem die inducerentur; qua Olympiade declaratus est victor de pancratio Callias Atheniẽsis.

Pancratiastę sub noctē prodibant, cum nō possent ante accersiri, quia dies equiriis & quinquertio absumebatur. enim uero non solū curabāt horum certaminū præfecti iudices vt omnia ratione & sine fraude procederent, sed etiā ne cui ab aduersariis vel à iudicibus fieret iniuria: idcirco solenne fuit iudicibus pronunciaturis sententiā de certatoribus iurare se nullā capturos esse pecuniam ob rem iudicandā, sed tamen quib. rebus adducti probarint aut improbarint nō esse in vulgus prolaturos. ex iis autē qui fraudem commisissent collecta mulctaritia pecunia in vsus templorum vertebatur. Idcirco octaua supra septuagesimā Olympiade Pherias Ægineta de medio recedere iussus est, quod esset adhuc adolescētulus, neq; vllo pacto par aduersario in certamine luctandi videretur, qui tamen sequēti ad [illegible]ssus omnes pueros lucta vicit. qua Olympiade decimus iudex additus est, cū tres de cursu, totidem de quinquertio, reliqui de cæteris ludicris prius iudicarēt. Quinta post hāc carpentū & rheda in omnē tempus posterum fuit exclusum, cū vtrumq; vehiculū fuisset in curriculū septuagesima Olympiade receptū. Sexta & octogesima palmam tulit de stadio OEbotas Cyreneus, at Philes Eleus de lucta puerorū Nona supra octogesimā Olympiade obtigit palma de puerili pugillatu Hellanico filio, de virili vero patri eius Alcænato Lepreatæ, cum Theantus etiā filius Olympiade sequēti victor de pugillatu sit renunciatus, qua Taurosthenes Ægineta à Chæmone quidem in lucta fuit prostratus, sed sequēti omnes deiecit, qui in certamē luctæ descenderunt. Olympiade deinde nonagesima tertia biiugorum equorum integræ ætatis cursus denuo receptus fuit in curriculū, qua vicit Euagoras Eleus. Tertia deinde victor de stadio euasit Eupolemus Eleus. Ac nonagesima octaua cū Eupolus Thessalus vnus ex iis qui ad pugilū certamen conuenerant, corripuisset pecunia Phormionem Halicarnassensem, Prytanim Cyzicenum, & Argetorē Arcadem, qui superiore Olympiade de pugillatu victoriā fuerat adeptus, & ipse & qui pecuniam cœperāt cōdemnatus est, quod primi illa corruptela ludorū religionē polluissent. Eorū itaq; mulctam exegerūt acriter Elei. Vnadecentesima Olympiade iunctis ad currū pullis decertatum est, de quo coronam tulit Sybariadas Lacedæmonius. longioris curriculi victor euasit Sorades Cretensis, sic enim

fuit

fuit publice renunciatus idcirco illa, quæ consecuta est, cũ accepta publice ab Ephesiis pecunia victor se Ephesiũ prodi maluisset, perpetui exilii condemnatus est à Cretensibus. fuit enim eximiæ fortitudinis ac roboris Sotades, vt ait Echemenes in rebus Cretensibus, non minus quã Leontiscus aut Sostratus pancratiastæ, qui dicti sunt acrochersitæ, quod summas manus aduersariorum tam fortiter apprehendebant, vt non prius dimitterent, quam elisis digitis confectos & victos dolore intelligerent. omniũ tamen athletarũ maxime admirabile fuit robur Milonis Crotoniatę, qui sex palmas Olympicas de lucta fuit adeptus, ac totidem pythicas. aiunt Milonem malum punicum ita manu compressa tenuisse, vt neq; q conaretur posset extorquere, neq; id tamẽ eliderer. ita perunсto semper disco insistebat, vt omnes, qui impetu facto detrudere ipsum conarentur, haberet ludibrio. caput neruo tanquam redimiculo incingebat, deinde interclusо spiritu compressis labiis quanta vi maxime posset, cum venæ capitis plurimo intumuissent sanguine, neruũ disrumpebat. vbi cubitum lateri admouisset porrecta dextera ac sublato pollice, reliquos digitos si iunctim intendisset, nemo erat tam fortis, vt vllo conatu minimum posset à cæteris seiungere. Eodem tempore in trib. duodecim Elei descripti sunt, atq; tribus singulæ suum dedere ludorũ cognitorem. Olympiade sequẽti renũciatus est victor de pancratio primum Damon Thurius, ac postea Pyrrhus ludis præfectus præmia tulit de equiriis. Troilus bigis equorũ integræ ætatis, vicitq; polorũ curru. lege postea ab Eleis cautũ est post Pyrrhi victoriã, ne quis è præfectis ludorũ equos in certamen mitteret in posterum, & stadio iterum renũciatus est victor idẽ Damon Thurius. fuerunt tamen nonnulli qui octauã, tricesimam, & cẽtesimam quartam Olympiadas vacuas memorent, vocentq; anolympiadas, ꝙ propter dissensiones Eleorũ & Pisæorũ ludicra fuerint intermissa. at quinta post centesimam Olympiade palmam de stadio meruit Prorus Cyrenæus. at enim cum afflictæ fuissent res Eleorũ postmodo Arcadum bello, & ii parte agri mulctati amissis omnibus curiis quę in hostium potestatem venerant, quarta & cẽtesima Olympiade in octo tribus redacti sunt Elei, decretumq; vt totidem Hellanodicæ eligerentur: sed octaua supra centesimam, qua de sta-

dio Polycles Cyrenęus victor est renunciatus pristinus numerus Ædilium decē scilicet vsurpatus fuit. Quarta ab hac iam agebatur olympias, cum Callippus Atheniensis quinquertii coronā precio ab aduersariis auertit. petita est mulcta tū à Callippo, tum etiā ab iis qui cū Callippo consensissent, quam Elei, per Hyperidem Athenas missum postularunt; quod nisi fieret, vetabantur lege sacra omnes Atheniēses ad olympica ludicra accedere at Athenienses exoratum miserunt Eleos, quod cū impetrari non potuisset, non prius decreuerunt dissoluere, quā responsum sit ab oraculo Delphico nō responsurum esse antequā Eleis satis fuisset ab iis factū. vigesima tertia post centum victoriā de stadio accepit Idæus Cyrenæus, cum sequenti Ladas Ægiensis patria palmam tulerit de stadio, quā deletæ sunt Græcorū virtute Gallorū acies ac penitus profligatæ, ita vt nec vnus quidem saluus domū redierit. nam Brennus solicitatis animis Gallorū ad expeditionem contra Græcos suscipiendā ad centū & quinquaginta millia peditum, equitum sexaginta millia & amplius misit. Dux certe ipse copiarū vltro hausto mero post accepta vulnera dicitur mortem oppetiisse. Cum receptæ deinde bigę pullarum & desultorius pullus fuissent, bigarū palmā tulit vicesima octaua Belistiche fœmina ex ora maritima Macedoniæ, & tricesima primā post centesimam desultorii pulli Tlepolemus Lycius. quadragesima post cētesimā Olympiada palmam adeptus est de pancratio & pugillatu Clitomachus patria Thebanus, qui de palæstra & pugillatu ad Isthmum antea tulerat, & tres palmas de pancratio Pythico. quarta ab hac olympiade puerile institutū est pancratiū, in quo vicit Phædimus Æolēsis, ex vrbe Troade: sed illud mox fuit ab Eleis repudiatum. sexagesima post centesimā victor de stadio Diodorus Sicyonius est declaratus. decimaquarta postquam Eleus, & post hunc Aristomenes Rhodius & post hunc Protophanes Magnesius palmā tulerunt, atq; post hunc octaua supra centesimā & septuagesimā vicit, coronatusq; est de lucta & pancratio eodē die Strato Alexandrinus. secunda & nonagesima supra centesimam Polyctor Damonici Elei, & Sosander Sosandri Smyrnæi filii descenderunt in luctæ certamē: sed cum Damonicus impensius optaret filio suo victoriam obtingere, dictus est Sosandrum data pecunia impulisse, vt se facile vinci pateretur,

teretur. sed vtrorumq; parentibus mulcta indicta est & exacta, cum ab illis noxa fuisset commissa. irrogata fuit mulcta Sarapioni etiam pancratiastæ prima post ducentesimã Olympiade, qui condemnatus fuit timiditatis pridie quam pancratium committeretur, quia metu aduersariorum solum verterit, quod vni ex omnibus vndenis athletis per omnem hominum memoriam accidisse memorant. Vndecima post ducentesimam oleastrum tulit Xenodamus pancratiasta Anticyrensis, cum sequenti coronatus sit Artemidorus Trallianus. Condemnatus est Olympiade decima octaua post ducentesimam Apollonius pugil Alexandrinus, quia ad statutum diem non adiit: neque illi profuit quod ad Cycladas se detentum causatus esset, cum ad statum diẽ conuenire oporteret, quorum nomina athletarum legitime data fuissent. Heraclidi igitur coronam intacto Elei ac sine puluere partam decreuerunt, cum id grauiter ferret Apollonius, in Heraclidem coronam iam capientem impetum fecit, & ad ludorum præsides vsque persecutus est, quæ insania illi magni stetit. octaua post hanc condemnati sunt pugiles deprehensi de eadem palma inter se pacta pecunia societatem coiisse, quare illis mulcta est imposita: ii fuerũt Didas & Garapammon qui pecuniam dedit, ambo ex Arsinoite tribu Ægypti. Olympiade vero quinta ac tricesima post ducentesimam, qua Mnesibulus de cursu victor palmam tulit, duplicati sunt cum clypeo curriculi, cum & alias Mnesibulus Eleata cursor cæteros cursores Olympicos superasset. Atque res Olympica ita miram varietatem diuersis temporibus sortita est, & quemadmodum res humanæ omnes sortiuntur, quæ nunquam in eodem statu diutius possunt consistere. Verumtamen ex iis perspicuum esse posse censeo, quæ genera ludicrorum, & quibus temporibus singula fuerint instituta vel instaurata, & quid iudices spectare oporteret, & quæ præmia proponerentur victoribus. Atque de Olympicis certaminibus hæc breuiter dicta sint, nunc de Pythiis dicatur.

## *De Pythiis.* CAP. II.

FVerunt & Pythia multis annis ante Isthmia instituta, post Olympia, tamen & ea in honorem Apollinis agebãtur, cœptaque sunt eo tempore, quo Apollo latronem in Delphis sagittis cõfixit, qui postea insepultus ibi cõtabuit.

quem tamē draconem quidam esse crediderunt, vt dictum est. Alii instituta dixerunt, quia cum artem vaticinandi sit à Pane doctus, qui sciteArcadibus leges dedit, mox ad vaticinium venit, vbi Nox, deinde Themis responsa dabat, Pythone præside tunc tripodis prophetici ęso ipse vaticiniorum locum occupauerit. Cum cœpti essent igitur celebrari ludi Pythici, antiquissimum omnium fuit certamen, vt hymni in Apollinem cum tibiis ad citharam canerentur, & ab ipsis aulœdis. atqui variis temporibus & hæc ipsa certamina multam varietatē sortita sunt: quia priuś fuit institutum pācratium, siue quinquertium, quoniam fama est prima Pythiade, in qua certarunt Dei, vicisse Castorem stadio, Pollucem pugillatu, cursu Calaim, armatum Zetem, disco Peleum, lucta Telamonem, Herculem pācratio, qui ramo lauri coronati sunt, vbi primum Pythia sunt ab Apolline instituta, vt quidam putarunt. alii tamen vocata fuisse Pythia crediderūt à loco Pytho nominato; alii ab interrogatione, cum πύθεσθαι sit percunctari in qua vicit Pythiade Achmæas Parapotamius cæteros omnes pueros pugillatu, ea fuit prima, in qua homines decertarunt, vt ait Pausanias. Altera deinde Pythia de Amphictyones, qui fuerunt his ludis præfecti ab Amphictyone Deucalionis filio nominati, vel (vt alii maluerunt) ab Amphictyone Heleni filio, qui hunc conuētum instituit, quod accidit quadragesima octaua Olympiade, omnem artem aulœdorum repudiarunt, quia nescio quid triste & insuaue auditu, minimeq; iucundi omnes canerent. nam elegi & funebres modo magis hisce tibiis conueniebant, quā vllum lætitiæ genus, vel ludorum festiuitas qui celebrabantur. institutum fuit coronarium dumtaxat certamen vt submotis præmiis relinqueretur, cum primum pecunia esset prçmium victorum. Additus est etiam equorū cursus, qua Pythiade renunciatus est victor Clisthenes Sicyoniorum tyrannus, eademq; certamina indicta sunt Athletis, quæ & in Olympia erant, lata lege vt soli pueri tū longiore, tum etiam repetito cursu mane certarent. nam sicuti dictum fuit, curru etiam in Olympicis decertabatur. Octaua Pythiade lege ludorū comprehensi qui assis fidib. canerent, quā coronatus fuit Agelaus Tegeates. Quadragesima Pythiade octaua cœptum est certari bigis, è quo certamine victor euasit Phocensis Execestiades. Quinta postmodo ab

illa

illa Pythiade pullis ad currum adiunctis decertari cœptum est, in quo certamine cæteros omnes quadrigis superauit Orphondas Thebanus. Postea vero sexagesima Pythiade admissum est inter pueros pancratium, & biiuges atque iniuges pulli, serius quam ab Eleis, quo tempore victor declaratus est Laidas Thebanus: cum pulli postea etiam singuli fuissent admissi. septima post hanc Pythiade bigæ receptæ sunt, & pulli singuli ad currum, qua singulari pullo Lycormas Larissæus, at bigis Ptolemæus Macedo victor fuit declaratus. In omnibus his certaminibus laurea corona donabatur, sicuti patet è Pindari epiniciis, quæ corona propria fuit illorũ ludorum existimata. nã credebatur esse grata Apollini, quia fabulati sunt amatam fuisse ab Apolline Ladonis filiã in illam arborem conuersam: sed tamen fuerunt nonnulli qui existimauerint quod multo antequam Apollo Daphnem amaret, instituta sunt Pythya, & antequam laurea reperiretur, vel ex palma, vel ex æsculo coronę dabantur victoribus, vt ait Ouid lib. 1. Metamorph. in his:

*Instituit sacros celebri certamine ludos,*
*Pythia perdomitæ serpentis nomine dictos.*
*Hic iuuenum quicunq; manu, pedibusve, rotave*
*Vicerat: æsculeæ capiebat frondis honorem.*
*Nondum laurus erat.*

Nam primis Pythiorum temporib. non erat adhuc inuenta laurus, qua postea inuenta & locus datus est fabulæ, & coronæ victoribus Pythiorum ex illa confectæ. Apparet autem ex Ouidii carminibus non Amphictyones, neque filiũ Deucalionis, sed Apollinem ipsum prę lætitia victoriæ eius certaminis, in quo Pythonem ceciderat, Pythicos ludos instituisse, atque eadem prope ludicra fuisse in Pythicis, quæ erant etiam in Olympicis. alii dixerunt neque palmam, neque æsculum, neque laurum præmium fuisse Pythiorum, sed poma quædam Deo consecrata victoribus donari solita vt scripsit in libro de coronis Ister. Verum istud accidit, quia & ludicra, & præmia victorum, & tempora, quibus agebantur Pythia, sæpius immutata sunt: nam cum nono quoque anno primum agerentur Pythia, perducta sunt postea ad quinquennium, quia tot Nymphæ dictæ sunt Parnasides dona Apollini, cum feram trucidasset, obtulisse. at de Pythiis satis, nunc de Nemeis dicamus.

## De Nemeis. CAP. III.

CElebrabantur Nemea in sylua quadam ita vocata, quæ fuit inter Phliuntem & Cleonas Achaiæ ciuitates, in Archemori Lycurgi filii honorem, quoniam in illa sylua dicitur à serpente morsus interiisse. Alii dicunt quod septem duces Argiui opem ferentes Polynici militantes ad Thebas in Lemnum Thraciæ profecti siti correpti in Hypsipylen Lemniam inciderunt, quæ Lycurgi sacerdotis Iouis & Eurydices filium Opheltam ferebat. Hæc rogata tanquam perita eius regionis vt aquam ostenderet, dux fuit illis ducib. ad fontem, relicto puero in quodam prato, quem serpens repertum & spiris circa collum conuolutus necauit. Duces eo profecti re visa serpentem interemerunt, atq; in trienniũ quodque certamen funebre instituerunt, certabant in illis milites aut militũ filii tantum prius, quamuis vulgus postmodo fuit admissum. Dicitur à Theagene in rebus Æginetis illa de causa è Lemno in Nemeam confugisse, quod statutum fuerat apud Lemniades vt omne genus marium de medio tolleretur, atque cum mares omnes fuissent trucidati, sola Hypsipyle Thoantem patrem in arca seruauit. Illud cum patuisset Lemniis, vbi argonautæ essent abnauigaturi, ipsum dimerserunt in arca inclusum, at Hypsipylen propter pietatem erga parentẽ capitis condemnarunt. Illa his auditis fugit, atq; capta à piratis in itinere Lycurgo diuendita fuit. Eurydice igitur Lycurgi vxore volente Hypsipylen interimere ob mortem filii, atq; Hypsipyle latente in quodam loco occulto hac ipsa de causa, Amphiaraus vaticinatus est, eamque indicauit Thoanti ac Euneo quęrentibus filiis, quorum opera & ducum Argiuorũ beneficio fuit seruata. Fuerunt vero eadẽ ludicra in his, quæ etiam in superioribus instituta, at victores apio coronabãtur, quæ funebris erat planta: idque ad perpetuam Archemori memoriam. Alii Nemea instituta fuisse maluerunt ab Hercule, quia Nemæum leonem ibi occiderit. alii ob Opheltam (vt diximus) quia per propriam mortem in Thebas militantibus Lacedæmoniis vaticinatus fuit: erat enim certamen epitaphium siue funebre, in quo milites aut militum filii solum primum certabant, quamuis & populus in id postea fuit admissus. alii non ob illum prædictum Opheltem, sed ob Opheltem Creusæ & Euphetæ filium instituta fuisse

Nemea

Nemea crediderunt, qui ictus fuit à dracone absente Hypsipyle nutrice, cum illa aquatũ iuisset, quod ab illa aquam Argiui petiuerant. Instituta vero sunt illi Nemea ad Hypsipylæ consolationem, quæ etiam à nigris vestibus & lugubribus indutis iudicibus iudicabantur. Dictus postea fuit hic Opheltes Archemorus, quia illi mortẽ Amphiaraus vaticinatus esset à principio vitæ. nam ἀρχὴ principiũ, μόρος mortem significat. Coronabantur (vt fama est) antiquitus oliua victores Nemeorum, sed post cladem à Medis captã in honorem cæsorũ apio funebri planta coronari cœptum est. Dicta fuerunt Nemea à bobus, quæ Argiuæ Iunoni erãt consecratæ, quæ in ea sylua pascebantur. Alij maluerunt Nemeam vocatam fuisse quandam regionem Argiuorum à bobus Iouis & Lunæ ibi pascentibus. Alij à Danai filiabus, quoniam regio fuisset illis in capita distributa. His ludis enim Argiui & Corinthij & Cleonæi homines præerãt. Lucianus in dialogo de Gymnasijs ita mentionem fecit de singulorum horum certaminum præmiis: Ὀλυμπιάσι μὲν στέφανος ἐκ κοτίνου, Ἰσθμοῖ δὲ ἐκ πίτυος, ἐν Νεμέᾳ δὲ σελίνων πεπλεγμένος, Πυθοῖ δὲ μῆλα τῶν ἱερῶν τοῦ θεοῦ. *In Olympiis quidem ex oleastro, in Isthmiis è pinu, in Nemeis ex apio corona connexa, at in Pythiis mala Deo consecrata victoribus erant proposita.* Atque huic certaminum generi apium iure conuenire censebatur, quoniam ex occisi à serpente pueri sanguine apium herba nata esse credatur. Non defuerunt qui in honorem Archemori primum instituta fuisse dixerint Nemea, at ab Hercule fuisse in meliꝰ correcta, cum leonẽ Nemæũ occidisset: qui illi postea Ioui consecrauit, & post triennium, tempus peragendis, statuit diem duodecimum eius mensis, qui πάνεμος à Corinthijs, ab Atheniensibus autem βοηδρομιὼν dicebatur, quia eo mense Theseus Amazonas debellauit. atque Cretenses demum iudices sunt electi at nunc de Isthmijs dicamus.

## *De Isthmiis.* CAP. IV.

SCRIPTVM reliquit Plutarchus in vita Thesei, Theseum ipsum Isthmia in honorem Neptuni ad imitationem Herculis, qui Olympia Ioui consecrauit, instituisse: quippe cum illa quæ in honorem Melicertæ fierent, noctu agerentur, & magis initiandi, quam spectaculi causa constituta,

viderentur: quæ instituta fuerant à Sisypho Æoli filio, vbi Melicertæ sui propinqui cadauer agnouisset, Athmantisque filium honore illo persecutus est. Non defuerunt tamen qui in Scironis honorem Isthmia celebrari crediderint, & ea putarint à Theseo inuenta ad mortem ipsius Scironis expiandam. Alij ob Sinnin Procustem Neptuni filiũ à Theseo cæsum, alij alijs de causis instituta fuisse Isthmia, omnes tamen à Theseo cõsensere. Quæ dicta sunt Isthmia ab Isthmo Peloponẽsi, cuius in faucibus ad Neptuni templum ibi celeberrimum quinto quoq; anno celebrabantur. Archias autẽ poeta non in Neptuni, sed in Palæmonis honorem Isthmia fieri solita scribit, in illo epigrammate:

τέσσαρες εἰσὶν ἀγῶνες ἀν' Ἑλλάδα τέσσαρες ἱροὶ.
οἱ δύο μὲν θνητῶν, οἱ δύο δ' ἀθανάτων·
Ζηνὸς, Λητοΐδαο, Παλαίμονος, Ἀρχεμόροιο.
ἆθλα δὲ τῶν κότινος, μῆλα, σέλινα, πίτυς.

*Quatuor in Græcis certamina quatuor illa*
*Sacra: duo superis, sunt duo sacra viris.*
*Sunt Iouis hæc, Phœbique Palæmonis, Archemorique,*
*Præmia sunt olea, pinea, mala, apium.*

Nam tametsi in omnibus his certaminibus coronabantur victores coronis superius commemoratis, tamen mos omnib. fuit vt vbiq; locorum palmam altera manu gestarent redeuntes, vt ait Pausanias in Arcadicis, ac tãtus honor victoribus habebatur, tantaq; erat victricium ciuitatum lætitia, vt multa millia passuum victores ita manibus suorum ciuium portarentur, ne omnino terram contingerent: neq; ingrederẽtur per portas ciuitatum, vt reliqui homines, sed pontes illis tumultuarij fierẽt supra mœnia ciuitatum: eorumq; nomina in foro publico sumptu columnis inciderẽtur. Primus autẽ fuisse dicitur Theseus, qui cum venisset in Delum palmam victoribus proposuerit, vt ait Plutarchus. Alij non illis de causis instituta fuisse illa certamina memorant, sed ob insepultum Melicertam cum in Isthmum appulisset atq; ita rem sese habuisse memoriæ prodiderunt. Fuerunt Inus & Athamantis filij Learchus & Melicerta, Athamas furore percitus Learchum cecidit, quem mater in lebetem bullientis aquæ iecit, atq; ipsa quoq; mente capta verita iram Athamantis per Geraniam montem Megarensium fugiens è petra Moluride vocata denique cum Meli-

certa

certa in mare desiliuit. Facta est Ino vna è Nereidibus, quæ Leucothea vocata est, at Melicerta Deus Palæmon. Nereides tripudiantes visæ sunt Corinthi Regi Sisypho, qui Melicertæ corpus à delphino delatum vidit, atq; iusserũt Isthmia celebrari in honorem Melicertæ. Alij dixerunt cadauer Melicertæ in Isthmum delatum tumulo & exequiis caruisse, quare exorta pestilentia in Isthmo respondit Deus nullum esse mali remedium, nisi si exequiæ ac funebre certamen instituerentur in Melicertæ honorem. Illud cum per aliquod tempus, fecissent Corinthij, rursus morbus inuasit, atque respondit Deus oportere honorem eius herois perpetuum instituere, atque illi apium plantam, funebrem ac subterraneam proponere. Statutũ est postmodo vt pinu coronarentur ob affinitatem plantæ cum mari, captũ est itaque & sepulturæ datum Melicertæ corpus apud Schœnountiam ab Amphimacho & Donacino viris Corinthijs, vt proditum est memoriæ à Theseo in rebus Corinthijs. alij dixerunt in honorem Neptuni hæc ipsa certamina consueuisse celebrari. at Musæus in eo libro quem scripsit de Isthmiis, duo certaminum genera in Isthmo celebrari solita scribit, alterum in Neptuni, alterum in Melicertæ honorem. Fuerunt & alia ludorum genera apud Græcos, vt apud Athenienses Hydrophoria, Delphinium Pythee, fuérunt & alia alibi præmia victoribus vt phialæ argenteæ in Sicyone in Pythiis, & in Pellene vrbe Achaiæ præmium erat vestis Theoxeniis, vel, vt alij maluerunt, vocatis Mercurialibus in Ægina Æacia bos præmium fuit dithyramborum poetis, qui præclarius in Dionysum cecinissent: quod certamen dictum fuit Amphorites. quæ, quoniam non erant valde illustria, raroque de his mentio fit à scriptoribus, superioribus abunde vt arbitror explicatis, in præsenti omittemus, nunc reliqua ad institutum opus pertinentia persequamur.

## *De Mercurio.* CAP. V.

MERCVRIVM omnium Deorum antiquorum vigilantissimum, ac maxime negociis implicatum, quippe quẽ neque per noctem quidem dormire negociorum multitudo pateretur, Iouis & Maiæ Atlantis filium fuisse scribit Hesiodus in Theogonia:

*Ζῆνὶ δ' ἄρ Ἀτλαντὶς Μαίη τέκε φαίδιμον Ἑρμῆν,*
*κήρυκ' ἀθανάτων, ἱερὸν λέχος εἰσαναβᾶσα.*
*E Ioue Mercurius, Nymphaque Atlantide cretus,*
*Est praco superum, compressit Iupiter illam.*

Sic & Orpheus & Hom. in hymnis tradiderunt, à quibus præclare Virg. ea capiens quæ ad genus Mercurij attinent, illum in Cellene Arcadiæ monte natum esse inquit in his:

*Vobis Mercurius pater est, quem candida Maia*
*Cyllenes gelido conceptum culmine fudit.*

At Pausanias in Bœoticis non procul à Tanagris in monte vocato Corycio Mercurium natum esse scribit, quem postea in Arcadicis scripsit lotum fuisse in Tricrena, vbi tres erant fõtes in agro Pheneatico, à nymphis accolis eius mõtis: quare fontes illi summa religióne colebantur, vtpote fontes Mercurio sacrati. Hunc educatum fuisse in Cyllene monte prætereà testatus est Didymus his verbis: Ἑρμῆς ὁ ἐν Κυλλήνῃ ὄρει Ἀρκαδίας ἀνατραφείς. *Mercurius in Cyllenio Arcadia monte educatus* Hunc educatum fuisse inquiunt sub arbore portulaca, quæ andrachne dicta est à Græcis, quare illi fuit consecrata. Scripsit Pausanias in Arcadicis ex antiquo Arcadum sermone Mercurium educatum fuisse non procul ab Alpheo fluuio in ciuitate, quæ Acacesium vocabatur ab Acaco Lycaonis filio. Alij Iunonem lac præbuisse Mercurio putarunt, & per quoddã tempus apud illã nutritũ fuisse per inscitiam, atq; cum lac Iunonis ex eius ore excidisset, dicitur esse facta via lactea, quę inde galaxia dicitur à Græcis, cum gala lac sit. Alij tamen maluerunt illud accidisse cum Hercules lac sugeret: alij quia tantum hausisset, quantum non potuisset retinere. Alij maluerunt Opim iussam lac infanti præbere, illud in saxum expressisse quod Saturno obtulerat, vt significauit M. Manilius in his versibus, quo in cœlum delapso lactea via facta sit:

*Nec mihi celanda est fama vulgata vetustas,*
*Mollior è niueo lactis fluxisse liquorem*
*Pectore regina Diuum, cœlumque liquore*
*Infecisse ẹ suọ: quapropter lacteus orbis*
*Dicitur, & nomen causa descendit ab ipsa.*

At enim plures fuerunt Mercurij, vt ait Cicero in lib. 3. de Natura Deorũ in his: Mercurius vnus Cælo patre, Die matre natus: cuius obscœnius excitata natura traditur, quod aspectu

aspectu Proserpinæ commotus sit. Alter Valentis & Phoronidis filius, is qui sub terris habetur, idē Trophonius. Tertius Ioue tertio natus, & Maia, ex quo & Penelopa Pana natū fuerunt. Quartus Nilo patre, quem Ægyptij nefas habent nominare. Quintus, quem colunt Pheneatæ, qui Argum dicitur interemisse, ob eamq; causam Ægypto præfuisse, atque Ægyptijs leges & literas tradidisse. Hi etsi plures Mercurij extiterunt, tamen ad vnū Iouis & Maiæ filium omnes cæterorum res gestæ referuntur: de quo etiā mentionem ita fecit Ouidius in Paride, cum illū fingeret alatum:

*Constitit ante oculos actus velocibus alis*
*Atlantis magni, Pleionesque nepos.*

Quare & nos quæ propriæ sint singulorum minime soliciti, aut quæ inuenta, vel quæ educationes, quia negociū ob antiquitatem esset omnium difficilimum, vt in cæteris fecimus, ita in hoc institutū nostrum persequemur, scriptum reliquit Lucianus in Dialogo Apollinis & Vulcani, hūc insignem fuisse furem nam cum paruulus esset infans à Vulcano susceptus, instrumenta fabrilia illi surripuit ex officina, Cupidinem eodem die natus palęstra superauit: Veneri, quæ ipsum ob victoriam complexa fuerat, cingulum furatus est Ioui sceptrū sustulit, fulmē quoque, surrepturus, nisi vim timuisset flammarum. Hunc Mercurium alatum finxerunt, cui gallus, assidebat, quem in suasoria Galenus antiquos inquit pictores & plastas iuuenum formosum sine fuco, ac sine aliquo comptu, vultu hilari, atq; acrib. oculis formasse. Hunc finxerunt antiqui aurea cathena auribus hominum annexa, mortales quocunq; collibuisset trahere solitum, sicuti de Hercule dicitur. Qui quoniam præesset gregibus in via qua Lechæam accedebatur apud Corinthios, æreus sedens expressus est cum astante ariete. Multa porro officia Mercurio fuerunt iniuncta, vt testatur Lucianus in dialogo Maiæ & Mercurij: siquidem Deorum cœnaculum vertere solitus dicitur, & sternere curiam Deorum, & Iouis mandata per diem circumferebat, & huc illuc cursitabat. & ante raptum Ganymedem victum Ioui subministrabat, & per noctem mortuorū animas ad inferos deducebat, & modo palæstris, modo concionibus illum adesse oportebat, ita vt nullo tempore posset quiescere: quidam iniunxerunt illi ēt bellicas caduceatorum legationes, cum

fœderum & induciarum illum inuẽtorem fuisse inquiant, & ponderum ac mensurarum rerum venalium, & omnium vsuum mercaturæ ad lucrum, cum res alienas etiam vsurparit.horum neg?ciorum quandam partem ita attigit Virgilius in quarto Æneidos:

*Dixerat: ille patris magni parere parabat*
*Imperio, & primum pedibus talaria nectit*
*Aurea: quæ sublimem alis, siue æquora supra,*
*Seu terram, rapido pariter cum flumine portant,*
*Tum virgam capit: hac animas ille euocat Orco*
*Pallentes, alias sub tristia Tartara mittit:*
*Dat somnos adimitque, & lumina morte resignat.*

Huius simulachrũ Ægyptij partim atra facie, partim aurea & clara cõfinxere, quia modo ad superos modo ad inferos adiret. caduceus illi dabatur cum anguibus geminis mare ac fœmina scilicet mutuo connexu circumuolutis & concordibus,quorum caudę demittebantur ad capulum caducei, qui concordiæ securitatem significabãt. Aiunt præterea hunc eodem die natum boues Admeti Regis pascenti Apollini surripuisse, & irato eidem ob furtum, sagittasque in eum iaculari paranti pharetram euacuasse, vt ait Homerus in his:

ἠῷος γεγονὼς μέσῳ ἤματι ἐγκιθάριζεν·
ἑσπέριος βοῦς κλέψεν ἑκηβόλου Ἀπόλλωνος.

*Edituur hic mane, hinc citharam pulsauit: & idem*
*Surripuit Phœbo vaccas mox Sole cadente.*

Istud autem ita fictum fuit, quia Mercurij planeta, quibus dominatur in horoscopo, homines facit ingenio quidem prõptos & eloquentes,at callidos tamẽ & astutos & ad furta propensos. Fabulãtur Batto pastori cuidam Mercurium vaccam largitũ esse, vt taceret, qui solus furtũ illud cognouerat. Deinde cum hominis fidẽ vellet experiri mutatis vestibus, duplici præmio pro indicando furto ꝓposito incõstantiam ac perfidiã Batti cognouit,eumq, in saxum indicẽ conuertit, vt ait Ouid. lib 2. Metamorph.in his carminib.

*At senior, postquam est merces geminata, sub illis*
*Montibus, inquit, erunt: & erant sub montibus illis.*
*Risit Atlantiades, & me mihi perfide prodis?*
*Me mihi prodis? ait: periuraque pectora vertit*
*In durum silicem, qui nunc quoque dicitur index.*

Alij

Alij dixerunt vocem tantum ademptam fuisse Batto, atque illum ad oraculum Delphicum accessisse an liberari posset sciscitaturum, & vbi habitaret, cui respondit oraculum:

*Βάττε, πρόσθε κακὸν, τὸ δὲ δεύτερον ἐσθλὸν ἐρεύνα.*
*ἔρχεο, λεῖφ' ἁλίαν χέρσαν. ἤπειρος ἀμείνων.*
*ἠῶος πρότερον δόλον ἔκβαλε πειθοῖ πειθῶν*
*στερρὸν γῆν ὁσίως, ἣν μισεῖ πολλὴν ἀθέμιστος,*
*οἷά τ' ἀνὴρ ἔρξει, τοῖον τέλος αὐτὸν ἱκάνει.*
*Batte malum prius, inde bonum à me Batte require,*
*Linque mari vicina, pete & longinqua locorum.*
*Mane dolum linquens primum mea numina serua,*
*Praduram terram sancte, multam odit inique.*
*Qualia quisque facit, finem nanciscitur idem.*

Hunc Deum postea, quia surripuisset armentum, tanquam pastorum Deum coluerunt antiqui, vt asserit Pausanias in Corinthiacis, quem & greges seruare, & augere posse putabant. Quia vero alia permulta furatus esset, habitus est Deus latronum, vt ait Homerus in hymnis:

*τοῦτο γὰρ οὖν καὶ ἔπειτα μετ' ἀθανάτοις γέρας ἕξεις.*
*ἀρχὸς φηλητέων κεκλήσεαι ἤματα πάντα.*
*Hunc superos inter post hac retinebis honorem,*
*Latronum princeps diceris tempus in omne.*

Memoriæ prodidit Zezes hist. 202. chil. 8 Autolycum Laertæ patrem, qui fuit auus Vlyssis, omnium prope mortaliũ pauperrimum artem furandi à Mercurio didicisse, quare ditissimus postea euasit. aiunt hunc tam peritũ fuisse latronem, vt cum optimum equum furatus esset, asinum scabie corrosum pro illo restituerit, effeceritq; vt cum recipientes minime id sentirent. atque cum alteri pulcherrimam sponsam rapuisset, anum edentulam, mucosam, & laruam prope restituerit. atq; in commutãdis mercibus eandem seruabat rationẽ: nam fuerũt qui præstigiatorum artem à Mercurio excogitatam dixerint. Hunc primum fuisse inquiunt, qui lyram inuenerit, vt ait Paus. in Eliacis prioribus, quam etiã Apollini, cũ pax inter illos post furtũ orta esset, largitus est. vnde lyra quasi lytra dicta fuit, præmiũ se pro redimendis. Erat autẽ testudo, quæ χέλυς à Græcis vocatur, in hũc modũ formata, vt ait Lucianus in dialogo Apol. & Vul. cum testudinẽ mortuam ad ripas Nili inuenisset, brachia adaptauit, ac iugũ induxit, calamosq; postea agglutinans, & fundo

ſubiecto quodã, ac nouem deinde chordas ſuper calamis, tanquã anſulis intendens, iucundum quod modulatus eſt. Alij dicunt tetrachordũ prius inueniſſe, ac linum pro chordis tetendiſſe, quia chordæ nondum eſſent inuentæ, quam dedit Apollini pro furto, à quo accepit caduceum. hanc ſeptem chordarum fecit Apollo accommodans ad Panos fiſtulam Iouis & Thymbris filij. nam hic lino ſoluto & adempto chordas intendit, vnde dictus eſt linum inueniſſe.

§ Id vero cum in monte Cyllene proximo feciſſet, mons Chelydorta vocatus fuit, vt ait Pauſanias in Arcadicis. Atque de hac re ita breuiter meminit Nicander in Alexipharmacis:

αὐδήεσσαν ἔθηκεν ἀναύδητόν περ ἐοῦσαν
Ἑρμείης· σαρκὸς γὰρ ἀπηνόσφισε χέλυν
αἰόλον, ἀγκῶνας δὲ δύω παρετείνατο πέζαις.

*Muta prius fuerat, vocalem reddidit illam*
*Mercurius: dempta carne è teſtudine, fundo*
*Brachia bina locat, ſuper his chordasque tetendit.*

Quod etiam affirmat Homerus in hymno in Mercurium eo carmine:

Ἑρμῆς τοι πρώτιστα χέλυν τεκτήνατ' ἀοιδόν.

*Mercurius prior ipſe chelym facit arte canoram.*

Cum lyram accepiſſet Apollo, poſtea virgam illam Mercurio donauit, vt diximus, illam vim habentem, vt facile pax inter quoſuis ea virga interpoſita conciliaretur. eius cum vellet facere experimentum Mercurius, inter duos angues acerrime inter ſe dimicantes cõiecit, qui repente facti ſunt amici, vnde virga Mercurij fuit poſtea geminis anguibus circumuolutis inſignita. Primus enim Mercurius tres fidiũ tonos, acutum, grauem, medium reperiſſe dicitur. Primus aſtrorum ac ſiderum curſus obſeruaſſe, dieſq; & annum ad certum ordinem redegiſſe: cum aſtronomię & philoſophię autor & religionis Thebanis ſacerdotib. extiterit, qui maxime has diſciplinas exercuerunt. vt teſtatur Strabo libro decimoſeptimo Geographię, & Marcus Manilius in primo libro rerum aſtronomicarum in hiſce carminibus:

*Tu princeps, autorque ſacri Cyllenie tanti,*
*Per te iam cœlum interius, iam ſidera nota,*
*Sublimes aperire vias, vnumque ſub orbem*
*Et per inane ſuis parentia finibus aſtra.*

Atque

Atque ne plura hîc ascribam, multa sunt carmina quibus ille poëta conatur ostendere vniuersum fundamentum religionis apud Ægyptios à Mercurio prius fuisse inuentum vna cum ritibus sacrorum, rerumq; naturalium causis. Idcirco fortasse dies Lunæ quartus Mercurio fuit consecratus, sicut primus & septimus Apollini, octauus Theseo. Eadem de causa inter arcanos illos Samothracum Deos Mercurium à Mnasea connumeratum censuerim, quod astrorum cognitio necessaria sit nauigantibus. Scripsit Apollonii enarrator solennia quædam apud Samothraces celebrari solita, quibus si quis fuisset initiatus, inter turbulentissimas tempestates seruabatur omnino. Atque Vlyssem initiatum in Samothracia ferunt, sed vitta alba pro tæniis vsum fuisse, quippe cum initiantes tænias purpureas circa ventrem innexuerint. Erat autem mos initiandi in Cabiris, atque Deorum nomina, quos nominare nefas erat, ista fuerunt: Axioerus, Axiocersa, Axiocersus. Erat autem Axioerus Ceres, Axiocersa Proserpina, Axiocersus Pluto, quib. quartus accedebat Casmilus, qui erat Mercurius, vti scripsit Dionysiodorus. Hic idẽ Mercurius Deorum immortalium cultus & sacra prior instituit, hominesq; ad humaniorẽ vitam reuocauit. quare ita cecinit Horat. lib. 1. Carminum:

*Mercuri facunde nepos Atlantis,*
*Qui feros cultus hom num recentum*
*Voce formasti catus, & decora*
*More palæstræ.*

Hunc vna cum Hercule palæstritis præfectum esse crediderunt: quia cum prudentissimus existeret, non mediocriter conferre ad palæstram putabatur, quoniam cum viribus vbique coniuncta esse debet prudentia. quæ quoniam multa in explicatione insomniorum requiritur, somnia Mercurio consecrata creduntur, vt in his carminibus videtur testari Apollonius libro quarto Argonauticorum:

ἀλλ' ὅτε δὴ κἀκεῖθεν ὑπεύδια πίσματ' ἔλυσαν,
μνήσατ' ἔπειτ' Εὔφημος ὀνείρατος ἐννυχίοιο,
ἁζόμενος Μαίης υἷα κλυτόν. εἴσατο γάρ οἱ
δαιμονίη βῶλαξ ἐπιμάστιος ᾗ ἐν ἀγοστῷ
ἄρδεσθαι λευκῇσιν ὑπαὶ λιβάδεσσι γάλακτος.
*Ast vbi soluerunt illo de littore funem,*
*Nocturna in mentem veniunt insomnia, clarum*

*Ille colit Ma a genitum namq; vbera visus*
*Est sibi mulgere, & glebam stillantibus albis*
*E mamma guttis misere, & lacte rigare.*

Quod etiam inquit Homerus in hymno in ipsum Mercurium composito:

ληιστῆρ', ἐλατῆρα βοῶν, ἡγήτορ' ὀνείρων,
νυκτὸς ὀπωπητῆρα, πυληδόκον.

*Prædonem furemq; boum, cui somnia certa*
*Lege patent, seruasq; fores, noctemq; gubernas.*

Æschylus in Persis ipsum inter terrestres Deos numerauit, quem aduocat cum inferorum Rege, & mortuorum in his:

ἀλλὰ χθόνιοι δαίμονες ἁγνοί,
γῆ τε καὶ Ἑρμῆ βασιλεῦ τ' ἐνέρων,
πέμψατ' ἔνερθεν ψυχὰν ἐς φάος.

*Terrestres casti dæmones,*
*Tellus, Mercuri, & inferum*
*Rex, in lucem animam remittite.*

Hunc ipsum Deum tricipitem vocarunt, ob triplicem potestatem quam habere creditus est. nam marinus & terrestris & cœlestis vocatus fuit, quod illi accidit vel propter triplices vires, quas obtinebat, naturalem scilicet, moralem & rationi obtemperantem facultatem: vel quia cum Hecate congressus tres ex illa filias suscepisset.

Neque credebatur quis posse mori, nisi Mercurius animam hanc diuinitus corpori alligatam à mortali vinculo soluisset: quare ita scripsit Sophocles in OEdipode in Colono:

——— τῇδε γάρ μ' ἄγει
Ἑρμῆς ὁ πομπὸς, ἥ τε νερτέρα θεός.

——— *Hac enim Mercurius*
*Dux est mihi, sic inferum ducit Dea.*

Quamobrem & Hom. lib. ω. Odyss. non potuisse prius procos interire inquit, quam Mercurius animas ex illorum corporibus euocasset, vt patet ex his:

Ἑρμῆς δὲ ψυχὰς Κυλλήνιος ἐξεκαλεῖτο
ἀνδρῶν μνηστήρων, ἔχε δὲ ῥάβδον μετὰ χερσὶν
καλὴν χρυσείην, τῇ τ' ἀνδρῶν ὄμματα θέλγει
ὧν ἐθέλει, τοὺς δ' αὖτε καὶ ὑπνώοντας ἐγείρει.

*Euocat hic animas Atlantiades ipse procorum*
*Mercurius, manibusq; tenet virgam: euocat ore.*

*Hac animas, alias sub tristia Tartara mittit,*
*Dat somnos, adimitque, & lumina morte resignat.*

At Ouid. Fastorum lib. 5. hunc pacis & belli arbitrum & autorem nuncupauit in his:

*Pacis & armorum superis, imisque Deorum*
*Arbiter, alato qui pede carpis iter.*

Scripsit Pilochorus diem festum agi solitum apud Athenienses die decimotertio Lunæ Nouembris, quo tempore Choes vocata solennia celebrabantur terrestri Mercurio consecrata: atque morem fuisse, vt ex omnibus generibus semina, vt nomen significat, in olla miscerentur atque coquerentur ab iis qui per diluuium fuissent seruati, qui Hydrophoria etiam alias agebant. At nemini tamen ex ea olla gustare licitum erat. Credebatur hic idem Deus animas quę suum tempus in Elysiis campis expleuissent, Lethenque bibissent, in noua corpora inducere, vt diximus. Huic Deo sacra faciebant quicunque periculo capitis fuissent liberati, vt ait Pausanias in Atticis. Hic Iouis mandato Argum occidit, qui Io in vaccam versam seruabat. Huic statuæ pro foribus domorum ab antiquis erigebantur, quia fur credebatur cæteros fures arcere, vt ait Aristophanes. Huius filium Pana fuisse scripsit Anytes in his:

Ἑρμείαν γὰρ ἔτικτε μάκαρ φιλοτήσι Ζεύς·
αὐτὰρ ὅγ' Ἑρμείας Πᾶνα τὸν αἰγικάτην.

*Mercurium peperit supremum Iupiter, ipse*
*Pastorum peperit Panaque Mercurius.*

Suscepit Erycem ex Aglauro Cecropis filia, ex Daira Oceani Eleusinem, Bunum ex Alcidamea, è Philodamea Danai filia Pharim, Caicum ex Ocyrhoe, qui se in fluuium Zauræum deiecit, & dedit nomen Caico Mysiæ flumini, vt scripsit Chrysermus Corinthius in Peloponnesiacis. Polybum è Rhihonophila, Myrtilum è Cleobula filia Æoli, è Nympha Ladonis filia Euandrum, ex Erythea Geryonis Noracem, Cydonem ex Acacallide, ex Issa Nympha Prylim, Lycaonem, Cupidinem, Eudorum, Dolopem, Lares, Auctolium, Erythum, Echionem, Æralidem. Suscepit ex Hieria Gigantem præterea, cuius filiæ Angelicæ etiam mentionem fecit Pindarus in Alcimedonte. Multos præterea ex variis mulieribus habuit filios, ne singulos recenseam. Huic Deo vitulus mactabatur, vt ait in 4 Metamorph.

*Diis tribus ille focos totidem de cespite ponit,*
*Laeuum Mercurio, dextrum tibi bellica virgo,*
*Ara Iouis media est. Mactatur Vacca Mineruae,*
*Alipedi vitulus, taurus tibi summe Deorum.*

Erat illi lac & mel praeterea offerri solitum, vt in his carminibus scripsit Antigonus:

δῶκε λ@ Ἑρμείας ὦ ποιμένες ἐν δὲ γάλακτι
χαίρων, καὶ δρυΐνῳ σπενδόμεν@ μέλιτι.

*Mercurius facilis pastores: munere lactis*
*Laetatur, mox & dulcia mella capit.*

Scripsit Callistratus linguas victimarum solitas fuisse Mercurio in sacris offerri; vt testatur etiam Homerus in his: γλώσσας δ' ἐν πυρὶ βάλλον, *linguas in ignes iecerunt.* Erat autem vltima pars sacrificiorum & finis cum linguas in ignē iacerent, quam consuetudinem primi Megarenses inceperunt. Nam scriptum reliquit Direchidas in rebus gestis Megarensium Alcathoum Pelopis filium ob Chrysippi caedem exulem Megaris in aliam ciuitatem habitaturum profugisse: qui cum in leonem Megarensium agrum vastantem incidisset, ad quem caedendum & alii à Megarensium Rege missi fuerant, & illum ipse cecidit, & linguam eius caesam in peram coniecit, ac rursus cum ea Megaram se contulit. Deinde cum dicerent qui missi fuerant, se leonem occidisse, peram afferens eos arguit mendacii: quare cum Rex prae laetitia Diis sacrificaret, linguam postremam arae imposuit, atque ita manauit ad posteros consuetudo. Quidam tamen senserunt linguam Mercurio dicatam, atque consecrari debere, quia illam conueniat subditam & obtemperantem esse rationi ac prudentiae. Multa cognomina sortitus est Mercurius, vt Dii caeteri: nam Caduceator, Deorum nuncius, Enagonius, Dux, Propylaeus, Forensis, Polygius, Promachus, Epimelius, Chriophorus, Acacesius, Cyllenius Ctarus; & quia praeesset mercaturae, quia vendendi & emendi rationem prior ostendisset, cum multa dolose vendantur, hunc Deum Dolium dixerunt.

¶ Atq; haec de Mercurio fabulose dicta sunt, nunc veritatē inuestigemus. Fuit Mercurius homo singulari ingenio & sapientia, vt cōmemorauit Lactātius in libro de falsa Religione: nā tres tantū numeratos fuisse à Mercurio Trismegisto scribit, in quib. esset summa sapientia, Vranū siue Coelum,

lum, Saturnum, Mercuriū. Hic enim literas inuenit, vt ait Zezes hist. 26. Chil. 2. multaq; vitæ mortalium commoda excogitauit: quare Iouis & Maiæ, cœlestis benignitatis scilicet filius creditus est. Nam quemadmodum humanæ est naturæ semper re aliqua indigere, ita diuinæ multis bonis abundare: humanum est semper incommodis vexari, diuinum vexatis succurrere: humanum semper à Diis aliquid petere, diuinum largiri: humanum accipere, diuinum conferre beneficia. Hæc res fecit vt multi mortalium Iouis filii & diuini homines sint crediti, & in Deorum immortalium numerum relati, quibus templa, altaria, ceremonias, proprios sacerdotes antiqui instituerunt. Ego sane ita censeo: antiquos, cum nos ad studium sapientiæ adhortarētur, ista de Mercurio confinxisse. nam cum eloquētiæ & orationis quanta vis esse, vellent ostendere, dixerunt Mercurium esse nuncium Deorum & hominum, per orationem nimirū Deorum voluntas, & sententia diuinarum legum, & recta animorū nostrorum consilia, quæ nō nisi autore Deo proueniunt, explicantur. Inde creditus est etiam cathenæ illi aureæ annexos homines auribus quocunq; libuisset attrahere. Hunc latronum & impostorum fraudem Deum putarunt, non solum quia si eloquentia cum malo & flagitioso sit ingenio. plurimum obest cæteris hominibus, verum etiam quia illorum quib. planetæ Mercurii natura in ortu dominatur, ingenia sunt ad furta, & ad omne astutiæ genus accommodata. Nam cum siccus & calidus sit planeta, versutos & eloquentes facit homines, ad omnem calliditatem celerrimos: quippe cum planeta ipse Mercurii tot habeat motuum varietates & tergiuersationes quot vix omnes simul reliqui planetæ. Nam modo procedit, modo retrocedit; modo sublimis est, modo depressus, modo celerrimus est, modo stare videtur: ad quam varietatem motuum explicandam non amplius vt cæteris circularem motum tantū tradiderunt; verum ad oui formam, vt seruarentur quæ apparerent, illi tribuere coacti sunt. Ad huius vel stellæ igitur velocitatem, vel ingeniorum quibus dominatur celeritatē explicandā, illi talaria velocia & alata tribuerunt antiqui, quæ illum ferrent vna cum ventis: quæ omnia non minus oratori & sapienti, quam planetæ ipsi conueniunt. nam acutissimum & oratione ingenio ad eos celerrime inue-

mendas & explicandas oratorem esse conuenit. Hic planeta reliquorum naturæ quibus adhæret se accõmodat: quia prudentia in omni fortunæ vicissitudine, & in omni amicitia idem facit. Hunc præfecerunt eadem causa palestræ, vt diximus. Dicitur Argum interemisse, qui contra Iouis voluntatem Io custodiebat, quia vis illa cœlestis & ratio, quæ est in nobis, quam Mercurium putarunt, omnes motus surgentes, ex illa animæ nostræ parte, quæ propensior est ad irã, placat & componit, omnemq; minus ordinatam animi cogitationem mitigat, hæc pars vbi quiescit, Argos potest appellari, cum ἀργὸς tardus sit ac deses: at eadem vbi excitatur, centum habet oculos: quia si furorem & impetum iræ sequamur, illiusque cupiditati obtemperemus, multa committentur aduersus humanas leges & diuinas. Hanc igitur partem trucidat Mercurius, siue ratio animæ nostræ. Et quoniam ex ingenio versuto, tanquã ex vberrimo fonte, manat omnis vbertas & copia dicendi: eloquentiæ Deum ipsum Mercurium crediderunt. Tribuerunt illi potestatem tempestatum, quia sicuti Dii marini crediti sunt maris tempestates placare, ita turbulentissimarum ciuitatum discordias & contentiones vis orationis mitigare consueuit: quæ res fecit vt linguæ Mercurio, tanquam illi Deo, qui orationis ornamenta & artificium dicendi primus inuenisset, cõsecrarentur. Nam hunc & literas, & astrorum cursus primum homines docuisse dictum est, & leges dedisse quibus homines ad humanitatem informarentur, & nomina reb. imposuit & instrumenta musica excogitauit, & omnia quæ ad doctrinam, eruditionemque spectant, inuenit quod ita significauit Orpheus in libro de Lapillis, qui cum homines ad studia adhortaretur, ad speluncam Mercurii hortatus est omnium bonorum & commodorum plenam:

*ὃν δέ κεν ἀνθρώπων πεπνυμένων ἦτορ ἀείρῃ*
*εἰς πολυήρατον ἄντρον ἐπελθέμεν Ἑρμείαο,*
*ἔνθ' ὅγε παντοίων ἀγαθῶν κατέθηκεν ὅμιλον*
*αἶψά κεν ἀμφοτέρῃσιν ὀνείατα πολλὰ κομίζων*
*οἴκαδ' ἀποστείχοι προφυγὼν πολυδάκρυον ὀϊζύν.*
*At quemcunque virum ducit prudentis cordis*
*Mercurii ingredier speluncam, plurima vbi ille*
*Deposuit bona starum pragrandis aceruum;*
*Ambabus valet hic manibus sibi sumere, & illa*

*Ferre*

*Fe rs domum, valet hic vitare incommoda cuncta.*

Sola enim ſapientia rebus omnibus dominatur, quæ neq; vllas cœli mutationes, neq; fortunæ minas pertimuit. Hũc quoniam Deorum nuncium putarunt, non ſolum pro orationis vbertate, aut pro ſapientia, quæ voluntatem Deorũ indicaret, acceperunt: ſed pro illa diuina vi, quæ diuinitus in mentes hominum infunditur, quęque res humanas omnes mirifice in ſuo ordine componit, & conſeruat. Hanc, vbi ſomnia in mentes hominum infundere opinabantur, Mercurium ſomniis præeſſe dixerunt: vbi rerum naſcentium ac morientium viciſſitudines intuebantur, idque non ſine Deorum voluntate fieri putarent, voluntatem illam ac vim diuinam, quæ ad ortum res perduceret, aut humandas, ſiue ad inferos deduceret, vocarunt Mercurium: ita vt modo ſic ratio animæ noſtræ, modo ratio & ſapientia diuinæ voluntatis, vnde anima noſtra defluxit, Mercurius appellatus. Hæc autem illi fuerunt tributa, quod primus mundum à Deo creatum. & non ſine diuina prouidentia gubernari hanc tantam diuerſarum rerum mirabilitatẽm poſſe conſpexiſſet: omniumque Deorum cultum inter mortales inſtituiſſet, vidiſſetque ſine Deorum nutu nullum fieri poſſe ortum aut interitum. His igitur de cauſis, quia rerum diuinarum cognitionem ad nos detuliſſet, Deorum nuncius creditus eſt. Quod rationem ortus & interitus diuinitus fieri docuiſſet, dicitur cum Plutone & cum Ioue collocutus fuiſſe, earumque legum arcana hominibus explicaſſe: quare animabus mortuorum illum ducem arbitrati ſunt, cum alias ad inferos, alias in corpora reduceret. ac de Mercurio ſatis, nunc de Pane dicamus.

## *De Pane.* CAP. VI.

PAn vero quem paſtorum, venatorumque Deum, & vniuerſæ vitæ ruſticanæ præſidem crediderunt antiqui, cuius filius fuerit, non ſatis conſtat: quippe cum varius eius ortus à diuerſis ſcriptorib. tradatur, ſcriptum reliquit Homerus in hymnis Pana fuiſſe Mercurii filium, & bicornem, & capripedem in his:

*ἀμφί μοι Ἑρμείαο φίλον γόνον ἔννεπε μοῦσα,*
*αἰγιπόδην, δικέρωτα, φιλόκροτον.*
*Dicite Mercurii mihi prolem, dicite Musa,*

*Capripedem, cantus & amicum, deinde b cornem.*

Duris autem Samius in eo libro quem scripsit de Agathocle, Penelopen cum omnibus procis rem habuisse scripsit, è quorum congressu Pana inquit natum fuisse. Epimenides vero poëta Pana & Arcadem geminos congressu Iouis & Callistus natos fuisse sensit: cum tamen Aristippus Pana è Ioue & Nympha OEneide procreatum fuisse maluerit. Alii Penelopes & Vlyssis filium putarunt, alii ex Æthere siue Nereide natum inquiunt Achæus poëta è Cœlo & Terra. nec defuerunt qui Iouis & Hybreos siue Iniuriæ, vt testatur Isacius. Pronapis poëta in suo Protocosmo natum fuisse Pana cum tribus sororibus Parcis è Demogorgone scribit. Herodotus in Euterpe Penelopes & Mercurii filium fuisse scripsit. vt est in his: Πανὶ δὲ τῷ ἐκ Πηνελόπης, ἐκ ταύτης γὰρ καὶ Ἑρμέω λέγεται γενέσθαι ὑπὸ Ἑλλήνων ὁ Πάν. *Pani vero Penelopes. Ex hac enim & Mercurio Pan natus esse dicitur à Græcis.* Qui Penelopes & Mercurii filium tradiderunt, illi Penelopen in Taygeto monte armenta patris Icarii custodientem à Mercurio conspectam & amatam fuisse inquiunt, qua cum alio modo se non potiri posse speraret, in hircum pulcherrimum vertitur, cuius illa capta vel amore vel fallaciis, vt diuersi senserunt, cum illo congressa Pana peperit, capite cornuto, barbaque ac pedibus hircinis, vt ait Homerus in hymnis. Hunc memoriæ prodidit Pausanias in Arcadicis à Nymphis susceptum & educatum, & à Sinoe nympha præcipue, quippe cum vel adultus cum illis assidue versari fingatur, vt est in hymno Homeri:

——— ὅς τ' ἀνὰ πίση
δενδρήεντ' ἄμυδις φοιτᾷ χορογήθεσι νύμφαις.
*Cum placidis Nymphis syluis versatur in altis.*

Atque in his Platonis carminibus dicuntur Nymphæ fistulæ Panos delectatæ circa illum tripudiare, Hydriades scilicet siue aquaticæ, & Hamadryades:

σιγάτω λάσιον Δρυάδων λέπας οἵτ' ἀπὸ πέτρας
κρουνοὶ, καὶ βληχὰ πυλιμιγὴς τοκάδων·
αὐτὸς ἐπεὶ σύριγγι μελίσδεται εὐκελάδῳ Πὰν,
ὑγρὸν ἱεὶς ζευκτῶν χεῖλος ὑπὲρ καλάμων·
αἱ δὲ πέριξ θαλεροῖσι χορὸν ποσὶν ἐστήσαντο
Ὑδριάδες νύμφαι, νύμφαι Ἁμαδρυάδες.

*Conticeant Dryadum colles, fontesque perennes,*

*Ipsa*

*Ipsaque conticeant pignora parua gregis*
*Fistula dulce canit quia Panos, labra canoris*
*Humida vt illius addita sunt calamis.*
*Hanc circa statuere chorum molli pede Nymphæ*
*Hydriades, pariter Nymphæ & Hamadryades.*

Hunc igitur Nympharum ducem vocarunt antiqui, vt apparet ex his carminibus Anytæ:

χειμονοβάταν, δίκερων, νυμφᾶν ἡγήτορα Πᾶνα
ἁζόμεθ᾽ ὃς πέτρινον τόνδε κέκευθεν όον.
*Montiuagum colimus cornutum Pana, ducemque*
*Nympharum: cuius saxea structa domus.*

Hunc Deum pingebant & sculpebant facie caprina, hircique cruribus, quamuis illum non esse huiusmodi cēserent, vt ait Herod. in Euterpe: γράφουσι δὲ δὴ καὶ γλύφουσι οἱ ζωγράφοι καὶ οἱ ἀγαλματοποιοὶ τοῦ Πανὸς κατάπερ Ἕλληνες τὤγαλμα, αἰγοπρόσωπον καὶ τραγοσκελέα, ὔτι τοιοῦτον νομίζοντες εἶναί μιν, ἀλλ᾽ ὅμοιον τοῖσι ἄλλοισι θεοῖσι *pingunt vero & sculpunt pictores ac statuarij, sicuti etiam Græci, Panos imaginem, caprina facie ac hirci cruribus: non quia illum huiuscemodi esse arbitrentur, sed similem Diis cæteris.* Lucianus in dialogo Pan. & Merc. illi etiam hirci caudam super natibus iniunxit præter hirci nasum & barbam. fama est hunc etiam fuisse Deorum nuncium, tāquam patrem, & greges pauisse, cum amore Dryopis incaluisset, vt est apud Homerum in eo hymno:

οἷόνθ᾽ Ἑρμείην ἐριούνιον ἔξοχον ἄλλων
ἔννεπον, ὡς ὅγ᾽ ἅπασι θεοῖς θοὸς ἄγγελός ἐστι.
καὶ ῥ᾽ ὅγ᾽ ἐς Ἀρκαδίην πολυπίδακα μητέρα μήλων
ἐξίκετ᾽ ἔνθα δέ οἱ τέμενος Κυλληνίου ἐστίν,
ἔνθ᾽ ὅγε, καὶ θεὸς ὤν, ψαφαρότριχα μῆλ᾽ ἐνόμευεν
ἀνδρὶ παρὰ θνητῷ. θάλε γὰρ πόθος ὑγρὸς ἐπελθὼν
νύμφῃ ἐϋπλοκάμῳ Δρύοπος φιλότητι μιγῆναι.
*Mercurius veluti superorum nuncius ante*
*Esse ferebatur, sic nuncius iste Deorum est.*
*Arcadiamque ouium petijt terram iste feracem,*
*Est sibi sacratum nemus, & Cyllenius hic mons.*
*Hic Deus existens ouium fit pastor, & idem*
*Mortali seruit Dryopis calefactus, amore.*

Hunc altera manu fistulam, altera baculum incuruum gestare solitum dixit Lucianus in Baccho, cui pinus inter ar-

bores fuit consecrata. At Theocritus non vnum, sed plures Panes videtur putasse, cum scribat in Amaryllide:

——— τέτοι γένος ἢ Σατυρίσκοις
ἐγγύθεν, ἢ Πάνεσσι κακοκνάμοισιν ἐρίσδει.
——— *Et simili genere ortus*
*Vel Satyris vel crura retortis Panibus ipse.*

Existimarunt antiqui Pana montium esse Præsidem, omniaque armenta & greges, qui in montibus vagarentur, in huius esse tutela: quippe cum is ab Arcadibus fuisset in Mænalo monte educatus. quod vero montibus præesset, ita testatur Homerus in hymno:

ὃς πάντα λόφον νιφόεντα λέλογχε,
καὶ κορυφὰς ὀρέων, καὶ πετρήεντα κάρηνα.
*Ille niuosa iuga est sortitus, summaque montis*
*Culmina, saxosos colles custodit & idem.*

Ea de causa Virgilius in primo Georg. Pana custodem ouium, & pastorum præsidem appellauit in his:

*Ipse nemus linquens patrium, saltusque Lycæi*
*Pan ouium custos, tua si tibi Mænala curæ.* & inde
*Fortunatus & ille, Deos qui nouit agrestes,*
*Panaque Syluanumque senem, Nymphasque sorores,*

Quem posse gregis vbera implere existimarunt. dum fistulam inflaret, vt scripsit Ibicus in his:

ὦ Πὰν φερβομέναις ἱερὰν φάτιν ἄπυε ποίμναις,
  χυρτὸν ὑπὲρ χρυσέων χεῖλος ἱεὶς δονάκων·
ὄφρ' αἱ μὲν λευκοῖο βεβριθότα δῶρα γάλακτος
  ἤθαπιν ἐς Κλυμένου πυκνὰ φέρωσι δόμον·
σοὶ δὲ καλῶς βωμοῖσι παρεστάμενος πόσις αἰγῶν
  φοίνιον ἐκ λασίου στήθεος αἷμ' ἐρύγῃ.
*O Pan pascendis gregibus custodia fida,*
  *Vt labra auratis addita sunt calamis:*
*Fistula dulce sonet, niuei quo munere lactis*
  *Ad Clymeni portent vbera plena casas*
*Vir tibi caprarum structam mox stabit ad aram,*
  *Villosoque cruor defluet è iugulo.*

Fuit etiam venatorum Deus, quem maxime Arcades coluerunt: qui si fauisse putaretur venatoribus, ab illis colebatur à venatione reuersis: at si frustra laborassent, scillas in illum conijciebant, vt testatur in his Theocritus in Thalysia:

*κὴν μὲν ταῦθ' ἔρδοις ὦ Πὰν φίλε, μή τυ τι παῖδες*
*Ἀρκαδικοὶ σκίλλαισιν ὑπὸ πλευράς τε καὶ ὤμους.*
*τανίκα μαστίσδοιεν, ὅτε κρέα τυτθὰ παρείη.*
*Illud si facies, scillarum verbere crebro*
*Mox latus & humeros non pertutiere reuersis*
*Arcadicis, cum parua caro est venantibus illis.*

Atque Ouid. in epist. Phædræ vna cum Diana Panes & Satyros venantium ita præsides facit:

*Sic tibi secretis agilis Dea saltibus adsit,*
*Syluaque perdendas præbeat alta feras,*
*Sic faueant Satyri, montanaque numina Panes,*
*Et cadat aduersa cuspide fossus aper.*

Fabulantur Dionysum Iouis filium natũ ex Arge nympha ex Lycto vrbe Cretæ rapta & in Argillum montem deportata Pana cum Satyris sibi delegisse in militiam, atque cum subiecisset Indiam Pan, & mox Iberiam prius vocatã à flumine, de suo nomine regionẽ appellauisse Hispaniam Sed quid venatorum Deum fuisse dicimus: ipsemet Pan. fuit venator, vt ait Theocritus in Thyrside:

*τὸν Πᾶνα δεδοίκαμες. ἦ γὰρ ἀπ' ἄγρας.*
*τανίκα κεκμακὼς ἀμπαύεται· ἐντὶ γὰρ πικρός.*
*—— nam Pana timemus.*
*Venatu vt rediyt defessus, fit grauis ille.*

Memoriæ prodidit Isacius Pana Deum Echo adamasse, quare eum maritum Echus appellauit Theætetus, in his carminibus:

*ὑλοβάτας, φιλόδενδρος, ὄρειος αὐλῆς πόσις Ἠχοῦς,*
*πάνσκοπος, δικεράου μηλοφύλαξ ἀγέλας.*
*Montiuagus custos ouium, cornutus, & Echus*
*Coniux, cuncta videns, latus & arboribus.*

Quam amicam nominauit Archias in his carminibus:

*Ἠχὼ πετρήεσσαν ὁρᾷς φίλε, Πανὸς ἑταίραν,*
*ἀντίθροον φθογγὴν ἔμπαλιν ᾀδομένην.*
*Echo saxosam cernis, qua Panos amica est*
*Ingeminat captos protinus illa sonos.*

Ex illa filiam Iryngem suscepisse dicitur, quæ Medeæ dedit medicamina ad capiendum Iasonẽ. Hic idem amauit postea Syringa Nympham, quæ in palustres calamos fuit conuersa, vt ait Ouid. in 1. Metamorph.

*Panaque, cum prensam sibi iam Syringa putaret,*

*Corpore pro Nymphæ calamos tenuisse palustres.*

Mox calamis à vento agitatis sonumque facientibus syringis fistulā ex ijs fecit, vt ait Ouid. Memorant hunc ad montes vocatos Nomios, qui non procul absunt à Lycosura vrbe, fistulæ modos inuenisse, vbi Molpea fuit vicus, & templum Panos Nomij. Fuit etiam à Luna amatus, cum in niueum arietem pulcherrimum se conuertisset, quod testatur Virgilius in 3. Georg.

*Munere sic niueo lactis (si credere dignum est)*
*Pan Deus Arcadiæ captam te Luna fefellit.*

Fama est hunc cum Cupidine aliquādo fuisse colluctatum & victum, quare sit coactus Syringam nympham amare. Dicunt præterea Cererem iratam, Neptuno, de quo, vt quidam voluerunt, equum, vt vero alij, Heram peperit ab Arcadibus vocatam, indicatam Ioui à Pane fuisse. Nam cum Ceres ea quæ de raptu Proserpinæ contigerunt, audiuisset, aiunt ipsam Cererem se in speciem abdidisse ibi in Arcadia sumptis vestibus lugubribus, ac lucem vitasse: quare accidebat vt omnes terræ fructus interirent, ac pestis homines passim conficeret, cum Dij omnes ad Cererem quærendam missi fuissent. Pana inter venandum ferunt ad Elaium Cererē vidisse ac Ioui indicasse, quam per Parcas Iupiter placauit, vt testatur Pausanias in Arcadicis. multæ res gestæ Panos commemorantur; nam & timorem Gallis Græcorum hostibus per noctem immisisse dicitur, cum Græciam Brenno duce inuaserunt, quo illi in fugam sunt versi: & Atheniensibus in bello nauali opem tulit, & Medos profligauit, vt testatur Simonides in his carminibus:

*τὸν τραγόπουν ἐμὲ Πᾶνα, τὸν Ἀρκάδα, τὸν κατὰ Μήδων,*
*τὸν μετ' Ἀθηναίων, στήσατο Μιλτιάδης.*

*Arcada, capripedemque in Medos Pana locauit*
*Me pro Cecropiis gloria Miltiadis.*

Hic etiam Typhonem dicitur retibus implicuisse. Coluerunt Pana piscatores etiam cum in locis mari propinquis plerumq; versaretur, quem etiam ἁλίπλαγκτον siue per mare vagantem Sophocles in Aiace appellauit. Colebatur in promontoriis præcipue, quæ mari alluebantur. Offerebatur huic Deo lac & mel in pastorum poculis, quod significauit Theocritus ita in Viatoribus:

*στασῶ γ' ὀκτὼ μὲν γαυλὼς τῷ Πανὶ γάλακτος,*

ὀκτὼ

*ὀκτὼ δὲ σκαφίδας μέλιτος πλέα κηρί' ἐχοίσας.*
*Pani octo statuam spumanti: pocu'a lactis.*
*Totque scyphos, cum melle fauos ceramque tenentes.*

Quare non rite sacrificabant, qui tauros illi immolabant, aut qui in aureis poculis lac aut vinum offerebant, cum vasa ex eo metallo superis ac cœlestibus Deis, non autem terrestribus, vel pastorum curam habentibus conuenirent, quod significauit Apollonius Smyrnæus his versibus:

*ἀγροτέρων θεόν εἰμι. τί μοι χρυσίοις δὲ πίνουσι*
*σπένδετε; ποῦ δ' Ἰταλοῦ χεῖτε μέθυ βρομίου;*
*καὶ γυρὸς ταύρων πέτρῃ προσδεῖτε τένοντας;*
*φείσασθ', οὐ τούτοις θύμασι τέρπομαι.*
*Πὰν ὁ πετρωρείτης, αὐτόξυλος, ἀρνοθοίνης*
*εἰμὶ, καὶ ἰσχθονίου γλευκοπότης κύλικος.*
*Sum Deus agrestis, cui his sunt aurea sacris*
*Pocula? quo vinum funditis Italicum?*
*Ad petram cur stat taurus ceruice ligatus?*
*Parcite: non hac est victima grata mibi.*
*Pan montanus ego sum, ligneus, ipsaque vestis*
*Pellicea est: mustum è fictilibusque bibo,*

¶ Atq; de Pane Deo quæ fabulose dicta sunt ab antiquis explicauimus: nunc quid Pana esse putauerint, perquiramus. Lucianus in concilio Deorum Bacchum semi hominē mitra ornatum ac ebrium semper fere, effœminatum, mollem, prope infantem, vinum à matutino tempore ad siderum vsque ortum redolentem, hunc deformium Deorum agrestium chorum introduxisse scribit: Pana, Silenum, Satyros, qui agrestes fuerunt homines, & caprarum custodes, saltationibus dediti, quorum corporum formæ ob deformitatem fuerunt insignes. Dictus fuit Pan, vt alij voluerūt, quia ex omnibus procis natus sit. at Homerus in hymnis, quia Deorum omnium mentes delectauerit cum citharam, nuper natus scite pulsaret, vt est in his:

*Πᾶνα δέ μιν καλέεσκον, ὅτι φρένα πᾶσιν ἔτερψε.*
*Panaque dixerunt, quia cunctos iuuerit idem.*

At Orpheus Pana vniuersam naturam esse intellexit, quippe cuius elementa & cœlum sint membra, vt patet ex his versibus:

*Πᾶνα καλῶ κρατερόν γε θεὸν, κόσμοιο τὸ σύμπαν,*
*οὐρανὸν, ἠδὲ θάλασσαν, ἠδὲ χθόνα παμβασίλειαν,*

*καὶ πῦρ ἀθάνατον· τάδε γὰρ μέλη ἐστὶ τοῦ Πανός.*
*Pana voco magnum, qui totum continet orbem,*
*Qui mare, qui cœlum, qui terras frugiferentes,*
*Æternumque ignem, hæc Panos sunt omnia membra.*

Pingebatur Pan cornib. ad cœlum vsq; protensis. Ignea facie, barba promissa, qua pectus tegebatur: altera manu virgam, altera septẽ calamorum fistulã gestabat. erat indutus pelle variis maculis distincta, cuius mẽbra inferiora erant hispida & horrida atq; hirsuta. hinc effectũ est vt alij naturam, alij Pana Solem esse putarint, tanquã gubernatorẽ & moderatorẽ rerum omnium, quem idcirco Pana vocarunt. Pana rursus dixerunt esse Mercurij filiũ, quia cum Mercurius sit vis diuina ac voluntas, vt diximus, quæ res ad ortum perducit, ac Pan naturalia simplicia corpora, vniuersa illa à diuina voluntate gubernantur: quam eandẽ vim cum aliquando Iouẽ dicerent, Mercurium Iouis filiũ finxerũt. Nihil vero est aliud Pan, quã natura ipsa à diuina prouidẽtia, menteq; proficiscens ac procreata. Plato tamen in Cratylo videtur Pana orationẽ putasse, quę à Mercurio, siue ab animi cogitationibus, ratiocinationeq; proficisceretur: atque cũ superior pars esset Panos pulchra, & nomini persimilis, inferior deformis, & persimilis brutis, putauit diuinũ ac verũ in Dijs esse, falsum in multis hominum. Quod vero ex omniũ procorum cõgressu cum Penelope natus sit, id prorsus abhorret ab ipsa natura, quippe cum vasculũ fœminæ, quæ semen genitale excipit, statim claudatur, ita vt neq; accipiendo neq; emittendo omnino pateat, dum ex vno viro acceperit, donec fœtum auxerit & absoluerit. Neque potest vllũ animal è diuersis marib. procreari. At quoniã Pan vniuersa corpora naturæ continet, vt nomen significat, dicitur ex vniuersis quæ existunt esse genitus, siue ex omnib. consistere. Qui Mercurij filium esse tradiderunt, Pana nuper natum in pelle leporis aiunt à Mercurio fuisse inuolutum, & in cœlum portatum, vt testatur Hom. in hymnis:

*ῥίμφα δ' ἐς ἀθανάτων ἕδρας κίε, παῖδα καλύψας*
*δέρμασιν ἐν πυκινοῖσιν ὀρεσκώοιο λαγωοῦ.*
*Montani leporis vestitum pelle Deorum*
*Mercurium, superum in sedes pater attulit ipsum.*

Illud sane significat nihil aliud quam rerum naturã statim natam celerrimo motu agitari cœptam. Nam quis nesciat

omnia

omnia quæ sunt velocissimo cœlorū motu circūdari. Aiūt præterea hūc à Nymphis educatum fuisse Thaletis Milesij opinionē secuti, quia non solum humor rerum omniū autor creditus est, vt ait poeta qui Oceanum rerum omnium patrem, matrē Tethyn appellauit, sed etiam putatus est omnia conseruare & nutrire: qui idem Pan cum omnia postea complexus sit, dux & princeps Nympharum dictus fuit. At nunc formā corporis, & cur talem illū finxerint, inquiramus. Pani cornua ad Solis imitationē tradiderunt, cum eundem Solem esse crederent. Alij Pardalis pelle, at non leporis indutū fuisse maluerunt, quam formam alij ad stellarum similitudinem datam putarunt; alij ad terræ formam, quæ multiplicia animalium, & planetarū genera procreat, fluuiorumque & montium varietatem mirificam, mariaq; complura, cum alibi & sterilis & arida sit, quibus reb. tanquam maculis multiplicibus distinguitur. Neq; aliud sane partes inferiores Panos hirsutæ significant, quam syluarum & arborum frequentiam. Caprini pedes repentinos subterraneos motus, vel, vt alij maluerunt, terræ stabilitatem, atque mutationes, nubium, quæ fiunt in aere, significant. Quamuis alij Solis naturam per Pana significari crediderunt: quippe cum putarent pedes esse caprinos, quia Solis virtus in terra habet pedes, siue fundamentum, cum in cœlo sit caput. Hunc generationis & corruptionis autorem ita significare videtur Orpheus in eo carmine quod scripsit inter cæteras laudes Panos Dei:

*ἀλλάσσεις δὲ φύσιν πάντων ταῖς σαῖσι προνοίαις.*

*Nam tua naturam rerum prudentia mutat.*

Facis rubra ætheris naturā, fistula septem calamorum, modo ventorum varietatem, modo harmoniam septem tonorum cœlestium significat. Huic alij facem, alij virgam tribuerunt: qui falcem, nihil aliud esse putarunt, quam industriam naturæ in amputandis superuacaneis, quod & ad generandū & ad conseruādum singula necessariū est: qui virgam, potestatē naturæ in rebus omnibus indicarunt, cum illi quasi sceptrum tribuerint. alij cornua Pani tanquam Soli tribuentes barbam eius promissam Solis ipsius lumen esse dixerunt: qui idcirco habebat fistulam, quia per calorem Solis omnes ventorum flatus oriuntur. caprinos idcirco habebat pedes, vt dictum est, quod ea vis quæ in

*καὶ πῦρ ἀθάνατον· τάδε γὰρ μέλη ἐστὶ τὰ Πανός.*
*Pana voco magnum, qui totum continet orbem,*
*Qui mare, qui cœlum, qui terras frugiferentes,*
*Æternumque ignem, hæc Panos ſunt omnia membra.*

Pingebatur Pan cornib ad cœlum vſq; protenſis. Ignea facie, barba promiſſa, qua pectus tegebatur: altera manu virgam, altera ſeptẽ calamorum fiſtulã geſtabat. erat indutus pelle variis maculis diſtincta, cuius mẽbra inferiora erant hiſpida & horrida atq; hirſuta. hinc effectũ eſt vt alij naturam, alij Pana Solem eſſe putarint, tanquã gubernatorẽ & moderatorẽ rerum omnium, quem idcirco Pana vocarunt. Pana rurſus dixerunt eſſe Mercurij filiũ, quia cum Mercurius ſit vis diuina ac voluntas, vt diximus, quæ res ad ortum perducit, ac Pan naturalia ſimplicia corpora, vniuerſa illa à diuina voluntate gubernantur: quam eandẽ vim cum aliquando Iouẽ dicerent, Mercurium Iouis filiũ finxerũt. Nihil vero eſt aliud Pan, quã natura ipſa à diuina prouidẽtia, menteq; proficiſcens ac procreata. Plato tamen in Cratylo videtur Pana orationẽ putaſſe, quę à Mercurio, ſiue ab animi cogitationibus, ratiocinationeq; proficiſceretur: atque cũ ſuperior pars eſſet Panos pulchra, & nomini perſimilis, inferior deformis, & perſimilis brutis, putauit diuinũ ac verũ in Dijs eſſe, falſum in multis hominum. Quod vero ex omniũ procorum cõgreſſu cum Penelope natus ſit, id prorſus abhorret ab ipſa natura, quippe cum vaſculũ fœminæ, quæ ſemen genitale excipit, ſtatim claudatur, ita vt neq; accipiendo neq; emittendo omnino pateat, dum ex vno viro acceperit, donec fœtum auxerit & abſoluerit. Neque poteſt vllũ animal è diuerſis marib. procreari. At quoniã Pan vniuerſa corpora naturæ continet, vt nomen ſignificat, dicitur ex vniuerſis quæ exiſtunt eſſe genitus, ſiue ex omnib. conſiſtere. Qui Mercurij filium eſſe tradiderunt, Pana nuper natum in pelle leporis aiunt à Mercurio fuiſſe inuolutum, & in cœlum portatum, vt teſtatur Hom. in hymnis:

*ῥίμφα δ' ἐς ἀθανάτων ἕδρας κίε, παῖδα καλύψας*
*δέρμασιν ἐν πυκινοῖσιν ὀρεσκῴοις λαγωοῦ.*
*Montani leporis veſtitum pelle Deorum*
*Mercurium, ſuperum in ſedes pater attulit ipſum.*

Illud ſane ſignificat nihil aliud quam rerum naturã ſtatim natam celerrimo motu agitari cœptam. Nam quis neſciat

omnia

omnia quæ ſunt velociſſimo cœlorũ motu circũdari. Aiũt præterea hũc à Nymphis educatum fuiſſe Thaletis Mileſij opinioné ſecuti, quia non ſolum humor rerum omniũ autor creditus eſt, vt ait poeta qui Oceanum rerum omnium patrem, matrẽ Tethyn appellauit, ſed etiam putatus eſt omnia conſeruare & nutrire: qui idem Pan cum omnia poſtea complexus ſit, dux & princeps Nympharum dictus fuit. At nunc formã corporis, & cur talem illũ finxerint, inquiramus. Pani cornua ad Solis imitationẽ tradiderunt, cum eundem Solem eſſe crederent. Alij Pardalis pelle, at non leporis indutũ fuiſſe maluerunt, quam formam alij ad ſtellarum ſimilitudinem datam putarunt; alij ad terræ formam, quæ multiplicia animalium, & planetarũ genera procreat, fluuiorumque & montium varietatem mirificam, mariaq; complura, cum alibi & ſterilis & arida ſit, quibus reb. tanquam maculis multiplicibus diſtinguitur. Neq; aliud ſane partes inferiores Panos hirſutæ ſignificant, quam ſyluarum & arborum frequentiam. Caprini pedes repentinos ſubterraneos motus, vel, vt alij maluerunt, terræ ſtabilitatem, atque mutationes, nubium, quæ fiunt in aere, ſignificant. Quamuis alij Solis naturam per Pana ſignificari crediderunt: quippe cum putarent pedes eſſe caprinos, quia Solis virtus in terra habet pedes, ſiue fundamentum, cum in cœlo ſit caput. Hunc generationis & corruptionis autorem ita ſignificare videtur Orpheus in eo carmine quod ſcripſit inter cæteras laudes Panos Dei:

*ἀλλάσσεις δὲ φύσιν πάντων ταῖς σαῖσι προνοίαις.*

*Nam tua naturam rerum prudentia mutat.*

Facis rubra ætheris naturã, fiſtula ſeptem calamorum, modo ventorum varietatem, modo harmoniam ſeptem tonorum cœleſtium ſignificat. Huic alij facem, alij virgam tribuerunt: qui falcem, nihil aliud eſſe putarunt, quam induſtriam naturæ in amputandis ſuperuacaneis, quod & ad generandũ & ad conſeruãdum ſingula neceſſariũ eſt: qui virgam, poteſtatẽ naturæ in rebus omnibus indicarunt, cum illi quaſi ſceptrum tribuerint. alij cornua Pani tanquam Soli tribuentes barbam eius promiſſam Solis ipſius lumen eſſe dixerunt: qui idcirco habebat fiſtulam, quia per calorem Solis omnes ventorum flatus oriuntur. caprinos idcirco habebat pedes, vt dictum eſt, quod ea vis quæ in

omnia corpora per Solem porrigitur, diuinis corporib. adiuuantibus in terræ elementum peruenit ac desinit. Neque illum alium quam Solem putarunt ij, qui montium præsidem Pana, & Pastorum & venatorum Deum dixerunt: Sol siquidem animalib. omnibus plurimum confert, per quem & pabulorum vbertas fit, & penuria: quare illum in prato amœnissimo inter suauissimos flores fistula canentem inducit Homerus in his carminibus:

*λιγυρῇσιν ἀγαλλόμενος φρένα μολπαῖς*
*ἐν μαλακῷ λειμῶνι, τόθι κρόκος ἠδ' ὑάκινθος*
*εὐώδης θαλέων θαζαμίσγεται ἄκριτα ποίην.*
*Cantibus est tota lætatus mente sonoris*
*In mali prato: crocus illic atque hyacintus*
*Spirat odoratas inter quam plurimus herbas.*

Dicunt illum fuisse cum Cupidine colluctatum, ab eo victum, quia, vt diximus, amor & litigium principium fuisse rerum naturalium putata sunt. Amor enim procreandi materiã excitat, & in omnes formas ad generationem effingit, quæ ita dicitur ab opifice superata dum cum illo colluctatur. Fama est prætetea Echo fuisse à Pane amatam, quippe cum cœlorum harmoniã Echo esse putarẽt, quæ redundaret è ratione motuum. Atq; ad septem planetarũ imitationem septẽ chordarum instrumẽta musica prius fuerunt inuenta, quamuis Seuerinus Boethus in lib. de Musica refellere conatur Pythagoricorum opinionem, qui cælos harmoniã efficere censuerunt, cum nulla fiat sine aere. Pan igitur omnium mortalium primus, vel Deorum potius, creditur septem calamorum concinne inter se connexorum fistulam excogitasse, quare ita ait Virg. Ægl. 2.

*Pan primus calamos cera coniungere plures*
*Instituit.*

Hæc eadem causa fuit cur Syringa Nympham à Pane amatam fuisse finxerint antiqui, quæ cum vim effugere nõ posset, in calamum fuit conuersa. Nam cum ad ripas Ladonis fluminis Pan aliquantulum constitisset, ventusq; calamos leuiter agitasset, quidam perforati Harmoniã emittere, ac suauem sonum deprehensi sunt. hos carpens Pan fistulam, cum illos inflasset, paulatim inuenit: qui calami cum nati essent in Ladone flumine, & syrinx siue fistula, quæ sonum emittebat, vocata fuit Ladonis filia scilicet, quę nihil aliud

erat

erat, quam calamus. Nam syrinx vel fistulam vel cantum fistulæ apud Græcos significat. Testatur Lucret. lib. 5. calamos à vento agitatos sibilum prius emisisse, ac postea in locis paludosis id à pastoribus obseruatum dedisse facultatem inuentioni, vt patet ex his:

*Et Zephiri caua per calamorum sibila primum*
*Agrestes docuere cauas inflare cicutas.*
*Inde minutatim dulces didicisse querelas,*
*Tibia quas fundit digitis pulsata canentum,*
*Auia per nemora, ac syluas, saltusq́ reperta*
*Per loca pastorum deserta, atq́ ocia dia.*

Illud cum Pan pastor primus reperisset, creditus est Deus, vt reliqui rerum multarum inuentores. Amauit etiam Lunam quia materia rerum omnium naturalium astrorum beneficio & Lunæ præcipue informatur, & ad procreationem properat. Ea materia cum Pan vocatur, mareq; ipsum etiam intra se contineat, iure Pan piscatorum etiam fuit Deus, quæ omnia breuiter complexus est Orpheus in hymnis hoc pacto:

*ἁρμονίαν κόσμοιο κρέκων φιλοπαίγμονι μολπῇ*
*φαντασιῶν ἐπαρωγὲ, φόβων ἔκπαγλε βροτείων·*
*αἰγονόμοις χαίρων ἀνὰ πίδακας, ἠδὲ τε βούταις·*
*εὔσκοπε, θηρητὴρ, ἠχοῦς φίλε, σύγχορε νυμφῶν.*
*παντοφυὴς, γενέτωρ πάντων, πολυώνυμε δαῖμον.*
*Harmonia mundi faciens dulcedine cantus?*
*Terrorumq́; autor mortalibus, & moderator?*
*Caprarum gaudens pastoribus atq́; bubulcis;*
*Musarum dux & venator atq; amator & Euchus,*
*Cunctorumq; parens idem celeberrime dæmon.*

Atq; totus fere hymnus consumitur in commemorandis iis potestatibus & viribus, quæ tribuuntur elementis: quippe cum illud fuerit antiquorum institutum vt sub fabularũ figmentis vniuersa naturæ consilia & seriem occultarent, vna cum vitę recte instituendæ præceptis: cum tamen Deorum fabulæ magis ad res naturæ: hominum, ad mores magis pertinent. ac de Pane satis nunc dicatur de Satyris.

## *De Satyris.* CAP. VII.

SAtyrorum origo quæ fuerit, aut è quibus parentibus sint geniti, vel vbi, vel quando esse cœperint, vel qua de causa fuerint habiti ab antiquis, neque in quemquam an-

tiquorum scriptorum fide dignum incidi qui explicauerit neque ipse excogitare potui. At quæ de his mihi cognita sunt, putaui esse breuiter explicanda. Horum sententiam prætermittendam duxi, qui Fauni vel Saturni filios fuisse Satyros crediderunt, cum nullis certis rationibus nitantur. Plin. Lib.7.natur.hist. animalia Satyros esse scribit velocissima, quæ quatuor pedes haberent, in subsolanis Indorum montibus, humana effigie, ac recte currentia. Hi manibus esse dicebantur aduncis, cornua habere in fronte, cum pars extrema similis esset caprarum. Scriptum reliquit Paus. in Atticis Euphemum ex Caria in extremas Oceani partes delatum multas desertas insulas inuenisse, in vnam quarum Satyridam vocatam cum tempestate coactus egressus esset, incolas rufos, & caudas habere intra clunes haud multo minores equinis, reperit. Illi vbi primum adesse hospites senserunt, cucurrerunt ad naues, nullaq; emissa voce in mulieres, quæ erant in nauibus, impetu facto manus iniecerunt. At nautæ trepidi barbatam mulierem, quam secum vehebant, exposuerunt, in quam petulantissime irruentes vndique appetiuerunt Dicebantur esse Satyri Bacchi socii, vt Sileni, sicuti testatur Plato in illo epigram. in Satyrum:

*εἰμὶ μὲν δικεράοιο φίλος θεράπων Διονύσου·*
*λείβω δ' ἀργυρέων ὕδατα Ναϊάδων.*

*Nam sum ego cornuti gratus seruus Dionysi.*
*Libo pulchrarum flumina Naiadum.*

Hos etiã conuiuiorũ amicos appellauit Nilus in eo carm.

*πάντες μὲν Σάτυροι φιλοκέρτομοι.*

*Omnis amat Satyrus conuitia.*

Dicti sunt autem Satyri à salacitate, vt ait Theocriti enarrator: cum σάθη tentigo sit & titillatio ad Venerem. Hic cum essent seniores, dicebantur sileni, vt ait paus. in Att. At Nicandri enarrator non antiquiores fuisse Satyros vocatos scribit, sed ab antiquis Silenos dictos fuisse Satyros hoc pacto: οὕτοι δὲ οὓς ἡμεῖς Σατύρους λέγομεν, οἱ ἀρχαῖοι Σιληνοὺς ἐκάλουν, ἀπὸ τοῦ σιλλαίνειν, ὅ ἐστι λοιδορεῖν. *At vero quos Satyros nos appellamus, antiqui nominarũt Silenos, ab eo quod est σιλλαίνειν, quod conuitiari significat.* Hos tamen nonnulli arbitrabantur esse dæmonas, ac pro Diis coluerunt, Fuit autem consuetudo, vt illi primitias pomorum & vuarum offerrent, vt testatur Leonidas:

γλαύκ

γλευκοπόταις Σατύροισι, καὶ ἀμπελοφύτορι Βάκχῳ
Ἡρώναξ πρώτης δράγματα φυταλιῆς.
τρισσῶν οἰνοπέδων τρισσοὺς ἱερώσατο τούσδε
ἐμπλήσας οἴνου πρωτοχύτοιο κάδους.

*Heronax Satyris, vites Bacchoq; tuenti,*
*Arboribus prima hæc munera rapta dedit.*
*Vinea cum triplex produxerit, ecce sacrauit*
*De primo musto tres simul illi cados.*

Scripsit Pomponius Mela insulas quasdam vltra Atlantem Mauritaniæ montem fuisse, in quibus per noctem lumina viderentur, cymbalorumque ac tympanorum, & fistularũ & tibiarum strepitus audiretur, cum tamen nemo per diem cerneretur : quas insulas Satyri habitare crediti sunt. Sic scriptum fuisse inuenimus in ea nauigatione Annonis ducis Carthaginensium, quam fecit vltra columnas Herculis in Libyæ partibus, quam reuersus Carthaginem in templo Saturni deposuit, vt scripsit Arrianus : nam præter cætera auditu admirabilia hæc etiam in illa scribebantur : Ἄρχ ἤλθομεν εἰς μέγαν κόλπον, ὃν ἔφασαν οἱ ἑρμηνεῖς καλεῖσθαι ἑσπέρου κέρας. ἐν δὲ τούτῳ νῆσος ἦν ἑτέρα· εἰς ἣν ἀποβάντες, ἡμέρας μὲν οὐδὲν ἀφεωρῶμεν, ὅτι μὴ ὕλην· νυκτὸς δὲ πυρά τε πολλὰ καιόμενα, καὶ φωνὴν αὐλῶν ἠκούομεν, κυμβάλων τε καὶ τυμπάνων πάταγον καὶ κραυγὴν μυρίαν φόβος οὖν ἔλαβεν ἡμᾶς. *Donec ad magnum quendam sinum peruenimus, quem interpretes Vesperi cornu vocari dixerunt: in quo alia erat insula, in quam egressi, nihil per diem nisi syluam videbamus, at per noctem ignes permultos accensos, & vocem fistularum audiebamus, cymbalorumque ac tympanorum incredibilẽ strepitum, quare nos timor inuasit.* in his enim locis magna Satyrorum multitudo habitare credebatur. Huiusmodi monstra cum aliquando mortalibus apparuissent, homines rudes & ad timorem propensi, minime considerantes naturam eandem malignam & diuinam esse non posse, quicquid formidabile vel admirabile apparuisset, pro Deo habuerunt atque cum Satyri per syluas crederentur vagari, quibus armenta vel greges fierent obuii, ne his nocerent, inter Deos pastorum illos retulerunt. at nunc de Silenis dicamus.

## *De Silenis.* CAP. VIII.

Atqui multi fuerunt etiam Sileni, quando Pausanias in rebus Atticis natu maximos Satyrorum Silenos nun-

cupatos fuisse memorat, sed vnus præcipue inter illos cæteris antiquior memoratur, qui cuius filius fuerit, non constat: nisi quod in ciuitate Malea Laconum natus, est vt ait Paus. & Pindarus. at Catullus in Nysa Indiæ ciuitate natum esse Silenum memorat ita in Argonauticis:

*At parte ex alia florens volitabat Iacchus*
*Cum thyrso Satyrorum, & Nysigenis Silenis.*

Ferunt præterea Silenum Bacchum educasse, vt testatur Orpheus in hymno in Silenum hoc pacto:

κλῦθί μευ ὦ πολύσεμνε τροφεῦ, Βάκχοιο τιθηνὲ,
Σιληνῶν ὄχ' ἄριστε, τετιμένε πᾶσι θεοῖσι,
καὶ θνητοῖσι βροτοῖσιν ἐπὶ τριετηρίσιν Ὥραις.
*Hæc audi Silene pater, Dionysi & alumne,*
*Optime Silene, & cunctis gratissime diuis,*
*Grate viris pariter cunctis, prædulcis & Horis.*

Hunc scribit Lucianus in consilio Deorum senem fuisse, & caluum, & simum, & asino plerunque vtentem, breuis staturæ, corpore obeso ac ventricoso, auribus magnis & arrectis, tremulum baculo innitentem at plures fuisse Silenos & Dionysum ab iis educatum, scripsit Nicander in Alexipharmacis:

ὡς δ' ὁπότ' ἀγριόεσσαν ὑπὸ θλίψαντες ὀπώρην
Σιληνοὶ κεραοῖο Διωνύσοιο τιθηνοί.
*Sic vbi syluestres vuas pressere, Lyæi*
*Sileni comites cornuti, & patris alumni.*

Hunc semper fere ebrium fuisse innuit Vir. ita Ægl. 6.

*——— Chromis & Mnasylus in antro*
*Silenum pueri somno videre iacentem,*
*Inflatum hesterno venas, vt semper Iaccho.*

Hunc Satyri semper comitabantur, vt innuit in his Ouid. in 2. de arte amandi:

*Ebrius ecce senex pando delapsus asello,*
*Clamarunt Satyri surge age, surge pater.*

Hic vna cum ipsis Satyris semper fere Bacchum sequebatur, vt est in lib 4. Metamorph.

*Bacchæ, Satyrique sequuntur,*
*Quique senex ferula titubantes ebrius artus*
*Sustinet, & pando non fortiter hæret asello.*

Fama est hunc Silenũ à Mida vino in fontem quendã infuso captũ fuisse, quod vino maxime delectaretur, vt ait Pausanias

ſanias in Atticis, atque id ita ſcripſit Ouidius libro vndecimo Metamorph.

*Hunc aſſueta cohors Satyri, Bacchæq; frequentant:*
*At Silenus abeſt; titubantem annisq; meroq;*
*Ruricolæ cepere Phryges, vinctumq; coronis*
*Ad Regem duxere Midam.*

Crediti ſunt fuiſſe mortales Sileni, quippe quorum ſepulchra apud Hebræos & Pergamenos oſtenderentur, vt ait in poſterioribus Eliacis Pauſanias. at Strabo lib. 10. Satyros, Silenos, Bacchos, Tityros, dæmonas fuiſſe ſcribit: qui, vt crediderunt antiqui, cæterorum Deorum eſſent miniſtri. alii memoriæ prodiderunt, quod Bacchus ætate confectos Silenos in Italia reliquit, cum ad bellum aduerſus Tarſenſes exiturus eſſet; quibus mandauit vt vites curarent, quo vini ferax efficeretur Italia. quare poſteri ſtatuas deinde Silenorum vinum in vtribus ferentes, ad perpetuam Silenorum memoriam erexerunt, vt teſtatus eſt Androtion in libro de Sacrificiis ſecundo, & Dionyſiocles. Cum Ioui aduerſus Gigantes pugnanti opem tuliſſet Silenus, dicitur eius aſinus, quo in eo bello vſus fuerat, inter ſidera Iouis beneficio locatus, & ex altera parte præſepis conſiſtere, cuius mentionem fecit Aratus in his in lib. de ſignis aquarum & ventorum:

σκέπτεο καὶ φάτνην, ἡ μέν τ' ὀλίγη εἰκυῖα
ἀχλύϊ, βοῤῥαίῃ ὑπὸ καρκίνῳ ἠγηλάζει.
ἀμφὶ δέ μιν δύο λεπτὰ φαεινόμενοι φορέονται
ἀστέρες, οὔτι πολλὸν ἀπήοροι, οὔτε μάλ' ἐγγύς,
ἀλλ' ὅσσον τε μάλιστα πυγούσιον οἰήσασθαι·
εἷς μὲν βοῤῥαῖος, νότῳ δ' ἐπιέρχεται ἄλλος.
καί τοι μὲν καλέονται ὄνοι, μέσση δέ τε φάτνη,
ἥ τε καὶ ἐξαπίνης πάντη Διὸς εὐδιάοντος
γίνετ' ἄφαντος ὅλη, τοὶ δ' ἀμφοτέρωθεν ἰόντες
ἀστέρες, ἀλλήλων αὐτοσχεδὸν ἰνδάλλονται,
οὐκ ὀλίγῳ χειμῶνι τότε κλύζονται ἄρουραι.

Quæ carmina ita ſunt à Rufo Auieno Latine verſa:

*Conuenit hic etiam paruum Præſepe notare;*
*Id nubi nomen, quæ Cancro obuoluitur alto,*
*Græcia docta dedit. quapropter deniq; Aſellos*
*Suſpice, quorum vnus ſeptem vicina Trioni*
*Aſtra adolet, tepidum procul alter ſpectat in Auſtrum.*

*In medio quod nube quasi concrescit adacti,*
*Id Praesepe vocant. Porro hoc praesape repente*
*Si sese ex oculis procul auferat, ardeat autem*
*Congruus aerius late rubor ignis asellis:*
*Nequaquam tenues agitabunt stagna procellae,*

Alter enim eorum Asellorum est asinus Sileni. at quoniam Auieni carmina parum Arati sententiam, vel certe summa cum difficultate explicare mihi videntur, parumque cum Graeca elegantia conuenire, ego an illa Latina facere & clarius exprimere possem experiar. Est autem Arati sententia, quod nubecula quaedam in Cancri ostraco inter scapulas existens, habet vtrinq; stellas, quae Aselli vocantur, quare illa iure dicitur Praesepe. vbi igitur illa nubes pura & aperta videtur, futurum coelum serenum significat. quod etiam inquit ita Theophrastus in libro de Signis futurae serenitatis: καὶ ἡ τοῦ ὄνου φάτνη, ὅτι ἂν καθαρὰ καὶ λαμπρὰ φαίνηται, εὐδιεινόν: & Asini Praesepe cum purum splendidumq; apparuerit, signum est futurae serenitatis. at versus Arati, quos Latinos facio, ita se habent:

*Hinc Praesepe nota: nubes id parua videtur*
*In Boream surgens, vbi fulgent sidera Cancri.*
*Hoc propter geminae voluuntur lumine stellae*
*Per tenui, nec longinqua nimis: haud tamen illae*
*Coniunctae, spacioq; vlnae distare videntur.*
*Altera sit Boreae propior, deuergit in Austrum*
*Altera: & hae dicuntur Aselli. separat illas*
*In medio Praesepe polo idq; repente sereno*
*Ex oculis hominum vanescit, at hae coeuntes*
*Fiunt vicinae stellae & simul esse videntur,*
*Imbribus immodicis vt Iupiter arua rigabit.*

Vbi igitur illa nubecula euanuerit, quam Asini Pręsepe vocauit Theophrastus, quod quidem accidit ob condensatũ humorem, cum illa sit tenuis, ac debilis, illae duae stellae videntur fieri propinquae, atque id futuram tempestatem significat. Illud autem fit, vt videantur congredi, quia corpus diaphanes vaporum in aquam prope versorum radios oculorum infringit, neque patitur frequentes ad rem conspectã peruenire, quare non potest deprehendi vera distantia. atque haec fabulose de Sileno, deq; eius asino dicta sint.

¶ Hunc Bacchi comitem, senem, ventricosum, titubantemque

remque finxerunt, quia vinum & ebrietas cum obesos faciat & ventricosos tum caput plerunque grauat, & titubantes facit & ad senectutem citius perducit: hæc enim omnia incommoda, & corporis turpitudines idcirco Bacchi comites finxerunt. quidam putarunt Silenum senem fuisse Bacchi alumnum, quia vinorum vetustas, omnes etiam prædictas turpitudines augeat. Idcirco dicebatur ab asino vehi solitus, quia tardi sunt plerunque & inutiles negotiis, qui plus potare solent, quam conueniat: nam voluptates omnes parum conferunt humanæ vitæ: quippe cum non animum solum, sed corpus etiam rebus omnibus inutile reddant, si plus operæ illis detur, quam natura ipsa postulauerit. ad huius rei sempiternam memoriam & cohortationem antiqui eius asinum inter sidera collocatum fuisse tradiderunt. ac de Silenis satis, nunc de Faunis dicamus.

## *De Faunis.* CAP. IX.

FAuni etiam agricolarum Dei ab antiquis crediti fuerũt, qui, vel qui essent, vel quam haberent formam, nihil est omnino quod ex antiquis scriptoribus percipere possimus nisi quod Faunus quidem fuit Pici Latinorum Regis filius, qui regnauit in Italia, quo tempore Orpheus Liberi patris illa sacrificia instituit, in quibus postea fuit dilaniatus. Faunum fuisse Pici filium ita testatur Virg. lib. 7.

*Fauno Picus pater, isq; parentem*
*Te Saturne refert tu sanguinis vltimus autor.*

Floruit autem Faunus Latinorum Rex, quo tempore Pandion regnauit Athenis. Hic religionem, & Deorum immortalium metum Italis gentibus introduxit, vt ait Lactãtius in libro de Falsa religione, cum ante illum parua omnino, aut nulla esset religionis in Italia cognitio. fama est hunc Faunum Satyrorum ac Faunorum patrem, sororem habuisse Faunam, vel (vt alii maluerunt) Fatuam. Habuit filium Sterculium: qui primus agrorum stercorationem inuenit, & idcirco inter Deos fuit relatus. videntur mihi poëtæ, quamuis nihil certum affirmare possum, Faunus animalia putasse, cum tanquam equos cornipedes illos Ouid. appellauerit ita in 2. Fastorum:

*Cornipedi Fauno cæsa de more capella,*
*Venit ad exiguas turba vocata dapes.*

Tribuerunt illis cornua præterea, vt testatur idem in eodem libro:

*Tertia post idus nudos aurora Lupercos*
*Aspicit, & Fauni sacra bicornis erunt.*

Coronabantur pineis ramis, quod illa arbor grata sibi esse putaretur, vt testatur Ouid. in OEnone:

*Cornigerumq; caput pinu præcinctus acuta*
*Faunus in immensis, qua tumet Ida, iugis.*

Existimabantur à nonnullis esse dæmones, qui attonitos redderent omnes obuios, vt est apud eundem in Phædra:

*Nunc furor, vt Bacchi furiis Eleeides acta,*
*Quæq; sub Idæo tympana colle mouent,*
*Aut quas semideæ Dryades, Faunïq; bicornes*
*Numine contactas attonuere suo.*

Hi igitur Fauni siue fuerunt animalia, siue dæmones crediti omnino pro Diis ab agrestibus hominibus colebantur, sicuti testatur Virg. in 1. Georg. hoc pacto:

*Et vos agrestum præsentia numina Fauni.*

His capra mactabatur, vt patuit è superioribus carminibus Ouidii, neque ab antiquis scriptoribus Græcis Fauni celebrati sunt, quia Faunus, vt diximus, in Italia regnauit, & solis prope Italis fuit cognitus. Hic quoniã multa ad Deorum religionem instituit, multaque ad agriculturam excogitauit, inter Deos relatus fuit agrestium. At quoniam non nisi per nouas & admirabiles, aut etiam formidandas figuras Deorum metu multitudo imperitorum teneri poterat, idcirco & cornua, & cornei pedes, & terror ille Panos non dissimilis, Faunis additus est: quippe cum multa fuerint ad terrorem excogitata ab antiquis, vt qui ad cultum Deorum rationibus adduci non possent, rerum terribilium mirabilitate demum ad metum cultumque eorum impellerentur. At cum non plura his de Faunis habeamus: nunc de Syluano est dicendum.

## *De Syluano.* CAP. X.

OBscurum sane & ipsius Syluani genus, vtpote agrestis Dei, existit: quippe cum neque qui fuerunt eius parentes, neque è quibus, aut quo in loco natus sit, constet. Fuerunt tamen qui Fauni filiũ putarint, cum alii Saturni maluerint, quo tẽpore in Italia latuit, vnum satis constat Syl-

uanum fuisse syluarum Deum, pastorumque, & finium agrorum, vt ait Horatius in libro Epodon in his:

*Qua muneretur te Priape, & te pater*
*Syluane tutor finium.*

Huic Deo sacra fiebant antiquitus apud Latinos, vt pastorum præsidi, cuius nulla est mentio apud Græcos, nisi apud Pelasgos, qui in Italiam antiquitus migrarunt, vt testatur Virgil. lib. 8.

*Syluano fama est veteres sacrasse Pelasgos*
*Aruorum, pecorisque Deo lucumque diemque:*
*Qui primi fines aliquando habuere Latinos.*

Offerebatur illi etiam lac, vt testatur Horat. in lib. 2. Epistolarum in hoc versu:

*Tellurem porco, Syluanum lacte piabunt.*

Fama est Cyparissum puerum fuisse à Syluano amatum, quare vbi in arborem sui nominis mutatus fuisset, cupressum manibus semper gestasse Syluanus dictus fuit, vt testatur Virgil. lib. 1. Georg.

*Et teneram ab radice ferens Syluane cupressum.*

Neque plura his in mentē veniunt, quæ de Syluano fuerint ab antiquis tradita. Hic quidem Deus, vt superiores, excogitatus fuit, vt existimarent homines nullum locum esse, qui carere Deo posset, nihilque agi aut in agris, aut in syluis posse, quod à Deo aliquo non videretur: ac neque armēta, neq; arbores, neq; agrorū fœtus sine diuina bonitate posse augeri aut seruari. Quamuis non defuerunt, qui Syluanum crassiorem materiam elementorum concretorum putauerint, eumque & agrorum, & syluarum, & pastorum Deum crediderint: quippe cum inde vniuersa animalium plantarumq; salus pendeat. Neque nomen ipsum ab hac interpretatione valde dissentit. Alij crediderunt Syluanum fuisse vitam mortaliū, quæ multis calamitatibus & erroribus materiam præberet, quamobrem sapienter ad hoc alludens Palladas crapulæ & desidiæ deditos, Syluani filiabus scilicet, nihil boni in vita curare inquit in his:

Συλβανὸς, δύο παῖδας ἔχων Οἶνόν τε καὶ Ὕπνον,
οὐκ ἔτι τὰς Μούσας, οὐδὲ φίλους φιλέει.

*Vt vinum ac Somnum Syluanus pignora cepit,*
*Iam parui Musas, paui hominesque facit.*

At nunc de Oreadibus dicatur.

## De Oreadibus. CAP. XI.

OREADES Nymphæ, quæ ita vocabantur, quia natæ essent in montibus, vel quia in montibus assidue versarentur, natas fuisse è filia Phoronei & Hecatæo testatur Strabo lib. 10. Homerus vero in lib. ζ. Iliad. illas non Hecatæi, sed Iouis filias, & Orestiades easdem appellauit, vt patet ex his:

*ἠδ᾽ ἐπὶ σῆμ᾽ ἔχεεν· περὶ δὲ πτελέας ἐφύτευσαν*
*Νύμφαι Ὀρεστιάδες κοῦραι Διὸς αἰγιόχοιο.*
*Plantarunt vlmos, vbi fusa est terra sepulchro,*
*Circa id, Orestiades Nymphæ Iouis inclyta proles.*

Has quinque fuisse inquit Strabo lib. 10. quas tamen fuisse multas, & Dianæ venatricis comites ait Virg. in 1. Æneid.

*Qualis in Eurotæ ripis, aut per iuga Cynthi*
*Exercet Diana choros: quam mille secutæ*
*Hinc atque hinc glomerantur Oreades.*

Memoriæ proditum fuit à Mnasea Patarensi, quod hæ primæ mortales à mutuo carnium esu diuerterunt, cum in montibus versantes castaneis & glandibus vescerentur. reuocauit in primis vna earum Melissa nomine, quæ fauos melle plenos reperiens in Peloponneso cæteras nymphas ad degustandum adhortata est. is cibus cum suauissimus fuisset visus, tanto gaudio perfusæ sunt omnes, vt apes ipsas de Nymphæ nomine melissas Græci appellauerint. inde effectum est vt & sacris Cereris, & nuptijs interessent antiquitus sacerdotes Nympharum nomine, quod illæ ad humaniorem victum ab humanis carnibus edendis auertissent. Hæ Nymphæ putabãtur esse Deæ montium præsides, & arborum curam habere, & aliquando ferarum, quas cum Diana insectabantur: nullaq; illis domesticorum animalium vel pastorum cura fuit. Ita vero antiqui religione tenebantur, vt nullum neque publicum, neq; priuatum locum aliquo numine carere arbitrarentur: quippe cum elementa singula, & herbas, & radices, & arbores, & arborum aut terræ fructus suos Deos habere crediderint. Hinc Deas quæ montibus vniuersis præessent, Oreades siue Orestiades nominarunt: quæ nemoribus & syluis, Dryadas: quæ singulis arboribus, Hamadryadas. Creditæ vero sunt Dryades fuisse Nymphæ, quæ cum arboribus & nascerentur & inter-

interirent, vt testatur Callimachus in hymno in Delum:

——— ἐμαὶ θεαὶ εἴπατε μοῦσαι
εἰ ῥ' ἐτεὸν ἐγένοντο τότε δρύες ἡνίκα Νύμφαι.
Νύμφαι μὲν χαίρουσιν, ὅτε δρύας ὄμβρος ἀέξει.
Νύμφαι δ' αὖ κλαίουσιν, ὅτε δρυσὶν οὐκέτι φύλλα.

——— *mea mihi dicite musa,*
*Num vere genita Nympha tum sunt, vbi quercus,*
*Latantur Nympha, cum quercus irrigat imber:*
*Tristantur Nympha, ilicibus cecidere vbi frondes.*

Quæ fuerint harum nomina, non constat: nisi quod vnam Tithoream nominauit Pausanias, in Phocicis, qui etiam in Arcadicis aliam vocauit Erato, & aliam Phigaliam. Has tamē fuisse septem, quas etiam nominauit, tradidit Claudianus in laudibus Stiliconis. Scriptum reliquit Charon Lampsacenus Rhœcum quendam genere Gnidium in Nino regione Assyriorum pulchram quandam quércum iam prope lapsuram aliquando vidisse, quam cum aggeribus firmasset, fecit vt diutius posset viuere. Huic Nympha, quæ cū planta erat peritura, cum gratias egisset, ac referre vellet, dixit, vt quicquid vellet, à se peteret, quoniam fuerat eandē ætatem cum illa planta victura: hic illi respondit se eius cógressum petere, quod illa annuit, atque se apem temporis nunciam missuram inquit. Scriptum reliquit etiam Apollonius lib. 2. Argonauticorum. Paræbij patrem, cum insignem quercum esset excisurus, Nympham vidisse, quæ ipsum supplex rogauit, vt sibi parceret, cum vitæ suæ tempus in arboris ætate contineretur: cui cum ille non paruisset, dicitur iratum numen in illum & in eius filios sæuisse, vt patet in his:

ἀλλ' ὅγε πατρὸς ἑοῖο κακὴν τίνεσκεν ἀμοιβὴν
ἀμπλακίης. ὁ γὰρ οἶος ἐν οὔρεσι δένδρεα τέμνων,
δή ποθ' Ἁμαδρυάδος νύμφης ἀθέριξε λιτάων,
ἥ μιν ὀδυρομένη ἀδινῷ μειλίσσετο μύθῳ,
μὴ ταμέειν πρέμνον δρυὸς ἥλικος, ᾗ ἔπι πουλὺν
αἰῶνα τρίβεσκε διηνεκές. αὐτὰρ ὁ τήνγε
ἀφραδέως ἔτμηξεν ἀγηνορίῃ νεότητος.
τῷ δ' ἄρα νηκερδῆ Νύμφη πόρεν οἶτον ὀπίσσω
αὐτῷ καὶ τεκέεσσιν.

*Stultitiæq; sui pœnas dedit ille parentis.*
*Caderet vt solus quercus in montibus olim,*

*Fertur Hamadryadis Nymphas spreuisse querelas*
*Sæpius illa quidem supplex hunc voce rogauit,*
*Ne truncum quercus concideret, ipsa coæua*
*Quod foret, amborumq; vireret in arbore vita.*
*Viribus hic fretus, fretus iuuenilibus annis*
*Prosternit quercum: funestam quam sibi Nympha,*
*Pignoribusq; suis fecit.*

Dictæ sunt autem Dryades, quod in quercubus illarum sit vita, vt sensit Mnesimachus: at Hamadryades quod vna cum illis sint genitæ, vel (vt voluit Apollinis enarrator & Isacius) quia cum ipsis quercubus perirent. Memoriæ prodidit Charon Lampsacenus Arcadem Iouis filium & Callistus, vel (vt alij magis placuit) Apollinis, obuiam habuisse in syluis, cum venaretur, vnam ex Hamadryadibus Nymphis, quæ cum propius esset periculo ne quercus à flumine conuelleretur, cum qua nata fuerat, ac periret, rogauit ipsum Arcadem vt quercum seruaret; quare ille fluuium alio diuertit, & quercum terra communiuit. At Nympha, cui nomen erat Prospeleæ, cum illo congressa ob acceptũ beneficium, dicitur Elatum & Aphidantem peperisse. Hæc vera ne an falsa fuerint, quis pro certo affirmare possit? nã si vana & mendacia extiterunt, vt ego fuisse arbitror, nulla alia de causa ficta sunt, nisi propter antiquorum superstitionem, qui nihil ad homines excitandos ad metum Deorum non excogitarunt, cum singulis rebus Deos adesse demonstrarent. Sin credita fuerunt vt vera ab ijs qui illa in medium attulerunt, esset sane pluribus verbis de illorum sententia disputandum, an quiuis essent dæmones, vel potius plantarum illarum Genij, qui mortalibus apparuerint. Verum hæc in præsenti prætermittamus, vt altioris inuestigationis indigentia. Nunc dicamus de Nymphis.

## *De Nymphis.* CAP. XII.

NYMPHAS Oceani filias & Tethyos esse dixerunt, antiqui, vti testatur Orpheus in hymno in Nymphas:

Νύμφαι θυγατέρες μεγαλήτορος Ὠκεανοῖο,
ὑγροπόροις γαίης ὑπὸ κεύθεσιν οἰκί᾽ ἔχουσαι.

*Nymphæ magnanimi Oceani certissima proles,*
*Sub tellure domos colitis quæ humentibus antris,*

Vi-

Virgilius Nymphas fluuiorum matres putauit, cum ita scribat in libro octauo:

*Nymphæ Laurentes, Nymphæ genus amnibus vnde est.*

Has nō solum cōmuni nomine appellauit Nymphas Orpheus in illo hymno, sed etiam Hamadryadas, cū inquiat:

κοῦραι Ἀμαδρυάδες, φιλοπαίγμονες.

*Nymphæ & Hamadryades festiuæ.*

Id sane idcirco effectum est, quia Nympharum aliæ sunt creditæ cœlestes, aliæ terrestres, aliæ fluuiales, aliæ marinę, aliæ stagnorum præsides, quam diuisionem fecit; Mnesimachus Phaselites, & Homerus de quadam varietate harum ita meminit in hymno in Venerem:

ἤ τις Νυμφάων, αἵ τ' ἄλσεα καλὰ νέμονται·
ἢ Νυμφῶν, αἳ καλὸν ὄρος τόδε ναιετάουσι
καὶ πηγὰς ποταμῶν, καὶ πίσεα ποιήεντα.

*Si qua es Nympharum syluarum tecta colentum,*
*Si qua es Nympharum quæ montem hunc nomine seruant,*
*Aut fontes, mollive indutas gramine valles.*

Terrestres Nymphæ putatæ sunt à nonnullis Cererem & Bacchum educasse. Illæ Nymphæ quæ cœlestes putabantur, credebantur esse animæ sphærarum, quas etiam Musas vocarunt, ac vires quæ inde ad nos manerent. Terrestrium aliæ syluis præerant, vt Dryades; aliæ montibus, vt Oreades aut Orestiades; aliæ singulis arboribus, vt Hamadryades; alię pascuis & floribus, vt Napeæ, nam νάπος saltus ac pascua significat. Fluuiorum præsides Naiades dicebantur, quia fluuij perpetuo fluerent, νάειν enim fluere significat. Stagnorum rursus Deas Limniades nominarunt, cum λίμνη sit stagnum. Quas vero fontibus præesse putarunt, in aquis latere crediderunt, vocarunt Ephydriades, de quibus ita scripsit Hermocreon:

Νύμφαι Ἐφυδριάδες, ταῖς Ἑρμοκρέων τάδε δῶρα
εἵσατο κρηναίης πίδακος ἀντιάσας,
χαίρετε, καὶ στείβοιτ' ἐρατοῖς ποσὶν ὑδατόεντα
τόνδε δόμον, καθαροῦ πιμπλάμεναι πόματος.

*Munera Ephydriades vobis tulit Hermocreon, quod*
*Est fontem nactus forte perennis aquæ.*
*Saluete, atq; domum placidæ hanc accedite aquosam:*
*Hic puros latices inuenietis enim.*

Nam profecto crediderunt antiqui si quē fontem, vel vtilē

aquam excauantes reperissent, illud esse nympharum munus pro qua aqua sacrificia offerre consueuerunt. Aliæ marinæ putabantur, vocabanturq; Nereides. Quod vero loca nonnulla forent Dijs varijs consecrata, & qua de causa id fieret, testatus est Dion Halicarn. lib. 1. hoc pacto: ὄρη μὲν καὶ νάπας Πανὶ, λειμῶνας δὲ καὶ τεθηλότα χωρία Νύμφαις, ἀκτὰς δὲ καὶ νήσους πελαγίοις δαίμοσι· τῶν δ' ἄλλων, ὡς ἑκάστῳ τι θεῷ καὶ δαίμονι οἰκεῖον. *Montes quidem & saltus Pani, prata & loca virentia Nymphis. & insulas marinis numinibus ex cæteris locis vnicuique Deo, sicut illius naturæ conuenit.* Pausanias in Phocensibus quandam ex Nymphis Lilæam nominat Cephisi filiam, atque alibi de Nomia mentionem fecit indigena Arcadum Nympha atque Nymphas inquit non esse quidem omnino sempiternas aut mortis expertes, sed innumerabilem pene annorum numerum viuere, & id de antiquorum poetarum sententia. Afflabantur vates non minus Nympharum, quam cæterorum Deorum numine quare scripsit Pausanias idem in Messeniacis, nonnullos Nympharum numine afflatos ciuitatũ ruinas prædixisse: quippe cum illæ diuinationum etiam putarentur autores. Lac & oleum illis offerebatur, cum sacra fierent, vt scripsit Theocritus in Viatoribus in his:

στασῶ δὲ κρητῆρα μέγαν λευκοῖο γάλακτος
ταῖς Νύμφαις, στασῶ δὲ καὶ ἁδέος ἄλλον ἐλαίω.
*At statuam lactis magnum cratera decoris*
*Nymphis: mox alius pinguis ponetur oliui.*

Consueuerunt capras etiam illis immolare; vt testatur idem poeta in eadem Æglcga:

τὸ κερχνύλος μοι ἔδωκε τὸ ποικίλον, ἁνίκ' ἔθυσε
ταῖς Νύμφαις τὰν αἶγα.
*Hanc mihi dat Crocylus, cum Nymphis forte capellam*
*Mactaret.*

His mel offerri solitum quidam putarunt, quia florib. delectarentur, è quibus mel conficitur: è quorum opinione Virg. illas flores colligentes ait in his:

*——— tibi lilia plenis*
*Ecce ferunt Nymphæ calathis, tibi candida Nais*
*Pallentes violas, & summa papauera carpens.*

Alij id contigisse maluerunt, quod illæ Aristæum, quem putantur educasse, mellis & olei conficiendi viam docuerint.

rint. Offerebatur & vinũ, vt Apollinis respõsum declarauit apud Eusebium. atq; hæc de Nymphis fabulose dicta sint.

¶ Has Oceani filias, & fluuiorum matres esse crediderunt, quia vires humoris esse putarunt terræ & stirpibus insitas, & natæ naturam quæ conferret ad animalium, plantarum & fructuum procreationem, per quas omnia in lucem prodirent, vt sensit Orpheus in eo hymno:

*κρυψίδομοι, Βάκχοιο τροφοί, χθόνιαι, πολυγηθεῖς·*
*καρποτρόφοι, λειμωνιάδες, νόμιαι, πολυάνθοι·*
*σὺν Βάκχῳ Δηοῖ τε χάριν θνητοῖσι φέρουσαι.*
*Nutrices Bacchi, quibus est occulta domus: quæ*
*Fructifera & læta pratorum floribus estis:*
*Pascitis & pecudes, & opem mortalibus ipsæ*
*Cum Cerere & Baccho vitam portatis alumnæ.*

Sunt autem idcirco vires humoris putandæ, quia non tota materia aquarum vel generationi, vel nutrimento est accommodata, sed quædam eius pars in illud quod nascitur, absumitur, quædam permista est ad eius nutrimentũ quod procreatur, vt in ouis conspicitur; alia pars exit in excrementum ex ipso naturę opificio. Illas igitur vires, ex quibus vniuersa generatio consistit. intra aquarum naturã Nymphas antiqui appellarunt, quæ cum essent adhuc in vniuersa aquarum natura, Oceani filias esse dixerunt, quia inde primum nascerentur. Cum ex his viribus omnia orirentur, quæ primum videbantur se in flumina diffundere, fluuiorum matres dictæ sunt, & per hos denique vniuersæ generationis parentes sunt vocatæ, hinc fructiferæ merito, hinc florum feraces, hinc homines & animalia omnia nutrire, hinc Bacchi alumnæ dictæ fuerunt, & pastorum Deæ, & pratorum, & omnium animalium præsides. Harum Nympharum eam esse vim humoris, indicio vel herbæ illius natura quæ Nymphæa vocatur à Dioscoride quasi aquatica, quia plurimũ gaudeat humore. Dictæ sunt habitare sub terra, quia dulcium aquarũ origo putetur sub terra in locis cauernosis fieri ex aere in aquã verso, sicut augẽtur vaporibus maris cõuersis in pluuias. Et quoniam in mari, fluuiis, stagnis, fontibus, riuisque, & in mõtib. diffusæ essent humoris vires aptę ad generationẽ: idcirco omnib. his locis Nymphas præfecerunt; & cum sidera quoque humoribus pasci nonnulli arbitrarentur, in sphæris quoq; Nymphas ab illis

ſunt collocatæ: quas paucis exceptis propriis nominibus carere paſſi ſunt. Quæ fuerit harum Nympharum natura facile declarat ſacrificiorum genus, quæ illis offerebantur: Nam ſicuti Dijs cœleſtibus ignem in ſacris, & figuras, & lumina, & multa ad viſum ſpectantia adhibuerunt, ſicut aeris numinibus muſicos concentus, & odores, qui ſuauiter aera inficerent; ſic in terreſtrium & marinorum ſacris, ſiue præfectorum Deorum aquis, illa addita ſunt, quæ ad guſtum pertinerent, & quæ eſſent ſolida: quippe cum illa craſſiorem naturam ſignificarent, vt dictum eſt. Omnium vero Deorum, vt ſummatim dicam, qualis erat natura, tales & loci, & ſacrificia, & ceremoniæ dicabantur, ex quibus facile poſſent cognoſci. at de Nymphis ſatis, nunc de Baccho dicamus.

## *De Baccho.* CAP. XIII.

BACCHVS, quem Dionyſum etiam vocarunt, è quibus parentib. ortus ſit, diuerſæ fuerunt antiquorum poetarum opiniones. Nam Orpheus in hymno in Dionyſum, Semeles illum filium dixit, & apud mare natum, hoc pacto:

ἀμφὶ Διόνυσον Σεμέλης ἐρικυδέος υἱὸν
μνήσομαι, ὡς ἐφάνη παρὰ θῖν' ἁλὸς ἀτρυγέτοιο:
*Te Dionyſe pater canimus Semeleia proles,*
*Quem videre maris ventoſi ad littora primum.*

Idem poſtea poeta in alio hymno Iouis & eiuſdem Semeles filium inquit:

κισσοκόμην Διόνυσον ἐρίβρομον ἄρχομ' ἀείδειν,
Ζηνὸς καὶ Σεμέλης ἐρικυδέος ἀγλαὸν υἱόν.
*Comptum hedera canimus Dionyſum multa frementem*
*Et Iouis & Semeles claram de ſanguine prolem.*

Fuit autem mortalis Semele, & Cadmi filia, vt ait Euripedes in Bacchis:

ἥκω Διὸς παῖς τήνδε Θηβαίων χθόνα
Διόνυσος, ὃν τίκτει ποθ' ἡ Κάδμου κόρη
Σεμέλη λοχευθεῖσ' ἀστραπηφόρῳ πυρί.
*Accedo Thebas Bachus è Saturnio*
*Natus Ioue & Semele puella filia*
*Cadmi edidit me olim ferent fulmina.*

Fabulantur poetæ Iouem Semeles præſtantiſſima forma captam, illam aliquando compreſſiſſe: quod cum grauiter

ferret

ferret Iuno, pellicumque numerus in dies cresceret, dicitur è cœlo descendisse, seque in anum mutasse, ac persuasisse Semelæ vt Iouem per Stygiam paludem iurare compelleret, quod is esset sibi munus, quod vellet, concessurus: fore enim pulcherrimum spectaculum, si Iupiter cum maiestate ad eam accessisset, dicebat: eamque tum demum se à Ioue compressam fuisse posse gloriari. cum igitur iurasset Iupiter se concessurum sine nomine quidquid peteret, illa petiuit vt talis ad se adiret, qualis ad Iunonem accedere solebat. Verum cum ipsa esset mortalis, vim fulminis sustinere non potuit; quare non continuo, vt dicitur, in cinerem est conuersa, cum octauum iam mensem fœtus expleuisset. Id explicauit ita Ouid. in lib. 3. Metamorph.

*— rogat illa Iouem sine nomine munus.*
*Cui Deus, elige, ait: nullam patiere repulsam:*
*Quoq; magis credas, Stygii quoq; conscia sunto*
*Numina torrentis: timor, & Deus ille Deorum est.*
*Læta malo, nimiumq; potens, perituraq; amantis*
*Obsequio Semele, Qualem Saturnia, dixit,*
*Te solet amplecti, Veneris cum fœdus initis:*
*Da mihi te talem. corpus mortale tumultus*
*Non tulit aerios, donisq; iugalibus arsit.*

Non defuerunt tamen qui insulsam causam attulerint, cur Semele igne cœlesti conflagrarit: quia Iupiter scilicet iratus fuerit, quod iurare per Stygiam paludem rogaretur, ac in illam fulmen contorserit. Alii flagrasse Semelem igne cœlesti inquiunt, quia cum diceretur cum Ioue congressa, illa negauerit, quod indigne tulit Iupiter, & in eam fulmen iaculatus est, vt ait Euripides in Bacchis in his:

ἐκεῖνος εἶναί φησι Διόνυσον θεόν·
ἐκεῖνος ἐν μηρῷ ποτ' ἐρράφη Διός·
ὃς ἐκπυροῦται λαμπάσι κεραυνίαις
σὺν μητρί, Δίους ὅτι γάμους ἐψεύσατο.

*Ille & refert adesse Dionysum Deum:*
*Assutus ille olim femori vt Iouis fuit:*
*Flammis vt idem fulminis flammatus est*
*Cum matre quæ Iouis negauit nuptias.*

Alii dixerunt Semelen Ioui quidem Liberum patrem peperisse, sed à Cadmo deprehensam cum puero recens nato coniectam in arcam fuisse ligneam, quæ fuerit æstu maris

ὅτε μηρῷ πυρὸς ἐξ ἀθανάτου Ζεὺς
ὁ τεκὼν ἥρπασεν,
ταδ᾽ ἀναβοάσας.
ἴθ᾽ ὦ Διθύραμβ᾽, ἐμὰν
ἄρσενα τάνδε βᾶθι νηδύν.

*Cum femori igni ex immortali Iupiter*
*Pariens arripuit eum,*
*Ista ita locutus est:*
*Veni ô Dithyrambe, meum*
*Masculum hunc in vterum veni.*

Fuisse vero Semelen apud Acheloum fluuium percussam fulmine, & à Dirce Acheloi filia susceptum Dionysium, antequam Iouis femori assueretur, ita idem significauit:

| | |
|---|---|
| Ἀχελώου θύγατερ | *Ach[elo]i filia* |
| πότνι᾽, εὐπάρθενε Δίρκα. | *Veneranda, pura virgo Dirce.* |
| σὺ γὰρ ἐν σαῖς ποτὲ παγαῖς | *Tu enim tuis fontibus* |
| τὸ Διὸς βρέφος ἔλαβες. | *Iouis cep[i]sti infantulum.* |

Memoriæ prodidit Lucianus in Dialogis Deorum Dionysium statim natum fuisse deportatum a Mercurio in Nysam Arabiæ vrbem Ægypto finitimam ad Nymphas educandum. At Orpheus in hymnis illum educatum fuisse in Ægypto significauit in his:

Αἰγύπτου παρὰ χεῦμα, σὺν ἀμφιπόλοισι τιθήναις.
*Flumen ad Ægypti vna cum nutricibus i[p]sis.*

Alii Hyadas fuisse Bacchi nutrices putarunt, vt ait in lib. 2. de Diis Apollodorus Cyrenaicus, & Fast. lib. 5. Ouid. in his:

*Ora micant Tauri septem radiantia flammis,*
*Nauita quas Hyadas Graius ab imbre vocat.*
*Pars Bacchum nutrisse putat pars credidit esse*
*Tethyos has neptes, Oceaniq́ue [ge]nus.*

Pausanias scribit in Achaicis, fuisse sermonem Patrensium quod Bacchus fuerit apud se educatus intra Mesatim oppidum, quodque Panum insidiis prope fuerit circumuentus. Alii in Naxo nutritum fuisse inquiunt. Naxum enim Thraces per ducentos, & amplius annos habitarunt. post exorta lue Cares à Lamia illuc migrarunt, quorum dux Naxius Polæmonis filius insulam de suo nomine nuncupauit. hic & post ipsum filius Leucippus, & post hunc Smardius nepos Naxiis imperauit. Smardio regnante adhuc Theseus Ariadnam è Creta adduxit, quam iussus est in somnis

relin-

relinquere Dionyso, cum fabulētur Dionysum apud se nutritum Naxii, quam insulam etiam Dionysiadem quidam nuncuparunt. nam cum Iupiter infantem femori assuisset, tempusque partus maturum aduentasset, illum dicitur exemisse in Naxo, dedisseq; Philiæ & Coronidi & Clydæ nymphis educandum. At Sidonius Antipater hunc sicut Herculem, Thebanum fuisse memorat in his carminibus:

ἀμφότεροι Θήβηθε, καὶ ἀμφότεροι πολεμισταί,
καὶ Ζηνὸς θύρσῳ δεινὸς, ὁ δὲ ῥοπάλῳ.

*Ambo Thebani, me: uendiq; hostibus ambo,*
*Et Iouis: hic Thyrso hic terribilis ropalo est.*

Cui sententiæ assensit Cissusa fons ab indigenis vocatus, in quo nutrices dicuntur infantem in lucem editum abluisse, vt ait Plut. in Lysandro. Lucianus in concilio Deorum & Bacchum fuisse Thebanum inquit, & matrem eius Syrophœnicem. Verum hæc locorum nutricumque differentia inde exorta est, quod varii fuerunt Bacchi: de quib. ita scripsit Cicero in tertio libro de Natura Deorum; Dionysos multos habemus: primum è Ioue & Proserpinam natum: Secundum Nilo, qui Nysam dicitur interemisse: Tertium Caprio patre, cumque regem Asiæ præfuisse dicunt: cuius Abazea sunt instituta: Quartum Ioue & Luna, cui sacra Orphica putantur confici: Quintum Niso natum & Thione, a quo Trieterides constitutæ putantur. At de nullo horum prope fit mentio à poëtis, nisi de Iouis & Semeles filio. Fuerunt qui dixerunt statim natum Dionysum fuisse à Mercurio Iouis mandato in Eubœam ad Macrim Aristæi filiam portatum, quæ labra melle illi primum perunxit, eúque educandum cepit. quare nos ab Aristæo in Eubœa educatum fuisse scripsimus ita in 4. lib. nostrarum Venationũ:

*Puppis ad Euboicas currens allabitur oras:*
*Fertur Aristæus antrum hic coluisse, virorum*
*Qui genus indocile, & viuentum more ferarum*
*Glandibus, & baccis, pomis syluestribus, & quæ*
*Sylua tulit cultu nullius iussa coloni;*
*Edocuit primus teneras armenta per herbas*
*Pascere & è quercu fumis pellentibus actas*
*Claudere apes vacuo sub cortice, primus oliuum*
*Exprimere ex oleæ fructu, lac cogier idem.*
*Nutriit hic Bacchum miro deuinctus amore,*

*Fertur Hamadryadis Nymphas spreuisse querelas*
*Sæpius illa quidem supplex hunc voce rogauit,*
*Ne truncum quercus concideret, ipsa coæua*
*Quod foret, amborumq; vireret in arbore vita.*
*Viribus hic fretus, fretus iuuenilibus annis*
*Prosternit quercum: funestam quam sibi Nympha,*
*Pignoribusq; suis fecit.*

Dictæ sunt autem Dryades, quod in quercubus illarum sit vita, vt sensit Mnesimachus: at Hamadryades quod vna cum illis sint genitæ, vel (vt voluit Apollinis enarrator & Isacius) quia cum ipsis quercubus perirent. Memoriæ prodidit Charon Lampsacenus Arcadem Iouis filium & Callistus, vel (vt alij magis placuit) Apollinis, obuiam habuisse in syluis, cum venaretur, vnam ex Hamadryadibus Nymphis, quæ cum propius esset periculo ne quercus à flumine conuelleretur, cum qua nata fuerat, ac periret, rogauit ipsum Arcadem vt quercum seruaret; quare ille fluuium alio diuertit, & quercum terra communiuit. At Nympha, cui nomen erat Prospeleæ, cum illo congressa ob acceptū beneficium, dicitur Elatum & Aphidantem peperisse. Hæc vera ne an falsa fuerint, quis pro certo affirmare possit? nā si vana & mendacia extiterunt, vt ego fuisse arbitror, nulla alia de causa ficta sunt, nisi propter antiquorum superstitionem, qui nihil ad homines excitandos ad metum Deorum non excogitarunt, cum singulis rebus Deos adesse demonstrarent. Sin credita fuerunt vt vera ab ijs qui illa in medium attulerunt, esset sane pluribus verbis de illorum sententia disputandum, an quiuis essent dæmones, vel potius plantarum illarum Genij, qui mortalibus apparuerint. Verum hæc in præsenti prætermittamus, vt altioris inuestigationis indigentia. Nunc dicamus de Nymphis.

## *De Nymphis.* CAP. XII.

NYMPHAS Oceani filias & Tethyos esse dixerunt, antiqui, vti testatur Orpheus in hymno in Nymphas:

*Νύμφαι θυγατέρες μεγαλήτορος Ὠκεανοῖο,*
*ὑγροπόρεις γαίης ὑπὸ κεύθεσιν οἰκί' ἔχουσαι.*
*Nymphæ magnanimæ Oceani certissima proles,*
*Sub tellure domos colitis quæ humentibus antris,*

Virgilius Nymphas fluuiorum matres putauit, cum ita scribat in libro octauo:

*Nymphæ Laurentes, Nymphæ genus amnibus vnde est.*

Has nō solum cōmuni nomine appellauit Nymphas Orpheus in illo hymno, sed etiam Hamadryadas, cū inquiat:

κοῦραι Ἁμαδρυάδες, φιλοπαίγμονες.

*Nymphæ & Hamadryades festiuæ.*

Id sane idcirco effectum est, quia Nympharum aliæ sunt creditæ cœlestes, aliæ terrestres, aliæ fluuiales, aliæ marinę, aliæ stagnorum præsides, quam diuisionem fecit; Mnesimachus Phaselites, & Homerus de quadam varietate harum ita meminit in hymno in Venerem:

ἤ τις Νυμφάων, αἵ τ' ἄλσεα καλὰ νέμονται·
ἢ Νυμφῶν, αἳ καλὸν ὄρος τόδε ναιετάουσι
ἢ πηγὰς ποταμῶν, ἢ βήσσεα ποιήεντα.

*Si qua es Nympharum syluarum tecta colentum,*
*Si qua es Nympharum quæ montem hunc nomine seruant,*
*Aut fontes, mollive indutas gramine valles.*

Terrestres Nymphæ putatæ sunt à nonnullis Cererem & Bacchum educasse. Illæ Nymphæ quæ cœlestes putabantur, credebantur esse animæ sphærarum, quas etiam Musas vocarunt, ac vires quæ inde ad nos manerent. Terrestrium aliæ syluis præerant, vt Dryades; aliæ montibus, vt Oreades aut Orestiades; aliæ singulis arboribus, vt Hamadryades; alię pascuis & floribus, vt Napeæ, nam νάπος saltus ac pascua significat. Fluuiorum præsides Naiades dicebantur, quia fluuij perpetuo fluerent, νάειν enim fluere significat. Stagnorum rursus Deas Limniades nominarunt, cum λίμνη sit stagnum. Quas vero fontibus præesse putarunt, in aquis latere crediderunt, vocarunt Ephydriades, de quibus ita scripsit Hermocreon:

Νύμφαι Ἐφυδριάδες, ταῖς Ἑρμοκρείων τάδε δῶρα
   εἵσατο καλλινάου πίδακος ἀντιάσας,
χαίρετε, καὶ στείβοιτ' ἐρατοῖς ποσὶν ὑδατόεντα
   τόνδε δόμον, καθαροῦ πιμπλάμεναι πόματος.

*Munera Ephydriades vobis tulit Hermocreon, quod*
   *Est fontem nactus forte perennis aquæ.*
*Saluete, atq; domum placidæ hanc accedite aquosam:*
   *Hic puros latices inuenietis enim.*

Nam profecto crediderunt antiqui si quē fontem, vel vtilē

aquam excauantes reperissent, illud esse nympharum munus pro qua aqua sacrificia offerre consueuerunt. Aliæ marinæ putabantur, vocabanturq; Nereides. Quod vero loca nonnulla forent Dijs varijs consecrata, & qua de causa id fieret, testatus est Dion Halicarn. lib. 1. hoc pacto: ὄρη μὲν καὶ νάπας Πανὶ, λειμῶνας δὲ καὶ τεθηλότα χωρία Νύμφαις, ἀκτὰς δὲ καὶ νήσους πελαγίοις δαίμοσι· τῶν δ' ἄλλων, ὡς ἑκάστῳ τι θεῷ καὶ δαίμονι οἰκεῖον. *Montes quidem & saltus Pani, prata & loca virentia Nymphis. & insulas marinis numinibus ex cæteris locis vnicuique Deo, sicut illius naturæ conuenit.* Pausanias in Phocensibus quandam ex Nymphis Lilæam nominat Cephisi filiam, atque alibi de Nomia mentionem fecit indigena Arcadum Nympha atque Nymphas inquit non esse quidem omnino sempiternas aut mortis expertes, sed innumerabilem pene annorum numerum viuere, & id de antiquorum poetarum sententia. Afflabantur vates non minus Nympharum, quam cæterorum Deorum numine quare scripsit Pausanias idem in Messeniacis, nonnullos Nympharum numine afflatos ciuitatũ ruinas prædixisse: quippe cum illæ diuinationum etiam putarentur autores. Lac & oleum illis offerebatur, cum sacra fierent, vt scripsit Theocritus in Viatoribus in his:

στασῶ δὲ κρητῆρα μέγαν λευκοῖο γάλακτος
ταῖς Νύμφαις, στασῶ δὲ καὶ ἁδέος ἄλλον ἐλαίω.
*At statuam lactis magnum cratera decoris*
*Nymphis: mox alius pinguis ponetur oliui.*

Consueuerunt capras etiam illis immolare; vt testatur idem poeta in eadem Æglega:

τὸ κροκύλος μοι ἔδωκε τὸ ποικίλον, ἀνίκ' ἔθυσε
ταῖς Νύμφαις τὰν αἶγα.
*Hanc mihi dat Crocylus, cum Nymphis forte capellam*
*Mactaret.*

His mel offerri solitum quidam putarunt, quia florib. delectarentur, è quibus mel conficitur: è quorum opinione Virg. illas flores colligentes ait in his:

——— *tibi lilia plenis*
*Ecce ferunt Nymphæ calathis, tibi candida Nais*
*Pallentes violas, & summa papauera carpens.*

Alij id contigisse maluerunt, quod illæ Aristæum, quem putantur educasse, mellis & olei conficiendi viam docuerint.

rint. Offerebatur & vinũ, vt Apollinis respõsum declarauit apud Eusebium. atq; hæc de Nymphis fabulose dicta sint.

§ Has Oceani filias, & fluuiorum matres esse credidetunt, quia vires humoris esse putarunt terræ & stirpibus insitas, & natæ naturam quæ conferret ad animalium, plantarum & fructuum procreationem, per quas omnia in lucem prodirent, vt sensit Orpheus in eo hymno:

*κρυψίδομοι, Βάκχοιο τροφοὶ, χθόνιαι, πολυγηθεῖς·*
*καρποτρόφοι, λειμωνιάδες, νόμιαι, πολύανθοι·*
*σὺν Βάκχῳ Δηοῖ τε χάριν θνητοῖσι φέρουσαι.*
*Nutrices Bacchi, quibus est occulta domus: quæ*
*Fructiferæ & lætæ pratorum floribus estis:*
*Pascitis & pecudes, & opem mortalibus ipsæ*
*Cum Cerere & Baccho vitam portatis alumnæ.*

Sunt autem idcirco vires humoris putandæ, quia non tota materia aquarum vel generationi, vel nutrimento est accommodata, sed quædam eius pars in illud quod nascitur, absumitur, quædam permista est ad eius nutrimentũ quod procreatur, vt in ouis conspicitur; alia pars exit in excrementum ex ipso naturę opificio. Illas igitur vires, ex quibus vniuersa generatio consistit. intra aquarum naturã Nymphas antiqui appellarunt, quæ cum essent adhuc in vniuersa aquarum natura, Oceani filias esse dixerunt, quia inde primum nascerentur. Cum ex his viribus omnia orirentur, quæ primum videbantur se in flumina diffundere, fluuiorum matres dictæ sunt, & per hos denique vniuersæ generationis parentes sunt vocatæ, hinc fructiferæ merito, hinc florum feraces, hinc homines & animalia omnia nutrire, hinc Bacchi alumnæ dictæ fuerunt, & pastorum Deæ, & pratorum, & omnium animalium præsides. Harum Nympharum eam esse vim humoris, indicio vel herbæ illius natura quæ Nymphæa vocatur à Dioscoride quasi aquatica, quia plurimũ gaudeat humore. Dictæ sunt habitare sub terra, quia dulcium aquarũ origo putetur sub terra in locis cauernosis fieri ex aere in aquã verso, sicut augẽtur vaporibus maris cõuersis in pluuias. Et quoniam in mari, fluuiis, stagnis, fontibus, riuisque, & in mõtib. diffusæ essent humoris vires aptę ad generationẽ: idcirco omnib. his locis Nymphas præfecerunt; & cum sidera quoque humoribus pasci nonnulli arbitrarentur, in sphæris quoq; Nymphas ab illis

ſunt collocatæ: quas paucis exceptis propriis nominibus carere paſſi ſunt. Quæ fuerit harum Nympharum natura facile declarat ſacrificiorum genus, quæ illis offerebantur: Nam ſicuti Dijs cœleſtibus ignem in ſacris, & figuras, & lumina, & multa ad viſum ſpectantia adhibuerunt, ſicut aeris numinibus muſicos concentus, & odores, qui ſuauiter aera inficerent; ſic in terreſtrium & marinorum ſacris, ſiue præfectorum Deorum aquis, illa addita ſunt, quæ ad guſtum pertinerent, & quæ eſſent ſolida: quippe cum illa craſſiorem naturam ſignificarent, vt dictum eſt. Omnium vero Deorum, vt ſummatim dicam, qualis erat natura, tales & loci, & ſacrificia, & ceremoniæ dicabantur, ex quibus facile poſſent cognoſci. at de Nymphis ſatis, nunc de Baccho dicamus.

## *De Baccho.* CAP. XIII.

BACCHVS, quem Dionyſum etiam vocarunt, è quibus parentib. ortus ſit, diuerſæ fuerunt antiquorum poetarum opiniones. Nam Orpheus in hymno in Dionyſum, Semeles illum filium dixit, & apud mare natum, hoc pacto:

ἀμφὶ Διόνυσον Σεμέλης ἐρικυδέος υἱὸν
μνήσομαι, ὡς ἐφάνη παρὰ θῖν' ἁλὸς ἀτρυγέτοιο:
*Te Dionyſe pater canimus Semeleia proles,*
*Quem videre maris ventoſi ad littora primum.*

Idem poſtea poeta in alio hymno Iouis & eiuſdem Semeles filium inquit:

κισσοκόμην Διόνυσον ἐρίβρομον ἄρχομ' ἀείδειν,
Ζηνὸς καὶ Σεμέλης ἐρικυδέος ἀγλαὸν υἱόν.
*Comptum hedera canimus Dionyſum multa frementem*
*Et Iouis & Semeles claram de ſanguine prolem.*

Fuit autem mortalis Semele, & Cadmi filia, vt ait Euripedes in Bacchis:

ἥκω Διὸς παῖς τήνδε Θηβαίων χθόνα
Διόνυσος, ὃν τίκτει ποθ' ἡ Κάδμου κόρη
Σεμέλη λοχευθεῖσ' ἀστραπηφόρῳ πυρί.
*Accedo Thebas Bachus è Saturnio*
*Natus Ioue & Semele puella filia*
*Cadmi edidit me olim ferente fulmine.*

Fabulantur poetæ Iouem Semeles præſtantiſſima forma captam, illam aliquando compreſſiſſe: quod cum grauiter ferret

ferret Iuno, pellicumque numerus in dies cresceret, dicitur è cœlo descendisse, seque in anum mutasse, ac persuasisse Semelæ vt Iouem per Stygiam paludem iurare compelleret, quod is esset sibi munus, quod vellet, concessurus: fore enim pulcherrimum spectaculum, si Iupiter cum maiestate ad eam accessisset, dicebat: eamque tum demum se a Ioue compressam fuisse posse gloriari. cum igitur iurasset Iupiter se concessurum sine nomine quidquid peteret, illa petiuit vt talis ad se adiret, qualis ad Iunonem accedere solebat. Verum cum ipsa esset mortalis, vim fulminis sustinere non potuit; quare non continuo, vt dicitur, in cinerem est conuersa, cum octauum iam mensem fœtus expleuisset. Id explicauit ita Ouid in lib. 3. Metamorph.

*— rogat illa Iouem sine nomine munus.*
*Cui Deus, elige, ait: nullam patiere repulsam:*
*Quoque magis credas, Stygii quoque conscia sunto*
*Numina torrentis: timor, & Deus ille Deorum est.*
*Læta malo, nimiumque potens, perituraque amantis*
*Obsequio Semele, Qualem Saturnia, dixit,*
*Te solet amplecti, Veneris cum fœdus initis:*
*Da mihi te talem. corpus mortale tumultus*
*Non tulit æthereos, donisque iugalibus arsit.*

Non defuerunt tamen qui insulsam causam attulerint, cur Semele igne cœlesti conflagrarit: quia Iupiter scilicet iratus fuerit, quod iurare per Stygiam paludem rogaretur, ac in illam fulmen contorserit. Alii flagrasse Semelem igne cœlesti inquiunt, quia cum diceretur cum Ioue congressa, illa negauerit, quod indigne tulit Iupiter, & in eam fulmen iaculatus est, vt ait Euripides in Bacchis in his:

ἐκεῖνος εἶναί φησι Διόνυσον θεόν·
ἐκεῖνος ἐν μηρῷ ποτ' ἐῤῥάφη Διός·
ὃς ἐκπυροῦται λαμπάσι κεραυνίαις
σὺν μητρὶ, Δίους ὅτι γάμους ἐψεύσατο.

*Ille & refert adesse Dionysum Deum:*
*Assutus ille olim femori vt Iouis fuit:*
*Flammis vt idem fulminis flammatus est*
*Cum matre quæ Iouis negauit nuptias.*

Alii dixerunt Semelen Ioui quidem Liberum patrem peperisse, sed à Cadmo deprehensam cum puero recens nato coniectam in arcam fuisse ligneam, quæ fuerit æstu maris

ad fines Oreatas (illud fuit oppidum Laconum) delata: sed ab indigenis aperta arca inuentam fuisse Semelen mortuã, sepultamque fuisse magnifice, at puerum educatum: vnde Oreatæ postea Brasiæ dicti sunt, sumpto nomine ab arca, βράσαι sint æstus & agitationes maris, vt ait Nicander in primo linguarum. Pingebatur Semele ab antiquis longioribus crinibus & supra longitudinem omnium cæterarum Dearum. Orpheus tamen in hymno quodam in Dionysum, Iouis & Proserpinæ filium putauit, vt eo versu:

*Εὔβουλ' ἀπολύβουλε, Διὸς καὶ Περσεφονείης.*

*Persephones prudens Iouis & de semine nate.*

Idem in alio hymno quem scripsit in nomen Μίσης, Isidis Ægyptiæ filium Dionysum appellat:

*Σὺν σῇ μητρὶ θεᾷ μελανηφόρῳ Ἴσιδι σεμνῇ,*
*Αἰγύπτου παρὰ χεύμα σὺν ἀμφιπόλοισι τιθήναις.*
*Iside prudentis cum diua matre, fluenta ad*
*Ægypti, Nymphisq; suis nutricibus vna.*

Hunc Deum bimatrem vocarunt, non quia duas habuerit matres, sed quod cum Semele mater arsisset, ex igne surreptus Iouis femori assutus fuerit, qui matris munere functus fuit, vt ait Ouid. in lib. 3. Metamorph.

*Imperfectus adhuc infans genetricis ab aluo*
*Eripitur, patrioq; tener, (si credere dignum est)*
*Insuitur femori, maternaq; tempora complet.*

Et Marcus Manilius lib. 2. rerum astronomicarum:

*Atq; iterum patris nascentem corpore Bacchum.*

Orpheus in hymno in Sabazium Dionysum inquit à Sabazio Iouis femori assutum fuisse: cum tamen alii Sabazium fuisse filium Bacchi inquiant, alii Bacchum ipsum, alii alium dæmonem: de quo ita scribit Orpheus;

*κλῦθι πάτερ, Κρόνου υἱὲ Σαβάζιε, κύδιμε δαίμων,*
*ὃς Βάκχον Διόνυσον ἐρίβρομον εἰραφιώτην*
*μηρῷ ἐγκατέραψας, ὅπως τετελεσμένος ἔλθῃ*
*Τμῶλον ἐς ἠγάθεον.*
*Audi magne pater Saturno nate Sabazi,*
*Qui Bacchum horrisonum Dionysum, vt adultus adiret*
*Frondosum Tmolum femori mira arte suisti.*

Vocatus fuit autem Dionysus, quia pupugerit Iouis femur cum natus esset cornutus, vt asserit Stesimbrotus, quamuis Aristodemus dictum maluerit, quia Iupiter pluuiam demise-

demiſerit, cum natus fuit. At Nonus in Dionyſiacis illum vocat Dionyſum, quia Iupiter claudus eſſet cum illum aſſutum femori geſtaret, vt patet in his, & ab ipſo Ioue geſtum fuiſſe, & femori aſſutum:

——— λαβὼν Μαιήϊος Ἑρμῆς
πατρῴην ἐπέθηκεν ἐπωνυμίην τοκῆος,
κικλήσκων Διόνυσον, ἐπεὶ ποδὶ φόρτον ἀείρων
ἤϊε χωλαίνων Κρονίδης βεβαρηότι μηρῷ,
νῦσος ὅτι γλώσσῃ Συρακοσσίδι χωλὸς ἀκούει.
καὶ θεὸν εἰραπιώτην ἐφήμισεν Εἰραφιώτην,
ὅττι μιν ὠδίνοντι πατὴρ ἐρράψατο μηρῷ.

——— capiens Atlantide cretus
*Hinc Bacchum, patris illum de nomine dixit*
*Mox Dionyſum, quod geſtans hac pondera tanta*
*Poplite claudus iit Saturnius ipſe grauato.*
*Nanq; Syracuſii ſoliti ſunt dicere Nyſum,*
*Claudum. Hic aſſutus, nuper natuſq; vocatus*
*Tum fuit: ipſe parens femori namq; aſſuit illum.*

At vero Meleager non aſſutum fuiſſe femori Iouis arbitratus eſt, ſed ab ipſis Nymphis è cineribus maternis ſtatim ereptum & educatum, cum ita ſcribat:

αἱ Νύμφαι τὸν Βάκχον, ὅτ' ἐκ πυρὸς ἥλατ' ὁ κοῦρος,
 νίψαν, ὑπὲρ τέφρης ἄρτι κυλιόμενον.
τοὔνεκα σὺν Νύμφαις Βρόμιος φίλος, ἢν δέ νιν εἴργῃς
 μίσγεσθαι, δέξῃ πῦρ ἔτι καιόμενον.

*E cinere, vt Bacchum Nymphæ cepere ſorores,*
 *Membraq; lauarunt fonte perennis aquæ,*
*Iunctus amicitia eſt Nymphis. Si forte repellas,*
 *Natum de flammis experiere Deum.*

A qua ſententia videntur non magnopere diſſentire & carmina illa, quæ ſunt in lib. 9. Dionyſiacorum apud Demarchum, qui ſcribit Dionyſum ab Horis fuiſſe educatum, vt eſt in his:

τὸν μὲν ὑπερκύψαντα θεηγενέος τοκετοῖο
στέμματι κισσήεντι λεχωΐδες ἔστεφον Ὧραι.

*Erexere illum diuino ſemine natum*
*Horæ: mox hedera crines cinxere corona.*

At ſuauiſſimus Euripides in Bacchis Iouem ſibi femori aſſutum fuiſſe inquit his verbis:

*ὅτε μηρῷ πυρὸς ἐξ ἀθανάτου Ζεὺς*
*ὁ τεκὼν ἥρπασέ νιν,*
*τάδ᾽ ἀναβοάσας.*
*ἴθ᾽ ὦ Διθύραμβε, ἐμὰν*
*ἄρσενα τάνδε βᾶθι νηδύν.*
*Cum femori igni ex immortali Iupiter*
*Pariens arripuit eum,*
*Ista ita locutus est:*
*Veni ô Dithyrambe, meum*
*Masculum hunc in vterum veni.*

Fuisse vero Semelen apud Acheloum fluuium percussam fulmine, & à Dirce Acheloi filia susceptum Dionysium, antequam Iouis femori assueretur, ita idem significauit:

| | |
|---|---|
| *Ἀχελώου θύγατερ* | *Acheloi filia* |
| *πότνι᾽, εὐπάρθενε Δίρκα.* | *Veneranda, pura virgo Dirce.* |
| *σὺ γὰρ ἐν σαῖς ποτε παγαῖς* | *Tu enim in tuis fontibus* |
| *τὸ Διὸς βρέφος ἔλαβες.* | *Iouis cepisti infantulum.* |

Memoriæ prodidit Lucianus in Dialogis Deorum Dionysium statim natum fuisse deportatum a Mercurio in Nysam Arabiæ vrbem Ægypto finitimam ad Nymphas educandum. At Orpheus in hymnis illum educatum fuisse in Ægypto significauit in his:

*Αἰγύπτου παρὰ χεύμα, σὺν ἀμφιπόλοισι τιθήναις.*
*Flumen ad Ægypti vna cum nutricibus ipsis.*

Alii Hyadas fuisse Bacchi nutrices putarunt, vt ait in lib. 2. de Diis Apollodorus Cyrenaicus, & Fast. lib. 5. Ouid. in his:

*Ora micant Tauri septem radiantia flammis,*
*Nauita quas Hyadas Graius ab imbre vocat.*
*Pars Bacchum nutrisse putat pars credidit esse*
*Tethyos has neptes, Oceaniq́ue senis.*

Pausanias scribit in Achaicis, fuisse sermonem Patrensium quod Bacchus fuerit apud se educatus intra Mesatim oppidum, quodque Panum insidiis prope fuerit circumuentus. Alii in Naxo nutritum fuisse inquiunt. Naxum enim Thraces per ducentos, & amplius annos habitarunt. post exorta lue Cares à Lamia illuc migrarunt, quorum dux Naxius Polæmonis filius insulam de suo nomine nuncupauit. hic & post ipsum filius Leucippus, & post hunc Smardius nepos Naxiis imperauit. Smardio regnante adhuc Theseus Ariadnam è Creta adduxit, quam iussus est in somnis relin-

relinquere Dionyso, cum fabuletur Dionysum apud se nutritum Naxi, quam insulam etiam Dionysiadem quidam nuncuparunt. nam cum Iupiter infantem femori assuisset, tempusque partus maturum aduentasset, illum dicitur exemisse in Naxo, dedisseq; Philiæ & Coronidi & Clydæ nymphis educandum. At Sidonius Antipater hunc sicut Herculem, Thebanum fuisse memorat in his carminibus:

ἀμφότεροι Θηβαῖοι, ἐκ ἀμφότεροι πολεμισταί,
κἠκ Ζηνὸς· θύρσῳ δεινός, ὁ δὲ ῥοπάλῳ.

*Ambo Thebani, me: uendiq; hostibus ambo,*
*Et Iouis: hic Thyrso hic terribilis ropalo est.*

Cui sententiæ assensit Cissusa fons ab indigenis vocatus, in quo nutrices dicuntur infantem in lucem editum abluisse, vt ait Plut. in Lysandro. Lucianus in concilio Deorum & Bacchum fuisse Thebanum inquit, & matrem eius Syrophœnicem. Verum hæc locorum nutricumque differentia inde exorta est, quod varii fuerunt Bacchi: de quib. ita scripsit Cicero in tertio libro de Natura Deorum; Dionysos multos habemus: primum è Ioue & Proserpinam natum: Secundum Nilo, qui Nysam dicitur interemisse: Tertium Caprio patre, cumque regem Asiæ præfuisse dicunt: cuius Abazea sunt instituta: Quartum Ioue & Luna, cui sacra Orphica putantur confici: Quintum Niso natum & Thione, a quo Trieterides constitutæ putantur. At de nullo horum prope fit mentio à poëtis, nisi de Iouis & Semeles filio. Fuerunt qui dixerunt statim natum Dionysum fuisse à Mercurio Iouis mandato in Eubœam ad Macrim Aristæi filiam portatum, quæ labra melle illi primum perunxit, eúque educandum cepit. quare nos ab Aristæo in Eubœa educatum fuisse scripsimus ita in 4. lib. nostrarum Venationũ:

*Puppis ad Euboicas currens allabitur oras:*
*Fertur Aristæus antrum hic coluisse, virorum*
*Qui genus indocile, & viuentum more ferarum*
*Glandibus, & baccis, pomis syluestribus, & quæ*
*Sylua tulit cultu nullius iussa coloni;*
*Edocuit primus teneras armenta per herbas*
*Pascere & è quercu fumis pellentibus actas*
*Claudere apes vacuo sub cortice, primus oliuum*
*Exprimere ex olea fructu, lac cogier idem.*
*Nutriit hic Bacchum miro deuinctus amore,*

*Euboicas inter Nymphas, Dryadasq; puellas,*
*Aoniasq; nurus multos fœliciter annos*

Id vero cum sensisset Iuno, quod Macris natum è pellice educaret. Macrim ea vniuersa Eubœa relegauit, ne pellicis filius etiam in insula sibi sacra educaretur: quæ in Phæacum regionem profugit, atque in antro duas portas habente illum educauit, vt ait Apollon. in 4. Argon.

αὐτοτυχὴ κούρη Φαιακίων ἔσπασεν ἄνδρα
ἄντρῳ ἐν ἠγαθέῳ τόθι δή ποτε Μάκρις ἔναιεν,
κούρη Ἀρισταίοιο μελίφρονος, ὅς ῥα μελισσέων
ἔργα πολυκμήτοιό τ' ἀνεύρατο πῖαρ ἐλαίης.
κείνη δὴ πάμπρωτα Διὸς Νυσήιον υἷα
Εὐβοίης ἔντοσθεν Ἀβαντίδος, ᾧ ἐνὶ κόλπῳ
δέξατο, καὶ μέλιτι ξηρὸν περὶ χεῖλος ἔδευσεν,
εὖτέ μιν Ἑρμείης φέρεν ἐκ πυρός. ἔδρακε δ' Ἥρη
καί ἑ χολωσαμένη πάσης ἐξήλασε νήσου.
ἡ δ' ἄρα Φαιήκων ἱερῷ ἐνὶ τηλόθι ἄντρῳ
νάσσατο, καὶ πόρεν ὄλβον ἀθέσφατον ἐνναέτῃσιν.

*Atq; chorus sponsa in sacro consternitur antro.*
*Macris Aristæi coluit quod filia: oliuum*
*Qui reperit, qui mella fauis liquentia pressit.*
*Illa sinu primum Nysæia pignora cœpit*
*Euboicos intra fines, melleq; liquore*
*Perfudit pueri primum sitientia labra,*
*Hunc vbi Mercurius de flammis sustulit. ecce*
*Persensit Iuno, ac Eubœa abscistere iussit.*
*Ast hæc Phæacum procul hinc habitauit in antro,*
*Diuitiasq; dedit grandes cultoribus agri.*

Orpheus in hymno in Hippam, illam fuisse Bacchi nutricem significauit his verbis:

Ἵππαν κικλήσκω Βάκχου τροφὸν εὐάδα νύμφην.

*Hippam clamamus forma præstante puellam,*
*Nutricem Bacchi.*

Qui idem tamen in hymno in Nymphas, illas Bacchi nutrices nominat, vt sensit etiam Homerus in hymno in Dionys.

ὃν τρέφον ἠΰκομοι Νύμφαι, παρὰ πατρὸς ἄνακτος
δεξάμεναι κόλποισι, καὶ ἐνδυκέως ἀτίταλλον.

*Pulchricomæ Nymphæ quem rege à patre receptum*
*Nutriuere suis capientes rite sub antris.*

Ouid.

Ouid. lib. 3. Metamorph. primum à matertera Ino educatum ſcribit deinde Nymphis datum fuiſſe in his:

*Furtim illum primus Ino matertera cunis*
*Educat, inde datum Nymphæ Nyſeides antris*
*Occuluere ſuis, lactiſq; alimenta dedere.*

Oppianus in Cynegeticis Ino, Autonoen, Agauen ſcribit fuiſſe Dionyſi nutrices, cuius ſententiam nos in libris noſtrarum Venationum ita expreſſimus:

*——— huic præbuit Ino*
*Vbera, formidans magnam Iouis altitonantis*
*Vxorem pariterq; timens hæc Penthea regem,*
*Penthea Echioneum, qui patris ſacra prophanus*
*Orgia ſpreuit, & huic ſoluit pro crimine pœnas.*
*Hunc hedera texit ramis, hunc texit Agaue,*
*Autonoeq; ſoror.*

Fabulati ſunt præterea Nymphas illas, ad quas educandum Dionyſum Mercurius in ciuitatem Nyſam detulit, fuiſſe à Libero patre acceptum lactis & educationis beneficium in ſtellas mutatas, & vocatas Hyadas, vt ait Apollodorus lib. 3. Atque Arati enarrator ait vocatas fuiſſe Hyadas non à pluuia, vt crediderunt alii, ſed à Baccho, qui vocatus eſt Hyes. Memeriæ prodidit præterea Orpheus in hymo in Miſen Bacchum eundem marem ac fœminam fuiſſe creditum:

ἄῤῥενα καὶ θῆλυν, διφυῆ.
*Fœmina maſq; ſimul, gemina huic natura.*

Sed Ouid. 4. Metamorph. lib. hunc ſemper iuuenem eſſe contendit, cum ita ſcribat:

*——— tibi enim conſumpta iuuenta eſt:*
*Tu puer æternus tu formoſiſſimus alto*
*Conſpiceris cœlo.*

Quidam quod barbam antiquitus nutrirent, barbatum putarunt, cum ab aliis imberbis fingeretur. alii duplicem naturam eius ſignificarunt, ſiue potius ingenia duplicia bibentium, cum alios vinum faciat hilares, alios pene furioſos Teſtatur Iſacius Dionyſium eundem iuuenem & ſenem fuiſſe ab antiquis exiſtimatum. quem tamen, quod eſſet imberbis, Euripides in Bacchis nominauit θηλύμορφον, ſiue vultu muliebri, ac forma fœmina, & laſciuum, & inquinatorem thori, vt eſt in his carminibus:

*τὸν θηλύμορφον ξένον, ὃς εἰσφέρει νόσον*
*καινὴν γυναιξὶ καὶ λέχη λυμαίνεται.*
*Cui forma fœminæ hospitem, ægritudinem*
*Qui fœminis nouam tulit, inquinans thoros.*

Hic Deus cum fuisset in cœlum aliquando à Ioue portatus, & antequam Iouis femori assueretur, illum de cœlo Iuno deiicere voluit, vt testatus est in his Euripides in Bacchis:

*ἐπεί νιν ἥρπασ' ἐκ πυρὸς κεραυνίου*
*Ζεὺς, εἰς ὄλυμπον βρέφος ἀνήγαγεν νέον,*
*Ἥρα νιν ἤθελ' ἐκβαλεῖν ἀπ' οὐρανοῦ.*
*Eximit illum ex igne postquam fulminis,*
*Cœloq; paruum Iupiter infantem tulit:*
*Cœlo volebat Iuno eum depellere.*

Cum vero aliquantulum Bacchus apud Nymphas adoleuisset, apud quas educatus fuerat, multas res admirabiles fecisse dicitur per Bacchas, vt est in his Euripidis carminibus:

*ὅσαις δὲ λευκοῦ πώματος πόθος παρῆν,*
*ἄκροισι δακτύλοισι διαμῶσαι χθόνα,*
*γάλακτος ἑσμοὺς εἶχον. ἐκ δὲ κισσίνων*
*θύρσων γλυκεῖαι μέλιτος ἔσταζον ῥοαί.*
*Albiq; potus vt cupido ceperat;*
*Terram secantes unguibus summis statim*
*Riuos habuere lactis: atq; rursus his*
*Fluxere mellis dulcis alte riuuli* *è Thyrsis.*

Admirabiles omnino erant res gestæ ipsarum Baccharum, quippe cum illæ vel terrã virga percutientes dictæ sunt vini riuos è terra excitasse, & mel, & lac, & suaues liquores huiusmodi, vt est in his versibus:

*θύρσον δέ τις λαβοῦσ' ἔπαισεν εἰς πέτραν·*
*ὅθεν δροσώδης ὕδατος ἐκπηδᾷ νοτίς.*
*ἄλλη δὲ νάρθηκ' εἰς πέδον καθῆκε γῆς,*
*καὶ τῇδε κρήνην ἐξανῆκ' οἴνου θεός.*
*Thyrsoq; capto percutit quandam petram,*
*Hinc lympidæ vndæ protinus fons exilit.*
*Diuerberauit vt solum virga altera,*
*Fontem meri profudit inde mox Deus.*

His persimilia sunt illa miracula quæ puer fecisse dicitur Dionysus, quæ nos ita in libro Venationum quarto expressimus:

Has

*Has inter ferulam ludendo forte cecidit,*
*Et ferro lapides ictu percussit eodem:*
*Exiluit dulcis vini de vulnere ros.*
*Hinc lacerauit ouis frustatim viscera tabo*
*Inficiente solum, canis albentia setis*
*Membraq; iecit humi, rursus, mirabile dictu,*
*Diuisae pecudis coierunt membra repente,*
*Et virides herbas decerpsit pabula nota.*
*Iam vaga per vastas penetrarat plurima terras*
*Fama Dei, qui multa viris monstrabat, & vrbes*
*Errando virtute, sua compleuerat omnes.*

Fabulantur praeterea Bacchum, vbi illum Iuno persequeretur, labore fessum itineris se quieti sub arborem quandã dedisse, atque Amphisbaenam (id enim viperae vtrinque caput habenti nomen est, vt ait Nicander in Theriacis) eius tibiam momordisse: tum excitatum Dionysum illam palmite vitis, qui forte propinquus adiacebat, occidisse. Nam, vt sensit Demetrius Chlorus, id animal, neque ligno, neque vlla re alia, nisi ligno vitis, facile potest interfici. Istud illi contigisse aiunt, post vitem inuentam, cum furore à Iunone iniecto percitus orbem terrarum peragraret cum igitur in Ægyptum & in Syriam peruagaretur, illum primus omnium Proteus Rex Ægyptiorum fertur hospitio accepisse; mox ad Cybellam Phrygiae vrbem profectus, & à Rhea expiatus stola ab ea sumpta caeremonias Cybeles edoctus per Thraciã ad Indos contendit. Tum Lycurgus Rex edonorum qui iuxta fluuium Strymonem habitabant, illum contumeliis affecit, cui Dionysus, cum euasisset, furorem iniecit. Nam cum pampinos vitiumque germen se caedere putaret, Dryantis filij crura obtruncauit, atque cum extremas quoq; sui corporis partes abscidisset, resipuit denique atq; ex oraculi respõso ab Edonis ob sterilitatem agrorum in vincula coniectus, ab equis deniq; pro Dionysi voluntate laniatus fuit, vt scripsit Apollod. lib. 3. Fama est Alcithoẽ quoq; Thebanam mulierem aegre ferentem diuinos honores Baccho tribui, cum magna sit plerunque inter ciues eiusdem ciuitatis inuidia & contemptus, coepisse illas deridere, quae istud facerent, quare iratus Bacchus eam in vespertilionem mutauit, ac telas sociarum simulq; ridentium in hederam & vites. Dicebantur Cobali daemones immites

& inhumani quidam, & Satyri, & Bacchæ, & Sileni ipsum comitari cum cymbalis & strepitu quocunque incederet, qui in curru a lyncibus tracto vehebatur, vt ait Ouid. lib. 4. Metamorph.

*——tu bijugum pictis insignia frenis*
*Colla premis Lyncum: Bacchæ, Satyrique sequuntur,*
*Quique senex ferula titubantes ebrius artus*
*Sustinet.*

Circa hunc lynces, & Tigres, & pantheræ esse consueuerunt, vt ait idem poeta in libro tertio.

*Ipse racemiferis frontem circumdatus vuis*
*Pampineis agitat velatam frondibus hastam:*
*Quem circa Tigres, simulacraque inania lyncum,*
*Pictarumque iacent fera corpora pantherarum.*

Fuit socius Bacchi Lusus, à quo vocata est Lusitania. aiunt Bacchum truculentas feras circa se semper habere solitum, cum pellem etiam pardali semper gestaret, vnde dicebatur Brysæus; cuius inter comites fuit Acratus genius. atq; cum Panas & Satyros comites Indicæ expeditionis habuisset, subacta India atq; deuicta Iberia, vt ait Sesosthenes in reb. Ibericis, Pana locis præfecit, qui regionē de se Paniam vocauit, ac mox iuniores Hispaniam dixerunt. Nam & Virg. lib. 6. hunc inquit in curru à tigribus tacto vehi solitum, & pro habenis lorisque, teneris pāpinis vti, vt patet ex his:

*Nec qui pampineis victor iuga flectit habenis*
*Liber, agens celso Nysæ de vertice tigres.*

Et Ouidius libro primo de Arte:

*Iam Deus in curru, quem summum texerat vuis,*
*Tigribus adiunctis aurea lora dabat.*

Consueuit & pro sceptro thyrsum gestare, quæ hasta erat frondibus vitium aut hæderæ aliquando suauiter ornata, & cerui pellem, quam nebrida vocabant, vt scripsit Euripides in Bacchis:

πρώτας δὲ Θήβας τῆς δε γῆς Ἑλληνίδος
ἀνωλόλυξα, νεβρίδ᾽ ἐξάψας χροὸς,
θύρσον τε δοὺς εἰς χεῖρα κίσσινον βέλος.
*Thebasque primas vrbem adiui Græciæ,*
*Ibi fremuique pelle sumpta nebrida,*
*Hederæque thyrsum tradidi illo tempore.*

Atque sacrificantes ramos abiegnos gestabant, cum illi abies

abies in coronas esset sacrata. vti Xenophanes ait in Salib.

——— εἰς στεφάνους

ἑστᾶσι δ' ἐλάται πυκινὸν περὶ δῶμα.

——— in coronas

*Consistunt abietes pulchram circa domum.*

Nã hedera, & smilax, & abies, & quercus erãt arbores Baccho sacræ quibus Thyades vtebantur in sacris, vt est in his:

——— ἐπὶ δ' ἴθηκε κισσίνους

στεφάνους, δρυός τε, μίλακός τ' ἀνθεσφόρους.

*Hedera dederunt hæc coronas crinibus,*

*Quercusq; smilacisq; onusta floribus.* & illud:

| | |
|---|---|
| ὦ Σεμέλας τροφοὶ Θῆβαι, | *O Semeles altrices Thebæ,* |
| στεφανοῦσθε κισσῷ, | *coronemini hedera.* |
| βρύετε βρύετε χλοηρᾷ | *cingite cingite virenti,* |
| σμίλακι καλλικάρπῳ, | *smilaci fructifera,* |
| καὶ καταβακχιοῦσθε δρυὸς | *atque bacchemini quercus,* |
| ἢ ἐλάτας κλάδοισι. | *siue abietis cincta ramis.* |

Fuit illa sacra pica ob garrulitatem ebriosorum, & ficus folia propter memoriam Sycæ in illam arborem versæ, & vitis ob Staphylæ casum, quæ ambæ in arbores sui nominis mutatæ sunt ab illo Deo, cum συκῆ ficum, ac σταφυλὴ vitem significet. Fuit illi etiam narcissi corona nõ ingrata ob tarditatẽ ingenij ebriosorum, & draco inter reptilia fuit sacer Libero patri, vt ait Plutarchus in problem. Symposiacis. Huius Dei sacerdotes fœminæ plerunq; fuerunt, quę nunc ab insania Mænades. nũc ab impetu & furore Thyades vel à Thya quę prima sacra Bacchi instituit, nunc ab intemperantia, morumq; prauitate, Bacchæ vocabãtur. Dictæ sunt & Mimallones, quia Dionysum imitarentur: nam in montibus plerunq; versantes leones manibus secũ adducebant, aliasq; feras: deinde ijs crudis vescebantur; terramque ferulis percutiẽtes, aut saxa, cum sitirẽt, vinum, vel lac, vel mel scatere faciebant, anguesq; habebant pro zonis comis implicitos. Huius Dei Satyros, & Silenos, & Lenas, & Nymphas, & Naiades, & Tityros sacerdotes fuisse inquiũt Strabo lib. 10. Dionysij res gestas conscripsit Diodorus libro 5. historiarum, Orosius primo: cum Pegasus Eleutherensis primus Liberi patris religionem Atheniensibus tradiderit, vt Perimander ait in lib 2. de sacrificiorum ritibus apud varias gentes. Fama est hunc in Nysa Arabiæ fœlici ci-

uitate imperasse, multaq; humano generi vtilia inuenisse, nã præter vinum & mellis conficiẽdi rationẽ sacrificiorum ritus quoq; inuenisse dicitur, vt scripsit Ouid. in 3 Fastorũ.

*Ante tuos ortus aræ sine honore fuerunt,*
*Liber, & gelidis herba reperta focis.*

Cum hic de omnibus nationibus bene mereri studeret, orbemq; terrarũ illa, quæ sciebat, docendo peragraret, Mercurium Trismegistum vxori cõsultorem, ac Herculem Ægypti præsidem reliquisse dicitur, Prometheoque primum ab Hercule locum dedit. mox Busiride Phœniciæ, Antæo Libyæ præfectis, ipse coacto ex agricolis mulieribusq; exercitu ad Indos, & intima Asiæ loca penetrauit. Deinde Indis, qui illum aspernabantur, & vniuersi orientis regionib. subiugatis, ad primum Oceani littus in montibus Indiæ non procul à Gange fluuio columnas duas erexit, tãquam ad vltimas hominibus peruias oras ex parte Orientis penetrasset: de quib. columnis ita scripsit Dionysius in situ orbis:

ἔνθα τε καὶ στῆλαι Θήβαι γενέος Διονύσου
ἑστᾶσιν πυμάτοιο παρὰ ῥόον Ὠκεανοῖο,
Ἰνδῶν ὑστατίοισιν ἐν οὔρεσιν, ἔνθα τε Γάγγης
λευκὸν ὕδωρ Νυσαῖον ἐπὶ πλαταμῶνα κυλίνδει.

*Hæc & Thebani Dionysi terra columnas*
*Monstrat ad Oceanum, atq; extremi littora Ponti,*
*Montibus Indorum, qua vasto gurgite Ganges*
*In mare se voluit, Nyssæam impellit & vndam.*

Testatur & Sidonius Antipater in eo carmine columnas à Baccho in Oriente, vt in Occidente ab Hercule fuisse positas, cum inquiat:

ἀμφοῖν δὲ στῆλαι συντέρμονες εἴκελα δ᾽ ὅπλα.

*Arma eadem ambobus, sunt termini vtriq; columnæ.*

Quod autem eo arma intulerit Dionysus, vniuersamque Indiam debellauerit, & vrbes orientis subegerit, ita innuit idem Dionysius:

αὐτὸς δ᾽ ὁππότε φῦλα κελαινῶν ὤλεσεν Ἰνδῶν,
Ἠμωδῶν ὀρέων ἐπιβήσατο.

*Vt gentes Indorum nigrorum Marte feroci*
*Perdomuit, montes Emodos scandit.*

Fabulati sunt antiqui Sollacem Armeniæ fluuiũ in Araxem stagnum influentẽ dictum fuisse Tigrim ab ea tigre, quam conscendens Dionysus Iunonis consilio furiosis traiecit,

cum

cum maria ac terras circumiens remedium affectus quæreret: nam cū Iupiter exoratus tigrim pro lintre misisset traiecturo, mox ad euentus memoriā fluuiū ita vocauit: quod tamen alij à Medo eius filio & Alphesibœæ factum fuisse maluerunt. Ac neq; per Indiam solum, è qua post trienniū rediit, sed mox per Libyā & Hispanias peruagatus est, mulieresq; choreis & saltationibus indulgentes multas in castris habuit: ob quas non minus quam ob armorum atque militaris scientiā fuit celeber. Hic vbi Nysam florentissimā ciuitatē in India cōdidisset apud Indum fluuium, ac postea in Diam insulā rebus Indicis compositis traiecisset, Ariadnam duxit. Hic Deus cum aliquando in Naxum nauigare iuberet nautas, atq; hi in alios locos illum asportarent, repēte hederæ per remos serpebant, ac nauis nulla vi remorū loca dimoueri poterat. At Hom. in hymno quodā in Bacchum à piratis Tirrhenis illam captum fuisse scribit, cum in litore maris peruagaretur. Illi hunc filium regis alicuius rati eum ligare voluerunt, sed cum à gubernatore reprehenderetur, illum minime audientes & obiurgantes, non modo ligauerunt, sed vt magno precio redimeret in suam patriam ipsorum captiuum asportare conati sunt atque statim vela intumescentia ventis tetenderunt, tum vero.

*οἶνος μὲν πρώτιστα θοὴν ἀνὰ νῆα μέλαιναν*
*ἡδύποτος κελάρυζ' εὐώδης, ὤρνυτο δ' ὀδμὴ*
*ἀμβροσίη· ναύτας δὲ τρόμος λάβε πάντας ἰδόντας.*
*αὐτίκα δ' ἀκρότατον παρὰ ἱστίον ἐξετανύσθη*
*ἄμπελος ἔνθα καὶ ἔνθα. κατεκρημνῶντο δὲ πολλοὶ*
*βότρυες· ἀμφ' ἱστὸν δὲ μέλας εἱλίσσετο κισσὸς*
*ἄνθεσι τηλεθάων· χαρίεις δ' ἐπὶ καρπὸς ὀρώρει.*
*πάντες δὲ σκαλμοὶ στεφάνους ἔχον.*

*Dulcia per nauium scatuerunt vina repente,*
*Mirus odor quorum surgebat: pallida membra*
*Concussit nautis timor, & reuerentia Diuûm.*
*Hinc illinc velo in summo concernitur alte*
*Vinea, quæ multos fudit frondosa racemos*
*Pendentes: hederæ malum texere corymbis,*
*Frondibus & nigris: scalmiq; habuere coronas.*

Fuerunt qui dixerint malum & remos, & antennam in serpentes fuisse versos, vt scripsit Demaratus in certaminibus Dionysiacis. Ipse vero Dionysus leo factus ita omnes nau-

tis præter ipsum gubernatorem, in fugam vertit, vt in delphinos versi, in mare statim desiluerint. At non semel tantum hoc accidisse dicitur, vt cum nauigaret, vites & hederæ in nauibus repente sint exortæ, multaq; alia plantarum sibi consecratarum genera: quippe cum nata sint etiam tum, cum puer à Nymphis in Eubœam traijceretur, vt nos lusimus in lib. 4. Venationum his versibus:

*Cum medij nauis sulcaret tergora ponti,*
*Atq; ab vtroq; pari distarent littore tractu,*
*Serpere cœperunt hederæ tabulata virentes,*
*Et smilax, apiumq; comis frondescere adultis.*

Fabulati sunt præterea Bacchum triennium apud Proserpinam dormiuisse, deinde excitatum choreis indulsisse cum Nymphis, vt ait Orpheus in hoc hymno:

*ἀμφιετῆ καλέω Βάκχον, χθόνιον Διόνυσον,*
*ἐγρόμενον κούραις ἅμα Νύμφαις εὐπλοκάμοισιν·*
*ὃς παρὰ Περσεφόνης ἱεροῖσι δόμοισιν ἰαύων,*
*κοιμίζει τριετῆρα χρόνον, βακχήιον ἁγνόν.*
*αὐτὸς δ' ἡνίκα τὸν τριετῆ πάλι κῶμον ἐγείρεις,*
*εἰς ὕμνον τρέπεται σὺν ἐυζώνοισι τιθήναις.*
*Terrestrem canimus Dionysium, & numina Bacchi,*
*Cum nymphis experrectum, quibus est coma pulchra:*
*Qui prope Persephonem sacris penetralibus olim*
*Dormiuit Bacchi tempus tres segniter annos.*
*Vt tribus exactis conuiuia læta nouantur,*
*Ille suis repetit mox cum nutricibus hymnum.*

Hunc eundem Deum θεσμοφόρον, siue legislatorem, idem poeta appellauit, quia cum ab Indica expeditione in patriã post triennium reuertisset, domesticorum, & eorum quibus regnum commiserat, perfidiam expertus, elatos iam sceleratorum animos insolentia legum infregit, hostesque profligauit, & res imperij in meliorem statum, quam antea fuerant, perduxit. Fuit Dionysus etiam Osiris vocatus ab Ægyptijs, vt testatur Herodotus in Euterpe: θεοὺς γὰρ δὴ οὐ τοὺς αὐτοὺς ἅπαντες ὁμοίως Αἰγύπτιοι σέβονται, πλὴν Ἴσιός τε καὶ Ὀσίριος, τὸν δὴ Διόνυσον εἶναι λέγουσι. *Deos autem ipsos non æque omnes colunt Ægyptij, præter Isidem & Osirim, quem Dionysum esse inquiunt.* Fama est Bacchum in eo bello quod aduersum Iouem Titanes gesserunt, fuisse ab illis discerptum, cuius cor palpitans ad Iouem Pallas detulit, vt ait

Isacius

Isacius his verbis: Διόνυσον γὰρ, τὸν καὶ Ζαγρέα καλούμενον, υἱὸν Διὸς καὶ Περσεφόνης ὑπάρχοντα, μεληδὸν οἱ Τιτᾶνες ἐσπάραξαν. οὗ τὴν καρδίαν ἔτι παλλομένην ἀνήνεγκεν. *Dionysum enim illum, qui & Zagreus fuit vocatus, Iouis & Proserpinæ filium, Titanes membratim discerpsere; cuius cor adhuc palpitans attulit.* Hic cum sepultus fuisset, reuixisse fertur integer. Hic Dionysus qui & Osiris vocatus fuit, multa humano generi vtilia excogitauit, vt dictum est. primus enim colendorum agrorum rationem Ægyptios docuit, vt testatur Dionysius in libro de Situ orbis in his:

τῇ παρὰ ναίουσιν ἀριστοπρεπέων γένος ἀνδρῶν,
οἳ πρῶτοι βιότοιο διεστήσαντο κελεύθους,
πρῶτοι δ᾽ ἱμερόεντος ἐπειρήσαντο ἀρότρου,
καὶ σπόρον ἰθυτενῆς ὑπὲρ αὔλακος ἀπλώσαντο·
πρῶτοι δὲ γραμμῇσι πόλον διεμετρήσαντο,
θυμῷ φρασσάμενοι λοξὸν δρόμον ἠελίοιο.

*Ad Nili ripas habitat clarissima gens, qui*
*Humanæ vitæ statuerunt iura priores:*
*Qui primi segnem sulcarunt vomere terram:*
*Qui primi rectis sparserunt semina sulcis:*
*Qui primi cœlum sunt certo limite mensi,*
*Obliquosq; animo Solis cinxere meatus.*

Atque Tibullus in libro Elegiarum primo, ita eius inuenta percurrit:

*Primus aratra manu solerti fecit Osiris,*
*Et teneram ferro sollicitauit humum,*
*Primus inexpertæ commisit semina terræ,*
*Pomaq; non notis legit ab arboribus.*
*Hic docuit teneram palis adiungere vitem:*
*Hic viridem dura cadere falce comam,*
*Illi iucundos primum matura sapores*
*Expressa incultis vua dedit pedibus.*

Nam & Euripides in Bacchis omnium prope eorũ quæ humano generi inuenta fuerunt, vtilissimum vinum putauit, cum obliuionem omnium malorum & somni autorem, & tristitiæ solatium Bacchum inuenisse dicat, vt ex his patet:

——— Σεμέλης γόνος
βότρυος ὑγρὸν πόμ᾽ εὗρε κεἰσηνέγκατο
θνητοῖς. ὃ παύει τοὺς ταλαιπώρους βροτοὺς
λύπης, ὅταν πλησθῶσιν ἀμπέλου ῥοῆς,

*ὕπνον τε, λήθην τῶν καθ' ἡμέραν κακῶν*
*δίδωσιν. οὐδ' ἐσ' ἄλλο φάρμακον πόνων.*

*——— Semele satus*
*Potum racemi repperit mortalibus*
*Atque protulit: mœroris ille nubila*
*Fugat repletis, vineæ liquoribus,*
*Somnusque fit mali diebus singulis*
*Obliuio: nec pharmacum malo aptius.*

Cum vinum igitur inuentum mortalibus Dionysus excogitasset, mos fuit apud antiquos vt Bacchi datoris lætitiæ, quem Bonum dæmonem appellabant, poculum extremum post cœnam remotis mensis circumferretur: quod boni dæmonis dicebant, quia bonus Deus Dionysus illud inuenisset, vel quia cum moderatione sumptus vtilis sit & bonus potus. de quo ita meminit Aristophanes in Equitibus:

*Μὰ Δί' ἀλλ' ἄκρατον οἶνον ἀγαθοῦ δαίμονος.*
*Non per Iouem potum boni sed dæmonis.*

Draco fuit huic Deo propter perspicacitatem inter reptilia dicatus, vt ait Plutar. in problematis Symposiacis. Memoriæ prodidit Lucianus in dialogo Iunonis & Iouis Icarium cæsum fuisse apud Indos, quia cum palmitem & vini faciendi rationem à Baccho didicisset, creditus est primum ab Indis venenum in conuiuio exhibuisse: nam Indi vino primum gustato in insaniam sunt conuersi, vt ait idem in Nigrino. Atque Plutarch. etiam in eo dialogo, in quo disquiritur ignis ne an aqua sit vtilior, vitem ex India in Græciam primum portatam fuisse testatur, cum tamen apud Thebanos primum vitis nata esse dicatur, vt asserit Pausanias in Bœoticis, & inde ad Indos deportata. Neque mirum est sane cæsum fuisse Icarium propter vinum, cum immoderatus illius vsus non parum obsit mortalibus, secretaque animi aperiat, & in insaniam prope impellat, vt ait Homerus lib. ξ Odysseæ in his versibus:

*——— οἶνος γὰρ ἀνώγει*
*ἠλεός, ὅς τ' ἐφέηκε πολύφρονά περ μάλ' ἀεῖσαι*
*καί θ' ἁπαλὸν γελάσαι, καί τ' ὀρχήσασθ' ἀνῆκεν,*
*καί τι ἔπος προέηκεν, ὅ περ τ' ἄρρητον ἄμεινον.*
*Pocula prudentes etiam fœcunda choreis*
*Indulgere iubent, cantareque voce sonora*
*Pocula, quæ vtiliter tacerentur, multa profari.*

Nam vbi vires corporis, mentemque vini imperium subegerit, multa effutire coguntur homines, vt scripsit in his etiam Theognis:

ἄφρονος ἀνδρὸς ὁμῶς καὶ σώφρονος οἶνος, ὅταν δὴ
πίνηθ' ὑπὲρ τὸ μέτρον, κοῦφον ἔθηκε νόον.

*Prudentis stultiq; viri immoderatius hausta*
*Vina leuem mentem reddere sæpe solent.*

Sed neque hæc sola incommoda vini vsus immodicus affert, verum etiam corpus mirifice labefactat, vt nos scripsimus in nostro libro Aucupii, quem Græcis versibus imparibus inceptum, vbi absolutus fuerit, mittere decreuimus ad doctissimum & sapientissimum RENALDVM Ferrarium Præsidem Comitiorum Parisiensium: quem Senatorem Regium non solum propter insignem autoritatem diligo mirifice & obseruo, sed multo magis ob singularem eius humanitatem & sapientiam. Nam cum Orator proximis annis fuisset in sacra Tridentina synodo, & nuper apud illustrissimum Senatum Venetum, omnes in his locis eius eruditionem ac sapienter dicta tanquam oraculi Delphici sunt admirati. Ita vero se habent carmina quædam:

οἶνος. πινόμενος πολὺς, ὀργὴ, κύπρις, ἀμυδρὺς
θᾶσσον ἄγει θνητοὺς ἐνθὺ καταχθονίων.

*Importuna trahunt in tristia tartara Ditis*
*Recta mortales ira, merumq; Venus.*

Scriptum reliquit Pausanias in Laconicis in monte supra Migonium, quem locum vocabant Larysium, vuam maturam prius inuentam fuisse: quo in monte ineunte vere dies festos agitabant in honorem Bacchi. Non minor tamen gratia illi asino habenda est, quem Naupliæ incolæ lapideum erexerunt, quia putationem vitium adinuenit, quam Baccho, qui vires tantum ostendit mortalibus: nam nisi vitis cultura & putatio inuenta fuisset, breui totum id munus erat interiturum, aut inutile futurum. Cum igitur asinus vitis pampinos Naupliæ abrosisset, sarmentorum putationem vtilem esse vitibus ostendit: quippe cum illa sit arbor omnium cæterarum humidissima, pluraque gignat ligna superuacanea, tanquam excrementa. Docuit Bacchus etiam mortales mercaturam & nauigationem, vt testari videtur Dionysius in situ orbis, qui è Phœnica, & è regione mari rubro propinqua, & nauigationem & astro-

rum cognitionem profluxisse ait, cum Phœniciæ imperaret Bacchus, vt est in his:

*τῶν δ' ἀνδρῶν γενεῆς οἱ Ἐρυθραῖοι γεγάασιν.*
*οἳ πρῶτοι νήεσσιν ἐπειρήσαντο θαλάσσης,*
*πρῶτοι δ' ἐμπορίης ἁλιδινέος ἐμνήσαντο,*
*καὶ βαθὺν οὐρανίων ἄστρων πόρον ἐφράσσαντο.*
*Qui rubrum coluere fretum genus inde virorum,*
*Qui primi spreuere maris ventosque, minasque*
*Primi sunt ausi merces committere ponto,*
*Et cœli cursus seruare, & sidera mundi.*

Fertur hic Deus primus omnium mortalium depressos ad sordida quæque hominum animos ad Deorum cultum erexisse, vt testatur in his Ouid. lib. 3 Fastorum:

*Ante tuos ortus aræ sine honore fuerunt*
*Liber, & in gelidis herba reperta focis.*
*Te memorant Gange, totoque Oriente subacto,*
*Primitias magno seposuisse Ioui.*
*Cinnama tu primus, captiuaque thura dedisti.*
*Deque triumphato viscera tosta boue.*

Hunc Deum, quem superius semper iuuenem è sententia nonnullorum scriptorum diximus, Elienses barbatulum esse crediderunt, vt ait Pausanias in prioribus Eliacis: qui cum cornutus etiam fingeretur, ad huius imitationem Mimallones cornua suis capitibus alligare consueuerunt, vt ait Isacius. ac neque solum cornutus, sed etiam taurino capite ab antiquis fingebatur, vt idem testatur. Fuit & diuinationum Deus creditus Dionysus, vt in his testatur Euripides in Bacchis:

*μάντις δ' ὁ δαίμων ὅδε: καὶ γὰρ βακχεύσιμον,*
*καὶ τὸ μανιῶδες μαντικὴν πολλὴν ἔχει.*
*Deusque vates est: furor nam Bacchicus*
*Vim vaticinandi rite plurimam tenet.*

Coronabantur hedera quicunq; Libero patri erant initiaturi, vt significauit Euripides in Bacchis, vt alii crediderunt, quia paruus Dionysus in illa arbore fuit occultatus; vt vero alii, quia racemos vuarum imitatur, vel quia semper sit viridis & iuuenis, qualis Deus ipse fingebatur, vel quia cum frigida sit arbor natura, ob insitum frigus adiumento sit aduersus ebrietatem. Alii sacram Baccho putarunt, quia Cissus Bacchi comes inter saltandum incom-

modius

modius cum Satyris periit, ac Bacchi iussu fuit in arborem mutatus, quam Græci cissum, Latini hederam vocarunt. Alii ad imitationem Bacchi id factum crediderunt, quod ille, cum esset puer, hedera & lauro coronatus incederet, vt ait Homerus in hymnis:

*δὴ τότε φοιτίζεσκε καθ' ὑλήεντας ἐναύλους*
*κισσῷ καὶ δάφνῃ πεπυκασμένος.*
*Tum quoq; paruus e a ,syluisq; errabat in altis*
*Ornatus lauro atque hedera.*

Atque non solum initiantes, sed etiam coronæ sacrificantium, quibus caput vinciebantur, ad illius Dei imitationem Bacchi dictæ sunt, vt testatur Nicander in libro linguarum in his.

*βάκχοισι κεφαλὰς περιανθέσιν ἐστέψαντο.*
*Tempora cinguntur Bacchis florentibus illis.*

Erat enim legibus sacrificiorum sancitum, vt coronarentur hedera quicunque Baccho initiarentur, vt ait Dionysius in Cosmographia:

*ὀρνύμεναι τελέθουσι κατὰ νόμον ἱερὰ Βάκχῳ,*
*στεψάμεναι κισσοῖο μελαμφύλλοιο κορύμβοις*
*ἐννύχιαι· πάταγος δὲ λιγύθροος ὄρνυται ἠχή.*
*Concitæ agunt, vt lex, Baccho sacra tempora ramis*
*Deuincta nigris hederæ, ac pallente corymbo*
*Nocturnæ: clamorq; ingens consurgit ad auras.*

Consueuerunt Camaritæ, quæ natio est Indiæ finitima, cum Bacchum ab Indica expeditione redeuntem humaniter accepissent, illum egregie colere, cingulaque & hinnulorum pelles circa pectus habere, vt idem in his ait:

*καὶ Καμαριτάων φῦλον μέγα, τοί ποτε Βάκχον*
*Ἰνδῶν ἐκ πολέμοιο δεδεγμένοι ἐξείνισσαν,*
*καὶ μετὰ Ληνάων ἱερὸν χορὸν ἐστήσαντο,*
*Ζώματα καὶ νεβρίδας ἐπὶ στήθεσσι βαλόντες,*
*εὐοῖ Βάκχε λέγοντες.*
*Et Camaritarum genus ingens, Bacchus ab Indis*
*Hospitio rediens quibus est acceptus, vt illi*
*Lenarum statuere chorum, quæ cingula, & vna*
*Damarum pelles posuerunt pectora circum,*
*Euœ Bacche fremente.*

Nam Lenæ vocatæ sunt Nymphæ quæ torcularibus præerant, vt fontibus Naiades. Celebrabantur autem Bacchi sa-

crificia cum tripudiis, quare Dionysus vocatus est ἐνόρχης δαίμων, siue tripudii Deus, vt ait Lycophron:

*δαίμων ἐνόρχης. Φιγαλεὺς, Φαυστήριος*

*Deus tripudiis, Ph galeus, Phausterius.*

Nam ὀρχεῖσθαι tripudiare significat: qui idem dictus est Phigaleus, quod in Arcadia coleretur: & Phausterius, quia lampades & lumina adhiberentur in huius sacrificiis. Fuit hic Deus in numerum Deorum reliquorum relatus ob ea quæ in genus humanum contulit beneficia, ob res præclare gestas, ob discordias, & contentiones à se compositas, ob ciuitates extructas, ob leges, quas dedit ciuitatibus, vt testatur Horat. lib. 2. Epistolarum:

*Romulus, & L berpater, & cum Castore Pollux,*
*Post ingentia facta, Deorum in templa recepti,*
*Dum terras hominumq; colunt genus, aspera bella*
*Componunt, agros assignant, oppida condunt.*

Agebantur huius Dei sacra à mulieribus, vt diximus, quod illas habuisset socias in Indica expeditione: quæ dictæ sunt Bacchæ ab insanis clamoribus: currebat enim cum tędis & funalibus accensis per noctem, quibus vtebantur illis sacrificiis, atque crinibus passis ita clamabant currentes: euhœ, quæ voces sunt bene ac fœliciter precantium His postea vocibus in vnum compositis Eubœus Bacchus vocari cœpit: deinde Euhyius siue bonus filius, quia cum Gigantes bellum Ioui intulissent, in leonem versus vnum eoru prior laniauerit ac discerpserit. Ea re præclare gesta Iupiter lætatus dicitur Dionysum Bonum filium vocasse, Lucianus in Dea Syria Osirim, siue Dionysum apud Byblios Ægypti populos mortuum & humatum fuisse scribit, & anniuersarios luctus, ritusque sacrorum in eius honorem institutos. Atqui quod & ipse & Hercules eandem patriam haberent diximus, & iisdem prope armis vterentur, & quod pariter combusti sunt: quod etiam declarauit ipse Sidonius Antipater in his carminibus:

*ἀμφοῖν δὲ στῆλαι συντέρμονες, εἴκελα δ' ὅπλα·*
*νεβρὶς, λεοντῆ, κύμβαλα δὲ πλατάγη.*
*Ἥρη δ' ἀμφοτέροις χαλεπὴ θεός. οἱ δ' ἀπὸ γαίης*
*ἦλθον ἐς ἀθανάτους ἐκ πυρὸς ἀμφότεροι.*

*Amb rumq; columna; atq; arma simillima vtriq;*
*Cymb la clamori; pellem & vterq; tulit;*

Et

*Et gratis ambobus Iuno Dea adiuit vterq;*
*E terra ad superos, igne cremante, Deos.*

Multa huius Dei sacrificia multis in locis celebrabantur, quæ & nominibus & ritibus & temporibus differebant: atque primi mortalium Phœnices Bacchi sacra instituerunt, quæ postea Orpheus in Græciam ad Thebanos detulit, in quibus laniatus fuit. Agebatur dies festus apud Athenienses, quo die Liberi patris cultum à Pegaso Eleutheriensi ex oraculo Delphico acceperunt, quæ dicebantur Oschophoria, vt ait Pausanias in Atticis. Erat autem consuetudo, vt ait enarrator Nicandri, vt pueri pampinos manibus gestantes tributim è sacro Dionysi templo in sacellum Palladis cognomento Scirrhatis cum precibus decurrerent. Celebrabantur & Trieterica in eius honorem, quia tertio anno ab Indica nauigatione reuertisset, quæ agebantur per brumam, vt ait. Ouid. in 1 Fastorum:

*Sacra corymbiferi celebrabat Græcia Bacchi,*
*Tertia quæ solito tempore bruma refert.*

Horum sacrificiorum & tempus, & instrumenta, & habitura Baccharum demõstrauit idem poëta lib. 6. Metamorph.

*Tempus erat, quo sacra solent Trieterica Bacchi*
*Sithoniæ celebrare nurus nox conscia sacri:*
*Nocte sona Rhodope tinnitibus æris acuti,*
*Nocte sua est egressa domo Regina Deiq;,*
*Ritibus instruitur, furaliaq; accipit arma,*
*Vite caput tegitur, lateri ceruina sinistro*
*Vellera dependent, humero leuis incubat hasta.*

Nam his armis instructæ cum vociferatione discurrentes crinibus passis diuinare, ac res futuras prædicere credebantur, Epilenæa sacrificia, & certamen, & cantilenæ vocabantur, quæ fiebant vindemiæ tempore, cum torcular exprimendis vuis esset inuentum apud Acharnanes, vt ait enarrator Aristophanis. Nam certabant inter calcandas vuas, quis citius plus musti exprimeret, & Bacchi laudes canebant inter calcandũ, rogabantque vt quam suauissima musta defluerent, cum agerentur hæc in agris, Dionysia ibi simplici nomine dicebantur. Celebrabantur Lenæa pręterea in ciuitate Athenarum ineunte Vere, quo tempore vina de fæce eximebantur, tributaque ferebantur ab externis: quod certamen erat bibẽtium plerumque, Bacchumq; læ-

titiæ autorem canentium, cuiusmodi carmina sunt illa Euripidis in Bacchis:

*τὴν παυσίλυπον ἄμπελον δοῦναι βροτοῖς.*
*οἴνου δὲ μηκέτ' ὄντος, οὐκ ἔστιν Κύπρις,*
*οὐδ' ἄλλο τερπνὸν οὐδὲν ἀνθρώποις ἔτι.*
*Obliuionem palmitem mali dedit.*
*Si vina tollas, & Venus statim perit,*
*Nec dulce quidquam restat hinc mortalibus.*

Fuerunt & Phallica in Dionysi honorem instituta, quæ apud Athenienses agebantur, apud quos primus Pegasus ille Eleutheriensis Bacchi cultum instituit: in quibus cantabant quemadmodum Deus hic morbo Athenienses liberauit, & quemadmodum multorum bonorum author mortalibus extitit. Fama est enim quod Pegaso imagines Dionysi ex Eleutheris ciuitate Bœotiæ in Atticam regionem portante Athenienses Deum neglexerunt, neque, vt mos erat, cum pompa acceperunt: quare Deus indignatus pudenda hominum morbo infestauit, qui erat illis grauissimus: tunc eis ab oraculo, quo pacto liberari possent petentibus, responsum datum est solum esse remedium malorum omnium, si cum honore & pompa Deum recepissent: quod factum fuit. Ex ea re tum priuatim, tum publice lignea vitilia thyrsis alligantes per eam solennitatem gustabāt: fuit enim Phallus vocatum membrum virile. Alii Phallum ideo consecratum Dionyso putarunt, quia sit autor creditus generationis. Agebant Athenienses præterea Canephoria in honorem Dionysi, quod genus erat consuetudinis quale scribitur his verbis à Demarato in certaminibus Dionysiacis: *κατὰ τὴν τῶν Διονυσίων ἑορτὴν παρὰ τοῖς παλαιοῖς Ἀθηναίοις, αἱ εὐγενεῖς παρθένοι, τό τε ἀκμαῖον ἥβαίσαι, ἐκανηφόρουν· ἦν δὲ ἐκ χρυσοῦ καθαροῦ πεποιημένα τὰ κανᾶ, ἐφ' ὧν τὰς ἀπαρχὰς ἁπάντων τῶν καρπῶν ἐτίθεσαν. per festum Dionysi diem, qui apud antiquos Athenienses agebatur, virgines agiles, quæ ad pubertatem accederent, tum primum canistros ferebant: qui canistri erant ex puro auro, in quibus erant fructuum omnium primitiæ imposita.* Quanquam non defuerunt qui non in honorem Dionysi, sed Dianæ, Canephoria instituta crediderint, cum dicerent virgines nobiles per ea sacra canistros earum rerum quas pulchriores acu laborassent, plenos Dianæ consecrare solitas, atque ita significasse se prioris vitæ vir-

tæ virginitatisque pertæsas, cupere exautorari, vt asseruit Dorotheus Sydonius. quæ sacra celebrabantur, vt quidam voluerunt, sub finem mensis Aprilis. Fuerunt & Apaturia Dionyso consecrata, quorum initium & causa huiusmodi fuisse perhibetur à Charicle in Catena. cum bellum exortum esset inter Athenienses & Bœotos, Xanthius Bœotus Thimœtem Atheniensium Imperatorem ad singulare certamen prouocauit, quo debellato Melanthus Messenius postea illi in id imperium successit, qui peregrinus fuit, & à Periclymene Nelei erat oriundus. His igitur singulari certamine dimicantibus quidam à tergo Xanthii nigra pelle capræ indutus apparuit: tunc ille iniuriam sibi fieri inquit, cum ad singulare certamen cum socio accederet: ac dum respiciens conuertitur, ab aduersario dolo cæditur. cum vero Dionysus creditus sit, quem pelle capræ indutum apparuisse autumant, dies festi fuerunt in eius honorem ab Atheniensibus mense Octobri instituti. Celebrabantur per hos dies Apaturia sic dicta à decipiendo: quorum dierum primus Dorpia dicebatur, quia vespertino tempore conuenirent in vnum locum, qui essent eiusdem tribus, & vna conuiuium pararunt Secundũ dixerunt Anarrhysim, quod eo die victimæ immolarentur: nam & Ioui tribuli, & Palladi sacrificabant. & ἀναῤῥύω sursum traho significat, & sacrifico, quia immolantes victimarum iugulandarum colla sursum conuerterent. Tertius dies dictus fuit Cureotis, quo die iuuenes mares ac puellæ nomina dare consueuerunt, vt in tribus ascriberentur. Alii quartum diem addiderunt, quem vocarunt Epibdam, vt scriptum reliquit Panyasis. Celebrabantur & Ambrosia vocata, qui dies erat mense Ianuario Dionyso sacer, quem etiam mensem Lenæonem vocarunt, quia per id tempus vina in ciuitatem importari essent solita: ac mensem nominarunt à Dionyso, quod is præesset torcularibus: vnde Lenæus etiam dictus est. Pithœgia vero cum dolia relinirentur, fiebant, atque tunc omnibus præsentibus Dionysi munus in honorem Dionysi impartiebant, quod commune erat amicorum symposium, vt scripsit Philochorus. Hæc eadem cum à Romanis celebrabantur, dicta sunt Brumalia, cum Brumus dictus sit Bacchus. Fuerunt & Ascolia dicta apud Athenienses, quæ ita fiebant, vt ait Zezes in commentariis in

Hesiodum: ἐμβαίνετο δὲ τὰ ἀσκώλια οὕτως· ἀσκοὺς πεφυσημένους καὶ πνεύματος πεπληρωμένους τιθέντες κατὰ γῆς, ἑνὶ ποδὶ ἐφαλλόμενοι ἄνωθεν τούτων ἐφέροντο. καὶ πολλάκι κατολισθαίνοντες εἰς γῆν ἔπιπτον· τοῦτο δὲ ἐποίουν τιμῶντες τὸν Διόνυσον. ὁ γὰρ ἀσκὸς δέρμα ἐστὶ τράγου· ὁ δὲ τράγος τοὺς θαλλοὺς τῆς ἀμπέλου τρώγων, λυμαίνεται ταύτην. *Fiebant autem hoc pacto Ascolia: vtres inflatos ventoque plenos humi deponentes altero pede insiliebant, atque super inferebantur: cum sapius labentes in terram decidebant, faciebant autem id in honorem Dionysi, quoniam vter pellis est hirci, qui pampinos vitium comedens illis obest plurimum.* quem tamen vtrem quidam vino repleri solitum fuisse crediderunt, vt traditum est à Menandro in libro de mysteriis, atque peritior vinum habebat præmium. Est enim hircus animal maxime vitibus infestum, vt testantur illa carmina Eueni poëtæ.

κἤν με φάγῃς ἐπὶ ῥίζαν, ὅμως δ' ἔτι καρποφορήσω
 ὅσσον ἐπισπεῖσαι σοὶ τράγε θυομένῳ.

*Rodas me licet ad stirpem, de palmite fundam*
 *Dulcia mactando vina sed hirce tibi.*

Agebantur hæc ipsa sacrificia apud Latinos etiam, quæ Ascolia vocabantur, plurimumque conferre credebantur ad vinearum fertilitatem, quorum ritum ita præclare expressit Virgil. lib. 2. Georgicorum:

*Frigora nec tantum cana concreta pruina,*
*Aut grauis incumbens scopulis arentibus æstus;*
*Quantum illi nocuere greges, duriq; venenum*
*Dentis, & admorso signata in stirpe cicatrix*
*Non aliam ob culpam Baccho caper omnibus aris*
*Cæditur ludi: & veteres ineunt proscenia,*
*Præmiaq; ingentes pagos & compita circum*
*Theseidæ posuere, atq; inter pocula læti*
*Mollibus in pratis vnctos saliere per vtres*
*Nec non Ausonii Troia gens missa coloni*
*Versibus incomptis ludunt, risuq; soluto,*
*Oraq; corticibus sumunt horrenda cauatis;*
*Et te Bacche vocant per carmina læta, tibiq;*
*Oscilla ex alta suspendunt mollia pinu.*
*Hinc omnis largo pubescit vinea fœtu;*
*Complentur vallesq; caua, saltusq; profundi*
*Et quocunq; Deus circum caput egit honestum.*

Ergo

*Ergo rite suum Baccho dicemus honorem*
*Carminibus patriis, lanceśq; & liba feremus.*

Proponebantur autem præmia illis qui sapientius super vtres saltarent: deinde Bacchi statua cum carminibus inconcinne ebriorum more compositis in eius laudes patrio idiomate singularum nationum circumferebatur circa vineas: quæ res plurimum ad fertilitatem conferre putabatur. atq; ij qui ista faciebant, personas sumebant è corticibus arborum, & vini fæce aliquando perungebantur, ne cognosci possent, quia multa ridicula, multa parum decora, multa turpia & pudore plena dicebant, quæ sine personis dicere omnino puduisset. deinde vineis lustratis ad altare Bacchi, vnde discesserant, redeuntes, sacras victimas in lancibus offerebant, & comburebant. deinde altissimis arboribus imagines quasdam modo fictiles, modo ligneas, Baccho sacras & illi similes appendebant, quas à paruitate oris dicebant oscilla, vt longissime possent prospicere, quia vineis conferre putabantur. His ita actis in conuiuium, & è conuiuio domum discedebant: quæ omnia prope in superioribus carminibus Virgilij continentur. Cædebantur hirci plerunq; in Bacchi sacrificiis, vt ait Euripides in Bacchis hoc modo: *ἀγρεύων αἷμα τραγοκτόνον: perquirens sanguinem cæsi hirci.* quamuis scribit Herodotus, in Euterpe in quadam solennitate, quæ Dorpia dicebatur Ægyptios singulos ante portas priuatarum domorum suos iugulare solitos in honorem Bacchi. ita vero scribit: *τῷ δὲ Διονύσῳ τῆς ὀρτῆς τῇ δορπίῃ, χοῖρον πρὸ τῶν θυρέων σφάξας ἕκαστος, διδοῖ ἀποφέρεσθαι τὸν χοῖρον αὐτῷ τῷ ἀποδομένῳ τῶν συβωτέων. τὴν δὲ ἄλλην ἀνάγουσι ὀρτὴν τῷ Διονύσῳ οἱ Αἰγύπτιοι, πλὴν χοίρων, κατὰ ταυτὰ χεδὸν πάντα Ἕλλησι· ἀντὶ δὲ φαλλῶν ἄλλα σφι ἐστὶ ἐξευρημένα ὅσον τε πηχυαῖα ἀγάλματα νευρόσπαστα, τὰ περιφορέουσι κατὰ κώμας τὰς γυναῖκες νεῦον τὸ αἰδοῖον, οὐ πολλῷ τεῳ ἔλασσον ἐὸν τοῦ ἄλλου σώματος· προηγέεται δὲ αὐλὸς, αἱ δὲ ἕπονται ἀείδουσαι τὸν Διόνυσον. Dionyso die solẽnitatis Dorpia, suem ante fores singuli iugulantes reddunt subulco illi qui attulerat ipsum suem. atque aliam solennitatem sine suibus in honorem Dionysi agunt Ægyptij eodem prope ritu, quo Græci. at pro phallis res alias illi excogitarunt, imagines scilicet cubiti magnitudinis, quas circumferunt mulieres per agros, cum virile membrum reliquo corpore non multo minus, nutet. Præcedit autem tibia,*

*atque illa Dionysum cantantes sequuntur* Cum vero multa impura facinora Orgiorum, sacrorumque Bacchanaliorum simulatione committerentur, Pentheus Agaues & Echionis filius Rex Thebanorum eo tempore conatus est pro virib. tantum turpitudinis euertere: sed cum periculosum sit regibus inueteratam lasciuiam & auitam aliquam intemperantiam vno die velle obliterare; cum nihil repentinum æquo animo natura patiatur, paulatimq; delenda sint, quæ minime conueniunt; proditum est in fabulis Bacchas in Pardales fuisse à Baccho mutatas & Pentheum in taurum, qui fuit ab illis vnguibus discerptus, vt lusimus in nostro lib. 4. Venationum:

*Deniq; Thebarum populos peruenit, & omnes*
*Occurrunt matres Cadmeides impius vnus*
*Inuentus Pentheus: captus formidine patris*
*Imperat hic socijs hunc arctis nectere vinclis.*
*Inuasere Deum multi, multiq; sequentes*
*Percutiunt saxis matres, rapiuntq; coronas*
*Compositas hedera ramis, & cuncta profanant.*
*Tum pater immanem te fecit Penthea taurum:*
*Pardalis in speciem matres mutauit, & illas*
*Vnguibus horrendis, & dentibus armat acutis.*
*Discerpsere fera taurum, regemq; profanum,*
*Esse Dei quoniam sic illis visa voluntas.*

Alij dixerunt illum vexasse contumelijs Liberum patrem & alia fecisse, insolenter, atque vt fœminarum occulta sacra intueretur, arborem, qua erant transituræ, ascendisse: quod cum illæ cognouissent, eum discerpserunt. deinde ex oraculo arbori inuentæ diuini honores habiti sunt, & duo signa Liberi patris suspensa: vnum Lysium, alterum Baccheum vocarunt. mox vbi templum fuit cum ijs signis extructum. At vero Euripides in Bacchis non in pardales mutatas Bacchas facit, sed Cadmi filias, sororesque Semeles, quæ Dionysum educauerant, Pentheum discerpsisse scribit, qui etiam commemorat quas corporis partes singulæ abstulerint. Alij dixerunt cæsum fuisse à matre & à sororibus, quia per illis visus sit cum sacra sperneret. Fuerunt qui dixerint Lycurgum præterea cum sacra Liberi patris spreuisset, cæcum factum fuisse à Ioue, at non à Dionyso: quippe cum non minus Iupiter, quam quiuis Deorum, ad quem

illa

illa sacrificia pertinerent, esset vindex vel contemptæ vel etiam neglectæ religionis. atque de Lycurgi, supplicio ita scripsit Homerus lib. ζ. Iliad.

*οὐδὲ γὰρ οὐδὲ Δρύαντος υἱὸς κρατερὸς Λυκόοργος*
*δὴν ἦν, ὅς ῥα θεοῖσιν ἐπουρανίοισιν ἔριζεν·*
*ὅς ποτε μαινομένοιο Διωνύσοιο τιθήνας*
*σεῦε κατ' ἠγάθεον Νυσήϊον· αἱ δ' ἅμα πᾶσαι*
*θύσθλα χαμαὶ κατέχευαν ὑπ' ἀνδροφόνοιο Λυκούργου,*
*θεινόμεναι βουπλῆγι· Διώνυσος δὲ φοβηθεὶς*
*δύσεθ' ἁλὸς κατὰ κῦμα· Θέτις δ' ὑπεδέξατο κόλπῳ*
*δειδιότα· κρατερὸς γὰρ ἔχε τρόμος ἀνδρὸς ὁμοκλῇ.*
*τῷ μὲν ἔπειτ' ὀδύσαντο θεοὶ ῥεῖα ζώοντες·*
*καί μιν τυφλὸν ἔθηκε Κρόνου πάϊς.*

*Nec diuturnus & ipse Dryantis semine natus*
*Inde Lycurgus erat superos ut temnere cœpit:*
*Qui quondam, ut Bacchi altrices furor egit, inique*
*Collibus exagitat Nysseis undique. at illa*
*Fuderunt omnes fugientes sacra, Lycurgus*
*Vt voluit: Bacchus petijt mare, tum Thetis ipsum*
*Accipit in gremium trepidantem, & multa timentem.*
*Illum odere Dei felicia tempora vitæ*
*Degentes: cæcum fecit quem Iupiter ipse.*

Fuit autẽ Thraciæ Rex Lycurgus, vt ait Hor. in 2. lib. Carm.

*Fas & beatæ coniugis additum*
*Stellis honorem, tectaque Penthei*
*Disiecta non leni ruina,*
*Thracis & exitium Lycurgi.*

Nam fertur Bacchus, vt hic attigit Horatius, coronã quam sua vxor gestabat Ariadna, post Ariadnæ mortem ad sempiternam eius memoriam inster stellas collocasse. quare ita scripsit Aratus in Astronomicis:

*αὐτοῦ κἀκεῖνος στέφανος, τὸν ἀγαυὸν ἔθηκεν*
*σῆμ' ἔμεναι Διόνυσος ἀποιχομένης Ἀριάδνης.*

*Atque corona nitet, clarum inter sidera signum,*
*Defunctæ quam Bacchus ibi dedit esse Aridnæ.*

Alij dicunt Lycurgum sibi crura amputasse, quia vites cæderet in contemptũ Bacchi Diagondas Thebanus demum in nullas neq; domesticas calamitates, neq, publicas incurrit, qui vt testatur Cicero in secundo de Legibus, omnis nocturna sacrificia, propter eorum turpitudines perpe-

sua lege sustulit. Fuerunt autem res & miracula quæ contingebant in sacrificiis illorum Deorum, quæ homines ad illorum cultum religionemq; impellebant. Nam scriptum reliquit Pausanias in Achaicis Liberi patris simulacrum, quod in diuisione prædæ Troianæ Eurypylo obtigit, quod in arca quadã includebatur, subito visum mentis inopes facere solitum omnes qui illud vidissent. Neque illud sane paruæ fuit admirationis quod accidebat in Elide, vt ait Pausanias in posterioribus Eliacis: quod tres lagenas vacuas per diem eius festum tres sacerdotes deponebãt in templo præsentibus ciuibus & peregrinis, si qui adesse cuperent: mox foribus clausis & vel à sacerdotibus, vel ab alijs volentibus obsignatis suo cuiusque annulo, postero die cognitis signis ac reclusis foribus lagenas plenas vino suauissimo inueniebant. Dicitur Staphylus Bacchi fuisse filius, cuius proneptibus admiranda munera largitus fuit: nam cum Staphyli filiam Rhio compressisset Apollo, illudque Staphylus sensisset quod esset grauida, illam in arcam inclusit, & in mare deiecit. arca in Eubœam postmodo delata in spelunca quadam Anium peperit, quem ita è mœrore nominauit. Hanc Apollo detulit in Delum, vt scripsit Semus Delius in rebus Deliacis. Hic Anius postea è Dorippe nympha Spermo, OEno, & Elaidẽ suscepit, quibus Apollo concessit, vt quoties optarent vel vinum vel semina vel oleum caperent, pro suorũ nominum significatione; quippe quod hæc ipsa nomina hoc significarent. Fuerunt præterea eiusdem Bacchi filii & Hymenæus, & Thyoneus: atq; Bacchus ex Ariadna Ceranaum, Tauropolim, Euanthen, Latramym, Thoantẽ, OEnopionẽ suscepit: Carmonem ex Alexitæa, qui venans ab apro fuit interfectus: è Chthonophyle Phliantem, qui fuit cum reliquis Argonautis: Narcæum è Physcoa, qui primus honores Bacchi apud Elienses instituit. Herodotus in Euterpe Apollinem & Dianam ex Iside & Osiri, quem Liberum patrem esse diximus, natos esse scribit. Atque multa fuerunt Bacchi cognomina, vt Deorum cæterorum, quibus de causis dictum est. Nam Hedereus Bacchus dictus est Acharnis, quia ibi primum hedera fuit inuenta: & Cantor, quia cum Musis versaretur: & Seruator, Melanægis, Lysius, Psilaneus, Leucanius, Lamptera. Dictus est Dionysus à Die insula vna è Cycladibus, quæ & Naxos vocabatur,

quæ

quæ illi post ductam Ariadnam consecrata fuit, & à Nysa ciuitate, in qua regnauit. Alij maluerunt dictum fuisse Dionysum, quia mentem excitet: nam Δία mentem appellãt, νύσσω, autem pungo significat, vt ait Ioannes Diaconus, Bacchus à furore dictus est; Bromius à strepitu & clamore ebriosorum; Liber pater aut Lyæus, quod idem est, quia vinum liberius haustum à curis liberet, ac lætos faciat; Lenæus, à torcularibus; Nysæus, quia stimulus fit ad furorem; Dithyrambus, quia è duobus portis exierit, vel (vt alij sentiunt) quia in antro duas portas habēte fuerit educatus; Bimater, quod eum Semele mater in vtero, Iupiter illigatum femori vsque ad iustum pariendi tempus gestauerit. Fabulati sunt antiqui Bacchũ fuisse Iouis femori assutum, quia educatus sit in specu Neri montis, qui est apud Nysam clarissimam olim Indiæ ciuitatem, qui mons Neros Iouis erat consecratus, Ignigena, quia natus sit è matris incendio; Bassareus ab oppido Lydiæ Bassara, vbi præcipua religione colebatur, vel à Bassaride veste talari, qua in eius sacrificijs Bassarides Bacchę vtebantur; Brisæus à Brisa Lesbi promõtorio, in quo colebatur, vel à Brisa pressorum vinaceorum massa, vel à βρεμέω, quod fremere ac vociferari significat; Iacchus ab ἰαχχέω clamo; Eleleus, quia furoris & bellorũ sit autor plerunque: nã vtebãtur hac vocę ἐλελεῦ in hymnis & pæanibus, quib. homines incitabant ad bellũ. Thyoneus à matre Semele, quæ dicta fuit ēt Θυώνη, quam grauidã furēte introduxit Æschylus; Euan, quod ea voce vterētur diuinitus afflati, Nyctelius, quia per noctē vociferationis esset autor; Euchius, qui large fundat, vel in cyathos in conuiuiis, vel è torcularib. per vindemiam. Atque hæc ea sunt fere, quæ de Baccho ab antiquis scriptoribus sunt tradita.

¶ Cum Thebanus fuerit Bacchus, & Penthei, Actæonis, Learchiq; infelicissimorũ hominũ affinis, vt ait Lucianus in Concilio Deorũ, patet illum hominē mortalem & mortalium calamitatib. obnoxium fuisse. Quãuis Plut. in Pelopida & illũ & Herculē ob virtutũ pręstantiã patiendi facultatē deposuisse scribit: ὥσ αὐτως οἱ τὸ ποιὸν γενέσθαι τῷ θεῷ συνοικεῖν. τὸ γὰρ πλεῖστα παραλείπω τῶν τεκμηρίων. οὐ γὰρ ἐν τοῖς ἐκ μεταβολῆς ἀθανάτοις γενομένοις γεννητοῖς ὁ πάτριος λόγος τὸν θεὸν τοῦτον ἀπολείπει δαίμοσιν, ὥσπερ Ἡρακλέα καὶ Διόνυσον, ἐκ μεταβολῆς, ἀρετῇ τὸ θνητὸν καὶ παθητὸν ἀποβαλόν-

τας. ἀλλὰ τῶν ἀϊδίων καὶ ἀγεννήτων εἷς ἐστιν, εἰ δεῖ τοῖς ὑπὸ τῶν φρονιμωτάτων καὶ παλαιοτάτων λεγομένοις τεκμαίρεσθαι περὶ τῶν τηλικούτων. *Eodem pacto & ortus rationem his conuenire inquiunt: nam coniecturas plurimas relinquendas censui. Non enim iis qui nati sunt, immortalibus factis ex aliqua mutatione, lex aut mos patrius Deum hunc coniungere patitur, sicuti Herculem & Dionysum, qui ob virtutum suarum praestantiam patiendi facultatem ac mortalitatem abiecerunt. Sed vnus est Apollo, quantum coniectura assequi possumus ex iis, qui & sempiterni, & nunquam geniti ab antiquissimis & sapientissimis hominibus crediti sunt.* Bacchus filius Semeles fuisse fingitur, quia vinum filius est vitis: nam Semele nuncupata est ἀπὸ τοῦ σείειν τὰ μέλη, à concutiendis membris scilicet. vel quod arbor ipsa maxime cæterarum arborum membra, ramos scilicet, mollia & ventis facile agitanda præbeat: vel quod vitis per vinum membra hominum inflectat ac regat. Iouis item filius dicebatur, quia innatus est vino calor quidam, & ab ipsa natura insitus: neque potest nisi in locis calidis, aut in moderato calore saltem vitis nasci. Fingitur ideo Semeles combustæ natus è cineribus, quia cineris natura cum inclusum calorem intra se, ac nescio quid pingue habeat, quod plurimum prosit vitibus. Alij Iouis & Proserpinæ filium Bacchum esse dixerunt, quod vitis, sicuti reliquorum omnium fere, maxime principia terram, tanquam materiam, calorem, tanquam artificem, esse arbitrentur Iouis femori assutus fuisse dicitur, quia caloris maxime cupida sit vitis: neque sine illo viuere potest, aut esse fructifera: quare per arctiores hyemes vites cõplures moriũtur. Illũ educasse Nymphæ dicuntur è matris cineribus excipientesq́, quoniã omnium arborũ vitis est humidissima cuius fructus si aquã modice sortiatur, multo fit salubrior & crescit eodem tempore. Dicitur delatus in Ægyptum ob loci calorem terræq; feracitatem, cuius loci similitudinem vitis requirit. Idem Deus prohibentium ingenio alios fecit audaciores, alios loquaces ac timidos tanquam fœminas: quare & mas & fœmina creditus est. Hunc Musarum comitem cẽsuerunt, quia vini calor excitet ingenium. nam & disertos & audaces & fortes faciunt meracioris pocula, vt nos lusimus in nostris Venationibus, vbi scribitur:

*Bacche ferox hominum domitor, domitorque ferarum,*

Nec

*Nec solum Tanaim, gentemq; binominis Istri,*
*Bistoniosq; sinus, eoa & littora terra.* & quæ sequuntur. Idem & nudus & semper iuuenis habitus fuit, quia patefaciat secreta. Comitabantur hunc Deum Cobali malefici & & dolosi dæmones. inter quos Acratus principē locum obtinebat; quoniā multa sunt, quæ ebrietatē ac immoderatū bibēdi vsum cōsequuntur: loquacitas scilicet, & temeritas, rerum domesticarum profusio, impudētia, inimicitię, multaq; huiusmodi incōmoda cum clamore & strepitu, q̄ malos dæmones, & Cobalos, & dolosos antiqui vocitarunt. Nam pleriq; mortales sua vitia Dijs ipsis attribuerunt, velut ebrius Æschylus ebrium Bacchū introduxit in scenā, vt scripsit Chamælon, ꝙ tamen quidam tribuerunt Epicharmo. sic amore capti adulterium Veneri attribuerūt atq; addixerunt, milites crudelitatē bellorum Marti, reges raptū regni vel paterni Ioui. Enimuero ex ipsa ebriosorum natura lynces & tygres & pardi & pantheræ sectari, & eius currum trahere dicebantur: nam harum ferarum ingeniū & immanitatē vinum immodice bibentibus imprimit, furiososque efficit. Fingebātur hic Deus hinnulorū & caprarum pellib. indutus, quorū animalium alterum effœminatā ebriorum naturam significat, alterum infensum est vitibus. Idcirco etiam à mulieribus sacerdotibus plerumq; colebatur, quod ebriosorum natura magis fœminis, quā viris est similis. Illæ thyrsis & coronis ex hedera in sacrificiis vtebantur & smilacis, & abietis, & quercus, quia illæ arbores vites imitentur, ac non infestæ natura sint viribus. Quod columnas suę militię terminos in Oriente Bacchus, posuerit, id vero videtur ad historiam pertinere. Sed tamen & ad vitis peregrinationem spectat, quæ prius in Ægypto nata sit, & postea in Orientes regiones delata. Cur versus sit aliquando in leonē, manifestū esse iudico. Cur laniatus fuit à Titanibus; ac sepultus deinde integer reuixit: hos, nihil aliud quam plantationē significat: nam è singulis propaginibus cæsis, vel ramis vitiū sub terra semisepultis integræ vites fertiles oriuntur. Dormiuit triēnium apud Proserpinā Bacchus, quoniā ante id tempus cū vites non sint feraces, dicuntur dormire apud Proserpinā, cū vites maxime in radices crescāt. Capite fingebātur taurino & cornutus, quia obest immoderate bibentib. vel dicitur cornutus, quia prior boues iūxit, vel quia

sit vis Solis penetrãs. Hunc cum tripudijs colere soliti sunt antiqui ad titubantium & ebriosorum imitationem. Alij Dionysum Solem esse arbitrati sunt vt Cererem Lunam, sicuti testatur Virg. lib. 1. Georg. in his:

——— *Vos ô clarissima mundi*
*Lumina, labentem cœlo quæ ducitis annum,*
*Liber & alma Ceres.*

Et Orpheus in hymnis:

πρῶτος δ' ἐς φάος ἦλθε, Διόνυσος δ' ἐπεκλήθη,
οὕνεκα δινεῖται κατ' ἀπείρονα μακρὸν ὄλυμπον.
*Primus it in lucem, ac Dionysus dicitur idem,*
*Immensum circa cœlum quod voluitur alte.*

Verum id apertius carmen eiusdem poetę significauit, eundem esse scilicet Solem & Dionysum:

ἥλιος, ὃν Διόνυσον ἐπίκλησιν καλέουσι.
*Sol clarus, Dionysum quem cognomine dicunt.*

Et Eumolphus in Bacchis carminibus:

ἀστροφαῆ Διόνυσον ἐν ἀκτίνεσσι πυρωπόν.
*Flammiferos inter radios Dionysus Olympi.*

Cui etiam nebridis pellem gestamen tribuerunt ob varietatem stellarum. Ad Solis igitur motus imitationem illum per tripudia coluerunt, significantes assidue vapores è terra extrahi, sursumque attolli, ex quibus deorsum postea per imbres delatos omnia genera plantarum & animalium aluntur. Hæc eadem caussa fuit cur Phallus in sacrificiis Dionysi, tanquam patris generationis, cum pompa, portaretur. Hunc è Ioue & Semele combusta natum arbitrati sunt, quia astra ignea esse putarunt; & ex ignis natura à Deo fabrefacta. Alij Proserpinam matrem tribuerunt, quod sub terra latere putetur, vt ex ea videatur oriri. Huic cætera, quæ Baccho tributa fuisse diximus, iniunxerunt propter vim modo caloris nimij, modo frigoris, modo ob temperiem, cum per illum cuncta gignantur. Hunc sepultum integrum reuiuiscere fabulantur ob anniuersarias caloris vicissitudines: quippe cum debilissimus aliquando exsistens paulatim vires resumat, dum integer & validus fiat. Ægyptij tamen scriptores longe diuersa pleraque à Græcis literarum monumentis tradiderunt; nam Bacchum, quem Osirim vocarũt, nutritum fuisse inquiunt in Nysa vrbe fœlicis Arabiæ, qui cum esset Iouis filius, & à patre & à loco

nomen

nomen sortitus est postmodo apud Græcos atque Nysa est vrbs, de qua ita meminit poëta:

ἔστι δέ τι Νύσης ἄβατον ὄρος, ἀνθέον ὕλῃ,
τηλοῦ Φοινίκης, σχεδὸν ὠκεανοῖο ῥοάων.
*Altus, inaccessus Nysæ est mons, floridus: ille*
*Haud procul Oceano, Phœnicum terra remota est.*

Dicitur vitem inuenisse apud Nysam, & excogitauisse cultum eius fructus, deinde cæteros homines docui vino vti. His addiderunt quod Osiris qui regnauit post Vulcanũ in Ægypto, decreuit rebus Ægyptiis constitutis orbem terrarum peragrare, ac de hominibus omnibus non modo præsentibus, sed etiam posteris bene mereri, docereq; sationem frumenti & hordei & cultum vitium, cum sic fore arbitraretur, vt cessarent à feritate, diuinosque honores ipse mereretur ab illis qui ad mitiorem diætam fuissent reuocati. illo consilio dicitur res Ægyptias instituisse, ac summam rerum tradidisse vxori, cui consultorem reliquit Mercurium: summum imperatorẽ regionis vniuersæ reliquit Herculem celebrem ob vires corporis, & affinitate coniunctum: Busirim Phœniciæ, Antæum Æthiopiæ ac Libyæ præfecit. Secum adduxit multas copias, & fratrem qui vocatus est Apollo à Græcis, inuentorem lauri plantæ, cum Osiris hederam etiam inuenisset, quæ illi sacra credita est, vt etiam Dionyso apud Græcos. Secuti sunt Osirim duo filii Anubis & Macedo, qui ad ostentandam fortitudinem insignia in armis vsurpabant non ineptorum animalium ad audaciam. Nam Macedo in armorum insignibus gestabat priorem partem lupi: at Anubis pileũ ad eandem formã. Secutus est & Pan, cuius magna erat apud Ægyptios existimatio, & Triptolemus & Maro, qui culturã agrorũ & plantę vitis ostentarẽt. Sic Osiris iter aggressus decreuit crines non tondere anteq̃ in patriã rediisset, ex quo mãsit postea consuetudo vt peregrinatores capillos nutrirent donec domum rediissent. His addũt se Satyros adiunxisse, cũ venisset in Arabiã, & choros musicorũ: inter quos nouẽ virgines fuerunt canẽdi peritæ, quæ Musæ à Græcis sunt vocatæ. Cæterum Osiris primum per Æthiopiam iter fecit, deinde per Arabiã apud mare Erythreũ ad Indos vsq; & extremos fines cõtinẽtis, vbi multas vrbes condidit, & Nysam inprimis, vbi hederam plantauit, quod esset indicium eius peregrinationis, columnasq;

erexit vbiq; ad profectionis terminorum memoriam. Mox peruenit in Hellespontu & in Europam ac Thraciã; & Lycurgum repugnantem iis quæ faceret, interemit; vbi etiam reliquit senescentem Maronem, qui Maroneam ciuitatem condidit, ac de suo nomine appellauit. Alterum filium Macedonem reliquit regem illius regionis, quæ ab illo Macedonia postmodo fuit appellata. Triptolemum reliquit in Attico solo, qui omnes cultum agrorum ac vinearũ doceret. denique ob beneficia diuini honores illi sunt habiti, atque is in Deorũ numerum est relatus. Ægyptiis visi sunt nugati illi Græci qui natum esse Bacchum Thebis dixerunt è Semele & Ioue, quod accidisse inquiunt, quia Orpheus in Ægyptũ profectus cum mysteria perdidicisset quod esset amicus Cadmeis, à quibus honoratus fuerat, gratificãs Thebanis ea dicitur de Dionyso confinxisse: vulgus autẽ partim ob inscitiã, partim etiam quia vellet Deum suum ciuẽ putari, quæ spectant ad eius ortum facile complexum est, & ad alias nationes transmisit. Huic rei dicitur dedisse occasionẽ infans, qui natus est è filia Cadmi Semele ex occulto coitu, quem dixerũt è Ioue fuisse conceptũ: qui cum forma & ingenio præstitisse postea visus esset, Orpheus peritus rerum omnium Osiridis, ritus & mores sacrorum apud Grecos instituit, à quo & mythologi seu fabularũ scriptores & poetæ postmodo argumẽta sumpserunt, immutabilemq; opinionem ad posteros de illo constituerunt. aiunt non vinum solum à Dionyso inuentum fuisse, sed etiam potũ ex hordeo Zythũ vocatum, qui parum differt odore a vino, quem docuit eas nationes, quarum regio nõ est vitium patiens. Primus omniũ duxit triumphum; qui etiã cum mitra circa caput. vsus fuisset, mansit postea cõsuetudo regibus, vt ad eius imitationem diademate vterentur. Cum vero per triennium peregrinatus esset, ad eius temporis memoriam Bœoti & Thraces & reliqui Græci Trieterica sacra instituerũt. Quidam tamen ex Ægyptiis longe diuersa ab his quæ hactenus dicta sunt, de ortu Dionysi tradiderunt: aiunt enim Ammonem regem partis Libyæ, qui Cœli filiam ac Saturni sororem duxerat, cum viseret regionẽ ad montes Ceraunios reperisse virginem forma egregia Amaltheam nomine cum qua congressus filium genuit. qui cum postea forma & robore esset insignis, Dionysus fuit vocatus. Amaltheam cõ-

stituit

ſtituit reginam propinqui loci, cuius loci figura cum eſſet cornu bouis ſimilis, dictum eſt cornu Heſperidum. ob fertilitatem vero regionis, quæ multiplices domeſticorũ fructuum arbores produceret, regio vocata eſt cornu Amaltheæ. Cæterum Ammon veritus Rheę zelotypiam puerum in Niſam quandam vrbem deferri curauit longe ab iis locis diſtantem. quæ erat in quadam inſula à Tritone fluuio cõprehenſa, ad præcipitem locum vbi fuerunt anguſtiæ quædam, quas portas Nyſæas vocarunt. Erat ibi regio peramœna, mollibus pratis diſtincta, locuſq; irriguis multis aquis lympidis ſcatentib. abundabat, omni fructiferarum arborum genere conſitus, cum multæ etiam optimæ vites ſpõte naſcerentur. afflabatur locus multis amœniſſimis ac ſaluberrimis ventis, quare incolę longiſſima ætate fruebantur, cum regionis ingreſſus multis condenſis altiſque arborib. ſepiretur, & vallib. ſatis profundis, ita vt Sol non facile poſſet penetrare, ac vix lumen ipſius Solis. ad omnes acceſſus fontes fuerunt dulciũ aquarum, cum ſemper virentes & odoriferæ arbores multæ eſſent, & ſuaues flores, & variarum auium cantus. atq; vt vno verbo concludã, nihil prorſus ad abſolutã voluptatem habitãtium ibi deſiderari poterat. Illuc vbi Ammon acceſſiſſet, filiũ alendũ dicitur dediſſe Niſę vni filiarum Ariſtæi, cuius tutorem inſtituit ipſum Ariſtæũ virum prudentia, omniq; genere diſciplinarum præſtantẽ. at Palladẽ præfecit deuitãdis inſidiis nouercæ, quæ paulo ante ad fluuium Tritonem è terra edita viſa Tritonia fuit appellata. Enimuero cum Rhea poſtea virtutem & gloriam Dionyſi priuigni vbiq; celebrari audiuiſſet, irata eſt Ammoni, Dionyſumq; omni arte procurauit capere, quod cum facere nequiuiſſet, reliquit Ammonem, & ad fratres Titanes confugit; apud Saturnumq; fratrem habitare decreuit. Perſuaſit etiam Saturno vt cum cæteris bellum aduerſus Ammonẽ ſuſciperet, quod factitatum eſt. Ammonem inquiũt annonæ penuria laborantẽ in Cretam neceſſario cõfugiſſe, duxiſſeq; filiam vnius Curetum tũc imperantium Cretam nomine, atque inſulam prius Ideam nominatam ab vxore Cretam vocaſſe. Saturnus occupatis à ſe locis Ammonis, cũ nimis acerbe imperare viſus eſſet, magnũ odium ſubditorum in ſe concitauit, nec ita multo poſt cum magnis copiis comparatis aduerſus Nyſam & Dionyſum militauit.

Dionysus audita fuga paterna & Titanum in se expeditione, multos milites è Nysa collegit. & inter hos ductos pedites robore, beneuolentia erga ipsum, & officiis præstantes. his accesserunt collectitiæ copiæ è Lybia, & magna manus Amazonum, quæ etiam eo libentius aduētarunt, quod intelligebant se Palladem rerum militarium studiosam sociam belli esse habituras. Sic marium summus imperator Dionysus, fœminarū Pallas ductabat exercitum. Inito prælio multis vtrinq; cadētibus. Saturnus vulneratus est, ac victoria fuit penes Dionysum, cuius præclara virtus illo die præcipue enituit. Titanes fuga se seruarūt in loca Ammonis, quos per deditionē postea captos libertati restituit. optionemq; dedit an secū vellēt militare vel abire, q omnes secū militarunt, ac Dionysum tanquā Deum salubrem coluerunt, Aiunt expeditionem aduersus Saturnum, fuisse susceptam militantib. vna nobilissimis Nyseis qui Sileni sunt vocati, cum primus qui regnauit Nysæ, Silenus nominaretur. In itinere multa monstra domuit, desertasque regiones colonis repleuit. Saturnus Dionysi copiis auditis vrbē succendit, abductaq; secum Rhea & quibusdam amicis per obscuritatem noctis ex vrbe diffugit. Sed cum in custodias vbiq; distributas incidissent, venissentq; in potestatem Dionysi: non modo nihil inhumanū passi sunt, etiā vltro inuitati vt pro paterna charitate in posterum cum ipso vna viuerent, omnē debitam reuerentiam ob coniunctionē sanguinis consecuturi. Sed cum denuo Titanes clam arma parassent, ab eodē victi pugna ad vnum sunt trucidati. Hęc ab Ægyptiis & alia pleraq; memorię prodita sunt de Dionyso. Quidam etiam dixerunt illum è Ioue ac Cerere natū esse, & discerptum à terrigenis & coctū, sed à Cerere compactis membris rursus iuuenē reuixisse, quæ certe omnia spectant ad culturā vitis & vini expressionē. dicunt enim illud significare è terra & imbre capere incrementum, vinumq; ex expresso racemo producere. à Terrigenis iuuenē conuelli, est nimirū ab agricolis transplantari, cum terra sit Ceres, quæ ramis denuo dat vitā coctionem addiderunt, quia plurimi vinū coquūt quo pacto magis seruatur, vt inquit Diodorus Siculus in historiis lib 3. Alii duplicem eius ortum tradiderunt, quia vel ante diluuiū hæc planta floruerit, & cum per diluuiū Deucalionis appareret extincta, mox repullularit.

Alii

alii tres fuiſſe Dionyſos aiunt variis temporibus, quib. ſingulis proprias res geſtas tribuerunt: alii vnum, qui omnia fecerit prædicta, & vinum & ficus inuenerit, quem barbatum eſſe dixerunt: atq; illi primum fuiſſe Induum vitis & ficus autorem, ſecūdum Iouis & Proſerpinæ vel Cereris, qui prior boues aratro ſubiecerit, cum prius manibus homines terram colerent; quare etiam cornua tribuerunt eius ſtatuis. Sic autē de eius ortu breuiter Homerus ait hymnicus:

οἱ μὲν γὰρ Δρακάνῳ σ' οἱ δ' Ἰκάρῳ ἠνεμόεσσῃ
φάσ', οἱ δ' ἐν Νάξῳ δῖον γένος εἰραφιῶτα.
οἱ δέ σ' ἐπ' Ἀλφειῷ ποταμῷ βαθυδινήεντι·
ἄλλοι δ' ἐν Θήβαισιν ἄναξ σὲ λέγουσι γενέσθαι,
ψευδόμενοι. σὲ δ' ἔτικτε πατὴρ ἀνδρῶν τε θεῶν τε,
πολλὸν ἀπ' ἀνθρώπων, κρύπτων λευκώλενον Ἥρην,
ἔστι δέ τις Νύσης ἄβατον ὄρος, ἀνθέον ὕλῃ,
τηλοῦ Φοινίκης, σχεδὸν Αἰγύπτοιο ῥοάων.

*Hi Naxum, hi Dracanum, q; ferunt ill: Icaron eſſe*]
*Ventoſam patriam tibi magno vitiſatori:*
*Illi te natum eſſe Alphei ad fluminis vndam,*
*Aſt alii Thebis falſo dixere, ſed ipſe*
*Protulit in lucem te hominum ſator atq; Deorum,*
*Iunonemq; latens, mortaleſq;, occuluit te.*
*Altus, inacceſſus Nyſa mons eſt, ibi ſylua*
*Non procul Ægypto eſt procul à Phœnicibus agris.*

At de Dionyſo tot dicta ſint, nunc de Cerere dicamus.

## De Cerere. CAP. IV.

CEreren Saturni & Opis filiam, ſororemque Plutonis, & Iouis, & Iunonis fuiſſe memoriæ prodidit ita Heſiodus in Theogonia:

Ῥείη δ' αὖ δμηθεῖσα Κρόνῳ τέκε φαίδιμα τέκνα,
Ἑστίην, Δήμητρα, καὶ Ἥρην χρυσοπέδιλον,
ἴφθιμόν τ' Ἀΐδην ὃς ὑπὸ χθονὶ δώματα ναίει.

*Hinc Rhea progenuit Saturno pignora clara,*
*Iunonem, & Veſtam, Cererem, quique imperat vmbris*
*Plutonem fortem, ſub terris cui domus alta eſt.*

Hæc Dea cum pulcherrima eſſet, Iupiter, qui nullum ſtuprum, nullamque turpitudinem vel domeſticam deuitauit, captus fuit ſororis deſiderio, eamque compreſſit, ex quo nata eſt Proſerpina, vt teſtatur in his idem:

*αὐτὰρ ὁ Δήμητρος πολυφόρβης ἐς λέχος ἦλθεν,*
*ἣ τέκε Περσεφόνην λευκώλενον, ἣν Ἀϊδωνεὺς*
*ἥρπασεν ἧς παρὰ μητρός.*
*Diuus ille thorum Cereris conscendit & inde*
*Edit formosa est Proserpina: quam sibi Pluto*
*Surripuit de matre.*

Cum Neptunus etiam alter à fratribus eandem Cererem compressisset, filiam suscepit, quam nefas erat apud Græcos nominare: quam tamen & ipsam & Cererem Heras nominãtes quidam appellarunt, vt scriptum reliquit Pausanias in Arcadicis. Fuerunt tamen, qui non Heram, sed equum è Cerere natum esse ex eo partu dixerint: quare fabulati sunt, quod Ceres ob equum à se genitum, partim ob iram in Neptunum, partim ob pudorẽ, nigras vestes sumpsit eo tempore, atque lucem Deorumque conspectum fugiens se in specum obscurissimam abdidit. Deinde cum omnes terræ fructus corrumperentur, pestisque passim homines & animalia omnia conficeret, Diis omnibus Cereris latebras ignorantibus, Pan, cum per Arcadiam venando vagaretur, illam vidit, ac Ioui indicauit, quo à Parcis missis, iram deponere precantibus, placata est. Fuerunt tamen, qui non hac de causa id contigisse inquiant, sed cum ea percepisset, quæ de raptu Proserpinæ contigerunt. Hæc tamen non contenta fuit à duobus fratribus pollutam fuisse suam pudicitiam, sed semper, vt pleræque mulieres, noua & maiora appetens, Iasionem Iouis & Electræ filium adamauit, vt testatur Homerus lib. 5. Odyssæ:

*ὡς δ᾽ ὁπότ᾽ Ἰασίωνι ἐϋπλόκαμος Δημήτηρ*
*ᾧ θυμῷ εἴξασα μίγη φιλότητι καὶ εὐνῇ,*
*νειῷ ἔνι τριπόλῳ· οὐδὲ δὴν ἦεν ἄπυστος*
*Ζεὺς ὅς μιν κατέπεφνε βαλὼν ἀργῆτι κεραυνῷ.*
*Ipsa sequens animum in lecto est coniuncta, nouali*
*Interea ter passi fuit qua vulnus aratri.*
*Non tamen ille Iouem latuit: sed fulminis igne*
*Flagrantis cecidit cinerem conuersus in atrum.*

Cum enim Iupiter filium haberet riualem, illum ferre non potuit. Ex Iasione igitur & Cerere natus est Plutus, vt ait enarrator Theocriti: quem cæcum immerito finxerunt antiqui, cum paupertati magis illud conueniret: quoniam vel

vel ſapientiſſimi homines ſi ſint inopes, apparent omnibus propeinſulſi, ſine conſilio, ſine iudicio, ſine prudentia, ſine mentis acumine: cum horum omnium opinionem diuitiæ ſecum afferant. Nihil enim non ſapientiſſimum iudicatur, & aureum, quod proficiſcatur ab opulento ore. Ipſum tamen Iaſionem nonnulli non Iouis & Electræ filium fuiſſe ſenſerunt; vt putauit Iſacius, ſed Minois & Phroniæ: cum quo in prato dormiente congreſſa ſit Ceres ac Plutum genuerit. Habitauit Ceres Corcyræ aliquando, quæ ita vocata fuit à Corcyra filia Aſopi ibi ſepulta, vt ſcripſit Apollonides in Europæ nauigatione, cum illam inſulam Drepanum antea nominarent, vt ſcripſit Apollonius libro quarto Argonauticorum:

*ἀμφιλαφὴς πίειρα κεραυνίη εἰν ἀλὶ νῆσος·*
*ᾗ ὕπο δὴ κεῖσθαι δρέπανον φάτις (ἵλατε μοῦσαι,*
*οὐκ ἐθέλων ἐνέπω προτέρων ἔπος) ᾧ ἀπὸ πατρὸς*
*μήδεα νηλειῶς ἔταμε Κρόνος· οἱ δέ ἑ Δηοῦς*
*κλείουσι χθονίης καλαμητόμον ἔμμεναι ἅρπην.*
*Δηὼ γὰρ κείνῃ ἐνὶ δή ποτε νάσσατο γαίῃ.*
*Inſula præpinguis, ſtatio gratiſſima nautis,*
*Fluctibus alluitur, ſub qua (mihi parcite Muſæ*
*Non dico hæc arcana lubens) falx conditur illa*
*Qua ſecuit patrem Saturnus, ſunt quoq; falcem*
*Qui dicant Cereris, qua ſueuit cædere meſſes.*
*Namq; Ceres quondam terris habitauit in illis.*

Fuerunt enim qui non à Saturni falce, ſed ab illa quā Ceres à Vulcano expediuit, vt Titanes metere doceret, vocatum Drepanum putarint: vel qua ipſa meteret, vt ait Iſacius. Fuit autē Siciliæ ciuitas Drepanum non procul ab Eryce mōte: atq; tota Sicilia fuit Cereri conſecrata, ſicuti ſcripſit actione ſexta in C. Verrē Cicero in his: Vetus eſt hæc opinio, Iudices, quæ conſtat ex antiquiſſimis Græcorum literis, atq; monimentis, inſulam Siciliam totam eſſe Cereri & Liberæ cōſecratā; Huius filia idcirco in Sicilia rapta fuit à Plutone & ad inferos delata, vt diximus, quæ prorſus recuperari nō potuit, quoniam apud inferos mali Punici grana guſtaſſet. Celebrabantur Theſmophoria in honorem Cereris, quæ à Triptolemo primū pro accepto ſerendi munere ac frugib. in Eleuſio oppido fuerunt inſtituta. Nam fama eſt Cererē cū per orbem terrarū filiam quærens vagaretur perueniſſe

*αὐτὰρ ὁ Δήμητρος πολυφόρβης ἐς λέχος ἦλθεν,*
*ἣ τέκε Περσεφόνην λευκώλενον, ἣν Ἀϊδωνεὺς*
*ἥρπασεν ἧς παρὰ μητρός.*

*Diuitis ille thorum Cereris conscendit & inde*
*Edita formosa est Proserpina: quam sibi Pluto*
*Surripuit de matre.*

Cum Neptunus etiam alter à fratribus eandem Cererem compressisset, filiam suscepit, quam nefas erat apud Græcos nominare: quam tamen & ipsam & Cererem Heras nominãtes quidam appellarunt, vt scriptum reliquit Pausanias in Arcadicis. Fuerunt tamen, qui non Heram, sed equum è Cerere natum esse ex eo partu dixerint: quare fabulati sunt, quod Ceres ob equum à se genitum, partim ob iram in Neptunum, partim ob pudorẽ, nigras vestes sumpsit eo tempore, atque lucem Deorumque conspectum fugiens se in specum obscurissimam abdidit. Deinde cum omnes terræ fructus corrumperentur, pestisque passim homines & animalia omnia conficeret, Diis omnibus Cereris latebras ignorantibus, Pan, cum per Arcadiam venando vagaretur, illam vidit, ac Ioui indicauit, quo à Parcis missis, iram deponere precantibus, placata est. Fuerunt tamen, qui non hac de causa id contigisse inquiant, sed cum ea percepisset, quæ de raptu Proserpinæ contigerunt. Hæc tamen non contenta fuit à duobus fratribus pollutam fuisse suam pudicitiam, sed semper, vt pleræque mulieres, noua & maiora appetens, Iasionem Iouis & Electræ filium adamauit, vt testatur Homerus lib. 5. Odyssæ:

*ὡς δ᾽ ὁπότ᾽ Ἰασίωνι ἐϋπλόκαμος Δημήτηρ*
*ᾧ θυμῷ εἴξασα μίγη φιλότητι καὶ εὐνῇ,*
*νειῷ ἔνι τριπόλῳ· οὐδὲ δὴν ἦεν ἄπυστος*
*Ζεύς, ὅς μιν κατέπεφνε βαλὼν ἀργῆτι κεραυνῷ.*
*Ipsa sequens animum in lecto est con iuncta, nouali*
*In terra ter passa fuit quæ vulnus aratri.*
*Non tamen ille Iouem latuit: sed fulminis igne*
*Flagrantis cecidit cinerem conuersus in atrum.*

Cum enim Iupiter filium haberet riualem, illum ferre non potuit. Ex Iasione igitur & Cerere natus est Plutus, vt ait enarrator Theocriti: quem cæcum immerito finxerunt antiqui, cum paupertati magis illud conueniret: quoniam

vel sapientissimi homines si sint inopes, apparent omnibus propeinsulsi, sine consilio, sine iudicio, sine prudentia, sine mentis acumine: cum horum omnium opinionem diuitiæ secum afferant. Nihil enim non sapientissimum iudicatur, & aureum, quod proficiscatur ab opulento ore. Ipsum tamen Iasionem nonnulli non Iouis & Electræ filium fuisse senserunt; vt putauit Isacius, sed Minois & Phroniæ: cum quo in prato dormiente congressa sit Ceres ac Plutum genuerit. Habitauit Ceres Corcyræ aliquando, quæ ita vocata fuit à Corcyra filia Asopi ibi sepulta, vt scripsit Apollonides in Europæ nauigatione, cum illam insulam Drepanum antea nominarent, vt scripsit Apollonius libro quarto Argonauticorum:

*ἀμφιλαφὴς πίειρα κεραυνίη εἰν ἁλὶ νῆσος·*
*ᾗ ὑπὸ δὴ κεῖσθαι δρέπανον φάτις (ἵλατε μοῦσαι,*
*οὐκ ἐθέλων ἐνέπω προτέρων ἔπος) ᾧ ἀπὸ πατρὸς*
*μήδεα νηλειῶς ἔταμε Κρόνος· οἱ δέ ἑ Δηοῦς*
*κλείουσι χθονίης καλαμητόμον ἔμμεναι ἅρπην.*
*Δηὼ γὰρ κείνῃ ἐνί δή ποτε νάσσατο γαίῃ.*
*Insula præpinguis, statio gratissima nautis,*
*Flectibus alluitur, sub qua (mihi parcite Musæ*
*Non dico hæc arcana lubens) falx conditur illa*
*Qua secuit patrem Saturnus, sunt quoque falcem*
*Qui dicant Cereris, qua sueuit cædere messes.*
*Namque Ceres quondam terris habitauit in illis.*

Fuerunt enim qui non à Saturni falce, sed ab illa quã Ceres à Vulcano expediuit, vt Titanes metere doceret, vocatum Drepanum putarint: vel qua ipsa meteret, vt ait Isacius. Fuit autẽ Siciliæ ciuitas Drepanum non procul ab Eryce mõte: atque tota Sicilia fuit Cereri consecrata, sicuti scripsit actione sexta in C. Verrẽ Cicero in his: Vetus est hæc opinio, Iudices, quæ constat ex antiquissimis Græcorum literis, atque monimentis, insulam Siciliam totam esse Cereri & Liberæ cõsecratã; Huius filia idcirco in Sicilia rapta fuit à Plutone & ad inferos delata, vt diximus, quæ prorsus recuperari nõ potuit, quoniam apud inferos mali Punici grana gustasset. Celebrabantur Thesmophoria in honorem Cereris, quæ à Triptolemo primũ pro accepto serendi munere ac frugib. in Eleusio oppido fuerunt instituta. Nam fama est Cererẽ cũ per orbem terrarũ filiam quærens vagaretur peruenisse

ad oppidũ, & ad oppidi eiusdem principem nomine Eleusium, cuius vxor Hyona, vt ait Lactantius, Triptolemũ pepererat: cui nutricẽ quærẽti Ceres vltro se obtulit, puerũq; diuino lacte nutritũ noctu clam sub igne occultabat. Is cũ egregie nutriretur per noctẽ, pater obseruans quo pacto id fieret, re visa exclamauit: quare irata Ceres Eleusium exanimauit, ac Triptolemo currum à draconib. tractum dedit vt vniuersos mortales sationem frugum doceret: sicuti testatur Callimachus in hymno in Cererem. Alii fabulantur Celeum à Cerere per quoddam tempus educatum fuisse tãquam filium: quem cum Dea vellet facere immortalem, assidue sub igne tegere solebat. verum cum id diutius fecisset, à quodam conspecta id facere destitit: neque immortalem reddere curauit, sed illum frumenti sationem docuit, vt ait Nicandri enarrator. Alii Triptolemi patrem Celeum fuisse memorarunt, dixeruntq; & patrem & filium sationem edoctos à Cerere fuisse. Alii Triptolemum Oceani & Terræ aiunt fuisse filium, vt testatus est Musæus, quem tamen Orpheus cum Ebuleo fratre Dysaulis filium fuisse credidit. Alii Cercyonem & Triptolemum fratres fuisse memoriæ prodiderunt. Alii dicunt Eumelum accepisse frugum sationem Triptolemo, ac Patras detulisse vna cum ratione condendarum vrbium, qui primum Aream ab ipsa ratione Patras vrbem nuncupauit. His addiderunt quidam Antheam Eumeli filium ausum fuisse dracones currui Triptolemi volucres adiungere; qui ab iis excussus diem suum obiit, vt ait Pausanias & Euanthes in historiis fabulosis. Fuit autem mos Thesmophoriis ne vinum adhiberetur matronæque initiarentur apud Athenienses; quæ perpetuam & incorruptam pudicitiam seruare decreuissent, quæ coronis viticeis ornabantur: atque horum sacrorum ritum & consuetudinem Thesmophoriorum ita descripsit enarrator Theocriti de sententia Thelyti Methymnæi ex Bacchicis carminibus: νόμος γὰρ ἦν Ἀθηναίοις κατ' ἔτος τελεῖν τὰ θεσμοφόρια ταῦτα παρθένοι γυναῖκες, καὶ τὸν βίον σεμναί, κατὰ τὴν ἡμέραν τῆς τελετῆς, τὰς νομίμους βίβλους καὶ ἱερὰς ὑπὲρ τῶν κορυφῶν αὐτῶν ἀνατιθεῖσαι, καὶ ὡσανεὶ λιτανεύουσαι, ἀπήρχοντο εἰς Ἐλευσῖνα. *Lex enim fuit Atheniensibus vt hæc Thesmophoria quotannis celebrarent virgines, mulieres, & vita honesta: quæ per solennitatis diem legitimos sacrosque libros super vertice gestantes,*

*tes tanquam supplicantes Eleusinem contenderent.* Hæc sacrificia cum prius Eleusini celebrarent, primus Eumolpus Delopes & Triptolemi filius ad Athenienses detulit: vel vt alij sunt arbitrati, inter quos Acesodorus, quintus ab illo Eumolpus, vt patet ex his Acesodori verbis: κατοικίσαι δὲ τὴν Ἐλευσῖνα ἱστοροῦσι, πρῶτον μὲν τοὺς αὐτόχθονας, εἶτα Θρᾷκας τοὺς μετ' Εὐμόλπου παραγενομένους πρὸς βοήθειαν, εἰς τὸν κατ' Ἐρεχθέως πόλεμον. τινὲς δὲ φασὶ καὶ τὸν Εὔμολπον εὑρεῖν τὴν μύησιν τὴν συντελουμένην κατ' ἐνιαυτὸν ἐν Ἐλευσῖνι Δήμητρι καὶ Κόρῃ. *Condidisse Eleusinem ciuitatem memorant primum quidem indigenas, postea Thraces eos qui cum Eumolpo suppetias ferentes accesserunt ad id bellum, quod aduersus Erechtheum exarsit. Alij vero dicunt Eumolpum ritum illum sacrificiorum inuenisse, quæ quotannis apud Eleusinos agebantur in honorem Cereris & Proserpinæ.* Quod vero illa fuerit consuetudo vt idcirco Eumolpidæ sacris Cereris initiarentur, essentque eorum sacrificiorum sacerdotes, ita testatur Sophocles in OEdipode in Colono:

| | |
|---|---|
| ὧν καὶ χρυσέα | *quorum & aurea* |
| κλῂς ἐπὶ γλώσσᾳ βέβακεν | *Clauis in lingua constitit,* |
| προσπόλων Εὐμολπιδᾶν. | *sacerdotum Eumolpidarum.* |

Herodotus tamen in Euterpe non à Triptolemo, aut ab aliquo Gręcorum initium habuisse scribit Thesmophoria, sed ex Ægypto ad Pelasgas mulieres primum à Danai filiabus fuisse delata: καὶ τῆς Δήμητρος τελετῆς πέρι τὴν οἱ Ἕλληνες θεσμοφόρια καλέουσι καὶ ταύτης μοι πέρι εὔστομα κείσθω, πλὴν ὅσον αὐτῆς ὁσίη ἐστὶ λέγειν. αἱ Δαναοῦ θυγατέρες ἦσαν αἱ τὴν τελετὴν ταύτην ἐξ Αἰγύπτου ἐξαγαγοῦσαι καὶ διδάξασαι τὰς Πελασγιώτιδας γυναῖκας. *Atque de Cereris solennitate, quam Græci Thesmophoria nominant mihi, faustum felixque sit omen, vt quantum fas est per religionem proferam. Fuerunt autem Danai filiæ, quæ hanc solennitatem ex Ægypto transtulerunt, mulieresque Pelasgas docuerunt.* Vtebantur in Sicilia in sacrificijs Cereris non floreis quidem coronis, neque in alijs eius sacrificijs, quia ob memoriam raptæ filiæ colligentis flores, illi fuerunt vetiti, at myrteis coronis, & è smilace, vel narcisso, vel croco vtebantur. vt ait enarrator Sophoclis. Cum igitur Ceres Proserpinam quærens vniuersum terrarũ orbem perlustrasset, facibus ex Ætna Siculæ monte accensis, ad illius imitationem Siciliæ mulieres vel viri per noctem

cum accensis facibus vociferãtes. Proserpinamque vocantes discurrebãt, quare Tędiferos antistites appellauit Strabo lib. 16. Cum igitur fuisset à Metanira & Hippothoonte Neptuni & Alopes filio in hospitium perbenignè accepta, Triptolemum sationem dicitur docuisse, quem alij Eleusij, alij Celei, alij Oceani, alij Dysaulis filium fuisse tradiderunt, vt testatur Pausanias in Atticis. Crediderunt nonnulli Triptolemum & Eubuleum fratres sationem à Cerere didicisse, quia illi primum filiæ raptum matri indicâssent. Fabulantur præterea quod cum hospitio accepta fuisset à Metanira Ceres, illique Metanira sacra faceret, eius filius Abas inuidit illius Deæ sacrificijs, grauiterque tulit quod mater sua illã accepisset, & sacra deridens nescio quid parũ decorum in ipsam Deam susurrauit: tunc vero Dea irata mistionem quandam, quam habebat in cratere, in illum infundens in stellionem dicitur Abantem conuertisse: quod ita testatur Nicander in Theriacis:

*ἔχθει καὶ σκαλαβώτης ἀπεχθέα βρόγματ' ἐάσιν*
*ἀσκαλάβου· τὸν μέν τ' ἱερῆς φάτις, οὕνεκ' Ἀχαιή*
*Δημήτηρ ἔσαλαψεν, ὅθ' ἄψεα σίνατο παιδὸς*
*κεχλιχορὸν περὶ φρῦας, ὅτ' ἐν Κελεοῖο θεράπναις*
*ἀρχαίην Μετάνειραν θηλὺ δείδεκτο περίφρων.*
*Inuisi hic adsunt stridores, stellio vilis*
*Quos edit fertur talem sumpsisse figuram*
*A Cerere irata deriso numine Diua*
*Infœlix puer ad puteum, Metanira labore*
*Hospitio vt fessam cepit, dum pignora quærit.*

Omnino vero boues iungere, & arare Ceres docuit mortales, vt testatur Orpheus in hymno in Cererem Eleus:

*ἣ πρώτη ζεύξασα βοῶν ἀροτῆρα τένοντα,*
*καὶ βίον ἱμερόεντα βροτοῖς πολύολβον ἀνεῖσα.*
*Colla boum quæ prima graui subiecit aratro,*
*Fœlicemq; dedit victum mortalibus agris.*

Fama est præterea quod cum fuisset apud Phytalum aliquando in hospitio, illi gratiam referens ficum plantam largita est, vt ait Pausanias in Atticis, & vt testantur illa carmina quæ Phytali sepulchro inscripta fuerant, quorum est sententia:

*Hic Cererem Phytalus tectis exceperat heros,*
*Cui primum sacri largita est semina pomi,*

Quam

*Quam ficum mortale genus vocat.*

Neque vero ficum ſolum aut frugum ſationem Cereri tribuunt, ſed inuentionem omnium leguminum, prætérquã fabæ: quippe cum de omnibus, à quibus comiter & liberaliter accepta fuit, dum Proſerpinam quæreret, benemereri ſtuderet, vt ſcripſit Pauſanias in Arcadicis. neq; ſolũ ſerendi rationem mortalib. tradidit Ceres, cum inutilis fore videretur illa ſcientia, niſi quo pacto frumentum cæderetur, & excuteretur, & è paleis ſecerneretur, & frãgeretur, didiciſſent ad panẽ conficiendum. quod illa igitur cędere & triturare docuerit, ita teſtatur Callima. in hymno in Cererem:

*κάλλιον ὡς καλάμην τε καὶ ἱερὰ δράγματα πρῶτον*
*ἀσταχύων ἀπέκοψε, καὶ ἐν βόας ἧκε πατῆσαι,*
*αὐίκα Τριπτόλεμος ἀγαθὴν ἐδιδάσκετο τέχναν.*
*Pulchrius vt calamos primum, ſacroſque maniplos*
*Strauit ariſtarum, calcare boueſque coegit;*
*Tunc, vbi Triptolemus per pulchras combibit artes.*

Quamuis non procul à monte Taygeto Laconum in vico quodam Aleſia vocato molam primum inuentam fuiſſe, & Myletum Lelegis filium molere fruges docuiſſe nõnulli tradiderũt ſatæ fuerunt & creuerunt primæ fruges apud Cephiſum amnem, qui per agrum Eleuſinum multo concitatiore curſu, quam in alijs locis deferebatur, in campis, quos Rarios vocarunt, vt teſtatur Pauſanias in Atticis. atq; ibidem locus oſtendebatur, vbi Pluto Proſerpinam rapuit, & vbi Eleuſiniorum fœminę primum chorum in honorem Cereris inſtituerunt non procul ab Agelaſto petra vocata, ſuper qua ſedit Ceres audito caſu Proſerpinæ, cui petræ ꝓpinquus fuit locus vocatus Callichorus. Atqui raptum & labores Cereris ita paucis complexus eſt Carcinus poeta tragicus, quos pertulit quærenda filia:

*λέγουσι, Δήμητρός ποτ' ἄρρητον κόρην*
*Πλούτωνα κρυφίοις ἁρπάσαι βουλεύμασι,*
*δῦναί τε γαίας εἰς μελαμφαεῖς μυχούς.*
*πόθῳ δὲ μητέρ' ἠφανισμένης κόρης*
*μαστῆρ' ἐπελθεῖν ἐν κύκλῳ χθόνα·*
*καὶ τὴν μὲν Αἰτναίοισι Σικελίας πάγοις*
*πυρὸς γέμουσαν ῥεύμασι δυσεμβόλοις*
*πᾶσαν στενάξαι· πένθεσι δὲ παρθένου*
*σίτων ἄμοιρον, διοτρεφὲς φθίνειν γένος.*

*ὅθεν θεὰς τιμῶσιν ἐς τὰ νῦν ἔτι.*

*Fama est Cereris quondam puellam, quam nefas*
*Est nominare, Ditis sententia*
*Raptam fuisse, nigra terraque atria*
*Intrasse: regiam, obsitam caligine.*
*Mater puellæ at acta desiderio*
*Errauit omnes quæritans terræ locos:*
*Scatentibus ignis Ætna & inde rupibus*
*Matris fuisse cognitos pro virgine*
*Luctus: ciborum hæc abstinens fuit diu.*
*Quare Deas gentes colunt has nunc quoque.*

Fuerunt tamen qui non solam Cererem autorem fuisse dixerint & inuentricem sationis, sed Osirim & Isidem etiam eius vxorem, Bacchum scilicet inuentionis socium addiderũt. nam hic cum magno exercitu & cum magno tibiarum fistularumq; concentu orbem peragrasse, & agriculturam mortales docuisse, memorantur. Alij frumentum sua sponte natum fuisse in Sicilia dicunt, quod cum à nemine colligeretur, in terram rursus recidebat: quod cum Cecrops Athenarum Rex è quodã percepisset, misit qui colligerent, & ad se asportarent. id cum Triptolemus prior cepisset, terramq; arasset, & id seuisset, vt quidã putarunt, ibi vbi nouæ fuerint Patræ, vt arbitrati sunt alij in agro. Eleusino, messemque succidisset, commẽtarios postea de cultu agrorum scripsit, qui ad omnes mortales peruagati sunt; è qua re fabula fuit conficta, quod Triptolemus orbem terrarum agrorum cultum omnibus mortalibus ostendens peragrauit. Gnosij autem, qui populi fuerunt Cretæ, vt ait Polyistor, contendebant cum Atticis hominibus frugum inuentionem primam apud se fuisse, at non in agro Atheniensi: quippe cum multa alia Cretenses priores inuenerint. nam & acies instruere, & nauibus longis vti, & sagittis eminus pugnare primi inuenerunt Cretes, & musicos modulos ab Idæis Dactylis primi obseruarunt è strepitu ac tinnitu æris, & literas à se inuentas in Latium intulerunt: quod tamen non est sine multorum cõtentione creditum, cũ multi plerumq; rei eiusdem dicantur fuisse inuentores, sicut de igne superius dicebamus, cuius inuentionẽ alij Baccho, alij Prometheo, alij Vulcano, alij fulmini alij Pyradæ Cilicis filio tribuerunt, quem aiunt primum è Silice ignem excudisse.

Quod

Quod autem Bacchus vna cum Cerere orbem eadē de caussa perlustrauerit, videtur illud esse argumento quod communia sacrificia apud Eleusinios Baccho & Cereri agebantur, vt testatur Sophoclis enarrator. Fuerunt Cereri non solum delubra, sed nemora etiā cōsecrata: quare fabulati sunt antiqui, quod cum eius nemus Erisichthon quidā Thessalus abscidisset, illi Ceres perpetuā famem immisit, fecitque ne vnquā posset cibo saturari: quippe cum vel per diem assidue præsentibus cibis vesceretur, vel etiam per noctē in somnijs sibi videretur præsentibus suauissimis vesci. Hic filiā habebat Mestram nomine veneficiorū peritissimam, quā in varias animalium rerumq; cæterarū formas mutatam frequenter vēdebat, quæ paulo post aufugiens rursus ad patrē priore forma recepta redibat; ita pro suis viribus paternæ fami opem ferebat. Fiebant etiam priuata huic Deæ sacrificia, cui post messem primitias frugum pro frumenti prouentu offerebant, & conuiuia celebrabantur inter coniunctos, vt testatur Theocritus his carminibus in Cerealibus:

ἀνέρες εὐπέπλῳ Δαμάτερι δαῖτα τελεῦντι
ὄλβω ἀπαρχόμενοι, μάλα γάρ σφισι πίονι μέτρῳ
ἁ δαίμων εὔκριθον ἀνεπλήρωσεν ἀλωάν.

*Namque viri Cereri celebrant conuiuia læta,*
*Primitiasque ferunt, quoniam plena area frugum*
*Frugifera messes siccauit munera Diua.*

Agebantur & Ambarualia à singulis agricolis, quæ lustrationes, purgationesque aruorum esse putabantur, & plurimum ad fertilitatem conferre. per ea vnusquisque paterfamilias hostiam deligebat in Cereris sacrificia, quam querna corona circa collum posita ornabat, eamq; ter circa sata ducebat, quam vniuersa familia quernis ramis coronati, Cererisque laudes canentes cum tripudijs comitabantur: idq; fiebat ineunte vere. Deinde post has lustrationes mulsum & lac offerebatur, cum alioquin vinum solum interesse Cereris sacrificijs iure sacrificiorum minime posset. Hunc sacrificiorum ritum vniuersum prope monstrauit Virgil. lib. 1. Georgicorum in his:

*Cuncta tibi Cererem pubes agrestis adoret:*
*Cui tu lacte fauos, & miti dilue Baccho,*
*Terque nouas circum felix eat hostia fruges,*
*Omnis quam chorus, & socij comitentur ouantes,*

*Et Cererem clamore vocent in tecta: neque ante*
*Falcem maturis quisquam supponat aristis,*
*Quam Cereri torta redimitus tempora quercu*
*Det motus incompositos, & carmina dicat.*

Colebatur Ceres apud Arcades Heræ nomine, cui sacra fiebant eo ritu, vt non, sicuti in cæteris, victimę iugularentur, sed quod membrum quisq; prius apprehenderat, id præcidebat, ac Deę offerebat, vt ait Pausanias. Hãc eandẽ Deam legum inuentricem fuisse scripsit Cicero actione septima in C. Verrem his verbis: A quibus initia vitæ atque victus, legum, morum, mansuetudinis, humanitatis exempla hominibus & ciuitatibus data ac dispertita esse dicuntur. loquitur enim de Cerere & Proserpina. Sic & Lucretius in libro 6. ab Atheniensibus initia frugum & legum in vniuersos homines manasse scribit:

*Prima frugiferos fœtus mortalibus ægris*
*Dididerunt quondam praclaro nomine Athenæ,*
*Et recreauerunt vitam, legesq; rogarunt.*

Significat & ipsum Thesmophoriorum nomẽ præterea legum autorẽ Cererem extitisse, cum θέμις lex sit, φέρω, ferre significet: quasi enim legifera sacra dicãtur. Nam cum frumenti semina inuẽta fuissent, homines, qui prius nullis legibus parebant glandibusque communi cibo vescebantur, atque omnia habebant communia; leges rogarunt, quibus sua pars terræ cuiq; fuit assignata: deinde leges latæ sunt de regendis finibus, de testamentis, & de emptionibus, quæ primum latæ sunt à Cerere, quia illa fuit legum ferẽdarum causa. Sic autem de illa scripsit Ouid. lib. 5. Metamorph.

*Prima Ceres vnco glebam dimouit aratro;*
*Prima dedit fruges, alimentaq; mitia terris;*
*Prima dedit leges. Cereris sunt omnia munus.*

Hanc Deam in curru vehi solitam ab anguibus tracto dixerunt poetæ, vt ait Orpheus in eo carmine:

*ἅρμα δρακοντείοισιν ὑποζεύξασα χαλινοῖς.*
*Dum Dea frenatos adiunxit curribus angues.*

Quem Triptolemo dicitur dedisse, vt frumenti semen in varias regiones asportaret, vt ait Ouid. lib. 5.

*geminos Dea fertilis angues*
*Curribus admouit, frenisq; coercuit iras.*

Huic Deæ sus, quia excauatis scrobibus fruges conuulsisset, me-

set, meritas luit pœnas, nam Triptolemus eo cognito facinore gratam rem se facturum Cereri putauit, si animal eius inuentis in fensum immolaret: quare suem ipsam ad aram Cereris extraxit, frugesque in caput conspersit, vt appareret qua de causa, & mox illam Cereri mactauit, vt ait Ouid. lib. 2. Fastorum:

*Prima Ceres auida gauisa est sanguine porca,*
*Vlta suas merito cæde nocen[tis] opes.*

Mactabatur & aries Cereri Vir[enti] cognomine in tēplo nō procul ab arce Atheniensium, [sic]ut testatur Eupolis in his:

ἀλλ' εὐθὺ πόλεως εἶμι. θῦσαι γάρ [με] δεῖ
κριὸν χλόῃ Δήμητρι.

*Sed recta ad vrbem eo, mihi quod est opus*
*Mactare arietem illic virenti Cereri.*

Sacrificabant Cereri olitores præcipue hoc nomine die sexto mensis Aprilis, quia per illa sacra feracitatem hortorum impetrare se putabant. Huic Deæ coronas spiceas offerebant, quæ pro foribus templorum appendebantur, vt ait Tibullus in his:

*Flaua Ceres tibi sit nostra de rure corona*
*Spica, quæ templi pendeat ante fores.*

Erant etiam papauera Cereri sacra, vt quidā crediderūt, ob feracitatē seminum; vt malunt alij, quia inter sata plerunq; nascerētur, & eundē cultum amēt: alij inter quos fuit Dercylus, quia somnū non posset percipere ob filiæ molestiam: in quem fuit papauerum beneficio adiuta quam plantā Lucinæ etiam quidam attribuerunt. Multa fuerunt huius Deæ cognomina ob rerum variarum euētus, vel ob loca, in quibus colebatur. Fuit Euchloa bene virens: Erinnys, quia preces exaudiat, vel quia habitet in terris; Ercynna, Panachæa, Mycalesina, Lepreata, Acesidora, Legifera, Ouifera, Pelasgis, Prosymna, Thermesia, Præses, Terrestris, Sacrosancta, atq; hęc ea sunt quæ de Cerere frugum autore Dea memoriæ prodita sunt ab antiquis. Hanc vocarunt Græci Δηώ, quia in omnes homines fuerit distributa, cum nihil aliud sit Ceres, quam frumentum, vt est in eo carmine:

Νύμφαι ὕδωρ, πῦρ Ἥφαιστος, σῖτος Δημήτηρ.
*Nymphæ aqua sunt, frumenta Ceres, Vulcanus at ignis.*

Cicero tamen in primo de natura Deorū Cererem terram esse scribit hoc pacto: idemque disputat, æthera esse eum

ad oppidũ, & ad oppidi eiuſdem principem nomine Eleuſium, cuius vxor Hyona, vt ait Lactantius, Triptolemũ pepererat: cui nutricẽ quærẽti Ceres vltro ſe obtulit, puerũq; diuino lacte nutritũ noctu clam ſub igne occultabat. Is cũ egregie nutriretur per noctẽ, pater obſeruans quo pacto id fieret, re viſa exclamauit: quare irata Ceres Eleuſium exanimauit, ac Triptolemo currum à draconib. tractum dedit vt vniuerſos mortales ſationem frugum doceret: ſicuti teſtatur Callimachus in hymno in Cererem. Alii fabulantur Celeum à Cerere per quoddam tempus educatum fuiſſe tãquam filium: quem cum Dea vellet facere immortalem, aſſidue ſub igne tegere ſolebat. verum cum id diutius feciſſet, à quodam conſpecta id facere deſtitit: neque immortalem reddere curauit, ſed illum frumenti ſationem docuit, vt ait Nicandri enarrator. Alii Triptolemi patrem Celeum fuiſſe memorarunt, dixeruntq; & patrem & filium ſationem edoctos à Cerere fuiſſe. Alii Triptolemum Oceani & Terræ aiunt fuiſſe filium, vt teſtatus eſt Muſæus, quem tamen Orpheus cum Ebuleo fratre Dyſaulis filium fuiſſe credidit. Alii Cercyonem & Triptolemum fratres fuiſſe memoriæ prodiderunt. Alii dicunt Eumelum accepiſſe frugum ſationem Triptolemo, ac Patras detuliſſe vna cum ratione condendarum vrbium, qui primum Aream ab ipſa ratione Patras vrbem nuncupauit. His addiderunt quidam Antheam Eumeli filium auſum fuiſſe dracones currui Triptolemi volucres adiungere; qui ab iis excuſſus diem ſuum obiit, vt ait Pauſanias & Euanthes in hiſtoriis fabuloſis. Fuit autem mos Theſmophoriis ne vinum adhiberetur matronæque initiarentur apud Athenienſes; quæ perpetuam & incorruptam pudicitiam ſeruare decreuiſſent, quæ coronis viticeis ornabantur: atque horum ſacrorum ritum & conſuetudinem Theſmophoriorum ita deſcripſit enarrator Theocriti de ſententia Thelyti Methymnæi ex Bacchicis carminibus: νόμος γὰρ ἦν Ἀθηναίοις κατ' ἔτος τελεῖν τὰ θεσμοφόρια ταῦτα παρθένοις γυναιξὶ, καὶ τὸν βίον σεμναῖς, κατὰ τὴν ἡμέραν τῆς τελετῆς, τοὺς νομίμους βίβλους καὶ ἱερὰς ὑπὲρ τῶν κορυφῶν αὐτῶν ἀνατιθεῖσαι, καὶ ὡσανεὶ λιτανεύουσαι, ἀπήρχοντο εἰς Ἐλευσῖνα. *Lex enim fuit Athenienſibus vt hæc Theſmophoria quotannis celebrarent virgines, mulieres, & vita honeſta: quæ per ſolennitatis diem legitimos ſacroſque libros ſuper vertice geſtantes,*

*tes tanquam supplicantes Eleusinem contenderent.* Hæc sacrificia cum prius Eleusini celebrarent, primus Eumolpus Delopes & Triptolemi filius ad Athenienses detulit: vel vt alij sunt arbitrati, inter quos Acesodorus, quintus ab illo Eumolpus; vt patet ex his Acesodori verbis: κατοικίσαι δὲ τὴν Ἐλευσῖνα ἱστοροῦσι, πρῶτον μὲν τοὺς αὐτόχθονας, εἶτα Θρᾶκας τοὺς μετ' Εὐμόλπου παραγενομένους πρὸς βοήθειαν, εἰς τὸν κατ' Ἐρεχθέως πόλεμον. τινὲς δέ φασι καὶ τὸν Εὔμολπον εὑρεῖν τὴν μύησιν τὴν συντελουμένην κατ' ἐνιαυτὸν ἐν Ἐλευσῖνι Δήμητρι καὶ Κόρῃ. *Condidisse Eleusinem ciuitatem memorant primum quidem indigenas, postea Thraces eos qui cum Eumolpo suppetias ferentes accesserunt ad id bellum, quod aduersus Erechtheum exarsit. Alij vero dicunt Eumolpum ritum illum sacrificiorum inuenisse, quæ quotannis apud Eleusinos agebantur in honorem Cereris & Proserpinæ.* Quod vero illa fuerit consuetudo vt idcirco Eumolpidæ sacris Cereris initiarentur, essentque eorum sacrificiorum sacerdotes, ita testatur Sophocles in OEdipode in Colono:

| | |
|---|---|
| ὧν καὶ χρυσεία | *quorum & aurea* |
| κλῆις ἐπὶ γλώσσα βέβακεν | *Clauis in lingua constitit,* |
| προσπόλων Εὐμολπιδᾶν. | *sacerdotum Eumolpidarum.* |

Herodotus tamen in Euterpe non à Triptolemo, aut ab aliquo Græcorum initium habuisse scribit Thesmophoria, sed ex Ægypto ad Pelasgas mulieres primum à Danai filiabus fuisse delata: καὶ τῆς Δήμητρος τελετῆς πέρι τὴν οἱ Ἕλληνες θεσμοφόρια καλέουσι καὶ ταύτης μοι πέρι εὔστομα κείσθω, πλὴν ὅσον αὐτῆς ὁσίη ἐστὶ λέγειν. αἱ Δαναοῦ θυγατέρες ἦσαν αἱ τὴν τελετὴν ταύτην ἐξ Αἰγύπτου ἐξαγαγοῦσαι καὶ διδάξασαι τὰς Πελασγιώτιδας γυναῖκας. *Atque de Cereris solennitate, quam Græci Thesmophoria nominant mihi, faustum felixque sit omen, vt quantum fas est per religionem proferam. Fuerunt autem Danai filiæ, quæ hanc solennitatem ex Ægypto transtulerunt, mulieresque Pelasgas docuerunt.* Vtebantur in Sicilia in sacrificijs Cereris non floreis quidem coronis, neque in alijs eius sacrificijs, quia ob memoriam raptæ filiæ colligentis flores, illi fuerunt vetiti, at myrteis coronis, & è smilace, vel narcisso, vel croco vtebantur. vt ait enarrator Sophoclis. Cum igitur Ceres Proserpinam quærens vniuersum terrarũ orbem perlustrasset, facibus ex Ætna Siculæ monte accensis, ad illius imitationem Siciliæ mulieres vel viri per noctem

cum accensis facibus vociferātes. Proserpinamque vocantes discurrebāt, quare Tędiferos antistites appellauit Strabo lib. 16. Cum igitur fuisset à Metanita & Hippothoonte Neptuni & Alopes filio in hospitium perbenignae accepta, Triptolemum sationem dicitur docuisse, quem alij Eleusij, alij Celei, alij Oceani, alij Dysaulis filium fuisse tradiderunt, vt testatur Pausanias in Atticis. Crediderunt nonnulli Triptolemum & Eubuleum fratres sationem à Cerere didicisse, quia illi primum filiæ raptum matri indicâssent. Fabulantur prætere-a quod cum hospitio accepta fuisset à Metanira Ceres, illique Metanira sacra faceret, eius filius Abas inuidit illius Deæ sacrificijs, grauiterque tulit quod mater sua illā accepisset, & sacra deridens nescio quid parū decorum in ipsam Deam susurrauit tunc vero Dea irata mistionem quandam, quam habebat in cratere, in illum infundens in stellionem dicitur Abantem conuertisse: quod ita testatur Nicander in Theriacis:

ἔνθα καὶ κλήδαν ὅπερ ἀπεχθέα βρόγματ' ἔασιν
ἀσκαλάβου· τὸν μέν τ' ἱερὴ φάτις, οὕνεκ' Ἀχαιὴν
Δημήτρα ἔβλαψεν, ὅθ' ἄψεα σίνατο παιδὸς
κάμμιχορον περὶ φρέαρ, ὅτ' ἐν Κελεοῖο θεράπναις
ἀρχαίη Μετάνειρα θεὴν δείδεκτο περίφρων.

*Inuisi hic adsunt stridores, stellio vilis*
*Quos edit fertur talem sumpsisse figuram*
*A Cerere irata deriso numine Diua*
*Infœlix puer ad puteum, Metanira labore*
*Hospitio vt fessam cepit, dum pignora quærit.*

Omnino vero boues iungere, & arare Ceres docuit mortales, vt testatur Orpheus in hymno in Cererem Eleus:

ἣ πρώτη ζεύξασα βοῶν ἀροτῆρα τένοντα,
καὶ οἶον ἱμερόεντα βροτοῖς πολύολβον ἀνῆσα.

*Colla boum quæ prima graui subiecit aratro,*
*Fœlicemq; dedit victum mortalibus agris.*

Fama est præterea quod cum fuisset apud Phytalum aliquando in hospitio, illi gratiam referens ficum plantam largita est, vt ait Prusenias in Atticis, & vt testantur illa carmina quæ Phytali sepulchro inscripta fuerant, quorum est sententia:

*Hic Cererem Phytalus tectis exceperat heros,*
*Cui primum sacri largita est semina pomi,*

Quam

*Quam ficum mortale genus vocat.*

Neque vero ficum solum aut frugum sationem Cereri tribuunt, sed inuentionem omnium leguminum, præterquã fabæ: quippe cum de omnibus, à quibus comiter & liberaliter accepta fuit, dum Proserpinam quæreret, benemereri studeret, vt scripsit Pausanias in Arcadicis. neq; solũ serendi rationem mortalib. tradidit Ceres, cum inutilis fore videretur illa scientia, nisi quo pacto frumentum cæderetur, & excuteretur, & è paleis secerneretur, & frãgeretur, didicissent ad panẽ conficiendum. quod illa igitur cędere & triturare docuerit, ita testatur Callima. in hymno in Cererem:

*κάλλιον ὡς καλάμην τε καὶ ἱερὰ δράγματα πρῶτον*
*ἀσαχύων ἀπέκοψε, καὶ ἐν βόας ἧκε πατῆσαι,*
*ἁνίκα τριπτόλεμος ἀγαθὴν ἐδιδάσκετο τέχναν.*
*Pulchrius vt calamos primum, sacrosque maniplos*
*Strauit aristarum, calcare bouesque coegit;*
*Tunc, vbi Triptolemus per pulchras combibit artes.*

Quamuis non procul à monte Taygeto Laconum in vico quodam Alesia vocato molam primum inuentam fuisse, & Myletum Lelegis filium molere fruges docuisse nõnulli tradiderunt satæ fuerunt & creuerunt primæ fruges apud Cephisum amnem, qui per agrum Eleusinum multo concitatiore cursu, quam in alijs locis deferebatur, in campis, quos Rarios vocarunt, vt testatur Pausanias in Atticis. atq; ibidem locus ostendebatur, vbi Pluto Proserpinam rapuit, & vbi Eleusiniorum fœminę primum chorum in honorem Cereris instituerunt non procul ab Agelasto petra vocata, super qua sedit Ceres audito casu Proserpinæ, cui petræ propinquus fuit locus vocatus Callichorus. Atqui raptum & labores Cereris ita paucis complexus est Carcinus poeta tragicus, quos pertulit quærenda filia:

*λέγουσι, Δήμητρος ποτ' ἄρρητον κόρην*
*Πλούτωνα κρυφίοις ἁρπάσαι βουλεύμασι,*
*δῦναί τε γαίας εἰς μελαμφαεῖς μυχούς.*
*πόθῳ δὲ μητέρ' ἠφανισμένης κόρης*
*μαστῆρ' ἐπελθεῖν ἐν κύκλῳ χθόνα·*
*καὶ τὴν μὲν Αἰτναίοισι Σικελίας πάγοις*
*πυρὸς γέμουσαν ῥεύμασι δυσεμβόλοις*
*πᾶσαν στενάξαι· πένθεσι δὲ παρθένου*
*σίτων ἄμοιρον, διοτρεφὲς φθίνειν γένος.*

*ὅθεν θεὰς τιμῶσιν ἐς τὰ νῦν ἔτι.*
*Fama est! Cereris quondam puellam, quam nefas*
*Est nomi inare, Ditis ē sententia*
*Raptam fuisse, nigra terraque atria*
*Intrasse: regiam, obsitam caligine.*
*Mater puellæ at acta desiderio*
*Errauit omnes quæritans terræ locos:*
*Scatentis ignis Ætnæ & inde rupibus*
*Matris fuisse cognitos pro virgine*
*Luctus: ciborum hæc abstinens fuit diu.*
*Quare Deas gentes colunt has nunc quoque.*

Fuerunt tamen qui non solam Cererem autorem fuisse dixerint & in ueutricem sationis, sed Osirim & Isidem etiam eius vxorem, Bacchum scilicet inuentionis socium addiderũt. nam hic cum magno exercitu & cum magno tibiarum fistularumq; concentu orbem peragrasse, & agriculturam mortales docuisse, memorantur. Alij frumentum sua sponte natum fuisse in Sicilia dicunt, quod cum à nemine colligeretur, in terram rursus recidebat: quod cum Cecrops Athenarum Rex è quodã percepisset, misit qui colligerent, & ad se asportarent. id cum Triptolemus prior cepisset, terramq; arasset, & id seuisset, vt quidã putarunt, ibi vbi nouæ fuerint Patræ, vt arbitrati sunt alij in agro. Eleusino, messemque succidisset, commẽtarios postea de cultu agrorum scripsit, qui ad omnes mortales peruagati sunt; è qua re fabula fuit conficta, quod Triptolemus orbem terrarum agrorum cultum omnibus mortalibus ostendens peragrauit. Gnosij autem, qui populi fuerunt Cretæ, vt ait Polyistor, contendebant cum Atticis hominibus frugum inuentionem primam apud se fuisse, at non in agro Atheniensi: quippe cum multa alia Cretenses priores inuenerint. nam & acies instruere, & nauibus longis vti, & sagittis eminus pugnare primi inuenerunt Cretes, & musicos modulos ab Idæis Dactylis primi obseruarunt è strepitu ac tinnitu æris, & literas à se inuentas in Latium intulerunt: quod tamen non est sine multorum cõtentione creditum, cũ multi plerumq; rei eiusdem dicantur fuisse inuentores, sicut de igne superius dicebamus, cuius inuentionẽ alij Baccho, alij Prometheo, alij Vulcano, alij fulmini alij Pyradæ Cilicis filio tribuerunt, quem aiunt primum è Silice ignem excudisse.

Quod autem Bacchus vna cum Cerere orbem eadē de causa perlustrauerit, videtur illud esse argumento quod communia sacrificia apud Eleusinios Baccho & Cereri agebantur, vt testatur Sophoclis enarrator. Fuerunt Cereri non solum delubra, sed nemora etiā cōsecrata: quare fabulati sunt antiqui, quod cum eius nemus Erisichthon quidā Thessalus abscidisset, illi Ceres perpetuā famem immisit, fecitque ne vnquā posset cibo saturari: quippe cum vel per diem assidue præsentibus cibis vesceretur, vel etiam per noctē in somnijs sibi videretur præsentibus suauissimis vesci. Hic filiā habebat Mestram nomine veneficiorū peritissimam, quā in varias animalium rerumq; cæterarū formas mutatam frequenter vēdebat, quæ paulo post aufugiens rursus ad patrē priore forma recepta redibat; ita pro suis viribus paternæ fami opem ferebat. Fiebant etiam priuata huic Deæ sacrificia, cui post messem primitias frugum pro frumenti prouentu offerebant, & conuiuia celebrabantur inter coniunctos, vt testatur Theocritus his carminibus in Cerealibus:

ἀνέρες δ᾽ ἐπίπλῳ Δαμάτερι δαῖτα τελεῦντι
ὄλβω ἀπαρχόμενοι, μάλα γάρ σφισι πίονι μέτρῳ
ἁ δαίμων εὔκριθον αὐτ᾽ ἐπλήρωσεν ἀλωάν.

*Namque viri Cereri celebrant conuiuia læta,*
*Primitiasque ferunt, quoniam plena area frugum*
*Frugiferæ messes siccauit munera Diuæ.*

Agebantur & Ambarualia à singulis agricolis, quæ lustrationes, purgationesque aruorum esse putabantur, & plurimum ad fertilitatem conferre. per ea vnusquisque paterfamilias hostiam deligebat in Cereris sacrificia, quam querna corona circa collum posita ornabat, eamq; ter circa sata ducebat, quam vniuersa familia quernis ramis coronati, Cererisque laudes canentes cum tripudijs comitabantur: idq; fiebat ineunte vere. Deinde post has lustrationes mulsum & lac offerebatur, cum alioquin vinum solum interesse Cereris sacrificijs iure sacrificiorum minime posset. Hunc sacrificiorum ritum vniuersum prope monstrauit Virgil. lib. 1. Georgicorum in his:

*Cuncta tibi Cererem pubes agrestis adoret:*
*Cui tu lacte fauos, & miti dilue Baccho,*
*Terque nouas circum felix eat hostia fruges,*
*Omnis quam chorus, & socij comitentur ouantes,*

*Et Cererem clamore vocent in tecta: neque ante*
*Falcem maturis quisquam supponat aristis,*
*Quam Cereri torta redimitus tempora quercu*
*Det motus incompositos, & carmina dicat.*

Colebatur Ceres apud Arcades Heræ nomine, cui sacra fiebant eo ritu, vt non, sicuti in cæteris, victimę iugularentur, sed quod membrum quisq; prius apprehenderat, id præcidebat, ac Deę offerebat, vt ait Pausanias. Hãc eandẽ Deam legum inuentricem fuisse scripsit Cicero actione septima in C. Verrem his verbis: A quibus initia vitæ atque victus, legum, morum, mansuetudinis, humanitatis exempla hominibus & ciuitatibus data ac dispertita esse dicuntur. loquitur enim de Cerere & Proserpina. Sic & Lucretius in libro 6. ab Atheniensibus initia frugum & legum in vniuersos homines manasse scribit:

*Prima frugiferos fœtus mortalibus ægris*
*Dididerunt quondam præclaro nomine Athenæ,*
*Et recreauerunt vitam, legesq; rogarunt.*

Significat & ipsum Thesmophoriorum nomẽ præterea legum autorẽ Cererem extitisse, cum θέμις lex sit, φέρω, ferre significet: quasi enim leg fera sacra dicãtur. Nam cum frumenti semina inuẽta fuissent, homines, qui prius nullis legibus parebant glandibusque communi cibo vescebantur, atque omnia habebant communia; leges rogarunt, quibus sua pars terræ cuiq; fuit assignata: deinde leges latæ sunt de regendis finibus, de testamentis, & de emptionibus, quæ primum latæ sunt à Cerere, quia illa fuit legum ferẽdarum causa. Sic autem de illa scripsit Ouid. lib. 5. Metamorph.

*Prima Ceres unco glebam dimouit aratro;*
*Prima dedit fruges, alimentaq; mitia terris;*
*Prima dedit leges. Cereris sunt omnia munus.*

Hanc Deam in curru vehi solitam ab anguibus tracto dixerunt poetæ, vt ait Orpheus in eo carmine:

*ἅρμα δρακοντείοισιν ὑποζεύξασα χαλινοῖς.*
*Dum Dea frenatos adiunxit curribus angues.*

Quem Triptolemo dicitur dedisse, vt frumenti semen in varias regiones asportaret, vt ait Ouid. lib. 5.

*geminos Dea fertilis angues*
*Curribus admouit, frenisq; coercuit ora.*

Huic Deæ sus, quia excauatis scrobibus fruges conuulsisset, me-

ſet, meritas luit pœnas, nam Triptolemus eo cognito facinore gratam rem ſe facturum Cereri putauit, ſi animal eius inuentis infenſum immolaret: quare ſuem ipſam ad aram Cereris extraxit, frugeſque in caput conſperſit, vt apparet qua de cauſa, & mox illam Cereri mactauit, vt ait Ouid. lib. 2. Faſtorum:

*Prima Ceres auida gauiſa eſt ſanguine porca,*
*Vlta ſuas merito cæde nocen[illegible] opes.*

Mactabatur & aries Cereri Vir[illegible] cognomine in tēplo nō procul ab arce Athenienſium, ſ[illegible] i teſtatur Eupolis in his:

ἀλλ' εὐθὺ πόλεως εἶμι. θῦσαι γάρ [illegible] δεῖ
κελὸν χλόῃ Δήμητρι.
*Sed recta ad vrbem eo, mihi quod eſt opus*
*Mactare arietem illic vi[illegible]enti Cereri.*

Sacrificabant Cereri olitores præcipue hoc nomine die ſexto menſis Aprilis, quia per illa ſacra feracitatem hortorum impetrare ſe putabant. Huic Deæ coronas ſpiceas offerebant, quæ pro foribus templorum appendebantur, vt ait Tibullus in his:

*Flaua Ceres tibi ſit noſtra de rure corona*
*Spica, quæ templi pendeat ante fores.*

Erant etiam papauera Cereri ſacra, vt quidā crediderūt, ob feracitatē ſeminum; vt malunt alij, quia inter ſata plerunq; naſcerētur, & eūdē cultum amēt: alij inter quos fuit Dercylus, quia ſomnū non poſſet percipere ob filiæ moleſtiam: in quem fuit papauerum beneficio adiuta quam plantā Lucinæ etiam quidam attribuerunt. Multa fuerunt huius Deæ cognomina ob rerum variarum euētus, vel ob loca, in quibus colebatur. Fuit Euchloa bene virens: Erinnys, quia preces exaudiat, vel quia habitet in terris; Ercynna, Panachæa, Mycaleſina, Lepreata, Aceſidora, Legifera, Ouifera, Pelaſgis, Proſymna, Thermeſia, Præſes, Terreſtris, Sacroſancta, atq; hęc ea ſunt quæ de Cerere frugum autore Dea memoriæ prodita ſunt ab antiquis. Hanc vocarunt Græci Δηὼ, quia in omnes homines fuerit diſtributa, cum nihil aliud ſit Ceres, quam frumentum, vt eſt in eo carmine:

Νύμφαι ὕδωρ, πῦρ Ἥφαιστος, σῖτος Δημήτηρ.
*Nymphæ aqua ſunt, frumenta Ceres, Vulcanus at ignis.*

Cicero tamen in primo de natura Deorū Cererem terram eſſe ſcribit hoc pacto: idemque diſputat, æthera eſſe eum

quem homines Iouem appellarēt: quiq; aer per maria manaret, eum esse Neptunum: terram, eam quæ Ceres diceretur. Atque in secundum, etymologiam Platonis transtulit è Cratylo, qui Δημήτηρ quasi γῆν μητέρα vocatam fuisse tradit, terram matrem scilicet.

¶ At quæ nunc sub his occultata fuerint denudemus. Ægyptij scriptores memoriæ prodiderunt, Isidem siue Ceremhomines reuocasse à mutuo esu carnium inuento tritico & hordeo, quæ nascebantur inter alias herbas in Ægypto. Complexi itaq; inuentionem ob suauitatē à mutuis esibus abstinuerunt, quare in sacra Isidis pompa vasa quædā ferebantur frumento & hordeo plena. Leges etiā tulit Isis, quibus ab illegitimis cædibus deterrebantur, vnde dicta est legifera, quod prima leges inuenerit. Osiris ac Isis dicuntur prēmia & honores illis proposuisse: qui aliquid vtile humanæ vitæ excogitassent: sic inuentam esse artem æris & auri fundendi in Thebaide & faciendorum armorū autumant, quib. feras obtruncarent, terramq; colentes proscinderent. Ceres Saturni & Opis filia fuisse credebatur, cum Saturnus sit tempus, ac Opis terra: quippe ꝙ crederetur ab his esse Ceres virtus satorum omnium, quam idcirco eorū parentum filiam finxerunt. nam vis illa, & vigor, qui est in rebus naturalibus, loco & tēpore indiget. Alij qui Cererem fruges esse putarunt, ex Opi & Saturno natam arbitrati sunt, quia aliarum herbarum semina nō ita indigent, vt diutius per totā hyemem ignaua commorentur, cum possint, vel si per hyemem minime fuerint sata, satis vberes fructus producere. Cum vero Proserpina filia sit Cereris, radix herbarum scilicet, quam Latini ita dixerunt, quia serpat clam per humum, illa merito ex Ioue siue ex ætherea benignitate & è semine fingitur fuisse nata: quorum alterutro deficiente frustra prouentus frugum expectatur. Qui finxerunt Cererem equum è Neptuno peperisse, aut Heram, quam nominare nefas erat, illi tantam esse fertilitatem aquarum, & ex illa quæ fit illarum cum terra commistione, crediderunt, vt vel monstra oriantur ob superuacaneā materiæ copiam, vel nominare singula proprijs nominibus, omnium difficilimum, propter nascentiū varietatem. Fama est illam aliquando in specu latuisse cū rapta fuisset ad inferos Proserpina fuisseq; à Pane Ioui indicata, quia iactum semen per

aliquot

aliquot dies occultatur, antequã radices agat: mox Pã, natura ipsa scilicet, quæ insita est in seminibus, indicat Ioui, quia necessitate naturæ & ob insitum calorem herba in lucem erumpit, & emittũtur radices. Siue igitur terram Cererem esse putemus, cuius filia sit Proserpina vel seges: siue semen sit Ceres, cuius filia sit radix, omnino nata est Ioue patre, atq; res vtroque modo potest intelligi: quippe cum hæc omnia in idem recidere videantur. Non defuerunt tamen qui incredibilem annonę penuriã fuisse significari crediderint per eam fabulam, quod Pluto Proserpinam rapuit sub terras, quia ita corruptæ sint sementes cœli vitio & inclementia, vt pene extincta sint frumenti semina in Sicilia per id tempus. Dicta est Ceres in curru à draconibus tracto vehi, propter obliquitatẽ signiferi circuli: nam dum Sol sub eo percurrit, non Solum excitat semina è terra, sed etiã ad maturitatẽ perducit. Fama est Iasionẽ Iouis & Electræ filium fuisse amatũ à Cerere, cum quo in nouali congressa sit dormiente. Quid hoc significat? Nam cum Iupiter sit calor ætheris aut æther, Electra diligẽtia, (etenim Sol quoq; ἠλέκτωρ vocatur, quia ad opera homines excitet è lecto) patet Iasium horũ amborum filium nihil esse aliud quam æstatis calorem; quẽ Ceres amauit, & in nouali pręcipue, quia plurimũ confert ad agrorum fertilitatẽ vt arua quiescant aliquãdo, cum terra per quietẽ postea validior, si aptam agricolæ diligentiam consecuta sit, efficiatur. Alii filiũ Minois iustissimi viri, & Phroniæ prudentiæ scilicet, à Cerere amatum fuisse putarunt, quod hæ res ocium grauissimũ parant agricolis: cum splendor ex iustitia, paceq; ciuitatũ plurimũ rebus vniuersis accedat. Ex his igitur nascitur Plutus diuitiarum Deus, quoniã terræ feracitas è cœli benignitate, & ex hominum diligentia plurima fiat: quamuis tamen nonnulli, quia primus Plutus diuitias cumulauerit, illum diuitiarum Deum putarunt; cum ante illum nemo vllam diuitiarum curã haberet, nemoq; diuitias cumularet. Dicta est Sicilia fuisse Cereri consecrata, quoniã frumenti feracissima sit illa insula. Dicitur Ceres orbem terrarũ peragrasse, quoniã propter signiferi obliquitatem variis temporib. in variis locis fit æstas: neq; Ceres nisi per æstatẽ ad maturitatem potest peruenire. Hæc Triptolemum, cui semina frugum dedit, sub igne per noctem fuit occultare solita, quare

çum accensis facibus vociferātes. Proserpinamque vocantes discurrebāt, quare Tędiferos antistites appellauit Strabo lib. 16. Cum igitur fuisset à Metanira & Hippothoonte Neptuni & Alopes filio in hospitium perbenignè accepta, Triptolemum sationem dicitur docuisse, quem alij Eleusij, alij Celei, alij Oceani, alij Dysaulis filium fuisse tradiderunt, vt testatur Pausanias in Atticis. Crediderunt nonnulli Triptolemum & Eubuleum fratres sationem à Cerere didicisse, quia illi primum filiæ raptum matri indicâssent. Fabulantur præterea quod cum hospitio accepta fuisset à Metanira Ceres, illique Metanira sacra faceret, eius filius Abas inuidit illius Deæ sacrificijs, grauiterque tulit quod mater sua illā accepisset, & sacra deridens nescio quid parū decorum in ipsam Deam susurrauit tunc vero Dea irata mistionem quandam, quam habebat in cratere, in illum infundens in stellionem dicitur Abantem conuertisse: quod ita testatur Nicander in Theriacis:

*ἔχθεα καὶ οὐλοδόροιο ἀπεχθέα βρύγματ' ἴασιν*
*ἀσκαλάβου· τὸν μέν τ' ἐρέει φάτις, οὕνεκ' Ἀχαιὴ*
*Δημήτηρ ἔσλαψεν, ὅθ' ἄψεα σίνατο παιδὸς*
*καλλίχορον περὶ φρεῖαρ, ὅτ' ἐν Κελεοῖο θεράπναις*
*ἀρχαίη Μετάνειρα θεὴν δείδεκτο περίφρων.*
*Inuisi hic adsunt stridores, stellio vilis*
*Quos edit fertur talem sumpsisse figuram*
*A Cerere irata deriso numine Diua*
*Infœlix puer ad puteum, Metanira labore*
*Hospitio vt fessam cepit, dum pignora quærit.*

Omnino vero boues iungere, & arare Ceres docuit mortales, vt testatur Orpheus in hymno in Cererem Eleus:

*ἣ πρώτη ζεύξασα βοῶν ἀροτῆρα τένοντα,*
*καὶ βίον ἱμερόεντα βροτοῖς πολύολβον ἀνεῖσα.*
*Colla boum quæ prima graui subiecit aratro,*
*Fœlicemq; dedit victum mortalibus ægris.*

Fama est præterea quod cum fuisset apud Phytalum aliquando in hospitio, illi gratiam referens ficum plantam largita est, vt ait Prusenias in Atticis, & vt testantur illa carmina quæ Phytali sepulchro inscripta fuerant, quorum est sententia:

*Hic Cererem Phytalus tectis exceperat heros,*
*Cui primum sacri largita est semina pomi,*

*Quam ficum mortale genus vocat.*

Neque vero ficum ſolum aut frugum ſationem Cereri tribuunt, ſed inuentionem omnium leguminum, præterquã fabæ: quippe cum de omnibus, à quibus comiter & liberaliter accepta fuit, dum Proſerpinam quæreret, benemereri ſtuderet, vt ſcripſit Pauſanias in Arcadicis. neq; ſolũ ſerendi rationem mortalib. tradidit Ceres, cum inutilis fore videretur illa ſcientia, niſi quo pacto frumentum cæderetur, & excuteretur, & è paleis ſecerneretur, & frãgeretur, didiciſſent ad panẽ conficiendum. quod illa igitur cędere & triturare docuerit, ita teſtatur Callima. in hymno in Cererem:

*κάλλιον ὡς καλάμαν τε καὶ ἱερὰ δράγματα πρᾶτον*
*ἀσταχύων ἀπέκοψε, καὶ ἐν βόας ἧκε πατῆσαι,*
*ἀνίκα Τριπτόλεμος ἀγαθὰν ἐδιδάσκετο τέχναν.*
*Pulchrius vt calamos primum, ſacros;que maniplos*
*Strauit ariſtarum, calcare boueſque coegit;*
*Tunc, vbi Tripto'emus per pulchras combibit artes.*

Quamuis non procul à monte Taygeto Laconum in vico quodam Aleſia vocato molam primum inuentam fuiſſe, & Myletum Lelegis filium molere fruges docuiſſe nõnulli tradiderunt ſatæ fuerunt & creuerunt primæ fruges apud Cephiſum amnem, qui per agrum Eleuſinum multo concitatiore curſu, quam in alijs locis ferebatur, in campis, quos Rarios vocarunt, vt teſtatur Pauſanias in Atticis. atq; ibidem locus oſtendebatur, vbi Pluto Proſerpinam rapuit, & vbi Eleuſiniorum fœminę primum chorum in honorem Cereris inſtituerunt non procul ab Agelaſto petra vocata, ſuper qua ſedit Ceres audito caſu Proſerpinæ, cui petræ ꝓpinquus fuit locus vocatus Callichorus. Atqui raptum & labores Cereris ita paucis complexus eſt Carcinus poeta tragicus, quos pertulit quærenda filia:

*λέγουσι, Δήμητρος ποτ' ἄρρητον κόρην*
*Πλούτωνα κρυφίοις ἁρπάσαι βουλεύμασι,*
*δῦναί τε γαίας εἰς μελαμφαεῖς μυχούς.*
*πόθῳ δὲ μητέρ' ἠφανισμένης κόρης*
*μαστῆρ' ἐπελθεῖν ἐν κύκλῳ χθόνα·*
*καὶ τὴν μὲν Αἰτναίοισι Σικελίας πάγοις*
*πυρὸς γέμουσαν ῥεύμασι δυσεμβόλοις*
*πᾶσαν στενάξαι· πένθεσι δὲ παρθένου*
*σίτων ἄμμοιρον, διοτρεφὲς φθίνειν γένος.*

*ὅθεν θεὰς τιμῶσιν ἐς τὰ νῦν ἔτι.*

*Fama est Cereris quondam puellam, quam nefas*
*Est nominare, Ditis sententia*
*Raptam fuisse, nigra terraque atria*
*Intrasse: regiam, obsitam caligine.*
*Mater puellæ at acta desiderio*
*Errauit omnes quæritans terræ locos:*
*Scatentibus ignis Ætna & inde rupibus*
*Matris fuisse cognitos pro virgine*
*Luctus: ciborum hæc abstinens fuit diu.*
*Quare Deas gentes colunt has nunc quoque.*

Fuerunt tamen qui non solam Cererem autorem fuisse dixerint & inuentricem sationis, sed Osirim & Isidem etiam eius vxorem, Bacchum scilicet inuentionis socium addiderũt. nam hic cum magno exercitu & cum magno tibiarum fistularumq; concentu orbem peragrasse, & agriculturam mortales docuisse, memorantur. Alij frumentum sua sponte natum fuisse in Sicilia dicunt, quod cum à nemine colligeretur, in terram rursus recidebat: quod cum Cecrops Athenarum Rex è quodã percepisset, misit qui colligerent, & ad se asportarent. id cum Triptolemus prior cepisset, terramq; arasset, & id seuisset, vt quidã putarunt, ibi vbi nouæ fuerint Patræ, vt arbitrati sunt alij in agro. Eleusino, messemque succidisset, commẽtarios postea de cultu agrorum scripsit, qui ad omnes mortales peruagati sunt; è qua re fabula fuit conficta, quod Triptolemus orbem terrarum agrorum cultum omnibus mortalibus ostendens peragrauit. Gnosij autem, qui populi fuerunt Cretæ, vt ait Polyistor, contendebant cum Atticis hominibus frugum inuentionem primam apud se fuisse, at non in agro Atheniensi: quippe cum multa alia Cretenses priores inuenerint. nam & acies instruere, & nauibus longis vti, & sagittis eminus pugnare primi inuenerunt Cretes, & musicos modulos ab Idæis Dactylis primi obseruarunt è strepitu ac tinnitu æris, & literas à se inuentas in Latium intulerunt: quod tamen non est sine multorum cõtentione creditum, cũ multi plerumq; rei eiusdem dicantur fuisse inuentores, sicut de igne superius dicebamus, cuius inuentionẽ alij Baccho, alij Prometheo, alij Vulcano, alij fulmini alij Pyradæ Cilicis filio tribuerunt, quem aiunt primum è Silice ignem excudisse.

Quod

Quod autem Bacchus vna cum Cerere orbem eadẽ de causa perlustrauerit, videtur illud esse argumento quod communia sacrificia apud Eleusinios Baccho & Cereri agebantur, vt testatur Sophoclis enarrator. Fuerunt Cereri non solum delubra, sed nemora etiã cõsecrata: quare fabulati sunt antiqui, quod cum eius nemus Erisichthon quidã Thessalus abscidisset, illi Ceres perpetuã famem immisit, fecitque ne vnquã posset cibo saturari: quippe cum vel per diem assidue præsentibus cibis vesceretur, vel etiam per noctẽ in somnijs sibi videretur præsentibus suauissimis vesci. Hic filiã habebat Mestram nomine veneficiorũ peritissimam, quã in varias animalium rerumq; cæterarũ formas mutatam frequenter vẽdebat, quæ paulo post aufugiens rursus ad patrẽ priore forma recepta redibat; ita pro suis viribus paternæ fami opem ferebat. Fiebant etiam priuata huic Deæ sacrificia, cui post messem primitias frugum pro frumenti prouentu offerebant, & conuiuia celebrabantur inter coniunctos, vt testatur Theocritus his carminibus in Cerealibus:

ἀνέρες δὴ πέπλῳ Δαμάτερι δαῖτα τελεῦντι
ὄλβω ἀπαρχόμενοι, μάλα γάρ σφισι πίονι μέτρῳ
ἁ δαίμων εὔκριθον ἀνεπλήρωσεν ἀλωάν.

*Namque viri Cereri celebrant conuiuia læta,*
*Primitiasque ferunt, quoniam plena area frugum*
*Frugifera messes siccauit munera Diua.*

Agebantur & Ambarualia à singulis agricolis, quæ lustrationes, purgationesque aruorum esse putabantur, & plurimum ad fertilitatem conferre. per ea vnusquisque paterfamilias hostiam deligebat in Cereris sacrificia, quam querna corona circa collum posita ornabat, eamq; ter circa sata ducebat, quam vniuersa familia quernis ramis coronati, Cererisque laudes canentes cum tripudijs comitabantur: idq; fiebat ineunte vere. Deinde post has lustrationes mulsum & lac offerebatur, cum alioquin vinum solum interesse Cereris sacrificijs iure sacrificiorum minime posset. Hunc sacrificiorum ritum vniuersum prope monstrauit Virgil. lib. I. Georgicorum in his:

*Cuncta tibi Cererem pubes agrestis adoret:*
*Cui tu lacte fauos, & miti dilue Baccho,*
*Terque nouas circum felix eat hostia fruges,*
*Omnis quam chorus, & socij comitentur ouantes,*

*Et Cererem clamore vocent in tecta: neque ante*
*Falcem maturis quisquam supponat aristis,*
*Quam Cereri torta redimitus tempora quercu*
*Det motus incompositos, & carmina dicat.*

Colebatur Ceres apud Arcades Heræ nomine, cui sacra fiebant eo ritu, vt non, sicuti in cæteris, victimę iugularentur, sed quod membrum quisq; prius apprehenderat, id præcidebat, ac Deę offerebat, vt ait Pausanias. Hãc eandẽ Deam legum inuentricem fuisse scripsit Cicero actione septima in C. Verrem his verbis: A quibus initia vitæ atque victus, legum, morum, mansuetudinis, humanitatis exempla hominibus & ciuitatibus data ac dispertita esse dicuntur. loquitur enim de Cerere & Proserpina. Sic & Lucretius in libro 6. ab Atheniensibus initia frugum & legum in vniuersos homines manasse scribit:

*Primæ frugiferos fœtus mortalibus agris*
*Dididerunt quondam præclaro nomine Athenæ,*
*Et recreauerunt vitam, legesq; rogarunt.*

Significat & ipsum Thesmophoriorum nomẽ præterea legum autorẽ Cererem extitisse, cum θέμις lex sit, φέρω, ferre significet: quasi enim leg fera sacra dicãtur. Nam cum frumenti semina inuẽta fuissent, homines, qui prius nullis legibus parebant glandibusque communi cibo vescebantur, atque omnia habebant communia; leges rogarunt, quibus sua pars terræ cuiq; fuit assignata: deinde leges latæ sunt de regendis finibus, de testamentis, & de emptionibus, quæ primum latæ sunt à Cerere, quia illa fuit legum ferẽdarum causa. Sic autem de illa scripsit Ouid. lib. 5. Metamorph.

*Prima Ceres vnco glebam dimouit aratro;*
*Prima dedit fruges, alimentaq; mitia terris;*
*Prima dedit leges. Cereris sunt omnia munus.*

Hanc Deam in curru vehi solitam ab anguibus tracto dixerunt poetæ, vt ait Orpheus in eo carmine:

ἅρμα δρακοντείοισιν ὑποζεύξασα χαλινοῖς.
*Dum Dea frenatos adiunxit curribus angues.*

Quem Triptolemo dicitur dedisse, vt frumenti semen in varias regiones asportaret, vt ait Ouid. lib. 5.

*geminos Dea fertilis angues*
*Curribus admouit, frenisq; coercuit oras.*

Huic Deæ sus, quia excauatis scrobibus fruges conuulsisset, me-

ſet, meritas luit pœnas, nam Triptolemus eo cognito facinore gratam rem ſe facturum Cereri putauit, ſi animal eius inuentis infenſum immolaret: quare ſuem ipſam ad aram Cereris extraxit, frugeſque in caput conſperſit, vt appareret qua de cauſa, & mox illam Cereri mactauit, vt ait Ouid. lib. 2. Faſtorum:

*Prima Ceres auida gauiſa eſt ſanguine porca,*
*Vlta ſuas merito cæde nocen[tis] opes.*

Mactabatur & aries Cereri Vir[enti] cognomine in tẽplo nõ procul ab arce Athenienſium, [vt] teſtatur Eupolis in his:

ἀλλ' εὐθὺ πόλεως εἶμι. θῦσαι γάρ [με] δεῖ
κριὸν χλόῃ Δήμητρι.

*Sed recta ad vrbem eo, mihi quod eſt opus*
*Mactare arietem illic vi-enti Cereri.*

Sacrificabant Cereri olitores præcipue hoc nomine die ſexto menſis Aprilis, quia per illa ſacra feracitatem hortorum impetrare ſe putabant. Huic Deæ coronas ſpiceas offerebant, quæ pro foribus templorum appendebantur, vt ait Tibullus in his:

*Flaua Ceres tibi ſit noſtra de rure corona*
*Spica, quæ templi pendeat ante fores.*

Erant etiam papauera Cereri ſacra, vt quidã crediderũt, ob feracitatẽ ſeminum; vt malunt alij, quia inter ſata plerunq; naſcerẽtur, & eundẽ cultum amẽt: alij inter quos fuit Dercylus, quia ſomnũ non poſſet percipere ob filiæ moleſtiam: in quem fuit papauerum beneficio adiuta quam plantã Lucinæ etiam quidam attribuerunt. Multa fuerunt huius Deæ cognomina ob rerum variarum euẽtus, vel ob loca, in quibus colebatur. Fuit Euchloa bene virens: Erinnys, quia preces exaudiat, vel quia habitet in terris; Ercynna, Panachæa, Mycaleſina, Lepreata, Aceſidora, Legifera, Ouifera, Pelaſgis, Proſymna, Thermeſia, Præſes, Terreſtris, Sacroſancta, atq; hæc ea ſunt quæ de Cerere frugum autore Dea memoriæ prodita ſunt ab antiquis. Hanc vocarunt Græci Δηώ, quia in omnes homines fuerit diſtributa, cum nihil aliud ſit Ceres, quam frumentum, vt eſt in eo carmine:

Νύμφαι ὕδωρ, πῦρ Ἥφαιστος, σῖτος Δημήτηρ.

*Nymphæ aqua ſunt, frumenta Ceres, Vulcanus at ignis.*

Cicero tamen in primo de natura Deorũ Cererem terram eſſe ſcribit hoc pacto: idemque diſputat, æthera eſſe eum

aliquot dies occultatur, antequã radices agat: mox Pã, natura ipsa scilicet, quæ insita est in seminibus, indicat Ioui, quia necessitate naturæ & ob insitum calorem herba in lucem erumpit, & emittũtur radices. Siue igitur terram Cererem esse putemus, cuius filia sit Proserpina vel seges: siue semen sit Ceres, cuius filia sit radix, omnino nata est Ioue patre, atq; res vtroque modo potest intelligi: quippe cum hæc omnia in idem recidere videantur. Non defuerunt tamen qui incredibilem annonę penuriã fuisse significari crediderint per eam fabulam, quod Pluto Proserpinam rapuit sub terras, quia ita corruptæ sint sementes cœli vitio & inclementia, vt pene extincta sint frumenti semina in Sicilia per id tempus. Dicta est Ceres in curru à draconibus tracto vehi, propter obliquitatẽ signiferi circuli: nam dum Sol sub eo percurrit, non Solum excitat semina è terra, sed etiã ad maturitatẽ perducit. Fama est Iasionẽ Iouis & Electræ filium fuisse amatũ à Cerere, cum quo in nouali congressa sit dormiente. Quid hoc significat? Nam cum Iupiter sit calor ætheris aut æther, Electra diligẽtia, (etenim Sol quoq; ἠλέκτωρ vocatur, quia ad opera homines excitet è lecto) patet Iasium horũ amborum filium nihil esse aliud quam æstatis calorem; quẽ Ceres amauit, & in nouali pręcipue, quia plurimũ confert ad agrorum fertilitatẽ vt arua quiescant aliquãdo, cum terra per quietẽ postea validior, si aptam agricolæ diligentiam consecuta sit, efficiatur. Alii filiũ Minois iustissimi viri, & Phroniæ prudentiæ scilicet, à Cerere amatum fuisse putarunt, quod hæ res ocium grauissimũ parant agricolis: cum splendor ex iustitia, paceq; ciuitatũ plurimũ rebus vniuersis accedat. Ex his igitur nascitur Plutus diuitiarum Deus, quoniã terræ feracitas è cœli benignitate, & ex hominum diligentia plurima fiat: quamuis tamen nonnulli, quia primus Plutus diuitias cumulauerit, illum diuitiarum Deum putarunt; cum ante illum nemo vllam diuitiarum curã haberet, nemoq; diuitias cumularet. Dicta est Sicilia fuisse Cereri consecrata, quoniã frumenti feracissima sit illa insula. Dicitur Ceres orbem terrarũ peragrasse, quoniã propter signiferi obliquitatem variis temporib. in variis locis fit æstas: neq; Ceres nisi per æstatẽ ad maturitatem potest peruenire. Hæc Triptolemum, cui semina frugum dedit, sub igne per noctem fuit occultare solita, quare

is mirifice nutriebatur: hoc quidē nihil aliud est quam seminis ratio. Nam cum noctes longiores æquo sentiuntur post æquinoctium, sub initium frigoris & hyemis scilicet, calor sub terrā paulatim includitur a circumstante frigore, quo fit vt radices frugum mirifice augeantur, plurimoq; impleantur nutrimento, quo terra ob autumni pluuias referta est. Idcirco cum non valde lenia sunt frigora per hyemem, cum radices sub terra eximie crescant & impleantur nutrimento, in futurā æstatem fertilissimas messes parant, nisi quid diuinitus impedierit ad reprimendam hominum improborum superbiam & petulantiam, quæ plurima cum vbertate annonæ crescit. Inde scite fictum est ab antiquis quod filiā quæreus faces ex Ætna accenderit, quia semper cum infra est calor, inferiores partes frugum aluntur. cum vero superius est idem calor, superiores crescunt. Multa sacrificia fuerunt Cereri instituta ab antiquis, vel mulieri ita vocatæ inuentrici frugum vere, vel terræ ipsi: quando nō solum sidera, sed etiam elementa ipsa, aut elementorū partes variis Deorum nominibus appellantes, tanquam Deos coluerunt, illisq; templa, aras, sacerdotes, certas victimas, certum ceremoniarum ritum, instituerūt. Id vero quod de filia Erisichthonis dictum est, ita quidam interpretantur, vt Erisichthon vir imprudens, rerumq; suarū profusor fuerit; quippe cum omnia sua dilapidauerit ac ingurgitauerit: mox ob extremā rerum omnium inopiā filiam prostituerit, quæ modo bouem, modo ouem, pecunias in concubitus mercedem accipiens, modo res alias ab amantibus extorquens, ita paternæ inopiæ subueniebat. Atqui nullam ego satis idoneam horum fingendorum causam in hac explicatione inesse video, atq; aliud quidpiā illustrius sub his latere iudico: cum præsertim illud Deæ ita propter contēptam eius religionē & cultum passus sit. Significare voluerunt sane antiqui per hanc fabulam neminem qui religionem Deorum immortalium contempserit, domesticas calamitates deuitare posse: quippe cum omnis improbitatis miseriæ sint comites. Deinde patet ex hac fabula imprudētem hominem necesse esse in multa scelera & incommoda incurre: quippe cum Erisichthon etiam, vbi sua per luxuriam & crapulam profudisset, postea victum per sordes domesticas, & per turpitudinem sibi malis artibus comparare co-

recogeretur. Quare, vt summatim dicam, & pietas in Deos immortales, & in rebus agendis prudentia, & in præsentib. bonis conseruandis parsimonia maxime viro bono est necessaria, quod per Erisichthonis fabulam indicabatur. At Cereris fabula & vniuersa quę de illa conficta sunt, nihil aliud continebant, nisi sationis rationem, & quo pacto frumenta crescerent, & qua diligentia in illis colligendis vti conueniret. At de Cerere satis, nunc de Priapo dicamus.

## De Priapo. CAP. XV.

PRiapus, quem hortorum Deum esse antiqui crediderũt, è quibus parentibus ortus fuerit, non conuenit inter scriptores: siquidem alii Naiadis Nymphæ ac Dionysi filiũ fuisse tradiderunt, vt ait Strabo lib. 13. alii non Naiadis, sed Chiones fuisse dicunt. Hunc natum fuisse in Lampsaco, ibique ciuitatẽ sui nominis condidisse memorant. Apollonius Venerem cum Baccho congressam fuisse scribit: deinde cum is ad Indicam expeditionem exiuisset, cum Adonide sæpius congressa Priapum concepit. Cum vero Dionysius reuerteretur, illi obuiam cum corona processit, illumq; coronans sequi quidem noluit, quia puderet, quod nupsisset: at in Lampsacum recedens ibi parere decreuit. Tum Iuno capta zelotypia simulans se opem ferre, manu venefica vterum attigit, fecitque puerum deformem, & præ cæteris incredibilem membri pudendi magnitudinem habentem pareret, quem Priapum nominauit. Hunc cum vidisset Venus, noluit illum capere ob membri magnitudinẽ, sed in Lampsaco vrbe maris Hellesponti reliquit. Huius deformitatem ita complexus est Archias in his carminibus:

*βαιὸς ἰδεῖν ὁ Πρίηπος, ἐπ' αἰγιαλίτιδι ναίω*
*χηλῇ, αἰθυίαις οὔποτε ἀντηεῖης·*
*φοξὸς, ἄπους, οἷόν κεν ἐρημαίῃσιν ἐπ' ἀκταῖς*
*ξέσσειαν μογερῶν υἱέες ἰχθυβόλων.*

*Littora paruus ego hic habito saxosa Priapus,*
*Nullaque cum mergis bella cruenta gero:*
*Distortus vultus, pes nullus: falce dolando*
*Piscator talem finxerit, aut melius.*

Deinde cum adoleuisset, pergratusque foret Lampsacenis mulieribus, Lampsacenorum decreto ex agro Lampsaceno exulauit. Fabulati sunt antiqui Lotidẽ nymphã Priapi libi-

dinem fugientē in Loton fuisse mutatā. Memoriæ prodidit Euseb. in lib. de Falsa Religione, Priapum aliquando cum vno ex illis asellis, qui Bacchū in Indicam expeditionē proficiscentem trans quendam fluuiū transuexere, de membri magnitudine decertasse, (fuit autem tanti id asellorum beneficium creditū, vt illi sint idcirco inter sidera relati, & alteri eorū concessum est, vt loqui posset) qui cum victus fuisset, victorem ob inuidiā occidit. Mansit deinde ea consuetudo in sacris, vt asinus Priapo tanquā inuisum & inuidiosum animal immolaretur. Scripsit Ouid. lib. 1. Fastorum per solennitatem matris Deorum, ad quam omnes Dii conuenerāt, post epulas lautissimas Priapum fuisse pudicitiæ Vestæ insidiatū. Nam cum Dii cæteri lusibus indulgerent, Vestaq; in molli herba somnū caperet, ab asino Sileni excitata fuit, ne vim Priapi pateretur: tum vero deterius fuit ab inceptis Priapus, omnesq; ceciderunt insidię, & asinus ex eo tempore Priapo mactatus fuit in sacrificiis. Memoriæ proditum est ab antiquis rerū Ægyptiarum scriptoribus, quod Titanes insidiati Osiridi illum trucidarūt, atq; partem suā quisq; clam è domo abstulerunt: sola autē pudenda in fluuium proiecerunt, cū nemo vellet illa auferre. Isim resumpsisse membra de captis Titanibus memorant, hominemq; formasse, ac dedisse sacerdotibus sepeliendum. solum virile membrum non potuisse inueniri, quod imperatum est tanquā Deum coli, quod non modo diuinos honores ita fuit consecutum, sed etiam custodem hortorum ac vinearum & omnium fructiferarum arborū putarunt, vltoremq; ac vindicem fascinātium. Fuit portus Priapi nomine prope Dardaniam, & vrbs ad mare sita; quibus in locis eximie Priapus colebatur. Fuerūt qui memoriæ prodiderint Priapum fuisse virum Lampsacenum, qui cum haberet ingens instrumētum, & facile paratum plantandis ciuibus, grauissimus fuerit mulieribus Lampsacenis. ea causa postmodo fuisse dicitur, vt Lampsacenorum omnium cęterorum inuidiam in se conuerterit, ac demum eiectus fuerit ex ipsa insula. At illud facinus ægerrime ferētibus mulieribus, & pro se Deos precantibus, post cum nonnullis interiectis temporibus Lampsacenos grauissimus pudendorū membrorum morb. inuasisset, Dodonæum oraculū adeuntes percunctati sunt, an vllum esset eius morbi remediū his responsum est morbum

non

non prius cessaturum, quam Priapum in patriam reuocassent: quod cum fecissent, templa & sacrificia illi statuerunt, Priapumque hortorum Deum esse decreuerunt.

¶ Atque tot sunt de Priapo ab antiquis memoriæ prodita. Priapus Naiadis & Dionysi filius dicitur, quia pro semine rerum naturalium capitur. Dionysus enim Sol est, aut calor, at Nais humor, vt dictum est, è quibus semina concipiuntur rerum naturalium. Quidam Chiones filium putarunt, quia album sit, & lacti vel niui simile rerum prope omnium semen: nam Græci chiona niuem vocarunt. Qui Veneris & Adonidis filium esse crediderunt, in idem denique relabuntur, solisq; differunt nominibus. Alii Priapum Bacchi ac Veneris filium fuisse crediderunt, quia vinum propter calorem excitet libidinem, ac Deum putarunt Lampsaci ob fertilitatem & bonitatem vinorum, quæ ibi nascerentur. Illius imago sinistra manu mentulam, dextra falcem tenebat, quod omnium nascentium temporis certi & cuique concessi certa sit meta, qua vitam abscindi necesse est. Fuerunt tamen nonnulli, qui Priapum nullum esse alium quam Pana putauerint. Verum vel nominis ipsius etymologia indicat Priapum esse semen. Quod Venus ipsum ob deformitatem in Lampsaco reliquit, nihil aliud significat, nisi res multas naturæ esse necessarias, quas tamen ob turpitudinem natura occultauit: sic pudenda hominum villis occultantur, & sunt in parte corporis occultiore: sic anum modo intra nates occuluit, modo sub caudarum integumento locauit, modo ita fecit occultum, vt in nonnullis eum dignoscere haud facile sit, vt in piscibus, modo non apparet omnino, vt in genere conchyliorum, & testa insectorum. Nam cum deformia sint, & ab ipsa natura consulto abscondita illa membra, tum turpia sunt illorum officia, quamuis necessaria. idcirco & nos aliquando rei Venereæ obscœnitatem ita breuiter expressimus:

*Nil amor est aliud, Veneris quam parua voluptas,*
*Quæ simul expleta est, inficit ora rubor.*

Deformis igitur & obscœnus Priapus iure optimo fingitur quia turpis est illa naturæ actio: & quam nemo prorsus appeteret, nisi illam cæca suauitatę natura respersisset. At nunc de Adoni dicamus.

## De Adoni. CAP. XVI.

ADonis Priapi pater Myrrhæ filius fuit & Thiantis, quæ cum in furiosum patris amorem incidisset, clam cum eo congressa hunc concepit. ac patre id postea sentiente Deos precata est, vt in aliam formam, quæ neq; inter mortuos esset, neque inter viuos, mutaretur: quare in arborem sui nominis fuit conuersa, vt testatur Lycophron in his:

> ——— ὄψεται δὲ τλήμονος
> Μύῤῥας ἐρυμνὸν ἄστυ, τῆς μογοστόκους
> ὠδῖνας ἐξέλυσε δενδρώδης κλάδος.

> ——— *Myrrhæ cernetis*
> *Tutam misellæ ciuitatem: nam dolor*
> *Vt famam ramo est huic opertus arboris.*

Ouid. lib. 10. Metamorph. non ex Thiante, sed ex Cinyra patre, qui Rex fuit Cypriorum, Myrrham Adonim concepisse scribit, quod multis versibus complexus fuit. hunc Naiades nutriuerunt susceptum, vt est in his:

> *Reddidit onus, vagitq; puer: quem mollibus herbis*
> *Naiades impositum lacrymis vnxere parentis.*

Fuerunt autem duo Adones alter in Byblo ciuitate natus, alter in Cypro, vt ait Isacius, cum tamen res amborum gestæ ad vnum Cyprium referantur, cum igitur Myrrha in arborem mutaretur, filiumque eximiæ pulchritudinis peperisset, iam tum eius amore capta est Venus; qui cum adoleuisset monitus est à Venere vt feras immitiores caueret, eũque venando sequebatur, & precabatur Venus, vt ab armatis feris abstineret, vt in his ait Ouid. lib. 10.

> *Per iuga, per syluas, dumosaq; saxa vagatur,*
> *Nuda genu, vestem ritu succincta Dianæ;*
> *Hortaturq; canes: tutæq; animalia prædæ,*
> *Aut pronos lepores, aut celsum in cornua taurum,*
> *Aut agitat damas: à fortibus abstinet apris,*
> *Raptoresq; lupos, armatosq; vnguibus vrsos*
> *Vitat, & armenti saturatos cæde leones.*
> *Te quoq; vt hos timeas si quid prodesse monendo*
> *Posset, Adoni monet: fortisq; fugacibus esto,*
> *Inquit: in audaces non est audacia tuta.*

Verumtamen cum ille immemor mandatorum Veneris in aprum violentum postea irruisset, ab illo in femore percussus in-

ſus interiit, vt teſtatur Theocritus in Epitaphio Adonis:

*κεῖται καλὸς Ἄδωνις ἐπ' ὤρεσι, μηρὸν ὀδόντι*
*λευκῷ λευκὸν ὀδόντι τυπείς.*
*Dente femur niueo niueus iacet ictus Adonis*
*Montibus in ſummis.*

Scriptum reliquit Sappho Adonim mortuum fuiſſe à Venere inter lactucas depoſitum. Fama eſt præterea Venerem pactam eſſe cum Proſerpina vt ſex menſes mortuus Adonis eſſet apud Proſerpinam, ſed ea lege ne illum Proſerpina in thorum, aut in amplexum acciperet: alios ſex menſes eſſet apud Venerem. Fuerunt tamen qui dixerint, non ipſum quidem Adonim in aprum irruiſſe, ſed ab apro impetum factum fuiſſe in Adonim, & id Martis conſilio contigiſſe. Nam cum Mars Venerem, Venus Adonim amaret & ſequeretur, ratus eſt Mars omnes Veneris amores poſſe in ſe conuerti, ſi Adonim de medio ſuſtuliſſet: atq; illi apro immiſſo cum Venus opem ferre properaret, pede à ſpina roſæ vulnerato purpureum colorem roſæ, cum prius eſſet candida, datum fuiſſe fabulantur. Fuerunt Adonidi ſacra inſtituta, quæ Adonia dicta ſunt, quæ Athenis celebrabantur, de quibus meminit Ariſtophanes in Pace. In his ſacrificiis autumni fructus cuiuſuis generis adhibebãtur, quæ ἀκρόδρυα dicitur à Græcis. conſueuerunt præterea & hordeum & triticum ſerere in locis ſuburbanis, atque ea loca in quibus hæc ſata fuiſſent, multæque eſſent fructiferæ arbores hortos Adonios appellare: quia locis huiuſmodi Adonis delectaretur. atque de iis fructibus, qui offerebantur Adonidi, ita meminit Theocritus in Adonia celebrantibus;

*πὰρ μὲν οἱ ὥρια κεῖται, ὅσα δρυὸς ἄκρα φέροντι.*
*Nec ſibi deſit, ait, quod rami tempore mittunt*
*Autumni.*

Agebatur Alexãdriæ præſertim Adonidis celebritas, cuius imago cũ magna pompa ferebatur: qui colebatur etiam in illa vrbe Macedoniæ, quam Dium vocabant; quo cũ Hercules veniſſet, multoſq; vidiſſet euntes è ſacello, interrogauit quendam de præſentibus, eo & ipſe ingreſſurus cuius eſſet Deorum illud fanum. Cum is Adonidis dixiſſet, nihil eſt, inquit religioſum. Quid ageretur apud Aſſyrios in Adoniis, declarauit Lucianus ita in Dea Syria: λέγουσι γὰρ δὴ ὧν

τὸ ἔργον τὸ ἐς Ἄδωνιν ὑπὸ τοῦ συὸς ἐν τῇ χώρῃ τῇ σφετέρῃ γενέσθαι, καὶ μνήμην τοῦ πάθεος, τύπτονταί τε ἑκάστου ἔτεος, καὶ θρηνέουσι καὶ τὰ ὄργια ἐπιτελέουσι. καί σφισι μεγάλα πένθεα ἀνὰ τὴν χώρην ἵσταται. ἐπεὰν δὲ ἀποτύψωνταί τε, καὶ ἀποκλαύσωνται. πρῶτα μὲν καταγίζουσι τῷ Ἀδώνιδι, ὅκως ἐόντι νέκυϊ. καὶ δὲ τῇ ἑτέρῃ ἡμέρῃ ζώειν τέ μιν μυθολογέουσι. καὶ ἐς τὸν ἠέρα πέμπουσι. *Dicunt enim in sua regione contigisse, vt Adonis ab apro ictus fuerit: atque ad eius rei memoriam singuli quotannis se plectunt, & lamentantur, & diem celebrant, & magnus luctus in illa regione per id tempus exoritur. vbi vero se percusserint, & luxerint, primum Adonidi inferias persoluunt, tãquam vita defuncto: deinde altero die ipsum viuere inquiunt, & in cœlum mittunt.* Fuit celebertimum omnium fanum illud Adonidis in Cypro, in quo præclarum & multi nominis Harmoniæ monile fuit, quod tamen Eriphyles vocatum est, quia illo accepto hæc virum suum per proditionem perdiderit, vt ait Pausanias in Bœoticis. Est Adonis præterea nomen fluuii, qui per Libanum defertur, dicebaturque cruentus fluere quo tempore Adonia agebantur. Atque tot de Adonide memoriæ prodita sunt ab antiquis. Fabulati sunt matrem Adonidis in arborem ob pudorem conuerti optasse, quia quod concubuisset cum patre, hominum conspectum deuitare cuperet, quod ad muliebrem cupiditatem pertinet. nam hominum fabulas magis ad mores Deorum, ad physicas rationes spectare diximus. hoc autem quæ sit flagitiorum & libidinum conscientia declarat, quantopereque vel metu vel pudore anteactorum scelerum scelerati, conscientiaque exagitentur: & qualia sint mortalium vota, cum quid parum honestum à Diis impetrare contendimus. nam qui ventorum compotes facti fuerunt aliquando, tum demum intelligũt quam absurda, vel turpia, vel damnosa, vel iniqua & impia cupierint: quæ antequam consequerentur se infœlices & miseros exclamabant. Fuerunt qui hactenus dicta de matre Adonis ad historiam flectant, & ad matrem cuiusdam Adonidis, cum tamen Adonim tritici semen esse sentiant, vt testatur Theocriti enarrato. λέγουσι δὲ περὶ τοῦ Ἀδώνιδος ὅτι καὶ ἀποθανὼν ἓξ μῆνας ἐποίησεν ἐν ταῖς ἀγκάλαις τῆς Ἀφροδίτης ὥσπερ καὶ ἐν ταῖς ἀγκάλαις τῆς Περσεφόνης. τοῦτο λεγόμενον, τοιοῦτόν ἐστιν ἀληθῶς, ὅτι ὁ Ἄδωνις, ἤγουν ὁ σῖτος σπειρόμενος, ἓξ μῆνας ἐν τῇ γῇ ποιεῖ ὑπὸ τῆς σπορᾶς καὶ

ἓξ μῆ-

ἓξ μῆνας ἔχει αὐτὸν ἡ Ἀφροδίτη, τουτέστιν, ἡ εὐκρασία τοῦ ἀέρος. καὶ ἐκ τότε λαμβάνουσιν αὐτὸν οἱ ἄνθρωποι. *Aiunt enim de Adonide quod mortuus sex menses moratus est in complexu Veneris, quod etiam apud Proserpinam. Hoc reipsa ita se habet: quod Adonis frumentum est satum, quod sex menses degit sub terra: sex menses illum habet Venus, aeris temperies, scilicet, ex quo illum messores colligunt.* Sensit tamen Orpheus in hymno in Adonim, illum esse Solem, cum illum rebus omnibus præbere nutrimentum, & esse germinandi autorem dixerit in his:

εὔβουλε, πολύμορφε τροφὴ πάντων ἀρίδηλε·
κούρη, καὶ κόρε, σὺ πᾶσι θάλος αἰὲν Ἄδωνι.
σβεννύμενε, λάμπων τε καλαῖς ἐν κυκλάσιν ὥραις.
*Quis cunctis alimenta refers prudentia cuius*
*Plurima, qui vario lataris numine Adoni:*
*Germinum & idem autor. pariter puer atq; puella:*
*Extincte, atque iterum splendens labentibus horis.*

Finxerunt antiqui, qui Adonim Solem esse putarunt, illum ab apro hirsuta & aspera fera ictum, quia aspera fit & hirsuta hyems, per quam Solis vires paulatim deficiunt. ea res est omnino Veneri inimica, quoniam per aeris temperiem viget Venus, cum frigus, vt inimicum, naturę opus non ingrediatur. Cum Sol igitur in signis sex Australibus extiterit per signiferum incedens, breuioresq; sunt dies ac longiores noctes, tum dicitur Adonis apud inferos morari: cum vero signa Borealia longiores dies fecerint, tunc est apud Venerem, per quam omnis vetustas, omnisque nitor aruis restituitur. ea de causa illum ait Orpheus modo esse apud superos, modo apud inferos:

ὅς ποτὲ μὲν ναίεις ὑπὸ τάρταρον ἠερόεντα,
ἠδὲ πάλιν πρὸς ὄλυμπον ἄγεις δέμας ὡρεόκαρπον.
*Qui modo sub terris habitas, & tartara nigra,*
*Frugiferumque refers in cœlum corpus & idem.*

Ita enim sub his fabularum figmentis vniuersas propè res naturæ antiqui declararunt, non minus sapienter quam Platonici aut Peripatetici: nam si contentiones ex Aristotelis libris eximantur, perbreues erunt sententiæ, quæ nunc magnis voluminibus continentur, at nunc de Sole dicamus.

(o)

## De Sole. CAP. XVII.

SOLEM, quem generationis & omnium prope bonorum autorē Deo ita iubente habemus, nōnulli ita fabulis implicarunt, vt vix tandē se quasi è nebula explicare aliquãdo possit. Hunc genitum esse pleriq; crediderunt: neq; tamen è quibus parentibus inter se consentiunt: at enim de vna re eodē modo vna est necessario oratio, neq; contrariæ de eadem re simul veræ esse nunquã possunt. nemo sane nesci potest è pluribus parētibus, vt neq; ex eodē diuersis temporibus. Hesiodus igitur in Theogonia Thiam Solis, & Lunæ & Auroræ matrē, patrem Hyperionem fuisse in his scribit:

Θεία δ' Ἠέλιόν τε μέγαν, λαμπράν τε Σελήνην,
Ἠῶ θ', ἣ πάντεσσιν ἐπιχθονίοισι φαείνει,
ἀθανάτοις τε θεοῖς, τοὶ οὐρανὸν εὐρὺν ἔχουσι,
γείναθ' ὑποδμηθεῖσ' Ὑπερίονος ἐν φιλότητι.

*Thia parit Solem magnum, Lunamque nitentem,*
*Auroram, quæ fert lucem mortalibus almam*
*Cœlicolisque Deis cunctis. Hyperionis almi*
*Semine concepit namque illos Thia decora.*

At Homerus in hymno, quem scripsit in Solem Euryphaessam matrem fuisse Solis scribit, patrem vero, Terræ ac Cœli filium Hyperionem, vt patet ex his:

Ἥλιον ὑμνεῖν αὖτε Διὸς τέκος ἄρχεο Μοῦσα
Καλλιόπη φαέθοντα, τὸν Εὐρυφάεσσα βοῶπις
γείνατο Γαίης παιδὶ, καὶ Οὐρανοῦ ἀστερόεντος.
γῆμε γὰρ Εὐρυφάεσσαν ἀγακλειτὴν Ὑπερίων
αὐτοκασιγνήτην, ἥ οἱ τέκε κάλλιμα τέκνα,
Ἠῶ τε ῥοδόπηχυν, ἐϋπλόκαμόν τε Σελήνην,
Ἠέλιόν τ' ἀκάμαντα.

*Calliope Solem Iouis alto ĕ semine nata*
*Nunc rursus Phaëthonta refer: quem diua creauit*
*Euryphaessa sato Terra Cœloque micanti.*
*Frater erat, coniunx Hyperion Euryphaessa*
*Mox fuit: hæc illi peperit dein pignora clara,*
*Auroram roseam, & præstanti lumine Lunam,*
*Perpetuoque orbem lustrantem lumine Solem.*

Fuit enim Hyperion Terræ, & [vt alij putarunt] Cœli, vt alij Titanis filius: alius fuit Agamemnonis, de quo meminit Pausanias in Atticis, qui postremus regnauit Megaris. Hic cum cæteris Titanibus aduersus Iouis imperium minime

nime consensit, sed potius Iouis partes secutus post victoriam currum,& coronam, & multa alia honoris insignia,& Iouis erga se beneuolentiæ obtinuit. Hic cum Titanis fuisset nepos, Titan & ipse sæpius vocatus est à poetis, vt testatur. Virg.lib.4.

*— vbi primos crastinus ortus*
*Extulerit Titan, radiisq; retexerit orbem.*

Fuerunt Soles plures vocati, vt ait Cicero lib. 3 de natura Deorum, quare non mirum est si aliqua sit de Solis parentibus controuersia: nam de vno omnia prope dicuntur, quæ gesta sunt à cæteris. Sic autẽ inquit Cicero: Vnus igitur eorum qui Soles dicti sunt, è Ioue natus, nepos Ætheris fuisse dicitur: Alter, Hyperione Tertius, Vulcano Nili filio, cuius vrbem Ægyptij volunt esse eam, quæ Heliopolis appellatur, Quartus is quem heroicis temporibus Achanto Rhodi peperisse dicitur, auũ Ialysi, Camiri, & Lindi. Quintus, qui Colchis fertur Æetã & Circen procreauisse. Cum vero Sol Deus esse crederetur, omniaque suo lumine illustrare, ac videre, Dei lampas dictus est ab Euripide ita in Medea:

*——— προὐννέπω δέ σοι,*
*εἴ σ' ἡ πιοῦσα λάμπας ὄψεται θεοῦ*
*——— nuncio tibi,*
*Si te Dei lampas vidibit crastina.*

Atque vt summatim dicam, post ipsum Deum rerum omnium autorem ac moderatorem. Solem patrem & autorem generationis crediderunt esse antiqui: quippe quod ille omnium creditorum Deorum vires vnus reipsa contineret, cum varia nomina ipsis viribus fuissent indita, vt patet ex his carminib. Sapphicis à nobis olim in Latinam linguam translatis:

*Phœbi stellarum moderator alme,*
*Qui diem curru nitido reducis*
*Plaga ab Eoa, plagisq; liberi*
*Condis in vndas:*
*Magne Musarum pater atq; ductor,*
*Diligens summi patris ô minister,*
*Grande cœlorum decus, alma præbens*
*Lumine mundo:*
*Te ferunt clarum leuibus sagittis:*
*Te ferunt artis cithara peritum:*

*Quæque mox cœli meditentur astra*
*Dicere doctum.*
*Grande syluarum decus, ipse pingis*
*Floribus terram, volucresque rident*
*Per te, vbi vernæ placidis tepescunt*
*Flatibus auræ.*
*Te sine eneruis Venus, atque Amori*
*Decidunt alæ: veterum Deorum*
*Vim tenes vnus, variosque in vno*
*Nomine claudis.*

Nam profecto tanta fuit simplicitas antiquorum, tantaq; dementia, vt diuinos honores rebus humanis, & simulacris elementorum, aut elementorum viribus tribuerint, qui soli vero, sancto, immaculato Deo debebantur. quod certe patere existimo nostros hos mythologicos libros diligentius intuenti, fabularumque ipsarum inuentionem, quarum declaratio apertior & vberior quod in nostra tempora mihi fuerit reseruata, est cur Deo omnipotenti redemptori nostro gratias immortales agā, cuius beneficio mihi concessum est has priscorum insulsas ambages, nihilque vero religiosum cōtinentes aperire, sed tantum figmēta esse demonstrare ad res philosophicas explicandas. Nam Solem ipsum cuncta videre, cuncta audire, cuncta cognoscere mortalia arbitrati sunt antiqui, vt ait Æschylus in Prometheo:

καὶ τὸν πανόπτην κύκλον Ἡλίου καλῶ.
*Voco videntem cuncta Solis circulum.*

Quem tamen quidam Dei simulacrum in mundo esse censuerunt, tum quia cunctis sideribus sit fons luminis, & beneficentiæ in omnes res naturales autor, tum etiam quia suo cursu præsit cæteris omnis iustitiæ & administrationis moderator, vt ait Plutarchus in libello de doctrina principum. Hunc in curru vehi solitum putarunt antiqui, vt ait Horatius in carmine Seculari:

*Alme Sol curru nitido diem qui*
*Promis & celas.*

Huius vero currus magnificentiam & mirabilitatem descripsit Ouid. lib. 2. Metamor. trahebatur vero ab equis quatuor, vt ait Euripides in Phœnissis:

οἱ τὰ τέθριππά γ' ἐς ἅρματα λεύσσων

Ἡλίου

*Ἠέλιον.*

*Si vel quadrigas Solis & currum intuens.*

Fuerunt eorum nomina ita equorum dicta ab Ouid. lib. 2. Metamorph.

*Interea volucres Pyrois, Eous, & Æthon,*
*Solis equi, quartusque Phlegon hinnitibus auras*
*Flammiferis implent.*

His quadrigis aureas habenas habentibus moderari putabatur, & lucis vitæque Quæstor vocatus est à Proculo Lycio. clauiumque rerum humanarum gubernator, vt patet ex his carminibus:

*κλῦθι πυρὸς νοεροῦ βασιλεῦ χρυσήνιε Τιτάν,*
*κλῦθι φάους ταμία, ζωαρχὲ ὦ ἄνα πηγῆς,*
*αὐτὸς ἔχων κλῇδα καὶ ὑλαίοις ἐνὶ κόσμοις.*
*Audi flammarum Titan rex, qui aurea equorum*
*Lora tenes, lucis quæstor vitæque orientum*
*Claues fontis habes, dominaris & omnibus vnus.*

Hunc crediderunt antiqui currum mergere in Oceano, vt ait Virg. in 3. Georgicorum:

*Tum Sol pallentes haud vnquam discutit vmbras,*
*Nec cum vectus equis altum petit æthera, nec cum*
*Præcipitem Oceani rubro lauit æquore currum.*

Quidam putarunt equos Solis lumen efflare solitos è naribus, quam opinionem secutus Virgilius, ita scripsit libro duodecimo Æneidos:

*Postera vix summos spargebat lumine montes*
*Orta dies, cum primum alto se gurgite tollunt*
*Solis equi, lucemque elatis naribus efflant.*

Alij non mergi quidem Solem in Oceanum crediderunt, sed in poculo nauigare, quod & Stesichorus, & Antimachus & antiquorum plures crediderunt. Verum dixerunt nonnulli Vulcanum thorum fabricasse Soli ita profundum ex auro, vt in eo per noctem, cum ad Oceanum defessus diurno labore itineris peruenisset, & dormiens nauigare posset ad orientem. Ibi currus illi perfecto astabat, quem ascendens cœlum conscenderet, quod faciebat quotidie. Quæ opinio apparet fuisse etiam Mimnermi, vt patet ex his carminibus Pumilionis:

Ἠέλιος μὲν γὰρ ἔλαχεν πόνον ἤματα πάντα·
 οὐδέ ποτ' ἄμπαυσις γίνεται οὐδεμία,
ἵπποισίν τε καὶ αὐτῷ, ἐπεὶ ῥοδοδάκτυλος Ἠὼς
 Ὠκεανὸν προλιποῦσ' Οὐρανὸν εἰσαναβῇ.
τὸν μὲν γὰρ διὰ κῦμα φέρει πολυήρατος εὐνὴ
 κοίλη, Ἡφαίστου χερσὶν ἐληλαμένη
χρυσοῦ τιμήεντος ὑπόπτερου, ἄκρον ἐφ' ὕδωρ
 εὕδονθ' ἁρπαλίως χώρου ἀφ' Ἑσπερίδων
γαῖαν ἐς Αἰθιόπων, ἵνα οἱ θοὸν ἅρμα καὶ ἵπποι
 ἑστᾶσ', ὄφρ' Ἠὼς ἠριγένεια μόλῃ.
ἔνθ' ἐπέβη ἑτέρων ὀχέων Ὑπερίονος υἱός.

*Longa laborantem Solem lux prospicit: illi*
 *Noscitur & lucis tempore nulla quies:*
*Nec cessantur equi: postquam Pallantias orta*
 *In mare purpuream astra fugauit equis.*
*Fluctibus at lectus fert hunc Vulcanius. illum*
 *Vulcanus manibus fecerat ipse suis,*
*Ex auro, celerem, pelagi per summa volantem.*
 *Sopitumq; locis fertur ab Hesperidum,*
*Donec ad Æthiopas veniat: firmatur equorum*
 *Currus, dum redeat Memnonis alma parens.*
*Tunc alios scandit currus Hyperione natus.*

Fuerunt etiam qui putarunt vbi ad orientem Sol peruenisset, currum illi ab Horis paratum, at non sua sponte assistere, cum illæ sub iugum equos Solis veniente Aurora adducerent. Homerus lib. 4 Odyss. duos tantum Solis equos numerauit, Lampum scilicet, & Phaethontem, qui diem & Auroram portarent hoc pacto:

 ——— Ἠῶ δ' αὖτε
ῥύσατ' ἐπ' Ὠκεανῷ χρυσόθρονον. οὐδ' ἔα ἵππους
 ζεύγνυσθ' ὠκύποδας φάος ἀνθρώποισι φέροντας,
Λάμπον καὶ Φαέθονθ', οἵ τ' Ἠῶ πῶλοι ἄγουσι.
 ——— *Auroram fluctibus inde*
*Rursus ab Oceani traxit, nec passa iugales*
*Iungere equos celeres, portantes lumina rebus.*
*Ceruice Auroram Lampum & Phaethonta trahentes.*

Alij tamen his Erythræum & Acteonem, addiderunt. Alij parua lumina in oriente quotidie coire putabant, quæ ad noctem vsque perdurarent, & circumlata paulatim vesperi extin-

extinguerentur easque flammas Solem orientem esse crediderunt, vt scripsit Epicureus philosophus poeta lib 2.

*Aut quia conueniunt ignes, & semina multa*
*Confluere ardoris consuerunt tempore certo:*
*Quæ faciunt Solis noua semper lumina gigni.*
*Quod genus Idæis fama est in montibus altis*
*Dispersos ignes orienti lumine cerni.*

Cum vero Sol Lunæ cæterisque sideribus lumen impertiat, merito siderũ dominus & moderator fuit appellatus. quem etiam quod autor sit generationis, dùm per obliquum circulum percurrit, Deum putarunt antiqui, vt ait Euripides in Oreste:

καὶ πῶς σιωπῶ; φέγγος εἰσορᾶν θεοῦ
τὸ δ᾽ οὐκέθ᾽ ἡμῖν τοῖς ταλαιπώροις μέτα.
*Et qui tacebo? lumen haud nobis Dei*
*Licet misellis amplius quod cernere.*

Idcirco Libyæ populi, quod manifesta Solis & Lunæ beneficia in humanum genus intuerentur, de Dijs reliquis minime erant soliciti, cum Soli & Lunæ sacrificarent, vt ait Herodotus in Melpomene θύουσι δὲ Ἡλίῳ καὶ Σελήνῃ μούνοισι τούτοισι μὲν νυν πάντες Λίβυες θύουσι. *Sacrificant Soli & Lunæ solis; quibus omnes Libyæ populi solent immolare.* Fabulati sunt Solem habuisse propria boum armenta & ouium greges, quos Horæ & Nymphæ illæ custodiebant, quas recensuit ita Homerus pascere in Thrinacia libro μ. Odysseæ.

Θρινακίην δ᾽ ἐς νῆσον ἀφίξεαι. ἔνθα δὲ πολλαὶ
βόσκοντ᾽ Ἠελίοιο βόες, καὶ ἴφια μῆλα,
ἑπτὰ βοῶν ἀγέλαι, τόσα δ᾽ οἰῶν πώεα καλά.
πεντήκοντα δ᾽ ἕκαστα, γόνος δ᾽ οὐ γίνεται αὐτῶν,
οὐδέ ποτε φθινύθουσι. θεαὶ δ᾽ ἐπὶ ποιμένες εἰσὶν,
Νύμφαι ἐϋπλόκαμοι Φαέθουσά τε Λαμπετίη τε,
ἃς τέκεν Ἠελίῳ Ὑπερίονι δῖα Νέαιρα.
*Insula Thrinacia est, quo peruenies: vbi Solis*
*Permulta pascuntur, oues armenta boumque:*
*Balantumque greges sunt septem, armenta boum tot.*
*Quinquaginta tenet nam singula, nascitur ex his*
*Nil, nec obit, pascuntque Deæ præ pinguibus herbis,*
*Formosæ Nymphæ, Phaethusaque, Lampetieque,*
*Quas Hyperionidæ peperit diuina Neæra.*

Hæc armenta non procul à Tænaro fuiſſe ſcribit Homerus in hymno in Apollinem. Memoriæ prodidit Herodotus in Calliope in Apollonia, quæ regio eſt in ſinu maris Ionij, oues fuiſſe ſacras Solis, quæ per diem ſecundum eum fluuium paſcerentur, qui è Lacmone Apolloniæ monte apud Oricum portum olim vocatum in mare defluebat: has per noctem qui diuitijs & nobilitate inter illos præſtant, ſinguli per anni ſpacium ſeruare domi ſoliti fuerunt. Paſcebantur boues etiam Deorum communes in Pierijs montibus, de quibus ita ſcripſit Homerus in hymno in Mercurium;

——— αὐτὰρ ὁ Ἑρμῆς
Πιερίης ἀφίκανε θέων ὄρεα σκιόεντα,
ἔνθα θεῶν μακάρων βόες ἄμβροτοι αὖλιν ἔχεσκον
βοσκόμεναι λειμῶνας ἀκηρασίους ἐρατεινούς.

*——— Nympha ſed Atlantide natus*
*Pieria montes adijt, lucoſque virentes:*
*Huc vbi habere boues ſolita ſtabula alta Deorum*
*Æterna aſſuetaque iugis, pratisque decoris.*

Multi fuiſſe Solis filij cõmemorantur, quos è diuerſis mulieribus & nymphis ſuſcepit. Nam è Clymene genuit Phaethontem: è Meæra Lamperien & Phaetuſam & Paſiphaen: Augiam è Calypſo: è Perſeide Circen, Aloeum: & Æetam, & Themim ſiue Ichneam. At Eumulus Corinthius hiſtoricus poeta Aloeum & Æetam Solis & Antiopes filios putauit, cum ita ſcripſerit:

ἀλλ' ὅτε δ' Αἰήτης καὶ Ἀλωεὺς ἐξεγένοντο.
Ἠελίου τε καὶ Ἀντιόπης, τότε δ' ἄνδιχα χώρην
δάσσατο παισὶν ἑοῖς Ὑπερίονος ἀγλαὸς υἱός.
ἣν μὲν ἔχεν Ἀσωπὸς, τὴν πόρε δίῳ Ἀλωεῖ.
ἣν δ' Ἐφύρη κτεάτισσ', Αἰήτῃ δῶκεν ἅπασαν.
Αἰήτης δ' ἄρ' ἑκὼν Βούνῳ παρέδωκε φυλάσσειν,
εἰσόκεν αὐτὸς ἀνὴρ εἰς ὕστερον αὖθις ἵκοιτο.

*Natus vbi Æeta eſt, ſimul & præclarus Aloeus,*
*Solis & Antiopes nati; hic Hyperionis alto*
*Sanguine progenitus pueris ſua regna duobus*
*Ceſſit. Aſopus & hoc diuino ceſſit Aloei*
*Quod tulit: hoc Ephyreſque Æetæ præbuit omnes*
*Hoc Buno ſeruare lubens Æeta reliquit,*
*Donec vir factus poſt tempora certa rediret.*

Dicitur

Dicitur & Anaxibiam nympham fuisse insecutus vim illaturus, quæ vbi in sacellum Rectæ Dianæ confugisset in monte Vertice nomine situm, mox euanuit: at Sol inde ortus esse postea dicitur, quare mons fuit oriens vocatus, vt scripsit Cænaro in rebus Indicis: aiunt enim Phasim fuisse Solis & Ocythoes filium, illum qui in adulterio deprehensam matrem occidit, atque ab Erinnybus exagitatus se in Arcturum fluuium Colchorum coniecit, qui Phasis ab ipso fuit appellatus, vt ait Heraclitus Sicyonius in tertio de Lapillis. Fuit Solis filius etiam Mausolus, à quo vocabatur prius fluuius Ichthyophagorum, qui postmodo vocatus fuit Indus. Fabulati sunt nonnulli Venerem à Sole fuisse compressam in Rhodo insula, Rhodumque peperisse, quo tempore aurum pluit, atque inde datum fuisse nomen insulæ. Hanc insulam prius habitarunt Telchines, qui (vt fabulati sunt antiqui) filii fuerunt Thalassæ, qui dicti sunt cum Caphira Oceani filia Neptunum educasse, cum Rhea illi transmisisset infantem. Hi cum multa vitæ hominum vtilia inuenissent, tum Deorum imagines primi excogitarunt, cum etiam quædam antiqua Telchinia vocarentur. Dicti sunt præterea Telchines fuisse præstigiatores, qui nubes & pluuias & grandinem & niuem inducerent cum vellent, & tanquam de Magis memoriæ proditum est, qui etiam proprias formas mutabant. De illa ita meminit Pindarus in Olympis:

| | |
|---|---|
| ——— τὰν ποντίαν | ——— *æquoream* |
| ὑμνέων παῖδ᾽ Ἀφροδίτας | *Hymno laudans filiam Veneris* |
| Ἀελίοιό τε νύμφαν Ῥόδον: | *Solisq; nympham Rhodum.* |

Alii Solis & Amphitrites putarunt filiam, vt ait Asclepiades: alii Amphitrites & Neptuni; Herophilus Neptuni ac Veneris, Epimenides Oceani ac Veneris. at enim cum Sol cum Venere congressus est, pluit auro, & rosæ multæ floruerunt, vt est in his:

*Κύπριδος Ἠελίου τε Ῥόδος θῆκ᾽ οὔνομα νήσῳ·*
*τρεῖς τούτων παῖδες πόλεσι τρισίν. ἡνίκα κοίτην*
*εἰσαναβῆναι θεᾶς στεργόντι θεὸς ὗσατο χρυσοῦ·*
*πλεῖστα ῥόδ᾽ ἤνθησαν φοινίκεα, καὶ κρίνα λευκά.*
*Insula dicta Rhodos de Sole & Cypride nata est:*
*De tribus & natis horum tres sunt simul vrbes.*
*Cumq; Deam Deus accessit, guttis pluit auri:*

*Purpureaq; rosæ fudere ac lilia flores.*

Nam ῥόδον rosam significat apud Græcos, eaq; insula dicta est postea Tripolis, quia tres Rhodi & Solis filii. Lindus videlicet, Camirus, Ialysus nomina vrbibus à se conditis singulatim dederunt. Fuit Solis filius Epaphus etiam, qui Memphim condidit. Filius fuit eius & Macareus, Tenagus, Triopes, Ochimus, Phaethon iunior, Actis, Cercaphus alius Phaethon è Prote filia Nelei illi natus est, Ægle, Hemithea, Dioxippe, Dirce: Miletus, a quo vrbs Ioniæ dicta est, ex Deione. Horæ, Angeronia, Sterope, Egialus, & alii complures. Atque de maribus nonnullorum dissentiunt scriptores, sed hoc nihil attinet ad rem propositam diiudicare. Mos fuit vt Soli equus immolaretur, vt ait Ouid. in Fastis vbi etiam solem Hyperionem nominat:

*Placat equo Perses radiis Hyperiona cinctum,*
*Ne detur celeri victima tarda Deo*

At Homerus in lib. τ. Iliadis, Ioui & Soli aprum immolari inquit in his carminibus:

Ταλθύβιος δέ μοι ὦκα κατὰ στρατὸν εὐρὺν Ἀχαιῶν
κάπρον ἑτοιμασάτω ταμέειν Διΐ τ' Ἠελίῳ τε.

*At mihi Talthybius in castris præparet aprum,*
*Quem mactare Ioui par est, Soliq; superno.*

Huic etiã sacratus putabatur gallus gallinaceus, vt ait Pauſ. in prioribus Eliacis, quia Solis reditum cantu nunciat.

¶ At nunc fabulosa summatim explicemus. Solem Thiæ filium illa de causa putarunt, quod omnia bona à diuina natura procedunt: nam Thia diuinam significat. huic patrem addiderunt Hyperionem, quia per omnia corpora superiora diuina prouidentia transmittitur. Cum igitur ὑπερίων supereuntem significet, sitque nomen Solis adiunctum, vt ait Homerus lib. α. Odyss.

οἳ κατὰ βοῦς Ὑπερίονος Ἠελίοιο ἤσθιον,

*Qui boues Hyperionis solis ediderunt:*

Merito Sol illius filius existimabatur; siue sit diuina prouidentia, siue superna illa cœlestia corpora, quæ perpetuis motibus agitantur, per Hyperionem intelligamus. Alii Solis ipsius naturam respicientes matrem Euryphaessam illi tribuerunt: quippe cum εὐρὺς latus, φάος splendor sit ac lumen, isq; omniũ astrorum clarissime & latissime luceat. Dictus est Sol aduersus Titanas Iouis partibus fauisse, quare coro-

te coronam,& currum, & alia honoris insignia esse consecutus: quia viri boni, quibus est diuinitas ingenii, magis fauent veritati & iustitiæ, quam diuitiis per scelera, vel dolos vel crudelitatem comparandis. Est enim sapientiæ & æquitatis autor in ortu mortalium dominans Solis planeta: qui etiam non mediocres opes & honores mortalibus largitur. Nam idcirco vt argentum Lunæ, Marti ferrum, Saturno plumbum, Ioui electrum, Mercurio stannum, Veneri æs, sic aurum Soli tribuitur. vt igitur nemo impune denique aduersus æquitatem insurgit, sic nullus vir bonus infœlix diu esse potest. Hunc in curru vehi solitum finxerunt antiqui, quoniam non facile percipiebant illa quæ essent à sensibus remota, nisi per ea quæ cadebant sub sensum. Idcirco multæ de cælorum motibus apud antiquos natæ sunt controuersiæ, cum alii singulis globis cœlestibus proprias animas tribuerent, quæ illos circumuoluerent, alii vnam esse satis omnibus globis putarent, alii singulis sideribus suas addiderint: atque alii rursus assidue cœlum circa terram cõuolui sentirent, alii cœlum consistere ac terram in circulũ circumferri. Atqui nomina ipsorum equorũ Solis qui aliud significant, nisi vel ignẽ vel lucem? Pyrois enim flammatus, Æthon ardens, Lampus splendens, Phlegon vrens; quæ ficta sunt ex illorum sententia, qui stellas igneas esse voluerũt: Eous autem matutinus est, quia omnes facultates Soli attribuunt. Atq; cum Sol occidens in vndas illabi, exoriens ex vndis emergere videretur, neq; facile vulgus intelligeret, Solem vbiq; tantundem abesse à medio, illũ finxerũt in lecto à Vulcano facto natare: qui cũ experrectus ad littus oriẽtis applicuisset, currũ illi esse paratum ab Horis dixerũt, quæ temporum omnium ministræ sunt & cellariæ. Cũ vero lux Aurora sit ante Solis ortũ, iidem Solis equi dicuntur portare Aurorã, Sol siderum dominus, & lucis, vitæq; mortalium quæstor habitus est, quoniam autor est luminis cæteris stellis, & pro illius cursu cunctavigent animantia. Hic idem morborũ, & salutis omnium, & frugum, & rerum copię est autor, & temporum moderator, & Deus habitus, ob infinita prope in omnes beneficia. Hic igitur cum solus tãtæ sit autoritatis inter omnia quæ videntur, perpetuoque motu agitetur, Deus ab antiquis primus fuit creditus. Huius filii nihil aliud sunt, quam radiorũ in corpora naturalia

*Quæque mox cœli meditentur astra*
*Dicere doctum.*
*Grande sylvarum decus, ipse pingis*
*Floribus terram, volucresque rident*
*Per te, vbi vernæ placidis tepescunt*
*Flatibus auræ.*
*Te sine eneruis Venus, atque Amori*
*Decidunt alæ: veterum Deorum*
*Vim tenes vnus, variosque in vno*
*Nomine claudis.*

Nam profecto tanta fuit simplicitas antiquorum, tantaq; dementia, vt diuinos honores rebus humanis, & simulacris elementorum, aut elementorum viribus tribuerint, qui soli vero, sancto, immaculato Deo debebantur. quod certe patere existimo nostros hos mythologicos libros diligentius intuenti, fabularumque ipsarum inuentionem, quarum declaratio apertior & vberior quod in nostra tempora mihi fuerit reseruata, est cur Deo omnipotenti redemptori nostro gratias immortales agã, cuius beneficio mihi concessum est has priscorum insulsas ambages, nihilque vero religiosum cõtinentes aperire, sed tantum figmẽta esse demonstrare ad res philosophicas explicandas. Nam Solem ipsum cuncta videre, cuncta audire, cuncta cognoscere mortalia arbitrati sunt antiqui, vt ait Æschylus in Prometheo:

*καὶ τὸν πανόπτην κύκλον Ἡλίου καλῶ.*
*Voco videntem cuncta Solis circulum.*

Quem tamen quidam Dei simulacrum in mundo esse censuerunt, tum quia cunctis sideribus sit fons luminis, & beneficentiæ in omnes res naturales autor, tum etiam quia suo cursu præsit cæteris omnis iustitiæ & administrationis moderator, vt ait Plutarchus in libello de doctrina principum. Hunc in curru vehi solitum putarunt antiqui, vt ait Horatius in carmine Seculari:

*Alme Sol curru nitido diem qui*
*Promis & celas.*

Huius vero currus magnificentiam & mirabilitatem descripsit Ouid. lib. 2. Metamor. trahebatur vero ab equis quatuor, vt ait Euripides in Phœnissis:

*αἱ τὰ τέθριππά γ' ἐς ἅρματα λεύσσων*

Ἡλίου

Ἡλίου.

*Si vel quadrigas Solis & currum intuens.*

Fuerunt eorum nomina ita equorum dicta ab Ouid. lib. 2. Metamorph.

*Interea volucres Pyrois, Eous, & Æthon,*
*Solis equi, quartusque Phlegon hinnitibus auras*
*Flammiferis implent.*

His quadrigis aureas habenas habentibus moderari putabatur, & lucis vitæque Quæstor vocatus est à Proculo Lycio, clauiumque rerum humanarum gubernator, vt patet ex his carminibus:

κλῦθι πυρὸς νοεροῦ βασιλεῦ χρυσήνιε Τιτάν·
κλῦθι φάους ταμία, ζωαρχί̈ε ὦ ἄνα πηγῆς,
αὐτὸς ἔχων κλῆϊδα καὶ ὑλαίοις ἐνὶ κόσμοις.
*Audi flammarum Titan rex, qui aurea equorum*
*Lora tenes, lucis quæstor vitæque orientum.*
*Claues fontis habes, dominaris & omnibus vnus.*

Hunc crediderunt antiqui currum mergere in Oceano, vt ait Virg. in 3. Georgicorum:

*Tum Sol pallentes haud vnquam discutit vmbras,*
*Nec cum vectus equis altum petit æthera, nec cum*
*Præcipitem Oceani rubro lauit æquore currum.*

Quidam putarunt equos Solis lumen efflare solitos è naribus, quam opinionem secutus Virgilius, ita scripsit libro duodecimo Æneidos:

*Postera vix summos spargebat lumine montes*
*Orta dies, cum primum alto se gurgite tollunt*
*Solis equi, lucemque elatis naribus efflant.*

Alij non mergi quidem Solem in Oceanum crediderunt, sed in poculo nauigare, quod & Stesichorus, & Antimachus & antiquorum plures crediderunt. Verum dixerunt nonnulli Vulcanum thorum fabricasse Soli ita profundum ex auro, vt in eo per noctem, cum ad Oceanum defessus diurno labore itineris peruenisset, & dormiens nauigare posset ad orientem. Ibi currus illi perrecto astabat, quem ascendens cœlum conscenderet, quod faciebat quotidie. Quæ opinio apparet fuisse etiam Mimnermi, vt patet ex his carminibus Pumilionis:

Ἠέλιος μὲν γὰρ ἔλαχεν πόνον ἤματα πάντα·
　　οὐδέ ποτ' ἄμπαυσις γίνεται οὐδεμία,
ἵπποισίν τε καὶ αὐτῷ, ἐπεὶ ῥοδοδάκτυλος Ἠὼς
　　Ὠκεανὸν προλιποῦσ' οὐρανὸν εἰσαναβῇ.
τὸν μὲν γὰρ διὰ κῦμα φέρει πολυήρατος εὐνὴ
　　κοίλη, Ἡφαίστου χερσὶν ἐληλαμένη
χρυσοῦ τιμήεντος ὑπόπτερος, ἄκρον ἐφ' ὕδωρ
　　εὕδονθ' ἁρπαλέως χώρου ἀφ' Ἑσπερίδων
γαῖαν ἐς Αἰθιόπων, ἵνα οἱ θοὸν ἅρμα καὶ ἵπποι
　　ἑστᾶσ', ὄφρ' Ἠὼς ἠριγένεια μόλῃ.
ἔνθ' ἐπέβη ἑτέρων ὀχέων Ὑπερίονος υἱός.

*Longa laborantem Solem lux prospicit: illi*
　　*Noscitur & lucis tempore nulla quies:*
*Nec cessantue equi: postquam Pallantias orta*
　　*In mare purpuream astra fugauit equis.*
*Fluctibus at lectus fert hunc Vulcanius: illum*
　　*Vulcanus manibus fecerat ipse suis,*
*Ex auro, celerem, pelagi per summa volantem.*
　　*Sopitumq; locis fertur ab Hesperidum,*
*Donec ad Æthiopas veniat: firmatur equorum*
　　*Currus dum redeat Memnonis alma parens.*
*Tunc alios scandit currus Hyperione natus.*

Fuerunt etiam qui putarunt vbi ad orientem Sol peruenisset, currum illi ab Horis paratum, at non sua sponte assistere, cum illæ sub iugum equos Solis veniente Aurora adducerent. Homerus lib. 4 Odyss. duos tantum Solis equos numerauit, Lampum scilicet, & Phaethontem, qui diem & Auroram portarent hoc pacto:

　　　　　　——— Ἠῶ δ' αὖτε
ῥύσατ' ἐπ' Ὠκεανῷ χρυσόθρονον. οὐδ' ἔα ἵππους
　　ζεύγνυσθ' ὠκύποδας φάος ἀνθρώποισι φέροντας,
Λάμπον καὶ Φαίθονθ', οἵ τ' Ἠῶ πῶλοι ἄγουσι.
　　　　　　——— *Auroram fluctibus inde*
*Rursus ab Oceani traxit, nec passa iugales*
*Iungere equos celeres, portantes lumina rebus.*
*Ceruice Auroram Lampum & Phaethonta trahentes.*

Alij tamen his Erythræum & Acteonem, addiderunt. Alij parua lumina in oriente quotidie coire putabant, quæ ad noctem vsque perdurarent, & circumlata paulatim vesperi extin-

extinguerentur easque flammas Solem orientem esse crediderunt, vt scripsit Epicureus philosophus poeta lib 2.

*Aut quia conueniunt ignes, & semina multa*
*Confluere ardoris consuerunt tempore certo:*
*Quæ faciunt Solis noua semper lumina gigni.*
*Quod genus Idæis fama est in montibus altis*
*Dispersos ignes orienti lumine cerni.*

Cum vero Sol Lunæ cæterisque sideribus lumen impertiat, merito siderũ dominus & moderator fuit appellatus. quem etiam quod autor sit generationis, dũm per obliquum circulum percurrit, Deum putarunt antiqui, vt ait Euripides in Oreste:

καὶ πῶς σιωπῶ, φέγγος εἰσορᾷν θεοῦ
τὸ δ' οὐκέθ' ἡμῖν τοῖς ταλαιπώροις μέτα·
*Et qui tacebo? lumen haud nobis Dei*
*Licet misellis amplius quod cernere.*

Idcirco Libyæ populi, quod manifesta Solis & Lunæ beneficia in humanum genus intuerentur, de Dijs reliquis minime erant soliciti, cum Soli & Lunæ sacrificarent, vt ait Herodotus in Melpomene θύουσι δὲ Ἡλίῳ καὶ Σελήνῃ μούνοισι τούτοισι μέν νυν πάντες Λίβυες θύουσι. *Sacrificant Soli & Lunæ solis; quibus omnes Libyæ populi solent immolare.* Fabulati sunt Solem habuisse propria boum armenta & ouium greges, quos Horæ & Nymphæ illæ custodiebant, quas recensuit ita Homerus pascere in Thrinacia libro μ. Odysseæ.

Θρινακίην δ' ἐς νῆσον ἀφίξεαι. ἔνθα δὲ πολλαὶ
βόσκοντ' Ἠελίοιο βόες, καὶ ἴφια μῆλα,
ἑπτὰ βοῶν ἀγέλαι, τόσα δ' οἰῶν πῶεα καλά.
πεντήκοντα δ' ἕκαστα, γόνος δ' οὐ γίνεται αὐτῶν,
οὐδέ ποτε φθινύθουσι. θεαὶ δ' ἐπιποιμένες εἰσὶν,
Νύμφαι ἐϋπλόκαμοι Φαέθουσά τε Λαμπετίη τε,
ἃς τίκεν Ἠελίῳ Ὑπερίονι δῖα Νέαιρα.
*Insula Thrinacia est, quo peruenies: vbi Solis*
*Permulta pascuntur, oues armenta boumque:*
*Balantumque greges sunt septem, armenta boum tot.*
*Quinquaginta tenet nam singula, nascitur ex his*
*Nil, nec obit, pascuntque Deæ præ pinguibus herbis,*
*Formosæ Nymphæ, Phaethusaque, Lampetieque,*
*Quas Hyperionidæ peperit diuina Neæra.*

Hæc armenta non procul à Tænaro fuiſſe ſcribit Homerus in hymno in Apollinem. Memoriæ prodidit Herodotus in Calliope in Apollonia, quæ regio eſt in ſinu maris Ionij, oues fuiſſe ſacras Solis, quæ per diem ſecundum eum fluuium paſcerentur, qui è Lacmone Apolloniæ monte apud Oricum portum olim vocatum in mare defluebat: has per noctem qui diuitijs & nobilitate inter illos præſtant, ſinguli per anni ſpacium ſeruare domi ſoliti fuerunt. Paſcebantur boues etiam Deorum communes in Pierijs montibus, de quibus ita ſcripſit Homerus in hymno in Mercurium:

——— αὐτὰρ ὁ Ἑρμῆς
Πιερίης ἀφίκανε θεῶν ὄρεα σκιόεντα,
ἔνθα θεῶν μακάρων βόες ἄμβροτοι αὖλιν ἔχεσκον
βοσκόμεναι λειμῶνας ἀκηρασίους ἐρατεινούς.

*——— Nympha ſed Atlantide natus*
*Pieria montes adijt, lucoſque virentes:*
*Huc vbi habere boues ſolitæ ſtabula alta Deorum*
*Æterna aſſuet aquæ ingis, pratisque decoris.*

Multi fuiſſe Solis filij cómemorantur, quos è diuerſis mulieribus & nymphis ſuſcepit. Nam è Clymene genuit Phaethontem: è Mezera Lamperien & Phaetuſam & Paſiphaen: Augiam è Calypſo: è Perſeide Circen, Aloeum: & Æetam, & Themim ſiue Ichneam. At Eumulus Corinthius hiſtoricus poeta Aloeum & Æetam Solis & Antiopes filios putauit, cum ita ſcripſerit:

ἀλλ' ὅτε δ' Αἰήτης καὶ Ἀλωεὺς ἐξεγένοντο.
Ἠελίου τε καὶ Ἀντιόπης, τότε δ' ἄνδιχα χώρην
δάσσατο παισὶν ἑοῖς Ὑπερίονος ἀγλαὸς υἱός.
ἣν μὲν ἔχεν Ἀσωπὸς, τὴν πόρε δίῳ Ἀλωεῖ.
ἣν δ' Ἐφύρη κτεάτισσ', Αἰήτῃ δῶκεν ἅπασαν.
Αἰήτης δ' ἄρ' ἑκὼν Βούνῳ παρέδωκε φυλάσσειν,
εἰσόκεν αὐτὸς ἀνὴρ εἰς ὕστερον αὖθις ἵκοιτο.

*Natus vbi Æeta eſt, ſimul & præclarus Aloeus,*
*Solis & Antiopes nati; hic Hyperionis alto*
*Sanguine progenitus pueris ſua regna duobus*
*Ceſſit. Aſopus & hoc diuino ceſſit Aloei*
*Quod tulit: hoc Ephyreſque Æeta præbuit omnes*
*Hoc Buno ſeruare lubens Æeta reliquit,*
*Donec vir factus poſt tempora certa rediret.*

Dicitur

Dicitur & Anaxibiam nympham fuisse insecutus vim illaturus, quæ vbi in sacellum Rectæ Dianæ confugisset in monte Vertice nomine situm, mox euanuit: at Sol inde ortus esse postea dicitur, quare mons fuit oriens vocatus, vt scripsit Cænaro in rebus Indicis: aiunt enim Phasim fuisse Solis & Ocythoes filium, illum qui in adulterio deprehensam matrem occidit, atque ab Erinnybus exagitatus se in Arcturum fluuium Colchorum coniecit, qui Phasis ab ipso fuit appellatus, vt ait Heraclitus Sicyonius in tertio de Lapillis. Fuit Solis filius etiam Mausolus, à quo vocabatur prius fluuius Ichthyophagorum, qui postmodo vocatus fuit Indus. Fabulati sunt nonnulli Venerem à Sole fuisse compressam in Rhodo insula, Rhodumque peperisse, quo tempore aurum pluit, atque inde datum fuisse nomen insulæ. Hanc insulam prius habitarunt Telchines, qui (vt fabulati sunt antiqui) filii fuerunt Thalassæ, qui dicti sunt cum Caphira Oceani filia Neptunum educasse, cum Rhea illi transmisisset infantem. Hi cum multa vitæ hominum vtilia inuenissent, tum Deorum imagines primi excogitarunt, cum etiam quædam antiqua Telchinia vocarentur. Dicti sunt præterea Telchines fuisse præstigiatores, qui nubes & pluuias & grandinem & niuem inducerent cum vellent, & tanquam de Magis memoriæ proditum est, qui etiam proprias formas mutabant. De illa ita meminit Pindarus in Olympis:

| | |
|---|---|
| ——— *τὰν ποντίαν* | ——— *æquoream* |
| *ὑμνέων παῖδ᾽ Ἀφροδίτας* | *Hymno laudans filiam Veneris* |
| *Ἀελίοιό τε νύμφαν Ῥόδον:* | *Solisq; nympham Rhodum.* |

Alii Solis & Amphitrites putarunt filiam, vt ait Asclepiades: alii Amphitrites & Neptuni; Herophilus Neptuni ac Veneris, Epimenides Oceani ac Veneris. at enim cum Sol cum Venere congressus est, pluit auro, & rosæ multæ floruerunt, vt est in his:

*Κύπριδος Ἠελίου τε Ῥόδος θῆκ᾽ οὔνομα νήσῳ·*
*τρεῖς τούτων παῖδες πόλεις τρισίν. ἡνίκα κοίτην*
*εἰσανέβη θεᾶς στεροῖσιν θεὸς ὕσατο χρυσῷ·*
*πλεῖστα ῥόδ᾽ ἤνθησαν φοινίκεα, καὶ κρίνα λευκά.*
*Insula dicta Rhodos de Sole & Cypride nata est:*
*De tribus & natis horum tres sunt simul vrbes.*
*Cumq; Deam Deus accessit, guttis pluit auri:*

*Purpureaq; rosæ fudere ac lilia flores.*

Nam ῥόδον rosam significat apud Græcos, eaq; insula dicta est postea Tripolis, quia tres Rhodi & Solis filii, Lindus videlicet, Camirus, Ialysus nomina vrbibus à se conditis singulatim dederunt. Fuit Solis filius Epaphus etiam, qui Memphim condidit. Filius fuit eius & Macareus, Tenagus, Triopes, Ochimus, Phaethon iunior, Actis, Cercaphus alius Phaethon è Prote filia Nelei illi natus est, Ægle, Hemithea, Dioxippe, Dirce: Miletus, a quo vrbs Ioniæ dicta est, ex Deione. Horæ, Angerona, Sterope, Egialus, & alii complures. Atque de maribus nonnullorum dissentiunt scriptores, sed hoc nihil attinet ad rem propositam diiudicare. Mos fuit vt Soli equus immolaretur, vt ait Ouid. in Fastis vbi etiam solem Hyperionem nominat:

*Placet equo Perses radiis Hyperiona cinctum,*
*Ne detur celeri victima tarda Deo*

At Homerus in lib. τ. Iliadis, Ioui & Soli aprum immolari inquit in his carminibus:

*Ταλθύβιος δέ μοι ὦκα κατὰ στρατὸν εὐρὺν Ἀχαιῶν*
*κάπρον ἑτοιμασάτω ταμέειν Διΐ τ' Ἠελίῳ τε.*
*At mihi Talthybius in castris præparet aprum,*
*Quem mactare Ioui par est, Soliq; superno.*

Huic etiã sacratus putabatur gallus gallinaceus, vt ait Paus. in prioribus Eliacis, quia Solis reditum cantu nunciat.

¶ At nunc fabulosa summatim explicemus. Solem Thiæ filium illa de causa putarunt, quod omnia bona à diuina natura procedunt: nam Thia diuinam significat. huic patrem addiderunt Hyperionem, quia per omnia corpora superiora diuina prouidentia transmittitur. Cum igitur ὑπερίων supereuntem significet, sitque nomen Solis adiunctum, vt ait Homerus lib. α. Odyss.

*οἳ κατὰ βοῦς Ὑπερίονος Ἠελίοιο ἤσθιον,*
*Qui boues Hyperionis Solis ediderunt:*

Merito Sol illius filius existimabatur; siue sit diuina prouidentia, siue superna illa cœlestia corpora, quæ perpetuis motibus agitantur, per Hyperionem intelligamus. Alii Solis ipsius naturam respicientes matrem Euryphaessam illi tribuerunt: quippe cum εὐρὺς latus, φάος splendor sit ac lumen, isq; omniũ astrorum clarissime & latissime luceat. Dictus est Sol aduersus Titanas Iouis partibus fauisse. quare coro-

te coronam,& currum, & alia honoris insignia esse consecutus: quia viri boni, quibus est diuinitas ingenii, magis fauent veritati & iustitiæ, quam diuitiis per scelera, vel dolos vel crudelitatem comparandis. Est enim sapientiæ & æquitatis autor in ortu mortalium dominans Solis planeta: qui etiam non mediocres opes & honores mortalibus largitur. Nam idcirco vt argentum Lunæ, Marti ferrum, Saturno plumbum, Ioui electrum, Mercurio stannum, Veneri æs, sic aurum Soli tribuitur. vt igitur nemo impune denique aduersus æquitatem insurgit, sic nullus vir bonus infœlix diu esse potest. Hunc in curru vehi solitum finxerunt antiqui, quoniam non facile percipiebant illa quæ essent à sensibus remota, nisi per ea quæ cadebant sub sensum. Idcirco multæ de cælorum motibus apud antiquos natæ sunt controuersiæ, cum alii singulis globis cœlestibus proprias animas tribuerent, quæ illos circumuoluerent, alii vnam esse satis omnibus globis putarent, alii singulis sideribus suas addiderint: atque alii rursus assidue cœlum circa terram cõuolui sentirent, alii cœlum consistere ac terram in circulũ circumferri. Atqui nomina ipsorum equorũ Solis qui aliud significant, nisi vel ignẽ vel lucem? Pyrois enim flammatus, Æthon ardens, Lampus splendens, Phlegon vrens; quæ ficta sunt ex illorum sententia, qui stellas igneas esse voluerũt: Eous autem matutinus est, quia omnes facultates Soli attribuunt. Atq; cum Sol occidens in vndas illabi, exoriens ex vndis emergere videretur, neq; facile vulgus intelligeret, Solem vbiq; tantundem abesse à medio, illũ finxerũt in lecto à Vulcano facto natare: qui cũ experrectus ad litus orietis applicuisset, currũ illi esse paratum ab Horis dixerũt, quæ temporum omnium ministræ sunt & cellariæ. Cũ vero lux Aurora sit ante Solis ortũ, iidem Solis equi dicuntur portare Aurorã, Sol siderum dominus, & lucis, vitæq; mortalium quæstor habitus est, quoniam autor est luminis cæteris stellis, & pro illius cursu cunctavigent animantia. Hic idem morborũ, & salutis omnium, & frugum, & rerum copię est autor, & temporum moderator, & Deus habitus, ob infinita prope in omnes beneficia. Hic igitur cum solus tãtæ sit autoritatis inter omnia quæ videntur, perpetuoque motu agitetur, Deus ab antiquis primus fuit creditus. Huius filii nihil aliud sunt, quam radiorũ in corpora naturalia

agentium vires, vt patet ex ipsorum nominum interpretatione: nam & Pasiphae omnibus lucens, & Phaethusa ardens, & Lampetie splendens, & Augeas splendidus est, & Hemithea semidea & prope diuina, & Heliades Solis vires, & reliqua nomina sunt his similia. at de Sole satis, nunc dicendum est de Pale.

## *De Pale.* CAP. XVIII.

PAles pastorum Dea credita, ita vocata est à nonnullis, cum tamen alias magna Mater, aut Vesta vocaretur. In huius honorem Palilia celebrabantur, quæ solennitas erat pastorum: nam palearum accensi aceruі certo ordine in loco plano collocabantur, quos transiliebant pastores saltando, vt ait Ouid. lib. 4. Fastorum:

*Moxq́; per ardentes stipulæ crepitantis aceruos*
*Traiicias celeri strenua membra pede.*

## *De Aristæo.* CAP. XIX.

ARistæus Apollinis & Cyrenes filius fuisse dicitur, vt testatur Virg. lib. 4. Georg. in his:

*Mater Cyrene, mater, quæ gurgitis huius*
*Ima tenes, quid me præclara stirpe Deorum*
*(Si modo, quem memoras, pater est Thymbræus Apollo)*
*Inuisum fatis genuisti?*

Apollonius autem libro secundo Argonauticorum commemorat etiam quo pacto Phœbus in amorem Cyrenes inciderit, cum illa pecudes ad ripas Penei fluminis custodiret in his:

Κυρήνη πέφαταί τις ἕλος παρὰ Πηνειοῖο
μῆλα νέμειν προτέροισι παρ' ἀνδράσιν. εὔαδε γάρ οἱ
παρθενίη καὶ λέκτρον ἀκήρατον αὐτὰρ Ἀπόλλων
τήν γ' ἀνερειψάμενος ποταμῷ ἐνὶ ποιμαίνουσαν
τηλόθεν Αἱμονίης, χθονίης παρακάτθετο Νύμφαις,
αἳ Λιβύην ἐνέμοντο παραὶ Μυρτώσιον αἶπος.
ἔνθα δ' Ἀρισταῖον τέκε Φοίβῳ. ὃν καλέουσιν
Ἀγρέα καὶ Νόμιον.

*Fama est Cyrenen Penei ad fluminis vndam*
*Egisse pastum pecudes: æterna placebat*
*Virginitas, castusq́; thorus cui. fertur Apollo*
*Hanc rapuisse graui perculsus vulnere amoris,*
*Quam procul Hæmoniis portauit finibus: inter*

*Indigenas Libyæ nymphas Myrtosia iuxta*
*Hæc cingi dispositaque mox de semine Phœbi*
*Mater Aristæi facta est, qui dicitur Agreus*
*Et Nomius.*

At Cic. actione serta in C. Verrem, Aristæum Liberi patris filium fuisse scribit his verbis: Aristæus, qui, vt Græci ferūt, Liberi filius, inuentor olei esse dicitur, vna cum Libero patre, apud illos eodem erat in templo consecratus. Aristæum scripsit in libro de Diis Theagenes fuisse Cyrni Regis filium & Theramenes Nymphæ, quæ nomen dedit vni ex insulis maris Ægæi, atq; prius Battus vocatus fuit propter linguæ impedimentum. Scriptum reliquit Theocriti enarrator Aristæum à Nymphis fuisse educatum, quem & olei & mellis conficiendi rationem illæ docuerunt, quare horum vtriusque inuentor habitus est Aristæus, vt testatur Iustinus libro historiarum decimotertio. inuenit Aristæus oleum & mel in Ceo primum. Scriptū reliquit Pindarus in Pythicis Cyrenen cum Apolline venari solitam ac diutius virginitatē seruasse; quæ vbi cum leone fuissent aliquando colluctata, Apollo in eius amorem incidit, illamque in Libyam deportatam cōpressit, ex quo natus est Aristæus. Pherecydes, data illi optione vt quo vellet ferretur, in Libyam portatā fuisse dicit, in eam ciuitatem quæ Cyrene ab ipsa postea nominata fuit: cum tamen Agretas illam in Cretam primum fuisse portatam scriptum reliquerit libro primo. rerū Libycarū. fuitque Larissa Cyrenes soror, à qua vrbs nominata fuit in Thessalia: Alii tradiderunt regnū virtutis præmium fuisse propositum ab Eurypylo, illi qui leonem populantem regionem occidisset, atq; Cyrenen illo tempore regnum obtinuisse. Huius filius fuit Autuchus ex Apolline præter Aristæum: quibus alii Eurocum, & Nomium, & Argæum addiderunt. Neque vero vnus tantum fuit Aristæus, sed plures: vnus Carysti filius, alius Chæronis, alius Cœli & Terræ, hic Apollinis: qui cum Etesias aliquando vocasset in Ceo (nam plures ob calorē Solis & canis æstum moriebantur) atq; illi statim flare cœpissent, Iupiter Aristæus vocari cœpit, & Apollo Agreus & Nomius pastorū & agrestiū. Deus quæ tamē cognomina sunt etiam eius patris Apollinis. Hunc eūdem omnis humanitatis autorē prodiderūt antiqui quorū sententiā nos secuti ita in nostris Venation. li. 4. scripsimus:

*Puppis ad Euboicas currens allabitur oras.*
*Fertur Aristæus antrum hic coluisse, virorum*
*Qui genus indocile, & viuentum more ferarum,*
*Glandibus, & baccis, pomis syluestribus, & quæ*
*Sylua tulit cultu nullius iussu coloni,*
*Edocuit primus teneras armenta per herbas*
*Pascere: & è quercu fumis pellentibus actas*
*Claudere apes vacuo sub cortice: primus oliuum*
*Exprimere ex oleæ fructu, lac cogier idem.*

Quem tamen non Bacchi quidem filium, sed alumnum quidam fuisse censuerunt, ad quorum sententiam allusimus ita in nostris Venationibus:

*Nutrit hic Bacchum miro deuinctus amore*
*Euboicas inter nymphas, Dryadasq; puellas.*

Huius vxor fuit Autonoe, quæ fuit etiam Cadmi, è qua Actæonem filium suscepit. Aiunt Aristæum non illum quidē Proconnesium: at ipsum Apollinis filium in taberna fullonaria interiisse, atque à quodam qui Crotonem contenderet, in itinere visum fuisse fabulantur. Fertur in Deorum numerum relatus fuisse Aristæus ob rerum humano generi vtilium inuentionem, sicuti testatur Pausanias in Arcadicis. fuit enim id antiquorum institutum, vt diximus, vt viros bonos & sapientes diuinis honoribus ornarēt, de quibus, vt de Diis, fabulosæ narrationes fingebantur. Hūc eūdem Aristæum, filium Apollinis Cyrenesque Nymphæ filiæ Hypsei, quam tamen Penei filiam quidam fuisse maluerūt, laseris vsus inuentorem fuisse memorant. vt patet ex his: Ἀρισταῖος δὲ ὁ Ἀπόλλωνος καὶ Κυρήνης τῆς Ὑψέως, πρῶτον τὴν ἐργασίαν τοῦ σιλφίου ἐξεῦρεν, ὥσπερ καὶ τοῦ μέλιτος. *Aristæus Apollinis & Cyrenes Hypsei filius primum laseris vsum excogitauit, sicut etiam mellis.* atque vim & bonitatem ipsius laseris ita descripsit Diphilus: σίλφιόν ἐστι ῥίζα ἡδύοσμος ἐν Λιβύῃ γινομένη, ἧς ἡ δύναμις ἐστὶ τμητικὴ καὶ θεραπευτική. καλλίστη δὲ ἡ Κυρηναϊκή· οὗ καὶ τῷ ὀπῷ καὶ τῷ καυλῷ καὶ τῇ ῥίζῃ χρῶνται. *Est autem later radix odore suaui, quæ nascitur in Libya, cuius illa vis est vt præparet ac purget. optima vero est Cyrenaica, cuius vtuntur succo & thyrso & radice.* Præterea alii dicunt fuisse Prometheum, alii Aristæum, qui primus omnium taurum Diis immolauerit, cum antea herbæ tantum ac flores Diis offerrentur, suffimentaque fierent è preciosis odoribus, vt scripsit Androtion in sacrificiis. At

¶ At nunc cur ista fabulose finxerint inquiramus. Hunc alii Phœbi, alii Dionysi, ac Cyrenes Nymphæ filium putarunt, quia Aristæus consilium est prudentia mortalium creditus, quæ optima pars est in nobis; vt nomen significat. Sol vero cum omnes humores in humanis corporibus extenuet, his tanquam aliqua nebula rarioribus factis præpollet in nobis vis animæ ratione prædita, quare Sol pater est Aristæi. Hinc ad vndam Penei fluminis, vel potius Penei filiam Cyrenen Phœbus amauit & compressit, quia rarior facta vis illa Aristæum peperit: qui mox olei vsum diligentiam scilicet & vigilantiam in rebus mortalibus inuenit, & mellis rationem, suauioris scilicet & humanioris vitæ, mõstrauit hominib. cum illos dispersos & ferarum more peruagantes in vnum locum deduxerit, & pascere armenta, custodireque docuerit, cum nullam vtilitatem homines prius ex armentis perciperent. Nec me tamẽ præterit fuisse nonnullos qui ad historiam rem deduxerint, cum dicant Aristæum genitum fuisse ab Apolline, qui Cyrenen eximiæ pulchritudinis virginem raptam in Libyam portatam cõpressit: idque fictum fuisse propter Thessalorum migrationem, qui loci eius amœnitate capti, vbi Cyrene vrbs postea condita fuit, ibi habitare decreuerunt. ac nihil in hac historia est mirabilitatis, nihil cur res perpetua memoria digna appareat. Enimuero per Aristæi fabulam nos antiqui ad prudentiam hortabantur, vt breuibus rem complectar, cũ illa sola & rebus nostris assidue sit adiumento vt melius se habeant, & vitam faciat faciliorem, suauioremque mortalibus: quippe cum imprudentiæ multa damna, multæque insuauitates & molestiæ sint sociæ. at nunc de Tellure dicamus.

## *De Tellure.* CAP. XX.

TEllus quibus parentibus orta sit, non facile est consequi coniectura: quam alii è Litigio, alii è Dæmogorgone, nullis tamen antiquorum testimoniis freti, quod ego videam, dixerunt. Hesiodus in Theogonia hanc statim post Chaos natam fuisse scribit, neque tamen certos parentes illi tribuit, ita inquiens:

*ταῦτά μοι ἔσπετε Μοῦσαι ὀλύμπια δώματ' ἔχουσαι*
*ἐξ ἀρχῆς, καὶ εἴπαθ' ὅτι πρῶτον γένετ' αὐτῶν.*

ἤτοι μὲν πρώτιστα Χάος γένετ᾽ αὐτὰρ ἔπειτα
Γαῖ᾽ εὐρύστερνος, πάντων ἕδος ἀσφαλὲς αἰεὶ
ἀθανάτων.

*Dicite cœlestes primum hoc ab origine Musæ,*
*Dicite quid prius illorum se erexit in ortum.*
*Ante Chaos genitum post læto pectore Tellus*
*Nata Deum superum ac cœli firmissima sedes.*

Hanc alii Titanis, alii Cœli vxorem esse putauerunt, vt sensit Homerus in hymno in Tellurem, quam etiam omnium matrem appellauit in eo carmine:

χαῖρε θεῶν μήτηρ, ἄλοχ᾽ Οὐρανοῦ ἀστερόεντος.
*Salue magna parens diuum, ac stellantis Olympi*
*Coniux.*

Herodotus tamen in Melpomene, Tellurem, quæ eximie colebatur apud Scythas, Iouis vxorem existimatam inquit in his: θεοὺς δὲ μούνους τούσδε ἱλάσκονται Ἑστίην μὲν μάλιστα ἐπὶ δὲ, Δία τε, καὶ Γῆν νομίζοντες τὴν Γῆν τοῦ Διὸς εἶναι γυναῖκα. *Deos solos hos placant; Vestam quidam præcipue, postea vero Iouem ac Tellurem Iouis vxorem existimantes.* quamuis Hesiodus non vxorem, sed matrem Cœli illam vocauit in his:

Γαῖα δέ τοι πρῶτον μὲν ἐγείνατο ἶσον ἑαυτῇ
Οὐρανὸν ἀστερόενθ᾽, ἵνα μιν περὶ πάντα καλύπτοι.
*Alma sibi peperit Tellus æquale superne*
*Cœlum, quod stellis fulgens, circumtegit illam.*

Cum vero omnia corpora naturalia, omniaque elementa ex se inuicem gignantur, quibus omnibus prope sedes est Tellus, eam merito Deorum ac hominum matrem vocarunt, vt testatur in his Orpheus:

Γαῖα θεὰ, μῆτερ μακάρων θνητῶν τ᾽ ἀνθρώπων.
*Alma Deum mater Tellus, materque virorum.*

Sic etiam Apollonius libro tertio Argonauticorum:

γαῖα θεῶν μήτηρ, ὅσσον σθένος ἐστὶν ἐμεῖο.
*Alma parens superum Tellus, mea robora quanta.*

Fuit autem Tellus inter Deos terrestres & inferos existimata, vt scriptum reliquit Æschylus in Persis:

ἀλλὰ χθόνιοι δαίμονες ἁγνοί.
γῆ τε, καὶ Ἑρμῆ, βασιλεῦ τ᾽ ἐνέρων.
*Sed o terrestres dæmones puri,*
*Tellus, Mercuriique, Rex & inferum.*

Hæc

Hæc regina etiam vocata fuit, vt scripsit Eurip. in Electra:

*σύ τ' ὦ κάτω γῆς ἀνοσίως οἰκῶν πάτερ,*
*καὶ Γῆ τ' ἄνασσα χεῖρας ᾗ δίδωμ' ἐμάς.*
*Et tu pater locos prophanos incolens*
*Telluris, ac regina Tellus cui manus Trado.*

Fuit præterea multis nominibus appellata, vt ait Æschylus in Prometheo, quam etiam fatidicam dixit in his:

*καὶ Γαῖα πολλῶν ὀνομάτων μορφὴ μία,*
*τὸ μέλλον ᾗ κραίνοιτο προὐτεθεσπίκει.*
*Et Tellus, multorum nominum facies vna,*
*Futurum qua fieret vaticinata est.*

Memoriæ prodidit Pausanias in Phocicis Tellurem primum Delphinis responsa dedisse, atque Daphnen delegisse sibi sacerdotem: deinde cessisse illam sedem, atque oraculorum locum dono dedisse Themidi, quæ postea illum Apollini reliquit. hæc causa fuit etiam cur magna Dea vocaretur, vt idem ait in Atticis. Fabulantur huius fuisse filium Diorphum qui, vt ait Sostratus in introductione historiæ fabulosæ, filium Mithræ optauit, genus fœmineum auersatus. atq; petram quandam calefaciens ex ea grauida facta post terminatum tempus iuuenem suscepit Diophorum nomine. ille vir factus Matrem in certamen de virtute prouocauit, atque interfectus in montem sui nominis consilio Deorum est conuersus. Hanc etiam Cererem vocari præterea scripsit ita Euripides in Bacchis:

——Δημήτηρ θεὰ
*Γῆ δ' ἐστίν· ὄνομα δ' ὁπότερον βούλει, κάλει.*
——*Ceres Dea est*
*Tellus, vtram magis libet voces licet.*

Huic Deæ mos fuit apud antiquos agnam nigram immolari, vt testatur, Homerus libro tertio Iliadis:

*οἴσετε δ' ἄρν', ἕτερον λευκὸν, ἑτέρην δὲ μέλαιναν,*
*Γῇ τε καὶ Ἠελίῳ.*
*Ferte agnum niueum, atq; agnam portabitis atram,*
*Tellurí ac Soli.*

Horatius porco etiam rem sacram fieri solitam Telluri inquit in eo carmine:

*Tellurem porco, Syluanum lacte piabunt.*

Cum tamen scribat Æschylus in Persis inferias Telluri tanquam inferis offerri solitas. Quid sit Tellus omnibus pa-

ret: at cur finxerunt antiqui illam Titanis aut Cœli fuisse vxorem, illis putabit qui in illam Solem assidue agere considerarint, illamque tanquam fœminam Solis ipsius calore ad generationem excitari, & tanquam semina ex omnibus elementis vim condensatam in se recipere. ac de Tellure tot breuiter dicta sint.

## *De Feronia.* CAP. XXI.

FERONIA Dea habita neque quibus parentibus orta sit, neque vbi, aut à quibus educata, cognoscere omnino potui: quam tamen Deam nemoribus præfectam fuisse constat, vt testatur Virgilius libro septimo:

*& viridi gaudens Feronia luco.*

Celeberrimum fuit huiusce Deæ fanum in vrbe Soracte, vt ait Strabo libro quinto, vbi eximia religione colebatur. Ibidem rem miram contingere solitam narrant, vt qui eius Deæ numine afflarentur, nudis pedib. super prunas & profundum cinerum fauillis permistis ambularent illæsi: ad quod spectaculum magna multitudo quotannis adueniebat. Verum nihil aliud Feroniam, quam diuinam vim arboribus diuinitus insitam, quæ illas & seruaret, & pullulare faceret, ego esse crediderim, qua & vigent, & florent, & fructus ad maturitatem perducunt. Nam cum viderent antiqui nihil sine diuina prouidentia posse consistere, neque tamen diuinæ mentis cognitionem haberent, vires inde profectas in naturalibus corporibus insitas pro Dijs coluerunt. Horum simplicitatē & inscitiam fallere omnium sane fuit facilimum: quare malorum dæmonum multæ ortæ sunt fallaciæ, quæ illos implicarunt: quippe cum inscitiæ & imprudentiæ semper calamitates & errores sint comites.

NATALIS

# NATALIS COMITIS MYTHOLOGIÆ,

## LIBER SEXTVS.

*Quod æquo animo ferendum est, si quid à Deo impetrare non possumus.*

CVM multis difficultatibus vita mortalium vndique sit circumuëta, nullaq; ex parte miserijs carere soleat, Campeggi ornatissime, optimum factu dixerunt antiqui, vt cum suauitate orationis, rerumq; propositarum mirabilitate ad prudentiam, & ad trãquillitatem animorum homines allicerentur. Nam quibus rationibus aliquis sibi vnquam persuaserit inutile esse, vel etiam perniciosum, quod à Dijs immortalibus per vota cum summa animi, contẽtione sæpius expetiuerit, nisi prius constiterit alios etiam homines res sibi suisve carissimis calamitosas aliquando à Dijs ipsis vix tandem impetrasse? Quo enim animo fuisse Theseus putandus est, cum cognouisset filij crudelissime laniati innocentiam? aut quæ Deorum ira tantum obesse Semelæ potuisset, quantum Iouis facilitas, cum ad illam rogatus, quod habitu ad immortalem Iunonem solebat, cum fulmine accessisset? Quæ rursus maleuolentissimorum vis hominum, vel quæ improborum inuidia tam crudeliter Phaethontem oppressisset, quam paterna indulgentia, & nimis facile ab ipso patre exauditæ filij preces? Quod si Dij non tam faciles aliquando hominibus precantibus fuissent, multæ calamitates, multa pericula, multæ cædes fuissent à virorum bonorum capitibus depulsæ. Vt igitur æquo animo ferremus si quid à Dijs impetrare non possumus, multa excogitata, & vt suauiter à vulgo,

imbiberentur, fabulis inuoluta fuerunt. Neque enim cum quid frustra precamur, continuo in desperationem est cadendum, quod insulsi plerique homines fecerunt, qui cum votorum suorum non fuissent facti compotes, vel Deos nullos esse dixerunt, vel res humanas non curare, vel omnia inexplicabili & certa fatorum serie trahi: resque diuinas suæ inscitiæ, non ingenij sui imbecillitatem, diuinæ naturę subiecerunt. Vt igitur æquo animo nostras preces irritas fuisse aliquando perferamus, Deorumque immortalium consilium in bonam partem acciperemus, & ea quæ dicta sunt de Phaethonte, & alia complura his similia, finxerunt antiqui, quæ imperitorum multitudini aniles nugæ & res ridiculæ videntur: at si quis recte consideret vniuersam fabularum naturam, illas ad humanam vitam in melius vertendam excogitatas fuisse sentiet. At nunc de Phaethonte quæ memoriæ prodita sunt ab antiquis, perquiramus.

## De Phaethonte. CAP. I.

PHAETHON Clymenes Nymphæ & Solis filius fuisse dicitur, qui cum Epapho Iouis filio non cederet, seque Solis filium esse gloriaretur, hunc falso gloriari inquit Epaphus, vt ait Ouid. lib. 1. Metamorph.

*Nunc Epaphus magni genitus de semine tandem*
*Creditur esse Iouis, perque vrbes iuncta parenti*
*Templa tenet, fuit huic animis æqualis & annis*
*Sole satus Phaethon: quem quondam magna loquentem,*
*Nec sibi cedentem, Phœboque parente superbum*
*Non tulit Inachides: matrique ait, omnia demens*
*Credis, & es tumidus genitoris imagine falsi,*
*Erubuit Phaethon, iramq; pudore repressit,*
*Et tulit ad Clymenen Epaphi conuitia matrem.*

Quæ scripta sunt etiam à Zeze Chil. 4. historia 137. At Pausanias in Atticis Cephali satu natum esse ex Aurora Phaethontem scribit: quod etiam testatur Hesiodus ita in Theogonia:

Τιθωνῷ δ' Ἠὼς τέκε Μέμνονα χαλκοκορυστὴν
Αἰθιόπων βασιλῆα, καὶ Ἠμαθίωνα ἄνακτα.

αὐτὰρ

*αὐτὰρ τοι Κεφάλῳ φυτύσατο φαίδιμον υἱὸν*
*ἴφθιμον Φαέθοντα, θεοῖς ἐπιείκελον ἄνδρα.*
*Memnona Tithono peperitq; Aurora nigrantum*
*Æthiopum Regem, Tithoni hæc Emathionem.*
*Edidit hæc rursus Cephalo coniuncta deorum,*
*Et fortem Phaethonta, parem Diis mactæ supernis.*

Fabulati sunt igitur Phaethontem Epaphi contumeliis inflammatum, vt nobilitatem sui generis vniuersis hominibus patefaceret, ad Solem patrem suum contendisse, & precibus tandem impetrasse, vt is polliceretur iurando, quidquid Phaethon poposcisset, se concessurum. Tum vero Phaethon rogauit, vt currum lucisq; administrationem sibi per vnum diem concederet: id cum grauiter ferret Sol, neque tamen negare posset quod iurando affirmauerat, multis rationib. conatur filio persuadere, ne rem tam arduam, tamque difficilem aggrederetur, quæ multo maiorem peritiam & animi constantiam requireret. Verum cum nihil neque monendo, neque deterrendo, neq; rogando, vt ab re tanta abstineret, proficeret, inuitus illi currum habenasq; equorum tradidisse dicitur: vt luculentissime scripsit Ouid. lib. 2. Metamorph. & Lucianus in dialogis Deorum. Cum igitur acceptum currum ob metum Scorpionis retinere intra certam viam Phaethon ignorasset, effecit vt modo terrarum orbis acerbitate caloris propinquioris conflagraret, regionesq; vel ad cardines mundi insuetum æstum sentirent, modoque tellus Æthiopum grauissimis & insuetis frigoribus premeretur. Id cum sensisset Iupiter, veritus ne genus animantiũ penitus periret, fulmine cœlesti Phaethontem de curru deiecit: qui ad ripas Eridani fluminis cecidit, vt ait Apollon. lib. 4. Argonaut.

*ἐς δ' ἔβαλον μυχατὸν ῥόον Ἠριδανοῖο·*
*ἔνθα ποτ' αἰθαλόεντι τυπεὶς πρὸς στέρνα κεραυνῷ*
*ἡμιδαὴς Φαέθων, πέσεν ἅρματος Ἠελίοιο*
*λίμνης ἐς προχοὰς πολυβενθέος. ἡ δ' ἔτι νῦν περ*
*τραύματος αἰθομένοιο βαρὺν ἀνακηκίει ἀτμόν.*
*Vltima ad Eridani Minyæ venere fluenta,*
*Pectus quo ardenti percussus fulminis igne*
*Semiustus cecidit Phaethon, currumq; paternum*
*Liquit in aereis campis, ibi nunc quoque fluctus*
*Vulnus olent vstum grauiter, fumosque vaporant.*

Et Lucret. libr. 5. inquit Solem post mortem filij collegisse equos, atque suetum cursum peregisse:

*At pater omnipotens iratum percitus acri,*
*Magnanimum Phaethonta repenti fulminis ictu*
*Deturbauit equis in terram: Solque cadenti*
*Obuius æternam suscepit lampada mundi,*
*Disiectosq; redegit equos, iunxitq; trementes,*
*Inde suum per iter recreauit cuncta gubernans.*

Est autem in regione Celtarum locus ille, in quem cecidisse Phaethon dicitur: vbi scatent fontes Eridani ad Pyrenæos montes, sicuti testatur Dionysius in descriptione orbis, in his:

τοῖς δ' ἐπὶ Πυρηναῖον ἐϋ δώματα Κελτῶν.
ἀγχόθι πηγάων καλλιρρόου Ἠριδανοῖο.
οὗ ποτ' ἐπὶ προχοῇσιν ἐρημαίην ἀνὰ νύκτα
Ἡλιάδες κώκυσαν ὀδυρόμεναι Φαέθοντα.

*Hic Pyrenæos montes, Celtasq; videbis,*
*Non procul Eridani distantes fontibus: illis*
*Tempore nocturno deserta ad flumina fratrem*
*Heliades luxere suum Phaethonta cadentem.*

Nam fama est eius sorores, quæ commemoratæ sunt, cùm de Sole ageremus, adeo grauiter mortẽ Phaethontis tulisse, vt assidue lugentes Deorum misericordia in populos nigras fuerint conuersæ: vt innuit Ouid. lib 1. de Ponto:

*Vos quoq; fœlices, quarum clamantia fratrem*
*Cortice velauit populos ora nouo.*

Harum lachrymæ in electrum fuerunt conuersæ, vt ait idem poeta in lib. 2. Metamorph.

*Inde fluunt lacrymæ: stillataque Sole rigescunt*
*De ramis electra nouis, quæ lucidus amnis*
*Excipit, & nuribus mittit gestanda Latinis.*

Quamuis Artemidorus Ephesius famã fuisse scripsit apud Celtas electrum non quidem Heliadum, sed Apollinis fuisse lachrymas, vbi propter Æsculapij mortem mœstus ad Hyperboreos contendit ob indignationem aduersus patrem. Non defuerunt rursus qui dixerunt istud ipsum contigisse illo tempore, quo iussus fuit seruire propter mortẽ Cyclopum. Quidam crediderunt dictum fuisse ab illo incendio Phaethontem cognomine, cum prius Eridanus diceretur, à quo etiam fluuius nomen obtinuit.

§ Hæc

¶ Hæc illa sunt quæ de Phaethonte ab antiquis fabulose dicta fuerunt. Phaethon Solis & Clymenes filius dicebatur, quia est ardor aut inflammatio, quæ è Sole proficiscitur: nam φαίθω ardeo significat. Huic Clymenem dixerunt esse matrem, quæ aqua est, & ἀπὸ τοῦ κλύζειν, quod inundare significat, fuit vocata. Sensit enim Anaxagoras & Heraclitus stellas esse igneas, ijsq; vaporibus ali, qui per vim Solis è terra extrahuntur: nam cum vapores illi inflammati fuerint, tum vehemens est calor, quod etiam patet per æstiuos dies. cum enim fiunt crassiores terræ vapores, ijq; calefiunt à Sole, quod etiam magis accidit imminentibus imbribus, tum magnus & intolerabilis prope fit æstus, quare Phaethon Solis & Clymenes est filius, corũ vaporum scilicet ardor, qui à Sole excitantur. Alij Cephali & Auroræ filiũ esse Phaethontem putarunt, quia Cephalus & ipse Sol astrorum omnium princeps esse creditur: nascitur enim ardor è Solis viribus per cursum. Fabulantur hunc currum à Sole patre impetrasse, quia late vagatus sit ardor ille, multasque insuetas grauioribus caloribus prouincias depopulatus sit. Ego enim sane per hanc fabulam eximiam aliquam siccitatem, aut eximium & inauditum calorem contigisse aliquando crediderim ob certum planetarum congressum Sole in extrema parte Libræ sub finem Septembris existente, quare finxerunt antiqui Phaethontem, antequam ad Scorpionem accederet, eius metu decidisse. Finxerunt enim in ea parte præcipue signiferi delirasse, quæ est vltima Libræ in Scorpionem, vbi via dicitur vsta: quæ gradus decem vtrinq; continet. Cum n. Solis currus eo peruenisset, neque tamen per breuitatẽ dierum æstus cessaret, creditus est Solis currus viam suetam reliquisse, atque inde locus datus est fabulæ. Nihil fuit igitur aliud Phaethontis fabula, nisi ob nonnullarum errantium stellarum cõgressum siccitas eximia: quia dicitur ad ripas fluminis Eridani decidisse, quia inundationes hãc siccitatem plerunque consequi solẽt, vel pestilentia, vel terræmotus, vel annonæ penuria. Nam cum mirus calor Solis terræque siccitas Galliam, & Græciam, & Italiam anno salutis nostræ 1242. inuasisse dicatur, tanta vis pestilentiæ anno sequenti coorta est, vt vix vnus è decem millibus hominum superfuerit: Istud ipsum aliquando contigit in Ægypto, & in Asia, post eximiam

ſiccitatem & poſt eximias inundationes: nam duodecim vrbes vna nocte Tiberio Cæſare imperante terræ motu deuaſtatæ ſunt. Atq; Anaximander ex obſeruatione ſiderum non ſolum tempeſtates, ſed etiam ſubterraneos ventos Lacedæmoniis futuros prædixit. Hunc fuiſſe deiectum fulmine à Ioue apud Eridanum fluuium fabulantur, quia vt Orionis, ſic Eridani exortu magna vis imbriũ ſæpius concitatur, quare in Arataeis verſibus illum magnas habere vires inquit Cicero, cum ita verterit:

*Hac etiam Eridanum cernes in parte locatum,*
*Cœli funeſtum magnis cum viribus amnem.*

Id autem ita fictum eſt, quod fulmine fuerit deiectus: quia vapores per calorem elati in ſublimi aeris parte in anguſtum à circumſtanti frigore compulſi (eſt enim illa pars aeris, vbi ceſſant radij Solis à terra remiſſi, frigidior) tonitrua, & fulgura, & fulmina emiſerunt ac detruſerunt, donec calor ille denique diſſiparetur. Ea de cauſa & Iupiter illum de curru deiecisse dicitur, & ſi quam rerum mortalium labantem videret, refeciſſe. nam Iupiter modo eſt calor, qui eſt vita omnium viuentium, modo ignis elementum vt comburens hic Vulcanus, modo aer, modo mens diuina: à quo aere frigidiore denique facto recreata ſunt aliquando pene exuſta & extincta ob æſtum animantia.

Alij fabulam inde excogitatam fuiſſe dixerunt, quia primus Solis curſum obſeruarit, qui cum mortuus eſſet, antequam artem perfectam cognouiſſet, dictus eſt fulmine fuiſſe deiectus, vt ait Lucianus in Aſtrologia. Alij maluerunt per hanc fabulam demonſtrauiſſe antiquos rerum maximarum adminiſtrationem, ac ſumma imperia rerum publicarum iuuenibus aut adoleſcentibus aut imperitis non eſſe concedenda: cum in cæteros imperium Solis prudentioribus conueniat. nam qui iuuenes Rebus publicis, imperitoſue præficiunt, ij cum maximo ſuo & præfectorum & ſubditorum periculo ſæpe ſe errauiſſe intelligunt. Fama eſt eius ſorores adeo miſerabiliter mortẽ Phaethontis luxiſſe, vt Deorũ miſericordia fuerint in populos commutatæ. Hoc nihil aliud ſignificat, niſi ex humore & calore Solis illo eximio multa poſtea arborum plantarumque genera naſci ſolere. verumtamen vbi calor materiæ facultatem

tatem superarit, non amplius est generationis, sed corruptionis autor. Succus autem qui vel è corporibus animalium, vel ex arboribus extremus effluit, propter vim intimā expellentem crassior est, quare electrum ex illis arboribus tum primum lacrymantibus efflúxisse dicunt. Fuerunt qui hæc ad historiam potius detorqueant: nam omnes fabulæ habent aliquam historiæ partem tanquam fundamentum. Scribit Zezes histor. 127. Phaethontem filium fuisse cuiusdam Regis, qui cum currum agitaret ad ripas Padi Celtarum fluuii, in flumen delapsus interierit, quem tanto cum animi mœrore luxerunt sorores, vt stupidæ factæ sint, quare dictæ sunt in arbores commutatæ. Nam Plutarchus in Pyrrho post diluuium primum Thesprotorum & Molossorum Regem Phaethontem fuisse scribit. quem Lucianus in dialogo de Astrologia Solis idcirco filium, currumque accepisse credidit, quia Solis cursum primus deprehenderit. Fuerunt qui Phaethontis fabulam inde detortam esse dicant, quod vastus cometa solaris natura in nonnullis locis tandem dissolutus intolerabiles æstus effecerit Est enim ea cometarum natura, siue sit vapor circa sidera collectus, siue per se prælōgus existat, qui paulatim exuritur, siue alia quauis de causa oriatur, vt siccitas, & æstus, & aquarum penuria consequatur, quia propensiores sunt ad inflammationes aeris vapores, quam ad pluuiam. Quod attinet ad mores, deprimere nonnullorum arrogantiam per hæc voluerunt, qui nihil sibi non tribuunt, nihilq; se nescire propter nobilitatem arbitrabantur: quæ arrogantia homines plerumque trahit in magnas calamitates. At nunc de Aurora dicamus.

## *De Aurora.* CAP. II.

AVroram filiam fuisse Hyperionis ac Thiæ, Solisque & Lunæ sororem, declarauit Hesiodus in Theogonia his carminibus:

*Θεία δ' Ἠέλιόν τε μέγαν, λαμπράν τε Σελήνην,*
*Ἠῶ θ', ἣ πάντεσσιν ἐπιχθονίοισι φαείνει,*
*ἀθανάτοις τε θεοῖς, τοὶ οὐρανὸν εὐρὺν ἔχουσι,*
*γείναθ' ὑποδμηθεῖσ' Ὑπερίονος ἐν φιλότητι.*
*Thia parit Solem magnum, Lunamq; nitentem,*
*Auroram quæ fert lucem mortalibus almam,*

*Cælicolisq; Deis cunctis; Hyperionis almi*
*Semine concepit namq; illos Thia decora.*

Alii Titanis & Terræ filiam esse Auroram crediderunt. Solis præuiam, sicut Auroræ præuium luciferum, dixerunt antiqui: quippe cum Solem cito oriturum nunciet mortalibus, vt ait Orpheus in hymno in Auroram:

ἀγγέλλουσα θεοῦ πτανοῦ ἀγνοῦ μεγάλοιο.
*Nuntia Titanis celeris, lateq; nitentis.*

Huic digitos roseos tribuit Homerus propter colorem rubicundum, aut subrubentem, quam in aurea sede vehi dixit hymno in Venerem:

ὡς δ' αὖ Τιθωνὸν χρυσόθρονος ἥρπασεν Ἠὼς
ὑμετέρης γενεῆς ἐπιείκελον ἀθανάτοισιν.
*Vt vestra de gente parem Diis, aurea sedes*
*Quam vehit arripuit Tithonum Aurora maritum.*

Fabulati sunt enim poëtæ Auroram in curru à quadrigis rubentibus vehi solitam, vt testatur Virgil. lib. 6.

*Hac vice sermonum roseis Aurora quadrigis*
*Iam medium æthereo cursu traiecerat axem.*

Cui tamen bigas attribuit alibi, vt est in his:

*Aurora in roseis fulgebat lutea bigis.*

Theocritus autem non roseos, sed albos equos Auroræ appellauit in Hyla hoc pacto:

οὐδ' ὅκχ' ἁ λευκίππος ἀνατρέχει ἐς Διὸς Ἀώς.
*Nec pullis Aurora domum Iouis vt petit albis.*

Scriptum tamen reliquit Lycophron in Alexandra Auroram à Pegaso equo vehi solitam, vt est in his:

Ἠὼς μὲν αἰπεινὸν ἄρτι Φηγίου πάγον
κραιπνοῖς ὑπὲρ πτεροῖσι Πηγάσου πτεροῖς,
Τιθωνὸν ἐν κοίτῃσι τῆς Κέρνης πέλας.
*Aurora montem Phagium aduolauerat,*
*Velocis altum nuper alis Pegasi,*
*Cernam pro Tithonum in thoro reliquerat.*

Hanc ex Oceano, tanquam Solem & reliqua astra, surgere scripsit Homerus in hymno in Mercurium hoc pacto:

Ἠὼς δ' ἠριγένεια φόως θνητοῖσι φέρουσα,
ὤρνυτ' ἀπ' Ὠκεανοῖο βαθυρρόου.
*Hinc Aurora tulit lucem mortalibus almam*
*Fluctibus Oceani surgens sata mane profundis.*

Memoriæ prodidit Pausanias in Laconicis Auroram forma Ce-

ma Cephali captam pulcherrimi iuuenis illum ad se rapuisse. Rapuit Orionem præterea, vt scripsit Homerus lib. 5. Odyss.

*ὡς μὲν ὅτ' Ὠρίων' ἕλετο ῥοδοδάκτυλος Ἠώς.*
*Sic vbi ab Aurora rosea est correptus Orion.*

Quæ Tithonum etiam maritum sibi rapuit, quem in Delum asportauit, eumque dormientem in thoro consurgens relinquebat cum Memnone filio, vt innuit Virgilius lib. 4. Æneidos:

*Et iam prima nouo spargebat lumine terras*
*Tithoni croceum linquens Aurora cubile.*

Hanc ex Astræo præterea scripsit ita Apollodorus lib. 1. Biblioth ventos & astra peperisse: Ἠοῦς δὲ καὶ Ἀστραίου ἄνεμοι καὶ ἄστρα: *Ex Aurora & Astræo venti & astra.* Nam cum Astræo congressa, fratre Thiæ & Hyperionis filio, Argestem, Zephyrum, Boreamq; peperit & Notum, vt in Theogonia ait Hesiodus:

*Ἀστραίῳ δ' Ἠὼς ἀνέμους τίκε καρτεροθύμους,*
*Ἀργέστην, Ζέφυρον, Βορέην τ' αἰψηροκέλευθον,*
*καὶ Νότον, ἐν φιλότητι θεὰ θεῷ εὐνηθεῖσα.*
*Astræo peperit ventos Aurora rapaces,*
*Argestem, Zephyrum, & Boream glacialibus alis,*
*Atq; Notum, coniuncta Deo Dea candida lecto.*

Hanc iucundissimam & suauissimam, non hominibus solum, sed omnibus animalibus, & hominibus & plantis contingere, scripsit Orpheus in hymno in Auroram his verbis:

*ἡ χαίρει θνητῶν μερόπων γένος· οὐδέ τίς ἐστιν*
*ὃς φεύγει τὴν σὴν ὄψιν καθυπέρτερον οὖσαν,*
*ἡνίκα τὸν γλυκὺν ὕπνον ἀπὸ βλεφάρων ἀποσείσῃς·*
*πᾶς δὲ βροτὸς γήθει, πᾶν ἑρπετὸν, ἄλλα τε φῦλα*
*τετραπόδων, πτηνῶν τε, καὶ εἰναλίων πολυεθνῶν.*
*Qua gaudet mortale genus, vitare nec vllus*
*Conspectum vult diua tuum, cum fluctibus exis.*
*Excutis & somnum ciliis: lætantur vbiq;*
*Serpentumq; hominumq; genus, volucresq; feræq;*
*Quæq; colunt altas spumosi marmoris vndas.*

¶ Hæc illa sunt quæ de Aurora fabulose prodita sunt ab antiquis. Hanc Thię & Hyperionis filiam arbitrati sunt illa de causa, quia diuina bonitate ita statuente lux è Sole ad

mortales manet. quid enim commodi habemus, quod hominib. à Deo non sit? Hanc alii Terræ filiam & Titanis, alii nūciam Titanis vocarunt, & ex Oceano emergere crediderunt: quia nauigantibus ex vnda, aut in planitie existentibus è terra exire appareat, & è luce Solis, quem antecedit. Nam oculorum acies ad certum interuallum pro facultate naturali locorum distantiam metiri potest. at hallucinatur præterea ob imbecillitatē & ob molem aeris inter aciem & distantia corpora interiecti, quæ spectantur. quare si quid longinquum metiri velimus, adhibēda sunt opticæ instrumenta, aut aliqua oculorum aciem adiuuantia & coarctātia Efficit igitur turbidi aeris natura, & surgentium assidue vaporum, vt cādida lux Solis his interiectis, cum tenuis illa adhuc sit, rubicūda & rosea Aurora videatur: quare roseum colorem, & roseos digitos, & auream sedem, & rubentes equos illi attribuerunt, qui iidem sunt & Solis Propter celeritatem motus illi currus concessus est. Hanc niueos equos habere alii dixerunt, non ad surgentes vapores, sed ad ipsius lucis naturam intuentes. At nunc dicatur de Memnone.

## *De Memnone.* CAP. III.

MEmnon fuit Auroræ, Tithoniq; filius, qui habuit fratrem ex iisdem parentibus Emathionem, vt inquit Apollodorus lib. 3. & Hesiodus in Theogonia:

*Τιθωνῷ δ' Ἠὼς τέκε Μέμνονα χαλκοκορυστὴν,*
*Αἰθιόπων βασιλῆα, καὶ Ἠμαθίωνα ἄνακτα.*
*Ast Auroræ parit Tithono Memnona fortem,*
*Æthiopum Regem, Regem simul Emathionem.*

Hūc natū esse Thebis testatur Dionysius in situ orbis ĩhis:

*ἠ μὲν ὅσοι Θήβην ἱερὴν καὶ ναιετάουσι,*
*Θήβην Ὠγυγίην ἑκατόμπυλον ἔνθα γεγωνὼς*
*Μέμνων ἀντέλλουσαν ἑὴν ἀσπάζεται Ἠῶ.*
*Nam quicunq; colunt Thebas & mœnia clara,*
*Thebas Ogygias hecatompylas: hic vbi Memnon*
*Surgentem capit Auroram complexibus arctis.*

Strabo lib. 15. Cissiā matrem Memnonis vocatā fuisse scribit. Hūc Æthiopum fuisse Regē, & ex Æthiopia ad bellum Troianū, vel potius è Susis Persarū ciuitate venit, ait Paus. in Phocensiū rebus. nā omnes illas nationes Memnō ante bellum Troianum debellauerat, quę medię fuerunt vsq; ad

fluuium

fluuium Choaſpem. Memoriæ prodidit Strabro lib. 16. non procul à Ptolemaica ciuitate Ægypti, in vrbe Abydo fuiſſe regiã Memnonis mirifice è lapide totam extructam, & labyrinthum præterea eiuſdem operis, quem Memnonium vocarunt. Hunc ad bellum Troianum Priamo opem ferẽtem acceſſiſſe conſtat, qui fortiter ſingulari certamine cum Achille cõmiſſo occubuit. Hic vbi fuit percuſſus, fons ſcatuit, de quo aquam ſanguineam fluere dicebant quotannis, quo die ille fuit cæſus, vt ea carmina teſtantur Calabri:

*ὅς τε καὶ αἱματόεις τραφερὴν ἐπινίσσεται αἶαν,*
*ὁππότε Μέμνονος ἦμαρ ἔῃ λυγρὸν, ᾧ ἔνι κεῖνος*
*κάτθανε.*
*Sanguine qui tinctus ſitientes alluit agros,*
*Memnonis vt lux eſt triſtis, qua concidit ille.*

Ferunt illum poſt cædem apud Paltum Syriæ iuxta Badam fluuium fuiſſe ſepultum, vt ſcripſit Simonides poëta. Atq; ſupra Æſapi oſtia humatum fuiſſe teſtatur Strabo libr. 13. quare vicus qui proximus fuit, Memnonius vicus dictus eſt. Scriptum reliquit Pauſanias in Laconicis Memnonis enſem totum ex ære fuiſſe Nicomedię cum haſta, quę imas tantum partes & cuſpidem ęreas haberet, in templo Æſculapii depoſitum. Fuerunt qui dixerint Auroram impetraſſe, à Ioue, vt cum Memnon rogo imponeretur, verteretur in auem: quod etiam contigiſſe dicitur, vt ait Ouid. lib. 13. Metamorph.

*Memnonis orba mei venio; qui fortia fruſtra*
*Pro patruo tulit arma ſuo, primiſq; ſub annis*
*Occidit à forti (ſic Dii voluiſtis) Achille.*
*Da precor huic aliquem ſolatia mortis honorem,*
*Summe Deum rector, maternaq; vulnera leni.*
*Iupiter annuerat, cum Memnonis arduus alto*
*Corruit igne rogus: nigriq; volumina fumi*
*Infecere diem: veluti cum flumina natas*
*Exhalant nebulas, nec Sol admittitur infra.*
*Atra fauilla volat, glomerataq; corpus in vnum*
*Denſatur, faciemq; capit, fumiq; colorem*
*Atq; animum ex igni, leuitas ſua præbuit alas.*

Dictæ ſunt & aliæ complures aues Memnoniæ vocatæ ex eodem rogo exiliiſſe, quæ inter ſe pugnantes in rogum relapſæ pro inferiis ſe Memnoni conſecrarunt. Theocritus

N

ipsum etiam Memnonem in auem mutatum circa rogum volasse, rogumque lustrasse commemorat in epitaphio Bionis, cum de cæde quereretur, vt est in his carminibus:

*ὐ τόσον ἠάοισιν ἐν ἄγκεσι παῖδα τὸν Ἀοῦς.*
*ἐκπταμένα περὶ σᾶμα κινύρετο Μέμνονος ὄρνις.*
*Non sic aurora natum in conuallibus imis*
*Memnonis ast tumulum lustrans conquesta volucris.*

Scriptum reliquit Lucianus in Philopseudo miraculum illud statuæ Memnonis fuisse celeberrimum, quippe cum statua illius quæ fuit in templo Serapidis in Ægyptiis Thebis erecta, sponte sua, cum radiis Solis tangeretur; suauem sonum emitteret, atque nescio quid lacrymabile sub Solis occasum, cum matris aduentu lætari, tristari discessu putaretur, vt testatus est etiam Corn. Tacit. Et Suidas in his: τὸ δὲ ἄγαλμα τετράφθαι πρὸς ἀκτῖνα, μήπω γενειάσκον· λίθου δὲ εἶναι μέλανος. ξυμβεβηκέναι δὲ τὼ πόδε ἄμφω κατὰ τὴν ἀγαλματοποιίαν τὴν ἐπὶ Δαιδάλου, καὶ τὰς χεῖρας ἀπερείδειν ὀρθὰς ἐπὶ τὸν θᾶκον. καθῆσθαι γὰρ ἐν ὁρμῇ τοῦ ὑπανίστασθαι· τὸ σχῆμα τοῦτο καὶ τὼ ὀφθαλμὼ οὖν καὶ ὁπόσα τοῦ στόματος ὡς φθεγξομένου ᾄδουσι, καὶ τὸν μὲν ἄλλον χρόνον ἧττον θαυμάσαι φασίν. οὔπω γὰρ ἐνεργὰ φαίνεσθαι· προσβαλούσης δὲ τὸ ἄγαλμα τῆς ἀκτῖνος, (τοῦτο δὲ γίγνεσθαι περὶ ἡλίου ἐπιτολάς) μὴ κατασχεῖν τὸ θαῦμα· φθέγξασθαι μὲν γὰρ παραχρῆμα τῆς ἀκτῖνος ἐλθούσης αὐτῷ ἐπὶ στόμα. φαιδροὺς δὲ ἱστάναι τοὺς ὀφθαλμοὺς δόξαι πρὸς τὸ φῶς. οἷα τῶν ἀνθρώπων οἱ εὐήλιοι τότε ξυνεῖναι λέγουσιν, ὅτι τῷ ἡλίῳ δοκεῖ ὑπανίστασθαι καθάπερ οἱ τὸ κρεῖττον ὀρθοὶ θεραπεύοντες. *Hæc autem statua ad radios Solis conuersa est, impubis adhuc, è nigro lapide. atque pedes ambo sunt ad Dædali artis imitationem, cum manus super sede recta firmentur: ita vero constituta est, vt velle consurgere appareat, atque oculi & quæ sunt vocis omnia instrumenta, videntur velle loqui, cæteris quidem temporibus minus mirabile illud videri dicunt: at radio statuam attingente (quod fit oriente Sole) non potest non videri mirabile, cum radio in os incidēte statua loquatur. oculi hilares apparent ad lumen tanquam hominum, qui tunc lætentur Sole: nam Soli videtur assurgere tanquam serui bene morati domino accedenti.* Hanc statuam etiam reddere responsa consueuisse antiqui dixerunt. Fama est statuam ipsam nigri lapides fuisse, quæ sonum illum emitteret. Scribit Strabo libro decimoseptimo: se Thebas in Ægyptum aliquando contendisse, vbi duo altissimi erant colossi ex integris lapidibus

dibus inter se propinqui, quorum alterius superiores partes iam corruerant ob terræmotum: huius pars illa quæ reliqua erat super base, circiter horam primam, vt inquit, sonum emisit haudquaquam magnũ ingenti præsente multitudine. Sic enim erat artificiose in ipsa base incisa. Neque hoc erit sane incredibile, si quis quanta vis sit scientiæ cognouerit, aut si Thebanorum sacerdotum præstantiam in astronomicis philosophicisque rebus intellexerit. Non enim illi inter scorta immundissima, neque inter lurcones vino graues maiorem ætatis partem degebant: sed quod reliquum erat temporis ab administratione sacrificiorum, id totum in honestissimis rerum vel naturalium vel diuinarum studiis contemplationibusque transigebant. Atqui Zezes Chil 6 histor. 64. Cippum ait vocatum fuisse Memnonem ab Ægyptiis, & columnam rubri varii lapidis fuisse, quæ sonum illum emitteret: latum quidem per diem, quia lętaretur matris præsentia, aut lugubrem per noctem, quia doleret illius discessu. Alii sane scriptores à Zeze dissentiunt, quia Memnonem in Ilio fuisse sepultum: at non in patriam relatum crediderunt Atque tot sunt dicta fabulose de Memnone.

Memnonem Auroræ Tithonique filium fuisse dixerunt, quoniam is in orientis regionibus imperauit, quando & orientem Auroræ nomine vocarunt aliquando Latini, vt est id Virgil in Libro 8.

*Hinc ope barbarica, variisq; Antonius armis*
*Rector ab Aurora populis.*

Quod dictum fuit, quia sub ortum Solis, & Auroræ ipsius tempore lenis aura plerunque oriatur. nam parua aura aurora dici videtur. Quod ad Troiam militauerit, quod cæsus fuit ab Achille quod honorifice sepultus fuerit, id totum non abhorret ab historia. Quod vero aues ex illius rogo euolauerint, illique immortalitatem Aurora impetrauerit à Ioue, quid aliud est, quã antiquorum poetarũ adulatio? nam illi vt propinquorum Regum gratiam aucuparentur æternam & immortalem gloriam futuram ipsorum Regum dicebant. & quæ in omnes nationes perueniret, multaque fabulosis ornamentis, suauitateque orationis, quædam horrenda pharmaca suauioribus rebus condi-

uerũt, ne ſimplex adulatio nauſeam auditoribus moueret. Quæ ad eius ſtatuæ mirabilitatem ſpectant, antiquorum artificum præſtantiam patefaciunt, qui & coloſſos incredibilis magnitudinis ac artificii, & columnas admirabilis tum ponderis, tum etiam inciſarum figurarum artificii, nõ ſolum erexerunt, ſed etiam in longinquas regiones exportarunt. Tanta vero fuit in coniungendis lapidibus ſcientia, vt vel diligentiſſime rimantibus nulla appareret coniunctio. quare præclare dictum eſt in eam pyramidem, qui fuit ex Ægypto Romam comportata:

*Si lapis eſt vnus, dic qua fuit arte leuatus?*
*Si duo, vel plures, dic vbi congeries?*

Quod ad mores vitæque inſtitutionẽ attineat, nihil in Memnone eſſe conſpicio, quare tota fere eſt hiſtorica explicatio. At nunc de Tithono dicamus.

## *De Tithono.* CAP. IV.

Tithonus, quem ob corporis elegantiam amatum fuiſſe ab Aurora inquiunt, Laomedontis fuit filius, fraterque Priami, vt fama eſt, cum tamen diuerſæ matres horum fuiſſe memorentur. Aiunt enim matrem Priami fuiſſe Leucippen, at Tithoni alii Strymo, alii Rhœo Scamandri filiam. Inquiunt Tithonum in cœlum fuiſſe portatum cum ab Aurora amaretur, illiq; à Parcis immortalitatem fuiſſe impetratam: ſed cum oblita fuiſſet Aurora petere etiam ne ſeneſceret, Tithonus in tantam veniſſe ſenectutem dicitur, vt infantulorum more in cunis agitatus quieſceret. Verum denique in cicadam dicitur fuiſſe conuerſus, quæ mutatis prioribus exuuiis vel ſenio confectæ non occidũt; ſed iuueneſcunt. Hanc fabulam ita attigit Horat. lib. 2. Carminum:

*Longa Tithonum minuit ſenectus.*

Illud autem paſſus fuiſſe creditur propter dolorem, quem audita Memnonis filii morte percepit: nam tanquã euolaturus ad videndum filium bracchia concuſſit, quare alæ tũ primum illi natæ fuiſſe dicuntur. Id aſſerit idem poeta in lib. 1. cum dicat illum qui immortalitatem aſſecutus fuiſſe videbatur, cuique alæ exortæ ſunt, tandem occidiſſe: *Tithonuſq; remotus in auras.* Alii tamen dicunt illũ Auroram precatum fuiſſe, vt poſſet immortalitatem deponere, cum pro-

pter

pter senectutē humanis voluptatibus frui non amplius posset: quod cum illa cōcedere non valeret, in cicadā illū vertit. Dicitur Tithonus Susam condidisse ciuitatē, nō procul ab amne Choaspe Persiæ, nobilissimā, ac sedem olim imperij Persarū. Cum vero in cunis (vt diximus) plerunque iaceret Tithonus ob senectutem, in lecto tamen illum ab Aurora relinqui solitum scribit Virg. in hoc carmine:

*Tithoni croceum linquens Aurora cubile.*

Habuit ex Aurora Tithonus Memnonem & Emathionem filios, vt dictum est, à quo dicta est Emathia: quamuis alij dixerunt Auroram ex Astræo Titane ventos etiam peperisse: filiam vero Iodamam. Hæc fere sunt, quæ de Tithono dicuntur. Hanc rem qui ad historiam traducere conantur, dicunt Tithonum ex Oriente vxorem duxisse, è qua cum prædictos suscepisset filios, in tantam peruenit senectutem, vt in cunis agitaretur domi infantum more. Hinc fabulæ datus est locus, quod Aurora illum amauerit ob temperiem orientalium locorum: qui illum & maritum, & immortalem prope fecerunt. Quod in cicadam fuerit conuersus, quid aliud est, quam senilis garrulitas & loquacitas? cum enim morosi sunt senes, tum gloriosi & temporis præteriti semper laudatores, contemptoresq; præsentis, & euiusmodi Nestorem finxit Homerus. Fuerunt qui ridiculam allegoriam addiderint, & quam referre prope sine risu nō possum. Dicunt enim Tithonum esse vim diurnam, at Auroram matutinam vendendis mercibus vel agendis rebus accommodatā, vnde vir Auroræ Tithonus putabatur. Quoniam vero multa virilia opera agūtur per diem, muliebria per noctem, vt dixerunt, ea de causa illa conficta creduntur à nonnullis, & quoniam venalia per diem exponuntur, dixerunt Priamum esse Tithoni fratrem: nam πρίαμαι emo significat. At ego crediderim hanc fabulam ideo fuisse fictam, quod per illam nos sapientes ad æquo animo ferendas naturæ vices solarentur: cum mors omnium calamitatum finis sit Deorum beneficio hominibus concessa. Nam cum immortalitatem è Dijs Tithono Aurora impetrasset, illæ tamen supplex à Dijs ipsis contendit, vt liceret sibi mori, quia satius esse putaret semel interire, quam assidue molestijs, totque naturæ difficultatibus infestari. At nunc de Pasiphae dicamus.

### De Pasiphae. CAP. V.

PASIPHAE Solis & Perseidis filia fuisse, vt ait Cicero lib. 3. de natura Deorum, in his: Circe autem & Pasiphae è Perseide Oceani filia natæ, Patre Sole, in Deorum numero non habebuntur? Hanc Minois vxorem fuisse cõstat è quo Ariadnam, quam à Theseo abductam & in Naxo relictam à Libero patre vxorem ductam inquiunt, filiam peperit, vt ait Apollon. lib. 3.

*παρθενικὴ Μινωΐς ἐυφρονέουσ' Ἀριάδνη*
*ἥν ῥά δὴ Πασιφάη κούρη τέκεν Ἠελίοιο*
*Huius amore fuit Minoia capta Ariadna*
*Pasiphae hanc peperit Solis de semine nata.*

Fabulati sunt Venerem, post indicatum suum à Sole adulterium cum Marte, in vniuersam Solis stirpem sæuisse: quare & Ariadna à Sole oriunda ingratum & durissimum Theseum experta est: & Pasiphae huius mater ingenti tauri amore capta fuit, ita vt Dædali opera se illi subiecerit: de qua natus est Minotaurus, cuius altera pars homo erat, taurus altera, vt est in Ariadna apud Ouidium:

*Nec tua mactasset nodoso stirpite Theseio.*
*Dextera parte virum, dextera parte bouem.*

Cum natum fuisset id monstrum, labyrinthus extruitur cum inexplicabilibus viarum ambagibus & fallacijs, ita vt cum quis viam egredientem, & ad exitum perducentem se reperisse putaret, tum nouum ingressum, & prioribus multo difficiliorem experiretur, atq; id in illum inclusum fuit. Has tamen fallacias idem Dædalus, qui excogitauerat, vt Ariadnæ amori satisfaceret, aperuit: cum eo, qui Athenis nono quoque anno ob mortem Androgei mittebãtur vorandi à Minotauro, vel inter labyrinthi fallacias, vt alij putarunt, morituri, includerentur. Hanc rem satis aperte, vt arbitror, explicauit in his carminibus Virgil. Libro 6.

*Hic crudelis amor tauri, suppostaq; furto*
*Pasiphae, mistumq; genus, prolesq; biformis,*
*Minotaurus inest, Veneris monumenta nefanda.*
*Hic labor ille domus, & implicabilis error.*
*Magnum Reginæ sed enim miseratus amorem*
*Dædalus, ipse dolos tecti, ambagesq; resoluit,*
*Cæca regens filo vestigia.*

Habuit filium Androgeum & Ariadnam, vt ait Isacius: quibus

bus alij Phædam addiderunt. Fuerunt, qui dicant illam quo tempore Minos aduersus Athenienses militabat, rem cum Tauro militum duce clam habuisse, atque ex eo susce-pisse filium, quem de patris nomine Taurum appellarunt, nomenque Minois etiam addiderunt, quod Minois videretur, cum esset Tauri. Alij dixerunt Taurum fuisse Minois ducem, qui crudelissimus erat in omnes Athenienses, qui eo tributi nomine mittebantur: vt testatur Plutarchus in Theseo. Alij maluerunt ex huius ducis concubitu & ex Minoe eodem partu natos esse geminos filios: Androgeum è Minoe, Taurum autem ex Tauro: quod tamen cum non pateret, palam vtriusque parentis nomen obtinuit alter illorum. Hoc non solum fabulosum est, sed prorsus abhorret à veritate, quoniã seminis recepti vas in muliere vbi semen auide semel imbiberit, atque hauserit, constringitur: neque amplius aperitur, antequam fœtum perduxerit ad maturitatem. Fuerunt qui fabulosam causam reddiderint, cur Minos adulteram vxorem senserit, cum illa vel bouem sustinuerit. Nam cum Minos ad bellum exiturus Iouem patrem rogasset vt digna tanto sacrificio aliqua se victima offerret, Taurum eximiæ pulchritudinis oblatum armentis ducem præfecit, ac alium pro illo immolauit: quare sensit postea Minos ex ira Iouis ob eam fraudem amorem tauri suæ vxori fuisse immissum. Alij maluerunt Minoem à Cretensibus impeditum quo minus in regnum paternũ succederet, respondisse, à Dijs immortalibus sibi dari regnum: quod nisi credant, Deos augurio id esse confirmaturos. Mox Neptuno claram vouit se quod primum apparuisset immolaturũ. Cum vero eximiæ pulchritudinis taurus apparuisset, illum dedit pastoribus ad armenta deducendum, atq; alium pro illo mactauit. quare iratus Neptunus nefarium illius tauri desiderium vxori Minois immisit. Scriptum reliquit Plutarchus in Cleomene, in Thalamis Messeniorum olim ciuitate eximium fuisse Pasiphaes templum & oraculum: atque Pasiphaen quidem vnam esse nympharum Atlantidum arbitrati sunt, eamq; non Solis sed Iouis fuisse filiam: quæ ita vocata sit, quod omnibus ibi pateret oraculum, quasi παρὰ τὸ πᾶσι φαίνειν τὰ μαντεῖα. At hactenus de fabulosis ad Pasiphaen spectantibus dictum sit.

§ Hanc fabulam ad historiam deduxit Zeres, hist. 191.

Chil. qui ſcribit augurium à Neptuno immiſſum Taurum fuiſſe ducem, qui cum ingenti claſſe ſuppetias Minoi ferebat, quem cum vidiſſent Cretenſes priuſquam dimicaretur, Regem Minoem ſalutarunt. Eius Tauri viſi ſane elegantis & ſtrenui ducis amore capta eſt Paſiphae Minois vxor, Dædaloque conſcio & adiutore in priuata domo lignea cum illo dicitur concubuiſſe, ex quo natus eſt puer, qui & adulteri & legitimi mariti Paſiphaes nomen reportauit. Ego vero altiorem quandam, & vtiliorem ſententiam ſub his latere creditum, quoniam non hiſtoricæ ſolũ narrationis cauſa fabulæ inſtituebantur, ſed vel rerum naturalium, vel morũ informandorum, vt diximus. Paſiphae Solis & Perſeidis filia, quid aliud eſt quam anima mortalium, quæ tum plurimum ratione & conſilio pollet, cum corpus Solis virtute materiam corporis optime digerente fit purius? aut quid aliud eſt Perſeis, quam ipſa materia humida, è qua corpus gignitur? Hæc ipſa anima cum Minois iuſtiſſimi atq; optimi viri ſit vxor, ſi ad illegitimas voluptates declinauerit, deſciſcere à legitimo marito dicitur, & in adulteri ferociſſimi tauri complexum refugere. Vbi enim à ratione animus deſciuerit, vel ad irã, vel ad cupiditates ſe referens, tunc omnibus turpis apparet, & tauri formam recipit. Quare ſi quis fabulæ turpitudinem ſummam ineſſe arbitrantur, nefariamque mulierem exiſtimat Paſiphaen, quæ tam turpes ac tam illegitimas voluptates expetiuerit, quo pacto nõ turpiſſimum putauerit, ſe ipſum vel libidine, vel ira, vel alijs turpiſſimis animorũ motibus cedere? concedendæ ſunt quidem corpori voluptates, quas natura neceſſario expetit, quippe cum neq; ira, neq; voluptas inutiliter à Deo data ſit; ſed illæ tantum concedendæ, quas Iupiter aut Neptunus conceſſerit: quod per eum taurum ſignificatur, ad corporis vires reficiendas ſcilicet & ad propagandam ſobolem. Cuius rei vel maximum id eſt argumentum, quod vel ira ad res agendas, vel libido ad procreandũ, vel reliqui animorũ motus conferunt ſemper fere cum moderatione & corpori, & negotijs: cum plurimũ obeſſe ſoleant, niſi moderatio adhibeatur. Ex illegitimo vero voluptatum, harumque motionum vſu multa monſtra naſcantur neceſſe eſt, ac non ſolum Minotaurus: quæ ita homines implicant, vt qui ſemel ab æquitate declinauerit, le-

geſque

gesque contempserit, difficilime postea à sceleribus coerceatur: cum mox, diuturnaque consuetudo natura postea fiat assuetis hominibus. Neque aliud sane labyrinthi viarũ inexplicabilis circuitio significare voluit, nisi illum qui semel illegitimis se dedidisset, sine summa difficultate se explicare postea non posse ante extremum vitæ diem, aut sine summo Dædali ingeniosi admonitoris artificio. de Pasiphae ita breuiter: nunc de Circe dicamus.

## *De Circe.* CAP. VI.

CIRCE, vt scripsit Hesiodus in Theogonia, Solis & Perseidis Oceano dicitur fuisse filia in his carminibus:

Ἠελίῳ δ' ἀκάμαντι τέκε κλυτὴ Ὠκεανίνη
Περσηῒς Κίρκην τε καὶ Αἰήτην βασιλῆα.
*Soli indefesso peperit Perseis at olim*
*Æetam regem & Circen, clarissima, natos.*

Homerus tamen in lib. κ. Odysseæ illum Solis & Perses filiam, at non Perseidis inquit in his carminibus:

Αἰαίην δ' ἐς νῆσον ἀφικόμεθ'. ἔνθα δ' ἔναιε
Κίρκη ἐϋπλόκαμος, δεινὴ θεὸς αὐδήεσσα,
αὐτοκασιγνήτη ὀλοόφρονος Αἰήταο.
ἄμφω δ' ἐκγεγάτην φαεσιμβρότου Ἠελίοιο
Μητέρος ἐκ Πέρσης, τὴν Ὠκεανὸς τέκε παῖδα.
*Venimus Ææa posthac littora terra:*
*Hanc Circe coluisse grauis Dea dicitur, illa*
*Prudentis soror Æeta fuit: ortus vterque*
*Semine de Solis nitidi narratur, & illis*
*Oceano Perse mater fuit edita magno.*

Alij crediderunt Hecates, alij Æetæ fuisse filiam, at non sororem. Alij contra Asteropes & Hyperionis filiam tradiderunt, sicuti testatur Orpheus in Argonauticis: cuius miram fuisse pulchritudinem inquit, cum splendoris radij ex illius capite emicarent, vt patet ex his:

κούρη ὁμογνήτη μεγαλόφρονος Αἰήταο
Ἠελίου θυγάτηρ· Κίρκην δὲ ἐκικλήσκουσι
μήτηρ Ἀστερόπη καὶ τηλεφανὴς Ὑπερίων.
ἣ ῥα θοῶς ἐπὶ νῆα κατήλυθεν· ἐκ δ' ἄρα πάντες,
θάμβεον εἰσορόωντες. ἀπὸ κρατὸς γὰρ ἔθειραι
πυρσοῖς ἀκτίνεσσιν ἀλίγκιοι ἠώρηντο.

σίλβει δὲ χαλὰ σπόωπα φλογός.

*Æetæ affinis, coniunctaq; sanguine, Solis*
*Filia, quam proprio dixerunt nomine Circen:*
*Asteropeq; parens, Hyperionq; est auus. illa*
*Velox occurrit naui, cuncti aspicientes*
*Pertimuere viri: flammaq; simillimus ardor*
*Crinibus auratis illi affuit, igne decora*
*Splendebat facies, superisq; simillima Diuis.*

At Dionysius Milesius libro primo Argonauticorum scriptum reliquit hanc Hecates Persei & Æetæ filiam fuisse: nam Persea & Æetã filios Solis fuisse inquit, quorum Æeta Cholchis & Mæoticis, at Perseus Tauricæ regioni imperauit, duxitque vxorem quandam ex indigenis, quæ Hecate dicebantur. Fuerunt qui dixerint Perseum è nympha quadam indigena Hecaten viraginem suscepisse venationibus magnopere deditam, quæ prima omnium letiferas radices inuenit, peritissimaq; fuit conficiendorum venenorum, ac medicamentorum, quæ in hospitibus experiebatur: quippe cum partem etiam suum venenis sustulerit. Hanc primam vim aconiti obseruasse tradunt, & verbenas etiam inter veneficas herbas reperisse. Hanc ablegatam in Colchorum regionem Æetæ patruo nupsisse inquiunt, è quo nata est Circe & Medea. Verum cum Circe facta esset senior, vel matrem ipsam, veneficiorum peritia superauit: quippe quæ multa ab ipsa matre didicisset, pluraque ipsa experiens quotidie excogitasset. Dionysiodorus illam ætate iam matura Sarmatorũ regi nupsisse inquit, quo paulo post venenis extincto ipsa regno sola potita adeo crudeliter subiectos populos tractasse dicitur, vt regno pulsa cum parua mulierum manu in Italiam fugere compulsa sit, & in promontorio, quod ab ipsa postea Circæum dictum fuit, consederit. Scriptum reliquit Herodianus lib.5. vniuersæ historiæ Circeen à patre Sole fuisse in Hesperiam in curru deportatam, atque insula iuxta Tyrrheniam in mari Siculo posita consedisse, quæ ab illa postea Circæa dicta fuit: quam sententiam secutus Apollonius Rhodius ita scripsit in lib 3. Argonaut.

ἤδειν γὰρ ποτε πατρὸς ἐν ἅρμασιν Ἠελίοιο
δινεύσας, ὅτ' ἐμεῖο κασιγνήτην ἐκόμιζεν
Κίρκην Ἑσπερίης εἴσω χθονός· ἐκ δ' ἱκόμεσθα

ἀκτήν,

*ἀκτὴν ἠπείρου Τυῤῥηνίδος, ἔνθ' ἔτι νῦν περ*
*ναιετάει μάλα πολλὸν ἀπόπροθι Κολχίδος αἴης.*
*Esse puto notum curru quod Solis in alto*
*Est ablata soror patris, quo tempore Circe*
*Hesperiæ accessit longa confinia terræ,*
*Inque solum Tyrrhenorum concessimus, atq;*
*Nunc quoq; longe habitat in patriis à Colchidis aruis.*

Alias duas fuisse Circes memorant atque ambarum res gestas ad vnam detulerunt. Vocata fuit Ææa Circe ab Ææa insula Phasidi fluuio propinqua in Colchica regione: quam tamen insulam nonnulli esse in freto Siculo crediderunt. Apollonius Rhodius lib. 4. Argonauticorum, Ææam insulam in Italia apud Tyrrhenarum agrum esse scribit in his:

*καρπαλίμως δ' ἐνθένδε διὲξ ἁλὸς οἶδμα νέοντο*
*Αὐσονίης ἀκτὰς Τυῤῥηνίδας εἰσορόωντες.*
*ἷξον δ' Αἰαίης λιμένα κλυτόν. ἐκ δ' ἄρα νηὸς*
*πείσματ' ἐπ' ἠιόνων σχεδόθεν βάλον ἔνθα δὲ Κίρκην*
*εὗρον ἁλὸς νοτίδεσσι κάρη ἐπιφαιδρύνουσαν.*
*Inde cito fluctus perlabitur vncta carina.*
*Ausoniæ apparent Tyrrhena littora terræ:*
*Ææaque petunt portus: de puppe rudentes*
*In littus iaciunt. hic Circen aspiciunt, quæ*
*Arte comas madidas ornabat ab æquore aprica.*

Hæc ancillas quatuor dicitur habuisse, quarum opera in conficiendis veneficijs, & in legendis herbis, herbarumque floribus vtebatur, vt scripsit Pausanias in priorib. Eliacis. At Ouid. lib. 14. Metamorph. Nereidas & nymphas eo fungi officio scripsit his carminibus:

*Nereides, Nymphæq; simul, quæ vellera motu*
*Nulla trahunt digitis, nec fila sequentia ducunt,*
*Gramina disponunt: sparsosq; sine ordine flores*
*Secernunt calathis, variisq; coloribus herbas*
*Ipsa quod hæ faciunt opus exigit: ipsa quis vsus,*
*Quoq; sit in folio, quæ sit concordia mistis*
*Nouit, & aduertens: pensas examinat herbas,*

Vtebatur & motacillæ carne in veneficijs, sed in amatorijs præcipue, q̃ fabulantur fuisse Suadelæ filiã: quæ cum Ioue pharmacis in sui desiderium attrahere conaretur, à Iunone in auem sui nominis mutata est: nam iynx vocata est à Græcis. Hæc homines in varia brutorum genera vertere solita

dicitur per vires collectarum herbarum: de qua ita scripsit Virg. lib. 7.

*Hinc exaudiri gemitus, iraq; leonum*
*Vincla recusantum, ac sera sub nocte rudentum*
*Setigerique sues, atq; in præsepibus vrsi*
*Sæuire, ac formæ magnorum vlulare luporum.*
*Quos hominum ex facie Dea sæua potentibus herbis*
*Induerat Circe in vultus ac terga ferarum.*

Quos cibos ijs daret Circe, quos in eas formas vertere cupiebat, significauit Lycophron his carminibus:

ποίαν δὲ θηρόπλαστον οὐκ ἐπόψεται
δράκαιναν ἐγκυκῶσαν ἄλφιτα, θρόνα,
καὶ κῆρα κνωπόμορφον· οἱ δὲ δύσμοροι
στένοντες ἄτας ἐν συφοῖσι φορβάδες,
γίγαρτα χιλῷ συμμεμιγμένα τρυγός,
καὶ στέμφυλα βρώξουσιν. ἀλλά νιν βλάβης
Μῶλυ σαώσει ῥίζα, καὶ κερδῷος φανεὶς
Νωνακριάτης τρικέφαλος φαιδρὸς θεός.

*Quam non ferarum figulam intuebitur*
*Dracænam subigit vt farinis hordea,*
*Fatumq; vertet in feras; miselli at hi*
*Querentur infortunium facti sues,*
*Edentq; acinos vna hara inclusi. Sed hunc*
*Radix ab ipso subtrahet periculo*
*Vocata moly: liberabit hunc triceps*
*Nonacrites visus, & Ctarus Deus.*

Hæc ita scripsit Ouid. in lib. 14.

*Nec mora: misceri tosti iubet hordea grani,*
*Mellaque vimque meri, cum lacte coagula passo:*
*Quique sub hac lateant furtim dulcedine succos*
*Adijcit. accepimus sacra data pocula dextra.*

Nam cum cibos hos illis porrexisset, poculo hausto ac virga quadam tacti cum quibusdam magicis verbis subito in feras vertebantur. ita Vlyssis socios versos esse scripsit Homerus in libero x. Odysseæ, cum tamen Vlyssem vertere nequiuerit, qui antidotum radicem moly aduersus veneficia à Mercurio acceperat. Sunt enim veneficiorum remedia ereedita, moly, stella marinus piscis, lapillus Iaspis, rhamnus, salix, pulicaria, aliaque multa plantarum, lapillorum, animaliumque genera. Hæc cum Vlysse versata A-

griumn

grium ac Latinum peperisse ex eo dicitur, vt in his ait Hesiodus in Theogonia:

*Κίρκη δ' Ἠελίου θυγάτηρ Ὑπεριονίδαο*
*τίκτεν Ὀδυσσῆος ταλασίφρονος ἐν φιλότητι*
*Ἄγριον ἠδὲ Λατῖνον ἀμύμονά τε κρατερόν τε.*
*Filia Solis at hinc Hyperionis edit Vlyssi*
*Iuncta thoro Circe duo pignora: dicitur alter*
*Agrius, ast alium prisci dixere Latinum.*

Habuit Telegonum etiam filium Circe ex eodem Vlysse, & Ausonem à quo Ausonia dicta est, & Casiphonem. verumtamen si ridiculum est, vt ait Zezes hist.16.chil.5. quod cum Vlysse vnum annum versata tres filios pepererit, quāto magis abhorret à veritate vt quinque genuerit? dicitur prætereà Marsus, à quo Marsi populi vocati sunt, & Romanus filii fuisse eiusdem Circes. Memoriæ prodidit Strabo lib.9. Circes mortuæ sepulchrum in altera Pharmacusarum insularum, quæ non procul distans à Salamine erectum fuisse. Atque de Circe summatim hæc dicta sunt: nunc quid per hanc senserint antiqui, perquiramus.

¶ Circe Solis & Perseidis filiæ Oceani fuit filia, vel Hyperionis & Asteropes, vt aliis magis placuit, quia ex humore & calore Solis omnia nascuntur. Dicitur enim Circe à miscendo, quia in generatione necesse est vt hæc, quæ vocantur elementa, misceantur, quod non nisi per motum Solis fieri potest. Est enim Perseis vel Perse Oceani humor, qui vel materiæ vel fœminæ vicem obtinet: Sol artifex aut mas, qui autor est formæ in generatione rerum naturaliū: quare generatio & commistio illa quæ fit in generatione naturalium corporum, merito Circe, & Solis ac filię Oceani filia dicta fuit. Habuit quatuor ancillas, quæ flores & herbas ad veneficia colligebant, quæ quidem sunt quatuor elementa, omnium motuum naturam nobis pro suis viribus ministrantia. Credita est hæc Circe esse immortalis, quia perpetua sit elementorum inter se generatio & corruptio. Hanc crediderunt antiqui homines in diuersa animalium genera commutare, quoniam ex vnius corruptione, nunquam eiusdem formæ aliud nascitur, sed lōge ab eo diuersum: putaruntq; illam Ææam insulam habitasse, ob morbos & querelas animalium, quæ paulatim deficiente vi compositorum diuersis molestiis afficiūtur, nam, æ, æ, heu,

heu, significat. Hæc cũ omnes reliquos homines in beluas commutarit, Vlyssem tamẽ mutare nõ potuit, quia Deorũ immortaliũ munere, quo minus id pateretur, erat cõmunitus. Quo enim pacto diuina & immortalis existẽs anima Dei optimi beneficio vel Solis, vel illa vi naturæ poterit in beluam commutari? possunt id quidẽ pati animæ comites, elementa scilicet, quæ sunt in corpore immortali animæ annexa & coniuncta, at anima ipsa nullo pacto potest, cum diuinæ naturæ sit à Deo procreatæ. Per hæc igitur immortalem esse animã, vt ego quidẽ sentio, significarunt: quãuis corpus & multis morbis & corruptioni deniq; sit subiectũ. Cum vero Circe mistio sit, vt dictum est, in rebus naturalib. propter motũ Solis, iure tot res per veneficia dicitur fecisse, Lunam de cœlo deduxisse, stetisse flumina, arbores ac segetes alio transtulisse, quæ passim scribuntur à poetis. nam cum vapores plurimi exurgant, quis non videt Lunam aliquando vel ad mediũ mensem occultari, aliquãdo propter penuriã imbrium vel fõtes ipsos arescere, neq; ex iis flumina defluere? atq; accidit propter humoris penuriã aliquando, vt ibi segetes nullæ sint, vbi fertilissimæ esse consueuerunt: ibiq; sint vberiores, vbi nullæ fuerunt antea, aut cõtra istud cecidit propter humoris copiã. neq; hoc sane vlla alia fit ratione, nisi vicissitudine naturæ, quæ nascitur è cõmistione elementorũ, sicut illud magis aut minus fit. Atq; hęc quidẽ sunt quæ sub hac Circes fabula ad physicam rationẽ spectantia continebantur, vt ego quidem sentio, quæ tamẽ omnia ad Chemicã scientiam nonnulli deducere conãtur, cũ eius rei gratia, at non vel physicæ vel morum institutionis hæc ficta ab antiquis cõtendant. Sed vt hos pręterm ittam, tã ingeniosi fuerunt fabularum artifices antiqui, quæ à poetis celebratę sunt, vt non res physicas tantũ sub earum nonnullis complexi fuerint, sed etiã in vniuersam humanã vitam vtilissima præcepta tradiderint. Atqui multiplices fuerunt causæ, quibus compulsi sint antiqui ad fabulas cõfingendas: primum quod multa paucis verbis complectebantur: deinde quod vtiles essent & accommodatæ memoriæ ob artificiosam seriem historiæ, tum quod essent suaues ob delectationem propter mirabilitatẽ rerum excogitatarum: quibus accedebat quod odiosum videbatur humanæ, aut etiam magis si quid inesset diuinæ naturæ, suæ arcana

cuiuis

cuiuis patefacere, quæ sub fabularum tentoriis figmentisq; delitescerent. Nam vt vinum in male affectis vasis corrumpitur, neque pristinam transmittit ad bibentes suauitatem, ita res diuinæ aut philosophicæ cum vulgo communicatæ corrumpuntur, cum per tempora ad magis rudes profectæ in manus tradantur. Huc accedit quod cognitio rerum maximarum cum maximo artificio sub fabulosis corticibus occultata ita magis integra conseruatur, & ad posteros transmittitur. nam cum methodus ita diligentius seruaretur, neque posset sine multa difficultate variari, sic facilius percipiebantur ea quæ de philosophia essent tradita: quare etiam efficiebatur vt varia ingenia, quasi opiparo variorum ferculorum apparatu, illa varietate rerum tenerentur. Age vero paucis ea quæ sub hac fabula continentur ad mores informandos spectantia percurramus. Circe Solis & Perseidis filiæ Oceani filia fuisse dicitur, quia libido ex humore & calore fit in animalibus. Hæc cum naturalis sit titillatio ad voluptates excitans, si nobis dominetur, beluarum vitia in animis nostris imprimit, facitque cum siderum aspectu, & cum illis conspirat, quorum alia ad Venerem & ad comessationes, alia ad iram, crudelitatem, improbitatemque omnem nos alliciunt: idcirco si his cupiditatibus aliquis paruerit, cum fabulantur in aliquam formam beluæ à Circe fuisse conuersum per veneficia, cum illa vel astra de cœlo deducere possit: quoniam non sine aliqua siderum vi naturalis est in nobis, vel ad hanc, vel ad illam turpitudinem propensio, ad quæ facile delabimur, nisi nobis diuina clementia opem tulerit, neque labi patiatur, quod per munus Vlyssi à Mercurio datum intelligitur, atq; in his innuit Virg. lib. 7.

*Quæ ne monstra pii paterentur talia Troes*
*Delati in portus; neu littora dira subirent,*
*Neptunus ventis impleuit vela secundis,*
*Atq; fugam dedit, & præter vada feruida vexit.*

Pro flagitiorũ igitur natura, ad quæ quisq; erat propensus, in varias animaliũ brutorum formas vertebatur. nam libidinosi, sues: iracundi, leones aut vrsi fiebant: & reliqui eodem pacto. Quod vero harum rerum causa fabulæ fingerentur, patefaciunt illa quæ scripta sunt ab Homero de Vlysse. nam cur eum inter Phæacum delicias inseruit? cur in Lotophagorũ regionẽ multos socios illius gustrato fructu

suauissimarum arborum reditus & patriæ oblitos fecit? quia multi vbi deliciarum voluptatumque facultas conceditur, illam apud Euripidem Cyclopis ita clamantis semper habent in animo, si proferre pudeat:

*ἃ ἐγὼ οὔτινι θύω πλὴν ἐμοί, θεοῖσι δ' οὔ·*
*καὶ τῇ μεγίστῃ γαστρί, τῇδε δαιμόνων.*
*ὡς τοὐμπιεῖν γε καὶ φαγεῖν τοὐφ' ἡμέραν,*
*Ζεὺς οὗτος ἀνθρώποισι τοῖσι σώφροσι,*
*λυπεῖν δὲ μηδὲν αὑτόν, οἳ δὲ τοὺς νόμους*
*ἔθεντο, ποικίλλοντες ἀνθρώπων βίον,*
*κλαίειν ἄνωγα, τὴν ἐμὴν ψυχὴν ἐγὼ*
*οὐ παύσομαι δρῶν εὖ.*

*Non vlli oues macto, nisi mihi, haud Deis:*
*Et dæmoni huic ventri Deorum maximo.*
*Hic Iupiter lex hæc diebus singulis*
*Bibendi, edendiq; est viris prudentibus,*
*Mœroris & pellendi. at illi, qui viris*
*Leges dedere, lugeant d u licet.*
*Cessabo nunquam ego mihi concedere*
*Iucunda, læta, dulcia.*

Alii sunt ad voluptates quidem difficiles, neque illis supra modum delectantur, qui tamen siquid aduersi contigerit, continuo infringuntur, animoque ita sunt demisso, vt neq; inter viuos quidem se interesse sentiant. Idcirco siqui socii Vlyssis erepti sunt voluptatibus, illi inter grauissima pericula perierunt, cum alii à Cyclope vorati sint, alii à Læstrigonibus, alii à Scylla voracissimo monstro absorpti. Alii cũ neque vi deliciarum, neque periculorum magnitudine victi fuissent, ob auaritiam in multas difficultates se intruserũt: cum vtrem ventorum plenum ab Æolo inclusorum clam dormiente Vlysse soluissent alii potius ambitione, quam vel auaritia, vel omnibus prædictis difficultatibus erant consternandi, nisi Vlyssis prudentia fuissent aures omnibus obturatæ aduersus Sirenum cantus. Verum ad hæc omnia periculorum vel voluptatum genera inuictus perstitit Vlysses, eximiæque constantiæ & fortitudinis suæ dedit experimentum. Nihil autem horum superauit sine diuino consilio, quia in vtraque fortuna opus est auxilio Deorum immortalium, cum nulla humana sapientia satis sit ad eam recte ferendã. Cum nullo alio dicta est rem habuisse Circe,

quia

quia attonitorum & dementium nullus est vsus, cum Vlysses contra mente prædictus ac prudens cum illa assidue versaretur. Atque vt summatim dicam, per hanc fabulam significare voluerunt antiqui sapientem virum in vtraq; fortuna oportere se moderate gubernare, & ad omnes difficultates inuictum consistere, cum reliqua multitudo tanquam leuissima nauis huc illuc fluctibus deferatur, & quocunq; ventorum inconstantia impulerit: quare mutati fuerunt in beluas Vlyssis socii, cum ipse inuictus ob sapientiam, quæ vere est Dei munus, perstiterit. Ego Vlyssem rationis participem animæ nostræ partem esse crediderim: Circen esse naturam: Vlyssis socios animi facultates conspirantes cum affectibus corporis, ac rationi non obtemperantes. natura igitur est appetẽtia rerum illegitimarum. nam recta lex retinaculum & frenum est deprauati ingenii cum deceat existimare beluas, illa facultates. at ratio quæ nos facit vna Deo similes, inuicta aduersus eas illecebras appetentiæ persistit. At nunc dicatur de Medea.

## *De Medea.* CAP. VII.

MEdea vero filia fuit Æetæ Colchorum Regis & Idyiæ, sicut testatur Hesiodus in Theogonia in his:

*Αἰήτης δ' υἱὸς φαεσιμβρότου Ἠελίοιο*
*κούρην Ὠκεανοῖο τελήεντος ποταμοῖο*
*γῆμε, θεῶν βουλῇσιν Ἰδυῖαν καλλιπάρῃον.*
*ἡ δέ νυ οἱ Μήδειαν ἐύσφυρον ἐν φιλότητι*
*γείναθ' ὑποδμηθεῖσα διὰ χρυσῆν Ἀφροδίτην.*

*Æeta vxorem duxit de semine clari*
*Prognatus Solis, natam de semine magni*
*Oceani Idyiam pulchram sic fata iubebant,*
*Iuncta in amore parit Medeam deinde puellam*
*Præstantem formam: iunxit Venus alma maritum.*

Fuerunt enim Aloeus & Æeta Solis filii & Antiopes, è quibus cum Æeta imperio paterno minime contentus in Colchos profectus esset, Corinthi regno paterno Buno Mercurii filio interim permisso, Idyiam Oceani filiam in Cytæa Colchorum ciuitate duxit, è qua Medeam & Absyrtum suscepit. Alii tamen putarunt Absyrtum maiorem natu fuisse Medea, quẽ ex Caucasia Asterodia Oceani & Tethyos filia Æeta susceperit, inter quos fuit Epimenides, quem Absyr-

tum propter formæ prestantiam Colchi Phaethontem cognomine appellarunt, vt scripsit Sosibius & Timoax in rebus Scythicis. nam Sol pater Aloeo regionem in Arcadia. at Æetæ filius Corinthum habitandam distribuit Æeta dedit Buno regionem & vrbem seruandam minoribus si qui postmodo ex se nascerentur; sin autem, Bunus ipse regionem haberet: atque Æeta secessit in Colchidem, vbi regnauit, vt ait Eumelus poeta historicus, vt patuit superius è versibus ipsius Eumeli, Æeta sorores Pasiphaen & Circen habuit, & vt putarunt alii, Calypso, vt diximus huius genus ita Cicero attigit lib 3. de Nat. Deorum: Quid Medeæ respondis? quæ duobus auis Sole & Oceano, Æeta patre, matre Idyia procreata est. Quid huius Absyrto fratri, qui est apud Pacuuium Egialeus? quare & Eurip. in Medea Solem patris Medeæ patrem inquit hoc pacto:

ὄμνυ πέδον γῆς, πατέρα θ' Ἥλιον πατρὸς
τοῦ μοῦ.

*Iura per terram, Solemq; qui patris pater*
*Mei fuit.*

Euphorion & Andron Teius in nauigatione Hecates filiam fuisse Medeam arbitrati sunt. at Heraclides Ponticus Neeræ vnius Nereidum filiam fuisse scripsit. Alii Eurylyten matrem Medeæ dixerunt fuisse, inter quos fuit Dionysius Milesius, quidam Angitiam sororem Medeæ addiderunt, quæ Marsos docuit remedia contra venena. Ouid. tamen in Epist. Helenæ Ipsææ filiam illam scribit, sororemq; habuisse Chalciopen vt est in his:

*Non erat Æetes ad quem despecta veniret,*
*Non Ipsæa parens, Chalciopeq; soror.*

Apoll. lib 3. Argonaut. Medeā vocauit ipsam etiam Ææam, vel qua Circes artib. vteretur, vel quia perniciosa extiterit compluribus: Fama est. n. illam Iasonis amore captam, patrem & patriam & regnum prodidisse. Nam cum Iason cū lectissima Thessalorum manu Peliæ iussu in Colchos nauigasset ad aureū vellus, capiendū, periculorū magnitudinē verita Medea, ne iis Iason obrueretur, fecit data sibi fide ꝙ eam vxorem duceret, vt per magicas artes vim periculorū Iason, nullo negocio superauerit, & aureum vellus tuto auferendū acceperit. Fuerūt qui dixerint Æetā Medeæ patrē grauissime tulisse Iasonis victoriā, quare cōuocato cōcilio

per

per noctem consilium de vrenda Argo naui proposuisse. Illud cum cognouisset Medea, dicitur per obscuram noctem confugisse ad Argonautas, consiliumq; paternum de comburenda naui, & de trucidandis omnibus Argonautis patefecisse : quare statim illi arrepta secum Medea insidiarum indice aufugerunt. Alii dixerunt Æetam post superata aurei velleris pericula Argonautas omnes ad lautissimum conuiuium inuitasse, illo tamen consilio vt omnes mensæ assidentes clam & per dolum trucidaret. Tunc vero Medeam partim atrocitate facti commotam, partim amore ac desiderio ipsius Iasonis captam, paternum consilium Iasoni aperuisse vbi confugisset ad naues. Alii ad promittendum aureum vellus illuc cōtēdisse illam maluerunt. Dionysius Milesius scripsit illam aureum vellus ad nauem attulisse, atque vna cum Argonautis vltionem patris deuitantem aufugisse. Antimachus lib. 3. Argonaut. Iasonem cum Medea in nemus Martis consecratum clam contendisse inquit ad aureum vellus capiendum. Mox cum frater Absyrtus illam insequeretur, fertur illum comprehensum iuxta Absyrtides insulas necasse, vt ait Strabo libro septimo. Alii tamen dicunt, inter quos fuit Acusilaus, Medeam fratrem secum abduxisse, & cum instaret pater persequens eum discerpsisse ibi, vbi vrbs postea condita Tomos ab ipsa sectione vocata est: atque in eminenti scopulo manus & caput in ponto exposuisse, reliqua membra in regione illa sparsisse, vt patris cursum retardaret. quam sententiam ita secutus est Ouid. in lib. 3. Tristium.

*Atq; ita diuellit, diuulsaque membra per agros*
*Dissipat in multis inuenienda locis.*
*Ne pater ignoret, scopulo proponit in alto,*
*Pallentesque manus, sanguineumq; caput.*
*Vt genitor luctuq; nouo tardetur, & artus*
*Dum legit extinctos, triste retardet iter.*

Et Cic. breuiter attigit pro lege Man. Memoriæ prodidit Dionysius Milesius, quod ipse Æeta Argonautas insecutus fuit, atq; heroes in ripa fluminis exeūtes iaculis decertarūt. Æetæ comites vbi pugnarent ex equis, Iphis Stheneli filius fraterque Eurysthei præter alios in eo certamine cecidit, at Colchis in fugā versis Absyrtus captus deductus est in nauim, vt ait Pherecydes li. 7. quē postea membratim diuisum

deiecerunt. Hunc tamen intra domum Æetæ iugulatum fuisse quidam memorant Medeæ consilio, ne illam postea persequeretur, cum patrem segniorem vtpote iam senem non ita formidaret. atqui maximam vim extitisse Medeæ memorant quippe cum magicę artis esset peritissima, vt ab Hecate edocta, vt asseruit Apollon. lib.3. omniaq; pharmacorum genera cognouerit, quæcunque ex terra oriuntur. Idcirco dicta fuit fluuios in suos fontes retorsisse; sidera deduxisse de cœlo, & alia complura mirabilia fecisse, quæ ita recensuit Apollonius:

*κύρη τις μεγάροισιν ἐντρέφετ' Αἰήταο,*
*τὴν Ἑκάτη περίαλλα θεὰ δάε τεχνήσασθαι*
*φάρμαχ' ὅσ' ἤπειρός τε φύει καὶ νήχυτον ὕδωρ.*
*τοῖσι καὶ ἀκαμάτοιο πυρὸς μειλίσσετ' ἀϋτμὴν*
*καὶ ποταμοὺς ἵστησιν ἄφαρ κελαδεινὰ ῥέοντας,*
*ἄστρα τε καὶ μήνης ἱερῆς ἐπέδησε κελεύθους.*
*Fertur in Æetæ penetralibus esse puella:*
*Hanc Hecate docuit super omnis pharmaca, quotquot*
*Vel pontus, vel terra tulit: mollescere flammas.*
*Indomitosque ignes docuit: fluuiosq; rapaces*
*Firmauit, quamuis properanti flumine currant:*
*Sideraq;, & Lunæ cursusq; viasq;ue ligauit.*

Nã tantã vim fuisse magicæ artis tradiderũt antiqui, vt syluæ trãsferrentur, & segetes & mortui reuiuiscerẽt, & mugirent lapides, vt scripsit Ouid. lib.14. Metam. de Circe, in his:

*Ex lit(?)re loco (dictu mirabile) syluæ*
*Ingemuitque solum, vicinaq; palluit arbor,*
*Sparsaq; sanguineis rubuerunt pabula guttis,*
*Et lapides visi mugitus edere raucos,*
*Et latrare canes, & humus serpentibus atris*
*Squallere, & tenues animæ volitare videntur.*

Et eadem recensuit de ipsa Medea in epistola Hysipyles:

*Illa reluctantem cursu deducere Lunam*
*Nititur, & tenebris abdere Solis equos.*
*Illa refrænat aquas, obliquaq; flumina sistit:*
*Illa loco syluas, viuaq; saxa mouet.*

Hæc eadem vbi superatis ab Iasone periculis patrem & patriam reliquisset, & Iasonem secuta in Lemnũ applicuisset, Lemniadum mulierum zelotypia capta pharmacũ quoddam in Lemnũ iecisse dicitur, quod graue odorẽ fœminis

eius

eius loci impressit, atque mansit postea illa consuetudo diutius, & filijs & maritis stato quodam anni die Lemniades graueolentes viderentur, vt in 1. lib. rerum Lesbicarum scripsit Myrtillus: cum alij tamen Veneris facinus illud fuisse maluerint, vt sensit Himeræus Stesichorus. Quia illæ parū visæ fuissent Venerē curare, aut diuinos honores Deæ tribuere; illa fecit vti viris ob grauitatem odoris essent inuisæ, quos etiam per insidias trucidarunt, deinde appellentibus ad insulam Argonautis cum his congressæ sunt. qui nati sunt ex ipsis, in Lacedæmona mox ad parentes penetrarūt, ibiq; admissi insidias Lacedæmonum libertati struxerunt, atque, capti & in custodias traditi, deinde matrum aduentu muliebrib. vestibus induti è custodijs & ex imminente periculo euaserunt. Primum autem fuit Medeæ crudelitatis indicium, quod fratrem (vt diximus) discerpserit: cuius membra alij humi sparsa, alij in mari dissipata dixerunt, vt tardior patris cursus ipsam insequentis efficeretur colligēdis ijs ossibus igitur Absyrti collectis Æeta Colchos misit, qui insequerentur: at illi Eridanum, & Syrtides insulas, & Sirenas prætergressi in Phæaciam denique ad Alcinoum Regem deuenere, cuius vxor Arete Medeam Iasoni coniunxit, ac 12. seruas illi tradidit, cum sequentes interea cessassent, quorum alij iuxta Ceraunia, alij in sinu Illyrico, alij absyrtides habitaturi consedissent. Timonax libro 1 rerum Sicularum scriptum reliquit Iasonem in Colchorum regione rem habuisse cum Medea, quam ab Æeta patre in matrimonium acceperat: quare & intra Pontum in ea regione horti quidam ostendebantur. qui vocati sunt horti Iasonij, in quem locum è naui primum egressus est, vbi erāt disci & gymnasia, & Medeæ thalamus, in quo nuptui data est. At vero scriptum fuit à Timæo in 2. rerum Italicarum Medeam Corcyræ nupsisse Iasoni, quæ ad suam vsque ætatem morem illum perdurasse, vt in Apollinis sacello, quod erat ibi extructum, sacrificaretur quotānis, in quo primum Medea sacrificauit post nuptias, cum sacellum & aras ibi duas extruxisset, quæ forent illarum nuptiarum monumētum vel apud posteros. fuit autem illud nō procul à mari, ac proximum ciuitati, quarum ararum altera nympharū, altera Nereidū vocata fuit. Deinde Argonautæ Syrtes & Sirenes citharam pulsante Orpheo, & Scyllā & Charybdim &

Cyaneas & errantes petras præteruecti in Thrinacriam deniq; peruenerunt, vbi Solis boues pascebantur. mox Cretã prætemauigantes, & Æginam, & Locridem, in Iolcum denique veniunt. Quidam addiderunt Peliam audito rumore quod omnes Argonautæ periissent, captata oportunitate omnes qui poterant aspirare ad regnum obtruncasse: patrem Iasonis Æsonem coegisse bibere taurinum sanguinẽ; ꝗ factum est inter sacrificia, fratremque Promachum puerum tenerum iugulasse aiunt. Amphinomen matrem confugisse in domum regis, quem vbi ob perfidiam obiurgasset, dixissetque futurum vt Deo acerbissimas pœnas daret, gladio sibi pectus fortiter transfixit, & perijt Iason vbi noctu in sinum Thessaliæ nauigasset non procul ab Iolco, vbi tamen ex vrbe conspici non posset. His rebus omnibus per exploratores cognitis, auxiliũ optimatum, Argonautarũq; in vltionem tantæ improbitatis clam expetiuit. Vbi consuleretur, variæq; propositæ essent sententiæ, quod alijs vrbs repente inuadenda esse videbatur, alij censebant auxilia viritim domo esse accersenda, bellumque nõ per insidias, sed per apertam virtutem esse suscipiendum, quod non apparebat vrbs à quinquaginta & tribus heroibus tam populosa & ampla præsertim posse capi: Medea vltionem tutiorem sibi per insidias ac per occulta pharmaca depoposcit. Conficit itaq; idolum Dianæ concauum, in quo omnis generis pharmaca occultauit, atq; suos capillos ter inunctos canos fecit: faciem quoq; & corpus rugarum plenum formauit, vt anus omnibus prope edentula videretur. Deinde capiens Deam paratã mirum in modum ad vulgi superstitionẽ, irrupit mane in ciuitatẽ tanquã numine afflata, populumq; cohortata est vndiq; ad nouum spectaculum cõcurrentem, vti Deam reuerenter exciperent, quæ propitia vrbi ac regi ex Hyperboreis aduentasset. Vrbe vniuersa ad cultum & sacrificia cõuersa in regiã Dea accessisset: atq; cũ Pelias & eius filiæ credidissent fœlicitatem à Dea sibi datũ iri, ipsamq, Deam aduentasse, quoniã visa est Diana à draconib. vecta in aere superuolasse multas orbis partes, vt accidunt prodigia, omnes reuerenter eam cõplexi sunt. Deinde vero Medea sibi iniunctum à Dea esse dixit, vt regẽ senectute spoliaret, ac iuuenẽ faceret: & multa alia munera, quæ ad fœlicitatẽ & pietatem patris spectarent, largiretur,

cum

cum inusitatus sermo Medeæ & admirabilis Peliæ visus esset, fidem adhibuit, statuitq; vt efficeretur quidquid ea diceret, ac virgo res ad exitum perducere volens, cum iussa esset vna ex filiabus Peliæ aquam puram afferre, continuo ait. Illa in thalamum se recipiens tanquam totum corpus lauatura omnes vires pharmacorum accommodauit in aptum ordinem. quare admirantibus præsentibus omnia quæ ab ea dicebatur credita fuerunt. Nam ita finxit quædam idola, vt appareret Diana per aere volans à draconibus vecta ex Hyperboreis in hospitium excipi à Pelia. Illud inuentum cum supra humanum ingenium appareret, credidit omnino Pelias, imperrauitque filiabus vti quęcunq; illa mandauisset, solæ exequerentur, cum non conueniret donum Deorum per manus seruiles regi accipere. nocte igitur Pelia dormiente, inquit Medea opus esse corpus Peliæ in lebete coquere. quę verba cũ virgines ægre admitterent, additum est experimentum ad dictorum crudelitatem arietis in agnum eadem arte cõuersi, qui membratim cæsus fuit & coctus cum quibusdam herbis. Nam & reuixit & balere ac saltare præ lętitia visus est. Res ita credita est & senex à filiabus, ob credulitatem factis surdis ad misericordiam precesq; paternas in frusta dissectus. sola Alcestis fuit ab illo scelere tam fœdo incontaminata. Cum senex ita trucidatus iaceret, inquit Medea non prius esse coquendum quam sacra quædam Lunæ fierent, iussitq; vt filiæ cum accẽsis lampadib. supra tectum ascenderẽt, quod ipsa Colchica lingua preces quasdam ad Lunam esset factura. nam illud lampadum signum accẽsarum supra regiam erat datum indicium, vt conuenerant Argonautæ, quod res esset iam perpetrata. Heroes rati id quod erat, cæsum esse regẽ, magna celeritate ad vrbẽ procurrunt, strictisq; gladijs vrbem ingressi resistẽtes custodias regias obtruncãt. Filiæ Peliæ cum neq; vlcisci cognitam fraudem possent, ad quem coquendum iam descenderãt, neq; regiã tueri, quæ armatis iam esset, plena, captæ sunt humaniter ab Iasone, qui dixit se scire illas immunes esse à parricidio, quia spe fœlicitatis ac deceptæ Patrem trucidauissent. Acasto Peliæ filio regnũ paternum cõcessit, filiasq; primarijs proceribus in matrimoniũ dedit. Nã Amphinomem Andræmõ duxit. Alcestẽ Admetus, Thessalus Euadnen rex Cariæ Phocensiũ. His reb. ita transactis Iason

in Isthmum profectus peractis solennibus Argo consecrauit Neptuno, atque in gratiam Creontis Corinthiorum regis admissus tantum autoritatis est consecutus, vt vna temp. gubernarit quoad vixit. His addiderunt quidam cōvexatos esse ab Hercule Argonautas, vt fœderationem inirent inter se, si quis prælium aduersus aliquem illorum susciperet: qui vbi coniurassent de fœdere, statuerunt in omnē euentum hunc locum ad colligēdas copias esse accommodatum, qui erat Eleorum ad fluuium Alpheum, quem etiam Ioui Olympio consecrarunt; vbi prius equestre & gymnicum certamen fuit institutum, ad cuius celebritatem infinita prope multitudo nobilium confluxit. Non defuerunt tamen qui dixerunt Medeam simulato odio Iasonis, quod ab eo sperneretur, ad filias Peliæ cōfugisse, inter quos fuit Polycrates Samius, idque factum eo cōsilio, partim vt cędem propinquorum Iasonis per illas insidias vindicaret, partim etiam vt viam Iasoni ad regnum aperiret. aiunt non patrem quidem fallacijs Medeæ assensisse, sed à filiab. persuasum esse, quas Asteropeam & Autonoen nominant præter Alcestim. Alij dicunt proprio desiderio esse impulsas, vt parentem senem ac debilem paterentur medicamentis iuuentuti restitui, qui posset postea & regnum diu retinere, & omnes iniurias propulsare. id vt crederetur, aries iugulatus dedit experimentū̧ filiæ Peliæ. His fraudib. Medeæ mirifice credentes Peliam in frusta dissectū in feruentis aquæ lebetem Medeæ immittendum cōcedunt, atque post multam ebullitionem ita solutum corpus recepēre, nihil vt reliquum fuerit quod posset sepulturæ mandari. quam rem ita breuiter attigit Ouid. in Medea his carminibus:

*Quid referam Peliæ natas pietate nocentes*
*Cæsaq; virginea membra paterna manu?*

Eodem tempore Iason Corinthi commoratus Glaucam Creontis Regis Corinthi filiam vxorem duxit, omnium beneficiorum, quæ à Medea acceperat, oblitus. Id grauiter ferens Medea Glaucam postea & Creontem combussit, ac proprios filios Mormorū & Pheretem, quos ex Iasone susceperat, ferro absumpsit, vel vt alij maluerunt Melimnum non Mormyrum, vt alij, Mermyrum. Quamuis non defuerunt qui Medum. etiam & Eriopen filiam & Polytenum à Iasone susceptos fuisse de Medea narrēt. Est enim omnium morbo-

morborum, omniumque ægritudinum grauissima zelotypia, omnique furore potentior, de qua ita scripsit Archias:

οὐ τόσσον δ' Ἀθάμας ἐπεμήνατο παιδὶ Λεάρχῳ,
 ὅσσον ὁ Μηδείης θυμὸς ἐπαιδοφόνει.
ζῆλος ἐπεὶ μανίης μεῖζον κακὸν εἰδὲ φονεύει
 μήτηρ, ἐν τίνι νῦν πίστις ἔτ' ἐστὶ τέκνων.

*Non furor in miserum egit sic Athamanta Learchum,*
 *Medeam in natos sæuus vt egit amor.*
*Stultitia grauius fit amor malum & acrius, at si*
 *Nulla fides matri est, pignora quis foueat?*

Alij dixerunt peplum fuisse venenis infectum à Medea ad nouam nuptã missum, quo statim induta valido igne correpta conflagrarit, vt ait Apollod. lib. 1. Biblioth. illo autem igne correpta Glauce se postea in fontem quendam ad ardorem extinguendum coniecit, qui fons ab illa deinde vocatus est Glauce. Alij dixerunt scrinium per exiguum cum igne inextincto incluso missum fuisse ad filias Creontis per paruulos Medeæ filios; quod cum illæ aperuissent, tanta euolauit vis ignis, vt totum palatium conflagrarit, vt testatur Dialochus in Cyzici euersione. Alij putarũt id non scrinium fuisse, sed vestem & coronã auream naphtha perunctas, quibus ab igne visis ob ignem attractum vniuersa regio conflagrarit. Nam quæ naphtha vncta fuerint, si vel ab igne vel Sole videantur, continuo igne concepto omnia sine remedio vllo comburunt, quæ vicina fuerint. Huius pharmaci cum autor fuisset & inuentrix Medea, iure ignis Medeæ pharmacum illud dicitur, quod ardorem per membra epotum diffundit, ita vt nulla arte possit leniri: de quo ita meminit Nicander in Alexipharmacis:

ἢν δὲ τὸ Μηδείης Κολχηίδος ἐχθόμενον πῦρ
κεῖνο ποτὸν δέξηται ἐφήμερον, οὗ περὶ χεῖλη
δινομένη δυσαλυκτὸς ἰάπτεται ἔνδοθι κνηθμός.

*Quod si Medeæ sumantur Colchidis ignis*
*Pocula ephemeria, è labris pruritus in ossa*
*Cum sudore fluit, nulla medicabilis arte.*

Nam non solum in vngendis rebus, sed in potu etiam occultã vim ignis includere, Medeæ fuit artificium Pharmacum hoc alij ephemerium vocarunt, inter quos fuit Demetrius Scepsius, quia mane iuxta Tanaim fluuium tantũ apparuerint herbæ illæ, quæ illi componendo sunt necessa-

riæ, per medium diem sint auctæ, vesperi arescant. alij vocarunt Irim illam herbam, & pharmacum, alij Pharicum, alij naphthā. Nec defuerunt qui ephemerium vocatum putēt; quia vnum diē præterire non possint qui pharmacum illud potauerint. Atqui vt sensit Diphilus Siphnius folia quercus auxilium inuentū postea fuit ad uersus id pharmacū, & non leue remediū, si lac bubulum biberetur, in quo illam aduerint; vel rami sanguinariæ, vel radix cæsa in lacte elixata, vel maceratorū malorum aut cydoniorum liquor, vel myrtorum stypticatum. vel capreolorū vitium, vel ramorū rubi, vel folia serpylli cocta in liquore intestinorū ferulæ, vel sardianarū nucum, vel medulla ferulæ, vel læue origanū Hæc n. hausta cōpertum fuit non mediocre esse medicamentum aduersus id pharmacum, vt ait Nicandri enarrator, q Diphili sententiā expressit. Scriptum reliquit Plutarch. in Alexādro fieri pharmacum id quo pallium coronamq; Medea peruxerit, è bitumine pcipue, cuius magna copia apud Babylonios nascitur in Ecbatanis: cuius illa est natura, vt ignē longinquum attrahat, mediumq; aera inflammet. fama est apud nonnullos Mormorum ac Pheretem Medeæ filios, ꝙ illa munera attulissent, fuisse à Corinthijs lapidib. obrutos; quorum sepulchrum apud Odeum vocatum ostendebatur vt ait Pausanias in reb. Corinthiorum. Fuerunt tamen qui illos incolumes ad matrē reuertisse memorens, sed Iasonis odio, qui Glaucā duxisset, fuisse discerptos. Nō defuerunt, qui ab his longe diuersa senserint, quorum sententia fuit, ꝙ Iasonē è Medea Thessalum & Alcimenen susceperit Corinthi, & multo post Thisandrum. dicunt eum deinde captum amore Glaucæ filiæ Creōtis, vt Medeæ forma iam euanescē e, coronatum esse p̄suadere Medeę vt æquo animo ferret si illā virginem esset ducturus, quia affirmitatē regiā sic filijs compararet. nolens iussa est abscedere Medea, quæ diem vnum ad parandā fugam, colligendaq; impedimenta poposcit, ac per noctē mutata forma regiam ingressa flammis omnia absumpsit, alij dixerūt filios Medeæ dona tulisse, quibus vt diximus, conflagrauit. quoniā Iasonem vlcisci nullo pacto posset, filios cō munes iugulauit, vt eo saltē dolore illum affligeret, quib. actis per noctem effugit Corintho Thebas ad Herculem sponsorē seruandorum promissorum Iasonis. Thessalus qui cruentas manus maternas è

cæde

cæde fratrum effugerat, educatus est Corinthij atq; in Iolcum patriā Iasonis mox recessit, populosq; Thessalos de se, cum nactus esset imperium, nuncupauit. Quidā dicunt Medeam Thebis Athenas ꝓfectam Ægeo peper. isse filium Medum nomine, à quo Media fuit vocata, cum illi regioni imperarit. Alij dicunt nō ex Ægeo, sed ex alio quodā rege Medum genuisse, qui cum sapiēter imperaret meruit vt Media de suo nomine ad sempiternā memoriam diceretur. Alij dixerunt Buno defuncto Corinthum Marathonis filium in regnum successisse, quo ēt mortuo Corinthios Medeam ex Iolco in regnum vocasse. Hæc cum regnum Iasoni concessisset, filios ex eo peperit. quos in Iunonis fano occultabat, quia speraret illos se immortales facturā: quod cum resciuisset Iason, ea relicta Iolcum reuertit, deinde & ipsa permisso Corinthi imperio Sisypo, dicitur peregre fuisse profecta. Memoriæ prodidit Apollod. libr 1. Medeam post crematam Creontis regiam, curtum à draconibus tractum à Sole accepisse, & cōtendisse Athenas, ibiq; nupsisse Ægeo quæ cum insidias machinaretur Theseo, Athenis aufugere coacta est. Quidam addiderunt filium fuisse natum etiam illi ex Ægeo, qui Medus diceretur, à quo vocata est Mediā, cui regnum Athenarum vt perueniret curabat, cum Theseo insidias tetendisset; quibus patefactis coacta est cum filio in Ariam Asiæ partem tunc vocatam profugere. Quidā malunt Polyxenum fuisse filium Medeæ & Iasonis. Alij inquiunt Mermerum fuisse à leæna laniatum venando. Alij dicunt Medum & Eriopen tātum ex Iasone Medeā concepisse. Deinde illam inquiunt in patriam reuersam, paternum imperium, quod is per fraudem propinquorum amiserat, cæso patruo Persæ patri restituisse: atq; hoc non sine Iasonis auxilio fecisse, cui fuerat reconciliata. Vbi mortua sit, aut quo pacto, minime constat. sed Ibyci tamen & Simonidæ fuit sententia, quod cum mortua in campos Elysios venisset, Herculi nupserit.

Nunc quid hæc significent, perquiramus Medea Æethæ Solis & Idyiæ Oceani filia dicitur, quia Medea consilium sit, vt nomen ipsum significat. Cum enim Sol æstatē & hyemem deducat, ea quæ vel ad victum, vel ad corporis tutelam spectant, prudenter procuranda sunt: hęc consideratio siue prudentia cum ad singulos pertineat, efficit vt Idya

mater sit Medeæ: nam Idia quasi εἰδυῖα dicitur, cognoscens scilicet, quia cognitio mater sit consilij. Iason cum medicũ siue medicinam significare possit, ἀπὸ τοῦ ἰᾶσθαι à medendo dictus, secum Medeam abduxit. quid hoc significat: quod qui medicinam animo suo sit adhibiturus, quæ prudentia est, vt vir bonus, & sanæ mentis, & prudens efficiatur, omnia reliqua paruifaciet vel charissima. Qui enim voluptatũ desiderium, è quo natus est, non neglexerit, qui parum honestam & effrænatam appetentiam nõ discerpserit, ille nihil admirabile, nihilq; gloriosum potest committere: quare dicta est Medea filios & fratrem discerpsisse, & patriam reliquisse, vt Iasonem sequeretur. Is igitur qui vere fuerit sapiens, facile sideribus ad libidines inuitantibus dominatur, & trahentibus ad turpitudinem cupiditatibus moderatur: quare Medea, siue consilium, dicta est Lunam & Stellas de cœlo deducere solita, & cupiditatum fluuios sistere, & plura, quæ multitudini videbantur admirabilia, facere; quæ certe reapse nullo tempore contigerunt, vt testatur Ouidius in medicamine faciei:

*Nec vos graminibus, nec misto credite succo;*
*Nec tentate nocens virus amantis equæ.*
*Nec Medea Marsis finduntur cantibus angues;*
*Nec redit in fontes vnda supina suos.*
*Et quamuis aliquis Temesæa remouerit æra,*
*Nunquam Luna suis excutietur equis.*

Nec defuerunt etiam qui Medeam artẽ esse dixerunt, Circes siue naturæ sororem: quoniam ars pro viribus imitatur naturam, tanto magis laudabilis, quanto magis ad similitudinem accedit. harum vtriusq; Sol est pater, quoniam nihil sine diuina ope recte fieri potest, quæ est animæ vis in nobis diuinitus impressa. nullum enim bonũ est aut in rebus his, aut in nobis, quod Dei liberalitati ac magnificentiæ non debeatur. Hæc eadem ignem, & incredibiles inuidiæ arbores in animis maleuolorũ excitauit, fecitq; vt non paruo dolore torquerentur. Neq; vlla est sane prudenti viro vel sanctior, vel tutior, vel honorificentior vindicta inimicorũ, quam si quis iustum prudentemq; se ad omnia negocia præstiterit, rectaq; animi moderatione in omnibus vsus fuerit. Quod si quis vel illegitimarũ voluptatũ, vel auaritiæ, vel crudelitatis laqueis se implicari patiatur, quo

pacto

pacto ab eo consilium capto curru & alatis draconibus nõ quàm citissime auolauerit? nam cum Medea sit Solis neptis, significat prudentiam in nobis pro aeris temperie, & pro vi radiorum illius genitam: siquidem plurimum cõfert ad prudentiam temperamentum corporis, quod modo ex aeris impressione, modo ex educatione, modo ex cibis, modo ex regionis quam habitamus natura, incrementum capit. Hæc excogitarunt antiqui cum hac mirabilitate rerum gestarum, finxeruntque illa quæ dicta sunt de Medea, ad animi moderationem, & ad rectam institutionem vitæ nos adhortantes Alii sceleratam, & libidinosam fœminam esse crediderunt Medeam, quippe quæ ob furiosum Iasonis desiderium, immoderatamque libidinem parentes, & regnum, & patriam prodiderit, & ignotum, & fallacem, & impostorem, & acceptorum immemorem hominem sequeretur. Hanc Medeam vocatam fuisse memorant, quia omnibus artibus conata sit Iasonis amorem in se vertere. sic enim scriptum est apud Diphilum:

*——— ἢ γὰρ φαρμακευτρίας*
*Μήδειαν καλεῖν, ὅτι καὶ τεμήσατο τέχνας*
*——— Medea vocata es*
*Ill:, veneficii quod fraudes repperit omnes.*

Hæc dicta est senes nonnullos iuuentuti restituisse per herbas & ignem, quia in sui desiderium vel senes attraxerit artificiose, feceritque, vt tanquã iuuenes imprudentes & impudentes essent. Hanc in omnia credulitatis lasciuiæq; facinora delapsam faciũt; & idcirco paulo post in omnes difficultates & miserias, & in omnium odium incurrisse, quia nemo impurus diu fœlix esse possit, cũ solius virtutis opus sit felicitas illa quæ in reb. humanis reperiri possit. cum scelerũ omnium deniq; finis & opus sit pœnitentia & calamitates miseriæ. omnes enim improbi, infelices. ea de causa Medea denique in desperationem adducta ita secum præteritorum scelerum magnitudinem, & futura ex illis pericula ratiocinatur, vt est apud Senecam Tragicum:

*At quo remittis? Phasim & Colchos petam,*
*Patriumq; regnum, quæq; fraternus cruor*
*Perfudit arua? quas peti terras iubes?*
*Quæ maria monstras? Pontici fauces freti,*
*Per quas reuexi nobiles Regum manus,*

*Adulterum secuta per Symplegades*
*Parnam ne Iolcon, Thessala an Tempe petam?*
*Quascunq; aperui tibi vias, clausi mihi.*

Est enim [ vt diximus ] omnium difficilimum sceleratum hominem esse diu fœlicem. Sed siue consilium prudentiaq; Medea sit, siue malefica mulier, per eius fabulam nos antiqui ad probitatem & ad integritatem instituere conabantur. cum vero in patriam reuersa fuisset, patriq; regnum recuperasset, ibi honores diuinos illi instituerunt indigenæ, quibus interesse hominibus iure sacrificiorum non licebat vt scripsit Staphilus, ob eas iniurias quas à Iasone acceperat; at neque templum vllo tempore ingredi. at nunc de Iasone dicamus.

## *De Iasone.* CAP. VIII.

PErnecessarium mihi videtur, antequam Iasonis res gestas commemorem, exordium eius stirpis altius repetere, ac recensere quibus causis commotus cum lectissimis Græciæ heroibus ad externos homines & longinquas nationes nauigarit, eosque labores pertulerit, qui vel auditu sunt non mediocriter formidabiles. Nam vix vllus præter Herculem monstrorum omnium acerrimum domitorem; & Theseũ, qui ad eiusdem Herculis imitationem multos latrones atque maleficos homines de medio sustulit, & eadem genera suppliciorum, quibus hospites torquebant, coegit subire; & Vlyssem, qui per infinita atque intolerabilia pericula & ipse penetrauit, & multos eius socios in illis amisit: vix vllus alius inuenietur, qui tantam virtutem in rebus arduis præ se tulerit. Ita vero se res habet, sicuti Pherecides sensit: Tyrtho filia fuit Salmonei & Alcidices à Cretheo educata fratre Salmonei. Hanc vbi Neptunus compressisset geminos peperit filios Peliam & Neleum, quos nouerca postea matris in armentorum stabulo exposuit. illi cum adoleuissent, matrem cognouerunt, matrisque nouercam in Iunonis fanum fugientem trucidarunt. Tum Neleus exorta dissensione cum Pelia Messenen contendit, ibique Pylum condidit. Nam tres fuerunt Pyli, in Peloponeso, Ad alpheum fluuium in Elide, & Triphylica, vbi fluuius Amathois, & Messenæ ad Coryphasium. at Pelias in Thessalia Acastum, & Pelopiam, & Hippothoen, & Pisidicen, & Alcestem ex Anaxibia Biantis filia, siue (vt alii maluerunt) ex Philo-

Philomache Amphionis, suscepit. Cretheus Æoli filius vbi Iolcum condidisset, Æsonem, Amythaonem, ac Pheretem è Tyrrho procreauit: post quem Cretheum Pelias Iolci imperauit, cui responsum fuerat ab oraculo: quod manu cuiusdam ab Æolo oriundi erat interimendus. Erat autem vnus ex iis Iason Æsonis filius, & Polymedæ filiæ Autholici Erechthei, siquidem & Athamas & Salmoneus filii fuerunt Æoli, qui Æolus creditus fuit Iouis filius. Vt igitur omnes Æolidas Pelias de medio tolleret, voluit Iasonem etiam vnum ex genere Æolidarum occidere, cum esset adhuc infans. Id sentientes Iasonis propinqui, noctem obscurissimam obseruantes, opertum, & in arca clausum tanquam mortuum efferunt, & in antrum Chironis deportarunt, dederuntq; illi educandum & erudiendum. Verum cum adoleuisset Iason, à Chironeque medendi artem didicisset, Iason vocatus fuit, cum prius Dolomedes nominaretur. Exiuit igitur cum adoleuisset ex illo antro, & terram arauit apud Anaurum fluuium, vt ait Apollonius in Argonauticis. Rursus aliud responsum renouatum est Peliæ, vt sibi caueret ab illo quem altero pede nudo conspexisset. deinde sacra Neptuno instituens Pelias vniuersos suos ad sacrificia conuocauit: quo etiam Iason cum veniret, in traiiciendo Anauro fluuio alterum calceum in limo amisit: qui ita visus à Pelia interrogatur: Quid faceres si tibi responsum esset te à quopiam interfectum iri? cui respondit Iason de Iunonis consilio, illum inquit ad aureum vellus recuperandũ mitterem erat autem vellus aureum pellis arietis aurea qui Phrixum in Colchidem portauerat, quem ille (vt fama est) Ioui fugæ fauenti Phryxio cognomine immolauit, & pellem arbori cuidam in luco Martis apud Colchos suspendit. Alii putarunt illam fuisse candidã: aliĩ purpuream, vt sensit Simonides. At Dionysius Mithylenꝰus hominẽ fuisse, Phrixiq; pædagogum censuit Arietẽ nomine, qui captus à Colchis esset, & in custodia asseruaretur, atq; aureus dicebatur propter doctrinæ præstantiã, & propter integritatẽ consiliorũ. Seruabat hãc pellem draco magnitudine nauis, quæ à quinquaginta remis agitatur qui nũquam somno capiebatur. Pelias igitur iuxta Iasonis responsum Iasonẽ ipsum vellus aureum iubet ad se afferre. Tum Iason nauim diuino Palladis consilio fabricatam, malumq; loquacem habentẽ

è Dodonęa quercu, conscēdit, & cum quadraginta & nouē lectissimis viris in Colchidem nauigauit Scriptum reliquit Damagetus, quod Pelias tenuib clauis configi nauim iusserit, quod tamen Argus nauis artifex minime fecit, vt ea citius periret: quę ab artifice etiā nominata fuit. Hanc primā longā nauē fuisse memorant, cum tamen alii primā longā nauem factā à Danao fuisse dicant, cum illū Ægyptus insequeretur, quæ Danais quoq; vocata fuit ac vero illorum qui Iasonē in Colchidem secuti sunt, ista sunt nomina, Acasius, Admetus, Æthalides, Amphidamas, Amphion, Ancæus Neptuni, Argus, Argeus, Asterius, Asteriō: Augias Solis filius, Biantus, Butes, Calais Boreæ, Calaus, Cāthus, Castor, Cepheus, Clitius, Coronus, Echion, Erginus, Eribotes, Eurydamas, Eurytus, Eurition, Hercules, Hylas, Iason, Idas, Idmon, Iphiclus Æsonis, Iphiclus Thestiades, Iphitus Euryti, Iphitus Phocensis, Laocoon, Leodocus, Lynceus, Meleager, Mopsus, Nauplias, Odees, Oenides, Oileus, Orpheus, Palęmonius, Peleus, Phalerus, Pollux, Polyphemus, Tænaræus, Talaus, Telamon, Tiphys, Zetes Boreę. horum nomina diligenter recensuit Sophocles in actu Lemniadibus inscripto, & Æschylus in Ciberis, cum tamen quidam his addiderint hos etiam loco nonnullorum: Actoridem, Actorionem, Aglaum, Amphistecum, Autolycum, Buphagum, Ceneum, Deileonem, Deucalionem, Euphemum, Iphim, Iphidamantem, Mænetium, Nestorem, Philoctetē, Phliantē, Phogium, Tydeū. Habuerunt omnino tres vates secū Argonautæ, Mopsum Ampycis filium, Idmonem Abātis, Amphiaraum Oilei Fama est Iasonem in Lemnum primū applicuisse, mox ad Cyzicum Dolionū regē in Marsiā & Cium adiuisse, deinde in Iberiā, hinc in Bebryciam, atq; cum ad Syrtē Libyæ applicuisset, templū ibi condidisse, ꝙ Herculi postea fuit consecratū, cum ibi certamina quædā celebrassent Argonautæ, in quibus victor Hercules fuit declaratus. Deinde cū nauigare ob Syrtium naturam nō possent, dicuntur Argonautæ nauim Argo supra humeros per spatiū duodecim dierū per Libyæ deserta cōportasse, donec die duodecimo rursus mare inueniętes illam deiecerūt. Incidētes itaq; in Eurypylū Neptuni filiū acceperunt pro xenio quodcunq; sese obtulit. nam glebā è terra accipiēs dedit, quā Euphemus & ipse Neptuni ac Mecionas filius accepit,

cepit.tum nauigio ad Theram fluctuante, è gleba dissoluta Medea multa vaticinata est.non defuerunt qui post deiectã nauim certamen & templum institutum dicãt, vt sensit Isacius. Deinde ad Phineum vatem peruenerunt, qui erat cæcus, qui tamen calamitatum finem fato sibi portendi sciebat, cum Boreæ filii ad ipsum accessissent:nam mirifice ab Harpyis infestabatur. Illis deniq; liberatus explicat Argonautis rationẽ,cursum,& difficultates nauigationis: Quod primum petræ Cyaneæ essent adeundæ,quas Symplegades siue concurrentia saxa quidam vocarunt vnde ignis plurimus scatebat quarum periculum emissa columba erat explorãdum.Hinc abeundum esse procul à Bithynia monet, quę non multũ distat à Bosphoro,quoniam Thraces illi, q Salmydessum incolebant in omnes præternauigantes essent atroces & crudeles Tum ad Thyniadem insulã eos venire oportere docet. hinc esse ad Mariandynos accedendũ, & ad Acherusiam,montesque Paphlagonum. Præternauigandam vrbem esse monet Enetorũ, & Carambim, & Halyin,& Irim, Themiscyrum, agrũ Dæantem, Cappadociã, Chalybes, Tibarenos, Mostynes, Aretiaden, Stymphalinũ insulã, Macrones, Philyres, Bechiros, Saphires Byzeres, ac Phasim fluuium qui per terram Circæam vocatam deflueret. Inde prætereundã esse demonstrat vrbẽ Cytaidem antequam ad aureum vellus accederetur: quæ loca omnia ex Iolco in Colchidem nauigantibus necessario erant prętereunda.Verum cum in Mysiam primũ Argonautæ venissent Herculesq; suum remum infregisset, exiit vt alium è proximis syluis decideret,vbi relictus est ab Argonautis,vt quidã voluerunt ob Hylæ casum;vt vero alii, propter imperitiam remigandi; ne omnes remos frangeret. Alii putarunt istud accidisse ob voracitatem Herculis, quia verentur Argonautæ ne vniuersam annonam breui absumeret. Alii propter pondus, quia nauis prope demergeretur, vbi ille in alterutra parte nauis constitisset,atq; inflecteretur. Alii propter inuidiã, ne per eius præstantiam virtutis omnia cæterorum virtus fieret obscura, atq; obrueretur. Vbi demum superatis omnibus difficultatibus Iason in Scythiam Ægyptiorũ coloniam ad Æetam Colchorum regẽ peruenisset, perbenigne à Phrixi filiis fuit acceptus, atque cum illis ad Æetam contendit.Alii dicunt primum benigne & comiter

è Dodonęa quercu, conscẽdit, & cum quadraginta & nouẽ lectissimis viris in Colchidem nauigauit Scriptum reliquit Damagetus, quod Pelias tenuib clauis configi nauim iusserit, quod tamen Argus nauis artifex minime fecit, vt ea citius periret: quę ab artifice etiã nominata fuit. Hanc primã longã nauẽ fuisse memorant, cum tamen a ii primã longã nauem factã à Danno fuisse dicant, cum illũ Ægyptus insequeretur, quæ Danais quoq; vocata fuit ac vero illorum qui Iasonẽ in Colchidem secuti sunt, ista sunt nomina, Acasius, Admetus, Æthalides, Amphidamas, Amphion, Ancæus Neptuni, Argus, Argeus, Asterius, Asteriõ: Angias Solis filius, Biantus, Butes, Calais Boreæ, Calaus, Cãthus, Castor, Cepheus, Clitius, Coronus, Echión, Erginus, Eribotes, Eurydamas, Eurytus, Euritìon, Hercules, Hylas, Iason, Idas, Idmon, Iphiclus Æsonis, Iphiclus Thestiades, Iphitus Euryti, Iphitus Phocensis, Laocoon, Leodocus, Lynceus, Meleager, Mopsus, Nauplias, Odees, Oenides, Oileus, Orpheus, Palęmonius, Peleus, Phalerus, Pollux, Polyphemus, Tænaræus, Talaus, Telamon, Tiphys, Zetes Boreę. horum nomina diligenter recensuit Sophocles in actu Lemniadibus inscripto, & Æschylus in Ciberis, cum tamen quidam his addiderint hos etiam loco nonnullorum: Actoridem, Actorionem, Aglaum, Amphistecum, Autolycum, Buphagum, Ceneum, Deileonem, Deucalionem, Euphemum, Iphim, Iphidamantem, Mænetium, Nestorem, Philoctetẽ, Phliantẽ, Phogium, Tydeũ. Habuerunt omnino tres vates secũ Argonautæ, Mopsum Ampycis filium, Idmonem Abãtis, Amphiaraum Oilei Fama est Iasonem in Lemnum primũ applicuisse, mox ad Cyzicum Dolionũ regẽ in Marsiã & Cium adiuisse, deinde in Iberiã, hinc in Bebryciam, atq; cum ad Syrtẽ Libyæ applicuisset, templũ ibi condidisse, quod Herculi postea fuit consecratũ, cum ibi certamina quædã celebrassent Argonautæ, in quibus victor Hercules fuit declaratus. Deinde cũ nauigare ob Syrtium naturam nõ possent, dicuntur Argonautæ nauim Argo supra humeros per spatiũ duodecim dierũ per Libyæ deserta cõportasse, donec die duodecimo rursus mare inueniẽtes illam deiecerũt. Incidẽtes itaq; in Eurypylũ Neptuni filiũ acceperunt pro xenio quodcunq; sese obtulit. nam glebã è terra accipiẽs dedit, quã Euphemus & ipse Neptuni ac Mecionas filius acceptit,

cepit. tum nauigio ad Theram fluctuante, è gleba dissoluta Medea multa vaticinata est. non defuerunt qui post deiectã nauim certamen & templum institutum dicãt, vt sensit Isacius. Deinde ad Phineum vatem peruenerunt, qui erat cæcus, qui tamen calamitatum finem fato sibi portendi sciebat, cum Boreæ filii ad ipsum accessissent: nam mirifice ab Harpyis infestabatur. Illis deniq; liberatus explicat Argonautis rationẽ, cursum, & difficultates nauigationis: Quod primum petræ Cyaneæ essent adeundæ, quas Symplegades siue concurrentia saxa quidam vocarunt vnde ignis plurimus scatebat quarum periculum emissa columba erat explorãdum. Hinc abeundum esse procul à Bithynia monet, quę non multũ distat à Bosphoro, quoniam Thraces illi, q̃ Salmydessum incolebant in omnes prærternauigantes essent atroces & crudeles Tum ad Thyniadem insulã eos venire oportere docet. hinc esse ad Mariandynos accedendũ, & ad Acherusiam, montesque Paphlagonum. Prærternauigandam vrbem esse monet Enetorũ, & Carambim, & Halyin, & Irim, Themiscyrum, agrũ Dæantem, Cappadociã, Chalybes, Tibarenos, Mostynes, Aretiaden, Stymphalinũ insulã, Macrones, Philyres, Bechiros, Saphires Byzeres, ac Phasim fluuium qui per terram Circæam vocatam deflueret. Inde prætereundã esse demonstrat vrbẽ Cytaidem antequam ad aureum vellus accederetur: quæ loca omnia ex Iolco in Colchidem nauigantibus necessario erant prętereunda. Verum cum in Mysiam primũ Argonautæ venissent Herculesq; suum remum infregisset, exiit vt alium è proximis syluis decideret, vbi relictus est ab Argonautis, vt quidã voluerunt ob Hylæ casum; vt vero alii, propter imperitiam remigandi; ne omnes remos frangeret. Alii putarunt istud accidisse ob voracitatem Herculis, quia verentur Argonautæ ne vniuersam annonam breui absumeret. Alii propter pondus, quia nauis prope demergeretur, vbi ille in alterutra parte nauis constitisset, atq; inflecteretur. Alii propter inuidiã, ne per eius præstantiam virtutis omnia cæterorum virtus fieret obscura, atq; obrueretur. Vbi demum superatis omnibus difficultatibus Iason in Scythiam Ægyptiorũ coloniam ad Æetam Colchorum regẽ peruenisset, perbenigne à Phrixi filiis fuit accceptus, atque cum illis ad Æetam contendit. Alii dicunt primum benigne & comiter

acceptum fuisse Iasonem ab Æeta: alii non satis læto vultu. deinde cum Iason aureũ vellus nomine Peliæ, cuius id antea fuisse dicebat, & per dolum surreptum, repeteret, visus est Æeta æquo animo petitionem tulisse, vt quidam dixerunt: alii dicunt iratum Æetam respondisse Iasoni se quod peteret, tum demum concessurum, cum tauros ignem è naribus efflantes & æripedes domuisset, draconis custodis eius velleris dentes adamantino aratro vsus seminasset, nascentesque homines armatos ex illis dentibus cecidisset. Alii dixerunt ipsum Æetam illos dentes habuisse à Pallade sibi dono datos, cum alios in agro Thebano Cadmus olim seuisset. At Medea Æetæ filia Iasonis desiderio capta illi vnguentum dedit, quo incolumis ab igne taurorum seruaretur, iussitque seruare, ne aduerso vento araret, ne vis flammarum in ipsum ferretur: neque inciperet sulcum de more arantium ab eodem fine, sed tolleret aratrum. Quidam enim dicunt primũ Æetam boues igniuomos iunxisse & arauisse, ac post disiunctos imperasse Iasoni iungere & arare. Alii, quod Medea noctu dracone per quædã pharmaca sopito aureũ vellus ad Iasonẽ detulit, vnaq; fratre Absyrto arrepto è Colchis cum Argonautis nauigauit. Quidam dicũt Iasonẽ Medeæ consilio & opera omnia illa pericula superasse, at nõ accepisse vellus aureũ à Medea. Fugit autẽ noctu (vti dictũ est) cum Argò naui Iason è regione Colchorũ, illud consiliũ suggerẽte Venere, veluti testatur Idmõ in his:

——— ἐπῶρσεν Ἀφροδίτη
φευγέμεναι μεγάροιο δόλῳ διὰ νύκτα μέλαιναν.
——— *Mentem Venus excitat illi*
*Aufugere è domibus tenebras per noctis opaca.*

Alii dicunt immissum fuisse Æetæ desiderium à Venere, vt cum Eurylyte vxore congrederetur, quo tempore de comburenda Argonaui consultabat, quo illi tuto possent aufugere, vt scripsit in hisce Dionysius in Argonautis:

δὴ τότ᾽ ἄρ Αἰήτῃ πόθον ἔμβαλε δῖ᾽ Ἀφροδίτη
Εὐρυλύτης φιλότητι μιγήμεναι ἧς ἀλόχοιο.
κηδομένη φρεσὶν ᾗσιν ὅπως μετ᾽ ἄεθλον Ἰήσων
νοστήσῃ οἶκονδε σὺν ἀγχεμάχοις ἑτάροισιν.
*Excitat Æetæ Venus hic in pectore flammas*
*Coniugium in Eurylyten, vt opus peragatur amoris.*
*Nam curabat vti post dura pericula Iason*

Cum

*Cum socius repetat patriam dulces'q; penates.*

At vero de reditu Argonautarũ permagna est inter scriptores controuersia, quidem Herodotus in Argonauticis per idem mare illos rediisse scribit, per quod profecti sunt in Colchos. Hecatæus autẽ Milesius voluit è Phaside ingressos esse in Oceanum, inde in Nilum, inde in mare Tyrrhenum, per quod delati sunt in patriã Archemidorus Ephesius hos mendaciũ dicere inquit, quoniã Phasis Oceanum minime ingrediatur atqui scriptum fuit in primo libro de Portubus à Timageto, vt accepimus, Istrum è montibus Celticis siue Hyperboreis vocatis, siue Riphæis defluere, qui in mare Celticum ingrediatur eius fluminis aqua bifariam distribuitur, cuius altera pars in mare Euxinum altera in mare Celticum intrat per cuiuis ostium in Thyreniã Argonautæ contendentes nauigarunt. Scymnus autem Delius illos per Tanaim nauigasse inquit in mare amplũ, atq; inde mare Tyrrhenũ fuisse ingressos. Sed his controuersiis de reditu Argonautarum relictis, quæ videntur nonnihil deliræ, parumq; peritæ nauigationum, nos communiorem sententiã probabilioremq; secuti, ita de illorũ reditu breuiter dicendum censemus: Quod peractis omnibus, superatisq; periculis in Colchorũ regione; prius in Istrum, deinde per illum in Adriam nauigarunt, & eo præsertim vbi Saturnium vocabant antiqui, vbi laceratus fuit Absyrtus. illud tam nefarium facinus cum ægre tulisset Iupiter, dicitur difficiles ventos Argonautis immisisse, quo demergerentur. At Iuno prosperos & secundos clam emisit, qui illos in mare Sardoum vocatum detulerunt. Sirenibus deinde transmissis ad Drepanum incolumes euaserunt, quæ postea Corcyra vocata fuit eo cum applicuissent, insequentes Colchi illos fere comprehenderunt, quare ad Alcinoum confugere compelluntur. Colchis Medeam ab Alcinoo repetentibus responsum est, quod eo pacto essent recepturi, si Medea esset virgo. sic enim futurum vt patri remitteretur. at si esset iam vxor Iasonis, iure posse vxorẽ virum sequi factæ dicuntur esse nuptiæ illa ipsa nocte. quamobrem Colchi cũ re infecta ad Æetam redire vererentur, decreuerunt habitare in sinu Illyrico. At Argonautæ inde abnauigantes Mopso Canthoque defunctis ambigui de nauigatione ac salute docti fuerunt à Tritone quo pacto seruari possent.

atq; nauim in stagnum Tritonidem ferentes postea in Cretam nauigarunt, quo in loco cum illi iter à Talo intercluderetur per Medeæ veneficia illo de medio sublato peruenerunt in Æginam, ac inde in Thessaliam, atque ita dicuntur in patriam rediisse. Alii dicunt Iasonem Medeæ cõsilio & ope illa omnia pericula superasse, mox in patriam reuertisse, quam nauigationẽ duobus mensib. absoluisse ferunt. Erant autem Colchi Lazi etiam vocati vt ait Isacius, ex Ægyptiorum colonia, qui non procul ab Abasgis siue Massagetis vocatis habitabant, dicebanturq; nunc Colchi, nunc Scythæ; nunc Asiani, nunc Leucosiri, atque iuxta Phasim fluuium in Asiæ parte incoluerunt. Est autẽ & alia Scythia Europæ, quæ Mæotidi & Tanai finitima est, interq; Scythiæ populos nonnulli. Alios etiã numerarunt, vbi ingressus est in Hyrcaniam & in Caspiorum regionem. Alii longe diuersam causam cur Iason ad aureum vellus missus sit, retulerunt, inter quos fuit Hecatæus. Dicunt enim quod cũ Iason ex antro Chironis exiuisset, & à patre, coniunctisq; affinitate cognitus fuisset, in conuiuium solenne fuit acceptus. Deinde cum magno tumultu ad Peliã regnum suorũ maiorum repetens contendit: Pelias se rediturum pollicetur, si prius in Colchidem abeat, Phrixiq; animam ter, vt legitimum erat, aduocet: se enim nocturnis terreri visionibus inquiens ob Phrixum. Nam si eo accesseris, inquit, & istud feceris, ac vellus aureum attuleris, ego iam senior tibi iuueni regni onus concedam. quare Iason his legibus acceptis eo contendit, vt diximus. Hæc illa sunt, vt summatim dicam, quæ de Iasone memoriæ prodita sunt ab antiquis. Pherecydes Alcimeden Phylaci filiam Iasonis matrem fuisse scripsit. Herodotus ait Iasonem fuisse filium Polyphemæ Autolyci filiæ. At Andronis fuit sententia, quod Theognete Laodici filia mater fuerit ipsius Iasonis. Stesichorus Eteoclymenes, Demetrius Scepsius Rhœus, alii Polymedæ filium putarunt. omnes tamen Æsonem patrem illi tribuerunt. Nauigationis difficultates, & res ab Argonautis in itinere gestas complexus est Apollonius in Argonaut. & pericula & labores, qui capturo vellus aureum proponebantur, ita recensuit breuiter Medea apud Euripidem:

ἔσωσά σ', ὡς ἴσασιν Ἑλλήνων ὅσοι
ταὐτὸν συνεισέβησαν Ἀργῷον σκάφος,

πεμφθέν-

*περιμφθεῖσα ταύρων πυρπνόων ἐπιστάτην*
*ζεύγλῃσι, καὶ σπερῶντα θανάσιμον γύην*
*δράκοντά θ', ὃς πάγχρυσον ἀμφέπων δέρας,*
*σπείραις ἔσωζε πολυπλόκοις ἄϋπνος ὤν*
*κτείνασ', ἀνέσχον σοὶ φάος σωτήριον.*
*Seruatus es per me, velut sciunt ratem*
*Quicunque conscendere tecum Argoam: vbi*
*Tauris iubebaris iugum spirantibus*
*Ignem imposuisse: seminare & horridi*
*Dentes draconis, vellus illud aureum*
*Seruantis, insomnisque, qui circumdat id*
*Spiris: ego occidi, tibi lucem dedi*
*Illam salubrem.*

Quam rem tamen breuius etiam ita complexus est Virgil. lib.2. Georg.

*Hac loca non tauri spirantes naribus ignem*
*Inuertere, satis immanis dentibus hydri:*
*Nec galeis, densisque virum seges horruit hastis.*

Vbi hæc omnia superasset Iason Medeæ consilio, domum cum vellere aureo reuertitur, ac Medæam secum abducit, quæ post cædē parentum Iasonis, omnes suas fraudes ad vlciscendos illos Iasonis monitu conuertit, suasitque filiabus Peliæ, vt diximus vt patrē frustra quærentē, iugularent, cū se illum iuuenem facturā, sicut agnum fecerat, promisisset. Fuerunt qui dixerunt Iasonem quoq; senescentem ab ipsis Medea coctum iuuētuti fuisse restitutum, vt scripsit Pherecydes, & Simonides poeta, & Lycophrō. Quod Æson præterea Iasonis pater fuit à Medea coctus, & iuuentuti restitutus. ita scripsit is poeta qui Reditus composuit:

*αὐτίκα δ' Αἴσονα θῆκε φίλον κόρον ἡβώοντα,*
*γῆρας ἀποξύσασ' εἰδυίῃσι πραπίδεσσι,*
*φάρμακα πόλλ' ἕψουσ' ἐπὶ χρυσείοισι λέβησι.*
*Tum quoque pubescens iuuenis fit protinus Æson.*
*Ipsa senectutem studio detergere nouit,*
*Pharmaca vbi coxit permulta lebetibus aureis.*

Æschylus in Bacchi nutricibus, nutrices ipsas Bacchi vna cū viris illis coctas fuisse inquit, & ita ab eadem iuuentuti restitutas. Habuit Iason filiam Atlantem quæ Milanioni nupsit: & Apin, & Eunœum: ex Hysipyle Thoantis Philomelum, ac Thoantem. Aiunt Argonautas visa aue apud Col-

chos, quæ Græcis esse insueta, illam in Græciam portasse, atq; à fluuio Colchidis phasianũ appellasse. Scriptum fuit à Staphylo Iasonẽ Medeæ consilio deniq; occidisse: hæc enim illi nescio quo pacto persuasit, vt sub puppe nauis Argus dormiret, q̃ illa sciebat breui solutum iri, qua denique supra Iasonẽ delapsa ille occisus est. Fuerunt multis in locis templa Iasoni ob strenuitatem erecta, sed apud Abderã præcipue eximia religione colebatur, cui templũ à Parmenione fuit magnifico opere, & excisis lapidibus extructum.

¶ Hæc illa sunt quæ præclare & gloriose ab Iasone gesta dicuntur, quæ omnium prope poetarum præconiis fuerunt celebrata, cum tamen illa nauigatio breuissima fuerit, neq; cum nauigationib. nostræ tempestatis comparãda, neque cum illis præcipue quæ fiunt ab Hispanis, in eam longinquam partem terræ nuper repertæ. Dicitur Hercules enim ad illam expeditionem non peruenisse, quia aquatum missum Hylam requireret, neque potuisset cum cæteris heroibus nauigare. Coacti sunt igitur sicuti reliqui, qui viros bonos faciunt aliquando parui, robore ac virtute destituti supplices fieri mulierculæ, donec vellus aureum cepissent, vt ait Plutarchus in Politicis, vocati sunt Minyæ Argonautæ à Minya Martis filio, vt voluit Dionysius Thrax. alij, inter quos fuit Aristodemus, Minyam Alei filium fuisse crediderunt, à quo nominati fuerint. Fuerunt etiã qui res in Iasonis nauigatione gestas corporũ chemicorũ mutationes, & aureum vellus deniq; post tot labores captum, lapidem vocatum philosophorũ esse arbitrentur, qui fit deniq; post tot eorum corporum mutationes. Alij Iasonem vectum per mare Ponticum cum Argonautis ad aureum vellus in Colchicam regionẽ, Medeamque Æetæ filiam asportasse, non poetice dictum existimarunt: sed librum aureũ vellus fuisse dicunt, contextum ex arietũ pellibus, in quo scriptum erat quo pacto per chemiam posset aurum fieri, inter quos fuit Suidas. Atq; vellus aureum pellem arietis, in qua contineretur auri faciendi ratio, iure vocatã fuisse putarunt. Atqui re ipsa ridiculũ est tauros inuentos vnquã fuisse, qui flammas è naribus exspirarent, aut è dentib seminatis non solum homines, sed etiam arma illis conuenientia aliquando fuisse nata: aut arietẽ vsquam fuisse natum, cuius aurũ pro pilis tonderetur. Quis hæc vnquam visa fuisse homo sanæ mentis

mentis crediderit: verum cum sapientes antiqui philosophiam magnifacerent, partim ne in vulgus rude manaret, partim vt sapientiæ præcepta cum suauitate & rerum admirabilium admiratione imbiberentur, naturæ aut disciplinæ secreta sub varijs fabularũ figmentis occultarunt, nõ minus quã Ægyptij sub hieroglyphis scientiã, rerumq; sacrarum disciplinã tradiderunt. Est enim omnib. prope insitum vel res præstantissimas, quarũ facilis facultas conceditur, parnifacere: at quæ non nisi difficulter & cum magnis laboribus acquiri possunt, miris laudibus extollere, & vt clarissimas admirari. In hoc vitiũ, qui nõ labatur cũ vulgo, nõ potest esse vir mediocris iudicij. Dicitur igitur fuisse Iason filius Alcimedes & Aesonis, vel (vt alij putarunt) Polymedæ, vel Rhius, & à centaurorũ iustissimo Chirone educatus, arteq; medẽdi ab illo edoctus, cuius vel matrũ omniũ nomina consiliũ significãt. Æson è stirpe Neptuni editus, quid aliud est, nisi prudentia è varijs negociis ac difficultatibus, quæ tanquam materia prudẽtiæ subijciuntur? nam ex illis, & ex consilio exoritur ac fit prudentia. Dicitur medendi artẽ à Chirone, vnde nomẽ obtinuit: nã ἴασις ars est medendi. Quis tamen remediũ aliquando morbi datũ fuisse ab Iasone vlli laborãti accepit: non n. chirurgus fuit Iason: neq; vir iustissimus & sapientissimus Chiron putãdus est potius corporis, quam animi curam, quæ viro bono conueniat, Iasonẽ docuisse. Quod si animi curã illum docuit, quid est per Deos immortales quod magis viro bono conueniat, quã prudentia? Ego sane ita cẽseo, Iasonem in vtraq; fortuna qua animi moderatione vti cõueniat à Chirone didicisse, quod antidotum sit aduersus voluptates impuras, qua animi tẽperantia ira placanda sit, qua arte superanda auaritia, prosternẽda libido, ambitio ex animo eijcienda, cum illa sit omniũ monstrorũ turpissima, vitiorumq; maxima: His præceptis instructus Iason dictus est periculosa & formidabilia mõstra prudenter Diis adiuuantibus, aut certe Deorũ ministris cõsulentibus, incolumis præteriisse, & in Colchidẽ profectus tauros ignivomos ac æripedes domuisse, quæ nihil aliud quam animi pertinacia & ira putanda sunt. Qui enim non ratione, animiq; cõstantia dicitur, is aut leuis est ingenij, aut pro cõstantia pertinaciam sequitur, & inanem arrogantiam. Hos animorum affectus, rationi, medicinæq; animi subijcere quid

aliud est, quã tauros illos igniuomos vincere, & hominum cum armis è draconis dentibus natorum furorem à se depellere? aut quid aliud est spaciosum draconem Medeæ auxilio consopire, quam inuidiam sapienter consilio mentis frenare? Est enim ipsa Medea μῆδος consilium. Hic eius ope aureum vellus in patriam reportauit, Deisq; dicauit, vel (vt alijs placuit) Peliæ obtulit; cum maxime fugienda sit auaritia, & iustitia complectenda. Maxime vero omnium colenda est Deorum immortalium religio, quod principium est virtutum & omnis fœlicitatis: postea colẽdi sunt Reges ac nationum principes, quibus nõ sine Dei voluntate concessa est in homines potestas, si modo sint viri boni & iusti. Atque, vt summatim dicã, nauigationem Iasonis quã quidam ad historiã, quidam ad chemicam artem detorquent, nulla alia de causa celebrarũt antiqui, nisi quia significare voluerunt humanam vitam multis vndique difficultatibus vexari, necesseq; esse viro bono medicinam consilij animo adhibere, vt intrepidus ad omnes motus, & ad omnes fortunæ vicissitudines persistat: Neq; tamen me illud præterit alios fuisse, inter quos Dercylus, qui Argonautas ad vellus aureum, siue ad Scytarum opulentiã diripiendam nauigasse putarint: (semper enim opes tanquam vmbra sequitur inuidia, omniaq; bella prope prædæ gratia reipsa, verbo iniuriæ vlciscendæ suscipiuntur.) quippe cum non procul à Caucaso monte torrentes quidam aurum deferre dicerentur, quod tabulis perforatis ac lanosis pellibus Scythis excipere mos fuit, vt ait Strabo lib.2. Ad hæc loca nauigatib. à Thessalia multi scopuli, multæq; difficultates, ac prope insuperabiles, vtpote imperitis adhuc nauigandi hominibus, proponebantur: quare illa tam multa formidanda finxerunt. Sed de Iasone satis, nunc de Phrixo dicamus.

## *De Phrixo.* CAP. IX.

PHRIXVS, qui aureum vellus Colchos dicitur transtulisse, Athamatis & Nepheles fuit filius. Cũ enim Athamas Thebis imperaret, Nephelem vxorem duxit, è qua Phrixũ & Helẽ suscepit. Deinde, nescio qua de causa, Nephele dimissa, Ino secundã vxorem cepit, de qua Clearchũ, siue (vt alij maluerunt) Learchũ, & Palæmonem suscepit: quem etiam Melicertã postea vocarũt. Verum Ino ingenti priuigni

amore

amore capta, non assentiente Phrixo, omnem amorem in acerrimum odium conuertit, quod magnum solet esse plerumq; nouercarum. Hanc Pindarus in hymnis Demoticam nuncupauit, Pherecydes, Themisto, Sophocles Nephelen in actu Athamante, Hippias Gorgopiram nominauit. Huiusmodi insidias Phrixo & Hellæ machinatur. Torruit omnia frumenti, cæterorumq; leguminum semina ne nascerentur, deinde persuadet vatib. per largitionem, vt nunciarent Athamanti fruges illa de causa non nasci, quia opus foret vnum de filijs Nepheles Dijs immolari. Et responso accepto, ingenti necessitate (vt putabat) compulsus Athamas Phrixum dicitur ad aram mactaturus statuisse, vt ait Apollodorus Grammaticus libro 1. At Nephele Phrixum & Hellen rapuit, aureamq; ouem à Mercurio captam illis dedit: qua per aera vecti fuerunt. Cum vero ad id freti peruenissent, quod est inter Segeum & Chersonesum, contigit vt Helle in proximum mare deciderit, quod ab ea dictum fuit postea Hellespontus, vel Athamantidis, vt ait Æschylus in Perseis, & Ouid. in Epist. Leandri:

*Fluctibus immodicis Athamantidos æquora canent,*
*Vixque manet portu tuta carina suo*
*Hoc mare, cum primum de virgine nomina mersa,*
*Quæ tenet est nactum, tale fuisse puto.*
*Est satis amissa locus hic infamis ab Helle:*
*Vtque mihi parcat, nomine crimen habet.*
*Inuideo Phrixo, quem per freta tristia tutum*
*Aurea lanigero vellere vexit ouis.*

Phrius Helle sorore amissa ob diuturnum iter ac laborem in promontorio Brixaba conquieuit, at barbari illo viso armati adueniunt. aries inclinatus vsus humana voce illum excitauit, quare aufugiens in Colchos portauit arietem. Helle postea à piscatoribus capta in littore sepulta fuit, vt scripsit Herodotus in Polymnia: Phrixus incolumis in Colchidem peruenit, ibiq; Ioui Phryxio cognomine, siue fugæ fauenti, immolauit, pellemque ilici in luco Martis, in eius honorem affixit: quam postea à dracone seruari solitam fabulati sunt. Alij dicunt Dipsaçum Phyllidis fluuij & nymphæ cuiusdam indigenæ filium Phrixum in hospitium accepisse, atq; Phrixum ibi arietem Ioui cognomēto Laphystio immolasse. vnde mansit postea diu illa consuetudo, vt

vnus ex oriundis ab ipso Phrixo quotannis prædicto Iouis sacrificaret, vt scriptum est à Suida lib. 2. rerum Thessalicarum. deinde Phrixus ducta Chalciope Æetæ filia, quam Euemiam vocatam ait Pherecydes lib. 6. proprio nomine, fuisseque cognomina Chalciopen & Ophisuam, suscepisse ex illa quatuor filios dicitur. At Acusilaus Argum, Phrontim, Melanem, Cytilonum nominauit Phrixi filios, quib quintum Pesbonem addidit Epimenides. Alij addiderunt Cytorum a quo mons dictus est. alij Telamonem & Augiam addiderunt. Argum, Meliam, Catim, Sorū, Phrontim, ac Hellen ex ea suscepit filios: quam tamen quidam non Chalciopen, sed Iophossen nominatam fuisse contendunt. Athamas postea Iunonis voluntate in furorem versus, quoniam Dionysium è Mercurio captum tanquā puellam per quoddam tempus educasset, Learchum filium, quem susceperat ex Ino, trucidauit: quare tertia Ino cum Melicerta in mare desilijt. Ob illas cædes Athamas decidens ex imperio & è Bœotia profugus oraculum consuluit, ac responsum cepit, vt ibi habitaret: vbi à syluestrib. animalib. in conuiuium acciperetur. Paulo post in Athamania vocata lupi illum intuentes aufugerunt, semesasq; carnes ouium, quas comedebant, reliquerunt. Ibi cum habitare iuxta oraculi respōsum Athamas decreuisset, Themisto Hypsæi filiam tertiā vxorē duxit, è qua Leuconē, Erythram, Schæonem, ac Tithonū, vel (vt alij malunt) Pæum genuit. quos tamen in Argonautis Schœneum, Erythium Leuconem, Tithoreum vocauit Dionysius. Alij tamen dixerunt non quidem ad arā, vt mactaretur, adductum fuisse Phrixum; sed illi ad eligendam in sacrificia pulcherrimam victimam misso arietem Iouis cōsilio locutū fuisse, atq; patefecisse omnes nouercæ insidias, inter quos fuit Didymus quare ille cum sorore è patria terra, tergori arietis insidentes, vt aries illi significauerat, aufugit: ac Dijs postea apud fluuium Phasim illum arietem, vt mater sibi significarat, immolauit. Alij dicunt tunc locutū fuisse arietē cum Helle delapsa est: atque hortatā esse Phrixum, vt forti & intrepido esset animo, quod illum esset in terrā Colchicam asportaturus. Alij dixerūt Nephelen Deā fuisse, quæ ab Athamante neglecta ob mulierem in cælum euolauerit, at cum Ioue conquesta squalorē agro Athamātis immiserit, ob quē illa, q̄ dicta sunt de nouercæ insidiis,

conti-

contigerunt. Cum in Colchorum regionem iter conficerẽt Phrixus & Hellenõ per aera vecti, vt quidam putarunt, sed terrestri itinere in traijciendo mari Abydo propinquo delapsa est Helle, at Phrixus in Colchidẽ profectus, arietem, vt alij volũt, Marti; vt alij, Mercurio immolauit: ibiq; cum habitasset, regioni nomen dedit, quæ à Phrixo Phrygia dicta est. Alij fabulati sunt arietis pellem fuisse ramis quercus appensam in luco Ioui consecrato, quã postmodo Mercurius auream fecit. nam & Apollonius lib. 2. Argon. illam Ioui Phryxio, id est fugæ fauenti, dicatam fuisse testatur:

*ἀτρεκέως δοκέω που ἀκούετε καὶ πάρος αὐτοὶ*
*Φρίξον, ὅπως πτολίεθρον ἀνήλυθεν Αἰήταο,*
*κριοῦ ἐπεμβεβαώς, τόν ῥα χρύσειον ἔθηκεν*
*Ἑρμείας· κῶας δὲ καὶ εἰσέτι νῦν κεν ἴδοισθε*
*πεπταμένον λασίοισιν ἐπὶ δρυὸς ἀκρεμόνεσσι.*
*τὸν μὲν ἔπειτ᾽ ἔρρεξεν ἑῆς ὑποθημοσύνῃσι*
*Φυξίῳ ἐκ πάντων Κρονίδῃ Διί.*

*Vt puto, iam pridem vestras peruenit ad aures,*
*Phrixus vt Æetæ regnumq; & mœnia adiuit.*
*Hunc aries vexit, quem mox Cyllenius aureum*
*Fecit. nunc etiam suspensa est aurea quercu*
*Pellicula, interdum crepitat quæ leuiter auris.*
*Iupiter ipse fugæ fauit, quo Phyxius illum*
*Mactatum cepit fructu fumantibus aris.*

Quamuis eam pellem iam tunc auream fuisse, cum mare traiicerent, vt in Colchidem aufugerent, his carminibus significauit Marcus Manilius lib. 4. Astronomicorum.

*——— testis tibi longior ipse,*
*Cum vitreum findens aurato vellere Pontum,*
*Orbatumq; sua Phrixum per fata sorore*
*Phasidos ad ripas, & Colchida regna reuexit.*

Deinde vero Nephele pœnas daturus Athamas ob filios, ad Iouis arã iugulandus adducitur, at ab Hercule seruatus fuit: quæ res argumentũ fuit postea Sophocli tragœdiæ Athamãtis. Fabulati sunt postea ad perpetuã huiusce rei memoriam impetratum à Ioue fuisse precante Nephele, vt arietis signũ inter sidera collocaretur, quod etiam effectũ est. Alij arbitrati sunt navẽ fuisse, quæ pictum arietẽ in prora haberet, q̃ Phrixum & Hellen trans mare vexerit: verum cũ Helle in mare è prora despiceret, in mare decidisse, ac periisse,

vt scripsit Hellanicus. Alij censuerunt inter quos fuit Pherecrates, Arietem fuisse Phrixi alumnum, qui cum Inus insidias persensisset, hortatus est Phrixum vt se fuga seruaret. qui cum fugisset in Colchidē, locus datus est fabulæ, quod per arietem seruatus fuit in Colchidem, vt scripsit Dionysius in Argonauticis: quem etiam memorauit vna cū Phrixo in Colchidem nauigasse. Alij locum datum esse fabulæ putarunt, quia Helle cum morbo in itinere perijsset, in mare fuerit deiecta, vt mos est nauigantium: cum Phrixus incolumis in Colchidem sit delatus. Atque tot de Phrixo scripta apud antiquos inueniuntur.

Hæc omnia fane veram continēt historiam, præter modum fugæ. Nullo. n. modo fieri potest vt aries aureū vellus haberet, aut per aera volaret, atq; ita in Colchidem terram perueniret. Sed cum esset antiquorū consuetudo, vt animalia domestica, non solū pecunijs imprimerēt, sed in omnib. prope rebus alijs pingerent, aut illorum nominib. pro actis imaginib. appellarent, Phrixum & Hellen in nauigio, quod pictum aureum arietē in puppi haberet, vectos crediderim. Quidam dixerunt Phrixum & Hellen in naui quæ pictum arietem in prora haberet, nauigasse, atq; Hellen ægre ferētem nauigationem, incumbentem lateri in mare cecidisse.

Alij dicūt Scytharum regem Trygonem generum Æetæ fuisse apud Colchos, quo tempore Phrixus cum pædagogo captus est, puerum dono captum fuisse ab Æeta, & tanquā filium educatum, cui regnum reliquit. at pædagogū Crium (quod Græce arietem significat) nomine Dijs mactasse, cuius pellem decorticati clauis in templo affixit Deæ, vt erat apud illos legitimum. Dictus est aureus areis; quia consilia sapientum putanda sunt aurea. Alij dixerunt illam pellem fuisse ab Æeta inauratā, & custodijs septam, cum accepisset ex oraculo sibi tūc esse pereundū, cum aduena illam abstulisset: quod certe significabat vbi adfuisset prudentia, & cōsilium. Idcirco ob diligentiam, & ferocitatem inhumanitatemq; custodiarū dictus est draco insomnis, & boues ignē ex ore spirantes & terrigenę homines vellus aureum custodire. Non. n. leuiter recedendum est à sapienter decretis. Illæ custodię cum accitę essent è Taurica regione, aiunt Medeam noctu ad portā clausam profectā Taurico idiomate vsam esse, quare milites prompte illam aperuerunt tanquā

regis

regis filię. Argonautę strictis gladiis ingressi multos barbaros trucidarunt, reliquos è loco fugarunt pelléq; cœperunt. His additũ est Æetam collecta magna suorũ manu cũ Argonautis adhuc in littore morantib. cõflixisse, multos fuisse vulneratos hinc, & Iphitũ fuisse cæsum, inde regem ipsũ. Verum cum Argonautæ tantam armatorum irruentium multitudinẽ sustinere non possent, dicunt à littore soluisse. Non defuerunt qui dixerint Colchos in fugam fuisse versos virtute Argonautarũ, ac multos illorum fuisse trucidatos. Atq; fortunæ vicissitudines per hanc fabulã quo pacto ferri conueniat, antiquos demonstrare voluisse censuerim: cũ mollis & muliebris sit animi, fortunæ mutationes non sapienter ferre, aut nimium in arduis tristari, aut in fœlicib. rerũ successibus nimiũ extolli. nam in omnia vel pericula vel fœlicitatẽ prudẽtia debet esse pro clypeo, cũ incauti pleriq; magnitudine repentinę alicuius mutationis continuo obruãtur. Lucianus tamen in Dialogo de Astrologia, Phrixum rerũ astronomicarum scientia delectatũ scribit, dictũ fuisse à fabularum artificib. in cœlum ab ariete sublatũ. Ego vero hoc nihil aliud significare crediderim, quam illum qui rebus præsentibus optime ac sapienter vti nouerit, proxime ad Deorũ immortalium naturã accedere: at si imprudenter, parumq; honeste & superbe abutatur, facile esse ex altissimo dignitatis gradu delabi. quod etiam Hellen passam fuisse fabulantur. Nulla est enim tam firma, neque tam constans hominũ conditio, quin ob suam temeritatẽ & imprudentiã, si ita Deo placuerit, citissime possit delabi atqui quod ita sit, patet vel ex ipsis nominibus. Athamas.n. non admirandũ esse significat, cum sit θαυμάζειν mirari, actionemq; illã α adimat: Nephele vero nebula, ex quib. nascitur ꝓfecto rerũ humanarum contẽptio. nã, vt inquit is poeta:

*Nil admirari, prope res est vna Numici,*
*Solaq; quæ possit facere, & seruare beatum.*

Quis locus sane merito concedi potest, admirationi, cum tota hominum vita huc illuc fluctuet, & quocunque vẽtorum impetus appulerit, eo facile corruat? nam omnes opes & amicitiæ, & imperia tãdiu stabilia sunt, quamdiu secunda fortunæ aura aspirauerit. Siue igitur illa etiam sit rerum cuiusq; ad fœlicitatem præsentem propensio, siue Dei consilium ob inscitiam mortalium ita vocata, siue aliud quid.

piam, omnino illa opus est viro prudenti. Hac aura aspirante, seruati animi moderatione in fœlici successu, Phrixus deuitatis nouercæ insidiis in Colchorum regionem peruenit, vbi non sine auxilio Deorum firmius imperium & tranquilliora omnia adinuenit. ac de Phrixo satis, nunc de Argo naui dicamus.

### *De Argo naui.* CAP. X.

NAuis illa, quæ fuit postea inter sidera collocata, in qua nauigarunt Argonautæ, ab Argo, qui fuit architectus, extructa est. dicũt ei à Pelia imperatum vt clauos pertenues affligeret, cum tamen ille validissimis compegerit, quare postea consilio Palladis facta fuisse dicta est. Ædificata fuit hæc nauis in quodam loco qui ab Iolco distabat viginti stadiis, quem idcirco quod nauis ibi fuisset compacta, ἀπὸ τοῦ πήγνυσθαι, à compingendo scilicet, Pagasas vocarunt, vt testatur Strabo lib. 7. & Ouidius in epistola Paridis Iasonem Pagasæum vocat, quia in ea nauigarit:

*Phasida puppe noua vexit Pagasæus Iason,*
*Læsa nec est Colcha Thessala terra manu.*

Huius nauis malus è quercu Dodonæa fatidica arbore cæsus fuisse dicitur, qui arborem Pallas indicauit, quamobrẽ malũ ipsum garrulam picam in his appellauit Lycophron:

εἰς τὴν λάληθρον κίσσαν ἐμπορεύσατο.
*In garrula transuecta pica est, vt ferunt.*

Et Valerius Flaccus fatidicam ratem appellauit lib. 1. Argonauticorum. Hanc nauem triginta remigum sedes habuisse vtrinque constat, quam Theocritus in Hyla vocauit τριακοντάζυγον, nam ζυγὸν transtrum significat & sedem nauticam, super qua sedent remiges, ita inquiens:

ἄντικρυ ἥρωος τριακοντάζυγον Ἀργώ
*Quod, iuga cui fuerant triginta, reliquerat Argo.*

Diodorus Siculus libro quarto historiarum, non missum quidẽ fuisse Iasonẽ ad illa pericula tradidit, sed ipsum gloriæ desiderio ad imitationem Heroum superiorũ petiuisse sponte à Pelia vt sibi concederet in Colchos expeditionem quam libẽter concessit, cum timeret prolem fratris nullos ipse habens filios. Nauis dicitur fuisse fabricata ad Pelium à quibusdam plurimum magnitudine ac reliquo apparatu præstans, cum in lintribus antea homines nauigarent, paruisque acatiis. Fama didita inusitatæ nauigii magnitudinis multi

multi primates propinquarum regionum cupierunt esse participes eius expeditionis. Iason elegit præstantiores, ita vt omnes essent quinquaginta & quatuor. Hanc Argo nauim alii ab architecto, alii à celeritate, cum ἀργὸς velox antiquitus diceretur, appellarunt. In itinere ceto trucidato Hesionen liberarunt, quæ accepta optione manendi cum parentibus, cum seruatore abire maluit ne secundum periculum aduentante ceto in patria experiretur. Inuadente tempestate Orpheus pro omnium salute Diis Samothracibus initiatus est. Neq; illud prætermittendum duxi, quod remittente vento, duobusq; astris apparentibus super capitibus Dioscurorum omnes sunt admirati, ac putarunt ipsorum Deorum consilio omnes liberari. ex illo mansit consuetudo vt omes per hyemem periclitantes vota facerent DiisSamothracibus. His addunt Phineum occisum & filios liberatos, cum Phineus ob Ideæ nouercæ malignas accusationes filios oculis priuasset. Dixerunt etiam nōnulli quod Argo nauis tracta fuit ad fontes Tanais & ad locum quendam, cum per alium fluuium in Oceanum nauigare opus foret, quod Æeta os Ponti nauibus occupasset; qui sic terram ad sinistram habentes ab Vrsis ad occasum non procul à Gadiris in mare mediterraneum peruenerunt: nam multiplicis eius nauis itineris argumenta sunt insulę & portus, vt Argoum & Telamonium. Soluerunt autem à littore primum Argonautæ vere præcipiti, quo tempore Pleiades mane oriuntur, vt patet ex his versibus eiusdem:

*ἆμος δ' ἀντέλλοντι Πελειάδες, ἐσχατιαὶ δὲ*
*ἄρνα νέον βόσκοντι, τετραμμένου εἴαρος ἤδη.*
*τᾶμος ναυτιλίας μιμνάσκετο θεῖος ἄωτος*
*ἡρώων*

*Pleiades vt surgunt, agni pascuntur ad oras*
*Agrorum nuper, iam verso tempore veris.*
*Tum manus Heroum funes à littore soluit.*

Hanc nauem primam fuisse ferunt, quæ ausa sit ventorum minas contemnere, & ad longinquas regiones transfretare, vt sensit Ouid. lib. 3 de Tristibus:

*Nam rate quæ cura pugnacis facta Mineruæ*
*Per non tentatas prima cucurrit aquas.*

Non defuerūt tamē qui addiderint Glaucum marinū Deū per biduū comitatū esse nauim, qui Herculi labores & immortalitatē vaticinatus est, & diuinos honores Dioscuris,

Hortatus est cum primum terram attigissent vt sacra Diis persoluerent, quorum nutu bis esse it seruati, quibus dictis Glaucus se demersit. Argonautæ vbi ad terram applicuerunt, cui imperabat Byzantus, à quo vrbs dicta est Byzantium, structa ara diis sacrificarunt. deinde transmissa Propontide & Hellesponto ad Troadem peruenerunt; vbi missos repetitum Hesionem & promissos equos Iphiclum & Telamonem legatos fama est Laomedontem in carcerem coniecisse, Argonautisque tetendisse insidias, cuius consilii habuit socios & administros omnes filios præter Priamum qui contendebat iustitiam nullis vel exteris esse denegandam. qui cum non audiretur, duos enses clam attulit ad captiuos, inquiens, his clauibus carcerem esse aperiendum: illis custodias obtruncarunt & ad socios peruenerunt. re patefacta, cognitaque iniquitate regis, tum est ad pugnam. commisso prælio Hercules Laomedontem trucidauit, vrbem cepit, consilii tam iniqui autores castigauit, Priamo ob iustitiam regnum concessit. Enimuero post Colchicam nauigationem, cum Argos incolumes delectos heroas in patriam reuexisset, fertur fuisse Palladi ab Iasone consecrata: quæ deinde, quia tot Deos seruasset, fuit inter sidera verso ordine collocata, ita vt prior puppis quam prora oriatur vt in his inquit Aratus:

ἡ δὲ κυνὸς μεγάλοιο κατ' οὐρὴν ἕλκεται Ἀργὼ
πρυμνόθεν· οὐ γὰρ τῇγε κατὰ χρέος εἰσὶ κέλευθοι·
ἀλλ' ὄπιθεν φέρεται τετραμμένη οἷα καὶ αὐταὶ
νῆες, ὅταν δὴ ναῦται ἐπιστρέψωσι κορώνην
ὅρμον ἐσερχόμενοι· τὴν δ' αὐτίκα πᾶς τις ἀνακρούει
νῆα παλιρροθίη δὲ καθάπτεται ἠπείροιο.
ὡς ἥγε πρυμνηθὲν Ἰησονὶς ἕλκεται Ἀργώ.
καὶ τὰ μὲν ἠερίη καὶ ἀνάστερος οἷα παρ' αὐτὸν
ἱστὸν ἀπὸ πρῴρης φέρεται, τὰ δὲ πᾶσα φαεινή.

Quæ ita vertit Cicero:

*At canis ad caudam serpens prælabitur Argo,*
*Conuersam præ se portans cum lumine puppim:*
*Non aliæ naues vt in alto pandere proras*
*Ante solent, rostro Neptunia prata secantes,*
*Sed conuersa retro cœli semper loca portat.*
*Sicut cum cœptant tuti constringere portus,*
*Obuertunt nauem magno cum pondere nautæ,*

*Aduer-*

*Adue sam'q; trahunt c ptata ad littora puppim:*
*Si conuers vetus super athera vert tur A go,*
*Atq; v'q; à prora ad cælum sine lumine malum,*
*A malo ad pu pim cum lumine clara videtur.*

¶ Hanc nauim fuisse inter sidera collocatam fabulati sunt, cum fuisset Palladis consilio fabricata, quia cum nullam beneficentiam sine remuneratione Deus esse patiatur: tum illa præcipue grata est Deo, quæ à sapientia & consilio proficiscitur quæ sine Palladis consilio est beneficentia, & quasi quodam naturæ ductu, vel quæ fortuito contingit, non est quidem reprehendenda: at multo magis illud & Deo gratum est, & magis laudabile, quod cum ratione suscipitur. Cum vellent igitur homines antiqui ad beneficentiam adhortari; rem diuinam, & quæ proxime ad Deorum immortalium naturam accedat, liberalitatem & munificentiam esse dixerunt, quippe cum ad exemplum liberalitatis & animalia complura, & res sensu carentes, quia de Diis putarentur fuisse benemeritæ, inter siderum numerum fuerint relatæ, & proxime ad Deos ascitæ. Hæc igitur causa fuit cur Argos dicta sit diuinos honores consecuta. nunc de Capra cœlesti dicamus.

## *De Capra cœlesti.* CAP. XI.

PRæclarum eius quod dicebam argumentum; quia caprã etiam, quod de Ioue benemerita sit, cum illi lac præbuerit, non solum inter sidera collocarunt; sed etiam eius pellem ad sempiternam eius rei memoriam Iupiter gestare solebat, vnde Ægiochus fuit appellatus. Quod autem illam Iupiter ob acceptum beneficium inter sidera retulerit, testatur Aratus in iis carminibus quę ita sunt translata à Germanico Cæsare:

*—— illa putatur*
*Nutrix esse Iouis, si vere Iupiter infans*
*Vbera Cretea mulsit fidissima capra;*
*Sidere qua claro gratum testatur alumnum.*

In his Betuleii viri alioquin doctissimi, nõ placet emẽdatio. Hanc Iouis nutricem alii Nympham Amaltheam nomine dixerunt. Alii mulierem putarunt fuisse Arcadicã. quæ Capra cognomine vocaretur, quæ cum gẽmellos peperisset, illos alendos aliis mulieribus dedit, vt nutriret Iouẽ: quare eius filii vtpote capræ vocati sunt Hœdi. Hi cum lac mater

num Ioui concessissent, & ipsi inter sidera collocati in dextra Aurigæ tenentur quos Aurigæ sidera vocauit Aratus, quorum exortu grauissimæ plerumque fiunt tempestates, vt patet ex his carminibus:

*εἰ δέ τοι ἡνίοχόν τε καὶ ἀστέρας ἡνιόχοιο*
*σκέπτεσθαι δοκέοι, καί τοι φάτις ἤλυθεν αἰγὸς*
*αὐτῆς ἠδ' ἐρίφων, οἵ τ' εἰν ἁλὶ πορφυρεούσῃ*
*πολλάκις ἐσκέψαντο κεδαιομένους ἀνθρώπους.*
*Si placet Aurigam, atq; Aurigæ sidera & ortus*
*Obseruare tibi: fama est quo Capra quod Hœdi*
*Illius immergunt sulcantes cœrula Ponti.*
*Non vlli tutum est Hœdis surgentibus æquor.*

Mos erat Phliasiis, vt eximie Capra cœleste sidus colerent, cuius etiam signum æreum in foro magna parte auratum collocarunt, vt testatur Pausanias in Corinthiacis: quod idcirco fiebat, quia plurimum Capræ ortus obesse vitibus putaretur. vt autem illam placarent, diuinos honores illi instituerunt. nam exoriente Capra vel siderationem patiũtur aliquæ vites, vel prorsus arescunt. Istud vero fit Sole in Leonis signo existente: tunc enim maxime infestantur vites ob humoris inopiam, quod etiam magis fit pro natura locorum. Cur inter sidera Capræ signum relatum fuerit, iam explicauimus superius, quod Iupiter neque ingratus, neque acceptorum immemor vel aduersus Capram quidem videri voluerit. Dicta fuit hæc capra Olenia, quoniam in vlnas Aurigæ vel Oleni filiæ excepta fuerit. Consimile ratione fuit Delphinus inter sidera collocatus, quia persuaserit Amphitritæ vt nuberet Neptuno: vel vt alii maluerunt, quia Arion Methymnæus ab illo fuerit seruatus. Enimuero quod hæc non capra, sed mulier fuit, vel ex eo patet, quod Amalthea Nyctei regis vxor fuerit, è quo Nyctimenem pepererit, vt testatus est Apollodorus Cyzicenus. At de Capra satis, nunc de Dodonæi sylua dicendum.

## *De Dodone.* CAP. XV.

FVit celeberrimum omnium oraculorum Dodonæum, tum ob celebritatem & conuenientis eo multitudinis frequentiam, tum etiam ob glandium copiam, quæ in illa sylua nascebantur. nam vt testatur Virgilius libro primo Georg. primus fuit victus mortalium vt patet in his:

*Cum*

——*cum iam glandes atq; arbuta ſacra*
*Deficerent ſylua, & victum Dodona negaret.*

Et nos in noſtris Venationibus ita luſimus:

*Cum foret herba thorus primis mortalibus, antra*
*Frigida & arboribus intexta, palatia; potum*
*Proſilientis aquæ riuus prælucidus vnda*
*Præberet; victumq; Ioui ſacrata Moloſſo*
*Quercus, ſanguineoſq; rubentes cortice baccæ.*

Strabo libro ſeptimo Geograph. Dodonæum oraculum à Pelaſgis conſtructum fuiſſe ſcribit: quare & Homerus lib. π Iliadis Iouem Dodonæum Pelaſgicum appellauit. Scriptum reliquit Plutarchus in Pyrrho Deucalionem ac Pyrrhum poſt diluuium veniſſe in Epirum ad oraculum Dodonæum, quod fuit in Theſprotorum Moloſſorumq; regione. Erat ibi ſylua maxima, & denſiſſimis quercubus atque fagis refertiſſima, vbi eximia glandium copia naſcebantur: quare poetæ Dodonam pro glandiũ copia vſurparunt. Dicta fuit Dodone, à Nympha Oceanitide, vel (vt maluit Hecatæus) a Dodone Iouis & Europæ filia. Fama eſt hoc in loco Pelaſgum primum omnium mortalium homines docuiſſe glandibus veſci: atq; inter has illas eſſe vtiliores, quæ de ſola fago legerentur, cum antea radicibus atque herbis inutilibus, vel etiam lethiferis aliquando veſcerentur. Hic tuguria ad arcendas pluuias, & propulſandas temporum mutationum iniurias excogitauit, & tunicas è ſuillis coriis contexere docuit: cuiuſmodi per quoddam tempus in Eubœa & in Phocide homines vſi ſunt obſcuriores, vt ſcripſit Andron Teius in ſua nauigatione. Inde vero accidit, cum quercus & fagi multæ eſſent in ſylua Dodonæa, vt Lucianus in amoribus è fago reddi oraculum ita dixerit: *αὐτὴ τάχα αὐ, ὥσπερ ἡ ἐν Δωδώνῃ φηγὸς ἐκ τῶν ὀροδάμνων ἱερὰν ἀπορρήξασα φωνήν: Ipſa ſane ſicut fagus illa quæ in Dodone, ex ramis ſacram emittens vocem.* Erant autem ambigua admodum antiquorum oracula, quippe quæ non niſi tranſactis negociis plerumque intelligi poſſent, quamuis Iophon Gnoſius vir acri promptoque ingenio intelligendis oraculorum reſponſis plurima illorum oraculorum heroicis carminibus mandauit, & conatus ſit docere homines quo pacto illa commode interpretari poſſent. Cum tamen Homerus in lib. ξ. Odyſſeæ id oraculum è quercu ita inquiat:

*τὸν δ' ἐς Δωδώνην φάτο βήμεναι, ὄφρα θεοῖο*
*ἐκ δρυὸς ὑψικόμοιο Διὸς βουλὴν ἐπακούσῃ.*
*Dodonamq; ferunt illum mox esse profectum,*
*Consilio Iouis è quercu captaret vt alta.*

Memoriæ prodidit Pausanias in Achaicis, apud Acarnanes, & Ætolos & Epirotas, & earum regionum finitimos populos valde inclyta fama fuisse oraculum, quod è quercu columbæ reddebant respōsa. Nam cum duæ essent columbæ, diuersorum populorum legationes vel aliquo morbo, vel sterilitate agrorum, vel aliqua publica calamitate laborantium ad capienda responsa, quæ remedia forent earum calamitatum, eo confluebant, atque audiebant illarum columbarum vocē. Atqui variis temporibus variis modis responsa dabantur: nam primum loquebantur ipsæ quercus, deinde duæ mulieres sacerdotes responsa dare cœperunt, quarum vna Peristera, altera Triton vocabatur: atque cum Peristera columbam significet apud Græcos, hinc locus datus est fabulæ, quia duæ columbæ responsa redderent. Alii duas columbas re ipsa locutas fuisse arbitrantur, quod etiam fortasse accidit, cum potestas esset tenebrarum; ac mali dæmones & hæc, & his multo magis admirabilia agerent: vt depressa tenerent populorum ingenia, ne ad diuiniora tollerentur. Nam nemo fere est eorum qui viuunt, quin harum rerum miraculis, cum loquerentur statuæ & volucres, & auguria ventura prædicerent, & animalia multa significarent, in eam religionem antiquorū fuisset irretitus. Quare hoc etiā est cur magis gratias Domino Deo nostro habeamus, quod per vnicum eius filium Christum vniuersa fallacium oraculorum multitudo profligata est, omnesq; mali dæmones cum suis templis ita sunt euersi, vt nulla illorum iamdiu appareant vestigia. conculcata sunt altaria, excisi luci, combusti libri, quib. sacrorum ritus continebātur, obliuioni datus est victimarum delectus, explosi sacerdotes & lenones earum fallaciarum. Neq; vllus prope est, quin verum, sanctum, ac syncerum Dei cultū possit cognoscere, nisi si quis pro religione simulata flagitiorum licentiam sibi dari cupiat. Nam si de vero ac legitimo Dei cultu solum sit inter homines controuersia, ac nō potius de propriis singulorum commodis, vel intra triduum res iudicari posset, fieretq; statim vnus pastor & vnum ouile: neq; quod

ridi-

ridiculum est, & misericordia plane dignum, tot bella pro religionibus oriri. Est enim verus Dei cultus in ratione, & pietate, & integritate; non in armaturis, aut in equorum cataphractorum pectoribus, aut in bellicis tormentis collocandus: neque qui plus potest in bello, is magis est religiosus, aut magis vir bonus, sed qui probabilitatē sui cōsilij rationem afferre poterit. Quis enim animo per enses aut nitentes galeas persuaserit, qui, cum diuinus sit, nullam vim omnino patitur? Nullum est tormentum bellicum neque fortius neque maioris impetus ad animum impellendum, quam sit ratio: qua sola victus animus vel victricem sequitur rationem, vel ita pudore deterretur, vt oculos attollere aduersus victricem sine pudore minime possit. Verum hæc alterius sunt negocij, nos iam ad institutum opus redeamus. Ac de Niobe dicatur.

## *De Niobe.* CAP. IX.

NIOBE, quam Tantali & Euryanassæ, alij Pelopis, vel (vt alij putarunt) Taygetes vnius ex Pleiadibus filiam fuisse narrant, multorum filiorum fuit mater: quæ cum gloriaretur supra modum tum ob illorum multitudinem, tum etiam ob formæ præstantiam, ausa est se Dijs immortalib. comparare, vel etiam anteponere. Sic enim gloriatur apud Ouid. lib. 6. Metamorph.

*Quis furor auditos, inquit, præponere visis*
*Cælestes? aut cur colitur Latona per aras?*
*Numen adhuc sine thure meum est? mihi Tantalus autor,*
*Cui licuit soli superorum attingere mensas.*
*Pleiadum soror est genitrix mea: maximus Atlas*
*Est auus, ætherium qui fert ceruicibus axem:*
*Iupiter alter auus; socero quoq; glorior illo.*
*Me gentes metuunt Phrygiæ, me regia Cadmi*
*Sub domina est? fidibusq; mei commissa mariti*
*Mœnia cum populis à meq; viroq; reguntur.*
*In quamcunq; domus aduerti lumina partem,*
*Immensæ spectantur opes, accedit eodem*
*Digna Dea facies, huc natas adijce septem.*
*Et totidem iuuenes, & mox generosq; nurusque.*
*Quærite nunc habeat quam nostra superbia causam.*
*Quoq; modo audetis genitam Titanida Cœo*

*Latonam praeferre mihi.*

Athenienſis tamen Apollodorus Nioben ſcribit libro primo Bibliothecæ fuiſſe Phoronei regis Peloponneſi & Laodices filiam, cum Tãtalum alij dicerent fuiſſe eius patrem. Nonnulli hanc Zetho, alij Alalcomeneo, alij nupſiſſe Amphioni Thebano dicunt, vt eſt in libro tertio Bibliothecæ. Verum cum duæ fuerint Niobæ, vt arbitror, de Tantali filia ſolum ſermo eſt. De numero filiorũ, quos illa Amphioni peperit, non conueniunt inter ſe ſcriptores. Herodotus duos tantum mares, ac tres fœminas Niobes fuiſſe ſcripſit, vt teſtatur idem Apollodorus. Homerus libro vltimo Iliad. ſex mares & totidem fœminas illam habuiſſe ita inquit:

*τῇ περ δώδεκα παῖδες ἐνὶ μεγάροισιν ὄλοντο·*
*ἓξ μὲν θυγατέρες, ἓξ δ' υἱέες ἡβώοντες·*
*Nam{que} domi periere illi bis pignora ſena:*
*Sex natæ, totidem{que} mares, pulcherrima pubes.*

At Heſiodus decem mares ac totidem fœminas peperiſſe Nioben credidit, vt ſcripſit idem Apollodorus. Alij ſeptem mares, & totidem fœminas fuiſſe maluerunt, quæ communior eſt ſententia. Verum illa ob filiorum præſtantiam non ſolum auſa eſt (vt dicebatur) Latonam in contentionem fœlicitatis prouocare, ſed etiam contumelijs & impudicis verbis ita laceſſiuit, & irritauit, vt Diana ſex filias, at Phœbus totidem filios puberes ſagittis confecerit, vt ait Plutarchus in libro de ſuperſtitione. Occiſæ ſunt domi filiæ, at in Cithærone venantes mares ab ipſo Phœbo. aiunt Iſmenum vnum è filiis Niobes ab Apolline ictum in impatientia doloris ſe in fluuium Cadmi pedem vocatum conieciſſe, qui poſt ab ipſo fuit dictus Iſmenus in Bœotia non procul a Thebis. Ouidius tamen inquit quatuordecim fuiſſe cæſos, cui ſententiæ aſſentitur etiam Antipater in his carminibus:

Ταντάλις ἅδε ποχ' ἅδε δὶς ἑπτὰ τέκνα τεκοῦσα
    γαστρὶ μιῇ, Φοίβῳ θῦμα καὶ Ἀρτέμιδι.
κούρα γὰρ προύπεμψε κόραις φόνον, ἄρσεσι δ' ἄρσην,
    δισσοὶ γὰρ δισσὰς ἔκτανον ἑβδομάδας.
ἁ δὲ τόσας ἀγέλας μάτηρ πάρος, ἁ πάρος εὔπαις,
    οὐδ' ἐφ' ἑνὶ τλάμων λείπεται γηροκόμῳ.
μάτηρ δ' οὐχ ὑπὸ παισὶν ὅπως θέμις, ἀλλ' ὑπὸ ματρὸς
    παῖδες ἐς ἀλγινοὺς πάντες ἄγοντο τάφους

ταίτελ

παῖδας καὶ δὲ σὲ γλῶσσα διώλεσε, καὶ σέο κούραν·
χ' ἃ μὲν ἀπεπετρώθη σοὶ δ' ἐπὶ δεῖμα λίθος.

*Tantalis haec ipsa, haec bis septem pignora eodem*
*Ventre tulit; mactat Phoebus, & alma soror:*
*Mas maribus cadem tulit, atq; puella puellis,*
*Prostrauere duas sic duo & hi hebdomadas.*
*Quaeq; parens fuerat quondam ditissima natis,*
*Illa senectuti est orba relicta parens.*
*Nec, veluti mos est, matrem comitata sepulchro*
*Pignora sunt; natos sed comitata parens.*
*Tantale, teq; tuoq; necauit sanguine natam*
*Lingua, tibi lugens saxea forma timor.*

Fuerunt autem nomina filiorum Niobes, vt ait Zezes histor. 141. quintae Chiliad. Sipylus, Agenor, Phaedimus, Ismenes, Eupnytus, Tantalus, Damasichthon; filiae Neaera, Cleodoxe, Astiocha, Phaeta, Pelopia, Eugyge, Chloris. At Apollodorus Minytum pro Eupnyto dixit, & filias ita nominat: Ethosaeam seu Theram, Cleodoxam, Astyochen, Phthiam, Pelopiam, Astyeratheam, Opygiam. Ouidius tamen Alphenorem vel Ilioneum filiis Niobes adiecit. Pausanias Argum Niobes filium memorat in rebus Corinthiacis, alij Amyclam quandam nominarunt, alij Genuam, quamuis plerique crediderint Genuam fuisse Axiocheae vxoris Promethei filiam, quae Genuae vrbis fundamenta iecerit in littore maris Ligustici alij instaurasse prope euersam maluerunt, Isacius Homoloidem & Pelagum filios fuisse Niobes inquit, & Pelago quidem patrem Iouem tribuit; cum primam omnium mulierum inquit Apollodorus cum Ioue congressam fuisse, ac peperisse ex illo Argum. Chloris praeterea fuit aliquando Meliboea vocata, quam vna cum Amycla è foeminis superfuisse memorant, è maribus vero Amphionem, quia illae Latonam supplices vt sibi parceret precatae sunt, vt ait Pausanias in Atticis. Cum tantam filiorum copiam vno die Niobe amisisset, quae est rerum humanarum inconstantia, non magis prudens fuit in ferendis aduersitatibus, quam fuerat in foelicitate, & rerum omnium copia. Dicitur igitur Deorum miseratione, cum tantam doloris magnitudinem perferre non posset, in saxum fuisse conuersa, vt significauit. Ouid. lib. 1. de Ponto:

*Fœlicem Nioben quamuis tot funera vidit,*
*Quæ posuit sensum saxea facta malis.*

Et Callimachus in hymno in Apollinem:

*καὶ μὲν ὁ δακρυόεις ἀναβάλλεται ἄλγεα πέτρος,*
*ὅστις ἐνὶ Φρυγίῃ διερὸς λίθος ἐστήρικται,*
*μάρμαρον ἀντὶ γυναικὸς ὀιζυρόν τι χανούσης,*
*Differt petra suos pariter lachrymosa dolores*
*Humida, quæ quondam Phrygiis induruit oris:*
*Nunc quoque marmor hiat triste & lacrymabile quiddam.*

Fama est Nioben visa filiorum morte è Thebis in Sipylum contendisse, quare scripsit Pauſ in Atticis, huius imaginem silicem ac præruptam crepidinem in Sipylo fuisse, quę quasi ad opticam rationem èxcisa, prope existenti neq; lugentis, neque mulieris quidem formam præ se ferret: at procul existentibus & mulier, & mœsta & lugens videretur. De illa imagine, quod esset in Sipylo Mygdoniæ monte, ita meminit Ouid. in Epist. Acontij:

*Quæque superba parens saxo per corpus oborto*
*Nunc quoque Mygdonia flebilis astat humo.*

Facta fuit autem lapidea non repente, cum id à Dijs poposcisset, sed paulatim, vt videtur Sophocles in Antigone his versibus significasse:

*ἤκουσα δὴ λυγροτάταν ὀλέσθαι*
*τὰν Φρυγίαν ξέναν*
*Ταντάλου, Σιπύλῳ πρὸς ἄκρῳ·*
*τὰν, κισσὸς ὡς ἀτενὴς,*
*πετραία βλάστα δάμασεν.*
*Audiui mœstissimam perijsse*
*Phrygiam hospitem*
*Tantali, Sipylo in summo:*
*Quam hedere in morem peruicacis*
*Saxosum germen domuit.*

Quam idem poeta in saxeo sepulchro lachrymari inquit in Electra, cum sepulchrum sit eius corpus lapideum factum. Atq; hæc de Niobe Tantali filia, omnia prope dicta sunt, Niobe fuit Phoronei Peloponnesiaci principis, & Nymphę Telodices vel Laodices filia, de qua dictum est superius, atque eadem fuit soror Apidis: qui cum asperius in Peloponeso imperaret, à Telxione de medio fuit sublatus: cum tamen alij non sororem, sed matrē Apidis Arginorū & Sicyoniorum

niorum regis illã fuisse dicant: qui regno postea Argiuorũ Ægialeo f atri permisso in Ægyptum profectus, Isidẽ vxorẽ duxit, ibiq; regnauit. Multis deinde beneficijs in homines Ægyptios collatis, multis reb. vtilibus humanę vitæ inuentis, Serapidis nomine eximie cultus fuit post mortem ab Ægyptiis, & sub forma bouis viui eius nomen honoratum: quoniam id animal humano generi omnium cæterorum fere sit vtilissimum. Scriptum reliquit Pausanias in Arcadicis non quouis anni tempore, sed æstate tantum Niobes statuam lachrymari solitam. Similẽ mutationẽ passam fuisse dicitur anus quædam ob iram Veneris: nam in saxum & ipsa fuit conuersa. Fabulantur enim, quod cum Venus Diis esset irata, quia passi fuissẽt ipsam cũ Marte a Vulcano in rete ligari, & idcirco in syluas Caucasias se abdidisset ob pudorem, eam Dij omnes frustra diu quæsierunt. at anus locum indicauit vbi latebat Venus, cum à Deo quodam fuisset interrogata, quare illam ita mutauit: de qua ita meminit Lycophron in hoc carmine:

*ϗ πέμπελον γραῦν μαρμαρουμένην δέμας*

*Anumq; factam marmor ipsam frigidum.*

Fama est præterea quod cum Apollo & Diana superioris Niobes filios interemissent, Iupiter omnes homines in lapides per nouem dies conuertit, ac decimo die priori formæ restituens permisit vt illi sepelirentur.

§ Hæc fabulosa sunt quæ de Niobe passim circumferũt. Nunc antiquorum sententiam ex his exprimamus. Quemadmodum per superiora exempla nos antiqui sapientes ad beneficentiam atq; ad liberalitatem adhortabãtur, cum & nauem, & capram cæleste, & multa animalia vel in cœlum inter astra retulerint, vel diuinis honoribus prosecuti sint: ita per hoc exẽplum ab arrogantia, temeritateq; retrahentes, ad prosperas fortunæ vicissitudines æquo animo ferendas nos alliciebãt. Fuit Niobe Tantali & Euryanassæ filia? ac Tantalus auaritia, Euryanasse opulẽtia est, ex his nascitur mortalium superbia, cuius & Deorum despicientia, & amicorum contemptus, & beneficiorũ vel à Dijs vel ab hominib. acceptorum obliuio, asseclæ esse consueuerunt. Hęc igitur Niobe siue superbia, siue temeritas putãda sit, tantã filiorum multitudinem circa se circumspicit, vt mirifice animus extollatur. nam ex altera parte diuitias, honores propę diuinos, qui diuitias habẽtur, ac nobilitatem maio-

rum: ex altera amicos complures & affines, & clientales frequentes, & effusam vndiq; salutantium multitudinem hæc intuetur: quare se inuidiã & omnes humanas facultates lõgo interuallo superasse putat, ac neq; Deũ quidẽ ipsum vel fœliciorẽ vel potentiorẽ esse arbitratur. Vbi aliqua domus vel ciuitas in tantũ superbię creuerit, vindictam Dei & euersionem proximã esse scito, vt per hanc fabulã admonemur. Nam vbi quis ita fuerit elatus animo tunc eum neque filij, neq; affines, neq; nobilitas, à diuina vindicta protegere possunt: quia nullæ tam immensę sunt facultates, quas vno die diuina potentia euertere non possit. Vbi fortunæ concussæ sunt, terga vertunt affines, priores amici diffugiunt, nulla reliqua est clientela, solus incedit, quem antea multi stipabãt, à nemine salutatur, sordet nobilitas sine diuitiis ab omnibus neglecta. Ad deprimendam igitur temeritatem mortalium Nioben introduxerunt antiqui multis præclaris rebus gloriantẽ, quę tanta fœlicitate elata fuerat, vt vel Deos ipsos parui faceret, quam tamen repente ex omni fœlicitate deiectam dixerunt. Ad has calamitates ita Niobe obstupuisse dicitur, vt neq; lacrymas, neq; vocem, neque lamentationem vllam emiserit: de qua ita scripsit Cicero lib. 3. Tuscul. disput. & Niobe fingitur lapidea, propter æternum credo in luctu silentium. Quod si animo non ita fuisset temerario, neque tantopere fœlicitate elata, in eas calamitates non incidisset: aut si contigisset illi resipere post acceptam cladem, seq; non perpetuo virentia germina, vt ita dicam, peperisse cognouisset, sed quæ, vbi collibuisset Deo, arescere possent: & diuinæ voluntati satisfecisset, & non fuisset in lapidem conuersa. Est enim sapienti semper illud sapiens dictum in ... ę habendum, quod ita dicit:

*Θεοῦ μὲν ἐκτὸς οὐδεὶς εὐτυχεῖ βροτῶν.*

*Est nemo fœlix, hoc nisi præstet Deus.*

Fuerunt qui rem ad historiam referre conati sint, dixerintq; acerbissimam pestilentiã aliquando fuisse in Phrygia, atque eodem die Niobes filios omnes interiisse, cum multos haberet. Atq; cum pestilẽtiæ autor sit Sol & Luna, quia ex calore vaporumq; copia illa nascatur, proditum est in fabulis Apollinem & Dianã illos sagittis confodisse, ad tantos dolores cum obstupuisset, & prope sine sensu Niobe mater eorum videretur, dixerunt fabularum artifices illam fuisse

in la-

in lapidem conuersam. Dicti sunt homines eo tempore in saxa à Ioue mutati, quia crudeles sunt homines & inhumani ob metum in his opportunitatibus, neque vllus est vel affinitatis, vel amicitiæ firmus nodus. Verum cum decimo die cessasset pestilentia, tunc sepulturam dicuntur obtinuisse, at nunc de Thamyri dicamus.

## *De Thamyri.* CAP. XIV.

THAMYRIS Philammonis & Arsiæ filius, vel potius Agriopæ nymphæ vt quidam maluerunt, genere Threicius fuisse creditur, cũ Agriopa fuerit incola Pharnassi: quæ cum in vtero gestaret, fertur Odrysas migrasse, cũ Philammon eius nuptias recusaret, vnde Thracem postea Thamyrim crediderunt. fuerunt enim Odrysæ vrbs Thraciæ per id tempus sane nobilis opulenta. Thamyris igitur vbi adoleuisset, forma corporis præstãtissimus ob animi dotes omni laudũ genere floruit, atq; inter cæteras eius virtutes illa etiam cõmemoratur, ꝙ eius carmen ita sonorũ, itaq; cõcinnum fuit vt ab ipsis Musis compositum videretur. Scriptũ reliquit Plutar. in libr. de Musica hunc bellum à Titanibus aduersus Deos gestum tanta concinnitate orationis, tantaque modulationis suauitate cõposuisse, vt nullũ poema videri posset præstantius. Sed quoniam cum præstantia ingeniorum semper fere coniuncta est superbia, arrogantia, & pene temeritas, & cæterorũ in eo genere præstantiũ cõtẽptus, ausus est Thamyris vel Musas ipsas, per quas ipse cęteras antecelluit, cõtemnere, conuiciis afficere, & in certamẽ cantus prouocare cum gratias potius illis pro acceptorum magnitudine agere conueniret. Hic Thamyris cum esset in Messenia, atq; ex OEchalia ciuitate Deorũ versus (illud fuit vrbis nomẽ) proficisceretur, Musasq; in certamẽ cãtus prouocasset, dicitur illas obuias habuisse: cũ quib. pactus est, si vicisset, se velle cum omnib. cõgredi; sin victus fuisset, illarũ arbitratu se pœnas subiturum, vt scripsit Myrleanus Asclepiades, qui à Musis victus statim oculis captus fuit, & canẽdi scientia priuatus, vt testatur Hom. in 2 Iliad. his carmin,

—— & Δώριον ἔνθα τε Μοῦσαι
ἀντόμεναι, Θάμυριν τὸν Θρήϊκα παῦσαν ἀοιδῆς,
Οἰχαλίηθεν ἰόντα παρ' Εὐρύτου Οἰχαλιῆος.
στεῦτο γὰρ εὐχόμενος νικησέμεν, εἴπερ ἂν αὐταὶ
Μοῦσαι ἀείδοιεν κοῦραι Διὸς αἰγιόχοιο.

*αἱ δὲ χολωσάμεναι πηρὸν θέσαν, αὐτὰρ ἀοιδὴν*
*θεσπεσίην ἀφέλοντο, καὶ ἐκλέλαθον κιθαριστύν,*
*——— Et Dorioon, hic vbi Musæ*
*O Echalia Thamarim redeuntem carmine Thracem*
*Priuarunt, fuit ausus enim se vincere Musas*
*Cantando iactare, modo ne prælia vitent,*
*Occurrentq; sibi Musæ Iouis inclyta proles,*
*Iratæ Musæ cæcum fecere sed illum*
*Et cantum, citharamq; viro rapuere superbo.*

Cum vero lyram in fluuium proximum abiecisset, effecit vt is fluuius à iacienda lyra diceretur postea Balyra. Pausanias tamen in Messeniacis id morbo Thamyri accidisse scribit, cum & Homero, & alijs nonnullis persimile Thamyri ob nullum Deorum contemptum, sed ob aliquam naturalem imbecillitatē cōtigerit, Prodicus vero Phocaensis, qui carmina in Minyadem composuit, apud inferos suppliciū pati Thamyrim scripsit, ob suā in Deos temeritatē & arrogantiam: quod quidem rationi magis conuenit, cum tantæ arrogantiæ pœnæ luendæ breuissimum sit tempus humanæ vitæ cursus. Ob eam calamitatem oculorum ferunt cessasse Thamyrim à cōponendis carminibus, quare dictæ sunt illi Musæ cantum & citharæ peritiam ademisse. At quam ridicula est Dij boni alienarum ineptiarū derisoris Zezis explicatio, quam prodidit Chil 7. hist. 108. Inquit enim Thamyrim nobilē fuisse poetam, qui mundi creationē quinq; millibus versuum complexus sit, sed cum esset superbus & arrogans, eiusq; scripta periissent, fabulati sunt antiqui, illum cum Musis certasse, & factum cæcum, ac diuinā cantilenam illi fuisse ademptam. Hæc explicatio fabulæ quātopere frigeat, quis non sentit? non enim propter has ambages, & nugas aniles, fabulæ fuerunt excogitatæ ab antiquis: sed (vt dicebā) quo nos Deorum metu & reuerentia ab inani arrogantia absterrerent eorum exemplis, qui cum arrogantes fuissent, pœnas ingentes suæ temeritatis dederunt: vt essemus acceptorum à Deo beneficiorum memores, vt neq; nimis aduersis deprimeremur, neq; fœlicibus rebus nimis extolleremur: quorum vitiorum vtrumq; & Deo minime placet, & homine sapiente est omnino indignum. Hæ causæ fuerunt, vt mihi quidem videntur, multo honestiores & probabiliores cur fabulæ huiusmodi fingerentur,

quam-

quamuis alicuius historiæ fundamento fulciuntur. Atqui neque Zezis quidem ridiculas interdum explicationes ipse deriderem; cum humanum esse sciam errare aliquando & labi ac falli, nisi & ille fuisset vel ipso Thamyri arrogantior atque importunior, & ne multa dicam, nisi ille vel leuissimos cæterorum scriptorum errores grauissime insectaretur. nemo enim vir bonus atque prudens debet aliorum de dignitate quidquam detrahere scribendo, sed omnia sua scripta conferre & aduertere ad præsentium posterorumq; omnium vtilitatem & institutionem. qui vero maledicta, nugas, res turpes literis committunt, tales haberi iure debent, qualia sunt eorum scripta: quæ certe parum reperiuntur plerumque à moribus animique consilio discrepare. at nunc de Marsya dicatur.

## *De Marsya,* CAP. XV.

MArsyas quoque Phrygius tibicen ob similem huic temeritatem & petulantiam non leue supplicium subiuit. Hic Hyagnidis fuit filius, eius qui primus omniū mortalium leges musicas ad laudes Deorum, quibus in solennitatibus Græci vsi sunt, accommodauit, qui Marsyas ausus est cum Apolline de tibiarum peritia contendere. Fabulati sunt hunc magna consuetudine cum Cybele fuisse cōiūctum, sed diu postea peruagatum in Nysam ciuitatem ad Dionysum, qui ibi regnabat eo tempore, peruenisse: vbi cū Apolline illic inuento, qui cum ob alia multa præclara, tū ob inuentam citharā, & artem pulsandæ citharæ magno in honore habebatur, ausus est contendere; cum ipse tibias à Minerua eiectas suscepisset vt aiunt, iisque inflandis factus iam peritior sibi videretur. Apollinem igitur in certamen musices prouocauit ea conditione, vt victor victo quodcūque libuisset, imperaret, vt testatur Pausanias in Phocaicis. Idcirco mansit ea consuetudo postea in magnæ Matris sacrificiis, vt adessent illis etiam tibię, vt ait Myrleanus Asclepiades. in eo certamine igitur cum Apollo citharam pulsasset, mox ore cantabat: at Marsyas tibiis inflandis tantum erat peritus, quare etiā victus pœnas dedit suæ temeritatis. Qui rem etiam planius explicare voluerunt addiderūt his, quod Nisæi iudices sunt electi quo tempore Marsyas contendit cum Apolline. nam primum tibiis ita est vsus Marsyas vt auditus stupore repleretur, appareretque ob suauita-

tem longe præstare aduersario cum iudicibus ostentare simul artem decreuissent, aiunt Apollinem rursus ad citharã cantũ accommodasse, quare vicit tibias repetitas. at ille nitebatur docere iudices quod præter omnem æquitatẽ vinceretur: quod artis, at non vocis, comparationẽ fieri oporteret, ad quam cithara & tibiæ sunt referendæ. non autem res duas cum vna conferri oportere. Apollo respondit quod nihil plus æquo obtineret, quia Marsyas quod sibi conueniret, fecisset, cum tibias inflasset: oportere hanc legem igitur vtrisque imponi, vt vel ambo, vel nemo ore vteretur, sed solis digitis proprium vsum ostenderet. Istud certamen commissum fuisse non procul à Celænis, siue (vt nunc vocatur) non procul ab Apamea ciuitate iuxta lacũ, in quo ad vsum tibiarum optimi calami gignũtur, sciptum reliquit Strabo lib. 12. ex eo lacu dicuntur manare fontes Marsyæ fluminis, cum Ouid. lib. 6. Metamor. Marsyam scribat fuisse ab Apolline in fluuium mutatum. Nam fama est apud eũdem lacum tibias à Minerua fuisse inuentas, quas cum illa inflaret, seq; in lacu conspexisset, orisq; turpitudinem vidisset, & tumorem, illas abiecit, Secedite a me, inquiens, malæ corporis deprauationes, vt ait Athenæus lib. 14. Has cum reperisset Marsyas, qui multo ante bella Troiana floruit, non solum inflauit, cæterosq; illarum peritia antecelluit, sed etiam Doricæ musicæ postea, geminarumque tibiarum fuit inuentor, sicut Amphion Lydiæ, vt testatur Plutar. in lib. de Musica, atque apud Dorion oppidum Peloponnesi hic idem ausus fuerat Musas ad certamen cantus prouocare. Fama est igitur Marsyam, vbi cum Apolline decertans victus fuisset, de pinu arbore propinqua fuisse suspensum, & excoriatum, vt testatur Nicander in his carminibus:

*πολλάκι καὶ πίτυος γλαφυρῆς ἀπὸ δάκρυα τμῆξαι*
*Μαρσύου ἧχί τε Φοῖβος ἀπὸ φλόα δύσατο γυίων,*
*Sæpius & lacrymas de pinis testis ademit*
*Marsya, vbi Phœbus nudauit cortice membra.*

Illud cum apud fluuium Midam prius vocatum contigisset effecit vt fluuius postea Marsya diceretur, è cuius sanguine nati sunt Satyri, vt scripsit Agatharchides in rebus Phrygiis. Pœnituit tamen celeriter Apollinem tantæ acerbitatis, quare chordas citharæ infregit: quas cum Musæ inuenissent, mesen addiderunt, Linus lichanon, Orpheus hypatẽ,

Thamy-

Thamyris parhypaten. postmodo cithara & tibiis in antro Dionysi depositis cum Cybalen amaret, cum hac ad Hyperboreos vsque peregrinatur. E pelle Marsyæ vtris factus fuit, quem in Celenarum ciuitate fuisse scribit Herod. in Polymnia hoc pacto: οἱ δὲ ἐπεί τε διαβαίνοντες τὸν Ἅλυν ποταμὸν, ὡμίλησαν τῇ Φρυγίῃ, δι' αὐτῆς πορευόμενοι, παρεγένοντο ἐς Κελαινὰς, ἵνα πηγαὶ ἀναδιδοῦσι Μαιάνδρου ποταμοῦ καὶ ἑτέρου οὐκ ἐλάσσονος ἢ Μαιάνδρου. τῷ οὔνομα τυγχάνει ἐὸν Καταρρήκτης· ὃς ἐξ αὐτῆς τῆς ἀγορῆς τῆς Κελαινέων ἀνατέλλων, ἐς τὸν Μαίανδρον ἐκδιδοῖ· ἐν τῇ καὶ ὁ τοῦ Σιληνοῦ, Μαρσύεω ἀσκὸς ἐν τῇ πόλι ἀνακρέμαται· τὸν ὑπὸ Φρυγῶν λόγος ἔχει ὑπὸ Ἀπόλλωνος ἐκδαρέντα ἀνακρεμασθῆναι. *Isti postea quam Halym traiecerunt fluuium Phrygiæ, per ipsum profecti, Celenas adierũt: vbi scatent fontes Mæandri fluuii, & alterius non minoris Mæandro, cui nomen est Catarrhactes. hic oritur è foro Celenarum, & in Mæandrum influit: vbi est etiam Sileni Marsyæ vtris in ciuitate suspensus: est enim sermo Phrygum quod is Marsya ab Apolline excoriato fuit suspensus.* Fabulati sunt autem illum Marsyæ casum apud fluuium Mæandrum contigisse, veluti attestari videntur illa carmina Philippi:

ἵμερον αὐλήσαντι πολυτρήτων λωτῶν,
    εἶπε λιγυφθόγγῳ Φοῖβος ἐπὶ Γλαφύρᾳ.
Μαρσύη, ἐψεύσω τὸν εὕρεμα. τοὺς γὰρ Ἀθήνης
    αὐλοὺς ἐκ Φρυγίης οὗτος ἐληΐσατο.
εἰ δέ σοι τοιοῦτος τότ' ἐνέπνεες, οὐκ ἂν Ὕαγνις
    τὴν ἐπὶ Μαιάνδρῳ κλαῦσε δίσαυλον ἔριν.

*Fabulis de lotis resonabat dulce forat is,*
    *Audiit hoc Phœbus, talia dicta dedit.*
*Marsya, non hoc inuentum tibi: Palladi at ista*
    *De Phrygiis est olim fistula rapta Dea.*
*Talis si insufflasses, non fleuisset tua fata*
    *Mæandri ad gelidas tristis Hyagnis aquas.*

Nam certe quidem illud verissimum est, quod olim prolatum fuit ab oraculo, quod

*οἷά τ' ἀνὴρ ἔρξει, τοῖον τέλος αὐτὸν ἱκάνει.*
*Qualia quisq; facit, talis finis manet ipsum.*

Dicitur ea de causa vniuersis tibicinibus deinde iratus fuisse Phœbus, quam Sacadæ opera placatum postea fuisse memorant, cum is primus Delphis Pythium cãtum cecinisset.

¶ Quid per hanc fabulam significare voluerint antiqui

manifestum omnibus esse arbitror, quoniam dictũ fuit ad superborum & nimis elatorum animorum deprimendam temeritatem multas fabulas fuisse inuentas, quibus etiam consolandis illis, qui molestiarum & calamitatum cumulis obruuntur, vt licet. nam vt Deus temerarios animaduertit, ita viros bonos aliqua calamitate oppressos adiuuat, quod & ipsum per fabulas antiqui nobis tradiderunt. Cretheis enim Hippolyti filia Acasti vxor cum capta fuisset Pelei desiderio, neq; tamen Peleo vt secum congrederetur persuadere posset, illum apud Acastum, quia suam pudicitiam tẽtasset, accusauit. Hunc Acastus secum habens ad verticem Pelei montis adduxit, atque vinctum feris laniandum reliquit, vt scripsit Diognetus in rebus Smyrnæis. Verum eius innocentiæ misertus Iupiter ensem illi per Vulcanum misit, quo se à feris tueretur. deinde cum in vrbem venisset paucis comitantibus, Acastum debellauit, & imperio ipse potitus est. Vt igitur non est viri sapientis aduersus diuinam Dei voluntatem ob præsentem fœlicitatem & opulentiam insurgere, sic in rebus aduersis non est cedendum viribus tempestatis, sed in vtrisque certa animi moderatione vti conuenit. nunc de Ixione dicamus.

## *De Ixione.* CAP. XVI.

ENimuero multo his sceleratior fuit Ixion Phlegyæ filius vt sensit Euripides; vt Æschylus, Antionis; vt Pherecydes, Pisidices. Hic enim Diam filiam Eionei, vel (vt alii maluerũt) Deionei vxorem duxit: cum pollicitus esset se multa munera socero mox esse daturum. nam mos erat antiquorum patribus sponsarum munera offerre: quod in his significauit Homerus.

*πρῶθ' ἑκατὸν βοῦς δῶκεν, ἔπειτα δὲ χίλι' ὑπέστη*
*αἶγας ὁμοῦ καὶ ὄϊς.*
*Dat centum primum ille boues, mille inde capellas*
*Et pecudes promisit.*

Deioneus igitur cum munera ob acceptã vxorem ab Ixione flagitaret, acriusq; instaret, coactus Ixion inuitauit socerũ tanquã ad conuiuiũ & ad illa accipienda, quod se ęquitate mitigatum simularet. hunc Ixion in foueam carbonariam, quã tenuissimis tabulatis superius, igne interius occultato, instrauerat, detrusit. Cum illum ob eam cædem furor inua-
sisset,

fisset, neq; vllũ vel Deorum vel hominũ reperiret, à quo expiaretur, quia primus is ausus esset in affinitate coniunctũ manus inferre, Iupiter non solum eius misericordia captus illum expiasse dicitur, quod eum magnopere pœnituisset, sed etiã in cœlum acceptum liberaliter tractasse, & a secretis constituisse. Hic igitur pro tanta Iouis in se liberalitate ac munificentia Iunoni stuprum inferre conatus est. quod cum illa Ioui significasset, non facile credidit Iupiter, quippe cui Bellerophontis & Hippolyti casus essent cogniti; sed rem palam oculis intueri voluit. dicitur igitur nubẽ in Iunonis formam coegisse, quam Ixioni obiecit, cũ qua congressus Centauros suscepit. ob id facinus cũ gloriaretur Ixion, passimq; eblateraret, ac eam, q̃ aduersus Iouem commiserat, turpitudinẽ tacere non posset, fuit è cœlo ad inferos ob suam loquacitatem deiectus hic rotæ ferreæ fuit alligatus, circa quã angues complures conuoluebantur, perpetuoq; rotæ circumuolutæ motu agitabatur, vt nunquam posset quiescere; quod significauit Virgil. lib. 1 Georg. in his:

*Inuidia infœlix furias, amnemq; seuerum*
*Cocyti metuet, tortosq; Ixionis angues,*
*Immanemq; rotam.* Et Tib. lib. 1.
*Illic Iunonem tentare Ixionis ausi*
*Versantur celeri noxia membra rota.*

Memoriæ prodidit Strabo lib. 9. Phlegyam non patrem, sed fratrem fuisse Ixionis, cuius filius fuit Pirithous, & Chiron, & alii.

¶ Hæc summatim ea sunt quæ de Ixione scripta apud antiquos inueniuntur: nunc quæ explicatio his attribuatur, vestigemus. Zezes grauissime Pindarũ ac Palæphatum philosophũ exagitat, tanquam vel sibi domesticã suppellectilẽ furati sint, vel Deorũ immortalium templa spoliarint. Pindarum quidem, quia dixerit, quod vbi Ixion cum nube ab Ioue summissa concubuisset, filium progenuit sine Gratiis Hyperphialum, qui rem habuit cum equabus Magnesiis in Pelio monte, ex quibus natum est genus partim matribus, partim patri simile. At Palæphatũ, quoniam Centauros dixit appellatos filios Ixionis, quia cũ tauri agrestes in Thessaliã venientes fruges deuastarent; tũ iuuenes fortes equos ascendentes in tauros impetum fecerunt, ac stimulis pupugerunt: cũ vero eos agrestes procul fuissent conspicati, exi-

stimarũt superna parte homines, inferiore equos esse, quia nemo equũ ante id tempus conscenderat, & quia tauros illos pungentes vidissent, Centauros appellasse: quæ quo pacto tantum abhorreant ab antiqua simplicitate, & credulitate hominũ, non video. At quam absurdã ipse postea attulit expositionem Dii boni! Dicit enim Nubem seruã fuisse vocatam apud Pharaonem, quam Ixion pupugerit, & ex ea natũ sit Centaurorũ genus, qui à pungenda Aura seu Nube ita sint dicti. Quis vnquam per Deos immortales pungere in rebus Venereis vsurpauit? neque illud sane satisfacit, quod nititur in Græcorũ fabulis modo Ægyptiorũ, modo Chaldæorũ exẽplis illas comprobare: cũ multo magis etiã moribus & sacrorum ritibus hæc loca distarent inter se, & consuetudine orationis, quam vel vestium forma, vel regionum interuallo. Quod si Aura apud Pharaonẽ serua vocabatur, aut oportebat in ea regione fabulã hãc fuisse inuentam, aut ostendere illã in Thessaliam venisse, aut de his melius fuisset tacere, quam dicere illa quæ nesciuntur. Natus est Pirithous è Dia & Ixione, qui propter familiaritatem Centauros conuocauit ad nuptias. at cum sacrificasset Diis cæteris, oblitus Martis, Deum illum habuit iratum & infẽsum: inde effectum est vt Dei ira & vino impulsi sint, vt manus lasciue in mulieres Lapitharũ iniicerent vnde celeberrima illa pugna & clades exorta est. Quod Ixion insidias socero struxerit, id historice dictũ est; & pœnitẽtia deinde captus dicitur furore mentis fuisse correptus. Id homicidium cum primum commissum fuisset inter coniunctos, nemo eius consuetudinem aut amicitiam expetebat: quare de patria profugere coactus est: & à rege quodam (nam Ioues Reges omnes ob recentem Iouis memoriã dicebantur) per benigne acceptus expiatus fuit, & à secretis creatus: quare hęc narrata sunt, vt de Ioue. Hactenus mihi conuenit cum Zeze; quia hæc ad historicã narrationem spectare censeo. Huius regis vxoris pudicitiã clam tentasse dicitur Ixion, quod illa grauiter ferens rem interim dissimulans aperit marito. Is non facile credens vxori, rem oculis tenere voluit: tum mulierculã quæ Nephele vocabatur instruxit pro vxore, ac vxori mandauit, vt iuberet eum in certũ locum statuta hora noctis conuenire, quod eum præstolaretur. Is igitur, vt statutum fuerat, veniens pro vxore regis cum serua rem habuit,

buit, ex qua natus est Imbrus is qui primus Centaurus fuit vocatus. Dicuntur nati fuisse præterea ex ipso Ixione & nube Odites & Orneus & Phlegræus & Pholus & Riphæus, à quo dicti sint montes. Postea vero dicti sunt Centauri non solum illi qui ab Ixione originem duxerunt, sed plerique in Thessalia ad Pelium montem habitantes, quod in taurorum morem in hostes impetum facerent, essentq; prope in re militari furibundi. Hi primi equos celeres atq; desultorios, vt aiunt conscendere, & pugnare ex equo inuenerunt, cum fræna etiam ab ipsis Lapithis, & ephippia, & omnis equestris suppellex fuisset inuenta. Inde fabulose dictum est Ixionem à Ioue expiatum in cœlum fuisse acceptum, & Iunonis tentasse pudicitiam, & ob eam causam ad inferos detrusum. Nam ob cognitã temeritatem fuit Ixion à secretis remotus, ex aulica familia deiectus, & miserrimus omniũ factus, cum perpetua tamen ambitione, gloriaq; vexaretur. Cum vero ex illa nascatur inuidia necessario, ideo dictus fuit ad inferos detrusus, rotæq; perpetuo motu circumuolutæ inter serpentes alligatus: quæ narratio non parum in inuidos & ambitiosos homines cõuenit, vt ait grauissimus autor Plutarchus in Agide & Cleomene hoc pacto: οὐκ ἀτόπως τινὲς οὐδὲ φαύλως συγκεῖσθαι περὶ τοὺς φιλοδόξους ὑπονοοῦσι τὸν ἐπὶ τῷ Ἰξίονι μῦθον, ὡς δὴ λαβόντι τὴν νεφέλην ἀντὶ τῆς Ἥρας, καὶ τῶν Κενταύρων οὕτως γινομένων καὶ γὰρ οὗτοι τῆς ὥσπερ εἰδώλῳ τινὶ τῇ δόξῃ συνόντες, οὐδὲν εἰλικρινὲς οὐδ' ὁμολογούμενον ἀλλὰ νόθα καὶ μικτὰ πολλὰ πράττουσιν, ἄλλοτε ἄλλαις φορὰς φερόμενοι, ζήλοις καὶ πάθεσιν ἐπακολουθοῦντες. *Non absurde sane, neque imperite in ambitiosos Ixionis fabulam conuenire nonnulli arbitrati sunt: quod is Nubem pro Iunone compresserit, atque ita natum esse centaurorum genus. Nam qui gloria tanquam imagine quadam virtutis alliciuntur, illi nihil sincerum, nihilque laudabile, sed multa illegitima & absurda agunt necesse est, multisque agitationibus ferantur cupiditatibus, & omnibus animorum affectibus obsequentes.* Illi enim qui pro virtute gloriam ex quibusuis rebus consectantur, aut qui pro vera sapientia falsam amplectuntur, multa indecora faciant oportet: quare monstro similes Centauri ex nube nascuntur. Ea quoniam nullus eorum status est diuturnus, qui per illegitimas artes ad honoris apicem gloriæque contenderint, idcirco remotus à secretis & ad inferos

detrusus fuit Ixion, vbi perpetua pœna, præteritorum recordatione scilicet, discruciatur. Ego sane non parum præclare hoc etiam fictum à poëtis fuisse, neque inutiliter ad institutionem vitæ censuerim, quod tanto grauius scilicet iure optimo supplicium esset Ixionis, quam cæterorum omnium qui apud inferos torquerentur; quanto maiora hic beneficia à Deo acceperat : quoniam id præclare scriptum est, quod cui plus remittitur, is plus debet. Hoc est, fabulam hanc ideo fuisse fictam, vt per hanc significarent antiqui maxime omnium vitiorum inuisam esse Diis immortalib. acceptorum beneficiorum obliuionem: atq; id etiam multo magis, cum quis non modo obliuiscitur, sed etiam iniurias infert pro beneficiis : quod scelus vindicem esse Deum denique experitur. Hoc tamen vitium cęterorum omnium fere maxime patet, quod non semel experti sunt principes plerique, qui sibi ab illis parati insidias senserunt, quos ante omnes charos habebant, & ad maximas opes, supremosque honores prouexerant : sed & nuper prope singulare ætatis nostræ ornamentum ac omnium bonorum perfugium Franciscus Medices, serenissimus Magnus Dux Hetruriæ Secundus: quem & ipsum, & Carolum serenissimum Archiducem Austriæ ex omnibus principibus nostrę tempestatis solos, meo quidem iudicio, ob humanitatem, prudentiam, moderationem animi, magnificentiam, gloriam in omni genere virtutis, vere regios & imperare dignos ausim dicere. Ac de Ixione satis, nunc de Sisypho dicatur.

## *De Sisypho.* CAP. XVII.

Sisyphus cuius filius fuerit, non patet; quem tamen nonnulli Æoli fuisse arbitrati sunt, cum illud Ouid. & Horat. & Hom. lib ζ Iliad. ita Æolidem appellauerit;

*Σίσυφος Αἰολίδης· ὁ δ᾽ ἄρα Γλαῦκον τέκεθ᾽ υἱόν.*

*Sisyphus Æolides, cuius de semine Glaucus*
*Editur.*

Nam Apollonii enarrator οὐκ ἀπ᾽ Αἰόλου, ἀλλ᾽ ἀπὸ τῶν Αἰόλου, non ab Æolo scilicet, sed ab iis qui genus ducunt ab Æolo, Sisyphum Æolidem vocatum fuisse existimauit. Fuerunt qui putarint Meropen vnam ex Pleiadibus illi nupsisse, de qua ita inquit Ouid. in 1. Fastorum:

*Septima mortali Merope tibi Sisyphe nupsit.*

Ex qua Glaucum, qui etiam Tarazippus vocatur, qui fuit in Isthmo in hippodromo ab equis discerptus, & Creōtem suscepit. Habuit ex alijs etiam fœminis alios filios. Thersandrum, Ornytionem, Almum, Metabū, Hosmum, Porphyrionem aliosque complures: atque Ephyram ciuitatem Peloponnesi habitauit. vt testatur Homerus Iliad. ζ.

ἔστι πόλις Ἐφύρη μυχῷ Ἄργεος ἱπποβότοιο.
ἔνθα δὲ Σίσυφος ἔσκεν, ὃ κέρδιστος γένετ' ἀνδρῶν.
*Est Ephyre vrbs Argi vicina feracis equorum,*
*Sisyphus hic habitat, cuius prudentia mira est.*

Hoc astutissimum omnium mortalium fuisse memorant: quippe cum Autolyci sua tempestate insignis & nobilis latronis, qui non solum iureiurando, sed etiam præstigiis ita homines decipiebat, vt alias res pro alijs caperent, fallacias repulerit. Cum enim greges Sisyphi, qui tunc imperabat Corinthi, Autolycus aliquando occultasset, illosque mutatos reddere conaretur, frustra id egit: quoniam his gregibus Sisyphus suum nomen sub vngulis vna litera concentum inusserat. Id vbi vidisset Autolycus, amicitiam cōtraxit cum Sisypho, atq; illi Anticleam filiam in matrimonium dedit; ex quibus nata est filia eiusdem nominis, quam Laertes pater Vlyssis postea vxorem duxit: de qua ita Homerus meminit lib. λ. Odyss.

ἦλθε δ' ἐπὶ ψυχὴ μητρὸς κατατεθνηκυίης.
Αὐτολύκου θυγάτηρ μεγαλήτορος Ἀντίκλεια,
τὴν ζωὴν κατέλειπον ἰὼν εἰς Ἴλιον ἱρήν.
*Atque anima accessit defuncta deinde parentis*
*Anticlea alto Autolyci de semine nata:*
*Quam viuam liqui, cum sacra mœnia Troiæ*
*Accessi.*

Fama est quod Iupiter Æginam Asopi filiam in locum vocatum Phliuntem portauit, vt illam comprimeret: quam cum Asopus quęreret, non solum Sisyphus indicauit, sed etiam compressam à Ioue fuisse dixit. At Asopus vt cognosceret an vera essent quæ dicerentur, ad illam properauit: quam rem cum cognouisset Iupiter, hāc in insulam sui nominis vertit, & id supplicium Sisypho imposuit, vt saxum quoddam prægrande assidue supra montem apud inferos portaret, quod vbi ad montis verticem accessisset, sua spōte reuoluebatur ad radices montis, neq; vlla vi retineri po-

terat: vt ait Pausanias in Corinthiacis, & Homerus luculentissime expressit lib. λ. Odyss.

*καὶ μὴν Σίσυφον εἰσεῖδον κρατέρ' ἄλγε' ἔχοντα,*
*λᾶαν βαστάζοντα πελώριον ἀμφοτέρῃσιν.*
*ἤτοι ὁ μὲν σκηριπτόμενος χερσίν τε ποσίν τε*
*λᾶαν ἄνω ὤθεσκεν ποτὶ λόφον. ἀλλ' ὅτε μέλλοι*
*ἄκρον ὑπερβαλέειν, τοτ' ἀποστρέψασκε κραταιῒς*
*αὖτις ἔπειτα πέδονδε κυλίνδετο λᾶας ἀναιδής·*
*αὐτὰρ ὅγ' ἂψ ὤσασκε τιταινόμενος, κατὰ δ' ἱδρὼς*
*ἔρρεεν ἐκ μελέων, κονίη δ' ἐκ κρατὸς ὀρώρει.*
*Sisyphon hic vidi duros perferre labores,*
*Ambabus manibus portantem pondera saxi*
*Hic etenim manibus nixus, pedibusq; rotabat*
*Ingens ad collem saxum: vis magna deorsum*
*Sed voluebat idem, vt collem superare parabat.*
*Rursus & id campum deuoluebatur in imum.*
*Tum miser hic rursus repetebat pondera, sudor*
*Membra lauabat ei, labor est renouatus & idem.*

Sisyphum mortuum esse in Isthmo & sepultum constat, vt est in Corinth. apud Pausan. Non defuerunt tamen qui Sisyphum alijs de causis, & multo probabilioribus ad inferos deiectum id pati supplicium arbitrati sint: nam quidam dixerunt, quia, cum ex Deorum secretis, arcanas res Deorum diuulgasset, illud supplicium Deorũ ipsorum iudicio apud inferos meruisse. alij inquiunt illum varijs tormentorum generibus hospites qui ad illum accessissent, excruciare solitum, quamobrem illi pœnæ merito apud inferos illum fuisse addictũ. Alij putarunt addictum fuisse illi supplicio propter perfidiam, quod dæmonas fefellisset, qui dicunt eum mortuum descendisse ad inferos & Plutonem decepisse. nam moriturus iussit vxorem insepultum cadauer eijcere, quod cum illa fecisset, petiit à Plutone vt ad vxorẽ castigandã liceret accedere, à qua tantopere fuisset neglectus, quod cito rediret. vbi Pluto illud concessisset, ad superos reuersus noluit amplius redire ad inferos; sed à Mercurio vi detractus illi supplicio addictus fuisse dicitur.

§ Atque hæc omnia fere illa sunt quæ de Sisypho ab antiquis memoriæ sunt prodita. Nunc quid hęc significẽt, inquiramus ac primum omnium explicatum fuit superius nihil magis diuinæ naturæ conuenire quam beneficentiam,

tiam, & liberalitatem, & benignitatem: nihilque tam repugnare quam crudelitatem & auaritiam quippe cum crudelibus & auaris amicus Deus esse non possit; qui per beneficentiam viris bonis sit amicus. Cum enim Deus amet beneficos, quantopere odio habere putandus est illos, qui etiam bene de se meritos iniuriis afficiunt? Etenim cum à secretis Deorum factus fuisset Sisyphus, pro accepto tanto beneficio cum etiam fidem violarit, merito grauissima patitur supplicia. Sin in hospites etiam crudelis extitit, merito experitur quæ sint crudelitatis præmia quia omne improbitatis genus vindicem denique habet Deum. Si quidquam rursus in Deorum contumeliam locutus fuit, ac Deorum arcana vulgauit quominus Dij ab hominibus colerentur, nihil creditus est pati præter improbitatis ac sceleris grauitatem. Vt igitur deterrerent homines ab auaritia & à crudelitate, eosque ad liberalitatem, & humanitatem, & acceptorum recordationem adhortarentur, & ad Deorum cultum, ad seruandam fidem magistratibus, & regibus, qui nobis honorem detulerunt, hæc ficta sunt ab antiquis. Lucretius tamen libro tertio in eos hanc fabulam conuenire scribit, qui magistratus & honores à populo expetunt cum summa animi contentione: neque vnquam obtinere possunt, vel quod indigni habeantur, vel quod in hoc etiam maxima vis sit fortunæ. Sic enim ait Epicureus poeta:

*Sisyphus in vita quoque nobis ante oculos est,*
*Qui petere à populo fasces, sæuasque secures*
*Imbibit, & semper victus, tristisque recedit.*
*Nam petere imperium, quod inane est, nec datur vnquam,*
*Atque in eo semper durum sufferre laborem,*
*Hoc est aduerso nixantem trudere monte*
*Saxum, quod tamen à summo iam vertice rursum*
*Voluitur: & plani raptim petit æquora campi.*

Tanta vero præstantia fuit antiquior artificum in fabulis confingendis, vt non vnam rem tantum sub his contineri voluerint, sed illas in diuersas sententias posse distrahi vt multiplex vtilitas ex his caperetur. Per hanc ipsam fabulam igitur homines ab ambitione reuocabant, qua nihil prope est humano generi perniciosius: neque enim debet statim confugere ad laqueum, qui repulsam passus est, vel si

præstãtior cæteris existat: sed arbitrari multa stulte fieri ab imprudente multitudine, aut ab inconsideratis iudicibus cum maxima sit vbiq; insipientiũ copia. sin alicuius sceleris sibi conscius extiterit, qui passus est repulsam, tum debet vniuersæ vitæ suæ rationem examinare, & quod in se parum rectum cognouerit, corrigere, se ad probitatem quam maxime accommodare, seq, dignum præbere, qui cæteris hominibus imperet: quippe cum nullum imperium sit vel fœlix vel diuturnum, vbi impuri viris bonis; stulti, sapientibus, imperiti peritissimis, in rebus administrandis dominantur. Alij crediderunt Sisyphi saxum studium esse mortalium, atq; collem illum siue montem esse vniuersum huiusce vitæ cursum: verticem ad quem Sisyphus nitebatur saxum aduoluere, esse tranquillitatem & animi quietem inferos esse homines, Sisyphum animam. nam cum anima iuxta sententiam Pythagoricorum è cælo diuinitus in hæc corpora missa fuerit, quæ omnium diuinorum arcanorum fuit conscia nititur omnibus viribus ad fœlicitatem, vitæq; tranquillitatẽ peruenire, quam alij in cumulandis opibus, alij in honoribus & magistratibus, alij in gloria & celebritate rerum gestarum esse arbitrantur, alij in scientiarum cognitione, alii in eximia corporis forma, aut sanitate, aut nobilitate, aut in rebus huiusmodi: qui cum rę optata potiti sunt, rursus in imum relabuntur, & qui ante in diuitiis comparandis erat anxius, nunc est in acquirendis honoribus, nunc in recuperanda valetudine solicitus, atque ita semper in aliquam relabitur perturbationem, neq; ad summam tranquillitatem potest vnquam peruenire. Sisyphus igitur à Ioue ad infernos detrusus non insulse dictus fuit saxum frustra ad montis verticem aduoluere, cum quod ad summum peruenisse videbatur, tum rursus deuoluebatur in planitiem. Alii rem ad historiam traducunt, dicentes Sisyphum fuisse Teucri scribam, qui ante Homerum Troiana bella scripserit, à quo cæperit Homerus Iliada, qui cum arcana patefecisset quædam Troianis, graue supplicium subiuit.

## *De Tantalo.* CAP. XVIII.

TANTALVS etiam, quem apud inferos torqueri modo timore impendentis saxi, modo rerum victui necessariarum penuria dixerũt, impurus, & acceptorũ beneficiorum imme-

immemor fuit. Hunc Eusebius Iouis & nymphæ Ploræ filium narrauit in secundo Euangelicæ præparationis, cum tamẽ Ioannes Diaconus & Didymus Iouis & Plutus Nymphæ filium fuisse arbitrentur: quem Zezes hist. 10. chil. 5. Pluto quidem matre genitum, at patre Imolo Lydiæ rege scribit. Lucianus in dialogo de Dipsadibus, Æthonis filium illum fuisse censuit, vt testantur hæc carmina:

τοῖα παθὼν τ' εἴμαι καὶ Τάνταλος Αἴθονος υἱὸν
μηδαμὰ κοιμήσαι δίψαλέην ἰδύνην.

*Tal a ferrepuo quoque Tantalon Æthone natum,*
*Qui nullo potuit fonte leuare sitim.*

Fuerunt qui dixerint Deos aliquando in hospitium ab hoc fuisse acceptos, qui cum lautum conuiuium illis parasset, Pelopem filium cæsum inter cæteras epulas apposuit; vt alij arbitrantur, quod illum immolaret ad epularum magnificentiam, cum omnium rerum vel clarissimum filium illis obtulisset, id cum Dij cæteri cognouissent, ab ijs epulis abstinuerunt, præter vnam Cererem, quæ ob raptæ filiæ dolorem pene desipiens inconsulto humerum edit. tum dij reliqui eius filij miserti, eum rursus iecerunt in lebetem ac recoctum vitæ restituerunt, vt scripsit Pindarus in Olympicis in Hierone Syracusio his verbis:

ἐπεί νιν καθαροῦ λέβητος ἐξεῖλε
Κλωθὼ ἐλέφαντι φαίδιμον
ὦμον κεκαδμένον.
*Cum ipsum è puro lebete exemit*
*Clotho elephantino splendidum*
*Humero decoratum.*

Nam & Lycophron bis pubescentem appellauit Pelopem, quia iunior restitutus à diis fuit, quam erat prius, vt patet ex his:

ὃν δὴ δὶς ἡβήσαντα καὶ βαρὺν πόθον
φυγόντα Ναυμέδοντος ἀρπακτηρίου.
*Accessit huic pubes decora bis, grauem*
*Cupidinem vitauit is Neptuniam.*

Cum vero illi deesset humerus, quem comederat Ceres, Dei eburneum fecisse dicuntur: qui humerus omniũ postea Pelopidarum signum fuit, vt Spartis pilum, sicut testatur Isacius. verum quia Deorum epulas per humanam cædem Tantalus contaminasset, violassetque ius hospitij, cum

experiendorum Deorum causa filium mactasset, vt alij maluerunt, perpetuo epularum desiderio ad inferos detrusus addictus est, qui tamen præsentes lautissimo, regioque apparatu semper habet epulas, neque vllo pacto illas potest attingere, quamuis insatiabili fame excruciatetur. Huic impedimento quidam putarunt esse Furias, quo minus illas attingeret, vt ait Virg. lib. 6.

*lucent genialibus altis*
*Aurea fulcra thoris, epulæq; ante ora paratæ*
*Regifico luxu: Furiarum maxima iuxta*
*Accubat, & manibus prohibet contingere mensas,*
*Exsurgitq; facem attollens atq; intonat ore.*

At Homerus lib. λ. Odyss. non à Furiis terreri ait Tantalum apud inferos, sed perpetua siti vexari, & in aqua esse perpetuo, quæ vsque ad mentum assurgit: sed quoties labris attingere conatur, illa statim refugit: quod ipsum faciunt varia fructuum genera, quorum desiderio semper discruciatur, vt est in his:

καὶ μὴν Τάνταλον εἰσεῖδον χαλέπ' ἄλγε' ἔχοντα,
ἑσταότ' ἐν λίμνῃ· ἡ δὲ προσέπλαζε γενείῳ.
στεῦτο δὲ διψάων, πιέειν δ' οὐκ εἶχεν ἑλέσθαι,
ὁσσάκι γὰρ κύψει' ὁ γέρων πιέειν μενεαίνων,
τοσσάχ' ὕδωρ ἀπολέσκετ' ἀναβροχέν· ἀμφὶ δὲ ποσσὶ
γαῖα μέλαινα φάνεσκε. καταζήνασκε δὲ δαίμων.
δένδρεα δ' ὑψιπέτηλα κατὰ κρῆθεν χέε καρπόν,
ὄγχναι καὶ ῥοιαὶ καὶ μηλέαι ἀγλαόκαρποι,
συκαῖ τε γλυκεραὶ, καὶ ἐλαῖαι τηλεθόωσαι.
τῶν ὁπότ' ἰθύσει' ὁ γέρων ἐπὶ χερσὶ μάσασθαι,
τὰς δ' ἄνεμος ῥίπτασκε ποτὶ νέφεα σκιόεντα.

*Tantalon hic vidi duros perferre labores.*
*Namque erat in stagno mentum tangente sitisque*
*Assidue vrgebat potandi at nulla facultas.*
*Nam quoties in aquam deflectit labra, refugit*
*Vnda leuis toties absorpta, ac terra videtur*
*Sed pedibus: rursusq; leuem Deus euocat vndam.*
*Hic sunt arbores fœtus: præstantia mala*
*Punica, sunt oleæ, sunt ficus, pomaque forma*
*Insigni: senis allectant quæ cuncta palatum.*
*Sed quoties manibus tentat decerpere fructus,*
*Protinus hos ventus celeres, in nubila portat.*

Alij,

Alij putarunt lapidem illius capiti imminere, qui quoties bibere conaretur, toties illius caput percuteret: atq; saxum Tantali supplicium ita esse scripsit Cic. lib 4. Tusc. disput. cū miseriæ, ægritudini scilicet, proximus est is, qui appropinquans aliquod malum metuit, exanimatusque pendet animi: quam vim significantes mali, poetæ impendere apud inferos saxum Tantalo faciunt ob scelera, animique impotentiam, & superbiloquentiam Euripides in Oreste nullo in loco ob timorem posse Tantalum consistere scribit, cum saxum illi perpetuo immineat. quam pœnam illum pati inquit ob immoderatam linguæ petulantiam & dicacitatem, vt est in his:

> οὐκ ἔστιν οὐδὲν δεινὸν (ὧδ᾽ εἰπεῖν ἔπος)
> οὐδὲ πάθος, οὐδὲ ξυμφορὰ θεήλατος,
> ἧς οὐκ ἂν ἄραιτ᾽ ἄχθος ἀνθρώπου φύσις.
> ὁ γὰρ μακάριος (κ᾽ οὐκ ὀνειδίζω τύχας)
> Διὸς πεφυκὼς (ὡς λέγουσι) Τάνταλος,
> κορυφῆς ὑπερτέλλοντα δειμαίνων πέτρον,
> ἀέρι ποτᾶται, καὶ τίνει ταύτην δίκην·
> ὡς μὲν λέγουσιν, ὅτι θεοῖς ἄνθρωπος ὤν,
> κοινῆς τραπέζης ἀξίωμ᾽ ἔχων ἴσον,
> ἀκόλαστον ἔσχε γλῶσσαν, αἰσχίστην νόσον.
>
> *Nil tam graue est laboriosum tam nihil,*
> *Ærumna nulla, vel Dei ira incommodum,*
> *Quod non virum natura mox susceperit.*
> *Olim beatus ille (nec fortunam ei*
> *Obijcio) natus (vt ferunt) Ioue Tantalus,*
> *Saxum timens sibi imminet quod vertici.*
> *Pœnam hanc luit, quod peruoluat per aera.*
> *Causa est, vti ferunt, quod is vir cum foret,*
> *Mensa Deorumq; assideret, improba*
> *Lingua fuit vsus quod viro turpissimum est.*

Tibullus autem in lib. 1. videtur id tantum datum fuisse Tantalo supplicium existimasse, quod esset in aqua, perpetuaque siti cruciaretur, vt patet in his:

> *Tantalus est illic, & circum stagna, sed acrem*
> *Iam iam poturo deserit vnda sitim.*

Atque Ouid. illud supplicium Tantalo irrogatum inquit ob loquacitatem, quia secreta Deorum mortalibus diuulgauerit, vt patet in his:

*Quærit aquas in aquis, & poma fugacia captat*
*Tantalus, hoc illi garrula lingua dedit.*

Alij ob raptam ab Ioue Æginam Asopo patri indicatā eam pœnam subiisse Tantalum fabulantur, quod alij Sisypho tribuerunt. Verum Corn. Gallus poeta præstantissimus luculentis carminibus rem totam complexus fuit, quod ob immoderatam linguæ licentiam scilicet Tantalus ad inferos fuit detrusus, quod ibi perpetua fame ac siti premebatur, quod lingua est intra certos clathros viro prudenti coercenda; quæ si tacenda patefecerit, perpetuas calamitates loquacibus parit in posterum sic enim inquit:

οὗτος ὁ πρὶν μακάρεσσι συνέστιος, οὗτος ὁ νηδὺν
πολλάκι νεκταρέου πλησάμενος πόματος,
νῦν λιβάδος θνητῆς ἱμείρεται· ἡ φθονερὴ δὲ
κρᾶσις, ἀεὶ χείλευς ἐστὶ ταπεινοτέρη.
Πῖνε λέγει τὸ τόρευμα, καὶ ὄργια μάνθανε σιγῆς,
οἱ γλώσσῃ προπετεῖς ταῦτα κολαζόμεθα.

*Qui satur ante fuit fœlix conuiua Deorum*
*Nectare, quæ superis pocula nota Deis:*
*Nunc cupit humanas epulas: sed semper ab ore*
*Vnda fugit, mediis stat sitibundus aquis.*
*Vnda, bibe, affatur, ac discito iura silenti,*
*Conuenit ista pati lingua proterua quibus.*

Alij, inter quos fuit Zezes, Didymusque; putarunt hanc pœnam irrogatam Tantalo, quia nectar & ambrosiam suis æqualibus impertiuerit; vt ait Pindarus in his carminibus:

μετὰ τριῶν τέταρτον
πόνον, ἀθανάτων ὅτι κλέψαις
ἁλίκεσσι συμπόταις
νέκταρ ἀμβροσίαν τε δῶκεν.

*Post tres quartum*
*Laborem, immortalium quod furatus*
*Coætaneis conuiuis*
*Nectar ambrosiamque dedit.*

Hic filium habuit Broteam, Pelopem, atque Nioben. Bascylum, quod vxorem habuit Anthemoisiam Lyci filiam & de fabulosis quidem hactenus.

¶ Tantalum Iouis & Plutus filium quidam dixerunt, alij Plotæ nymphæ, alij Æthonis, non ea quidem de causa, sicuti putarunt quidam; quia plures, fuerint Tantali: sed quia

quia alii alia ratione fabulam eandem interpretantur, cum omnes tamen ad vnum atque eundem finem tendant. nam cur Iouis est filius? quia Tantalus vir rerum diuinarum atq; naturalium peritissimus fuisse creditus est, quæ cognitio non contingit cuiuis, vt senserunt Pythagorici, sed illis tantum quorũ animæ è Iouis sphæra præcipuè in hæc corpora euocatæ fuissent, aut qui Iouem haberent in suo horoscopo dominantem, cuius vis vt opulentiam, ita sapientiam subministrat in natiuitatibus. Verum cum illa æthera superna regio ignea credita sit ab Anaxagora & Empedocle, non fuit absurdum Tantalum Æthonis filium existimari, ardentis scilicet & igniti ætheris. Hic accepisse Deos in conuiuium dicitur, atque Pelopem illis epulandum apposuisse, cuius Ceres humerum comedit: quod quid aliud significat, quam perpetuas calamitates, quæ ferendæ sunt hominibus bonis atq; sapientibus, dum rebus diuinis sunt intenti; nam vel filii, vel charissima sunt relinquenda, vt diuina sectemur. Est enim rerũ humanarum fœlicitas ad sceleratos multo magis, quam ad viros bonos propensa: nam cui multa occurrunt difficilia, ille vel Dei est existimandus amicus, si æquo animo ferat, vel certe breui futurus est. qui per hæc incõmoda virorum bonorum constantiam & animi magnitudinẽ exercet. Hic cum ditissimus esset, adeo rerum diuinarũ cognitioni fuit intentus, vt diuitiis posthabitis omnes voluptates corporis cõtempserit: quare dictus fuit à nõnullis in maxima omnium voluptatũ copia ab imminente saxo deterritus, quo minus illis perfrueretur. Hic nectar & ambrosiam hominib. impertiuit, quia fuit rerum cœlestium suauissimæ atq; subtilissimæ cognitionis inuentor: nam nullum nectar iucundus est quam Dei cognitio. Quod erat igitur saxum illius ceruici assidue imminens? assiduus labor & studium quod rebus cognoscendis tribuitur, quæ animi cura cum nos reuocet à voluptatibus corporis, dicta est à stultis vna Furiarum, eaq; maxima ab epulis præsentibus deterrere: abundabat enim voluptatum copia ob diuitias, at non fruebatur ob animi solicitudinem.

Alii tamen vt auaros ad liberalitatem reuocandos hanc fabulam detorquent, qui dicunt opulentos Iouis filios dici propter diuitias: eosdemque condemnatos perpetuæ sitis, quia nulla sit vel in maxima copia diuitiarũ satietas: quip-

pecum illarum desiderium cum copia crescat. quare ita inquit Horatius de quodam auaro in 1 Sermonum:

*Tantalus à labris sitiens fugientia captat*
*Flumina: quid rides? mutato nomine de te*
*Fabula narratur.*

At Cic. vt putauit ex superius recitatis, curas & timores inanes videtur parasse è mentib. hominum per hanc fabulam expellendos, quod etiam sensit Lucret. in his carminibus:

*Nec miser impendens magnum timet aere saxum*
*Tantalus (vt perhibent) cassa formidine torpens:*
*Sed magis in vita Diuum metus vrget inanis*
*Mortales, casumq́; timent, quem cuiq; ferat sors.*

Et profecto nullus timor viro sapienti conuenit, nisi offendendæ diuinæ bonitatis, cum potius per Reuerentiã, ac beneuolentiam Deus vt pater & bonorum omnium autor sit colendus, quam timendus vt horribilis & ferox. Alii putarunt linguæ procacitate nos admoneri per hanc fabulam esse cohibendam, alii ad reuocandos ab omni improbitate & crudelitate homines, cùm scelerum omnium grauissimus denique vindex sit Deus. Alii crediderunt significari per hanc fabulam profanis & impuris hominibus religionis arcana non esse detegenda: quoniam apud profanum vulgus eadem est harum rerum, quæ etiam ciborum ratio: qui alios pro valetudine ac viribus stomachi nutriunt, alios interimunt, aut impellunt in grauiorem morbum. Nã vt quisque est vir bonus, ita in bonam partem rerum sacrarum cognitionem accipit nunc de Tityo dicatur.

## *De Tityo.* CAP. XIX.

TItius quoque propter improbitatem, temerariamque libidinem, nõ leue supplicium apud inferos pati dictus est. Hic fuit Iouis & Elaræ Orchemeni filius, vt scripsit Apol. lib. 1. & Apollod. lib. 1. Bibliothecæ. Fabulantur Latona ab hoc de stupro interpellatam fuisse, quare sagittis dicitur ab Apolline fuisse cæsus. vt in his testatur Apollonius Rhodius:

*ἐν καὶ Ἀπόλλων Φοῖβος ὀιστεύων ἐτέτυκτο*
*βούπαις, οὔπω πολλὸς, ἑὴν ἐρύοντα καλύπτρης*
*μητέρα θαρσαλέως Τιτυὸν μέγαν, ὅν ῥ' ἔτεκέν γε*
*δῖ' Ἐλάρη, θρέψεν δὲ καὶ ἂψ ἐλοχεύσατο Γαῖα.*
*Hic inerat Phœbus puer, ac petit ille sagittis*

*Ingentem Tityum matri v m f.r e p.ran em.*
*H:c Phœb secarus eam i.m ceperat, illum*
*Diua Elarep perit, T lle nutriuit alumnum.*

At Euphorionis fuit opinio quod Tityus non Latonæ, sed Dianæ vim inferre conatus fuit. Scripsit prætere: Pherecydes, quod Iupiter Elaram Orchomeni filiam compressit, q cũ Iunonis zelotypiam formidaret, illã prægnantem intra terram occultauit, vnde natus est Tityus, cum matre mortua terra illum nutriuit, quare dictus fuit terræ alumnus. Callimachus in lauacrum Dianæ non ab Apolline, sed à Diana confossum Tityum fuisse ostendit, cum inquiat:

*Α῎ρτεμι παρθενίη τιτυοκτόνε.*
*O virgo Tityi domitrix Diana.*

At Pauf. in Laconicis scriptum reliquit in quodam templo positas fuisse Apollinis & Dianæ imagines a quibus vtrisq; Tityus sagittis conficeretur Hæc autem ad Panopeum Lebadiæ locum omnia contigisse dicuntur, vt ait Strabo lib. 9. Pausan. in Phocensibus sepultum in agro Panopensi fuisse Tityum scribit iuxta quendam torrentem, cuius sepulchrum ad trientem, vnius stadii accedebat. Hunc post eam cladem ab Apolline & Diana acceptam deiectum fuisse ad inferos memorant, atque ibi prostratum & ligatum fuisse vt se mouere nullo pacto posset, fuisseque magnitudinis admirabilis, quippe cum iugera nouem terræ eius corpus vastum cooperiret, vt testatur Tibullus in his:

*Porrectusq; nouem Tityus per iugera terræ*
*Assiduas atro viscere pascit aues.*

Hunc à duobus vulturibus assidue laniari, eiusq; iecur comedi finxerunt: quod vbi semel fuerit absumptum, tum denuo reuiuiscit, ne immortalis pœnæ argumentum ac fundamentum deficiat, vt ait Homerus libro. λ. Odyssæ:

*καὶ Τιτυὸν εἶδον Γαίης ἐρικυδέος υἱὸν*
*κείμενον ἐν δαπέδῳ· ὁ δ᾽ ἐπ᾽ ἐννέα κεῖτο πέλεθρα.*
*γῦπε δέ μιν ἑκάτερθε παρημένω ἧπαρ ἔκειρον,*
*δέρτρον ἔσω δύνοντες· ὁ δ᾽ οὐκ ἀπαμύνετο χερσί.*
*Hic Tityum vidi terra omnipare tu alumnum*
*Prostra um: iret et ille nouem nam iugera terræ,*
*Huncatq; hinc vultur iecur immortale vorabat*
*Omentum ingressus: manibus non ille repellit.*

Virgilius tamen libro sexto vnum tantum vulturem Tityo

attribuit, at non vt Homerus alterum vtrinque qui iecur illius rostro laceraret, cum ita rem totam luculenta oratione exprimat:

*Necnon & Tityum terræ omniparentis alumnum*
*Cernere erat, per tota nouem cui iugera corpus*
*Porrigitur, rostroque immanis vultur adunco*
*Immortale iecur tondens, fœcundaque pœnis*
*Viscera, rimaturque epulis: habitatque sub alto*
*Pectore: nec fibris requies datur vlla renatis.*

Hæc ea sunt quæ de Tityo ab antiquis scriptoribus memoriæ prodita sunt: ex his veritas nunc est exprimenda.

¶ Strabo lib. 9. fabulam hanc ad historiam transtulit, dicitque quo tempore Apollo dictus est è cœlo in terras aduentasse, ac homines mansuefecisse, qui prius arborum syluestrium fructibus tantum vescebantur, Tityum tyrannum Panopeæ crudelissimum, hominem fuisse violentum, atq; prorsus flagitiosum, quem Apollo sagittis confecit: vt interemit postea Pythonem. Deinde vt eius exemplo cæteri scelerati ab omni turpitudine & crudelitate deterrerentur, dictus fuit Tityus ea pœna apud inferos crudelissime torqueri. Lucret lib 3. ad rei Venereæ cupiditatem, animiq; sollicitudines hanc fabulam retorsit, cũ dicat fieri non posse omnino multa, quæ traduntur de inferis, neque Tityum, si par iecur vniuerso terrarum orbi habuisset, perpetuum dolorem ita pati potuisse, sed per hæc animi curas antiquos significare voluisse, vt ab iis retrahamur. ita enim inquit:

*Sed Tityus nobis hic est in amore iacentes*
*Quem volucres lacerant, atq; exest anxius angor:*
*Aut alia quauis scindunt torpedine curæ.*

Alii crediderunt tantum fuisse creditum Tityum, quia significare voluerunt antiqui nullas vires esse tantas, quantas vis iustitiæ castigare aut opprimere non possit, cũ quid vel à potentissimis & fortissimis hominibus iniquum cõmittitur. Neque enim vllus est tantus armatorum numerus, nullæ tam vigiles custodiæ, nulla tam firma præsidia, nulla coniuratio, si æquitate careat, quam Deus vel per imbecillos homines deprimere & profligare non facile possit. Alii tamen vultures illos Tityi præteritorum scelerum recordationes esse censuerunt, quæ animum assidue vellicant peccantium, eumque torquent, quippe cum vindictã

Dei

Dei & animaduersionem omnis improbitas quasi præsagiat, quæ paulatim scelera per vestigia consequitur. Vt igitur ad æquitatem mortales adhortarentur, eosque deterrerent ab omni impietate & crudelitate, ne aduersus Deum vel homines quispiam improbus esse impune auderet, hæc ab antiquis memoriæ sunt prodita. Illæ omnium fabularū præstantissimæ sane sunt iudicandæ, quæ in plures corrigendorum morum vias diduci possunt, neque simplicem habent explicationem, atqui non solum morum rationem corrigendorum sub his ego latere censeo, sed etiam rerum naturalium quandam explicationem. Est igitur Tityus calamus segetum intelligendus, quippe quem πιτυρον vocāt: verum cum litera detracta sit, visum est hominis nomen, cum quid significaret, nesciretur. Hic Tityus Elaræ Orchomeni, & Iouis fuit filius. Quid ita? quoniam cum Orchomenus fluuius sit Thessaliæ, cuius filia est Elara Nympha, lacteus humor in seminibus scilicet: quoniam sine fluuialibus Nymphis calamus segetum non posset nasci, cum sit humor generationis in rebus omnibus principium. Quid Iupiter sit, iam sæpius dictum est. Hanc Nympham Iupiter compressit, quoniam certis temporibus genitalem temperiem atque humorem semina ex aëre concipiunt, qua ad ortum excitantur; quod manifestum est in quibusdam seminibus, quæ non, nisi ad certum tempus, virginitatem seruare possunt: quo spacio transacto vel nascantur necesse est, vel humor ille genitalis, qui semina conseruat, excitatus paulatim exhalat, donec ex anima illa semina relicta penitus putrescant. cum eo tempore prægnans sit semen, ex Ioueq; concipiat, sub terram demittitur, ne Iuno asperius in ipsum sæuiat: nam vetus frumentum ob aëris iniurias non ita commodum est sementibus. Erumpit postea ex ipsa terra non semen quidem, quod iam putrefactum est, cum intra terram moriatur: sed calamus, quia Tityus est. hic ab ipsa terra educatur, quare vocatus est terrę alumnus. Hic insurgit in cœlum, & tanquam in Latonam impetum facturus sagittis Apollinis & Dianæ conficitur ac prosternitur. Nihil hoc aliud significat, quam calamum, vbi ad iustam longitudinem excreuerit, mox Solis & Lunæ opera ad maturitatem perduci, ita vt denique à messoribus prosternatur. Nam neque Luna Sola ad maturitatem perdu-

ceret, quia opus est calore:neq; id solus Sol efficeret, quia solus calor exsiccaret, nisi humoris temperamentum adiuuaret. Inde fertur Tityi ita cæsi iecur à vulturibus comedi, quoniam inutiles sint pani conficiendo exteriores frumẽti cortices,idq; quod est interius totum ad vsum panis conferat. Distenditur autem non in nouem, sed in multa terræ iugera,quæ omnia frugibus operiuntur. Hæc igitur fabula totam serendi, metendique tritici, & panis conficiendi rationem continet, quippe cum ita semper Tityi iecur renascatur, & immortale sit: quod significat annuam agricolarum diligentiam.At nunc de Titanibus dicamus.

## *De Titanibus.* CAP. XX.

TItanes,qui bellum aduersus Iouem ceperunt, crebrisq; fulminibus detrusi sunt ad inferos, Terræ & Cœli fuisse dicuntur, vt scriptum est ab Æschylo in Prometheo his carminibus:

*ἐνταῦθ' ἐγὼ τὰ λῷστα βουλεύων πιθεῖν*
*Τιτᾶνας, Οὐρανοῦ τε καὶ Χθονὸς τέκνα,*
*οὐκ ἠδυνήθην.*
*Titanibus nam consulebam ego optime,*
*Parere, Cœli Terræ & almæ filiis.*

Quod scripsit etiam Orpheus in hymnis:

*Τιτῆνες Γαίης τε καὶ Οὐρανοῦ ἀγλαὰ τέκνα.*
*Titanes Cœli ac Terræ clarissima proles.*

Hi Titanes bellum aduersus Iouem ea de causa susceperũt, quia(vt dictum est in Ioue) ante Saturnum Ophio & Eurynome filia Oceani, qui Titanes vocati fuerunt, Diis imperabant. At Saturnus Ophione postea debellato, cum Rhea palæstra Eurynomen vicisset, illis imperium extorsit. Alii tamen Titanum Saturni fratrem dixerunt, ad quem, cum maior esset natu Saturno, iure hæreditario imperium pertinebat: sed tamen matre ac sororibus precantibus impetrauit à fratre Saturnus vt ipse imperaret, qui etiam imperauit Titanibus,vt ait Apollonius lib 2. Argonaut.

*ἔνθα καὶ Οὐρανίδης Φιλύρῃ Κρόνος, εὖτ' ἐν Ὀλύμπῳ*
*Τιτήνων ἤνασσεν,*
——— *Imperio regeret Titanas vt olim*
*Hic etiam Philyre in magno Saturnus Olympo.*

Ea tamen lege vt filios, si qui mares de se nascerentur, occideret:

deret: ne ad illos post Saturnum imperium deferretur, sed rediret ad Titanum. Cum Iupiter clam contra fœdus educatus fuisset, regnumq; paternũ occupasset, Titanus ac illius filii arma sumpsere, bellumque Ioui tanquã illegitime, & contra patrium iusiurandum imperanti, bellum intulerunt. Verum cum Iupiter fuisset à Themide monitus, vt pelle Amaltheæ capræ pro integumento vteretur, quod illa futura esset iis formidabilis, Titanas bello vicit. quare cum pro euentu bellorum iustæ caussæ putentur pugnãdi, omnibus gloriosa Iouis victoria credita est. Sed antequam Iupiter bellum aduersus Titanes adoriretur, omnes Deos iurare super ara coegit, quod sibi fidem in ferendo auxilio seruarent: quare Ara illa postea fuit inter sidera collocata, vt ait in his Arati interpres de sententia Eratosthenis: Ἐρατοσθένης δέ φησι, τοῦτο τὸ θυτήριον εἶναι· ἐφ' ᾧ τὸ πρῶτον οἱ θεοὶ συνωμοσίαν ἐποιήσαντο, ὅτε ἐπὶ τοὺς Τιτᾶνας ἐστράτευσεν ὁ Ζεὺς, Κυκλώπων κατασκευασάντων: *inquit autem Eratosthenes hanc Aram illam esse super qua primum Dei iurarunt, cum Iupiter bellum aduersus Titanas suscepit, à Cyclopibus extructa.* Dicuntur fuisse inter cæteros Titanes Prometheus, Crius, Pallas, Anytus, & Centimanus Ægæon, qui Briareus etiam vocabatur; & Gyges, qui fuit Ponti ac Terræ filius creditus quem tamen non aduersus Iouem bellum suscepisse scripsit Ion in Dithyrambis, sed ad custodiam Iouis fuisse è mari à Thetide euocatum. Alii Gigantem fuisse, at non Titanem putarunt, qui belli aduersus Iouem particeps fuerit, sed postea per id bellum ex Eubœa in Phrygiam fugerit, vbi demum interiit, vt scripsit Tarthæus. Bellum id à Titanib. aduersus Deos gestum scriptum fuerat ab Eumelo antiquo poeta heroicis elegantissimis carminibus. Fama est Titanas omnium mortalium primos metendi artem à Cerere fuisse doctos, sicuti scripsit lib. 4. Apollon. in his:

*Δηὼ γὰρ κείνῃ ἐνί δή ποτε νάσσατο γαίῃ·*
*Τιτῆνας δ' ἔδαεν στάχυν ὄμπνιον ἀμήσασθαι.*
*Namq; Ceres quondam terris habitauit in illis:*
*Titanas docuit pingues succidere aristas.*

Cum hi aduersus Iouem pugnantes vulnerati fuissent, dicuntur ex illorum sanguine, qui in terram defluxit, varia viperarum genera, lætiferorumque serpentum esse exorta, vt testatur Nicander in Theriacis hoc pacto:

ἀλλ' ἤτοι κακοεργὰ φαλάγγια σὺν καὶ ἀνιγροὺς
ἑρπηστὰς, ἔχιάς τε, καὶ ἄχθεα μυρία γαίης,
Τιτήνων ἐνέπουσιν ἀφ' αἵματος.

*Serpentes, pariterq; phalangia noxia, & atrum*
*Vipereum genus, & quæ terra plurima monstra*
*Producunt, sunt Titanum de sanguine nata.*

Postea vero quam Titanes victi fuerunt, ludi Olympici dicti sunt in honorem Iouis ad perpetuam eius victoriæ memoriam instituti ab Hercule Idæo: in quibus præter cæteros Apollo Mercuriũ cursu superauit, ac Mars vicit pugillatu: atque inde seruatum fuit vt tibiarum moduli salientibus quinquertionibus accinerentur, quod genus id carminis sacratum esset Apollini, qui primus Olympicas palmas tulisset. Hæc pauca occurrebant, quæ de Titanibus in præsenti commemorarem. At nunc veritatem ex his eliciamus. Ægyptii memoriæ prodiderunt Titanas Cœli filios fuisse quadraginta & quinque, quos ille è variis mulieribus susceperit; atque decem & septem ex his è Titæa, qui cum singuli proprium nomen haberent, omnes tamen dicti sunt à matre Titanes. mater cum prudens & benefica fuisset, diuinos honores est sortita, & post mortem terra vocata; quæ cum filias multas habuisset, maiorem natu Rheam & reginam vocarunt Hęc fratres educauit, & cum regni successores optarentur, data est in matrimonium vni ex fratribus Hyperioni, de quo duo filii sunt suscepti mas & fœmina scilicet, atque hunc ob pulchritudinem Solem, illam Lunam appellarunt. Alii fratres veriti regnum non amplius ad se esse peruenturum, facinus sceleris plenum excogitant Hyperionem iugulare, Solemque paruulum adhuc in Erydano fluuio suffocare: quod consilium vbi è sententia contigisset, Luna præ mœrore se de tecto præcipitauit. Mater cum illam crudelitatem ægerrime ferret, dicitur monita fuisse per somnum à filio non esse lugendum, quia Titanes aptam Deorum castigationem assequerentur oportune, atque se & sororem in immortalia corpora per diuinam clementiam fuisse conuersos, cũ ipse Sol sacer ignis vocandus sit Sol in cœlo, at soror Luna: quod etiã paulo post accidit, vt ait Diodorus Siculus in tertio historiarum. Pausanias in Corinthiacis Titanem astronomiæ peritum fuisse scribit, quare frater Solis dictus fuit, quod in obseruandis anni tempo-

temporibus, negociorumq; omnium oportunitatibus fuit diligentissimus. Primus enim ex annuo Solis cursu cognouit quibus temporibus quæ stirpes, aut quæ semina terræ sint committenda: quos fructus Sol facile augeret ac concoqueret. Hanc rerum & astronomicarum & agendorum negociorum rationem atque cognitionem cum mortalibus perhumaniter impertiuisset, dictus est & ipse, & eius filij cœlum affectasse, Iouemque de regno deiicere voluisse, idque sibi & suis filijs subiicere. tum Iupiter fulmen accepisse dictus est, & in illos contorsisse. Quid aliud vero sunt fulmina, quam immissus à diuina bonitate ardentissimus ignis, siue scientiæ rerum cœlestium desiderium, cum cœlestia scire cupientes diuina bonitas ad se rapiat? neque enim sine ope diuina, vel sine vi siderum, ad cœlestium cognitionem accendimur aut peruenimus. Est siquidem vis ignea sanguinis ijs qui ad harum rerum cognitionem se erigunt: quippe cum Musas animas sphærarum cœlestium arbitrentur, vt significauit Virgilius libro secundo Georgicorum:

*Me vero primum dulces ante omnia Musæ,*
*Quarum sacra fero ingenti perculsus amore,*
*Accipiant, cœliq; vias & sydera monstrent.*

At quibus frigidioris sanguinis natura extiterit, illi ad voluptates potius incitati sunt & propensi, quam ad vllas disciplinas; quod paulo post innuit idem poeta in his:

*Sin, has ne possim naturæ accedere partes,*
*Frigidus obstiterit circum præcordia sanguis*
*Rura mihi & rigui placeant in vallibus amnes.*

Hunc sanguinis calorem, totiusq; corporis temperamentum tanquam stimulum habemus ad res singulas, contra quem si quid conamur, vel frustrà, vel non sine summa difficultate nitimur. Alij Saturnum esse Titanem crediderunt siue tempus, vt scripsit Orpheus in hymno in Sat.

*ποικιλόβουλ', ἀμίαντε, μεγασθενὲς, ἄλκιμε Τιτάν.*
*Consilio pollens, pure, ac fortissime Titan.*

Nam cum omnia ex tempore nasci videantur, tanquã mortalem facultatem superatura, tum hæc cœli calore paulatim victa intercidunt, ceduntque diuinis illis sempiternis corporibus, quibus velle repugnare, seq; æquare videbantur. Decidunt igitur res humanæ ictæ fulmine, quia vt ge-

nerationis ita corruptionis artifex est calor. Quare per hãc fabulam significarunt antiqui res humanas, quæ temporibus quibusque nascerentur, ac tempus ipsum. quasi illarum fratrem diuinis corporibus cedere: quorum caloris vicissitudine omnia ad interitum & ad ortum properarent: quippe quæ vbi ob imbecillitatem tandem ignem exhalarint, in cætera elementa, ex quibus composita fuerant, soluantur. Has igitur res humanas quidam Titanes, diuinas vero virtutes, Iouem, & Herculem, & variis Deorum nominibus appellarunt. cum vero tempus è cœlo natum sit, & ex annuo Solis cursu, resq; in eo agantur & per id nascãtur, quæ generationi sunt subiectæ, idcirco Titanas esse apud inferos, & eosdem patres hominum, ac Deorum dixerunt, vt testatur Homerus in hymno in Apollinem:

*κέκλυτε νῦν μοι Γαῖα, καὶ Οὐρανὸς εὐρὺς ὕπερθεν,*
*Τιτῆνές τε θεοὶ, τοὶ ὑπὸ χθονὶ ναιετάοντες,*
*τάρταρον ἀμφὶ μέγαν, τῶν ἐξ ἄνδρες τε θεοί τε,*
*Audi nunc Tellus, & quod tegis omnia cœlum,*
*Titanesq; Dei colitis tellure sub alta*
*Tartara qui tenebrosa: viri sunt vnde, Deique.*

Atque Orpheus in hymno in Titanes illos omniũ animalium fontem appellat, quæ vbique habitant, vt est in his:

*Τιτῆνες Γαίης τε καὶ Οὐρανοῦ ἀγλαὰ τέκνα*
*ἡμετέρων πρόγονοι πατέρων, γαίης ὑπένερθεν*
*οἴκοις ταρταρέοισι μυχῷ χθονὸς ἐνναίοντες·*
*ἀρχαὶ καὶ πηγαὶ πάντων θνητῶν πολυμόχθων,*
*εἰναλίων, πτηνῶν τε, καὶ οἳ χθόνα ναιετάουσιν.*
*ἐξ ὑμέων γὰρ πᾶσα πέλει γενεὰ κατὰ κόσμον.*
*Titanes cœli ac terræ clarissima proles,*
*Nostrorum proaui patrum, tellure sub alta*
*Tartara qui colitis nigrantia; fons & origo*
*Cunctorum pariter mortalibus optima rebus,*
*Quæ mare, quæ terras habitant quæq; ætheris oras.*
*Namq; viget per vos apte natura animantum.*

Alij Titanem Solem esse crediderunt, cuius vxor esset terra: quoniam ex his omnia euidentius nascantur. Quidam elementorum mutationes per hanc fabulam explicasse antiquos crediderunt, ac Titanes vocarunt illa elementa, quę terrestre quiddam & crassum intra se continerent, quæ vi corporum superiorum inferius assidue detrudantur. Nam

vapores semper sursum vi solis attrahuntur, qui vbi ad superiora peruenirent, virtute diuinorum corporum vel soluuntur in purissima elementa, vel repelluntur inferius, quę dimicatio est sempiterna. hanc vero per fabulam Titanum antiqui sapientes illa ipsa significabant. atq; hæc ad physicam rationem. Quod vero nemo impune aduersus Deorũ religionem sit temerarius, iam sæpius explicatum est: quare ethicam explicationem in hac fabula non inuestigabo. at nunc dicatur de Gigantibus.

## *De Gigantibus.* CAP. XXI.

DICVNTVR Gigantes è Terra, Cœlique sanguine nati fuisse, quo tempore Saturnus pudenda patris abscidit, vt ait Hesiodus in Theogonia his versibus:

*ὅσαι γὰρ ῥαθάμιγγες ἀπέσσυθεν αἱματόεσσαι,*
*πάσας δέξατο Γαῖα περιπλομένων δ' ἐνιαυτῶν,*
*γείνατ' Ἐριννῦς τε κρατερὰς, μεγάλους τε γίγαντας.*
*Sanguineæ quotquot guttæ cecidere, recepit*
*Terra omnes: eadem rursus voluentibus annis*
*Horrendas peperit Furias, magnosq; Gigantes.*

Et Orpheus libro octauo sacri sermonis:

*οὓς καλέουσι γίγαντας ἐπώνυμον ἐν μακάρεσσιν,*
*οὕνεκα Γῆς ἐγένοντο καὶ αἵματος Οὐρανίοιο.*
*Hos ideo superi cuncti dixere Gigantes,*
*E Terra quod sunt nati, & de sanguine Cœli.*

Hanc eandem opinionem habuit etiam Acusilaus, vt testatur Apollonij enarrator. nam paulo superius ostendit Hesiodus Saturnum in insidiis collocatum cum falce per noctem pudenda patri abscidisse. Alij non Saturni opera natos, sed solius Terræ filios Gigantes esse tradiderunt, vt sensit Apollodorus libro primo, quos ab irata Opi siue terra editos fuisse dixerunt, quia occisi fuissent Titanes, eosque in Deorum vltionem genitos, vt in his significauit Apollonius:

*ἀλλ' ἐμὲν ἢ ὀλοοῖο Τυφαέος, ἠὲ καὶ αὐτῆς*
*Γαίης εἶναι ἔικτο πέλωρ τέκος, οἷα πάροιθεν*
*χωομένη Διὶ τίκτεν.*
*Ast hic horribilisve Typhoeo pignoribusve*
*Terra persimilis, quæ Tellus edidit olim.*

*Almo irata Ioui.*

Homerus libro λ. Odyss. Neptuni & Iphimedeæ filios Gigantes existimauit, qui Ossam & Olympum montes imponere Pelio conati sunt, vt in cœlum ad expugnandum Iouem conscenderent. sic enim inquit:

τὴν δὲ μετ', Ἰφιμέδειαν Ἀλωῆος παράκοιτιν
εἴσιδον, ἣ δὴ φάσκε Ποσειδάωνι μιγῆναι·
καί ῥ' ἔτεκεν δύο παῖδε (μινυνθαδίω δὲ γενέσθην)
Ὦτόν τ' ἀντίθεον, τηλεκλειτόν τ' Ἐφιάλτην.
οὓς δὴ μηκίστους θρέψε ζείδωρος ἄρουρα,
καὶ πολὺ καλλίστους μετά γε κλυτὸν Ὠρίωνα.
ἐννέωροι γὰρ τοί γε, καὶ ἐννεαπήχεες ἦσαν
εὖρος, ἀτὰρ μῆκός γε γενέσθην ἐννεόργυιοι.
οἵ ῥα καὶ ἀθανάτοισιν ἀπειλήτην ἐν Ὀλύμπῳ
φυλόπιδα στήσειν πολυάϊκος πολέμοιο.
Ὄσσαν ἐπ' Οὐλύμπῳ μέμασαν θέμεν, αὐτὰρ ἐπ' Ὄσσῃ
Πήλιον εἰνοσίφυλλον, ἵν' οὐρανὸς ἀμβατὸς εἴη.

*Vxor A'oei post hanc est Iphimedea*
*Visa mihi: quæ Neptuno duo pignora magno*
*Edidit, hic parui sunt primo tempore nati;*
*Otus diuinus, valde inclytus inde Ephialtes.*
*Nutriit hos paruos tellus: pulcherrimus horum*
*Natus vterq; fuit, post eximium Oriona.*
*Atque nouem cubitos ambo creuere nouennes*
*In latum; longumq; nouem corpus fuit vlnas.*
*Hi superis pugnamq; grauem, bellumq; minati,*
*Per grandes montes vt cœlum posset adiri,*
*Inuoluere, Ossam frondosum, mox & Olympum*
*Cum sylnis, stabulisq; super te Pelion altum.*

Isti dicuntur non solum corporis magnitudine præcelluisse, viribusque inuictis fuisse, sed etiam terribili plane aspectu, capillis è capite promissis, barba prolixa, pedibusque anguineis, vt ait Ouid. lib. 5. Fast.

*Terra feros partus immania monstra Gigantes*
*Edidit, ausuros in Iouis ire domum.*
*Mille manus illis dedit, & pro cruribus angues:*
*Atque ait, in magnos arma mouete Deos.*
*Extruere hi montes ad sidera summa parabant,*
*Et magnum bello sollicitare Iouem.*

*Fulmi-*

*Fulmina de cœli iaculatus Iupiter arce*
*Vertit in autores pondera vasta suos,*

Hi in Phlegræis campis, vel (vt alij maluerunt) ad Pallenen habitarunt, qui cum essent admirabili corporis proceritate, & saxa & ignitas arbores in cœlum iaculabantur, vt testatur his verbis Isacius: ἡ γῆ τὰ τῶν Τιτάνων ἀγανακτοῦσα, ἐν Φλέγραις τῆς Παλλήνης γεννᾷ δρακοντόποδας καὶ βαθυχαίτας καὶ βαθυγενείους Γίγαντας, οἳ πέτρας καὶ δρῦς πεπυρακτωμένας ἠκόντιζον πρὸς τὸν οὐρανόν· ὧν ἐξῆρχον Πορφυρίων καὶ Ἀλκυονεύς. *Terra res gestas aduersus Titanes ægre ferens, in Phlegris Pallenes anguineis pedibus, eximieque crinitos & barbatos Gigantes peperit, qui saxa quercusque flammatas iaculati sunt in cœlum: quorum principes erant Porphyrio & Alcyoneus.* Fuerunt autem complures qui arma aduersus Deos sumpserunt, quare Sophocles in Trachiniis inquit:

οὔθ' ὁ γηγενὴς στρατὸς Γιγάντων.
*Neque terrigenum exercitus Gigantum.*

Isti cum super altissimos montes illos cōscendissent, dicuntur saxa ingentia in Deos iaculati, ex quib. illa quæ in mare deciderunt, factæ sunt insulæ, vt ait Duris Samius: at illa quæ in terram ceciderunt, montes. Erat autem rumor inter Deos nullum è Gigantib. posse occidi, nisi quispiā ex mortalibus in eius belli societatem fuisset assumptus: tum vero Iupiter Palladis consilio Herculem socium asciuit, qui primus omniū Alcyoneum sagitta confossum interemit. Veruntamen cum semper fortior reuiuisceret, Minerua impetu facto extra orbem Lunæ illum extraxit, qui ita obijt. Iupiter & Hercules Porphyrionem Iunonem violātem occidunt: Apollo læuum oculum, Hercules dextrū Ephialtæ sagittis effodiunt. Hercules post hūc Eurytum querno telo de medio sustulit. Hecate Clytium, Minerua Enceladum, ac Pallantem obtruncauit, ac postea Alcyoneum cōgressus ad Isthmum Corinthiacum interemit, cuius mira erat magnitudo. Cum Polybotes per mare fugiens in Con insulam peruenisset, insequens hunc Neptunus partē insulæ reuulsam in illum contorsit pro telo, quæ recidens Nisyros insula facta est, Mercurius Hippolytum, Diana Grationē, Mars Miamtem, Parcæ Agrium & Thoonem trucidarunt. Reliqui Iouis fulmine perierunt, vt testatur Apollod. lib. 1. Bibliot. Scripsit Pausan. in Arcadicis Bathon vallem quan-

dam fuisse, in qua vulgarum sui Gigantes prælių aduersus Deos cōmisisse: quo in loco rem diuinā facere fulguribus, tonitruis, ac procellis mos fuit, ad eius certaminis imitationem. Alij fabulati sunt Silenas quoq; ad hoc bellū accessisse, atq; Sileni asinum magnitudinē ac molem hostiū admiratum magna voce rudere cœpisse: quamobrem Gigantes aliquod insigne ac formidabile monstrū aduersus se rati ad illud bellū aduentasse, continuo in fugam vertūtur: ad eius rei perpetuā memoriā dicitur asinus fuisse inter sidera collocatus. Alij dixerunt in Sicilia fulmine ictum fuisse Typhonem, vt testatur Hesiodus vbi hæc carmina scribit:

*φλὸξ δὲ κεραυνωθέντος ἀπέσσυτο τοῖο ἄνακτος*
*οὔρεος ἐν βήσσῃσιν ἀϊδνῆς παιπαλοέσσης.*
*Flammaq; manauit de cæso fulmine rege,*
*Saxosi ad montis radices vallibus imis.*

Quidam Pithæcusas vocatas insulas Gigantum fuisse putarunt, atq; in Phlegræis agris id commissum fuisse prælium qui locus est pagus in Thracia. Alij eos natos fuisse ea conditione tradiderunt, vt quādiu essent in eo agro, in quo nati erant, tamdiu essent immortales; quare Palladis consilio ex eo agro extractos periisse. Alij fabulati sūt Gigātes è Phlegra Campanię vicina pulsos ab Hercule terram subiisse, atque ex illorum cruore fontē Leucæ fœtidum odorem habuisse, Phlegramq; Campaniæ oram fuisse vocatam, quod igni, calidarumq; aquarum fluxu abundaret, totusq; Baiarum & Cumarum tractus sulphuris & ignis naturam referentes aquas emitteret. Nam calidas ideo esse inquiunt, quod vulnerum flammas abluerint, cum ex ipsius fulminis natura sulphur oleant. Arbitrati sunt nonnulli tantum metum superis iniecisse Gigantum temeritatem & audaciam primo aspectu, vt cum primum Typhoeus apparuerit, omnes aufugerint in Ægyptum: vbi longo itinere defessi, ac spe fugæ destituti, se sub variis formis occultauerint, vt ait Ouid. lib. 5. Metamorph.

*Bella canit superum, falsoq; in honore Gigantes*
*Ponit, & extenuat magnorum facta Deorum:*
*Emissumq; ima de sede Typhoea terra*
*Cœlitibus fecisse metum, cunctosq; dedisse*
*Terga fugæ: donec fessos Ægyptia tellus*
*Ceperit, & septem discretus in ostia Nilus.*

Cum

Cum vero in varia animalia ibi mutati Dii fuisse dicantur, illa fuit causa cur animalia multiplicia postea coluerint Ægyptij. Memorātur vero inter prædictos Gigantes Cœus & Iapetus à Virgilio Mimantem & Rhœcū nominauit Horatius. Deinde fuerunt cum his Asius, Cinnus, Besbicus, Almops, Echion, Pelorus, Athos, Celado, Damasor, Pallеneus, & alij cōplures. Aiunt Palladis consilium præcipue, ac vim Herculis valuisse plurimum in profligandis Gigantibus; & Panos, qui concham marinam pulsando in eo certamine terrorem hostibus eximium iniecit; deinde Bacchi, qui plurimū viribus valuit. Illi igitur horum Deorum opera victi ad inferos detrusi sunt: atque Enceladus sub Ætna monte substratus flammis assiduis torquetur. Typhœus tantæ magnitudinis corporis fuisse dicitur, vt cum tota Sicilia tribus promontoriis claudatur, tota supra eius corpus posita sit, cuius supra dextram est situs Pelorus Italiam prospectans, supra læuam Pachinus, supra crura Lilybæus, caputque Ætna grauatur, vt ait Ouid. in his:

*Vasta Giganteis ingesta est insula membris*
*Trinacris; & magnis subiectum molibus vrget,*
*Æthereas ausum sperare Typhoea sedes.*
*Nititur ille quidem, pugnatq; resurgere sæpe:*
*Dextra sed Ausonio manus est subiecta Peloro:*
*Laua Pacchyne tibi, Lilybæo crura premuntur,*
*Prægrauat Ætna caput.*

Atque cum omnis iniustitiæ, omnisq; iniquitatis & sceleris pœna comes esse consueuerit, omnino cōtra Gigantum, omniumq; improborum temeritatem & auaritiam illa carmina sunt Euripides in Helena, quæ ab omnib. debent non modo lingua proferri, sed in mente diligenter ponderari, quæ ita se habent:

*μισεῖ γὰρ ὁ θεὸς τὴν βίαν τὰ κτητὰ δὲ*
*κτᾶσθαι κελεύει πάντας, οὐκ ἐς ἁρπαγάς.*
*ἐατέος ὁ πλοῦτος, ἄδικός τις ὤν.*
*κοινὸς γάρ ἐστιν οὐρανὸς πᾶσι βροτοῖς,*
*καὶ γαῖ᾽. ἐν ᾗ χρὴ δώματ᾽ ἀναπληρουμένους,*
*τἀλλότρια μὴ ἔχειν, μηδ᾽ ἀφαιρεῖσθαι βίᾳ.*
*Odit Deus vim: possidendaq; imperat*
*Tenere iure quemque, non inferre vim.*
*Opes iniquæ deserendæ: nam viris,*
*Commune cœlum est omnibus, tellusque: vbi*

*Multis bonis replere possis atrium;*
*Sed si procul rapina, vsque hanc auferens.*

Hæc ea sunt quæ de Gigantibus ab antiquis memoriæ prodita sunt, quæ quid occultum contineant, inquiramus.

¶ Dicti sunt Gigantes Terræ & Cœli filij ex parricidio prope nati, & ex crudelitate Saturni in patrem, quia nihil prope boni ex adulterio & illegitimo congressu nasci consueuit: atq; illi qui sunt crassioris materiæ, temperati, & æquitatis amici, fere esse non solent: quare crassiora corpora prona sunt ad voluptates, iramq; diutius seruant, rationi non facile cedunt, minus sunt ad capiendas disciplinas accommodata, & pro libidine, animorumq; impetu plerunq; feruntur. Alij tamen Neptuni & Iphimedeæ filios putarũt, quoniã omnes crudeles & inhumani ac feri Neptuni dicũtur filij: quippe quorũ corpora ob humorum copiã à Sole minime digestorum bonitatẽ morum nesciant; cuius radij non solum educandis corporibus, sed etiã moderandis animis mortaliũ plurimũ conferunt. Quid vero est aliud Iphimedea, q̃ pertinax & infixa in animo cupiditas, neq; consilio neq; rationi cedens? nam in quibus corporibus eximiæ vires extiterunt, minimũ est plerunq; consilij & prudentiæ. Hi igitur, vt imprudentes, & crudeles, & temerarij, qui nihil honestum esse putarent, nisi quod placuisset, vel Iouem ipsum velle de cœlo depellere ausi sunt. Id ego nihil aliud esse crediderim, nisi imprudentes homines, quib. libido & impetus animi dominatur, Deos omnes contẽnere, ac pro suis vitijs religionem euertere: cũ religio sit omni temeritati & improbitati aduersaria. Nam sine religione ac Deorũ metu, nihil neq; iustum, neq; pium, neq; sanctũ fieri potest. Verum quia scelerũ omnium comes est supplicium, & pœna, & miseriæ, quia Deus est grauissimus flagitiorũ vindex, illi non iniuria ab Hercule, & Pallade, & Dijs cæteris profligati & acerbissimis suppliciis addicti sunt apud inferos, cũ nemini esse scelerato impune deniq; liceat. Alij dixerunt commissum fuisse illud præliũ in Thessalia propter ferocitatẽ populorum, & propter Deorũ contẽptum. Dicũtur ibi sepulti fuisse Gigantes ob sulphureas cauernas ignẽ exhalantes. vbi inuentũ est os humani cruris tantæ magnitudinis, vt triginta paria boum validorũ vix possent plaustro impositum illud dimouere, at nũc de Tiphone dicatur.

## De Typhone. CAP. XXII.

SEd quoniam dictum est de Gigantibus, nonnullaq; tantum de Typhone attigimus, cum plura de illo, quam de quouis cæterorum, dicta inueniantur, neque eadem causa fuit cur nasceretur, visum est mihi seorsum esse de Typhone, quid ab antiquis dicatur, explicandum. Scriptum reliquit igitur Homerus in hymno in Apollinem, Iunonem ægre ferentem quod Iupiter sine se ex capite Mineruam peperisset, cœlum ac terra precatam fuisse, omnesque Deos superos & inferos, vt posset & ipsa sine maris congressu parere: quæ cum manu humum percussisset, sequenti postea tempore natus est ex ea terra Typhon, qui dracænæ educandus traditus est, vt patet ex his versibus:

*ἀγχοῦ δὲ κρήνη καλλίρροος, ἔνθα δράκαιναν*
*κτεῖνεν ἄναξ Διὸς υἱὸς ἀπὸ κρατεροῖο βιοῖο,*
*ζατρεφέα μεγάλην, τέρας ἄγριον, ἣ κακὰ πολλὰ*
*ἀνθρώπους ἔρδεσκεν ἐπὶ χθονί. πολλὰ μὲν αὐτοὺς,*
*πολλὰ δὲ μῆλα τανύποδ'· ἐπεὶ πέλε πῆμα δαφοινόν.*
*καί ποτε δεξαμένη χρυσοθρόνου ἔτρεφεν Ἥρης*
*δεινόν τ' ἀργαλέον τε τυφάονα πῆμα βροτοῖσιν.*
*ὅν ποτ' ἄρ Ἥρη ἔτικτε χολωσαμένη Διὶ πατρὶ,*
*εὖτ' ἄρα δὴ Κρονίδης ἐρικυδέα γείνατ' Ἀθήνην*
*ἐν κορυφῇ.*

*Illimis prope fons, illic maculosa dracæna*
*Interiit iaculo regis magno è Ioue nati,*
*Pestis & atra lues mortalibus illa virorum,*
*Illa fuit pecudum exitium, grauis illa ruina,*
*Illa aluit captum pulchra à Iunone Typhona*
*Difficilemq; grauemq; luem mortalibus ægris.*
*Hunc irata Ioui patri Iuno edidit, olim*
*Quod fuit illius de vertice nata Minerua.*

Hesiodus autem in Theog. Terræ ac Tartari siue Erebi filiũ fuisse Typhona credidit siue Typhoeum, vt patet in his:

*αὐτὰρ ἐπεὶ τιτῆνας ἀπ' οὐρανοῦ ἐξέλασε Ζεὺς,*
*ὁπλότατον τέκε παῖδα τυφωέα Γαῖα πελώρη,*
*Ταρτάρου ἐν φιλότητι διὰ χρυσῆν Ἀφροδίτην.*

Et ne omnia hic ascribam Hesiodi carmina, quæ omnibus sunt in promptu, Latine sententiam Hesiodi ita ex tempore explicabo:

*Verum vbi Titanas cœlo turbasset ab alto*

*Multis bonis replere possis atrium;*
*Sed si procul rapina, visque h[...]auferens.*

Hæc ea sunt quæ de Gigantibus ab antiquis memoriæ prodita sunt, quæ quid occultum contineant, inquiramus.

¶ Dicti sunt Gigantes Terræ & Cœli filij ex parricidio prope nati, & ex crudelitate Saturni in patrem, quia nihil prope boni ex adulterio & illegitimo congressu nasci consueuit: atq; illi qui sunt crassioris materiæ, temperati, & æquitatis amici, fere esse non solent: quare crassiora corpora prona sunt ad voluptates, iramq; diutius seruant, rationi non facile cedunt, minus sunt ad capiendas disciplinas accommodata, & pro libidine, animorumq; impetu plerunq; feruntur. Alij tamen Neptuni & Iphimedeæ filios putarũt, quoniã omnes crudeles & inhumani ac feri Neptuni dicũtur filij: quippe quorũ corpora ob humorum copiã à Sole minime digestorum bonitatẽ morum nesciant; cuius radij non solum educandis corporibus, sed etiã moderandis animis mortaliũ plurimũ conferunt. Quid vero est aliud Iphimedea, q̃ pertinax & infixa in animo cupiditas, neq; consilio neq; rationi cedens? nam in quibus corporibus eximiæ vires extiterunt, minimũ est plerunq; consilij & prudentiæ. Hi igitur, vt imprudentes, & crudeles, & temerarij, qui nihil honestum esse putarent, nisi quod placuisset, vel Iouem ipsum velle de cœlo depellere ausi sunt. Id ego nihil aliud esse crediderim, nisi imprudentes homines, quib. libido & impetus animi dominatur, Deos omnes contẽnere, ac pro suis virib. religionem euertere: cũ religio sit omni temeritati & improbitati aduersaria. Nam sine religione ac Deorũ metu, nihil neq; iustum, neq; pium, neq; sanctũ fieri potest. Verum quia scelerũ omnium comes est supplicium, & pœna, & miseriæ, quia Deus est grauissimus flagitiorũ vindex, illi non iniuria ab Hercule, & Pallade, & Diis cæteris profligati & acerbissimis suppliciis addicti sunt apud inferos, cũ nemini esse scelerato impune deniq; liceat. Alij dixerunt commissum fuisse illud præliũ in Thessalia propter ferocitatẽ populorum, & propter Deorũ contẽptum. Dicũtur ibi sepulti fuisse Gigantes ob sulphureas cauernas ignẽ exhalantes. vbi inuentũ est os humani cruris tantæ magnitudinis, vt triginta paria boum validorũ vix possent plaustro impositum illud dimouere, at nũc de Tiphone dicatur.

## De Typhone. CAP. XXII.

SEd quoniam dictum est de Gigantibus, nonnullaq; tantum de Typhone attigimus, cum plura de illo, quam de quouis cæterorum, dicta inueniantur, neque eadem causa fuit cur nasceretur, visum est mihi seorsum esse de Typhone, quid ab antiquis dicatur, explicandum. Scriptum reliquit igitur Homerus in hymno in Apollinem, Iunonem ægre ferentem quod Iupiter sine se ex capite Mineruam peperisset, cœlum ac terra precatam fuisse, omnesque Deos superos & inferos, vt posset & ipsa sine maris congressu parere: quæ cum manu humum percussisset, sequenti postea tempore natus est ex ea terra Typhon, qui dracænæ educandus traditus est, vt patet ex his versibus:

*ἀγχοῦ δὲ κρήνη καλλίῤῥοος, ἔνθα δράκαιναν*
*κτεῖνεν ἄναξ Διὸς υἱὸς ἀπὸ κρατεροῖο βιοῖο,*
*ζατρεφία μεγάλην, τέρας ἄγριον, ἣ κακὰ πολλὰ*
*ἀνθρώπους ἔρδεσκεν ἐπὶ χθονί. πολλὰ μὲν αὐτοὺς,*
*πολλὰ δὲ μῆλα τανύποδ' ἐπεὶ πέλε πῆμα δαφοινόν.*
*καί ποτε δεξαμένη χρυσοθρόνου ἔτρεφεν Ἥρης*
*δεινόν τ' ἀργαλέον τε τυφάονα πῆμα βροτοῖσιν.*
*ὅν ποτ' ἄρ Ἥρη ἔτικτε χολωσαμένη Διὶ πατρὶ,*
*εὖτ' ἄρα δὴ Κρονίδης ἐρικυδέα γείνατ' Ἀθήνην*
*ἐν κορυφῇ.*

*Illimis prope fons, illic maculosa dracæna*
*Interiit iaculo regis magno è Ioue nati,*
*Pestis & atra lues mortalibus illa virorum,*
*Illa fuit pecudum exitium, grauis illa ruina,*
*Illa aluit captum pulchra à Iunone Typhona*
*Difficilemq; grauemq; luem mortalibus ægris.*
*Hunc irata Ioui patri Iuno edidit, olim*
*Quod fuit illius de vertice nata Minerua.*

Hesiodus autem in Theog. Terræ ac Tartari siue Erebi filiũ fuisse Typhona credidit siue Typhoeum, vt patet in his:

*αὐτὰρ ἐπεὶ τιτῆνας ἀπ' οὐρανοῦ ἐξέλασε Ζεὺς,*
*ὁπλότατον τέκε παῖδα τυφωέα Γαῖα πελώρη,*
*Ταρτάρου ἐν φιλότητι διὰ χρυσῆν Ἀφροδίτην.*

Et ne omnia hic ascribam Hesiodi carmina, quæ omnibus sunt in promptu, Latine sententiam Hesiodi ita ex tempore explicabo:

*Verum vbi Titanas cœlo turbasset ab alto*

*Iupiter, hinc genuit mox alma Typhoea Tellus*
*Postremum ex Erebo Veneris dulcedine capta,*
*Huic palmæ ad quæuis miranda negotia duro*
*Robore erant, promptiq; pedes: centum capita altis*
*Ex humeris saui surgebant torua draconis*
*Ora sub hinc linguis lambentia cæca trisulcis.*
*Igne coruscabant ciliis sub lumina tetris.*
*Deniq; quodq; caput flammam spirabat, & ignem:*
*Omnibus his inerant voces, variumq; sonabant,*
*Horrendumq; dabant gemitum: sæpe orte tonabant,*
*Numinibus magnis vt sint concurrere visa:*
*Interdum ingenti tauri mugire boatu,*
*Interdum gemitum sæui dare visa leonis,*
*Interdumq; canum latrantum emittere voces.*
*Rursus & horrendum sonitum ab radicibus imis*
*Mittebant montes vmbrosi luce sed illa*
*Deniq; visa potens nimium foret ista propago,*
*Atq; viros, superosq; Deos vicisse, ab alto*
*Ni pater omnipotens hominum sator atq; Deorum,*
*Æthere det tonitrus & fulmina crebra repente.*

Seditiosa est &(vt traditum est à Theodoro in bello Giganteo) contentione plena eius educatio, cum alii in Lydia, inter quos fuit Artemon historicus, alii in Phrygia educatum fuisse contenderint, alii in Cilicia in spelunca Typhonis nominata celeberrima, cum inquiat etiam Homerus:

*εἰν Ἀρίμοις, ὅθι φασὶ τυφωέος ἔμμεναι εὐνάς.*
*Hic vbi sunt Arimi, in cunabula dicta Typhonis.*

Erat autem Typhoeus admirabili corporis magnitudine, quippe qui omnium montium altior esset vertice vel crurum tenus: caput astra tangebat; altera manus ad oriẽtem, altera ad occidentem tendebatur. Ex humeris centum capita draconum eminebant, in cruribus maximas habebat viperarum spiras. Corpus erat totum pennis obtectũ, crines impexi, barba prolixa, oculi ignei, ignis ex ore multus feruebat. Hunc fugientibus Diis Iupiter insecutus ad Caucasum montem Syriæ fulmine sauciauit. At ille Iouem deinde captum detinuit, cui harpe illa, quam illi ademit, manuum pedumque neruos secuit, & in Ciliciam impositum humeris transportauit. At Mercurius Iouem furatus restituit in pristinã formam. Tum Iupiter iterum illũ insecutus fulmi-

fulmine vulnerauit apud Hæmum montem, qui ita dictus fuit à copia sanguinis qui ibi de vulnere defluxit: mox in Siciliam illi fugienti Ætnam superiniecit, vt testatur Euphorion. & Pindarus in Olympicis Typhonem centum capitum sub Ætna occultari inquit in his:

ἀλλὰ Κρόνου παῖ, ὃς Αἴτναν ἔχεις
ἶπον ἀνεμόεσσαν ἑκατογ-
κεφάλα Τυφῶνος ὀμβρίμου,
*Sed Saturni fili, qui Ætnam habes*
*Caminum ventosum habentis centum*
*Capita Typhonis fortis.*

Alii non à Ioue, sed ab Apolline confossum fuisse sagittis testantur. Scriptum reliquit Strabo lib. 16. Typhonem serpentem, vt quidam putarunt, sed non hominem fuisse: qui fulminibus ictus dum latebras quæreret ad fugam, terram secuit longis tractibus non procul ab Oronte fluuio in agro Apamiensi in Antiochia, iuxta Seleuciam. Pindarus tamen & Homerus arbitrati sunt Typhonem in Cilicia sepultum fuisse, vt testatur Isacius in commentariis in Lycophronem. Alii dixerunt Typhonem à Ioue fulmine percussum in Syriam, & in agrum Pelusium, qui est Ægypti, profugisse, seque in lacum Serbonidem occultasse, qui è Syria Pelusium vsque protenditur: cuius sententiæ fuit Herodotus. Nam & Apollonius lib. 2. Argonaut. locum fuisse scribit ad montis Caucasi radices, qui Typhaonia vocaretur, vbi ictum fuisse à Ioue Typhonem memorant in Nysa Insula ad Serbonidem lacum prædictum. vt est in his:

τοῖός μιν ὄφις περί τ' ἀμφί τ' ἔρυται,
ἀθάνατος καὶ ἄυπνος, ὃν αὐτὴ γαῖ' ἀνέφυσε
Καυκάσου ἐν κνημοῖσι τυφαονίη, ὅθι πέτρη·
ἔνθα τυφάονά φασι Διὸς Κρονίδαο κεραυνῷ
βλήμενον, ὁππότε οἱ στιβαρὰς ἐπορέξατο χεῖρας,
θερμὸν ἀπὸ κρατὸς στάξαι φόνον. ἵκετο δ' αὔτως
οὔρεα καὶ πεδίον Νυσήιον, ἔνθ' ἔτι νῦν περ
κεῖται ὑποβρύχιος Σερβωνίδος ὕδασι λίμνης.
*Tales eum supra & circum conuolutus anguis,*
*Est insomnis ibi serpens, quem terra creauit*
*Ad iuga Caucasia, atq; Typhonia est vbi petra:*
*Fulmine ibi casum memorant atq; igne Typhoeum*
*Exarsisse Iouis dextram inde tetendit inermem*

*Ille Ioui supplex, sed frustra. Iupiter ignes*
*In caput huic torsit: montes, Nysamq; petiuit*
*Ille fuga, quocunq; metusq; pedesq; tulere.*
*Nunc etiam ille latet clam sub Serbonidis vnda.*

Et nos non iniucundis quibusdam (vt arbitror) carminibus lusimus in quadam epistola, quam ad clarissimũ & grauissimum senatorem Venetum Michaelem Sorianum Equitẽ misimus, præclarum sane patriæ suæ & omnium bonorum non mediocre ornamentum: ita vero se habent ea carmina:

*Fons erat illimis, vitrea pellucidus vnda,*
*Quem non turbarant volucres, non vlla ferarum*
*Vngula, non vlla delapsa ex arbore frondes;*
*Nec pastor pecudes sitientes egerat illuc:*
*Sed circum densi frutices, & marginis herba*
*Mollis erat, syluis & cingebatur opacis.*
*Hic cecidit iaculis Phœbi maculosa dracæna,*
*Pestis & atra lues mortalibus. Illa Typhonis*
*Quippe altrix fuerat: Iuno hunc portarat alendum*
*Aduersusq; Iouem genuit fraudare iugales.*
*Ille thoros quoniam passus, Venerisq; maritam*
*Priuauit socia dulcedine, vbi ipse Mineruam,*
*Concepit solus. Timuit nam pallida Iuno*
*Ne noua gignendis ratio foret ista reperta*
*Pignoribus, nullusq; foret mox coniugis vsus.*
*Terribilis postquam Iunonis creuit alumnus*
*Anguineis pedibus, sublimi vertice cœlum*
*Tangebat: corpus plumaq; anguesq; tegebant*
*Innumeri: plagas orientis dextera Solis*
*Cum staret, plagas tangebat laua cadentis.*
*Huic centum capita exspirantia naribus ignem*
*Ausa Iouem contra, cœlumq; insurgere contra.*
*Sed pater omnipotens tonitrus & fulmina dextra*
*Deiicit in terras: tremuerunt murmure montes*
*Insolito, mundumq; rati compage soluta*
*Subtimuere. At latuit tandem Serbonidis vnda*
*Ipse Typhon ictus flagrantis fulminis igne.*
*Ætnæi tulit oppressus mox pondera montis,*
*Vis humana Deis spernit robur, & iram.*

Fama est enim iuxta Typhoniam è sanie percussi Typhonis natum

natum fuisse illum draconem, qui vellus aureum seruabat in Colchis. Quamuis Acusilaus crediderit omnes serpentes è Typhonis sanguine pullulasse. At Apollonius Rhodius in eo libro quem scripsit de ædificatione Alexandriæ, è sanguine Medusæ, vt oportunius dicetur. Zenodorus fabulã longe ab his diuersam tradidit de ortu serpentum: inquit enim fuisse hominem in Attica regione nomine Phalangē, qui sororem habuit nuncupatam Arachnen, cæterum Phalanx vbi adoleuisset, artem militarē à Pallade doctus fuisse dicitur: cum Arachne soror omnia illa diligenter didicisset, quæ spectant ad telæ conficiendæ, & ad suendi artificium. at enim cum Phalanx cum sorore rem habuisset, fama est ita facti turpitudine commotam esse Deam, tamq; grauiter facinus tulisse, vt ambos in serpentes verterit. Arachne cum esset grauida ex fratre, iussa est à Pallade non sine maximo vitæ discrimine parere, quare à filiis corrosa fuit; quod etiã cæteris eiusdem generis dicitur postmodo accidisse. atque hæc serpentum origo à nonnullis tradita est. Verum cum Caucasus mons arderet, is in Italiam ad Pitheeusas insulas confugit, vt Pherecydes. est autem Nysa, cuius in lacu primum occultatus fuit Typhoeus, non longe ab Ægypto vt patet ex his carminibus Herodoti:

ἔστι δέ τις Νύσση ὕπατον κέρας, ἀνθέον ὕλῃ,
τηλοῦ Φοινίκης, σχεδὸν Αἰγύπτοιο ῥοάων.
*Insula Nysa frequens syluis, atq; vltima tellus,*
*Distans Phœnice, Ægypti est vicina fluenta.*

Typhonem alii in Phrygia, alii in Bœotia, alii in Pithecusis humatum fuisse tradiderunt: atque nos aliquando his Græcis carminibus vniuersam vim iniustitiæ aut iniuriarum attigimus ludentes:

Ἀδικία τι χρῆμ' ὀλοώτατον ἀνδράσιν ἐστίν,
ἣ γένος ἐξώλεις ποιέεται βρότεον.
τὴν δ' ἅμα παῖς ὀρφναίοιν Ἐρεβεννύσι δῖα θεάων
καλλιερσίθρα Νὺξ δῆτ' Ἀχέροντι τέκεν
εἶτα κακοὶ Πλούτου κούρην δέξαντο θύγατρες,
ὁ Φθόνος ὁ τλήμων, Εὐπορία τε κόρη.
Ὀργὴ ἔπειτα λάβεν βρέφος, ὃ τρέφεν, ἠδ' ἀτίταλλεν.
ἠδ' Ὑπερηφανίη μαζὸν ἑὸν πόρεν οἱ.
Σπαργάνισεν δὲ κόρην στεινῶς Πλεονεξία ἄνασσα'
αὐξομένην δὲ φίλην τὴν Θρασύτητα λάβε.

T

Μῦθος, Ἀναίδειά τε μεγαυχία παίγνια τούτων
    ἦν σὺν ἔννομα τῆς Κύπριδος ἔργα θεᾶς,
καὶ Φόνος αἱματόεις, πολὺ καὶ μόθος Ἁρπαγαίων.
    ἐζεύχθη ταύταις Προμήτεια θεά.
ὧν μετὰ δὴ σύμπαιζε κόρων πολύιδρις ἀλαζὼν
    Ἀδικία πρὸ πάρον καὶ πτερόεσσ᾽ ἄρ ἔφυ.
ὄσσε δέ οἱ αὐξομένῃ πυρὶ λαμπετόωντι ἐίκτην.
    ἦν φόνος αἱμοφόρων πλεῖστος ἐνὶ βλεφάροις.
ἀντὶ τριχῶν ὄφιες μὲν ἰώδεες ἀθρόοι ἦσαν
    καί τε δρακοντείω τὼ πόδε. γναμπτοὺς ὄνυξ.
ἤθελεν οὐρανόσε πλῶσαι, πάντας τ᾽ ἀποβάλλειν
    ἀθανάτους, λαμπρὰν εἶτα τυραννίδ᾽ ἔχειν.
ἀλλὰ κεραυνωθεῖσα βέλει πυρόεντι χαμᾶζε
    ἔκπεσεν αὐτῆμαρ, καὶ περὶ καῦσε φλογί.
εἰ μὴ δή τα πεσόντα φίλη θεὸν εἵλετο κούρη
    Ἡδονή, Ἀδικίας οὔτε τὸ μνῆμ᾽ ἀπέλω.
πάντα φλέγουσα, καὶ πάντα ταράσσουσα, καὶ πάντα πέρατ᾽ ἐν
    ἀνθρώπων, ὅτε δὴ πατέρος δ᾽ ἐπ᾽ εἰσέπεσεν.
οὔτε θεῶν μακάρων ἐμνήσθη θύελλος ἀλκῆς·
    οὐ σθένος ᾔδεσθη, καὶ κλέος οὔτε βροτούς.
ὥς τε νόμους πολλοὺς φέρον ἄνδρες τῆσδε κατ᾽ αὐτῆς.
    θώρακας τε βαρεῖς ἔνδυον, ὅπλα λάβον,
τῆς κατ᾽ ἀνδροφόνον πολεμόκλονον ἔργον Ἄρηος,
    καὶ τάξεις στρατιᾶς δακρυόεντα πόνον.
ἀλλ᾽ ἔμπης ἀνθοσμῶσα φόνον, πολέμους τε μάχας τε,
    καὶ καπνιζομένων τέφραν ἰδοῦσα δόμων,
τέρπετο καί θ᾽ ἥσθη λύσσῃ τ᾽ ἔχθραις τε συναίμων.
    Ἀδικί᾽ ἀνθρώπων πάντ᾽ ἐπιθραύει μόνη.
αὕτη μὲν βασιλῆας ἀπορρίπτουσιν ἀφ᾽ ἑδρῶν
    χρυσοδέτων τούτους δ᾽ εἵλετο χρηστοσύνη.
εἰ μὴ δ᾽ Ἀδικίας μανίαν Δυσφημίη ἐρύκοι
    πόρθησις πάντων ῥᾷστα γένοιτο βροτοῖς.
ἐς κόρακας καὶ ὄλεθρον τὸν βαθὺν ἔκβαλε κούρη
    Ἀδικίαν ἣ ἐμὲν δεῖξε κακοῖο πίθον.
οὔτε μετ᾽ Ἀδικίας φίλιος ἐλπίδος, οὔτε τις ὄλβος.
    ἠρεμία φεύγει, μήτε σέβασμα μένει·
ἀλλὰ πόνους στάσιας τ᾽ ἀνάγει ταραχάς τε βλάβας τε,
    ἔχθος καὶ πόλεμον. καὶ κλονόεντα φόβον.
καὶ θορύβους. ἐνοχάς. καὶ ἀνάγκας τοῖς περιάπτει,
    καί τε κλοπάς, ἐνοπάς, καὶ τρόμον, ἠδὲ φυγήν.

τόσσον

τόσσον ἄρ᾽ ἐστὶ κακῶν ἀπὸ τίς γε διαχρεῖδον αὐτῶν,
ἐστ᾽ ἄποθεν μακρῆς ὅσσον ἀπ᾽ Ἀδικίας.
ὅττι θεὸς μοῦνος δ᾽ οἰκεῖ τὸ πλεῖστον ἄπωθεν,
μοῦνος καὶ μάλα δὴ ὄλβιός ἐστι θεός.

Quæ carmina ita sunt à Laurentio Gottio meo amico latine prolata, quem ob singularem bonitatem, morumque elegantiam vnice diligo. Sed cum ratio carminis non tam commode iniustitiam patiatur, pro illa vtitur improbitate.

*Improbitate magis non est mortalibus vlla*
*Res grauis: humanum destruit illa genus.*
*Hanc Acherunte satam peperit Nox lurida partu*
*Quo Furias atra quæ fluit amnis aqua.*
*Vesana Pluti nat a cepere puellam,*
*Inuidia infœlix, Copia & [illegible] de soror.*
*Vbera porrexit siccanda Superbia, & Ira*
*Ipsa suo hanc aluit Diua verenda sinu.*
*Strinxit Auaritia anguste regina puellam*
*Fascia, & huic iuncta est Temeritas sociæ,*
*Atq; pudore carens Audacia, cum Scelere: horum*
*Ludicra erant Paphia facta nefanda Deæ,*
*Crudeles cædes, & vis permulta Rapina,*
*His Petulantia mox additur ipsa comes.*
*Improbitas his est colludere sueta puellis*
*Fallax, alata quæ prius orta fuit.*
*Ipsa simillima erant ardenti lumina flammæ.*
*Ludebat cædes plurima & in ciliis.*
*Tempora lambebant densi pro crinibus angues,*
*Atq; vngues curui, pesq; draconis erat.*
*Affectare ausa est cœlestia regna tonantis,*
*Tentauitq; volans deiicere inde Deos.*
*Sed percussa graui flagrantis fulminis igne*
*Labitur in terras, ala perusta cadit.*
*Ac nisi delapsam cepisset amica Voluptas,*
*Nec nomen, nec vis improbitatis erat.*
*Plurima vexauit, vastauit, multa cecidit*
*Illa virum, vt primum decidit in patriam,*
*Ac neque vitandam superorum credidit iram.*
*Terruit haud Pudor, est victa nec illa metu:*

*Contra hanc mortales statuerunt iura, grauiq;*
*Thorace induti tela cruenta ferunt.*
*Inuentus contra hanc belli lacrymabilis ordo, &*
*Prælia pugnacis sanguinolenta Dei.*
*Sed læata fuit certamina, prælia, turbas,*
*Intuita, in cineres & recidisse domos:*
*Atq; propinquorum est odiis gauisa, feroci*
*Et rabie. Improbitas vexat iniqua viros.*
*Vna suis reges deiecit sedibus, vna*
*Præcipites illos Fortis ad ima dedit.*
*Ac nisi franasset Infamia visa parumper,*
*Tum sæua improbitas omnia destrueret.*
*Mittitur improbitas ad coruos, dira, trucemq;*
*Illam multiplicis vas patet esse mali.*
*Nulla quies nullus pudor, aut opulentia, nulla*
*Vincula amicitiæ cum Improbitate manent.*
*Sunt illi cordi lites, & iurgia rixæ,*
*Clamores strepitus, bella, odium, opprobrium;*
*Furta, pauor, tremor, atq; incendia, noxa, tumultus,*
*Et dolor infœlix, tumq; rapina, fuga.*
*Deniq; ab ærumna tantum quis distat, ab ipso*
*Infœlix quantum destitu Improbitas.*
*E quoniam Deus vnus abest quam maxime, aperte*
*Fœlicem solum dixeris esse* DEVM.

¶ Quidam putarunt Typhonem regem fuisse Ægypti hominem inhumanum ac ferum, ob cuius crudelitate prope vniuersa Ægyptus fuerit deuastata & euersa: qui ita fuit vocatus è draconis crudelissimi natura, vel quia more draconis Ægyptum popularetur; quem, vt ait Herodotus in Euterpe, Osiris de medio sustulit. Alii Typhonem insignem fuisse draconem arbitrantur, quia id animal cum dicatur à Græcis ἀμφίβιον, quod in aquis & in terra æq; viuat, fingitur modo sub aquas, modo sub terram occultatus. is draco ita dictus fuit, quoniam ob singularem vim veneni omnia cōbureret, faceretq; vt contacta arescerent. cum igitur vis aeris illum vndiq, expelleret, neque satis aptam sibi temperiem inuenire posset, dictus est Iouis metu in Ægydrum profugisse, vbi cum æstum ferre non posset, in lacum mersus interiit. Hic dicitur à Iunone procreatus terra percussa, quia tanta vis est aeris temperamenti aliquando, vt & magitu-

gnitudine & forma admirabiles plantæ & animalia inaudita oriantur. Alij hanc fabulam ad res naturæ totam retorserunt: quippe cum scribat Strabo libro quinto, vniuersum tractum à Cumis in Siciliam vsque, & Ætnam, & Liparenses Insulas, & Puteolanum, Neapolitanum, Baianumque agrum, Pithecusasque Insulas, quasdam profundas & in vnum coeuntes sub se solitas habere cauernas, quę in Græciam quoque porrigerentur, in quibus multa vis inesset sulphurea. Idcirco quibusdam temporibus cum ventis spirantibus subterraneis, terræmotus fierent frequentes in ijs locis, & flammarum, feruentiumque aquarum profluuia, ignisque exhalationes, & cineres cum fauillis longius emitterentur, fabulati sunt antiqui serpentem illum siue Ægypti tyrannum perpetuo supplicio damnatum sub ijs locis iacere, qui quoties moueretur, ignem at cineres eructaret, terrasque, concuteret. Aiunt præterea situm quendam in insula Sicilia per terræmotus ac incendia elatum Epomeum in medio fere insulæ vocatum fuisse, qui natus sit cum Typhoeus humerum moueret. Alij vim ventorum non subterraneorum quidem, sed è sublimi loco spirantium esse Typhonem crediderunt, qui & orientem & occidentem plagam manibus pertingeret, & cuius capita altissime vsque ad sidera peruenirent. nam venti latissime vagantur, plura capita illi concesserunt, ob varias diuersorum vires: corpus erat pennis tectum ob celeritatem: circa crura frequentes viperarum spiræ propter noxiam vim aliquando ventorum: oculi ignei, flammasque ex ore spirabat. propter materiam ventorum, quæ fit è siccis calidisque vaporibus. Fingitur ad montem Caucasum confugisse, quia in montibus venti plerumque dominantur. Alij ad primam mundi originem hoc deduxerunt, cum dicant tantam vim ventorum & inflammationem natam ex Erebo siue ex Chao, mox à Ioue depressam, cum Iupiter εὐκρασία sit siue commoda temperies: quam vim cœli ac mundi temperies depressit. cum vero ob cauernosa loca venti & ignes sint subterranei, postea fabulati sunt hunc in Sicilia Ioue fuisse fulmine deiectum. Alij Typhonem pestiferam aeris male affecti naturam ob nimium calorẽ putarunt: quippe cum vis anima æstatis plurimum obsit humanis corporibus, eaq; imbecilliora faciat ad reliquas tó-

porum mutationes perferendas. Mox cum recedente sole per signiferum circulum aliquando cessauisset æstus, facta est magna imbrium ac tonitruum copia cum per calorem imbres coire non possent. tum fulmina frequentia ceciderunt, quare Iupiter fulminibus Typhonem primum in Ægyptum fugauit, & in loca calidiora ad meridiem: deinde sub Ætnam detrusit. Quidam Typhonem hominem fuisse ferocem & strenuum arbitrati sunt, qui Iouem de regno collecta magna exulum & inuidorum manu conatus sit deijcere, quare ob potentiam illi tantum corpus tribuunt. quod inflammauit nonnullos aduersus Iouem persuadendo, dictus fuit ignem ex ore spirare solitus, & neruos Ioui concidisse. Hos illi furatus est Mercurius, ac Ioui reddidit, quoniam Iouis oratione postea reconciliati sunt animi illorum, qui à Ioue desciuerant. Alij rursus ad reuocandos animos ab ambitione fabulam hanc retorserunt, qui cum significare velint illam pessimam omnium prope vitiorum esse; & filiam Erebi, & ignem ex ore efflare dixerunt. Hæc aduersus Iouem insurgit, quoniam nulla est religionis, nulla humanitatis, nulla iustitiæ cura, vbi pullularit ambitionis furor. Quæ cum multa habeat capita, multos modos, multas solicitudines, multas molestias eius significarunt. Hunc Typhonem, siue hanc ambitionem, huc illuc fugientem Iupiter tandem opprimit ac labefactat, quia etsi cupiditas aliquamdiu rationi sapientiæque resistit, tamen ab illa denique vincitur neque quispiam est sapiens, quin rationi demum obtemperet, etsi cupiditate aliquantulum exagitetur. at nunc de Paride dicamus.

## *De Paride.* CAP. XXIII.

NON imperite sane, neque inutiliter, sed ad demonstrandam humanæ vitæ leuitatem, illa quæ de Paride Priami & Hecubæ filio tradita sunt, quod Palladem, & Venerem & Iunonem de forma contendentes iudicauit, memoriæ prodita sunt ab antiquis. Atque vt rem altius repetam, dicunt prægnantem Hecubam somniasse se facem ardentis ignis, quæ vniuersam Asiam inflammaret, peperisse: cui ariolos percunctanti responsum fuit, futurum vt infans, quem in vtero gestabat, esset causa excidij suæ patriæ. quam rem ita attigit Ouidius in epistola Paridis ad Helenam:

*Illa*

*Illa sibi ingentem visa est sub imagine somni*
*Flammiferam pleno reddere v. ntre facem.*
*Territa consurgit, metuendaq; noctis opaca*
*Visa seni Priamo, vatibus ille, refert.*
*Arsurum Paridis vates canit Ilion igni.*

Idcirco cum natus fuisset infans, illum Priamus Archelao exponendum feris dedit, quem etiam expositum per dies quinque vrsæ lac suxisse memorant: at curauit, vt alij tradiderunt, Hecuba vt à pastoribus in Ida monte nutriretur: nec defuerunt qui dixerunt ab eodem Archelao illum vt filium fuisse educatum. Sed enim quis ea quæ certo Dei instituto decreta stabilitaq; sunt, euitauerit? nam & Thyestes è filia Pelopeia filiũ Ægisthum feris exponi iusserat, quod eum oraculum multorum malorum autorẽ fore monuisset, sed tamen à pastore inuentus in syluis, & à capris nutritus, vnde nomen accepit, Atreum & Agamemnonem trucidauit, neq; seruauit Troiam quod eiectus fuerit Paris, neque Saturnus Iouem deuitare potuit, quamuis ante fuerint ab oraculis moniti, si ita diuinitus erat statutum. Hic cum adoleuisset, magnam sibi iustitiæ & æquitatis gloriã comparauit: atque cum regia armenta latrones ac piratæ aliquando furati fuissent, eaque abigerent, illos armis insecutus vna cum cæteris regis pastoribus armenta recuperauit cæsis piratis, vnde Alexander dictus fuit, vt ipse de se ipso testatur in epistola apud Ouidium:

*Pene puer cæsis abducta armenta recepi*
*Hostibus, & causam nominis inde tuli.*

Deinde cum in Agonalibus ludis fortissimus apparuisset, quæ per id temporis apud Romam locum agebãtur, à Priamo deniq; cognitus fuit, & in regiã receptus. Accidisse vero fabulantur ijs temporibus, quibus adhuc puer Paris erat inter pastores, vt Dij omnes conuocati ad nuptias Thetidis & Pelei accesserint, præter Discordiã, quam nemo inuitarat. Id illa grauiter ferens, pomum elegantissimum & pulcherrimum aureum cum inscriptione per ostium immisit, PVLCHRIOR ACCIPIAT. id suscepit Mercurius ac legit, vt testatur Lucianus in dialogo Panopes & Galat. Tum multis Deabus id petentibus magna discordia & contentio orta est inter tres Deas cæteris his cedentibus, ac Iupiter iussit ad æquissimum, vt tum habebatur,

Paridem iudicium id deferri. Scripsit strabo lib. 13. in Antandro, qui mons vocatus Alexandriæ imminet, Deas illas à Paride fuisse iudicatas; cum in Ida monte id accidisse scribat Ouidius etiam in his:

*Cum Venus, & Iuno, Pallasq; in montibus Idæ,*
*Corpora iudicio supposuere meo.*

Aiunt hunc ingentibus donis fuisse à Deabus omnibus sollicitatum: quippe cum Iuno Asiæ Europæq; imperium illi promitteret, Pallas se omnibus Græcis sapientiorem facturam polliceretur, at Venus mulierum omnium pulcherrimam se illi concessuram diceret, si sibi victoriam de forma adiudicasset. quam rem ita attigit Ouid. in epist. Paridis:

*Tantaq; vincendi cura est: ingentibus ardent*
*Iudicium donis sollicitare meum.*
*Regna Iouis coniux, virtutem filia iactat.*

Atque cætera, quæ in eadem epist. scribuntur in eam sententiam, multa sunt: quæ planius etiam Euripides declarauit ita in Troadibus:

ἣ Παλλάδος μὲν ἦν Ἀλεξάνδρῳ δόσις,
Φρυξὶ στρατηγοῦνθ' Ἑλλάδ' ἐξανιστάναι.
Ἥρα δ' ὑπέσχετ' Ἀσιάδ' Εὐρώπης θ' ὅρους
τυραννίδ' ἕξειν, εἴ σφε κρίνειεν Πάρις.
Κύπρις δὲ τοὐμὸν εἶδος ἐκπαγλουμένη
δώσειν ὑπέσχετ', εἰ θεὰς ὑπερδράμοι
κάλλει.

*Paridiq; Pallas munus id promiserat,*
*Quod dux Phrygum mox Græciam subegerit*
*Montes at Europæ, Asiæ & tyrannidem*
*Iuno spopondit, si sibi faueret ie.*
*Mirata formam sed Venus meam dare*
*Promisit illi, si Deas deuincere*
*Sit iudicata forma.*

Accidit fere eodẽ tempore vt celeberrima esset Helenę forma in vniuersa Græcia, quæ & opibus & nobilitate generis cæteras omnes mulieres antecellere putabatur. Erat enim Tyndari OEbaliæ regis & Ledæ filia, vt putarunt nõnulli: cum alij dixerint Iouem in cygnũ conuersum Ledã cõpressisse, q̃ alterum ouum ex illũ cõcepit, ex quo nati sunt postea Pollux & Helena: ex altero ouo cõcepto Tyndaro nata est Clytemnestra & Castor. Alij non è Leda, sed è Nemesi natam

natam Helenam putarunt, cuius dicunt Ledam fuisse nutricem, ac Iouem patrem, vt ait Pauſ. in Atticis. Qui natam ex Ioue putarunt in cygnum verſo, ad ſempiternam eius rei memoriam cygnum inter ſidera collocatum dixerunt. Cum tãtopere igitur forma præſtaret, omnes Græcarum ciuitatum principes eo ad illam in matrimonium expetendam conuenerunt: quæ quod fuerat anteà Theſeo rapta, è quo etiam enixa Argis dicitur templum Lucinæ erexiſſe, & mox repetentib. fratribus reſtituta, & quod magna inuidia videbatur in eum redundare qui illã eſſet habiturus, vnuſquiſq; eam ſibi contingere ſperantes in legem à Tyndaro latam iurarunt ſe pro viribus defenſuros, ſi quis illum violare, aut legitimo marito rapere conaretur, vt teſtatur Pauſ. in Laconicis. Nã non longe à Platanero, vocato, & à Mineruæ Pareæ delubro Tyndarus dicitur procos Helenæ conuocaſſe, qui ſuper equi execti teſtibus iurarunt ſe Helenam defenſuros, atque cuſtodituros eſſe ab iniuria, ſi ab aliquo nuptiæ illæ violarẽtur post illud iuramentum Tyndarus equum in eo loco infodit, ſicuti ſcripſit Pauſ. in Laconicis. Fuit enim antiquorum conſuetudo vt ſuper teſtibus victimarum plerumq; iuraretur, cum fœdera inter aliquos percuterentur. Idcirco vbi Hercules fœdus inijt cum liberis Nelei fide vltro citroq; data, ſue mactato ſuper eius teſtibus & ipſe & illi iurarunt, atque confirmarunt iuramentum inſuper factũ, vt ſcripſit in Phoronco Hecatæus. Neq; hoc fiebat quouis tempore, vt ait Demoſthenes in oratione contra Ariſtocratem, cum eſſet magnum iuſiurandum, & non quibuſuis tẽporibus ſed ſtatis diebus: vt patet ex his: εἶτ' οὐδὲ τὸν τυχόντα τιν' ὅρκον τοῦτον ποιήσεται, ἀλλ' ὃν οὐδεὶς ὄμνυσιν ὑπὲρ οὐδενὸς ἄλλου. στὰς ἐπὶ τῶν τομίων κάπρου, καὶ κριοῦ, καὶ ταύρου. καὶ τούτων ἐσφαγμένων ὑφ' ὧν δεῖ, καὶ ἐν αἷς ἡμέραις προσήκει. *Poſtea neq; vt contingit iuramentum hoc faciet, ſed quod nemo iurat ſuper alia re: ſtans ſuper exectis carnibus apri, vel arietis, vel tauri, vel horum iugulatorum, & in quibus conuenit diebus.* Quin etiam ſolenne fuit Olympicis athletis conceptis verbis ſuper execti ſuis teſtibus antequam ludos inirent, iurare ſe nihil fraudis aut inſidiarum commiſſuros; qui quidem ſues tranſacto iuramento nulli erant vſui. erat enim vetitum religione, ne victimæ, ſuper quibus iuratum fuiſſet, ab hominib. ederentur. nam & Homerus teſtatur exectum illum ſuem, ſuper

quo Agamemnon iurauit se non attigisse Briseidam in mare à Talthybio fuisse deiectum ex antiquorum sacrorum ritu, vt patet ex his lib. 7. Iliad.

*εἰ δέ τι τῶνδ' ἐπίορκον ἐμοὶ θεοὶ ἄλγεα δοῖεν*
*πολλὰ μάλ', ὅσσα διδοῦσιν ὅτις σφ' ἀλίτηται ὀμόσσας.*
*ἦ, καὶ ἀπὸ στόμαχον κάπρου τάμε νηλέϊ χαλκῷ.*
*τὸν μὲν Ταλθύβιος πολιῆς ἁλὸς ἐς μέγα λαῖτμα*
*ῥῖψ' ἐπιδινήσας, βόσιν ἰχθύσιν.*
*Si quid periuro, cœlestia numina tradant*
*Quod mala sueuerunt periuris tradere prauis.*
*Sic ait, & stomachum porci fero inde cecidit,*
*Quem mox Talthybius iussus porricere in vndam*
*Est maris incani, pergratam piscibus escam.*

Plutarchus in Cicerone & Publicola longe diuersam rationem coniuratos seruasse inquit apud Romanos, quippe hominem trucidasse, omnesq; coniuratos magno & horrendo iuramento adactos sanguinem libasse, & exta gustauisse. Æschylus in actu Septem ad Thebas inscripto, demonstrat illam fuisse consuetudinem propriam cõiurationum; vt omnes coniurati sanguinem victimæ illa de causa cæsæ attingerent, vt est in his:

*ἄνδρες γὰρ ἑπτὰ θούριοι λοχαγέται,*
*ταυροσφαγοῦντες ἐς μελάνδετον σάκος,*
*καὶ θιγγάνοντες χερσὶ ταυρείου φόνου,*
*Ἄρην, Ἐνυώ, καὶ φιλαίματον Φόβον*
*ὡρκωμότησαν ἢ πόλει κατασκαφὰς*
*θέντες λαπάξειν ἄστυ Καδμείων βίᾳ,*
*ἢ γῆν θανόντες τήνδε φυράσειν φόνῳ.*
*Centuriones strenui septem viri*
*Taurum immolarunt, inq; scutum sanguinem*
*Tauri legentes attigere dexteris,*
*Mortemq; iurauere, Bellonam, & simul*
*Garauem Pauorem, vel crure mox suo*
*Terram rigare, funditus vel sternere*
*Vrbem ac populari vi satis ex Agenore.*

Apud antiquos fuit etiã in more positum, vt iurantes massam ferri ignitam manibus sustinerent, rogarentq; Deos ac precarentur vt illud iuramentum stabile firmumque esset, donec illa in aquis supernataret, quam mox in profundum deiiciebant, vt in his testatur Callimachus:

Φωκαίων

Φωκαίων μέχρις κε μὐδρος μέγας εἰν ἁλὶ μύδρος.
*Phocensis donec perstabit in æquore massa.*

Et Sophocles in Antigone:

ἦμεν δ' ἕτοιμοι καὶ μύδρους αἴρειν χεροῖν,
καὶ πῦρ διέρπειν, καὶ θεοὺς ὁρκωμοτεῖν,
*Prompti manu tenere massam ferream*
*Eramus incensam, per ignem incedere, ac iurare.*

Nam censebant eos qui optime & innocenter iurarent, illæsos & igniti ferri massas sustinere, & supra ignem impune incedere, atq; alius in fœderationibus, alius in coniurationibus, alius in iuramentis omnino ritus seruabatur. Deinde accidit vt Paris cum viginti triremibus legatus, missusq; ad repetendam Hesionen, quam Telamon occiso patre eius Lacedæmone rapuerat, nauigarit: qui à Menelao in hospitiū perbenigne accept⁹ est, cui Helenæ nuptiæ cōtigerant. Verum cum re infecta redire oporteret, ille neglecto iure hospitij, & Menelai amicitia, dicitur illā meretriculā Helenā cum magna nummorū, regiæq; suppellectilis copia abstulisse, vt scripsit autor Cypriorū carminū, & Herodotus in Euterpe. Idē tamen in Clio non repetendā Hesionem Alexandrū nauigasse inquit, sed exemplis superiorū temporum inuitatum, ꝙ Io Græcis Ægyptij, Græcis Ægyptiis Europam, & Medeā Colchis impune rapuissent, quas repetentib. non reddiderunt, eo cōsulto ad rapiendam Helenam nauigasse; quod innuit Ouidius in his carminibus:

*Nomine ceperunt Aquilonis Erechthida Thraces;*
*Tuta tamen bella Bistonis ora fuit.*
*Phasida puppe noua vexit Pagrisæus Iason,*
*Læsa nec est Colchia Thessala terra manu.*
*Te quoq; qui rapuit, rapuit Minoida Theseus;*
*Nulla tamen Minos Cretas ad arma vocat.*

& paulo antè,

*Nec venio Graias veluti speculator ad vrbes,*
*Oppida sunt regni ditior a mei.*
*Te peto, quam pepigit lecto Venus aurea nostro.*
*Te prius optaui, quam mihi nota fores.*

Sic n. fit plerumq; vt impunitas peccatorū sit pro exemplo & incitamēto ad cætera flagitia suscipiēda. At Diognetus in reb. Smyrnæis non legatum iuisse Alexandrum inquit, neq; cōmotum fuisse superiorum exemplis, sed Veneris monitu, cuius etiam consilio Harmonidas, vel (vt placuit Andretæ)

Phereclus nauem illi fabricauit, illuc concessisse scribit: quam vbi primum Alexander vidisset, in eius de. lerium incidisse memorat. Alij dixerunt raptam fuisse Helenam à Paride, cum inter Bacchas in littore maris Ino sacrificaret, quam deportauit in Ægyptum, atque ibi primum cum illa congressus sit. Fama est igitur Paridem cum hac in Ægyptũ nauigasse, quia timebat ne se Menelaus cum Lacedæmoniorum classe insequeretur: atq; cum eo appulisset, ad Canopicum Nili ostium templum Herculis in littore inuenit, in quod si quis seruus cum quibusdam ceremoniis confugisset, à nemine violari fas erat eo in loco Alexandri facinus seruis ad sacerdotes deferentibus grauiter tulerunt primum iniquitatem iniuriæ, qua Menelaum affecerat: deinde legatione Memphim ad Proteum de illa re missa, iussi sunt serui Alexandrum vt iniqua conatum comprehendere, & ad Proteum adducere. Hunc conuitiis insectatus Proteus incolumem quidẽ dimisit cum sociis, at vxorem Menelai, & diuitias apud se retinuit vsq; ad Menelai aduentum, iussitque intra triduum Alexandrum abesse ex vniuerso Ægyptiorum agro. Sunt qui dicant hinc Alexandrum nulla re sibi ablata Troiam cõfugisse, inter quos fuit Duris Samius: alij cum Idolo Helenæ in patriam reuertisse aiunt, vt sensit Euripides. Neq; defuerunt sane qui Alexandrum statim in patriam recta rediisse memorent, legationesq; Græcorum ad res repetendas missas neq; auditas quidem fuisse à Troianis. Fama est semel tantũ in agro Atheniensium Alexandrum cũ Helena congressum fuisse, cum tamen Bunichus, & Corythus, & Aganus, & Idæus nati fuisse dicãtur ex Helena & Paride. Alij dicunt in Cranae, quæ vna est Sporadũ, Paridẽ congressum fuisse, quæ insula postmodo Helene ab illa vocata fuit; atq; cum Paris ab inuita, & prope per vim extorsisset, q̃ iam pœnituerat maritum reliquisse, dicitur ex eius lacrymis nata esse herba Helenium vocata; q̃ si in vino bibatur à mulieribus, creditur Venerẽ excitare, & inducere hilaritatẽ, vt scripsit Alexãder Cornelius in rebus Phrygiis. Et quãuis virgo à Theseo restituta dicatur Helena suis fratribus, non defuerunt qui Hermionẽ eius & Thesei filiam putarint, &, vt credidit Duris, Iphigeniã. Huic præterea Nicostratũ nonnulli, & Ephiolã, & Menelaũ, filios tribuerũt.

Sed quoniam scelerataæ vitæ finis raro felix esse cõsueuit,

fama est Helenam denique mortuo Menelao à Nicostrato & Megapenthe filiis è domo ob superiorum vitæ turpitudinem eiectam sese Rhodum ad cognatam suam Polyxo vxorem Tlepolemi contulisse, quæ per id tempus illi insulæ imperabat. verum quia Tlepolemus adulterii Helenæ causa in bello Troiano occisus fuisset, eam cædem mariti sui vlcisci cupiens in Helenam se lauantem ancillas cum furiarum ornatu immisit, quæ illam comprehensam, & arbori infœlici suspensam laqueo demum necarunt, vt scriptum fuit à Pausania in rebus Laconicis. Sic & ipse Alexander postea imbellis & perniciosus patriæ suæ ciuis extitit, vt demonstrauit Hom. lib 3 Iliad. Hic, vt prædictum fuerat à coniectoribus, vniuersæ Græciæ arma in se suosque ciues concitauit, hic patriam suam, regnumque potentissimum & antiquissimum Asiæ, propter libidinem funditus euertit, hic denique è Lemno insula accitus trucidatur: quæ omnia calamitatum genera sibi prædicta fuisse à Nereo testatur Horat. li. 1. Carminũ. Hæc partim historice, partim fabulose narrantur, quæ de Paride memoriæ sunt prodita.

¶ Hanc fabulam confictam fuisse de generatione rerum naturalium antiqui nonnulli sunt commenti: nam Peliæ & Thetidis nuptiæ quid aliud significare possunt, quam ex aquæ terræque mistione adiuuante calore omnia naturalia corpora procreari? Est.n. πηλὸς cœnum, ac limus; Thetis vero aqua, vt dicetur postea. Ad horum duorum mistionem, tanquã ad nuptias, omnes Dii conuenerũt; quoniam nihil è sola materia sine artifice cõfici potest. Siue enim mortales brutorũ, siue immortales hominum animæ sint corporibus inserendæ, cum imperent omnino etiã in brutis quodammodo corporibus, ex nobiliore quodam loco quã sint ipsa elementa. ipsas ducere par est. siue enim ex aere, siue ex igne, siue è cœlestib. corporib. anima mortalium deducatur, siue ex his omnibus; siue sit harmonia quędã ex æquabilitate temperamentorum, siue his omnib. nobilius quiddam, ad ignotum: omnino illam à Diis omnibus concedi corporib. dixerũt, & è singulis cœlestib. virtutib. proprias quãdã vires assumere Inde dicti sunt omnes Dii ad nuptias Pelei & Thetidis conuenisse. Hinc abfuit discordia sola ex omnibus Diis, quia nisi per amicitiam res conseruari non possunt, quæ etiam quanto magis inter se conueniunt tẽ-

peramenta, tanto magis vigent ac florent. Cum vero Discordia, viriumque naturalium inæqualitas accesserit, tunc non solũ temperamentũ perit, sed etiam tota cõpositio labefactatur. vt enim amicitia generationis, ita discordia & litigiũ principium corruptionis est. Quid aliud ad naturã pertinens in his contineatur non video, quare ad mores reliqua pars spectat huiusce fabulæ. Hanc eandem fortunam ciuitates, & imperia, & nationes experiuntur, quam etiam singula naturalia corpora, quæ per discordiã funditus euertuntur. Est autẽ inter has tres Deas semper fere discordia, & contentio, Palladem, Iunonẽ, Venerem: quippe cum molestum appareat ciuitatibus, id quod plerunq; accidit; vt imperiti & stulti & peritis & sapientib. dominentur, vt inopes opulentis, inter quos naturalis est prope discordia; vt libidinosi & impuri viris bonis & tẽperantib. imperent. nã, vt res omnes hæ vni adsint, vt idem sapiens sit scilicet, & tẽperans, & opulentus, est vna rerum omniũ quam difficilima. quod si cõtigerit, nemo illius imperiũ feret inuitus. Quod aũt nõ vera, sed ficta sint quæ de iudicio Paridis tradita sũt, vel muliercula illa non credit apud Ouidiũ, quę ita inquit:

*Credere vix equidem cœlestia numina possum*
*Arbitrio formam supposuisse tuo.*

Vt igitur imperatorias virtutes homines regnaturos inflãmarent antiqui, hanc fabulam confinxerunt, per quã temperantem esse & sapientem & fortunatum illum oportere dixerunt, qui sit cæteris hominibus dominaturus: quippe cum Paris spreta sapientia ac opibus per lasciuiam imperiũ perdiderit, quod sine illarũ Dearum ope cõseruari minime poterat. Nam cum alii alio studio magis oblectentur, illa animi appetentia Paris à quibusdã dicta est. Huic Deæ illæ datæ sunt iudicandæ, atq; omnes dignæ, quæ vincerent, videbantur quãuis Iuno regnũ, sapientiam Pallas, pulcherrimam mulierem Venus adpromitteret, vt victoriã ex eo certamine reportaret. Verum quis sanæ mentis pro potentia, magistratibus, honoribus, scortũ fœdissimum elegerit? aut quis pro sapientia diuinissimo Deorum munere libidinẽ, nisi impurus, cõplectatur? aut qui id fecerit, quo pacto non & sceleratus & perniciosus patriæ suę ciuis alitur? quod hospitiũ non hic violare poterit? at cui non datum est hoc iudicium? nemo nostrum est per Deos immortales qui Paridẽ

suo

suo iudicio non damnet: nemo prope rursus est, qui tam turpe Paridis iudicium, non imitetur. Hac proposita Paridis turpitudine fecerunt antiqui, vt non ipsos dementiæ condemnaremus: est enim Venus, quam tanti fecit Paris, nihil aliud quam dementia, vt nomen ipsum significat; sicut testatur Euripides in Troadibus his versibus:

τὰ μῶρα γὰρ πάντ' ἐστὶν Ἀφροδίτη βροτοῖς.
καὶ τοὔνομ' ὀρθῶς ἀφροσύνης ἄρχει θεᾶς.
*Vbi q; stulta sunt Venus mortalibus,*
*Rectéq; nomen cepit à dementia.*

Præclare sane factum est ab ipsa natura, vt breue tempus libidini iniunxerit: nam si amplius spacium sit voluptatibus iniunctum, crudelissimos, & maxime omnium beluarum furiosos homines experiremur. Ac de Paride satis, nunc de Actæone dicamus.

## *De Actæone.* CAP. XXIV.

NEque leue sane supplicium Actæonem subiisse memorant, quod nudam Dianam intueri ausus sit: tantũ honorem Diis immortalibus deberi significabant. Fuit hic, vt scripsit Zezes hist. 61. chil. 6. Autonoes Cadmi, & Aristæi filius: qui cum mirum in modum venatione delectaretur, vtpote a Chirone educatus, vt ait Apollodorus lib 2. fertur super saxo quodam defessus dormire solitus, quod fuit non procul à Megaris Platæam contendentibus, quod etiam Actæonis saxum vocatũ fuit. Scripsit Pausanias in Bœoticis Actæonem in fonte illi saxo proximo se lauantem Dianam vidisse, quod illa moleste ferẽs, rabiem canib. Actæonis immisit, vt illum laniarent. Eam fabulam multis verbis complexus est Ouid. lib 3. Metamorp. qui non super saxo illum dormire solitum scribit, sed in spelunca quadam fonti illi propinqua. Illa de causa dictus est fuisse in ceruũ conuersus & à suis canib. in Cithærone laniatus, quos multos assidue in feras nutriebat, vt significauit Eurip. in Bacch. hoc pacto:

ὁρᾷς τὸν Ἀκταίωνος ἄθλιον μόρον,
ὃν ὠμόσιτοι σκύλακες ἃς ἐθρέψατο,
διεσπάσαντο κρείσσον' ἐν κυνηγίαις.
*Num cernis Actæonis improbam necem?*
*Canes voraces, ille quas nutriuerat,*
*Nam dilaniau re cept mum venatibus.*

Nomina vero canum à quibus Actæon fuit laniatus, nihil

aliud quam vel colores corporum, vel sagacitatem significant, quæ conuenit canibus. hæc autem sunt: Melampus, nigros habens pedes; Ichnobates, per vestigia sequens; Pamphagus, omnia comedens; Dorcæus, perspicax; Oribasus, montiuagus; Nebrophonos, hinnulos occidens; Lælaps, procella; Theron, ferus; Pterelas, alatus; Agre, inquirens; Hylæus, syluestris; Nape, saltus pererrans; Pœmenis pastorum canis; Harpyia, rapax? Ladon, hinnulo similis; Dromas cursor; Canache, fremens; Sticte, picta; Trigis, fera; Alce, robusta, Leucon, albus; Asbolus, fuliginosus; Lacon, reboans; Aello, procellosus; Thus, celer; Cyprius, libidinosus; Lycisca, lupina; Harpalos, rapax; Melaneus, niger; Lachne hirsuta; Labros, rapidus; Agriodos, agrestibus viis aptus; Hylactor, latrator. Nam omnino canes quinquaginta Actæonis à nonnullis commemorantur. Alii dixerũt Actæonem ceruipelle à Diana tectum laniatum fuisse à canibus ad eum lacerandum incitatis, ne Semelen vxorem duceret, cuius sententiæ fuit Stesichorus Himeræus vel (voluit Acusilaus) qua illam compressit. Alii Actæonem non versum in ceruum, neque cerui pelle tectum fuisse arbitrantur, sed opinionem canibus immissam, vt feram putarent, quod attingit Ouid. his carminibus:

*Testis & Actæon, quondam fera creditus illis,*
*Ipse dedit letho cum quibus ante feras.*

Neque vero vnus tantum fuit Actæon, vt ego quidem censeo, sed alter à canibus laniatus: alter à Bacchis discerptus: de quo ita sententia extat enarratoris Apollonii Melissus, quia Corinthios à Phidone Argiuorum Rege, à quo euertendi erant, liberauit, & protexit, ob singulare beneficium insignes honores consecutus fuit. Accidit aliquãdo vt Bacchiades domum huius inuadentes filiũ Actæonem distraxerint vel repugnantib parentibus. Cum vero celebranda essent Isthmia, Melissus ad aram accedens multa imprecatus est Corinthiis, nisi filii sui cædem vlciscerentur: cum illa dixisset, sed de propinquo præcipiti loco deiecit. At Corinthii cum timerent magnopere si inultam cædem illam reliquissent Actæonis, tum etiam multo magis ita iubente oraculo, Bacchiades è sua regione eiecerunt. Eodem tempore vnus Bacchiadum Chersocrates Corcyram extruxisse fertur expulsis Colchis, qui ibi habitabadt, quo se omnes

omnes Bacchiades receperunt. Ferunt Aristæum superioris Actæonis patrem tam grauiter tulisse mortem filii, vt Bœotiæ atque vniuersæ Græciæ indignatus continuo è Græcia in Sardiniam migrauerit. Verum cur hæc vt admirabilia, & sempiterna memoria digna transmissa sunt ad posteros?

¶ Ego sane ex historia ad morum informationem itum esse arbitror, quid enim prohibet, cum Sol Leonem signum ingressus fuerit, Lunæ vi aucta in eodem signo rabiem canibus natam esse per dies Caniculæ præsertim? aut canibus rabie exagitatis quæ vis, quæ ratio, quę cognitio potest resistere, quo minus vel in dominum sæuiant? Fuerunt qui putarint Actæonis facultates per canum rabiem, aut per iratam venationum deam insulse dissipatas significari: quia canes non Actæonem, sed eius opes laniauerint: quod quidem perridiculum mihi videtur. non enim ad venationem hortari posteros, vel retrahere consilium fuit antiquis, sed minus rectos mores emendare. Per hanc igitur fabulam nos ad beneficia in viros bonos conferenda adhortabantur, ac retrahebant à benemerendo de ingratis & immemoribus acceptorum hominibus: quod etiam videtur significasse Theocritus in eo versu:

τρέφε κύνας ὥς τυ φάγωντι: *nutri canes vt te edant.*

Omnium sane beneficiorum optimũ est illud, quod apud virum bonum & memorem & gratum collocatur: quod vero in maleficum & ingratum collatum est, omnino male collatum fuit: quippe cum improbi homines, ne parē gratiam referre cogantur, sæpius pro acceptis beneficiis simultatis causas aucupentur, seque vel quauis leuissima de causa iratos fingant, vt sic deletum appareat quidquid in eos collatum sit. Vt prudentiores igitur essemus in conferendis beneficiis, ne honori, facultatibus, vitæque nostræ insidiatores nostris sumptibus aleremus, rationem conferendorum beneficiorum nos antiqui docuerunt: quippe cum beneficium viro bono facere, sit prope accipere, atque hæc nonnulla pars est iustitiæ, vt traditum est in officiis. Admonemur præterea per hanc fabulam, ne simus nimis curiosi in rebus nihil ad nos pertinentibus: quoniam multis perniciosum fuit res arcanas aliorum cognouisse, aut principum ciuitatum, summorumque virorum, aut Deorum præcipue, quorum vel aliqua minima suscipio arcanorum con-

ſcium facile poteſt opprimere. atque vt ſummatim dicam, eas fabulas, quas inſulſi & imperiti plerique aniles nugas tantum eſſe crediderunt, ad poſteros tradiderunt antiqui, vt per illas nos à temeritate, crudelitate, arrogantia, libidine, illegitimiſque facinoribus retraherent, & ad humanitatem, prudentiam, beneficentiam, integritatem, temperantiamque adhortarentur, & vt humanam vitam deniq; omnem in melius informarent.

# NATALIS COMITIS MYTHOLOGIÆ,

## LIBER SEPTIMVS.

*Quam iuſte & vtiliter viri illuſtres gloriam ſint conſecuti.*

NVLLA neque ſanctior lex, neque præclarius inſtitutum eſſe poteſt, illuſtriſſime Campeggi, quam illud quod digna virtutibus præmia, & flagitiis ſingulis ſupplicia proponit: ſiquidem æquum eſt, non ſolum vt à flagitiis retrahantur, verumetiam ad virtutem & ad præclara facinora incitentur animi mortalium, ne deſides ac ſegnes vitam hanc obſcure tranſigant. Hæc vna res Herculem, cæteroſque Heroas illuſtres ita ac labores, omniaque pericula fortiter ſubeunda impulit, vt nihil neque tam horrendum, neque tam arduum fuerit, quod labore & patientia non fuerit ſuperatum. Nã & latrones de medio ſublati, & inferi aditi, & monſtra horribilia perdomita, & crudelitas tyrannorum repreſſa atque extincta propter præmia virtutis dicuntur. eſt autem præclarum virtutis præmium gloria: quæ animos mortalium ad inſignia quæq; facinora mirifice ſtimulis impellit; facitque vt difficilia & periculoſa & ardua omnia, leuia & plana & facilima videantur. Neque vlla ciuitas, nullum imperium, nulla natio denique potens ac diuturna eſſe poſſet,

quæ

quæ cum certa supplicia flagitiosis statuerit, mox nullam habeat virorum bonorum rationem: quippe cum illa sola fœlix futura sit, quæ ad bonos, honores & magistratus detulerit: id quæ fecerit, tanto erit cæteris ciuitatibus præstātior ac fœlicior, quanto magis in hoc agendo fuerit studiosa. Satis eius quod dico, præclarum erit argumentum Romanorum imperium ad viros bonos vel exteros sæpe delatum, atque Athenienses etiam multos viros bonos externos sæpius summæ reip. præfecerunt. At contra ciuitas illa, quæ non suis nisi patet ciuibus, quæ fores in perpetuum occlusit exterorum virtuti & fortitudini, quæ nulla etiam habita ratione probitatis inter suos ciues, ad quosuis vel improbos magistratus detulerit: quæ sceleribus pœnas, at nulla præmia virtuti, vel etiam paruas pœnas interdū improbitati, proponit: quo pacto non & segnis & libidini dedita esse potest? quo pacto non stultorum ac scelestorum hominum fiet iniquissima tyrannis? quo pacto non immemor acceptorum beneficiorum, aut etiam ingrata? quo pacto non inter scorta consenescat, & marcescat in ocio? fieri enim non potest vt animus hominum nihil agat, qui nisi honestis exercitationibus teneatur, ad turpia quæq; & impura studia deferatur necesse est: nam vbi fores occlusę sunt virtutibus, illæ necessario patent vitiis & sceleribus, cum aliquid omnino sit agendum.

## *De Hercule.* CAP. I.

NEque aliud sane quidquam Herculem omnium monstrorum, latronum, maleficorumque hominum domitorem & euersorem præter gloriam virtutis illustrauit: qui tantū nominis & gloriæ apud omnes homines consecutus est, quantum nulla ætas vnquam delere possit: cuius in honorē templa, altaria, ceremoniæ, sacerdotes fuerunt instituti: quod illi neq; nobilitas generis, neq; sola vis corporis, neq; amplissimum imperium, sine sapientia, animiq; magnitudine cōcedere poterat. Fuit Hercules Iouis & Alcmenę filius, vt testatur Orpheus in Argonaut. his carminibus:

πρῶτα δ' εἴδον βίην Ἡρακλῆος θείοιο,
ὃν τέκεν Ἀλκμήνη Ζηνὶ Κρονίωνι μιγεῖσα,
ἦμος ὅτε τρίοσην μὲν ἐλαύνετο σείριος αἴγλην
ἠέλιος, δολιχὴ δ' ἐπιμαίνετο πάντοθεν ὄρφνη.

*Hic prius Herculeum robur mihi cernitur: olim*
*Hunc Alcmena Ioui peperit coniuncta superno,*
*Cum latuit Phœbus longas tres ordine noctes*
*Continuas; caruitq; die Sol, Lumine Soles.*

Aiunt enim Alcmenam Thebani Amphitryonis fuisse vxorem, qui cum aduersus Teleboas Ætoliæ populos militaret, & exercitum duceret: quia ita nubenti Alcmenæ promiserat, quod fratris eius cædem vlcisceretur, huius captus amore Iupiter sumpta Amphitryonis forma, vt ait Plautus in Amphitryone, domum ante diem ingressus, illa per fraudem, ne vim inferret, potitus est. Nam Teleboæ Taphum insulam vnam Echinadum incoluerunt, qui prius habitabant Acarnaniam: hi cum essent rapacissimi, omnibusque infesti, Argos profecti Electryonis patris Alcmenæ boues abegerunt: qua ex re orto prælio & ipse Electryo & eius filii in ea pugna ceciderunt. etenim vt scriptum fuit ab Herodoto, qui bellum illud descripsit, quatuor filii ex Andromeda Perseoq; nati sunt, Sthenelus, Mestor, Alcæus, Electryo, qui communi imperio post Persei mortem regnarunt. E Mestore nata est Hippothoe, de qua & Neptuno Pterelas, de quo Teleboas & Taphus. Quidam ferunt bellum exortum inter hos fuisse, quia Teleboæ vi sortem auitam ab Electryonidis repeterent, cum illam iure assequi nō possent. atque cum ex Amphitryone prægnans esset Alcmena; tamen vt ex se etiam conciperet, dicitur Iupiter tres noctes in vnum coniunxisse, quod spacium totum in exprimendo Hercule absumpsit: non enim sat erat spacii nox vna tantæ plantandæ arbori. Deinde cum negligentius exceptus fuisset reuersus Amphitryo; causam percunctatus est ab Alcmena, audiuit priore nocte sui similem domum audiuisse: tum intellexit à Tiresia Iouem cum Alcmena concubuisse, vt testatur Atheniensis Apollod. lib. 2. Natus est igitur Thebis Hercules Ioue patre, matre Alcmena, vt testatur Hom. in hymno in Herc. hoc pacto:

Ἡρακλέα Διὸς υἱὸν ἀείσομαι, ὃν μέγ' ἄριστον
γείνατ' ἐπιχθονίων Θήβης ἐνὶ καλλιχόροισιν
Ἀλκμήνη, μιχθεῖσα κελαινεφέϊ Κρονίωνι.

*Alciden canimus Iouis: edidit illum*
*Præstantem virtute viris mortalibus, arcē*
*Magno Alcmena Ioui coniuncta in amore superno.*

Dixe-

Dixerunt tamen poetæ Herculem filium etiam Amphitryonis, vt ait Euripid. In hercule insano:

*τίς τὸν Διὸς σύλλεκτρον οὐκ οἶδε βροτῶν*
*Ἀργεῖον Ἀμφιτρύων', ὃν Ἀλκαῖός ποτε*
*ἔτικτεν ὁ Περσέως, πατέρα τόνδ' Ἡρακλέος;*
*Cui non Iouis riualis est mortalium*
*Auditus Amphitryo, satus de Persei*
*Alceo & almi, qui fuerit pater Herculis?*

Habuit Hercules fratrem natum eodem partu Iphiclum vna nocte iuniorem, sororem vero Laonomen, quam Polyphemo nupsisse memoriæ proditum fuit. Iphicli mirificam celeritatem pedum descripsit Orpheus in sacro sermone, & incredibilem leuitatem in his carminibus:

*οὐδὲ μὲν οὐδὲ θεοὺς φεύγοις οὐκ ἔννομα ῥέζων,*
*οὐδ' ἢν Ἰφίκλοιο θοώτερος αὐδάζοιο,*
*ὅς τε καὶ ἀνθερίκεσσιν ἐπέτρεχον, οὐδέ τι καρπὸν*
*σίνετ' ἀπήμονα γυῖα φέρων ἐπὶ λήιον αὖον.*
*Non poterit fugisse Deos qui turpia patrat,*
*Sit licet Iphiclo multo velocior ipso;*
*Qui super extremis segetum currebat aristis,*
*Nec siccos fructus lædebat pondere plantæ.*

Scriptum reliquit Pauſ. in Bœoticis Iunonem odio pellicis Alcmenæ commotam, cum sciret instare tempus prope pariendi, mulieres veneficas immisisse, quæ partum impedirent. Fertur eo tempore Histⁿoris Tiresiæ filia veneficas illas astutia elusisse. nam è loca quodam, vnde illæ facile audire possent exclamauit, Alcmenam peperisse: ea voce illæ deterritæ ac deceptæ, statim abierunt, quare Alcmena illico enixa est. Alij diuersam ab hac rationem tradiderunt, quippe qui non impeditam fuisse dicant à Iunone Alcmenam quo minus pareret; sed cum nonum mensem ageret Hercules in vtero matris, & septimum Eurysteus Stheneli filius, fama est iurasse Iouem alterum horum alteri imperaturum, atque ad illum pertinere imperium, qui prior natus eodem die fuisset. Id cum sensisset Iuno, septimestrem Erysthеum ex vtero matris exire fecit. at Herculis ortum in primum diem mensis decimi vsque prorogauit, vt ait Theoc. in paruo Hercule;

*Ἡρακλέα δεκάμηνον ἐόντα ποχ' ἁ Μιδεᾶτις*
*Ἀλκμήνα, καὶ νυκτὶ νεώτερον Ἰφικλῆα.*

*Alciden decimo prognatum mense decora*
*Alcmena, atq; vna iuniorem nocte Iphiclum.*

Eumolpus autem ille qui librum de mysteriis composuit, scripsit Herculem primum quidem fuisse inuisum Iunoni propter matrem pellicem, at placatā fuisse à Pallade, cuius etiam hortatu Iuno Herculi lac præbuerat paruulo, eumque fecerat immortalem. Huic eadem nocte, quæ secuta est primum natiuitatis diem, Iuno sub mediam noctē duos ferocissimos angues immisit, à quib. ictus nemine præscio interiret; sed Hercules dicitur ambabus manibus illos apprehensos ita constrinxisse, vt illæsus statim hos compresserit vt ait Ouidius in Deianira:

*Te ne ferunt geminos pressisse tenaciter angues,*
*Cum tener in cunis iam Ioue dignus eras?*

Quod etiam Theoc. planius expressit in paruo Hercule hoc pacto:

*ἆμος δὲ στρέφεται μεσονύκτιον ἐς δύσιν ἄρκτος*
*Ὠρίωνα κατ' αὐτὸν, ὁ δ' ἀμφαίνει μέγαν ὦμον·*
*τᾶμος ἄρ' αἰνὰ πέλωρα δύω πολυμήχανος Ἥρη*
*κυανέαις φρίσσοντας ὑπὸ σπείραισι δράκοντας ὦρσεν.*
*Sub mediam noctem quando Vrsa illabitur vndis*
*Oriona prope, usq; humerum protulit altum;*
*Ingeniosa duos immisit Iuno chelydros*
*Tergoribus nigris, spiris q; ingentibus atros.*

Deinde exequitur quo pacto Hercules sine lacrymis & intrepidus ambos illos cōpresserit. Apollodorus tamen lib. 2. iam octo mēses natum Herculem inusitatæ magnitudinis anguēs a Iunone immissos cōpressisse memorat. Alij vero inter quos fuit Pherecydes, hos angues non à Iunone sed ab Amphitryone immissos tradiderunt, vt experiretur vter esset Iouis filius, atq; Iphiclem territum cum eiulatu aufugisse, Herculem illos comprehensos suffocasse. Cæterum vbi Pallas ad Iunonem accedens persuasisset vti mammā præberet infanti, cum puer supra ætatem violentius sugeret, aiunt Iunonem indoluisse, ac puerum proiecisse. Alij dicunt quod cum Hercules lac retinere non posset, illud in cœlū deciderit, ac fecerit viam lacteam inde vocatam. Alij tamē dicunt istud accidisse quo tempore lac in saxum expressit, vt iussa fuerat, quod obtulit Saturno: quod alij de Mercurio dixerunt, quam opinionem de via lactea varietatem ita mirifice attigit Marcus Manilius in his: *Nec*

*Nec mihi celanda est forma vulgata vetustas*
*Mollior, è niueo lactis fluxisse liquorem*
*Pectore regina Diuum, cœlumq́; liquore*
*Infecisse suo: quapropter lacteus orbis*
*Dicitur, & nomen causa descendit ab ipsa.*

Deinde cum Hercules adoleuisset, iaculandi artem fuit à Teutaro Scytha pastore, vt ait Isacius, edoctus. Alij à Rhadamantho hanc artem illum didicisse malunt, alij ab Amphitryonis pastoribus, alij à Chirone & Teltiade: cum tamē Theocritus ab Euryto quodam edoctum iaculandi artem scribat, vt sensit etiam Apollodorus. A Lino Apollinis filio literas didicit vt fama est: musicam ab Eumolpo: luctam & artes cæteras ludricas ab Harpalyco Mercurij: & Phanopes filio: veluti sensit Apollodorus: ab Autolyco currus agitare, & equitandi peritiam ab ipso Amphitryone percepit. Qui fuerint magistri in singulis facultatibus, testatur Theocritus in his:

γράμματα μὲν τὸν παῖδα γέρων Λίνος ἐξεδίδαξεν,
ἢ ὃς Ἀπόλλωνος μελεδωνεὺς ἄγρυπνος ἥρως.
τόξον δ' ἐντανύσαι, καὶ ἐπίσκοπον εἶμεν ὀϊστῶν
Εὔρυτος ἐκ πατέρος μεγάλαις ἀφνειὸς ἀρούραις.
αὐτὰρ ἀοιδὸν ἔθηκε, καὶ ἄμφω χεῖρας ἔπλαξε
πυξίνα ἐν φόρμιγγι Φιλαμμονίδας Εὔμολπος.
ὅσσα δ' ἀπὸ σκελέων ἑδροστρόφοι Ἀργόθεν ἄνδρες
ἀλλήλους σφάλλοντι παλαίσμασιν, ὅσσα τε πύκται
δεινοὶ ἐν ἱμάντεσσιν, ἅ τ' ἐς γαῖαν προπεσόντες
πυγμάχοι ἐξεύροντο παλαίσματα σύμφορα τέχνα,
πάντ' ἔμαθ' Ἑρμείαο διδασκόμενος παρὰ παιδὶ
Ἁρπαλύκῳ Φανοτῆι.

*Hunc Linus edocuit sapientum scripta priorum*
*Peruigil, & claro Phœbi de semine natus.*
*Flectere at arte arcus, emittere & arte sagittas*
*Edocuit diues patriis hunc Eurytus agris.*
*Eumolphus vocem formauit, finxit & idem*
*Ad citharam, digitosq́; rudes, dextramq́; tremendam.*
*At quæcunq́; fuit membrorum ars apta palæstra,*
*Qua strauere viros, & decepere vicissim;*
*Quæ foret ars pugilum, & grauibus decernere loris,*
*Quaq́; graues pugiles reperere ex arte dolosæ,*
*Hæc à Mercurij doctus de sanguine creto.*

*Harpalyco, Phanopesque.*

Fertur Liuium cithara percussum interemisse, quia ab illo vapulasset, cuius etiã cædis causam dixit adhuc puer. In Astronomicis autem rebus magistrum habuit virum sapientissimum ac optimum Chironem. Alij dicunt à Castore armatum pugnare didicisse. Quare omnibus ingenuis artibus à singulis in quauis facultate præstantibus hominibus fuit institutus. Hercules insigni corporis magnitudine ac proceritate fuisse dicitur: quippe quem scripserit Heraclides Ponticus quatuor cubitorum & vnius pedis longitudinis fuisse. Ion præterea Chius & Herodotus in OEdipode Herculẽ tres dentiũ ordines habuisse memorat, igneumq; splendorem ex oculis effudisse, vt ait Zezes hist. 105. Chil. 3. Hercules, cum natus esset ea lege, vt Eurystheus Stheneli & Archippes filius fraude Iunonis prior natus illi imperaret, iussus est omnia quæ vbiq; pericula horrẽda viderẽtur subire, vniuersumq; terrarum orbẽ monstris horrificis expurgare. Primũ igitur omnium laborũ Herculi fuisse memorant leonẽ Cithæroneum: nam cum puer adhuc esset Hercules, ætatisq; suæ annum decimum sextum, vel, vt alij maluerunt decimum octauum ageret, essetque missus ab Amphitryone ad armentorum custodiam, ne bis in magistrum peccaret leonem interfecit, inuulnerabilem, qui (vt ferunt) de Lunæ circulo descẽderant, atq; qui in syluaNemea vagabatur, quæ fuit inter Phliuntem & Cleonas, cum armenta sua laniaret. Memoriæ prodidit Chrysermus libro secundo rerum Peloponnesiacarum, Iunonem supplicium de Hercule sumere volentem Lunam in auxilium acciuisse carminibus magicis vsam, quæ cistam spuma impleuit, è qua natus est hic leo. hunc Iris in gremio stringens in montem Opheltam deportauit, à quo eodem die Apæsamptus pastor fuit dilaniatus, vt ait Demodocus in rebus Heracleæ. Erat omnino leonis illius pellis nullo ferro penetrabilis, sicut Iuno instituerat, quæ implacabili odio Herculem insequebatur. In hunc Hercules multas sagittas frustra coniecit, neq; læsit omnino: mox cum ad clauam ventum esset, quæ multo ferro erat grauis, vt Socrates scripsit ad Idotheum: vt vero sensit Pisander, tota erat ferrea: & illa crebris verberibus cõminuitur. Deinde leonem nudis manibus apprehensum vnguibus dissecuit, atq; ita occisi vnguibus pellem detractam

tractam inuulnerabilem pro scuto in posterum gestauit, vt testatur Euripid. in Hercule insano:

*στολὴν θηρὸς ἀμφιθεὶς σῷ κάρᾳ*
*λέοντος, ἧπερ αὐτὸς ἐξωπλίζετο.*
*Fer q; pelle tu leonis induis*
*Caput, fuit gestamen illud Herculis.*

Quod factum est in monte exiguo Bœotiæ Teumesso nomine. Mansit postea illa cõsuetudo, vt multi heroes pellib. pro scutis vterentur, nã & Theseus, & Ancæus, qui fuit cum Argonautis, & Argus, & alij cõplures pellibus pro scutis vsi sunt, vt est apud Apolloniũ multis in locis, quod fiebat ad Herculis imitationẽ. Fuerũt autem tres leones ab Hercule superati, Heliconius, Lesbius, Nemæus. Cũ Thespius Rex Bœotiæ famam rerum ab Hercule iam gestarum percepisset, putauit suis rebus optime fore consultum, si cum quinquaginta filias haberet, totidẽ præstantes robore corporis, & animi sententia filios ex illo susciperet. quare Herculem ad conuiuiũ inuitauit, & perbenigne, magnificeque exceptum ita demum ebrium fecit, vt oẽs quinquaginta filias eadẽ nocte vitiarit, præter vnã; quæ vt testatur Pausanias in Bœoticis, perpetuũ sibi sacerdotiũ potius indixit, Ferũt singulas earũ mares filios peperisse, præter maioris & minoris ætatis duas, quæ geminos pepererunt. Fuerunt qui dixerint singulas singulis noctibus cum Hercule concubuisse, quod sane neq; admirabile esset, neq; prorsus incredibile, nõ tamen Hercule dignum: cum quidã adeo fuerint in Venerem propẽsi, vt vel septuagies rem absoluerint, vt ait Teophrastus in historiis plantarũ. Cum celebritas nominis, & virtutis Herculeæ gloria indies cresceret, quia Hercules armis à Minerua captis Creonti Thebanorũ principi opem tulerat, cæsisq; Minyis & Ergino Thebanam vrbẽ obsidente liberauerat agrum Thebanũ ab imposito per iniuriã tributo, vt scribitur; eius virtutẽ admiratus Creon Megaram filiam in matrimonium illi cõcessit. Istud fecit cũ esset ephebus, nam missas ad exigendũ tributum legationes mutilatas è regione eiecit. Petente Ergino autorẽ iniuriarum admiratus est audaciã Creon, nam erat ad deditionem propẽsus: at Hercules cohortatus coætaneos ad liberandã patriã, è sacris tẽplis armaturam euulsit, quã antiqui appenderant in honorẽ Deorum, cũ omnia, arma priuata Minyæ ex vr-

be sustulissent, ne Thebani bellũ renouarent. cum Erginus cum copiis aduentarẽt ad vrbem, illi occurrẽs ad quasdam angustias viarũ, fecit inutilem esse multitudinẽ copiarum hostilium, & Erginum trucidauit, & omnes prope eius copias profligauit. deinde repente victoria vsus potitus est vrbe Orchomeniorũ, & regiam Minyarum succẽdit, vrbemque funditus euertit. Quare Eurystheus suspectam habens eius virtutẽ, illum ad se accersiuit, & certamina imperauit. Cum Hercules nollet parere, Iupiter significatum mittit ne mãdata detrectaret, atq; ex oraculo quoq; Delphico intellexit esse voluntatẽ Deorum vt certamina absolueret duodecim, imperãte Eurystheo, cum insignis mœrori illum cepisset, Iuno insaniam quoq; immisit: quare filios è Megara suscepto tanquam hostes iugulauit: post cum resciuisset, à congressu hominum diu abstinuit. Fama est igitur Herculem ante furorem, siue insaniam filios Therimachum, Lamium, Creontiadem, & Deicoontẽ suscepisse è Megara, vt ait Apollod. lib 2. alij voluerunt filios fuisse Herculis Onitem, Democoontem, Temphrantem. Deinde Argos profectus est ad absoluenda mandata Eurysthei. Famam autem fuisse inquiunt, quo tempore Hercules ad inferos descendit, illum fuisse mortuũ: quare cum redisset, Lycum Thebanum Regẽ Megaram vxorem suam ducere conantem interemit. Ea de causa ob Iunonis inuidiam ira percitus in omnes filios suos quos è Megera susceperat, sæuiit. Dixerunt quidam octo fuisse Herculis & Megaræ filios, in quos ille sæuiit, alij quatuor Herculis, at duos Iphicli, cum illi iuniorem filiam Creon coniunxisset. Ex insanientis Herculis furore composita est tragœdia ab Euripide. Cum suos igitur Iphicliq; filios trucidasset, vel (vt alij malunt) in ignem cõiecisset, exilio solum vertit; deinde à Thestio expiatus Delphos se contulit, ac Deum percunctatus vbinam esset habitaturus, Pythia Tirynthem respondit oportere illũ proficisci, Eurystheoq; duodecim annos seruire, totidemq; labores persoluere, atq; ijs peractis demũ inter eos immortales receptum iri. Vocatus fuit vero Hercules tum primum à Pythia, cum antea Alcides diceretur. Tirynthẽ igitur migrauit, atq; primum omnium quidã illi imperatum dicunt ab Eurystheo vt Nemeæum leonem inuulnerabilem occideret. (Nam superiorem Cithæroneum ijdem fuisse, at non

Nemeæum

Nemeæum putarunt, cum è Cithærone monte primum irruisset in armenta) Fabulatus est Anaxagoras in Luna fuisse latam quandam regionem, è qua hic leo Nemeæus deciderit, cum Solem etiam nō minus stulte massam ferri igniti appellaret. est enim non ignobilis gradus stultitiæ vel si nescias quid dicat, tamen velle de rebus propositis hanc vel illam partem stabilire. Ille igitur frustra èxhausta pharetra cum claua feram insecutus est, quæ cum in speluncam aufugisset biforem, alterum ostiū occlusit, deinde brachiis circa collum coniectis, eo vsq; astrictam tenuit, donec suffocauit, & supra humeros sumptā Mycenas asportauit. Cæterum cum in Lerna Argiui, Mycenæique agri hydra insignis esse diceretur & magnopere formidabilis, quæ in palude lacui proxima versabatur, quæ plura capita haberet, vt scripsit Camirensis Pisander, iubetur Hercules ab Euryheo illam interficere. Versabatur plerumq; & educata fuerat sub platano quadam ibi amplissima ad fontē Amymones, apud quem fuit etiam cæsa. Dicunt hanc hydram multa habuisse capita, siquidem Naucrates Erythręus septē, at Zenodotus Ephesius nouem, Heraclides Ponticus quinquaginta illa fuisse tradidit: quæ quoties vnum eorum cædebatur, priorum numerus duplicabatur continuo, nisi quis concisum reliquum colli thyrsum igni statim combusisset. Id cum cognouisset Hercules, nulli diligentiæ aut labori pepercit in illa opprimenda. Asserunt eius hydræ venenū fuisse acutissimum, quippe cum sagitta illo veneno tincta Chironem prope subito interemerit, vel Polemorem Centaurum, vt quidam maluerūt. Hunc aiunt vi doloris impulsum ad fluuium è Lapitho monte Arcadiæ defluentem accurrisse, vt ibi vulnus lauaret: vnde postea teter odor dicitur flumini ex loto vulnere diu permansisse. Fuit enim hydra illa maleficum omnino & pestiferum hominibus animal: quippe quę campestria omnia impetu facto deuastaret, & in pecora agrosq; vicinos crudelissime sæuiret. Fabulantur Iolai opera aurigæ vsum fuisse Herculem. nam in curru eo accesserat, cum ingens cancer hydræ opem tulisset, quē Hercules conculcauit: nam ex accensa sylua propinqua accensos torres Iolaus ad Herculē attulit. Verum crediderunt hunc labore, quia adiutus fuisset Hercules ad Iolao, nō fuisse inter duodecim ab Eurystheo receptum. Deinde cum cerua quæ-

dam pedes æreos haberet. atq; cornua aurea. apud OEonem Dianę sacra, neq; quispiam mortalium posset illã cursu cõprehendere, habitaretq; in Mænalo monte, iubetur Hercules illã Mycenas adducere. Sed cum neq; occidere illã Hercules, vt Dianæ sacrã, neq; vulnerare vellet, annũ totũ currendo est insecutus: sed illa denique fessa in montẽ Artemisium confugit, & ad Ladonẽ amnem iam iam tranatura capta est, & Mycenas super humero deportata. Enimuero dicunt Eurystheum adeo fuisse virtute Herculis perculsum, vt dolium æneũ sibi ad latibulum comparauerit, neq; in vrbem Herculẽ admitteret, atq; omnia monstra ante portam ciuitatis exponi statuit, atque per Copreũ præconẽ omnia illa formidabilia imperauerit. Sunt etiam qui dicant Dianę Taygetæ illam ceruã fuisse postea ab Hercule cõsecratam. Præterea cum ad cædendum aprum Erymantheum iussus proficisceretur, à Pholo hospitio perbenigne accipitur: qui vas etiã optimi vini in honorẽ hospitis aperuit, vt à Dionyso imperatũ fuerat. tunc Centauri mirabili odore vini cõcitati, ad Pholum accurrentes, in Pholũ impetum faciunt vinum rapturi. Centaurorũ alij piceas cum radicibus euulsas pro armis habebant, alij saxa ingentia, alij lampades accẽsas, alij magnas secures. commissum est prelium opem tulit Pholo Nubes mater multum imbrẽ offundens, ac viam lubricam fecit Hercules opem ferẽs multos trucidauit, alios in fugam vertit. Qui ceciderunt in acie Centauri insigniores fuerunt Dupõ, Thereus, Hippotion, Melanchætes, Orius, Isoples, Daphnis, Amphion, Argius, Phrixus. Pholus tamen cæsus ob affinitatẽ sepeliuit, atque sagittæ è vulnere cuiusdam ereptę forte cuspide ictus. cum sanari non posset, interiit: quem Hercules magnifice sepeliuit in monte Pholoe ab illo vocato. Eo autem tẽpore Phocidis ager vniuersus ob iram Dianę, quia OEneus illam meritis victimarum honoribus priuarat, ab apro insignis magnitudinis vastabatur, qui in Erymãtho monte Arcadię natus fuerat, quem Hercules à Centaurorũ cæde profectus, vinctum ad Eurystheum deduxit, cũ illum è quodam frutice propter altam niuẽ defessum extraxisset. postmodo cum Augias Rex Elidis ingens stabulum trium millium boum, ꝙ erat fimo refertissimũ, haberet, iubet Eurystheus Herculẽ hoc vno die purgare. Cum Hercules eo accessisset, pactus fuit Augias se deci-

decimam partem omnium animalium esse daturum, si eodem die stabulum illud purgasset: quod id fieri non posse vllo pacto videbatur. Deinde cum Augias pro purgato stabulo se mercedem daturum negasset promisisse, ab eodem Hercule sagittis conficitur; filiusque Phyleus qui Dulichiũ profugerat, quoniam iniquum esse facinus patris dixerat, in regnum patri adiuuante Hercule successit. Fuit autem Augias Solis filius, vt dicebatur, vt alii putarunt Neptuni, vt alii Phorbantis & Hirmenes, vt alii Nyctei, alii Epochi, è cuius oculis radii solaribus similes effluere dicebantur. quamuis quidem putarunt post absoluta certamina duodecim Herculem bellum Augiæ intulisse, at non post factũ continuo ob denegatam retentamque mercedem. Augia vero cæso Hercules è spoliis Elidis certamina Ioui Olympico instituit, quæ Olympica appellauit: quæ quinto quoque anno agebantur, ipseque prior volentes omnes ad certamen prouocauit. Verum neq; hunc laborem Eurystheus inter duodecim recepit, quia spe mercedis illum absoluisset Deinde cum Hercules audiuisset iuxta Stymphalum Arcadiæ lacum, apud quem Iuno educata fuit, eratque celebre Dianæ templum, aues esse quæ humanis carnib. vescerentur, ad has cędendas iussus accessit. Fuerunt qui dixerint Stymphalides vocatas aues non à Stymphalo lacu, vel palude Arcadiæ Stymphali, sed heroe quodam Stymphalo, cuius & ipsius vxoris Aues vocatæ filiæ fuerint, vt sensit Mnaseas. Has occidit Hercules, quod ipsum hospitio non accepissent, acceptis tamen Molionibus. Alii & aues has fuisse memorant, & non sagittis cæsas, sed, cum iuberetur tantum abigere, crepitaculorum æneorum à Pallade acceptorum tinnitu ab Hercule exterritas in Aretiam insulam ex Arcadia conuolasse, vt sensit Pisander Camirensis, & Seleucus in miscellaneis, & Charon Lampsacenus. Has enim Ploiidas vocarunt, vt ait Apollonius lib. 2. Argonaut.

οὐδὲ γὰρ Ἡρακλέης, ὁπότ᾽ ἤλυθεν Ἀρκαδίηνδε,
Πλωίδας ὄρνιθας Στυμφαλίδας ἔσθενε λίμνης,
ὤσασθαι τόξοισι, τὸ μέν τ᾽ ἐγὼ αὐτὸς ὄπωπα.
ἀλλ᾽ ὅγε χαλκείην πλατάγην ἐνὶ χερσὶ τινάσσων
δούπει ἐπὶ σκοπιῆς περιμήκεος· αἱ δ᾽ φίβοντο
τηλοῦ ἀτυζηλῷ ὑπὸ δείματι κεκληγυῖαι.

*Sed neq; vt Arcadiam petiit vis Herculis, arcu*

*Ploidas inde lacu volucres Stymphalidas ulla*
*Pellere vi potuit: namq; hoc ego lumine vidi.*
*Ast idem vt manibus crotalum pulsauit in alta*
*Existens specula prospectans, protinus illa*
*Cum clamore procul linquentes littus ierunt.*

Nam fertur crotalū illud, quo Stymphalides volucres exterruit, à Vulcano fuisse factū, quod Pallas eo adeunti Herculi concessit. Fuerunt sane aues, quæ Stymphalides vocarentur, in locis Arabiæ desertis nihil magis quā leones aut pardi mites hominibus, siquidē vel ferro vel ære tecta corpora rostris percutientes integumenta effringebant facillime: quare postea inuentus fuit cortex, quo homines tecti si percuterentur rostris illę defixo rostro in illo libro, tanquā visco, aut aliqua tenacissima materia caperētur, vt ait Pausan. in Arcadicis. Fuerunt autem ibibus Ægyptiis persimiles sed rostro rectiore ac validiore, corpore multo maiore. Hæ vocatæ sunt in Arabia etiam Stymphalides ad earum formam fortasse, quæ aliquando in Arcadiā conuolarūt, & ab Hercule fuerunt repulsæ. Memoriæ prodidit Timagetas Stymphalides illas, quæ repulsæ fuerunt ab Hercule, alas & rostra & vngues habuisse ferreas, quas modo σιδηροπτέρους ferreis aliis scilicet, modo σιδηρόνυχας, hoc est vnguibus ferreis, modo σιδηρορύγχους rostris ferreis nominauit. Post fugā Stymphalidū tauri illius domandi, & adducendi labor successit, qui fuerat Neptuni ira in Cretenses immissus, totamq; Cretensium regionem populabundus vagabatur. Nam multa animalia variis temporibus ob iram Deorum Græciā inuaserunt magnitudinis & ferocitatis admiranda, sicut leo Parnasius & Nemeæus, aper Calydonius & Erymanthius & Crommyonius Fabulantur quod cum Minos toti mari, quod Græciā alluit, imperaret, nihilo maiorem honorē Neptuno, quā Diis cæteris impartiuit: quamobrem iratus Neptunus taurū hunc ignem efflantem naribus in eius regionem immisit. Fuerunt qui dixerint, Minoē vouisse quod primū sibi se obtulisset, vt diximus in Minoe, atq; hunc taurum in sua armenta seruasse: quare Neptunus illi furorem immisit, vt omnia diuastaret. Alii dixerunt hūc taurum per fraudem Minois in Atticum solum fuisse deportatum, qui multos Athenienses conculcarit, vt quemq; obuium casus tulit, atq; inter cæteros Androgeum Minois filium:

filiũ:quem cum ille per insidias obtruncatũ putasset, comparata classe bellũ Atheniensib. intulit. Hic idem taurus vt ductus fuit ad Eurystheum, vt qui esset sacer, ab Hercule dimissus Marathonium agrum rursus vexauit. quem dicunt nonnulli Dianæ Marathoniæ fuisse postea Theseo mactatum. Apollod. putauit fuisse taurũ qui trans mare portauit Europam. Deinde cum Diomedes Thraciæ Rex Cyrenes Martisq; filius equos ferocissimos & crudelissimos, ignemque spirãtes in Tyrida oppido humanis carnib. aleret, quibus captos hospites laniandos exponebat, ab Eurystheo iubetur illos adducere. tum vero Hercules ad Diomedẽ profectus, ipsum primum captum suis equis lacerandum crudeliter exposuit, equosque ipsos post esum Diomedem alii ab Hercule trucidatos, alii ad Eurystheum ductos arbitrãtur: quos ille cum ad Olympum mõtem in pascua misisset, feruntur fuisse à feris laniati. Neque illud censuerim prætermittendũ, quod cum in agrum Epidauriorũ venisset ad collem quendã iuxta viam oleam manu capiens circũduxit quæ illã figuram accepit vt Versilis vocaretur, essetq; omnibus exteris admirationi, non procul à templo nominatæ Coryphęę Dianę. Imperauit illi postea Eurystheus, vt Hippolytæ Amazonum reginæ baltheum, quem pulcherrimũ esse audiuerat, ad se afferret, quẽ Admetæ filiæ largiretur, quem tamẽ nonnulli non Hippolytæ, sed Deilycæ esse maluerunt: at Ibycus filiæ Briarei. Tum Hercules cũ vna naui ad Amazonas trãiecisset, Mygdonem & Amycum fratres iter impedire conantes in Bebrycia, obtruncauit, ac vniuersam Bebryciã depopulatus Lyco Deiphili filio quem secum adduxerat, largitus est: qui Bebryciã postea Heracleam in honorẽ Herculis nominauit. Cum Themiscyram Hercules applicuisset, Amazones comparatis copiis ad defensionem se accinxerunt cõmisso prælio illi prima ex insignib. occurrit Procella, sic à velocitate dicta, secunda Philippis, tũ Prothoe, post Eribœa, deinde Cæleno & Eurybita & Phœbo Dianæ comites, quibus omnib. cæsis Deianiram & Asteriã & Murpen & Tecmessam & Alcippẽ cepit Melanippe fortissima prius credita imperium amisit. Hic Hercules cæsis insigniotibus Amazonibus, reliquisque in fugam versis eam nationem penitus deleuit. deinde Hercules Hippolytam Theseo eius expeditionis socio concessit. Idem cum

reuerteretur ad Eurystheum, reperit Hesionẽ Laomedontis filiam, quam ob irã Neptuni Laomedon Deorũ responsis illi ceto quem Neptunus immiserat, exponere iubebatur: quam Hercules a ceto liberauit. Verum cum præstantissimos equos ob id beneficium Laomedon Herculi promisisset, neque tamen dedisset, indignatus Hercules ob hominis fallacias Troiam aggressus regem obtruncauit: Hesionemque Telamoni, qui prior murum conscenderat, largitur: concessitq; Hesionæ vt quẽ vellet è captiuis emeret; atque illa fratrem Podarcim emit, qui postea Priamus illa de causæ vocatus est. Nam fertur non solum Troiam nauigasse, sed etiam subiugasse Amazonas, & occidisse Alcynẽ Telamone socio, cuius amicitiam ita attigit Theocritus:

*αὐτῷ θ' Ἡρακλῆϊ καὶ ἀστεμφεῖ Τελαμῶνι,*
*οἱ μίαν ἄμφω ἑταῖροι ἀεὶ δαίνυντο τράπεζαν.*
*Alcidi magno, atq; intrepido Telamoni,*
*Qui mensam socii conuiuabantur ad vnam.*

Deinde Tmolum & Telegonum Protei filios, qui hospites lucta superatos necabant, ipse lucta suffocauit. idem Sarpedonẽ Neptuni filium contumeliosum, ferumq; plane virũ interfecit sagittis, post q̃ victoriam baltheum Eurystheo asportauit. Postea vero iussit Eurystheus, vt puniceos Geryonis Hispaniæ regis boues, qui hospites vorarẽt, ad se adduceret: quare ad illos opprimendos contendit. Dicitur Geryon Chrysaoris & Callirhoes filius triplex corpus habuisse, canemq; duorum capitum in Erythea, ac septem capitũ draconẽ ex Typhone & Echidna genitum, qui boues ipsos custodiret. Habuit vero suæ crudelitatis ministrum impigrum atq; diligentem Eurytionẽ. Huc profectus Hercules, Geryone, caneq; Orthro, dracone & pastore Eurytione interẽptis, boues ex Oceani insula Gadira ad Tartessum per id temporis celeberrimam Iberiæ ciuitatem abigebat. Atq; vbi Libys Alebionis frater, à quo Ligures postmodo vocati fuerunt, omnisq; Liguria nomẽ obtinuit, eius iter impedire conaretur, ab Hercule occisus fuit. at Alcyoneus Gigas cũ Hercule ad Isthmum Corinthi cõgressus, dum is boues abigeret, saxum maximũ iecit è mari rubro sumptum, quo viginti & quatuor homines occidit. nam cũ tantum põderis vix duodecim plaustra perferre possent, id Hercules claua facile repulit, & illũ occidit. saxum vero iacuit in Isthmo

vbi

vbi agebantur certamina. His igitur in locis duas colūnas Hercules erexit tanquam suorum laborum terminos: quarum alteram Calpen, alteram Abylen vocauit, posuitq; eas in finibus Libyæ & Europæ. Neq; tamen vbi hæ columnæ fuerint erectæ satis conuenit inter scriptores, quoniam Dicæarchus, Eratosthenes, Polybius, & Græcorum scriptorū complures ad Euripi angustias illas erectas dixerunt: Hispani vero & Aphricæ gentes apud Gades esse putarunt; quod sensit etiam Dionysius in libello de situ orbis in his:

*ὑμεῖς δ᾽ ὦ Μῦσαι σκολιὰς ἐνέποιτε κελεύθους,*
*ἀρξάμεναι στιχηδὸν ἀφ᾽ ἑσπερίου Ὠκεανοῖο·*
*ἔνθα τε καὶ στῆλαι περὶ τέρμασιν Ἡρακλῆος*
*ἑστᾶσι (μέγα θαῦμα) παρ᾽ ἐσχατόωντα Γάδειρα.*
*Obliquas narrate vias, mihi dicite Musæ*
*Oceani Hesperiis à gentibus incipientes:*
*Ad fines vbi sunt erectæ forte columnæ*
*Herculeos (mirum) iuxta suprema Gadira.*

Fuit enim antiqua imperatorum consuetudo, ad quæ loca extrema cum exercitu vel classe penetrassent, ibi aliquādo suæ expeditionis reliquere monimentum: sicut Bacchus columnas duas magnas erexit in oriente, Alexander Indicæ militiæ terminos aras apud extremos Indos instituit, atq; ordinauit, super quibus vota Diis immortalibus persoluit, vt testatur Strabo lib. 3. Verum cum boues Geryonis in Libyam per Iberiam Hercules abigeret, dicuntur Dercylus & Alebiō Neptuni filii boum pulchritudine allecti, illos surripuisse, & egisse in Hetruriam: à quibus cum taurus aufugisset, & tranasset in Siciliam, Italiam postea nominarunt. Tyrrhenorum enim lingua taurus Italus dicebatur. Cum Hercules venisset in Siciliam, iter fecit à Peloriade ad Erycem, cui apud mare nymphæ balnea pararunt. cum Eryx Siciliæ Rex taurum illum cepisset, neque repenti Herculi reddere vellet, ad certamen ventum est. atq; Eryx cæstu, percussus diem suum obiit. dicunt tamen quidā non cæstu; sed palæstra interemptum fuisse Erycem Veneris & Butæ filium, cum alter boues, alter regnum victori præmium proposuisset. Hercules victor regionē concessit fruendā incolis, donec aliquis affinis eam repeteret; atq; Doricus Lacedæmonius post multis ætatibus illuc veniens, atq; ibi Heracleam condidit, quam Carthaginenses suspectam, vt nimis potē-

tem deleuerunt. In Siculos etiã qui collectis multis copiis obuiam processerant, ac boues rapere conabantur, impetũ faciens illos profligauit, ac multos occidit, inter quos fuerunt insigniores Leucaspis, Pediacrates, Buphonas, Gaugatas, Cygæus, Crytidas. Deinde boues, obtruncatis latronib. cum mare Ionium traiecisset, ad Eurystheum Mycenas deduxit, quos omnes ille Iunoni immolauit. Dicitur Geryon Hispaniæ tunc imperans tres habuisse filios potentia & peritia rerum bellicarum insignes, quid singulari consilio & concordia in protegendo regno paterno vtebantur. Hercules aduersus hos militaturus copias collegit in Creta, qui populi erant bellicosi, quippe qui primi omnium mortaliũ militaria stipendia meruerint: quam etiam insulam ad gratiam Cretensium insignibus honoribus affectus omnibus prope feris expurgauit, quare neq; serpentũ, neq; luporum, aut vrsorum semina ibi sunt relicta, aut cæterarũ consimilium ferarum. Fabulantur Herculem post ductos ad Tartessum boues poculum suum Soli reddidisse: nam dicitur Hercules cum ad boues contẽderet, Solis radiis nimium calefactus arcum vel in ipsum Solẽ intendisse; quare Sol eius vires, & animi magnitudinẽ admiratus, aureum poculum illi donauit, in quo Oceanum ad boues capiẽdos traiecit; vt ait Pherecydes in 3. lib. historiarũ atq; vbi per Oceanum nauigaret in eo poculo, Oceanus cum vellet facere periculum constantiæ & fortitudinis Herculeæ, illi insignem tẽpestatem immisit. qua poculũ magnopere fluctuabat. Tunc iratus Hercules vel contra Oceanũ arcum intendit, quod Oceanus veritus eius iram placare studuit. quamuis Theolytus in 2. lib Horarum illum in lebete nauigasse scribit. Fama est præterea Iunonẽ, cum nupsisset, multas pomos, quę aurea mala producerent, Ioui in dotem dedidisse, quę apud Hesperidas nymphas à dracone peruigili custodiebantur. Fuerunt Hesperides Hesperi fratris Atlantis filiæ. Ægle, Arethusa, Hespertusa; vel (vt aliis magis placuit) Ægle, Erethusa, Vesta, Erythia. Draco, qui mala aurea custodiebat, natus ex Typhone & Echidna esse dicebatur: qui centũ capita habebat, variisq; vtebatur vocib. Iubetur postea Hercules ab Eurystheo aurea illa poma afferre, quæ vbi essent nesciens Hercules ad Nymphas iuxta Eridanum in quadã spelunca habitantes contendit. Illæ docent Nereum hac de re esse

re esse consulendum, qui post interrogatus ab Hercule docet adeundum esse Prometheum, à quo quid esset agẽdum edoctus est dracone ipso interempto. Eo igitur interẽpto Hercules aurea mala decerpsit, & ad Eurystheum detulit. Alii maluerunt illũ admonitum à Prometheo fuisse, vt Atlãtẽ ad ea pro se mitteret, ac ipse tam diu cœlum, dum rediret Atlas, sustineret. Multa sane sunt certamina quæ in hoc etiam itinere commisit, à Cycno ad fluuium Echedorum ad singulare certamen prouocatur, qui fulmine cœlesti fuerũt dirempti. A Nereo deinde doctus fuit comprehenso, & in multas formas mutato, vbi essent mala, & Hesperides. Cum è Pyrenæis montibus per Illyricam regionem iter faceret, & in Libyam peruenisset, Antæum Terræ filium obuium habuit, hominem admirandæ proceritatis, quippe qui ad sexaginta & quatuor cubitorum longitudinẽ accederet, in omnes peregrinos inhumanum: quos secum luctari cogebat, & suffocabat. Hic cum Herculem ad luctam prouocasset, ab eo pene extinctus per prosternitur. at erat ea virtute vt quoties Terram matrem attingeret, toties fortior resurgeret, quod sentiens Hercules hunc comprehensum sublimem à terra tamdiu sustinuit, quamdiu spiraret, donec vi Herculeá brachiisq; deniq; strictus, exspirauerit. Quam rẽ ego sane nihil aliud significare crediderim, quam medicorum quoddam dogma, contraria scilicet contrariis esse curanda, vt nomen Antæi videtur significare. quod tamẽ potest ad multas politicas transferri actiones & iudicia, & ad vtilitatem vniuersæ humanæ vitæ. cum enim Hercules Sol existat, terra frigida contacta recreat, quæ nimio calore fuerint exusta, quamobrẽ reuocat in vitam ipsum Antæum. sic namq; docemur calidis ægritudinibus refrigerãtia medicamenta esse adhibenda, aut non violenta tamẽ, ne propter antiperistasin fiat apostema. Neq; in reb. ciuilibus eadem ratione extrema esse posse vtilia demonstratur. Illud autẽ significatur, quia ille attingens tantum terram ardore Solis prope extinctus reuiuisceret: nã contrariis adiuuanda est & excitãda vis naturæ, at nõ contrariorũ mole obruẽda. E Libya vero in Ægyptũ profectus Busirim Neptuni Lysianassæq; vel Libyes filiũ inuenit: qui ea crudelitate in externos vtebatur, vt aduenas quotquot cõprehenderet, Neptuno patri, vel (vt alii malunt) Ioui immolaret. Neq; enim

illud crudelitatis genus impune exerceri virtus Herculea passa est: nam cum easdem insidias, quas cæteris hospitibus Herculi parasset, & Busiris Neptuni, & eius filius Amphidamas, & Chalbes præco, atræ illius impuræ ministri, apud q̃ mactare hospites consueuerant, apud eandem Iouis aram, manu Herculea occubuerunt. Cum vero Thebas ac per montes exteriores Libyæ proficisceretur, multas feras in locis desertis sagittis occidit. Postea idem Hercules per Arabiã iter faciens, Emathionẽ Tithoni filium violentũ plane hominẽ, & in omnes peregrinos immansuetum, obuiũ habuit, qui trucidare & spoliare omnes aduenas consueuerat, quem etiam obtruncauit. Mox ad Caucaseos montes & Hyperboreos profectus, aquilam & ipsam Typhonis & Echidnæ filiã quæ iecur Promethei vorabat, sagittis transfixit, & Prometheum solutis vinculis oleastri liberauit. Cũ Acheloo, qui tauri formã sumpserat, in Calydone colluctatus, cornu eius fregit: pro quo redimendo Achelous Amaltheæ Harmodii filiæ cornu Herculi largitur, quod ille omnibus fructibus refertũ Ioui consecrauit. Fuerat enim illi Deianira desponsata, quo tempore degebat in Calcydone. Ad conuiuium conuocatus OEnei pincernam Architelis filium pugno occidit, quia aquas, quibus pedes lauerãt, per inscitiam in manus fudisset, vti memorię proditũ est ab Archilocho ob illud facinus cum Deianira è regione OEnei exulauit. Idem Semnonidis filios Passalum & Achemonem homines inhumanos & feros comprehendit, qui cædes, & furta, & rapinas præmia fortitudinis vocabant. Hos cum mater reprehenderet, ac diceret, nondum in virum qui nigras habet natas, incidistis; ridebant. hi igitur dormienti Herculi sacculũ surripere conantes ab Hercule capiuntur, quos ligatis simul amborum pedib humero suspendit: atq; alter in prioribus, alter in posterioribus partibus gestabatur. Cum sine subligaculo esset Hercules, illiq; essent inter se conuersi, eius pudenda & nates & villos nigros videntes, matris recordati in maximum risum sunt conuersi; quod cum didicisset Hercules, eos liberos dimisit. Idem Saurum trans fluuium Erymanthum vocatum postea Sauri iugum viatoribus infestum interemit. Idem Cacum Vulcani filium tricipitem latronem in Auentino monte oppressit: idẽ Laciniũ extremam oram Italiæ latrociniis infestantẽ trucidauit:

uit: idem Coon insulam diripuit, regemq; Eurypylum cum vniuersa familia obtruncauit, quia exercerent cædes & latrocinia aduersus omnes; filiamq; Chalciopen cepit, è qua suscepit Thessalum filiũ qui nomẽ dedit Thessaliæ; quamuis alij inquiant non ob latrocinia Eurypyli patris, sed ob desideriũ Chalciopes Herculẽ Coon insulam fuisse populatum. Idem Pyrechmum regem Eubœæ profligauit, quia per iniuriã Bœotorum regionem bello infestaret. Idem Albionem & Borgionem iter suum impedientes cum ad Atlanticos montes properaret, de medio sustulit, in quo certamine deficientibus telis cum in discrimen vitæ venisset, Iouem precatus est Patrem, vt sibi tela suggereret: atq; statim frequentissimus imber lapideus cecidit, quo gigantes illi oppressi sunt, vnde locus dictus est campus lapideus in Gallia Narbonensi. Idem Cycnũ singulari certamine apud Peneum amnem extinxit, quia is multos propositis singularis certaminis præmiis extinxerat. Idem Gigantes, quos Iuno aduersus ipsum educauerat, vel (vt voluit Timarchides) qui nati fuerant è sanguine Nemei leonis, interemit; quos latrones fuisse in reb. Cyzicis scripsit Polygnotus. Dicitur & cum Alcioneo congressus illum in Isthmo interemisse quod tamen non prius fecit, quam illi Alcyoneus duodecim plaustra impedimentorum per summam contumeliã infregisset, vnoq; iactu saxi viginti & quatuor homines & nõnullos boues oppressisset, quod saxum postmodũ fuit claua ab Hercule repulsum cum in ipsum coniiceretur, & Alcyoneus claua interemptus. illud saxũ iacuit in Isthmo insignis magnitudinis, quod quinquaginta paria boum dimouere nõ possent, vt scriptum fuit à Theseo in rebus Corinthiacis, & à Theodoro in bello Giganteo. Cæterum cõpositis rebus Ibericis, bobusq; Geryonis abductis, fama est Herculẽ Celtarum regionem peragrasse multos maleficos & impuros latrones obtruncantẽ, qui per monstra & feras varias significabantur, multis quotidie militibus in castra venientibus: atq, vrbem Alesiã condidit populosam & amplam, quam liberam fecit ac metropolin regionis. Deinde in Italiã accedens Alpes fecit peruias obtruncatis principibus latronum, qui viatores trucidabant ac diripiebant. Iter habuit per oram Ligusticam & per Tyrrheniam ad portum Herculis tum prius vocatum, peruenitque ad Tiberim, vbi

postea condita fuit Roma hinc in Palatium paruam vrbem ita vocatam profectus à Potitio & Pinario primariis ciuibus in hospitium est exceptus, quibus vaticinatus est fore vt ea vrbs plurimum fœlicitate & opulentia præstaret. Cum ad Cumeam planitiem postmodo venisset, Phlegræam vocatam ob scatentem ignem antiquitus, prædictos Gigantes inuenit, qui audito eius aduentu in vna castra conuenerant, prælioque ingenti commisso Diis adiuuantibus victoria fuit penes Herculem, qui multos ex hostibus trucidauit. Aiunt ipsum Herculem ad fines Rhegię Locridis peruenisse, qui cum labore itineris defessus vellet quiescere, à cicadis fuit infestatus: idcirco precatus est Iouem, vt infestantes cicadæ vanescerent: inde nullæ in posterum etiam visæ sunt cicadæ in illa regione. Idem occidit Eurytum & Creatum Neptuni & Moliones filios: deinde duodecim Diis aras erexit, Ioui, Neptuno, Iunoni, Palladi, Mercurio, Apollini, Gratiis, Baccho, Dianæ, Alpheo, Saturno, Rheæ. Alij tamen senserunt tunc cæsos tantum fuisse ab Hercule Gigantes, cum bellum aduersus Iouem suscepissent, vt ait Horat. in lib. 2. Carminum:

*domitosque Herculea manu*
*Telluris iuuenes, vnde periculum*
*Fulgens contremuit domus*
*Saturni veteris.*

Fama est post è Gigantibus victoriam Herculem suam clauam Mercurio cognomento Polygio consecrasse, quam dicunt fuisse ex oleastro, & repullulasse, actisque radicibus insignem arborem factam fuisse: quod forte posset non mirabile videri, quippe cum dicat Virgil. oleas vel siccas pullulare, in 2. Georg.

*Quin & caudicibus sectis (mirabile dictu)*
*Truditur è sicco radix oleagina ligno.*

Ferunt illum antequam ad inferos descenderet, ad OEtam accessisse, atq; ex fonte bibisse, qui inde labebatur; ob cuius vim cum omnium præteritorum malorum esset oblitus, fontem illum Lethum nominauit, vt ait in rebus Ætolis Demophatus. Hęc omnia sunt ab Hercule gesta antequam ad inferos descenderet. Enimuero non satis terra ad exantlandam virtutem Herculeam videbatur, quare iussit illum Eurystheus ad inferos adire, & maxime hortendum inferorum ca-

rum canem Cerberum ad se adducere. Hunc fabulati sunt quinquaginta habuisse capita, tria canina, reliqua & caudam draconis. Hercules igitur sacrificiis Diis rite peractis. in Tænaro promontorio autum subiuit, traiectoq; Acheronte, & reliquis inferorum fluminibus, Theseum super saxo sedentem & Pirithoum inuenit: sed quia sponte & consulto Pirithous eo accesserat, illum ibidem reliquit; Theseum, quia necessitate coactus fuerat, liberauit. Tũ Menœtium Ceuthonymi filium, inferorũ bubulcum, quia capturo Herculi Cerberũ repugnaret, interemit: nam vbi colluctari cum illo incepisset, ita Menœtium Hercules obstrinxit, vt omnia eius ossa cõfregerit. Inuenit autẽ Cerberum in limine inferorum, qui viso Hercule statim ad solium regis inferorum cõfugit quẽ pelle leonis & thorace tantum munitus Hercules cepit, quamuis nullum esset eius morsus remedium, cum subita vis veneni vel in ossa continuo penetraret. Fabulantur Herculem cum ad inferos descenderet, in ripa fluminis Acherontis albam populum inuenisse, atq; ex ea coronam sibi fecisse, vt testatur Olympionicus in lib. de plantis, cuius pars foliorum exterior ob inferorum locorum caliginem facta est nigra mansit postea inde consuetudo vt sacra arbor illa Herculi putaretur & in sacrificiis Herculis coronarentur sacrificantes ramis populeis, & (vt scripsit enarrator Theocriti) præmia etiam victoribus certaminum in coronas parabãtur rami populei, quia multa certamina Hercules absoluisset. Cerberũ igitur per Trœzenem ad Eurystheum deduxit; quẽ scripserunt Euphorion & Herodotus per Heracleam, quam Acherusiam vocãt incolæ, adductum, atq; cum primum lucem sensisset, vomuisse, ex quo vomitu natum fuit aconitum. est autẽ aconitum herbæ radix parua, similis gramini, cuius porus est amarus, atq; totum os stypticum facit, cor mordet, spiritum incidit ob frigefactum pulmonem, ventrem implet flatibus, crebramq; percussionẽ excitat circa tempora, hominesque facit amẽtes & stupidos, vt scripsit Cyreniacus Apollodorus. quod aconitum ita vocatum fuit, vt ait Theoph. in 2. plant. quod in aconis siue cotibus fuit inuentum, quas cotes alij in Heraclea, alij in Tanagra, alij in Hermione nasci dixerunt. dictum est aconitum pardalianches præterea & myoctonum, quia pardales & mures enecet. Fuerũt qui dixerint,

Cerberum ad Eurystheum dictum statim iussum fuisse ad inferos rursus deduci, Herculis nonnullos labores ita breuiter conscripsit. Quintus Smyrnæus:

πρῶτα μὲν ἐν Νεμέῃ βριαρὸν κατέπεφνε λέοντα.
δεύτερον ἐν Λέρνῃ πολυαύχενον, ὤλεσεν ὕδρην.
τὸ τρίτον αὖτ' ἐπὶ τοῖς Ἐρυμάνθιον ἔκτανε κάπρον.
χρυσόκερων δ' ἔλαφον μετὰ ταῦτ' ἤγρευσε τέταρτον.
πέμπτον δ' ὄρνιθας Στυμφηλίδας ἐξεδίωξεν.
ἕκτον, Ἀμαζονίδος κόμισε ζωστῆρα φαεινόν.
ἕβδομον. Αὐγείου πολλὴν κόπρον ἐξεκάθηρεν.
ὄγδοον ἐκ Κρήτης δὲ πυρίπνοον ἤλασε ταῦρον.
ἔνατον, ἐκ Θρήκης Διομήδεος ἤγαγεν ἵππους.
Γηρυόνου δέκατον βόας ἤγαγεν ἐξ Ἐρυθείης.
κέρβερον ἑνδέκατον κύν' ἀνήγαγεν ἐξ ἀΐδαο
δωδέκατον δ' ἐκόμισσεν ἐς Ἑλλάδα χρύσεα μῆλα,
τὸ τρισκαιδέκατον, τοῖον λυγρὸν ἔσχεν ἄεθλον,
μιῇ νυχὶ πεντήκοντα ξυνελέξατο κούραις.

Quæ carmina ita fuerunt Latine à quodam pronunciata:

*Prima Cleonæi tolerata ærumna leonis.*
*Proxima Lernæam ferro & face contudit hydram,*
*Mox Erymantheum vis tertia perculit aprum.*
*Æripedis quarto fuit aurea cornua cerui.*
*Stymphalidas pepulit volucres discrimine quinto.*
*Threiciam sexto spoliauit Amazona baltheo.*
*Septima in Augiæ stabulis impensa laboris.*
*Octaua expulso numeratur adorea tauro.*
*In Diomedeis victoria nona quadrigis.*
*Geryone extincto decimam dat Iberia palmam.*
*Vndecimum mala Hesperidum distracta triumphum.*
*Cerberus extremi suprema est meta laboris.*

At Quintus Smyrnæus tertium decimum addidit laborem hoc pacto:

*Tertius hinc decimus labor est durissimus: vna*
*Quinquaginta simul stuprauit nocte puellas.*

Cum dicant quidam tot fuisse Herculis labores, infinitos prope fuisse alij crediderunt, vt testatur Euripid. his carminibus, in Hercule insano:

ἔτ' ἐν γάλακτί τ' ὄντι γοργωποὺς ὄφεις
ἐπισέφρησε σπαργάνοισι τοῖς ἐμοῖς
ἡ τοῦ Διὸς σύλλεκτρος, ὡς ὀλοίμεθα.

ἐπεὶ

ἐπεὶ δὲ σαρκὸς περιβολαὶ ἐκτησάμην
ἡβῶντα, μόχθους, οὓς ἔτλην, τί δεῖ λέγειν;
ποίους ποτ᾽ ἢ λέοντας, ἢ τρισωμάτους
τυφῶνας, ἢ γίγαντας, ἢ τετρασκελῆ,
κενταυροπληθῆ πόλεμον οὐκ ἐξήνυσα;
τήν τ᾽ ἀμφίκρανον καὶ παλιμβλαστῆ κύνα
ὕδραν φονεύσας, μυρίων τ᾽ ἄλλων πόνων
διῆλθον ἀγέλας κεὶς νεκροὺς ἀφικόμην,
ἅδου πυλωρὸν κύνα τρίκρανον εἰς φάος
ὅπως πορεύσαιμ᾽ ἐντολαῖς Εὐρυσθέως.

*Angues feroces fasciis paruo mihi*
*Circumuolutο immisit, vbi lac sugerem,*
*Coniunx Iouis, perirem vt horum morsibus*
*Adultus vt fui, mihi quid est opus*
*Multos labores, quos tuli, profarier?*
*Aut quos leones vicerim, tricorpores*
*Typhonas, aut gigantes, aut queis quatuor*
*Sunt crura Centaurorum genus? nam bicipitem*
*Repullulantem hydram, canemq; periculi.*
*Multis peractis hinc ego laboribus*
*Ad inferos iui obsitos caligine,*
*Canemq; traxi ianitorem tartari*
*In lucem, vti iussit seuere Eurysthetu.*

Atque non solum homines malefici & latrones, aut feræ crudelissimę, horrendaque monstra vim Herculeam senserunt sibi esse formidabilē, verum etiam fama est quod cum is ad mortuam Alcestim venisset, Morte deterrita, illam marito viuam restituit, vt scripsit Eurip. in Alcest. tragœdia. Fuerunt qui putarint Herculem, non vt mitteret Atlantem ad aurea mala capienda cœlum sustinuisse, sed laboris hominis misertum, dum ille aliquantulum recrearetur. Cæterum aiunt Herculem clauam, quā ex oleastro ad Saronidem paludem exciderat absolutis laborib. Mercurio cognomento Polygio apud Trœzenios dicasse, vt scripsit Pausanias in rebus Corinthiacis. Habuit Hercules multorum laborum socium Telamonem & Iolaum, qui etiam dicitur fuisse eius auriga, vt ait Paus. Herculis vxores multæ memorantur; siquidem Meliten Ægæi fluuij filiam duxit, ex qua Hyllum suscepit. Ob Iolem sibi promissam, vt ait Menecrates, vniuersam OEchaliā Euryto in Eubœam

fugiente debellauit? quia illi filiā Iolen denegasset. Habuit octo filios etiam è Megara filia Creonis, qui iussu Eurysthei dicuntur fuisse interfecti. nam in porta Electra vocata Thebana habitauit Amphitryo Thebis, & post Amphitryonem Hercules, vbi Thebani parentare consueuerant, vt ait Chrysippus in rebus Thebanis, & certamina funebria celebrare, quæ per totā noctem fiebant, nec prius cessabāt, quam Sol illuxisset. Alij dicunt illos fuisse ab Hercule trucidatos, cum tamen Lysimachus inquiat cęsos fuisse dolo quorundam hospitum. Alij asserunt Lycum regem illos interemisse. Socrates censuit Augei dolo de medio fuisse sublatos. Neque tamen minor est controuersia de numero aut de nominibus, inter antiquos scriptores. Nā Dionysius in primo libro de circulis ait Deicoontem & Therimachum tantum fuisse: Batus in libro secundo historiarum Atticarū Polydorū, Patrocleum, Mecistophonum, Acinetū, Toxoclytum, Menebrontē, & Chersibium nominauit: Euripides Aristodemum, Therimachum, Deicoontem: Pherecydes libro secundo Antimachum, Clymenū, Glanum, Therimachum, Creontiadem appellat, quos in ignem ait ab insano Hercule coniectos fuisse: Æneas Argiuus Therimachum, Creontiadem, Deicoontem, & Deionem vocat. Herodotus bis insaniuisse Herculem inquit, ac primum eos interemisse, quo tempore non Heraclidæ sed Alcidæ dicebantur. nam Hercules nondum ita vocabatur, sed illud nomen obtinuit post superata non pauca certamina Iunonis impulsu. Fama est Herculi nupsisse etiam Augen, quam Aleus pater cum filio Telepho in vrna quadam positam in mare demersit, quæ postea Palladis prouidentia seruata cum vrna ad ostia Caici euasit, & à Teuthrante fuit excepta. Sed hanc deinde Hyllo filio Hercules concessit. Memoriæ proditum est Herculem Alcidemōtis herois Arcadis filiam ad Ostracinum montem vitiasse Philonen nomine, quæ statim à puerperio vna cum puero, quem ex Hercule conceperat, feris in proximo monte vincta fuit exposita. his addiderunt vagientē infantem picæ vocem imitatum esse, ad quā cum Hercules, qui forte illac iter faciebat, deflexisset viam, puerum esse ratus, puellam & puerum liberauit è vinculis, ac puerum Æchmagoram nominauit proximum fontem ad incolumitatis seruatiq; pueri & matris memoriam

tiam Cissam appellauit, cum cissam Græci picam appellarent. Hic idem Tirynthi mœnia extruxit. Hic idem fossam per medios campos Pheneatici agri duxit ad quinquaginta stadia, per quam Olbius fluuius, quem Arcadum nõnulli Aroanium nominabant, delaberetur innoxius, erant autem ripæ altæ ad triginta pedes. Fuit deinde Hercules Omphales Lydorum Regis filiæ amore captus, quare multa viro forti indecora facere coactus est: nam qui Busiridem in Ægypto, qui Æntæum fortissimum athletam in Mauritania, in Hispania Geryonem, in Thracia Diomedem superauerat; qui leones vicerat; qui serpentes vel infans suffocauerat; qui latrones, qui homicidas, qui maleficos omnes vbique singulari fortitudine sustulerat; quem neque tenebræ inferorum, neque multiplicia hydrę capita, neque celerrimum ac lethiferum Cerberi venenum deterruerat, neque vlla vis periculorum vel tantillum commouerat: idem inermi Omphalæ leonis pelle concessa inter pedissequas Omphales fœmineo habitu indutus sedentariam artem exercuit, vt testatur Ouid. in Deianira;

*Non putet Alcidæ victricem mille laborum,*
*Rasilibus calathis imposuisse manum?*
*Crassaq; robusto deducis pollice fila:*
*Æquaq; formosæ pen'a rependis heræ.*
*Diceris infœlix scutica tremefactus habenis*
*Ante pedes Dominæ pertimuisse minas.*

Dum seruiret igitur Omphalæ, Cercopas Ephesi populos bello profligauit, qui adueniẽtes hospites suas vineas tanq̃ seruos fodere cogebãt. Alij causam huiusmodi reddunt, cur Hercules Omphalæ seruierit. Dicunt ab Hercule Eurytum ad accipiendã Alcestim, quam Hercules vitæ restituerat, ꝓfectũ, non fuisse acceptũ hospitio, at extra Tirynthi muros fuisse proiectum: cum Hercules furore esset captus: quare vix demũ Hercules à Deiphobo lustratus in grauẽ morbum incidit. Cum ab eo liberari cuperet Hercules, adiit oraculum, quod sibi responsum dedit, tunc liberatũ iri, si vẽditus per trienniũ seruiret, ac mercedem seruitutis præberet Euryto: quare Omphalæ Lydiæ reginæ Tmoli vxor emptus seruiuisse dicitur. Fuerunt qui dixerint eum prius seruiuisse, deinde absoluto seruitutis tempore ad Troiam militasse. Habuit etiam Deianirã, quam cũ Acheloo colluctatus,

accepit, OEnei Ætoliæ Regis filiam, quæ fuerat Acheloo desponsata. Cum vero Ætoliæ fluuium esset Hercules cum Deianira trāsiturus, qui tum forte ob assiduos imbres maxime exercuerat: Nessus Centaurus vltro operā suam obtulit traiiciendæ Deianiræ, quam cum Nesso credidisset, ipse Hercules fluuium primus intrepide traiecit. Sed cum adhuc in prima ripa Nessus Deianiram vitiare conaretur, ab Hercule sagittis hydræ veneno infectis transfigitur: qui vt vel mortuus hostem vlcisceretur, suam vestem sanguine ac veneno illo perfusam, sanguinemq; in vasculum collectum ex vulnere Deianiræ tradidit; cum diceret illis vim inesse amatoriā quia illa veste si indutus maritus fuisset, optimum foret remedium aduersus amores pellicum. Is fluuius cum prius Euenus diceretur, mox appellatus est Centaurus post cædē Nessi, vt ait Euenor in libro de fluminibus. Eam vestē ita acceptā in oportuna tempora Deianira reseruauit. Deinde cum Hercules OEchalia subacta, raptaq; Iole ad Cenæum Eubœæ promontoriū appulisset, aram Ioui immolaturus erexit ob partam victoriam: misitq; Licham seruum qui Herculē vicisse, & iam appropinquare nunciaret Deianiræ. Cum vero Deianira suspectos amores Ioles haberet, vestem à Nesso captam, tanꝙ antidotū aduersus Ioles pellicis amores ad Herculem misit. Deinde cum pruritus immensus, & ardor, & pustulæ per totū corpus exorirētur, Licham in fluuium Thermophylis propinquū è petra præcipitauit: ipse tanquā igne sacro & furore denique correptus, cum tātos cruciatus perferre nō posset, se in pyrā montem Eota coniecit. Aiunt Herculem conātem vestem discessam euellere, frusta carnis simul auulsisse. Id cum cognouisset Deianira, sua ipsius manu suspendio vitā finiuit. Apollodorus à Pæante succēsam fuisse scribit pyram, quam Hercules moriturus conscenderat, quia sagittas dono acceperit. Cōmunior est tamen opinio, quod Philoctetes earū fuerit heres, quia Herculē apud Dyram fluuiū sepeliuerit. Alij dicūt Deianirā non suspendio, sed Herculis claua se interfecisse, relicta filia Macaria, quam ex ipso Hercule susceperat. Scriptū reliquit Lucianus in Hermotimo vstū fuisse, quidquid mortale fuit Herculi, & humanā labem, vt ita dicam, in ea pyra concrematam; quod erat diuinum, in cœlum ascēdisse vt præclare testatur Byzantius Philippus his carminibus:

ἄλλοις

ὤλεσα τὸν Νημίας θῆρ' ἄπλετον ὤλεσα δ' ὕδρlω,
    καὶ ταῦρον. κόπτει δ' ἀμφοτέροις ἔξα χέρας.
ζωστῆρ' ἱππυτῆς ἔπαλες Διομήδεός εἶλον
    χρύσεα μῆλα κλάσας Γηρυόνlω ἔλαβον
Αὐγείαν ἰδὼν, κεμὰς οὐ φύγεν ἴσχανον ὄρνις
    Κέρβερον ἐξαγαγὼν αὐτὸς ὄλυμπον ἔχω.

*Dextra feram Nemeæ petiit mea: perdidit hydram,*
    *Et taurum: in alas inde cecidit apri.*
*Baltheus est captus, sunt aurea mala relata:*
    *Geryonisq; boues, & Diomedis equi.*
*Augias me non fugit, non cerua, volucres:*
    *Cerberus eductus: nunc sed Olympus habet.*

Relicti suntautem multi ab Hercule filii. Siquidem & Afer ille, à quo Africa vocata est, genitus fuit ab Hercule: & Acelus, à quo vrbs Lyciæ Acela fuit fuit dicta, filius fuit Herculis & Malidis seruæ Omphales: & Bentus, qui Bentesio postea Brundusio nomẽ dedit, vt scripsit Diocles in mutatis nominibus vrbium: & Lamius & Camirus ex Iole suscepti, & Lydus, à quo Mæonia Lydia dicta est, vt à Camiro Camirus prius vrbs Rhodos: & (vt quidã voluerunt) Lamus ex Omphale: & Hyllus è Melita Æpæi filia fluminis, quæ insulæ & oppido in insula nomen dedit: & Scythes, qui nomẽ dedit Scythiæ. quem suscepit è muliere Semiuipera: & Hylus è Deianira: & Sardus, à quo Ichnusa Sardinia postmodo vocata est: & Olynthus, qui nomen dedit vrbi à se extructæ: & Macaria, à qua Cyprus vocata est: & Hippoloche ac Bdella vt alios multos silentio prætermittam; quippe cum multas rapuerit, ad libidinem. nam Astydamiam occiso patre Ormeno rapuit, è qua nouem filios suscepit, & Astyochiam, de qua suscepit, Tlepolemum: & Pyrenen in Pyrenæo mõte ab ipsa vocato compressit, filiam Bebrycis, quæ fuit postmodo ibi sepulta Herculẽ vnum ex duodecim Diis Græciæ fuisse testatur Herodotus in Euterpe: Ἡρακλέος δὲ πέρι τόνδε τὸν λόγον ἤκουσα, ὡς εἴη τῶν δυώδεκα θεῶν; *de Hercule audiui quod vnus esset è duodecim Diis.* Qui etiam Dionysum & Pana & Herculem omnium Deorum maxime recentes à Græcis fuisse existimatos scribit. Alii hunc vnum ex Idæis Dactylis fuisse censuerunt, alii primi Iouis, alii tertii filium quod ideo accidit, quia plures Hercules fuerunt, vt testatur Cicero libro tertio de natura Deorum hoc pacto. Quan-

quam, quẽ potissimum Herculẽ colamus, scire sane velim: plures enim tradũt nobis ij qui interiores scrutantur, & reconditas literas: antiquissimũ Ioue natum, sed antiquissimo item Ioue. nam Ioues quoq; plures in priscis Græcorum literis inuenimus. Ex eo igitur & Lisyto est is Hercules, quẽ concertauisse cum Apolline de tripode accepimus. Alter traditur Nilo natus, Ægyptius; quem aiunt Phrygias literas conscripsisse. Tertius est ex Idæis indigenis, cui inferias offerunt. Quartus Iouis est & Asteriæ Latonæ sororis, quẽ Tyrii maxime colunt, cuius Carthaginem filiam ferunt. Quintus in India, qui Belus dicitur. Sextus hic ex Alcmena, quem Iupiter genuit, sed tertius Iupiter. Cum tot fuerint? Hercules, omniũ reliquorũ res gestæ vni Alcmenæ filio tribuuntur. Hunc eundẽ inquiunt de tripode cũ Apolline decertasse, cui cũ Delphos venisset, vt ob mortẽ Iphiti expiaretur, Xenocıea Dei interpres responsum dare noluit, quod esset cæde pollutus. Tunc igitur Hercules sublatum è templo tripodẽ asportauit, quem cum repeteret Apollo, grauis pugna fuisset commissa, nisi Latona & Diana Apollinẽ, Minerua Herculis iram placasset, vt ait. Paus. in Phocicis. Fuerũt qui dicant Hercules ad triginta fuisse. Dicuntur cõplures fuisse filii, quos ex variis mulierib Hercules susceperit: quos omnes hic recensere foret superuacaneum, cum multos connumerarit Apollodorus Atheniensis lib. 2. Bibliothecæ. Postea vero q̃ inter Deos fuit receptus, illi conciliata est Iuno, atq; Heben filiam in matrimonium dedit, quorũ nuptias Plato præstantissimus poeta comicus commemorauit. Memoriæ proditũ est ab Ibyco calida lauacra inuentum fuisse Herculis, quib. ille diuturno labore defessus plurimũ vteretur, quæ sibi à Vulcano fuerint indicata. At alii, inter quos Pisander, ea Mineruę munus Herculi data dixerunt. Primus omniũ mortaliũ ciuitates dicitur Hercules facere inuenisse & inuentas additis populis adauxit, certaminaq; instituit, cũ cæteros mortales vi corporis antecelleret, vt ait Strabo lib. 8. Hunc aiunt præterea voracissimum fuisse, quippe cum per Dryopas iter faciens, quo tẽpore pincerna pugno occiso necesse fuit cũ Deianira è regione Oenei exulare, vt diximus, filiũ fame infestãte ac Licha pædagogo illum requirẽte in Thiodamantẽ inciderit, taurum Thiodamãtis arãtis iugo solutum iugularit, & totum

tum eodem die deglutiuerit apud Dryopas: cum id etiam prius fecisset, apud Litidum vrbem. Quamuis aiunt nonnulli parum cibi Herculem à Thiodamante petiuisse, quod cum ille negasset, vt sunt multa ingenia rusticorum, Hercules iratus alterum è bobus à iugo soluens Diis mactauit atque conuiuium fecit, eius iniuriam & ingluuiem & voracitatem ita expressit Callimachus in hymno in Dianam:

*οὐ γὰρ ὅγε Φρυγίῃ περ ὑπὸ δρυῒ γυῖα θεωθεὶς*
*παύσατ' ἀδηφαγίης· ἔτι οἱ πάρα νηδὺς ἐκείνη,*
*τῇ ποτ' ἀροτριόωντι συνήντετο Θειοδάμαντι.*
*Non in hic Phrygia sub quercu membra leuatus,*
*Atq; Deus factus, edax minus: aluus at illi*
*Est eadem, taurum qua quondam Thiodamantis*
*Edit, planitiem cum latiscinderet agri.*

Quæ sane non minor fuit, quam illa Daphthidis, quæ est apud Sosibium in his:

*οὗτος δ' ἐκείνου παῖς παρέγκλαστος νόθος,*
*μητρὸς δ' ὁποίας, ἡ τεκοῦσ' ἐπίσταται.*
*ἔσθει μὲν ἄρτους τρεῖς ὅλους κανθηλίους.*
*τρὶς δ' ἡ βραχείας ἡμέρας, πίνει θ' ἅμα*
*καλὸν μετρητὴν τὸν δεκάμφορον πίθον.*
*Hic filius qui natus eius est nothus,*
*Cuius parentis, illa scit quæ nunc edidit?*
*Cistas vorat tres ille totas panium*
*Paruo die: mox ebibit magna merum*
*Simul metreta, seu magis decamphori.*

Nam mirificam fuisse Herculis voracitatem vel illa nobis possunt esse argumento, quę scripta sunt à suauissimo poeta Epicharmo in Busiride his carminibus:

*πρᾶτον μὲν αἴκ' ἔσθοντ' ἴδῃς νιν ἀποθάνοις.*
*βρέμει μὲν ὁ φάρυγξ ἔνδοθ', ἀραβεῖ δ' ἁ γνάθος,*
*ψοφεῖ δ' ὁ γόμφιος, τέτριγ' ὁ κυνόδων,*
*σίζει δὲ ταῖς ῥίνεσσι, κινεῖ δ' οὔατα,*
*τῶν τετραπόδων μὲν οὐδὲν ἧττον.*
*Illum si è dente videris, strepunt genæ.*
*Intus sonat guttur, sonat maxilla, dens*
*Stridet caninus, sibilant nares, mouet*
*Aures, solent armenta sicut haud minus.*

Fama est Herculē in Triphyliā regionē Eleorū profectum habuisse controuersiā de voracitate cū Lepreo Prygei filio,

vt inquit Hesiod. in Ceycis nuptiis: atque, cum vterque bouẽ in epulas occidisset, Lepreus nihilo fuit tardior aut imparatior edendo inuentus; sed cum post epulas ventum esset ad pugnã ob indignationẽ æmulæ virtutis, Lepreus cecidit ob vim Herculeam. Cum vero mœstus Thiodamas amisso tauro recessisset, multaque fuisset Herculi ob illam iniuriã imprecatus, mansit postea ritus apud Lydios vt bos arator cum multis dirarum imprecationibus Herculi cognomine Buthœnæ mactaretur. Postea vero fertur Thiodamas in vrbẽ Dryopũ profectus Dryopas ipsos armatos in Herculẽ eduxisse, in eamq; necessitatem cõpulsisse Herculem, vt vel Deianirã armare necesse fuerit, quæ etiã dicitur in mamilla fuisse læsa. atque cum hos demum superasset cæso ipso Thiodamante, rapuit eius filium Hylã in seruitutẽ vt scripsit Pherecydes lib. 3. Post vero propter latrocinia vniuersam illam nationẽ ad Trachinem Thessalicam vrbẽ duxit ad habitandũ, & ad montem OEtã, qui montibus Phocidis est vicinus. Habuit ipsum Hylam inde in deliciis, ita vt nemo prope fuerit mortalium ab eo tempore, cui nomẽ Hylæ fuerit ignotum. nam cũ vna cum Argonautis in Colchidem nauigaret, Hylamq; aquatum misisset, fertur in Cium vsq; excucurrisse ad Hylam requirendũ, quoniam ille post certum probabile tẽporis spacium nõ amplius redire visus est. scriptum tamen fuit ab Ephoro in lib. 5. quod Hercules sponte mansit in Lydorum regione Omphales causa. Dionysius Mitylenæus neq; illum in Colchidẽ suscepisse quidẽ nauigationem inquit nedũ non opem tulisse Iasoni. in iis quæ tractauit cum Medea. Herodotus & Herculem & alios nonnullos heroas exemit ex illorum numero qui fuerunt participes illius Colchicæ expeditionis. Hesiodus in Ceycis nuptiis Herculẽ ipsum exiuisse aquatum in Magnesiam scripsit iuxta vocatas Aphetas, quæ ita dictæ sunt, quod ibi relictus fuerit. Anticlides lib. 2. rerum Deliacarum Hylam Herculis filium amissum fuisse scripsit, cum iuisset aquatum, neq; amplius reuertisse. nam profecto neq; mirum est Hercúlem id in Thiodamantem cõmisisse, cum in multos fuerit iniurius, & ob negatam sibi Iolen deuastarit OEchaliam, Hylamq; catamitũ tam celebrẽ habuerit, vt nemini Hylæ nomen sit ignotum: cumque ebrius fieri nonnunquam consueuerit, vt testatur Damageres his carminibus:

ὗτος ὁ πανδαμάτωρ ὁ παρ' ἀνδράσι δώδεκ' ἄεθλον
μέλψε μόνος κρατερῆς εἵνεκεν ἠνορέης,
οἰνοβαρὴς μετὰ δαῖτα μεθυσφαλὲς ἴχνος ἐλίσσει,
νικηθεὶς ἁπαλῷ Λυσιμελεῖ Βρομίῳ.

*Omnia qui domuit, quibus certamina sena*
*Vicit, qui ob vires clarus in orbe sonat:*
*Ebrius en titubans dubium vestigia ponit:*
*Perfusus dulci est ille caput Bromio.*

Habuit Hercules multa cognomina, sicut Dii cæteri. nam cum magna culicum copia esset apud Teucros, iique pro voto cessassent, quod creditum fuit Herculis beneficio accidisse, Conopius Hercules dictus est, vt ait Strabo lib. 13. conopem enim culicem vocarunt. Alexicacus, quia mala depellat: Ceramyntes, quia Parcas insectatus sit: & Callinicus præterea, Buraicus, Rhinocolustes, Hippodotus, & aliis his similibus nominibus vocatus fuit. Fama est quod Herculi antiquitus non tanquam Deo sacra fiebant, sed tanquam Heroi parentabant: quod cum Phæstius in Sicyoniã profectus animaduertisset, grauiterque ferret pro eximiis eius virtutibus diuinos honores illi non censeri, instituit, vt agni iugulati pernas ad aram vrerent, & partem vnam carnium, sicuti victimarum cæterarum solebant, ederent, alteram Herculi tanquam Heroi parentando offerrent. omnino vero agnus vtilis erat victima Herculis sacrificiis, cum lupos is à stabulis depelleret putaretur, vt testatur Antipater his carminibus:

Εὔκολος Ἑρμείας ὦ ποιμένες. ἐν δὲ γάλακτι
χαίρων καὶ δρυΐνῳ σπενδόμενος μέλιτι.
ἀλλ' οὐχ Ἡρακλέης· ἕνα δὲ κτίλον ἢ παχὺν ἄρνα
αἰτεῖ, καὶ πάντως ἓν θύος ἐκλέγεται.
ἀλλὰ λύκους εἴργει. τί δὲ τὸ πλέον, εἰ τὸ φυλαχθὲν
ὄλλυται, εἴτε λύκοις, εἴθ' ὑπὸ τοῦ φύλακος.

*Mercurius facilis pastores: munere lactis*
*Lætatur, mox & dulcia mella capit.*
*Sed non Alcides: aries vel poscitur agnus.*
*Omnino pinguis victima grata Deo est.*
*Iure: lupos arcet. Sed quid magis vtile, si grex*
*Custodis cecidit cæde, vel vngue lupi?*

Erat autem vetitum fœminis iure sacrificiorum, ne vel per Herculem iurarent, vel templum ingrederentur, vel sacri-

ficiis interessent: quia sitienti Herculi cum boues Geryonis per Italiam duceret, respondit mulier se aquam dare non posse, quia fœminarum celebraretur dies, neq; ex eo apparatu fas esse viris gustare: qui sacrorum ritus seruabatur in Italia. erat autem illa sacrorum consuetudo, vt inter sacrificandum Deorum laudes, & res ab iis Diis humano generi vtiliter inuentæ, vel præclare gestæ cantarentur: cuiusmodi est id apud Virg. lib. 8 Æneid. quod recitatum est à nobis lib. 1. cum hymnorũ antiquorum vsum explicauimus. Mirabile est autem illud quod scribitur à Corn. Tacito hoc pacto lib. 12. interea Gortazes apud montem, cui nomẽ Sambulos, vota Diis loci suscipiebat, præcipua religione Herculis: qui tẽpore statuto per quietem monet sacerdotes vt iuxta templũ equos venatui paratos sistant. Equi vbi pharetras sagittis plenas accepere, per saltus vagi nocte demũ vacuis pharetris multo cum anhelitu redeunt. rursus Deus quas syluas per errauerint nocturno visu demonstrat, reperiunturq; fusæ passim feræ. Ægyptiacarum rerum scriptores affirmant Ægyptii Herculis magistrum fuisse Linum, eum qui prior rhythmos & melos inuenit, maximeq; in poetica facultate excelluit. eius tres discipuli celebres, præter cæteros fuerunt, Orpheus, Thamyris; & Hercules. Aiunt Herculem ingenio paulo tardiorem cum per plagas ad disciplinam impelleretur, cithara interemisse magistrum. Deinde grandiorem factum cum excelleret insigni fortitudine, diu peragrasse, columnamq; in Libya statuisse: quem dicũt etiam bellum aduersus Gigantes cum Diis gessisse is videtur cum Ægyptio minime conuenire. Nam Gigantes nati sunt ante Troiana tempora. vel potius, vt aiunt Græci, cum prima generatione hominum, quod tempus cõtinet quædam millia annorum: claua enim & pellis leonina conuenit antiquissimo Herculi, quod illis temporibus arma nondum essent inuẽta, atque pugnaretur lignis, & corpora protegerentur pellibus ferarum. Dictus est (vt aiunt) non quod per Iunonem gloriam nactus sit, vt scripsit Matris, sed quod alter alterius iunior res gestas imitaretur, cui rei argumento est quod terrã multis feris expurgarit, cum vel ante Troiana tempora maxima pars terræ esset facta habitabilis ob cultũ & frequentes ciuitates. Hæc fere sunt, aut non multo plura his quæ ab antiquis scriptoribus de Hercule commemoran-

morantur: quæ quoniam sunt in ore omnium, breuiter recensere volui, neque in rem in mentibus omnium confirmatam, superuacanea adducere testimonia. Cæterum Eurystheus post mortem Herculis ob metum coniurationis, ac memor illatarum iniuriarum, omnes Heraclidas insecutus est, quos, cum Athenas confugissent, mox ab Atheniensibus per legationes expetiuit, bellum etiam minatus nisi suis legationibus dederentur Iolaus, qui iam mortuus fuerat, audita apud inferos tam fœda Eurysthei petitione, dicitur veniam & facultatem reuiuiscendi in vltionem Heraclidarum a Plutone impetrasse: quare reuiuiscens trucidauit Eurystheum, ac statim postea remortuus est.

¶ Nunc quid per hæc significetur, breuiter inquiramus. Hercules, quem gloriosum ob Iunonis odium possumus interpretari, Iouis & Alcmenæ dicitur fuisse filius: qui sane nihil aliud est, quam probitas, & fortitudo, & virium præstantia tum animi tum etiam corporis, quæ vniuersa vitia, ex animo depellit & profligat. Patet hoc autem ex ipsorum nominum interpretatione. dictus fuit primum Alcides, quia ἀλκὴ vim significat: idemque filius Alcmenæ, cum μένος etiam strenuitatem significet. Hercules igitur siue animi fortitudo, strenuitatis & Iouis diuinæ scilicet bonitatis filius, sibi gloriam immortalem apud vniuersos homines comparauit; quod cum fecisset Iunonis stimulo, merito & à Iunone & à gloria nomen obtinuit. Est enim Ἥρη Iuno, at κλέος gloria. Alii nullam Iunonis mentionem fecerunt in hoc nomine explicando, cum gloriam fuisse vniuersis mortalibus Herculem dixerint, sicut illud oraculi responsum significauit:

*ἦρα γὰρ ἀνθρώποισι φέρων κλέος ἄφθιτον ἕξεις ὦ Ἡράκλεις.*
*Gloria semper erit mortales inter honosq; Alcide tibi.*

Et illud;

*Ἡρακλῆν δέ σε Φοῖβος ἐπώνυμον ἐξονομάζει.*
*ἦρα γὰρ ἀνθρώποισι φέρων κλέος ἄφθιτον ἕξεις.*
*Te vocat Heraclem clarus cognomine Phœbus*
*Quod tua perpetuum mox gloria viuet in æuum.*

Alii ἀπὸ τῆς ἀρετῆς à virtute scilicet hoc nomen deductũ crediderunt, cum Hercules fortitudo sit, & prudentia, & ratio quæ est in nobis, & cõstãtia: q̄ quoniam sine diuina bonitate, optimoque animi affectu homini contingunt, idcirco

apparens æmulationis ad virtutem vestigiũ. vbi quis igitur ita fuerit ad virtutẽ incitatus, primum omnium monstrorum superbia & ira & arrogantia & furor animi placandus est, qui leo est Nimeæus, & in sylua inscitiæ nostri animi pascitur, omnesq; virtutes populatur. Neq; tamen post placatos hos animorũ motus, tranquillitatem per vniuersam vitam cõsequimur, cum multæ voluptatum insidiæ aduersus nos insurgant: idcirco post placatum leonem Thespij filiæ oblatæ sunt Herculi, quas vna nocte omnes cõstupraret. Quia Minyas, aut Lycum, aut Cẽtauros, aut aprosdomitos, aut equos Diomedis in hospites sæuientes esse credamus, nisi crudelitatem & omnes illegitimos animorum motus repressos? Quid Theseus est, aut Prometheus, aut alij complures à præsentibus malis liberati, nisi viri boni liberalitatẽ & beneficentiam in omnes inique oppressos cõuenire? nam duæ sunt iustitiæ partes, vna ne nos iniuriam inferamus, altera ne inferri ab alijs patiamur, si possimus, & inique oppressos subleuemus. Sed quoniã omnib. in negociis pernecessaria est temperantia, quia ex vno quouis scelere multa turpia oriri solent, dictus est Hercules hydræ capita omnia vno tempore extinxisse. Idem suæ peregrinationis terminos columnas in Iberia in extremis Gadium oris statuit, quia nullus locus virtuti sit inuius, cum virtutis gloria vel ad extremos homines habitatæ terræ perueniat. Hic idem post tot superata pericula, post tot latrones de medio sublatos, post purgatũ horrendis mõstris orbem terrarum Omphalæ amore captus multa turpia, & primis reb. gestis indigna cõmisit. cur hæc literarũ monumẽtis tradita sunt? aut cur ad posteros transmissa? vt nos commonefacerẽt antiqui sapientes viro bono semper esse vigilandum, qui si parumper oculos à virtute deflexerit atq; conniueat, ab appetentia tanquã à rapidissimo fluuio, ad libidinem, & ad illegitimas voluptates defertur, suapteq; natura prolabitur. Hic propter muliebres amores postea in crudelissimũ mortis genus incidit, quoniam voluptatũ finis est omnium dolor & miseriæ. Ob præclaras virtutes primum vt Heros, deinde vt Deus post mortem ab hominibus cultus fuit, quod omnis virtus inuidiam in se concitat: qui enim virtutẽ superare aliorũ se non posse sperant, tum demũ se fœlices arbitrantur, si illam aliquantulum saltem dicendo obscura-

rint. at vbi cessat eius autor virtutis, tunc etiam inuidia cessat inter mortales, maiorque gloria virorum bonorum post mortem enitescit. cum igitur vel appetẽtia rerum suauium & illegitimarum, vel inuidia mortalium res gestas cuiusque opprimere & obscurare possit, merito dictum est id ab Euripide in Andromache.

*χρὴ δ' οὔποτ' εἰπεῖν οὐδέν' ὄλβιον βροτῶν*
*πρὶν ἂν θανόντος τὴν τελευταίαν ἴδῃς,*
*ὅπως περάσας ἡμέραν ἥξει κάτω.*
*Nullum beatum dixeris mortalium,*
*Supremus antequam dies illuxerit,*
*Et noueris quo pacto adiuit inferos.*

Fuerunt tamen nõnulli qui res ab Hercule gestas ad historiã retorserint: sicut illud est de Augia. Dicitur Augias Solis fuisse filius, tantumq; habuisse armentum, & tot greges, vt maxima pars agri fimo obducta ociosa & inculta iaceret: nam quidã tradiderunt ibi stabulari consueuisse tria millia boum, quod stabulum nunquã fuerat purgatum. Hercules igitur vel aliqua parte agri, vel alia quauis mercede sibi ꝓmissa Alpheum fluuium in ea loca diuertit, omnemq; fimi copiam deleuit. Deinde cum regio ad fœlicitatem rediisset, stabula Augię purgasse dictus est. Augias mercedem illi negauit, quia videretur nullũ prope laborẽ sustinuisse iis stabulis purgandis: nam insulsi plerique non animi, sed corporis viribus, & laboribus præmia proponunt. Eodem pacto Geryonẽ tricorporẽ dixerunt, quia tres essent fratres vnanimes & consentientes in omnib. vel (vt putarunt alij) quia tribus insulis Hispaniæ adiacentibus imperaret, Ebusæ scilicet, & minori, maiorique Beleaticæ. Hic cum naualibus, terrestribusq; copiis plurimum posset, dicitur habuisse canẽ bicipitem. Antæum Libycũ ob peritiã loci vincere in regione nõ potuit, at extra patriam facile superauit. Fuerunt item qui hydrã multorum capitum fratres multos concordes crediderint, quorum vno extincto multi videbantur insurgere propter apparatus bellicos semper recentes & validiores. Quod attinet ad mala Hesperidum, & ad Atlantis laborẽ, dicunt Atlantẽ magistratum gerentem in quandam rerum maximarum aliquando incidisse difficultatem, qui Herculis sapientissimi hominis consilio rẽ præclare transegisset, tres oues Herculi largitus est: quod munus, vt ferebant

bant ea tempora, non parum erat honorificum. cum vero μῆλα & oues sint, & mala fructus apud Græcos locus datus est fabulæ. atque ad harum fabularum cognitionem non parum pertinere illam epistolam putauimus, quam superioribus diebus ad virum clarissimum Senatorem Venetum Matthæum Bembum misimus. ita vero se habet:

*Quod redis ad Musas à tanto pondere rerum,*
*Quantum res patria imposuit tibi publica, lætor:*
*Nam labor assiduus fertur domitare leones.*
*Hinc iubet alterne luci succedere noctes*
*Natura alma parens seruandis prouida rebus.*
*Hinc & Atlanteos humeros recreasse labantes*
*Dicitur Alcides, tenuit cum pondera mundi.*
*Fabula sustinuit quod Atlas flammantia cœli*
*Astra: magistratus, & publica pondera gessit.*
*Crede mihi multo est cunctis fœlicior vnus*
*Qui faciles sine lite dies, sine murmure vulgi*
*Præteriit, haud iussus varias audire querelas,*
*Si quis in humanis rebus fœlicius optat,*
*Rusticus expectet dum totus defluat amnis.*
*Vel nihil est homini fœlix, vel sola quies est:*
*Quæ nulli sincera tamen conceditur: ac te*
*Vel tua sollicitant, vel amici incommoda semper:*
*Vt si alibi excretæ vellantur vomere syluæ,*
*Consurgunt alibi. Sunt quos non vlla fatigat*
*Ambitio, sed vexat amor furiosus habendi,*
*Nec quidquam se oculis auro iucundius offert:*
*In quo congesto mox credunt esse quietem.*
*Falluntur miseri: mens est quæ sola quietos,*
*Sola facit claros. argenti splendor & auri,*
*Prædia, nobilitas animo depellere curas*
*Non possunt populi aut fasces aut purpura Regum,*
*Nec tamen vna potest animum fecisse serenum*
*Contemptrix auri mens, ambitione remota.*
*Hæc vbi vitaris, discrimina plurima vitæ*
*Occurrent, animumq; trahent huc semper & illuc.*
*Si quem fugit amor nummi si fugit honorum,*
*Blanditur somnus, vinum, Venerisq; cupido:*
*Aut vitam infestat furor implacabilis iræ.*
*Turpe quidem vinci his animorum motibus iræ,*

*Principiis obsta: subeat te cedere nolle*
*Fluctibus irarum: facilis medicina reperta est.*
*Sin quacunque rapit grauis impetus, hac patiare*
*Dulcis a ratione trahi. velut orba magistro*
*Æquora percurrit pelagi spumantia puppis,*
*Quocunque arbitrium ventorum detulit: atque*
*Multa facis, qua pacatum fortasse pigebit.*
*Nil aliud Scyllam est rabidis vitare per vndas*
*Succinctam canibus, nil & vitare Charibdim.*
*Hic animi furor est Cyclops qui mentis in antro*
*Delitet. hunc tu vince dolis, hunc stipite adure,*
*Hunc ratione doma, sic victus denique discet*
*Qua iura hospitij: quam sit crudelibus almus*
*Iupiter hospitibus vindex nam sicca tyrannos*
*Paucos fata iubent Ditis succedere tectis.*
*Herculeus labor, & nodoso robore claua,*
*Nil finit horrificum: vel qui Minoia Creta*
*Monstra domat. fertur de Diis & natus vterque.*
*Si domites iram, vinclisque & carcere frænes,*
*Inde voluptatum illecebra, blandique susurri*
*Circumstant: simul ista tibi vitare necesse est.*
*Ne te Sirenum cantus, neu pocula Circes,*
*Inuerti faciant variarum in monstra ferarum.*
*Vita hominum infelix, quod circumsepta tenetur*
*Hostibus innumeris: occumbere turpiter aut est*
*Cuique opus, aut magnam referet victoria laudem.*
*Barbaricis quid enim deuictis proderit armis*
*Qua Sol consurgit, vel Iberis conditur vndis,*
*Imperio regere: æternum si pectore bellum*
*Victorem infestet? captiuum blanda voluptas*
*Si trahat hunc, nullam meruit victoria laudem.*
*Otia solus aget, tranquillaque tempora vita,*
*Vincere qui norit surgentia pectore monstra,*
*Ex animo curas & procul arit inanes.*
*Forte magistratus transacto tempore ducis*
*Otia priuatus: priuatum munera possunt*
*Pieridum mulcere, domestica forte requirit*
*Res domini curam: curam concede parumper.*
*Denique si cessat cui rerum publica cura,*
*Ille magistratus in sese exercitat, & qua*

Tempo-

*Tempore præterito transegit ponderet acta*
*Omnia si recte, niueam Diis immolet agnam.*
*Hic valet intrepidus cœlum, sedesq; Deorum*
*Suspicere; implacidis hic se committere ventis.*
*Fortunæ furias, & ineuitabile fulmen*
*Alma Iouis temnit virtus sibi conscia recti.*

Verum vt, ad mala Hesperidum redeamus, quidam dixerũt à nymphis Herculi fuisse donata, cum draconem custodem cecidisset, quia Draco pastor fuerit violentus plane homo, & immitis aduersus omnes Huius oues mala dicta sunt aurea, cum essent oues aurei coloris. Cur post omnes victorias, post tot terræ, marisque labores, post superatos tot Latrones, tot maleficos, tot violentos hospites, ipse Lydorum reginæ tam turpiter seruiisse dicitur? quia magis periculosum est ne voluptatibus, quam difficultatibus, plerunque vincamur? magisq; gloriosum est seipsum vincere, & animi impetus refrænare, quam vniuersum terrarum orbem sibi subiicere. Neque quisquam vir bonus plane dici potest, nisi qui per summam innocentiam, vitæque integritatem suos dies vsque ad extremũ transegerit. Alij nihil aliud esse Herculem, quam Solem crediderunt, qui propter imagines Zodiaci, duodecim labores absoluisse dicitur: cuiusce rei illud argumentum faciunt, quia Geryon filius Callirhoes & Chrysaoris, siue Pegasi filius, ipsa est hyems, huius boues Sol ab Oceani extremis partibus inhabitatas terras adigit, quia tonitrua & fulgura & fulmina ex humoris exhalatione nascuntur, & ex Oceano præsertim. Dictus est enim Geryon ἀπὸ τοῦ γηρύειν, quod fremere significat, quod propriũ est hyemis. Cum vero Sol omnia accedens per signiferum ad ortum excitet, ac pubescere faciat, ideirco Heben illi vxorem à Iunone ab aeris temperamento scilicet datam fuisse dicunt. Alij crediderũt per Geryonis fabulam, qui multa crura & plerasque manus ac oculos haberet, quæ vnico consilio gubernarentur concordiã ciuium significari quæ inexpugnabilis prope efficitur vbi omnes iustis animis in vnum conspirarint, velut ait Plutarchus in Politicis. Atque vt summatim colligam, illa quæ tradita sunt de Hercule non solum ad Solis naturam, sed etiam ad humanæ vitæ institutionem, tradita sunt. quippe cum frustra alioquin laudes Herculis commemorarentur, cum illa monstra, quæ

dicuntur ab illo fuisse domita, neque ita esse potuerint, neque si fuissent, nobis obessent, vt ait Lucret. lib. 5. in his:

*Quid Nemeaeus enim nobis nunc magnus hiatus*
*Ille leonis obesset, & horrens Arcadicus sus?*
*Deniq; quid Creta taurus, Lernaeaq; pestis,*
*Hydra venenatis posset vallata colubris?*
*Quidve tripectora tergemini vis Geryonai?*
*Quid Diomedis equi spirantes naribus ignem,*
*Thracem, Bistoniasq; plagas, atq; Ismara propter,*
*Tantopere officerent nobis? uncisq; timendae*
*Vnguibus Arcadiae volucres Stymphala colentes?*
*Aureaq; Hesperidum seruans fulgentia mala*
*Asper, acerba tuens immani corpore serpens,*
*Arboris amplexus stirpem? quid deniq; obesset,*
*Oceani propter littus pelagiq; sonora,*
*Quo neq; noster adit quisquam, nec barbarus audet?*

Quod si quis ea quae dicta sunt à nobis hactenus, diligentius considerauit, patebit profecto tum ad mores & ad vitam hominum recte instituendam: tum etiam ad Solem, illa quae narrantur de Hercule, spectare. Ac de Hercule satis, nunc de Acheloo dicamus.

## *De Acheloo.* CAP. II.

ACHELOVS Ætoliae Rex fuisse dicitur, qui in Thoante fluuio vocato, vt ait Strabo lib. 10. è Pindo monte orto, Ætoliamq, ab Acarnania disterminante, & in sinum defluente, Maliacum, mersus, fluuio nomen dedit: qui fluuius ab ipso rege postea fuit Achelous nuncupatus. Plutarchus in libello de fluminibus Thestium à Thestio Martis & Pisidices filio vocatū fuisse fluuium scribit: qui Achelous postmodum ab Acheloo filio Oceani & Nymphae Naidis ibi merso fuit vocatus. Hic fluuius in mare Echinadum insularum influit, vt testatur Herodotus in Euterpe: quarum dimidium prope continentem fecit. Alcęus Oceani & Terrae filium esse sensit, ac Hecataeus Solis & Terrae: Nymphis in primo Heracleae, Thetidis & Terrae. Fabulantur hunc fluuium Deianiram OEnei Ætolorum regis filiam in matrimonium poposuisse, quae etiam sibi fuerat promissa: verum cum Hercules in agrum Calydonium profectus esset; ipse quoq; in matrimonium poposcit Deianiram, quae sibi

quoque

quoq; promissa est. Oportuit igitur certamine definiri vtri horũ Deianira cederet. Quare Achelous sumpta tauri forma in Herculẽ impetum fecit: Hercules huic cornu manibus apprehensum defregit, qui cũ præ dolore cessisset Herculi, suum cornu dextrum ab eo repetiuit, pro quo Amaltheæ Harmonij filiæ, vti scripsit Alcimus in rebus Siculis, cornu largitus est: quod ita attigit Ouid. in Deianira:

*Cornua flens legit rapidis Achelous in vndis,*
*Truncaq; limosa tempora mersit a[illegible]ua.*

Fuit Amalthea capra quæ Iouem lacte nutriuit postquam illum Rhea clam Adrastæ & Isdæ, vt scripsit Hermogenes in lib. de Phrygia, nutriendum dedit. Huius capræ alterum cornu Iupiter adultus officij præmium nutricibus dedit, vbi capram inter sidera collocasset: cui illam adiecit facultatem, vt ait Xanthus in rebus Ætolis, vt quidquid ab eo optaretur, qui illud haberet, siue potus, siue cibus, continuo nasceretur. Alij non capram, sed Hemonij Ætolorum Regis filiam Amaltheam, quæ cornu non capræ, sed tauri habuerit, fuisse senserunt, quod vim illam habuerit, vt scripsit Pherecydes. Neq; mirum est taurum Acheloum factum fuisse, vbi pugnaturus esset cum Hercule, quando Deianiram petens vel multas formas sumpsisse dicitur, vt testatur Sophocles in Trachiniis:

μνηστὴρ γὰρ ἦν μοι ποταμὸς Ἀχελῷον λέγω·
ὅς μ' ἐν τρισὶ μορφαῖσιν ἐξῄτει πάτρος,
φοιτῶν ἐναργὴς ταῦρος, ἄλλοτ' αἰόλος
δράκων ἑλικτὸς, ἄλλοτ' ἀνδρείῳ τύπῳ
βούκρανος ἐκ δὲ δασκίου γενειάδος
κρουνοὶ διεῤῥαίνοντο κρηναίου ποτοῦ.

*Flumen fuit procus mihi, Acheloum fero,*
*Formis tribus qui me petiuit à patre:*
*Taurus, deinde pluribus ventrem notis*
*Pictus draco, vt inde, cui caput bouis;*
*Mento fluebant riuuli potabilis*
*Vndæ nitentis, fontibus simillimi.*

F[illegible]it enim poetarum consuetudo, vt fluuios tauris similes effingerẽt, quoniam cum impetu irrumpentes tauris similem edant mugitum: vel, vt Hellanicus sensit, quia terram sulcare tanquam boues apparent: vel, vt aliis placuit, quia circa ripas fluminum tauri mugire ob vberiora pascua

audiantur Memoriæ prodidit Sappho primum Acheloum vini mistionem præterea inuenisse: quare ita ait Virg. lib. 1. Georg.

*Poculaq; inuentis Acheloia miscuit vuis.*

Atque antiquorum fuit idcirco cõsuetudo, vt aquas omnes quæ vini mistionibus essent aptæ, Acheloi nomine vocarent: quare Achæus Satyros introducit ægre ferentes potum aquosum in Æthone Satyrico, atque ita aquas Acheloum nominantes:

μῶν Ἀχελῷος ἦν κεκραμένος πολὺς
ἀλλ' οὐδὲ λῆξαι τοῦδε τῷ γένει θέμις.
καλῶς μὲν οὖν ἄγειν Σκυθιστὶ πιεῖν
*An mistus Achelous fuit non plurimus?*
*Cessare stirpi cuius haudquaquam licet.*
*Certe bibisse more præstaret Scytha.*

¶ Ac de Acheloo ista fabulosa memoriæ sunt tradita. Achelous Oceani vel Thetidis filius, vel Solis fuit & Terræ, quia omnes fluuij ex Oceano nascuntur, & ex fontibus locisq; sub terra cauernosis. Quas vxores Achelous habuerit, non constat: cum tamen Callirhoen & Castaliam filias habuerit, vt testatus est Panyasis, ac Sirenas, quæ Iunonis suasu Musas in certamen cantus prouocarunt: quibus victis Musę pinnas ex alis conuulserunt, sibique coronas fecerũt vt ait Pausanias in Bœoticis. Habuit filiam etiam Dircen, quæ in fontem conuersa fuit, in quo Bacchus recens natus lotus fuit, vt ait Euripides in Bacchis:

| | |
|---|---|
| Ἀχελῴου θύγατερ | *O Acheloi filia* |
| πότνι', εὐπάρθενε Δίρκα. | *Verenda virgo Dirce:* |
| σὺ γὰρ ἐν σαῖς ποτὲ παγαῖς | *Olim tuis nam fontibus* |
| τὸ Διὸς βρέφος ἔλαβες. | *Iouis cepisti filium.* |

¶ Cum igitur mutua sit elementorum inter se vicissitudo mutationis, Solisque radij ex Oceano & terræ suprema parte vapores excitent, inde niues, & grandines, & imbres gignuntur, vt ait Aristot. in Meteorologicis, ex quib. fit incrementũ fluminibus: quare filius Oceani dictus est. Terra eius mater dicta est, vel quod ea in aquam, vt in propinquum elementum soluatur, vel quia ex incluso aere in ipsa terra nascantur fluuij, cum in aquam mutatur. Alij crediderunt vim esse optimarum aquarum Acheloum, sicuti testatur in ponderibus Asiæ Ephorus: ἢ τοὺς ἐκ Δωδώνης χρησμούς

σμὺς χιδὲν γὰρ ἐφ' ἅπασιν αὐτοῖς προστάττειν ὁ θεὸς εἴωθεν Α'χελώῳ θύειν ὥστε πολλοὺς νομίζοντας ὡς τὸν ποταμὸν τὸν διὰ τῆς Α'καρνανίας ῥέοντα, ἀλλὰ τὸ σύνολον ὕδωρ Α'χελῷον ὑπὸ τοῦ χρησμοῦ καλεῖσθαι. *Vel oracula Dodonaa nam in omnibus fere responsis iubere solitus est Deus sacrificari Achelao: quare permulti in cā opinionem inciderunt, vt non fluuium per Arcananiam defluentem, sed vniuersam vim aquarum Acheloi nomine ab oraculo vocari crediderint.* erat enim illa sacrificantium consuetudo, vt in omnibus sacrificiis aquam illam, quæ sacris adhibetur, nominarent Acheloum, quod testatur paulo post idem Ephorus: μάλιστα γὰρ τὸ ὕδωρ Α'χελῷον προσαγορεύομεν ἐν τοῖς ὅρκοις, καὶ ἐν ταῖς εὐχαῖς, καὶ ἐν ταῖς θυσίαις. *Maxime vero inter iurandum, & in precationibus & sacrificiis aquam Acheloum nominare consueuimus.* Est enim suauissima & saluberrima Acheloi aqua credita, qui fluuius est Acarnaniæ, & in mare apud insulas Echinades vocatas ingreditur, vt ait in his Herod. in Euterpe: καὶ ἄλλοι ἤκιστα Α'χελῷος ῥέων δι' Α'καρνανίης, καὶ ἐξιὼν ἐς τὴν θάλασσαν, τῶν Ε'χινάδων νήσων τὰς ἡμίσεας ἤδη ἤπειρον πεποίηκεν. *Atque Achelos præsertim qui fluuius per Acarnaniam delabens in mare insularum Echinadum intrat, earumque dimidium iam continentem fecit.* Atque in hanc sententiam de Acheloo scripsit Strabo lib. 10. Geographiæ, quod latus australe Acarnanicum & Ætolicum ipso mari perfunditur. quod sinum efficit Corinthiacum, in quem Achelous influit, qui superioribus temporibus Thoas appellabatur, at postea dictus est Achelous, vt scripsit Plutarchus in libro de fluminibus ac montibus. Cur tauri formam sumpserit, diximus. Factus est Draco idem, quia sinuoso cursu deferuntur flumina. cum idem assiduis aliquādo imbribus non augeatur ac placidus sit, humana forma fingitur: at ob sonitum, taurino capite. Hercules, vt ait Strabo lib. 12. OEneo affinitate coniunctus, & in omnes mortales beneficus fluuium temere & cum impetu regionem infestantem aggeribus & aquæ ductibus coercuit & extenuauit: eamque aquam in multos riuulos diductam quæ prius regionem laniabat, vtilissimam reddidit Inde dictus illi fluuio taurinum cornu defregisse, & pro illo cornu abundantiæ rerum omnium accepisse. Fluuius igitur paulatim exsiccatus eo pacto fabulæ locum dedit, quæ in honorem Herculis ficta est. Quid aliud sub hac fabula continea-

tur, præter historiã, non reperio, nisi quod per prudentiam omnia vel maxime noxia efficiuntur vtilia: cum præsertim istud Herculeæ prudentiæ quoddam fuit è muneribus, cuius iam sententia fuit explicata at nũc de apro Calydonio.

## *De apro Calydonio.* CAP. III.

SEd quoniam nemo prope est antiquorum poetarum, quin aprum Calydonium celebrauerit, nos etiam breuiter quæ de illo memoriæ prodita sunt, percurramus. Fabulantur itaque Oeneum Ætolorum regem, Calydoniæque imperantem, primitias tum frugum, tum etiam domesticorum animalium Dianę offerre solitum: qui cum sumptui parcere decreuisset, Dianam solitis primitiis defraudauit. at Sosiphanes in Meleagro memoriæ prodidit Oeneum Diis omnibus solitum primitias ferre ob eximiam suæ regionis fertilitatem, verum aliquando Dianæ honores præteriisse. Illa igitur ob neglectum honorem indignata, aprum insignis magnitudinis ac feritatis, qui in Oeta monte versabatur, in Calydonium agrum immisit, qui vniuersam regionem deuastaret; quod ita breuiter complexus est Ouid. lib. 8. Metamorph.

*Sus erat infesta famulus, vindexq; Dianæ.*
*Oenea namq; ferunt plenis successibus anni*
*Primitias frugum Cereri, sua vina Lyæo,*
*Palladios flaua laticis libasse Mineruæ.*
*Cœptus ab agricolis superos peruenit ad omnes*
*Ambitiosus honor, solas sine thure relictas*
*Præteritas cessasse ferunt Latoidos aras.*
*Tangit & ira Deos.*

Atque inter cætera damna quæ illi regioni inferebat, cultissimam Oenei vineam, quam Ancæus Neptuni & Astypaleæ nymphæ filius multa diligentia plantauerat, populabatur: in qua educanda & ipse Oeneus non mediocriter insudauerat, vt ait Homerus Iliad. ι.

καὶ γὰρ τοῖσι κακὸν χρυσόθρονος Ἄρτεμις ὦρσε
χωσαμένη. ὅ οἱ οὔ τι θαλύσια γουνῷ ἀλωῆς
Οἰνεὺς ῥέξ', ἄλλοι δὲ θεοὶ δαίνυνθ' ἑκατόμβας,
οἴῃ δ' οὐκ ἔρρεξε Διὸς κούρῃ μεγάλοιο.
ἢ λάθετ', ἢ οὐκ ἐνόησεν, ἀάσατο δὲ μέγα θυμῷ.
ἣ δὲ χολωσαμένη δῖον γένος ἰοχέαιρα,
ὦρσεν ἐπὶ χλούνην σῦν ἄγριον ἀργιόδοντα,

*ὃς κακὰ πολλ' ἔρδεσκεν ἔθων Οἰνῆος ἀλωήν.*
*πολλὰ δ' ὅγε προθέλυμνα χαμαὶ βάλε δένδρεα μακρὰ*
*αὐτῇσιν ῥίζῃσι, καὶ αὐτοῖς ἄνθεσι μήλων.*
*Suscitat hu irata malum Diana, quod illi*
*Cum superos olim ad conuiuia læta vocassent,*
*Oeneus hanc vnam merito priuauit honore:*
*Siue oblitus enim, seu nesciit, haud tulit æqua*
*Mente, Iouis fere præteritam de semine natam.*
*Tunc irata Iouis proles Diana ferocem*
*In vites immisit aprum, qui plurima fecit*
*Tristia qui plantas rad cibus truit omis,*
*Æquauitque solo pomos cum floribus ipsis.*

Memoriæ proditum est Ancæum fuisse seruis asperum & immitem, dum eam vineam plantaret; quare vnus ex iis dominum eius vineæ non gustaturum esse fructum inquit: at Ancæus, vbi fructus ad maturitatem peruenit, seruum deridebat, iussitque sibi vinum miscere: qui, vbi poculum esset ori admoturus, illi falsum fuisse eius sermonem obiecit. cui seruus respondit;

*πολλὰ μεταξὺ πέλει κύλικος καὶ χείλεος ἄκρου.*
*Multa cadunt inter calicem, supremaque labra.*

Cum hæc ita dicerentur, Ancæo plenum poculum tenenti accurrit quidam nuncians ab ingenti apro vineam totam deuastari. tunc Ancæus deposito poculo, arreptaque securi in illum aprum irruit, à quo vulneratus crus, vt sensit Pherecydes, interiit. Pausanias tamen in Arcadicis non solum Ancæum in aprum irruisse, sed cum opem ferret Meleagro Oenei filio, ab illa belua cæsum fuisse memoriæ prodidit: quem in ventre vulneratum ait Ouidius. Postea robustissimi venatores ex vniuersa Ætolia ad hunc aprum cædendũ conuenerunt. nam ad Meleagrum venit Iason, Theseus & Pirithous, Lynceus, Idas, Cæneus, Leucippus, Acastus, Ampycides, Oeclides, Telamon, Phyleus, Eurytion, Lelex, Echion, Hylæus, Hippasus, Nestor, Panopeus, Pollux, Iolaus, Atalanta, Peleus, Prothous, Cometes. At enim multi mortales in ea pugna ceciderunt dentibus eius apri crudeliter laniati. Scripsit Ouidius lib 8. hunc fuisse à Meleagro in armo cæsum venabulo, cum tamen Isacius ab eodem Meleagro defixum in fronte fuisse venabulum dicat, prioremque omnibus Atalantam Iasonis, at non Schœnie

filiam sagitta aprum percussisse dicat, vt est in hist. 102. chil. 7. apud Zezem. Quantæ fuerit magnitudinis hic aper vel ex eo patet, quod vnus eius dens in hortis Cæsaris fuisse dicitur in templo Liberi patris, haud minor vnius pedis & quadrantis mensura. Ferunt enim multas immanes beluas in hominum improborum perniciem variis temporibus fuisse à Diis excitatas, vt Erymantium etiam & Crommyonium apros, & taurum in Cretenses, quia cum Minos late mari totam Græciam alluenti imperaret, nihilo maiorem Neptuno quam Diis cæteris honorem tribuisset.

¶ Hec idcirco celebrata sunt à poëtis, vt nullum Deorũ cultum impune negligi à mortalibus sciretur: sed omnia quæcunque grauia contingunt, siue sterilitas sit agrorum, siue animalium pestilentia, siue immanitas monstrorum, vel propter neglectam religionem, vel propter hominum improbitatem, consilio & prouidentia Dei contingere: quamuis ita occultæ aliquando sunt causæ, vt videantur naturæ ducta potius, aut congressu astrorum, aut vario Solis motu, quam Dei voluntate & consilio contingere. Nihil fit enim horum sine diuina voluntate, inde fit aliquando, vt quæ minentur sidera, ob Dei bonitatem euanescant; at quæ non fuerant ante visa & præcognita, nos repente inuadant: cum omnia & iuste, & consulto, & certo Dei iudicio fiant. Atque vt summatim dicam, nihil aliud per hæc significare voluerunt nisi quod propter peccata veniunt aduersa: colendam scilicet Deorum immortalium esse religionem, quam nemo sine calamitatibus & impune neglexerit. at nunc de Centauris dicamus.

## *De Centauris.* CAP. IV.

ILla quæ de Ixione superius explicata fuerũt, nos breuiores facient in Centaurorũ explicatione. Dicuntur Cẽtauri Nubis & Ixionis fuisse filii: qui nati sunt ex illa nube, quã Ixion pro Iunone compressit. Hi dicti sunt in Pelio mõte à nymphis educati fuisse, qui adulti cum equabus coniuncti genuerũt Hippocentauros. Dicti sunt autẽ Centauri, quasi Cẽtuti, cum κεντέω pungo significet: quoniã primi hi omniũ mortaliũ pugnare ex equis inuenerunt: apud quos Pelethronius frœnũ & calcaria reperit, quibus tardiores aut celeriores equi sanarentur aut impellerentur. Hi Thessaliæ

populi

populi fuerunt Pelii montis accolæ, agrestes plane & implacidi & contumeliosi in omnes viri. Grauis pugna inter hos & Lapithas, qui dicti sunt ita ab Apollinis & Stilbes Nymphæ filio Lapitha, vt ait Posidonius, aliquãdo exorta est: nam cum Pirithous Deidamiam, vel (vt alii maluerunt) Hippodamiam Bysti filiã ducens nuptias celebraret, quod affines essent Centauri Deidamiæ, illos etiam ad conuiuiũ conuocauit. Isti igitur simul ac vino incaluerunt, & ipsam sponsam, & reliquas Lapitharum vxores petulantius attrectare, & violare denique conati sunt. Id Lapithis non ferentibus grauis pugna in ipsa regia committitur, multique ex Centauris in ea ceciderunt, Theseo præsertim adiuuante Pirithoum, vt patet in Scuto Hesiodi his carminibus:

ἐν δ᾽ ἦν ὑσμίνη Λαπιθάων αἰχμητάων
Καινέα τ᾽ ἀμφὶ ἄνακτα, Δρύαντά τε Πειρίθοόν τε,
Ὁπλέα τ᾽, Ἐξάδιόν τε, Φάληρόν τε, Πρόλοχόν τε,
Μόψον τ᾽ Ἀμπυκίδην Τιταρήσιον, ὄζον Ἄρηος,
Θησέα τ᾽ Αἰγείδην ἐπιείκελον ἀθανάτοισιν·
ἀργύρεοι χρύσεια περὶ χροῒ τεύχε᾽ ἔχοντες.
Κένταυροι δ᾽ ἑτέρωθεν ἐναντίοι ἠγερέθοντο.

*Hic inerant Lapithæ, pugnax genus, inclyta pubes,*
*Cænea, Pirithoumq́, Dryantaq́, & Hoplea circum*
*Pugnantes: circa Prolochum, Exadium, atq́ Phalerum,*
*Mopsumq́ Ampyciden Titaresion. hic quoq́ Theseus*
*Ægides aderat similis Diis ille supernis.*
*Aurea tela viris aderant, argentea membra.*
*Parte al astabant Centauri deinde frequentes.*

Fuit autem poculis primum, & mensis, & sacris vasis pugna commissa, vt ait Valerius Flaccus in 1. Argonaut.

*Parte alia Pholoe, multoq́ insanus Iaccho*
*Rhœtus, & Abracia subita de virgine pugna:*
*Cratares, mensaq́ volant, araq́ Deorum.*

Ad extremum vero victoria penes Lapithas fuit, ac Centauri in fugam versi de suis finibus pelluntur, qui fuga se seruarunt in Pholoem Arcadiæ; vt videtur testari Orpheus in Argonauticis:

ὃς δ᾽ ἄρ ἄεισε μάχην Κενταύρων ὀβριμοθύμων,
οἳ Λαπίθαις κατέπεφνον ἀτασθαλίης ἕνεκα σφῶν.

*Centauros cecinit, gens vtq́ asperrima bello;*
*Stultitia pœnas Lapithis tamen inde dedere.*

Victi igitur à Lapithis Centauri nouas sedes sibi quærere coacti sunt, & in regionē Perrhæborū profecti, pulsis prioribus illius loci colonis ibi habitarunt, vt ait Strabo lib. 9. Fuerunt hæc insigniorū Centaurorū nomina, qui in ea pugna fuisse dicuntur: Abas, Arius, Aphidas, Stylus, Amycus, Antimachus, Apheus, Amydas, Asbolus, Abryus, Arctus, Bromus, Bianor, Bretus, Brauenor, Cęneus, Chiron, Cyllarus, Grosiius, Criton, Craneus, Dictys, Danis, Dyneus, Dryalus, Dorpus, Dorylus, Demoleon, Elops, Erigippus, Eurytus, Eurynomus, Emmachius, Enopion. Grynæus, Griphe⁹ Herlinus, Hippasus, Hylas, Helinus, Harpagus, Harmandro, Imbreus, Iphinous, Latreus, Lycetus, Lycus, Lycidas, Lycochthon, Monychus, Mimas, Mermerus, Medon, Meneleus, Nessus, Nedon, Nycton, Odites, Ocelus, Orneus, Pholus, Perithedes, Pisenor. Picagmus, Phlegræus, Petræus Pyretus, Praxion, Pæantor, Rhœcus, Rhipherus, Rhipheus Thaumas, Thereus, Thonius, Teleboas, Stipalus, Therectonus, Silanthus, Theramon, Thurius. è Lapithis vero nonnullos recensuit Hesiod. in Clypeo. His addiderunt quidam Baiū, at non illū tamen qui vrbi nomen dedit Mercurii, vel (vt alii maluerunt) Neptuni filiū. quamuis Centaurorū nonnulli, quia durum esset & agreste genus erga omnes externos, vim Herculis senserunt, vt dictū fuit: siquidē hi sagittis veneno hydrę infectis vulnerati se lauātes, Anigri fluminis aquā infecisse dicūtur; ita vt vnda illa teterrimū odorē diu seruauerit, & pisces qui in eo flumine nascerētur esui essent inutiles. At Antimachus in Centauromachia illos ab Hercule pulsos è Thessalia in insulas Sirenum cōfugisse scripsit, vbi cātibus illarum delectati omnes in apertā perniciē fuerunt attracti. deinde vbi Nessus, & alii Centauri sepulti fuissent, ex iis vulneribus non procul à Calydone, in colle, qui Taphossus fuit nuncupatus, grauissimus odor ad montis radicē suffundebatur, ac tabo simile quiddā manabat, vt ait Strabo lib. 9. Quę de Centaurorū forma dicūtur, illa fabulosa sunt omnino, vt quæ de illorū ortu. Alii igitur Ixionis filiū Chironem fuisse tradiderūt, à quo originē duxerint Centauri. Alii Saturnū cum Philyra Oceani filia cōgressum inquiunt cum imperaret Titanibus, mox cū ipsos Rhea deprehēdisset, Saturnus ob pudorē se in equum vertit, vnde Chiron natus dicitur hippocentaurus, omniumq;

Centau-

Centaurorum iustissimus, & sapientissimus: qui fuit Iasonis & Achillis pædagogus. Illa igitur causa fuisse dicitur, cur Centauri geminam formam sortiti fuerint, equinam scilicet à patre, humanam à matre. Quidam igitur putarũt inferiorem partem ad collum vsq; formam fuisse equinam, & ab equino ventre pro collo ventrem & formam hominis consurgere, totamq; conspici superiorem partem, ita vt equitantis hominis forma in faciem intuentibus videretur. Quidam putarunt posteriores tantum pedes fuisse equinos, at priores humanos, vt ait Pausanias in Eliacis prioribus. At Lucret. lib. 5. neque hac, neq; illa forma esse potuisse Centauros omnino contendit, non solum quod duę formæ tam diuersæ simul esse non possint, cum altera vigere incipiat, cum altera senescit ac fit inualida, verum etiam quod omnia è certis seminibus oriri necesse sit, atque in omnibus vnam naturam excellere: tum duæ formæ, diuersæ, paresque viribus simul esse non possint; quare ita inquit:

*Sed neq; Centauri fuerant, nec tempore in vllo*
*Esse queunt duplici natura, & corpore bino:*
*Ex alienigenis membris compacta potestas.*
*Hinc illinc par vis, vt non par esse potis sit.*

Cum Hercules benigne à Chirone aliquando fuisset hospitio acceptus, Chiron breuitatẽ sagittarũ Herculis admiratus eas contrectauit, quarũ vna dicitur in pedem Chironis decidisse; quare ille dictus est ex eo vulnere fuisse mortuus, & ob eximiã iustitiã, Deorumq; cultũ inter sidera relatus. Achæus vero & Erasistratus non interiisse Chironem ex illo vulnere inquiunt, sed centaurea herba, quã centaureum etiam vocant, vulneri adhibita sanatum fuisse: quæ ab ipso postea, vt inuentore vsus eius herbæ, fuit appellata, de qua ita meminit Virg. lib. 4. Georg. quam centaureum vocauit:

*Cecropiumq; thymum, & graueolentia centaurea,*

Et Lucret. lib. 2.

*At contra tetra absynthi natura, feriq;*
*Centauri fœdo pertorquent ora sapore.*

Est enim & amara, & grauiter olens illa herba. Nã prima & simplicior antiquorũ medicina fuerunt radices herbarũ, vt in his significauit Hom. quibus pleriq; morbi curabantur:

——— ἐπὶ δὲ ῥίζαν βάλε πικρὴν χερσὶ διατρίψας.

*——radicem iniecit acerbam*
*Contundens manibus.*

Quod si Centaurorum forma omnino in rebus humanis esse non potest, quæ causa antiquos compulit ad hæc ita fabulose confingenda?

¶ Patuit (vt arbitror) ex rebus Centaurorum gestis quid per hæc significare voluerunt. Nam in tam prodigiosa corporis forma, quæ humanitas, quæ iustitia, quæ temperantia, quæ pietas esse potuit? aut qui dimidium sui belua teterrima extiterit, quo pacto non in maximas difficultates ob sua flagitia illabatur, patriamque & facultates per summam turpitudinem relinquere cogatur? Verum quoniam suus est virtuti vniuscuiusque locus, potestque vel in turpi forma aliquando inesse virtus, idcirco ob æquitatem eximiam Chiron fuit inter sidera receptus. Per hæc igitur quæ dicta sunt de Centauris, significare voluerunt antiqui, vino non esse immoderate indulgendum, neque cedendum cupiditatibus, neque manus in res alienas per vim iniiciẽdas, sed temperantia & iustitia in omnibus vti conuenire: cauendosque esse illos qui turpissimo sunt corpore, quoniam mores plerunque corpori sunt similes. At contra illum esse finem omnium improborum, vt patriam, facultates, penates, liberos, vxores relinquere cogantur, & extorres aliam patriam sibi per inopiam quærant. Nec me præterit quosdam fuisse, qui primos Centauros equitare inquiant inuenisse. At nunc de Cygno dicamus.

## *De Cygno.* CAP. V.

AT vero de Cygno diuersæ fuerunt antiquorum scriptorum sententiæ, quod cum alii aliorum parentum filium & alia de causa in auem sui nominis mutatum fuisse, tradiderunt. Nam Cygnus ille qui fuerit ab Hercule occisus, & in auem sui nominis dicitur postea mutatus, fertur fuisse Martis & Cleobulinæ filius, vt traditum est à Posidonio in lib. de Diis & heroibus Fama est hunc Cygnum Martis filium idcirco fuisse ab Hercule trucidatum, quoniam ille in Thessaliam accedentes aduenas interimeret, cum esset tẽplum patri erecturus è capitibus cæsorum à se hominum. Fuit & Cygnus Apollinis filius ab Achille casus cum militaret ad Troiam, de quo ita scripsit Isacius: Ἀχιλλεὺς δὲ ἐπιστρατεύσας τῇ Τροίῃ, ἀνεῖλε τὸν Κύκνον, καὶ Τένην τὸν λό-

γου

γῳ υἱὸν Κύκνε, ἔργῳ δὲ Ἀπόλλωνος. *Achilles cum ad Troiam militaret, Cygnum ac Tenem interemerit, verbo quidem Cygni filium, at re ipsa filium Apollinis.* Fertur trucidatus fuisse ab Achille ad Troiam, & ab aliis creditus Cygni filius, cum esset Apollinis, vt patuit, quoniã opem ferens Troianis cum longis nauigib. angustias maris Troiani occlusisset, impediretque Græcos, neq; illos descendere pateretur, quem tamen pleriq; fuisse Neptuni filium existimarunt. Silenus autem in fabulosis historiis Diomedis socios in illas aues, tanquam sorores Meleagri in melegrides, mutatos fuisse scripsit: quæ res ita habuit. Cum Diomedes Tydei ac Deiphyles filius in patriam post bellum Troianum rediisset, fertur in vltionem eius vulneris quod Marti & Veneri Diis intulerat, eius vxor Ægialia exagitata fuisse incredibili desiderio, atque furioso prope quodam amore Cometę filij Scheneli, vel (vt aliis magis placuit) Cyllabari. Idcirco cum domum rediisset ita illo detentam vxorem reperit, vt parum abfuerit, quin ab ipsa Ægialia fuerit trucidatus, cum vix se seruasset ad arã Iunonis Argiuæ. Postmodo de statu rerum pręsentium decidẽs, ac desperatione captus, ad populos vocatos Daunios in Italiã commigrauit, quibus per illud tẽpus Daunus rex imperabat. Cum forte tunc accidisset, vt Daunus ab hostibus obsideretur, audita Diomedis virtute ac fortitudine, eiusq; in Italiã aduentu, misit rogatũ ipsum Diomedẽ vt sibi opem ferret in ea rerum difficultate. promisit etiam se partẽ suæ regionis ad habitandum esse daturũ ad remunerationẽ tanti beneficij. Ille vbi auxiliatũ Dauniis iuisset, victoriamq; illis peperisset, vrbẽ postea vocatam Argyrippam condidit, quam sibi esse regiam statuit. Nam cum Daunus vellet videri tanti accepti beneficij minime oblitus, proposuit Diomedi concessitq; optionem, vtrum mallet eligẽdi, vel totam prædam, vel totam regionẽ hostis, quam cepisset. cum neutrum horum voluisset eligere Diomedes, cuperetq, Daunus aliquo condigno munere satis Diomedis in se beneficentiæ facere, Althænum Diomedis fratrem nothum iudicem statuit, at enim Althęnus cum fuisset captus amore Euippe filiæ Dauni, velletque Dauno gratificari, regionem Dauno adiudicauit, iussitque prędam dari Diomedi. fertur illo iudicio indignatus Diomedes Deos rogasse, vt neq; semina vtiliter terræ cõcrederentur,

neq; illa fructũ ferret, nisi aliquis è suis cognatis aut ciuib. ibi seminasset. Postea vero cũ istud ipsum contigisset, neq; terra vllos fructus ferret, & si qui nascerentur, per malignitatem aeris vel deciderent è plantis, vel ad maturitatẽ non peruenirent; animalia passim perirent, ac si qua ferrent in vtero facerẽt abortum: dicitur Daunus misisse sciscitatum oraculum, quæ nã esset tantæ Deorum indignationis causa, aut quid in Deos esset cõmissum, ex quo tot incommoda, totq; calamitates Dauni regionẽ inuasissent. Cũ respõdisset oraculũ, istud partim ex imprecatione Diomedis cõtigisse, partim ẽt ex ira Deorum, & præsertim Veneris, quę vel ipsum fratrẽ in Diomedem per amorẽ Euippe incitasset, Daunus in præsenti rem dissimulat, atq; consilium prorogat in oportunum tempus. Nec ita multis sane diebus interiectis Daunus Diomedi insidias parat, & tanq̃ Diis inuisum atq; inimicum repente trucidat. Græci Diomedis socij qui fuerãt illum in Italiam secuti, visa sui ducis morte tam fœda tamq; miserabili, illum magnopere lugere cœperunt, atq; stridule conquerentis dicuntur omnes Deorũ misericordia in cygnos aues canoras fuisse conuersi quod accidit in insula Diomedea vocata è regione Gargani. Alij dicunt non in cygnos quidem fuisse mutatos, sed in aues cygnis simillimas, quæ dictæ sunt postmodo insulam vocatam Diomedeam habitasse de nomine ipsius Diomedis. Est autem illa insula iuxta sinũ Ionium Adriaticũque posita, vt scripsit Agatharchides in rebus Europicis & Callimachus in lib. de cõditis insulis, & habitatis vrbibus, & de illarũ nominibus. Nam Iapyges Apuli cum populi essent iuxta sinũ Ionium, ali horum dicti sunt Peceutij, alij Diculi, qui postea Daunij & Tarentini vocati fuerunt. Fuit enim regio Dauniorũ in Apulia, q̃ postea tota Iapygia ab Iapyge Dædali filio, hinc Salatia, hinc Calabria vocata fuit. atque Apulia dicta est ab vrbe Diomedis Argyrippa, quæ sequentibus temporibus Apulis nominata fuit. His addidit præterea Timæus Siculus in rebus patris, & Alcimus, omnes Diomedis statuas, quas in illa regione ex ijs saxis passim sibi erexerat, quæ secum è Troianis ruinis in naui aduexerat, fuisse in mare cõtumeliose deiectas, nam memoriæ proditũ fuit ab illis Siculis scriptoribus Diomedẽ cum aureum scutũ Glauci haberet, Colchicũ draconem interemisse, qui Phœciã regionem

nem deuastauerat, vbi primum in Italiam aduentaret, ea re insignẽ honorem adeptus Diomedes per multas sibi statuas ad perpetuã præclari facinoris memoriã erigẽdas curauit, quæ è saxis Troianis (vt diximus) excisæ fuerũt quæ statuæ vna cum ipso Diomede cælo in mare à Dauno in mare deiectæ, Scriptum reliquit Paus. in Atticis reb. Cygnum fuisse regem illorum Ligurum, qui habitarunt in Gallia transpadana, laude musicæ artis & cognitionis clarũ: qui vbi mortuus esset, dicitur ab Apolline in auem sui nominis mutatus. Alij dixerunt ducem Ligurum Cygnum nomine miro amore Phaethontem prosecutũ fuisse, qui post eius casum tam assidue flebat atque eiulabat, vt Deorum misericordia in auem sui nominis sit mutatus, atq; cum esset musicæ artis peritus, creditur post mortem Apollini musicorum Deo esse consecratus. Lucianus in eo dialogo qui Cygnus inscribitur, assessores fuisse Apollinis cygnos commemorat, & amicos homines musicæ peritos, qui cum mortui essent, fuerunt in aues sui nominis mutati ab eodem.

¶ Hæc ea sunt quæ de Cygnis fabulosę memoriæ prodita sunt ab antiquis scriptoribus: quæ si diligentius considerentur, partim nos admonent nullam esse turpitudinem, nullamque arrogantiam, quæ Deum non habeat vindicem & vltorem; partim etiam ad insigniorum hominum laudem fuerũt excogitata. nam cum Diomedes vel Deos ipsos vulnerasset, iustam Deorum vindictam omnino aufugere non potuit. quia tam fœlici rerum successu elatus fuerat, vt neq; Diis quidem pepercerit in ipsa rerum fœlicitate, quos magis vt autores omnis humanæ fœlicitatis impensiusque venerari atq; obseruare decebat. Eius socij dicuntur in aues fuisse mutati, quod omnis infœlicitas & miseria alas iniungit prioribus amicis ad fugam. Facti sunt cygnis similes, vt alij voluerunt, aut ipsi cygni, dum lugubres ac miserabiles voces emitterent, quoniam neque tutum est, neque sapiens neq; valde pium illorum sceleratorum calamitates lugere, qui diuino consilio, diuinaque prouidentia propter illatas vel in ipsos Deos iniurias illas calamitates patiantur, cum illud scire possumus. Fiunt enim brutis similes ij qui neque motib. animorũ moderari aliqua saltem ex parte possunt, neq; æquo animo ferre nitãtur illud, quod diuinitus statutũ nulla ratione mutari possit. Hæc res iure optimo fecit, vt

socij Diomedis in aues Diomedeas vocatas dicantur fuisse conuersi. Alij dixerunt Cygnum illum ab Achille cæsum cũ ad Troiam militaret, in auem sui nominis fuisse cõuersum, nõ quidem reipsa (nullum enim fuit tempus quo homines in plantas, aues, pisces, aut saxa mutarentur) sed ad consolationẽ suorum illud fuisse à poetis cõfictum. nam fuit vna multarum fabularũ excogitatarum ratio aliquando, assentatio poetarum nimirum, quo nihil sibi non licere arbitrati sunt, modo principum suæ ætatis gratiam per sua figmenta aucuparentur. Sic homines sępius in Deorũ numerum post mortem sunt intrusi, quibus templa, altaria, sacerdotes, ceremoniæ ac proprij ritus sacrorum fuerunt instituti, multiq; in varia corpora animaliũ per suauitatẽ orationis cum mirifica legentiũ voluptate peruenerunt. Habet enim illud suauitatis poetice, vt illa quæ in soluta liberaque oratione ridicula viderentur & vana & mendacia, ipsa nõ solum probabilia & similima veri efficiat, sed etiam cum incredibili auditorũ voluptate & admiratione ita imprimat in animis, vt nõ facile deleantur. Istud fit propter metri naturam ac varietatẽ rerum, quas licet poetis in sua scripta asciscere, cum reliqua scriptorum genera ad finem suscepti negocij properare soleant, priusquam aliquid exterum admisceatur. nam cum liceat poetæ aliquando vel ad minima quæq; describenda peruenire, illud certe non permissum est facile cæteris scriptoribus, nisi maxima de causa, & cum res ipsa necessario postulasse appareat. Quod vero Cygnum Ligurũ regẽ eorum qui habitarunt in Gallia transpadana, in illam auẽ mutatum fuisse ab Apolline memoratũt, id certe significare voluerunt poetæ, optimarũ artiũ expertes esse principes homines nõ oportere, vel esse prorsus ignaros, quæ liberales vocantur, cum & animum ad regias virtutes & ad optimã rerum præsentium administrationẽ, & ad futurorum prudentiam mirabiliter effingant, & ad rerum vel secundarum vel aduersarũ euentum æquo animo praeferendum. Istud à musicæ scientia primum inchoandum esse cẽsuerim, sed non ab illa tabularum & combibonum garrulitate aut vociferatione: quoniã ea vis est illius, vt animum, moresque parum aptos prius componat, deinde præparet compositum ad omnes rectas disciplinas facile, imbibendas. Alij dixerunt poetas ad viuentiũ coniunctorum Cygni

ipsius

ipsius regis gratiam illum immortalibus laudibus extulisse ob peritiam musicæ facultatis, quem & gratum Diis hominem fuisse dixerunt, & post mortem etiam vixisse, atq; in auem pulcherrimam, Apolliniq; dicatam mutatum, quæ vel mortem ipsam cum cantu exciperet, quia se Deo amicam esse sentiat, & ad meliorem vitam sit transitura. Nam cum mors cōmunis sit omnibus animantibus, neque vlla sit differētia sanguinis, facultatum honorum, nisi quis vi laudis ac virtutis, communem omnibus vitæ metam perpetuitate nominis superauerit; vel nihil est magnopere expetendū in rebus humanis, vel sola gloria, quæ per bonitatem morum, sanctitatem, fidem, pietatem, integritatem, innocentiam ac beneficentiam late extenditur. fit etiam hoc ipsum per disciplinarum liberaliumq; artium præstantiam cognitionis, qui honor in animis posterorū diutissime conseruatur, nam cum fieri omnino nō possit vt nihil agamus, quid aptius præclaris ingeniis relictum est in quo se exerceant, cum quid datur ocij, quam in cognoscēdis reb. gestis præteritorum temporum, & deliris quibus se suosque perdiderunt summis rebus præfecti, aut quibus virtutibus hęc omnino ab ijsdem sapienter sunt conseruata? est illud præterea studium honestissimū omnium ac vtilissimum, & cæteris omnibus occupationibus præferendum, quo aliquis seipsum ad vitam q̃ honestissime cum virtute transigendam informet. Atque de Cygno satis, nunc dicatur de Harpyis.

## *De Harpyis.* CAP. VI.

HARPYIAE, quæ Stymphalides aues etiam vocatæ fuerunt, filiæ fuisse dicuntur Thaumantis & Electræ Oceani filiæ, ac sorores Iridis, vt scripsit Hesiod. in Theogonia in his versibus:

*Θαύμας δ' Ὠκεανοῖο βαθυῤῥείταο θύγατρα*
*ἠγάγετ' Ἠλέκτρην. ἡ δ' ὠκεῖαν τέκεν Ἶριν,*
*ἠϋκόμους θ' Ἁρπυίας Ἀελλώ τ' Ὠκυπέτην τε.*
*Oceano natam, Thaumas, qui littora pulsat,*
*Vxorem Electram duxit: mox edidit Irim*
*Illa viro: Harpyas, Aelloque, Ocypetenque.*

Acusilaus Neptuni ac Terræ filias fuisse credidit: Sosiblis Erasiam & Harpyiā memoriæ prodidit fuisse Phinei filias: quæ, vt patet ex superioribus Hesiodi carminibus, tres fue-

runt, Iris, Aello, Ocypete. Quidam Celeno pro Iride subrogarunt. Asius, Alopen, Acheloen, & Ocypeten nominauit, vt etiā Hyginus. Stesichorus Thyellam addidit: Asclepiades Ocythoen, Achæus Ocypoden. Has proditū est memoriæ ab Isacio in Thracia habitare solitas, auresq; vrsorum corpora vulturum faciem virginum habuisse, fuisseq; alatas, & humanis brachiis ac pedibus, sed vnguibus monstrosis: quæ omnia prope ita descripsit Virg. lib. 3. Æneidos:

*Tristius haud illis monstrum, nec sauior vlla*
*Pestis, & ira Deum Stygijs sese extulit vndis.*
*Virginei volucrum vultus: fœdissima ventris*
*Proluuies: vncæq; manus, & pallida semper*
*Ora fame.*

Has ad epulas aduolantes facit, & volucres idem poeta nominauit. Has igitur Iouis canes fuisse memorant poetæ, ac rapaces dæmones: quę ad dirum Phinei supplicium fuerint immissæ. Nam scripserūt antiqui Phineum in Bithynia iuxta fluuium Salmydessum Thraciæ habitare solitū, Agenoris & Cassiopeæ filium, vel (vt quibusdā magis placuit) Agenoris & Phœnicis; vt Apollodoro, Neptuni: quem tamē in Paphlagonia regnasse omnes narrant. Hunc aiunt nōnulli cum optio sibi data esset, vt vel cæcus diutissime viueret, vel post certum tēpus moreretur: cæcū consulto à Sole factum fuisse, & ab Agenoris temporibus vsq; ad Argonautum nauigationę vixisse. Alij, quorum sentētiæ accedit Sophocles, Cleopatram vxorem fuisse narrant Boreæ & Orithyiæ filiam, è qua Phineus duos filios Grambim ac Orythum susceperit, vel (vt alij maluerūt) Partheniū & Crambim. Postea repudiata Cleopatra Idæam Dardani Scytharum Regis duxit: tum adolescętes illi accusati sunt, quod stuprum nouercæ obtulissent, & à patre comprehensi ob id facinus capitis damnati, tandem ab Argonautis cognita illorum innocentia, & quæ inter ipsos intercedebat, affinitate, multis barbarorum cæsis, & ipso etiam Rege obtrūcato in eo certamine, liberantur. Non defuerunt qui ob eam accusationem oculis captos fuisse adolescentes inquiant: quare indignatus Neptunus ob eam crudelitatē illum etiam cęcum fecit, & Harpyias immisit. Alij, inter quos Philochorus, hos Thynum & Mariandynū vocarūt. Alij hos nō è Cleopatra, neque ex Idæa Dardania filia, sed è quadam pellice Scythica

ca natos fuisse autumarunt. Id cum fecisset Phineus, dicitur eo supplicio à Ioue affectus vt oculis careret, & perpetua famę discruciaretur: cui tamen cum paratæ forent epulæ, neque illas comedere tunc quidem licebat, quoniam Iupiter suos canes Harpyias scilicet ad eum miserat, quæ vel ex ore comedentis cibum eriperent. Acusilaus Argiuus, quia cum vates esset, Iouis ac Deorũ arcana mortalibus patefecisset, his suppliciis addictum scripsit, ad quem profecti Argonautæ perbenigne accepti, pro præmio monstrati itineris in Colchidem, & pro liberalitate hospitali alatos Boreę filios cum sagittis miserunt; qui Harpyias à mensa Phinei depellerent: quas è regione fugientes, cum ad Plotas vsque vocatas insulas, quas alij Echinadas vocarunt, insecuti fuissent: atque inde ad Argonautas iterum reuertissent, quod illæ iurassent se non amplius Phineum infestaturas, illæ insulæ dictæ sunt Strophades: quæ omnia explicata sunt ab Apollon. lib. 2 Argon. cum hæc inquiat:

ἔνθα δ' ἐπάκτιον οἶκον Ἀγηνορίδης ἔχε Φινεύς,
ὃς περὶ δὴ πάντων ὀλοώτατα πήματ' ἀνέτλη
εἵνεκα μαντοσύνης, τήν οἱ πάρος ἐγγυάλιξε
Λητοΐδης· οὐδ' ὅσσον ὀπίζετο καὶ Διὸς αὐτοῦ,
χρείων ἀτρεκέως ἱερὸν νόον ἀνθρώποισι·
τῷ καί οἱ γῆρας μὲν ἐπὶ δηναιὸν ἴαλλεν,
ἐκ δ' ἕλετ' ὀφθαλμῶν γλυκερὸν φάος, οὐδὲ γάνυσθαι
εἴα ἀπειρεσίοισιν, ὀνείασιν, ὅσσα οἱ αἰεὶ
θέσφατα πευθόμενοι περιναιέται οἴκαδ' ἄγειρον.

*Hac & Agenorides habitabat littora Phineus,*
*Ærumnas passus mortales est super omnes,*
*Quod diuinaret: namq; artem præbuit illi*
*Latoides, quare ille Iouis vel numina summi*
*Spernebat: mentemq; Deum mortalibus idem*
*Vaticinans nudauit, eum grauis inde senectus*
*Inuasit: primum est oculorum lumine captus.*
*Inde frui dapibus vetitum est: quas plurima semper*
*Turba colonorum illius portabat in ædes.*

Deinde carmina quæ sequuntur, omnia prope illa narrant quæ diximus de Phineo. Reuersi sunt autem Boreadæ, & ab insequendis Harpyis destiterint Iride illos reuocante, vel vt aliis placuit, Iouis mandato. Cæterum illam fuisse conditionem Boreadum memorant, vt nisi Harpyas conse-

querentur, sibi esset pereundum. atque hi cæsos Harpyias à Boreadib. narrant: quarum altera in Peloponnesum volauit, & in Tigrem fluuium decidit, qui ab ea dictus est Harpys, vt ait Apollodor lib. 1 Panyasis tamen non strictis gladiis à Boreadibus depulsas, sed sagittis cæsas esse arbitratus est, priusquam Boreadæ reuocarentur. Quod autem canes Iouis vocatæ sint, patet ex his carminibus Apollonij lib. 2.

οὐ θέμις, ὦ υἷες Βορέω, ξιφέεσσιν ἐλάσσαι
Ἁρπυίας μεγάλοιο Διὸς κύνας.
*Non est fas, Boreæ nati, depellere ferro*
*Inde canes Iouis Harpyias magni.*

Has ipsas Harpyias quidã putarũt fuisse ab Hercule postea pulsas ex Arcadia, cum Stymphalũ oppidum iuxta Erasinũ fluuium popularẽtur, ærei crepitaculi tinnitu, vt dictũ fuit. Hac scripsit Chæremon sub quodam specu in Creta tãdem se abdidisse, vnde nunquam postea euolauerint. Atque hæc ea sunt quæ de Harpyis memoriæ prodita sunt ab antiquis.

¶ Dictæ sunt Harpyię ab ἁρπάζω, quod omnia secum raperent, quanquam quæ relinquebant, ita tetro & fœtido excremento inquinabant, vt fœtor omnino perferri non posset. Atque cum fluuiorum, fontium, imbriumq; natura per Naiades, & reliquas Nymphas significabatur, aer superior & vis ignea per Iouem, aqua per Neptunum, inferior aer per Iunonem, per Vestam terra: sic per Harpyias vis & natura ventorum significata est ab antiquis: qui (vt dictum est sæpius) sub his fabularum figmentis vniuersa naturalis philosophiæ, & morũ præcepta tradiderunt, vtilitatẽ cum suauitate commiscentes. Atque vel ipsarum Harpyiarum ortus demonstrat vires esse ventorum. qui enim putarunt filias fuisse Thaumantis & Electræ, quid aliud has esse senserunt, quam admirabilem vẽtorum naturam, qui è supernatante & putiore Oceani aqua per Solis radios extolluntur? Huic rei vel illud est argumento, quod Iridem ventorum sororem putarunt, quæ in imbribus, & nubibus certo ordine collocatis apparet; neque sine imbribus fieri potest: quo tempore etiã venti vel dominantur, vel iam antecesserunt. Nomina præterea singularum Harpyiarum vẽtorum impetum vel celeritatem, vel aspectum significant: nam Ocypete celeriter est volãs, Aello procella, Celæno obscuritas nubium, quæ ventis impelluntur. illud etiam indica-

bat

bat forma Harpyiarum, quæ fingebantur alatæ & fœminæ ob leuitatem duplicem ac celeritatem, cum neque Boreadæ quidem illas comprehendere potuerint, vt iure de illis dici queat:

*Quid leuius fumo? flamen, quid flamine? ventus.*
*Quid vento? mulier quid muliere? nihil.*

Qui Itidem vocarunt tertiam Harpyiam, in idem reciderunt: nihil est enim horum à vi ventorum semotum. Quid ergo? significare voluerunt per hæc ventos è superna vt aquarum è puriore parte scilicet gigni: aut ex ea aqua quæ est cum terra commista superius, quæ in vapores extenuata in sublime tollitur: qui vapores postea modo in pluuias cõdensantur, modo in ventos extenuantur. Neque abhorret præterea à ciuili institutione hæc fabula, quippe cum declaret rapacitatem & auaritiam hominum tanquam grauissimum suppliciumDeorum consilio mortalibus immissam fuisse. Nam cur oculis captus est Phineus? quia non videbat humanam cõditionem vitæ intra angustissimos terminos includi, paucisque esse contentam, atque ob eam rem perpetua fame discruciabatur: neque poterat præsentibus epulis vesci, cum non pateretur illud habendi desiderium, vt præsentibus bonis perfrueretur, sed vt fieret tantum locupletior. Id vulturum corpus, id vncæ manus, id ora semper fame pallentia significabant, id reliqua corporis forma, quæ ex animo auari hominis ad vnguem expressa est. Quidam per Harpyas furtorum naturam significare voluerunt, quæ virgines ideo putatæ sunt quia sterilia sunt Diis ita volentibus, & breui dilabuntur bona per rapinam furtumque parta: quare & famelicæ, & alatæ, & immundæ dictæ sunt. At nunc de Hesperidibus.

## *De Hesperidibus.* CAP. VII.

HEsperides autem Hesperi Atlantis fratris filiæ fuerunt, quas tamen Eubulus Atlantis, non Hesperi fuisse credidit: Chærecrates Phorci & Cetus. Nomina fuerunt illarum Ægle, Arethusa, Hespertusa, vt diximus in Hercule. Hæ hortos habuerunt non procul à Lixo oppido Mauritaniæ, extrema parte Æthiopiæ, ad occidentẽ, vbi loca fuerunt à Sole exusta, arenisq; obducta, & ob serpentum frequẽtiam infesta; neq; multum à Meroe, & à mari rubro distantia. ibi anguis esse dicebatur, qui aurea mala custodiret ne ab vllo

perentur: quem serpentem curabat Hesperidum sacerdos, vt apparet ex his carminibus Virg. lib. 4.

*Oceani finem iuxta, Solemq; cadentem,*
*Vltimus Æthiopum locus est: vbi maximus Atlas*
*Axem humero torquet stellis ardentibus aptum.*
*Hinc mihi Massylæ gentis monstrata sacerdos*
*Hesperidum templi custos, epulasq; draconi*
*Quæ dabat, & sacros seruabat in arbore fructus.*

Nam vbi Atlas cœlum sustinere dicebatur, ibi in extrema ora terræ habitabant Hesperides, vt significauit Dionysius in libro de situ orbis in his:

Ἄτλας δ᾽ οὐρανὸν εὐρὺν ἔχει κρατερῆς ὑπ᾽ ἀνάγκης:
πείρασιν ἐν γαίης, πρόπαρ Ἑσπερίδων λιγυφώνων
ἑστηώς, κεφαλῇ τε καὶ ἀκαμάτοισι χέρεσσι.

*Sustinet hic Atlas cœlum, sic fata iubebant:*
*Vltimus Hesperidum locus est in margine terræ,*
*Hic capite & manibus fert vasti pondera mundi.*

Hinc hortum fama est Atlantem montibus vndique cinxisse, quia Themis illi responderat futurum esse vt Iouis filius eo aliquando accederet, & aurea mala caperet. Hæc mala Agrætas in rebus Libycis oues fuisse sensit, quæ aureę nominarentur, quæ cum inhumanum & agrestem pastorem haberent, dictæ sunt à dracone custodiri at Pherecydes lib. 10. vbi nuptias Iunonis commemorauit, terram Oceano proximam in occidente aurei coloris poma tulisse inquit pomosque aurei coloris fructus ferentes. quam sententiam ita secutus est Lucanus:

*Abstulit arboribus precium, nemoriq; laborem*
*Alcides: passusq; inopes sine pondere ramos,*
*Retulit Argolico fulgentia poma tyranno.*

Draco, qui poma ipsa seruabat, Typhonis & Echidnæ filius, Ladon vocabatur, vt testatur Apollonius lib. 4.

ἷξον δ᾽ ἱερὸν πέδον, ᾧ ἔνι Λάδων
εἰσέτι που χθιζὸν παγχρύσεα ῥύετο μῆλα,
χώρῳ ἐν Ἄτλαντος χθόνιος ὄφις: ἀμφὶ δὲ νύμφαι
Ἑσπερίδες ποίπνυον ἐφίμερον ἀείδουσαι.
δὴ τότε γ᾽ ἤδη κεῖνος ὑφ᾽ Ἡρακλῆϊ δαϊχθεὶς
μήλειον βέβλητο ποτὶ στύπος.

*Errantesq; locum sacrum venere, vbi Ladon*
*Aurea seruabat flauentia mala decora.*

Anguis

*Anguis terrigena, hic vbi cœlo attollitur Atlas.*
*Illum curabant nymphæ prædulce canentes*
*Hesperides tria cum amplexus sed ab Hercule cæsus*
*Is fuit.*

Cum esset etiã Lidon fluuius Arcadię, cuius filia fuit Merope vxor Asopi Thebani fluminis, è qua Thebe nymph a vrbi nomen dedit. Hunc serpentẽ è terra natũ fuisse testatur Pausan. non è Typhone & Echidna, vt ait Apol. enarrator. quẽ capita centum habere putarũt. Fama est Herculem cũ ad hæc aurea mala mitteretur ab Eurystheo, diu ambiguũ cõstitisse, quia vbi essent, nesciret; atq; ad nymphas Iouis & Themidis in speluca apud Eridanũ fluuiũ habitantes contendisse, vt ab iis sciscitaretur vbi posset mala aurea Hesperidũ reperire: quæ ad Nereũ illũ miserũt, vt dictũ fuit superius. Fabulantur etiã Atalantã Schœnei filiã trib. malis Hesperidũ captã fuisse, quæ Venus dederat Hippomeni: cum nuptię eius victori, at mors victis proponeretur: quare non solũ Hercules malis Hesperidũ potius fuit. nam quod Atalanta pomis capta fuerit, ita Theocritus ait in Amaryllide:

Ἱππομένης ὅκα δὴ τὰν παρθένον ἤθελε γᾶμαι,
μᾶλ' ἐν χερσὶν ἑλὼν, δρόμον ἄνυεν· ἁ δ' Ἀταλάντα
ὡς ἴδεν, ὡς ἐμάνη, ὡς ἐς βαθὺν ἅλατ' ἔρωτα.

*Virginis Hippomenes thalamos vbi forte petiuit,*
*Mala tenens manibus currebat: vt hæc Atalanta*
*Vidit, vt i periit, magno correpta vt amore est.*

¶ Hæc ea sunt quæ de Hesperidibus fabulose memorata sunt ab antiquis: nunc quid significent, perquiramus. Verũ res vt ad historiã referatur, ita se breuiter habuisse dicitur: Fuerunt duo fratres gloria celebres Hesperus & Atlas, qui habebãt oues pulchritudine egregias & flauas & colore aureo Hesperus cum filiã suscepit Hesperidam nomine illam fratri in matrimoniũ coniunxit, à qua regio vocata est Hesperitis. ex hac Atlas suscepit sex filias, quæ vocatæ sunt Atlantides, & à matre Hesperides. Harum formę desiderio ob celebritatem captus Busiris latrones & piratas misit qui eas raperẽt, & ad se asportarent, quo tẽpore Hercules aduersus Antæũ pugnauit. Prædones in quodã horto ludentes puellas rapuerũt, nauiq; impositas auexerũt Hercules vbi forte pranderent prædones in littore, percepta de virginibus, latrones ad vnum interemit, ac filias patri reddidit; pro quo

beneficio & oues pulcherrimas dono accepit & alia multa ab Atlante & astronomię cognitionem: quam vbi ad Græcos transtulisset sphæræ cognitionem nimirum, dictus est cœlum pro Atlante humero sustinuisse. Hesperides igitur (vt alii volunt) Hesperi filiæ fuerunt, vt alii, Atlantis: quæ sidera sunt earum pater cœlum, aut vespertinum tempus fuit, quod quasi frater est cœli. Dictæ sunt habere hortos in occidente, in quibus essent mala aurea, quoniam stellarum natura est vt tanquã aurum splendeant, & rotunda appareant: atque ea non nisi in occidente nasci solita sunt, quia Sole occidente stellæ apparent, cum lumine Solis per diem occultentur. At quis est draco qui hæc mala seruabat, atque hortum ambibat? signiferum circulum nonnulli sunt arbitrati. Fuerunt tamen qui mala Hesperidum oues esse in occidente dixerint, in insula, quæ perpetuo flumine circumdabatur in serpentis modum sinuoso & reflexo.

Alii cum mala Hesperidum putarint fuisse stellas, serpẽtem illum esse crediderunt lineam obliquam, quæ nos & astra ipsa intra se continet, quæque horizon siue determinãs linea appellatur. ea cum obliqua sit omnibus hominibus, præterquam habitantibus sub ea linea, in qua dies noctib. pares efficiuntur, merito serpens ac draco ab artificibus fabularum atq; historiarum fuit appellata. Qui fluuium insulam ambientem anguem esse dixerunt, ii Herculem inquiunt ad insulam obseruatis oportunitatibus traiecisse ac remeasse, cum fluuius is factus fuisset peruius ob siccitatẽ, atque inde captas oues in Græciam duxisse. qui vero stellas fuisse mala illa dixerunt, rerum astronomicarum peritiam ab Hercule in Græciam latam putarunt. Atque vt summatim colligam sententiam huiusce figmenti, tanquam serpentes illi seruant aurea poma, qui ob auaritiam neq; dormire quidem tuto possunt. quare præclare dictum est à sapientibus, diuitias tanquam lapidem indicem animi cuiusquam esse datas hominibus, quæ viris bonis & prudentib. facultates essent, & quasi oportunitates ad res præclare gerendas, ad patriæ, ad sui ipsorum, ad amicorum, ad bonorũ commoda concessæ: at imprudentib. & malis quasi supplicium, cum augeant desideriũ ipsum etiã accumulãdi, quod vel ex ipsarũ diuitiarũ vsu quãtopere quisq; sit vir bonus & Dei amicus, posset dignoscere, at nũc de Atalanta dicamus.

De

## *De Atalanta.* CAP. VIII.

DE Atalanta Schœnei filia, quæ corporis viribus, & celeritate pedum non solum fœminas, sed etiam homines anteibat, hæc pauca habemus memoria digna, quod venationibus mirifice delectabatur, quæ etiam inter venandum cum apud Stethæum Æsculapii fanum siti laboraret, dicitur saxum cuspide percussisse, atque frigidissimæ aquæ è saxo prorumpentem fontem elicuisse, quodque illa prior sagitta aprum Calydonium percussit, vt ait Isacius. Huic cũ pellis apri pro insigni victoriç data fuisset à Meleagro, mox ab ægre ferentibus viris gloriam victoriæ à fœmina sibi fuisse præreptam, pellis exorta fuit per auunculos Meleagri, quibus ab ipso Meleagro cæsis propter illatam iniuriã, vniuersa vis vltionis conuersa est demum in Meleagrum. nam cum esset cum titione quodam reseruato à matre, & extincto victurus, cum quo exusto mori opus esset, mox illo in ignem coniecto per maternam indignationem, periit Meleager. Memoratur item quod victa fuerit ab Hippomene cursu; dum malis tribus Hesperidum colligendis retardata fuisset. Quam rem testatur sic Arabius:

> ἕδνα γάμων ἔρριπτες. ἢ ἀμβολίην ταχυπότου.
> τοῦτο γέρας κούρῃ χρύσεον Ἱππομένης;
> ἄμφω μῆλον ἄνυσσεν ἐπεὶ καὶ παρθένον ὁρμῆς
> εἶρξεν, καὶ ζυγίης σύμβολον ἦν Παφίης.
>
> *Num dotem: magis an tardandi præmia cursus;*
> *Aurea ab Hippomene mala puella capit.*
> *Malum vtrumq; facit, tardauit namq; puellam*
> *A cursu, & nodos nexuit in Veneris.*

Nam fuit multorum antiquorum mos, vti nuptias virtutẽ comparandas præstantium mulierum proponerent. Sic Antæus rex Libyæ filiam Alceim, vel (vt alii maluerũt) Barcen victori cursus proposuit. Sic Danaus filias, sic Pisander Camirensis sorores, vt ait Pherecydes, sic Hippodamiam propositam ferunt. At quod in templo magnæ Matris moræ impatiens nulla habita Deæ reuerentia cum Hippomene victore concubuit, Hippomenes in leonem, ipsa in leænam conuersa est.

§ At cur hæc celebrata & memoriæ prodita sunt? quia significare voluerunt nihil aliud esse Atalantam, quam voluptatem: atque illum insanire, qui per summum capitis

discrimen ac periculum illam expetat: quippe cum morbi, & pudor, & facultatum iactura, & vitæ non pauca pericula voluptatum sint comites: ad quas sine his peruenire nunquam conceditur. Qui igitur per summa pericula voluptatem expetiuerit nulla habita vel Deorum immortalium, vel sanctissimarum legum reuerētia, quo pacto poterit humanam animi formam retinere, ac nō in teterrimam beluam conuerti? vt igitur voluptates periculorum plenas deuitaremus, vt Deorum immortalium religionem coleremus, vt eorum loca sacra ne contemneremus, hæc ipsa literarum monumentis sunt tradita ab antiquis: qui nihil non vtile, plurimumque ad humanæ vitæ informationem pertinens ad nos transmiserunt, si quis recte considerauerit. cum omnia contra huius ætatis scripta ab imperitis plerisque in lucem tradita, plena sint lasciuiæ, auaritiæ, adulationis: nihilque minus curent, quam vt viros bonos ac temperantes legentes efficiant. Fuit alia Atalanta Iasonis filia, quam vxorem duxit Milanio, at ista de filia Schœnei memoriæ proditur, quæ fuit admodum libidini, & omni lasciuiæ dedita, atque in Mænalo monte Arcadiæ versabatur: ac de Atalanta satis, nunc dicamus de Theseo.

## *De Theseo.* CAP. IX.

THeseus Neptuni & Æthræ filius fuisse dicitur, vt traditum est in fabulis: quem tamen Plutarchus in eius vita non Neptuni, sed Ægei fuisse scripsit, cui sententiæ assensit Ouidius etiam in his:

*Nec pater est Ægeus, nec tu Pittheidos Æthræ*
*Filius: autores saxa fretumq; tui.*

Fama est hunc aliquando cū puer esset adhuc, quo tēpore Hercules Trœzenem ad Pittheū venit, leonis pellem quā gestabat Hercules vidisse, atq; securim è manu serui cuiusdam extorsisse illam beluam cæsurus, quia leonem esse putasset, cum reliqui Trœzeniorum pueri visa illa pelle aufugissent. Hic postea cum adoleuisset, Herculis virtutem ac fortitudinē imitatus, multos latrones & maleficos homines vbiq; sustulit, orbē terrarum peruagatus, & Scironem, qui in montē non ꝓcul ab Athenis inter Megarā & Isthmū multos mortales è pręcipiti loco deiecit, idq; mortis genus experiri coegit, quo viatores ipse interimebat. Alii tamē dixerunt,

xerunt inter quos fuit Sosicrates, quod aduenis pedes lauãdos protendebat, ac lauantes ex altissimo loco in mare deturbabat. Idem Theseus Cercyonem in Eleusine palæstra suffocauit, sicut is solebat peregrinos: idem apud Cephisũ amnem latronem Polypemonẽ cognomine Sinnin, ac Procrusten habitantẽ in loco vocato Corydallo Atticæ, pinus ad terrã vi deflectentem, & alligatos illis hospites arborib. in suum locum cæsis retinaculis reuertentib. crudelissime laniantem ac discerpentem, interemit: Idem Peripheten Epidauri Vulcano natum, ænea claua in pugna vtentẽ, trucidauit, aliosq; latrones varia crudelitatis genera in hospites exercentes obtruncauit, vt testatur Plutarchus & Strab. lib. 9 Hic tantæ virtutis fuisse dicitur, vt multis viris fortib. fuerit auxilio in præclaris facinoribus obeundis. Et ad opprimendum aprum Calydonium conuenit, & Adrasto opẽ tulit in recuperandis cæsorum ad Thebas cadaueribus, atque cum Pirithoo Cẽtauros debellauit, & ad inferos postea descendit, vnde fuit (vt diximus) ab Hercule liberatus. Fama est quod cum gloria Theseus, nominisq; virtutum suarum celebritate fidem prope omnem superaret, antequam Pirithoum sibi conciliaret; Pirithous volens eius virtutem experiri, boues illius è Marathone abegit: tum iniuria hostis motus Theseus illum è vestigio persecutus est. Pirithous nihil territus eius aduentu, illi insequenti etiam intrepidus fit obuius. Theseus eius magnitudinem animi, atque corporis præstantiam admiratus, in colloquium venit: quare coorta est inter illos amicitia. Iniuit autẽ Theseus societatem cum Pirithoo in loco quodã Atticæ non procul à Serapidis templo, vt ait in Atticis Pausanias. Hic ante Pirithoi societatẽ cum esset adhuc adolescens, in Cretam cũ iis nauigare voluit, & vnus esse ex illis, qui quotannis pro more Androgei ad Minoem Cretæ regẽ tributi nomine mittebãtur; quos dicebant in labyrinthum inclusos à Minotauro vorari. Fabulantur Asteriũ siue Minotaurum corpus totũ habuisse hominis, at caput bouis. hic erat in labyrintho loco amplissimo & inextricabili viarum multarum ambage, qui factus fuerat ad Ægyptii illius labyrinthi formam, qui fuit apud vocatam ciuitatẽ Crocodilorũ: cuius operis magnificentiam ita descripsit Herod. in Euterpe: εἰ γὰρ τις τὰ ἐξ Ἑλλήνων τείχεά τε καὶ ἔργων ἀπόδεξιν συλλογίσαιτο, ἐλάσσονος

πάντα τε αὖ καὶ δαπάνης φανείη ἐοῦσα τοῦ λαβυρίνθου τούτου· καί τοι ἀξιόλογός γε καὶ ὁ ἐν Ἐφέσῳ ἐστὶ νηὸς, καὶ ὁ ἐν Σάμῳ. ἦσαν μὲν οὖν καὶ αἱ πυραμίδες λόγου μείζονες, καὶ πολλῶν ἑκάστη αὐτέων Ἑλληνικῶν ἔργων καὶ μεγίστων ἀνταξίη· ὁ δὲ δὴ λαβύρινθος τὰς πυραμίδας ὑπερβάλλει. τοῦ γὰρ δυώδεκα μέν εἰσι αὐλαὶ κατάστεγοι, ἀντίπυλοι ἀλλήλησι, ἓξ μὲν πρὸς βορέην, ἓξ δὲ πρὸς νότον τετραμμέναι συνεχέες. τοῖχος δὲ ἔξωθεν ὁ αὐτὸς σφίας περιέργει. οἰκία τε δ᾽ ἔνεστι διπλᾶ, τὰ μὲν ὑπόγαια, τὰ δὲ μετέωρα ἐπ᾽ ἐκείνησι τρισχίλια, ἀριθμὸν πεντακοσίων καὶ χιλίων ἑκάτερα. *Quare si quis amplissimos tauros & ædificia Græcorum consideret, multo inferiora & opera, & sumptus magnificentia hoc labyrintho apparebunt. Est sane percelebre & magnificum templum illud Ephesium & Samium, atque Pyramides fidem prope superant, quarum vnaquæque cum multis Græcorum ædificiis posset comparari. At labyrinthus ipsas etiam Pyramides operum mirabilitate superat, longinquo interuallo relinquit. Huius siquidem duodecim sunt aulæ tecto coopertæ portas habentes inuicem oppositas, quarum sex in Boream spectant ordine conuersa, sex Notum respiciunt. vnus est murus exterior, qui illas intra se continet. Domicilia sunt interius duplicia: alia quidem subterranea, alia sublimia & sub illis numero ad tria millia: atque vtraque ad numerum mille & quingentorum accedebant.* Ad huius imitationem labyrinthum excogitauit Dædalus in Creta, in quem includebantur iuuenes tributi nomine ad Minoem missi, qui à Minotauro vorari putabantur. Verum cum Theseus eo nauigasset, ab Ariadna Minois filia Dædali inuentione edoctus fuit, quo pacto cæso Minotauro ab inextricabili viarum errore se expediretque, & ad ingressum reuerteretur, vbi filum annexuerat. Hic igitur capta secum Ariadna salutis suæ artifice in Naxon insulam defertur, vbi à Baccho admonitus fuit, vt Ariadnam relinqueret: qui timore diuino perculsus dum illam profundissimo somno immersam vidisset, vela in ventos explicauit, & ex insula profugit: quam postea duxit Bacchus, & ex ea Thoantem, Oenopionem, Staphylum, Euanthem, Latramym, Tauropolim suscepit. Memoriæ prodidit Theopompus, Minoem, cum Theseum reliquamque iuuenum Atheniensium manum accepisset Peribœæ amore captum fuisse: cuius libidini cum Theseus aduersaretur, ita commotus Minos & alias multas contumelias dixit in Theseum, & illum Ne-

ptuni negauit esse filium. Hic addidit præterea quod non posset eam gemmam quam gestabat, si in mare abiecisset, sibi restituere. Deinde cum ea dixisset, gemmam in profundissimum gurgitem maris abiecit. Quo tempore memorant Theseum cum illa gemma, & corona quadam ab Amphitrite dono accepta emersisse: quam coronam ad perpetuam eius facinoris memoriam inter sidera relatam à Neptuno fuisse inquiunt. Plutarchus tamen in Thesei vita illum filium Ægei fuisse scripsit, eius qui mari Ægeo nomen dedit: quamuis Nicocrates Cyprius ab insula Caprarum vocata: Conõ ἀπὸ τῆς αἰγὸς Περκανίας, à capra Percania scilicet nominatum putauit: Nicostratus à Carystia, quæ fuit etiam Ægea nominata. Atque cum prius in pagos dispersi essent homines Athenienses, ipse Theseus dictus est illos in vna mœnia inclusisse, legesque dedisse, & popularem administrationem ibi instituisse, quæ vsque ad ea tempora perdurauit, quibus Pisistratus oppressa republica tyrannidem inuasit. Fama est Amazonas bellicosas fœminas in Græciam aliquando cum armis hostiliter irrupisse: atque in agrum Atheniensem præcipue impressionem fecisse; quibus addiderunt Antiopen ipsarum Amazonum reginam, vel, vt alij maluerunt, Hippolyten, fuisse à Theseo superatam, cum illi Scythæ opem tulissent. Nam illæ collectis multis viribus per Thraciam ad Cimmerium Bosporum penetrarunt, multamque Europæ partem peruagatæ castra posuerunt denique in loco Amazonio ab illis vocato, qui fuit agri Atheniensis. Theseus collectis satis validis viribus vrbanis secum habens vxorem suam Antiopen, de qua suscepit Hippolitum filium: commisit prælium collatis signis. atque cum victoria penes ipsum post diuturnam pugnam fuisset; alias ex Amazonibus obtruncauit, alias coegit ex agro Atheniensi fuga excedere. Fama est Theseum fuisse inuentorem palæstræ, vt ait Pausanias in Atticis, artemque palæstritarum perfecisse: Cum antea corporis magnitudine tantum ac robore luctarētur, arte prorsus ignorata. Theseus multas mulieres rapuisse dicitur: nam Antiopen rapuit, & Phædram abducturus, veritus ne qui filij nascerentur ex ea, aut Hippolyto, illis Hippolytus dominaretur, Hippolytum, ad Pittheum dicitur amandasse. Illud autem fecit, tum vt apud illum educaretur, tum etiam vt

πόνου τε αὖ καὶ δαπάνης φανείη ἐόντα τοῦ λαβυρίνθου τούτου· καίτοι ἀξιόλογός γε καὶ ὁ ἐν Ἐφέσῳ ἐστὶ νηός, καὶ ὁ ἐν Σάμῳ. ἦσαν μὲν οὖν καὶ αἱ πυραμίδες λόγου μείζονες, καὶ πολλῶν ἑκάστη αὐτέων Ἑλληνικῶν ἔργων καὶ μεγίστων ἀνταξίη· ὁ δὲ δὴ λαβύρινθος τὰς πυραμίδας ὑπερβάλλει. τοῦ γὰρ δυώδεκα μέν εἰσι αὐλαὶ κατάστεγοι, ἀντίπυλοι ἀλλήλῃσι, ἓξ μὲν πρὸς βορέην, αἱ ἓξ δὲ πρὸς νότον τετραμμέναι συνεχέες. τεῖχος δὲ ἔξωθεν ὁ αὐτὸς σφέας περιέργει. οἰκία τε δ' ἔνεσι διπλᾶ, τὰ μὲν ὑπόγαια, τὰ δὲ μετέωρα ὑπ' ἐκείνῃσι τρισχίλια, ἀριθμὸν πεντακοσίων καὶ χιλίων ἑκάτερα. *Quare si quis amplissimos tauros & ædificia Græcorum consideret, multo inferiora & opera, & sumptus magnificentia hoc labi intho apparebunt. Est sane per celebre & magnificum templum illud Ephesium & Samium, atque Pyramides fidem prope superant, quarum vnaquæq; cum multis Græcorum ædificiis posset comparari. At labyrinthus ipsas etiam Pyramides operum mirabilitate superat, longinquo interuallo relinquit. Huius siquidem duodecim sunt aulæ tecto cooperta portas habentes inuicem opposi as, quarum sex in Boream spectant ord ne conuersa, sex Notum respiciunt. vnus est murus exterior, qui illas intra se continet. Domicilia sunt interius duplicia: alia quidem subterranea, alia sublimia & sub illu numero ad tria millia: atque vtraque ad numerum mille & quingentorum accedebant.* Ad huius imitationem labyrinthum excogitauit Dædalus in Creta, in quem includebantur iuuenes tributi nomine ad Minoem missi, qui à Minotauro vorati putabantur. Verum cum Theseus eo nauigasset, ab Ariadna Minois filia Dædali inuentione edoctus fuit, quo pacto cæso Minotauro ab inextricabili viarum errore se expediretq́, & ad ingressum reuerteretur, vbi filum annexuerat. Hic igitur capta secum Ariadna salutis suæ artifice in Naxon insulam defertur, vbi à Baccho admonitus fuit, vt Ariadnam relinqueret: qui timore diuino perculsus dum illam profundissimo somno immersam vidisset, vela in ventos explicauit, & ex insula profugit: quam postea duxit Bacchus, & ex ea Thoantem, Oenopionem, Staphylum, Euanthem, Latramym, Tauropolim suscepit. Memoriæ prodidit Theopompus, Minoem, cum Theseum reliquamque iuuenum Atheniensium manum accepisset Peribœæ amore captum fuisse: cuius libidini cum Theseus aduersaretur, ita commotus Minos & alias multas contumelias dixit in Theseum, & illum Neptuni

ptuni negauit esse filium. Hic addidit præterea quod non posset eam gemmam quam gestabat, si in mare abiecisset, sibi restituere. Deinde cum ea dixisset, gemmam in profundissimum gurgitem maris abiecit. Quo tempore memorant Theseum cum illa gemma, & corona quadam ab Amphitrite dono accepta emersisse: quam coronam ad perpetuam eius facinoris memoriam inter sidera relatam à Neptuno fuisse inquiunt. Plutarchus tamen in Thesei vita illum filium Ægei fuisse scripsit, eius qui mari Ægeo nomen dedit: quamuis Nicocrates Cyprius ab insula Caprarum vocata: Conō ἀπὸ τῆς αἰγὸς Περκανίας, à capra Percania scilicet nominatum putauit: Nicostratus à Carystia, quæ fuit etiam Ægea nominata. Atque cum prius in pagos dispersi essent homines Athenienses, ipse Theseus dictus est illos in vna mœnia inclusisse, legesque dedisse, & popularem administrationem ibi instituisse, quæ vsque ad ea tempora perdurauit, quibus Pisistratus oppressa republica tyrannidem inuasit. Fama est Amazonas bellicosas fœminas in Græciam aliquando cum armis hostiliter irrupisse: atque in agrum Atheniensem pręcipue impressionem fecisse; quibus addiderunt Antiopen ipsarum Amazonum reginam, vel, vt alij maluerunt, Hippolyten, fuisse à Theseo superatam, cum illi Scythæ opem tulissent. Nam illæ collectis multis viribus per Thraciam ad Cimmerium Bosporum penetrarunt, multamque Europæ partem peruagatæ castra posuerunt denique in loco Amazonio ab illis vocato, qui fuit agri Atheniensis. Theseus collectis satis validis viribus vrbanis secum habens vxorem suam Antiopen, de qua suscepit Hippolitum filium: commisit prælium collatis signis. atque cum victoria penes ipsum post diuturnam pugnam fuisset, alias ex Amazonibus obtruncauit, alias coegit ex agro Atheniensi fuga excedere. Fama est Theseum fuisse inuentorem palæstræ, vt ait Pausanias in Atticis, artemque palæstritarum perfecisse: Cum antea corporis magnitudine tantum ac robore luctarētur, arte prorsus ignorata. Theseus multas mulieres rapuisse dicitur: nam Antiopen rapuit, & Phædram abducturus, veritus ne qui filij nascerentur ex ea, aut Hippolyto, illis Hippolytus dominaretur, Hippolytum, ad Pittheum dicitur amandasse. Illud autem fecit, tum vt apud illum educaretur, tum etiam vt

in eius regnum Hippolytus succederet. Mox Pallante atque eius filiis cæsis, quia res nouas molirentur, Trœzenem proficiscitur, vt se de cæde purgaret: quo tempore primum vbi Hippolytus Phædræ visus fuisset, ac in eius desiderium illa incidisset, hæc postea contigerunt, quæ memoriæ prodita sunt de Hippolyto. Postmodum Aphidnæ Helenam raptam ferűt, quæ ciuitas postea à Castore & Polluce Theseum insequentib. euersa est, & Helena recepta, vt ait Strabo libro nono, quo tempore Theseus ætatis suæ annum quinquagesimum agebat. Cum vero Helena in Lacædemonem à Thesprotis, quo cum Theseo & Pirithoo iuerat, se recepisset, è Theseo grauida Argis enixa est, vbi templum magnificum Lucinæ erexit, vt ait Erasistratus, & Pausanias in Corinthiacis: quamuis Ouidius in epistola Helenæ dicat illi virginitatem à Theseo minime ereptam in his carminibus:

*An quia vim nobis Neptunius attulit heros,*
*Rapta semel, videor bis quoq; posse rapi?*
*Crimen erat nostrum, si delinita fuissem?*
*Cum sim rapta, meum nil nisi nolle fuit.*
*Non tamen ex facto fructum tulit ille petitum:*
*Excepto redij passa timore nihil.*
*Oscula luctanti tantummodo pauca proteruus*
*Abstulit: vlterius nil habet ille mei.*

Habuit filios Demophontem & Acamantem, de quibus ita meminit Euripides in Heraclidis:

ἐσθλοῦ πατρὸς παῖς Δημοφῶν ὁ Θησέως,
Ἀκάμας τ' ἀδελφὸς, τῶνδ' ἐπήκοοι λόγων.
*Est Demophon bono patre natus Theseo,*
*Acamasq; frater, verba qui nostra audiunt.*

Narrant Theseo iactis sortibus Helenam contigisse, ea tamen cőditione vt prius iurarẽt, vt, vtri illa euenisset, is operam suam concederet alteri dum mulierem sibi raperet. Fabulantur igitur hos audita eximia forma Proserpinæ ad inferos descendisse, atque diuturno labore itineris fessos super saxo quodam consedisse apud inferos, vnde postea surgere non potuerunt, donec ab Hercule ad Cerberum educendű eo profecto liberatus fuit Theseus. Alij dicunt Theseum cum Pirithoo venisse in Thesprotidẽ, qui nimia vxoris cupiditate arma sumpserat, atq; commisso prælio cum

The-

Thesprotorum rege magna parte exercitus amissa, coniectum fuisse in vincula ad Cichyrum. ille postea Lycomedis iussu à Scyriis perbenigne exceptus in Scyro insula per insidias dicitur fuisse obtruncatus. ad cuius mortis vltionem Cimon Scyrō vrbem deleuit, & ossa Thesei Athenas reportauit. Hæc pauca de Theseo, quę apud omnes poetas decātantur, quæq; fabulosis narrationibus magis, quā veris historiis sunt similima ex illis multis q̄ de illo traduntur, colligere volui. Dictus est Theseus Neptuni fuisse filius, quia viros fortes, quia humanarum virium facultatem superare viderentur, aut quibus res maritimæ fœliciter successissent, Neptuni filios antiqui vocarent, cum nullum Deum vel promptiorem vel ferociorem Neptuno haberent, in quem referrent. Huius celebritas nominis apud multos scriptores claruit, quoniam ad Herculis imitationem permulta suæ virtutis exempla vbique maleficis delendis hominibus dedit, crudelissimisq; tyrannis & latronibus trucidandis. Fieri enim non potest, vt quæ præclare cum virtute gesta sunt, meritis laudibus, & honorificis scriptorum præconiis careant: quæ plurimum conferunt & impellunt ad clarorum virorum imitationem. Nam si taceantur insignium virorū res gestæ, ibi pro virtute desidiam & ignauiam dominari necesse est. Cur labyrinthi forma, & inexplicabiles viarum ambages, aut cur tot de Minotauro verba audiuntur? num posteris etiam labyrinthi terrorē in animis imprimere voluerunt antiqui, qui nihil nisi ad vtilitatem mortalium, & ad humanæ vitæ institutionem scripserunt?

¶ Nihil aliud significare voluerunt per illum labyrinthū, nisi perplexam esse, multisq; difficultatib. implicatā vitam hominum, cum ex aliis aliæ semper grauiores oriantur: è quibus nemo se, nisi per singularē prudentiam & fortitudinem, explicare potest. Verum neq; illud solum in priuatā vitam cadit, sed multo magis in magistratus, & in auaritiā, & in ambitionem hominum, quæ omnia mirificis difficultatibus sunt implicita. Nam si viri boni & prudentes potius quam ambitiosi summæ rerū præessent, omnes difficultates prope, quib. humana vita vexatur, delerentur: quoniam nihil est adeo formidabile, aut arduum, aut laboriosum, q̄ virtute non superetur. Hæc vna causa fuit cur tot de Theseo apud omnes scriptores audiantur: neque enim potuit

sine Dædali arte se Theseus explicare, siue sine diuinitate quadam & præstantia ingenij. Verum quia difficilius est voluptatum quam difficultatum certamen: atque multi superatis omnibus horrificis monstris, & grauissimis periculis postea voluptatibus ita fuerunt irretiti, vt in summum capitis discrimē peruenerint: idcirco multas mulieres à Theseo raptas, & eum in grauissimas ærumnas propter mulieres denique incidisse, fabulantur: cum vix fratrum Helenæ impetum euasisset, & à Centauris prope fuerit oppressus, & ad inferos descendens inde redire, nisi adiutore Hercule, non potuerit. Nam cum firmitate neruorum, corporisque fortitudine eximia aliquando & effrænata libido, esse consueuit, quæ temperantia & quadam animi moderatione indiget. Hanc tamen fabulam ad historiam nonnulli perducere conantur, vt testatur Zezes hist. 51. chil. 2. & Plut. in Thesei vita: qui Proserpinam illam filiam Molossorum regis Plutonis fuisse inquit, vxorem Cererem, Cerberū acerrimum canē cuius regis filiam rapere Theseus ac Pirithous parantes deprehensi sunt Tum Pirithous ab eo cane laniatus interiit, Theseus, in vincula coniectus sequentib. temporibus ab Hercule eo accedente liberatur. Pauf. in Attic. non per dolum inquit ad Plutonem Tesprotorum regem hos venisse, ac filiam rapere voluisse, sed Pirithoū nimia vxoris cupiditate impulsum arma cepisse, cum exercitus magna parte amissa cecidisse in pugna Pirithoum, ac Theseum captum in vincula ad Cithyrum coniectum, quem finem omnes prope illegitimæ libidines sortiuntur. At nunc dicatur de Tereo.

## *De Tereo.* CAP. X.

TEREVS, Martis & Nymphæ Bistonidis filius, grauissimum & ipse supplicium subiuit ob immoderatam libidinē: quippe cum nō à patria solum profugere coactus sit, sed etiā humanam figurā in formā auis cōmutauerit. Hic Pādionis Athenarum regis & Zeuxippes filiam Prognen vxorē duxit, cum ipse Thraciæ & Phocidi imperaret. Nam vbi Athenæ conditæ fuerunt, primus omniū regnauit Actæus, huic successit Cecrops, qui filiā Actæi habuit in matrimonio, atque ex illa Hersen, Pandrosum, & Aglaurum, filium vero marem Erisichthonem suscepit: deinde Erisichthone mortuo ante patrem regnum deuolutum est ad Cecropem,

hinc

hinc ad Cranaum, post hunc ad Erichthonium, à quo ad Pādionem regnum peruenit. Fama igitur diu inualuit apud Phocenses, vt in eorum rebus scripsit Paus. Philomelam in auem sui nominis apud ipsos ob Therei timorē fuisse mutatam. Res autem ita se habuit. vt testatus est Ouid. libr. 6. Metamorph. Fertur Tereus assiduis prope precib. Prognes impulsus ad socerum Pandionem aliquando contendisse, illumq; rogasse vt secum Philomelam ad visendam sororē mitteret: quod cum facile à Pandione impetrasset, vtpote qui virum bonum & temperantem generum suum arbitraretur; cum ferunt in itinere Tereum cum ad Parnasi vrbem Daulidem aduenisset, in amorē Philomelæ incidisse, quam per vim demum vitiauit, cum illa libidini Terei diutius reluctaretur. Enimuero ne illa postea tam turpe facinus, & impurum sorori, vel alteri cuipiam indicaret, illi linguam præcidit, ac mortuam esse in itinere sorori Progne nunciauit: Deinde Philomela rem clam per nuncios suo sanguine scriptam ad sororem misit, vel potius, vt sensit Nicocrates, acu pictam ad illam clam deferendam curauit. Id ægre ferens Progne, facinusq; tam atrox non impune commissum esse oportere rata, filium Itym quem vnicum habebat Tereus, coctum epulandū patri apposuit. Deinde cum Tereus, Itim aduocaret, extremas corporis partes Progne Tereo ostendit, eumque à patre esum fuisse demonstrauit. Iis conspectis Tereus ad stringendum ensem accurrit, vt cædem filii vlcisceretur: quare Deorū consilio Progne in lusciniam conuersa est, vt celerior ad fugam efficeretur: hanc sequens Tereus fit vpupa, quam, cum esset tardior, assequi non potuit. Philomela versa est in hirundinem, & Itys in phasianum. quæ omnia in Thracia iuxta Daulum oppidum contigerunt, vt ait Strabo libro 9. Hanc fabulam breuiter explicauit Virgil. ita in Sileno:

*Aut vt mutatos Terei narrauerit artus,*
*Quas illi Philomela dapes, quæ dona pararit.*
*Quo cursu deserta petiuerit, & quibus ante*
*Infœlix sua tecta superuolitauerit alis.*

Quamuis poetico more Philomelā hic dixit, pro Progne. Inde dicta est Aedō. siue Philomela, siue Luscinia eadē Progne, Itym assiduis lamentationibus aduocare, & querulas cantilenas in syluis effundere, vt ait Hom. li. 7. Odyss. in his

*ὡς δ' ὅτε Πανδαρέου κούρη χλωρηῒς Ἀηδὼν*
*καλὸν ἀείδησιν ἔαρος νέον ἱσταμένοιο,*
*δενδρέων ἐν πετάλοισι καθεζομένη πυκινοῖσιν·*
*ἥτε θαμὰ τρωπῶσα χέει πολυηχέα φωνὴν,*
*παῖδ' ὀλοφυρομένη Ἴτυλον φίλον.*
*Sic canit, vt vernis arrident floribus arua,*
*Et primi surgunt Zephyri, Pandione nata:*
*Considens ramis florentibus arboribus alta,*
*Mille modis varians vocem, cum sylua querelis*
*Personat; & flet Itym dilectum.*

Inde vero effectum est, vt querulam auem Iouis nunciam vocauerit eam Sophocles in Electra, cum veris nuncia sit, & caloris moderata aduenientis: sic enim inquit:

*νήπιος, ὅστις τῶν οἰκτρῶς*
*οἰχομένων γονέων ἐπιλάθεται.*
*ἀλλ' ἐμέ γ' ἁ στονόεσσ' ἄραρεν φρένας,*
*ἃ Ἴτυν αἰὲν Ἴτυν ὀλοφύρεται,*
*ὄρνις ἀτυζομένα Διὸς ἄγγελος.*
*Demens, qui miserabiliter*
*Parentum extinctorum obliuiscitur.*
*Sed mihi flebilis concussit mentem,*
*Quæ Itym semper Itym queritur*
*Auis querula, Iouis nuncia.*

¶ Hæc ea sunt quæ de Tereo, eiusque vxore ac filio fabulose tradita sunt ab antiquis: quæ nulla ex parte omnino vera esse possunt, sed vt pleraq; fieri consueuerunt ad hominũ vtilitatem conficta. Neque n. naturæ lex patitur, neq; dicẽtibus animus hominis assentitur, quod homo aliquis repente in tam diuersam à se formam commutetur. Quod Tereus Thraciæ & illis locis, qui fuerunt à Daulide supra Chæroneam, imperarit, quod Prognen Pandionis & Zeuxippes filiam vxorẽ duxerit, ꝙ ex illa Itym susceperit, quod vim etiam Philomelæ intulerit, id nõ dissentit adhuc a veritate; & quod in eius iniuriæ sceleris q; vltionem Progne filium ceciderit, ac patri epulandum dederit. Quid est enim horum quod fieri non poterit? at quod omnes hi in aues versi euolauerint, illud prorsus fabulosum est: quippe cum Terei sepulchrum non procul à scopulo, qui Mergi fuit vocatus, siue Æthiæ Mineruæ, erectum fuerit in agro Atheniensi, vt ait Pausanias in Atticis. Enimuero, quia illæ mulieres

lieres post eam cædem Athenas ad patrem celerrime confugerint, idcirco finxerunt poetæ illas ob mœrorem & luctum eorum quæ gesserant ac passæ fuerant, in aues fuisse mutatas. Deinde cum vpupa per id tempus primum Daulide visa fuerit, fabulati sunt Tereum in eam auem fuisse cōuersum: cum mulierum altera hirundo, altera luscinia facta dicatur, quia vtraq; auis edat cantus ac voces miserabiles & lugubres. Est enim ea vis sonorum, vt qui etiam nullam vocem referant, tamen nunc ad hilaritatem, nunc ad tristitiam animi nos impellant: quoniam anima hominum ex numeris composita, vt senserunt Pythagorici, facilime sonum harmoniæ persentit, & vocibus ac sonis etiam nihil significantibus, sed ad quandam rationem numerorū spectantibus, quasi titillatione quadam celerrime ad vtrumq; motum irritatur. Hæc ipsa ratio numerorum plurimum confert etiam in oratoriæ facultate, quoniam non solum sententia, sed etiam sono vocis tardiores animi impelluntur, aut concitati plus æquo refrænantur. Sic etiam poetæ per carminum harmoniam animos militum inflammasse in bellum antiquitus dicuntur, & multa instrumenta musica inuenta sunt in castris, quorum strepitu milites ad pugnam incitarentur. Verum quod attinet ad mores, per hāc fabulam significare voluerunt antiqui id quod paulo ante dicebam: magis formidandas esse viro bono ac prudenti voluptatum titillationes, quam hostium minas. Quippe cum nulla sit ciuitas tam fœlix, nullum tam potēs regnum, nulla tanta tamque arcta vel naturæ, vel amicitiæ coniunctio, nulla tam firma præsidia, quæ libido & intemperantia non possit infringere: omnium siquidem libidinum, omnisque lasciuiæ cædes, ærumnæ, exilia, egestas, præsentiumque bonorum iacturæ sunt comites. At nunc de Medusa dicamus.

## *De Medusa.* CAP. XI.

MEDVSA etiam ob libidinem & Veneris immoderatum desiderium acerbissimam Deorum iram in se conuertit: cum vel in templo Mineruæ Neptunum passa sit. Fuerunt complures hoc nomine vocatæ mulieres: nam & vna ex filiabus Priami, & vna ex Sthenei ac Nicippes Medusa vocata est, at ea quæ celebratur à poetis, vt ait Paus. in Corinthiacis, filia Phorbi fuisse dicit: cuius quæ fuerit mater,

non constat; cum quidam marini cuiusdam monstri filiam fuisse inquiant. Propter violatum igitur templum, cum piaculum ibi immissum fuisset, irata Dea, ne tantum scelus inultum esset, comam primum, propter cuius pulchritudinem Neptuno placuerat, in serpentes conuertit: deinde dedit illi hanc vim, vt quicunque illam aspicerent, fierent lapides: quod innuit Ouid. lib. 1. de Ponto:

*Ipsa Medusa oculis veniat licet obuia nostris;*
*Amittet vires protinus ipsa suas.*

Deinde cum multos homines in lapides verteret, & ingenti clade populos iuxta Tritonidem paludem habitantes afficeret, Deorum misericordia Perseus Iouis Danaesq; filius ad eam obtruncandam mittitur: vel potius, vt quidam maluerũt, à Polydecte Seriphorum rege missus eo ad obtruncandum Medusæ caput contendit. Ille acceptus à Mercurio talaribus & falcato ense, à Pallade scuto, vnico ictu caput eius amputauit, quod postea gestauit Pallas suo scuto affixum. Dionysiocles Andromedam ceto expositam à Perseo liberatã fuisse scribit, cum is ostenso capite Medusæ cetum in lapidem vertisset. At Isacius non eam fuisse causam Medusææ calamitatis commemorat, sed Medusam inquit fuisse Pisidæ omnium mulierum suę ætatis pulcherrimam, quæ cum magnopere capillorum pulchritudine præsertim gloriaretur, sese vel Pallade pulchriorem affirmabat, & ausa est de forma vel cum Dea contendere. Eam arrogantiam & impudentiã Dea grauiter ferẽs, prius crines, quibus maxime gloriabatur, in turpissimos, maximeq; formidabiles angues conuertit, deinde ita ab eius formæ intuitu omnes mortales auertit, vti qui spectare illam in posterũ ausus esset, fieret saxeus. cum vero multi illam calamitatẽ subirent, Pallas mortalium calamitatũ miserta, Perseum ad illã misit, Gorgonemq; mõstrauit in pictura Sami, vbi ciuitas fuit, ex illa re Dicterium vocata. Verum ad Perseum redeam, qui superius missus fuerat Deorũ misericordia ad illã obtruncandam, quia multos homines in saxa conuerteret, Perseus primum ad Pephredo & Enyo Phorcidas vocatas accessit, quæ vetulæ erant à natiuitate, & Gorgonũ sorores. Ab illis igitur vnicũ oculum, quo illæ vicissim vtebãtur, & vnicum dentem mutuo accipit: neque prius illis reddidit, quam ad Nymphas ipsum deduxissent: tum acceptis calceis volucribus

bus Nympharum, & pera siue sacculo, galeaque Plutonis, & adamantina falce Mercurii, & speculo Palladis, volans ad Tartessum ciuitatem Iberiæ ad ipsas Gorgones peruenit: quæ capita habebant serpentibus implicita squamosis, dẽtes quanti sunt magnorum aprorum, manus ferreas, & alas quibus volabant. Sic igitur ad has volauit Perseus; quas dormientes inuenit: atque Medusæ caput in speculo aduersus intuens Pallade manum dirigente amputauit. Ex capite Medusæ desecto Pegasus alatus equus repente prosiliit. tum grauiter ferentes reliquæ sorores Stheno & Euryale ac lugentes sibilum è multitudine anguium ingentem emittebant, vnde Pallas legem tibiarum multorum capitum vocatam antiquitus excogitauit. at Perseus caput amputatum in peram coniectum super humero à tergo ferens gestauit ad Palladem. sic autem illius formam descripsit Hesiodus in Scuto:

*ἐν δ' ἦν ἠϋκόμου Δανάης τέκος ἱππότα Περσεὺς,*
*οὔτ' ἄρ ἐπιψαύων σάκεος ποσὶν, οὔθ' ἑκὰς αὐτοῦ·*
*θαῦμα μέγα φράσασθ' ἐπεὶ οὐδαμῇ ἐστήρικτο.*
*τὼς γάρ μιν παλάμαις τεῦξε κλυτὸς Ἀμφιγυήεις*
*χρύσεον· ἀμφὶ δὲ ποσσὶν ἔχε πτερόεντα πέδιλα.*
*ὤμοισιν δέ μιν ἀμφὶ μελάνδετον ἄορ ἔκειτο*
*χάλκεον ἐκ τελαμῶνος· ὁ δ' ὥστε νόημα ποτᾶτο.*
*πᾶν δὲ μετάφρενον εἶχε κάρη δεινοῖο πελώρου,*
*Γοργοῦς· ἀμφὶ δέ μιν κίβυσις θέε, θαῦμα ἰδέσθαι,*
*ἀργυρέη· θύσανοι δὲ κατῃωρεῦντο φαεινοὶ,*
*χρύσειοι· δεινὴ δὲ περὶ κροτάφοισιν ἄνακτος*
*κεῖτ' Ἄϊδος κυνέη, νυκτὸς ζόφον αἰνὸν ἔχουσα.*
*αὐτὸς δὲ σπεύδοντι καὶ ἐρρίγοντι ἐοικὼς*
*Περσεὺς Δαναΐδης ἐτιταίνετο. ταὶ δὲ μετ' αὐτὸν*
*Γοργόνες ἄπλητοί τε καὶ οὐ φατὰι ἐρρώοντο.*

*Hic aderat Danaes proles clarissima Perseus:*
*Nec tangebat enim scutum pede, nec procul idem*
*Distabat: nusquam stabat, mirabile dictu.*
*Sic Deus ignipotens ex auro fecerat illum.*
*Huic alata pedes imos talaria nectunt.*
*Ferreus est humeris loco suspenditur altis*
*Ensis: & ille animo velocior aera transit.*
*Gorgonis horribilis monstri cui terga grauantur*
*Pondere: circum ex argento, mirabile visu,*

*Sacculus hoc habuit, claudebat fimbria vestem*
*Aurea; Plutonis galea caput ipse tegebat*
*Obscura; steterat nox illam plurima circum.*
*Filius at Danaes Perseus mira arte timenti*
*Factus erat similis, properantiq; horrida monstra*
*Gorgones à tergo, similesq; frequentibus illum.*

E sanguine igitur Medusæ de collo defluente natus est vocatus Chrysaor, & Pegasus, & è guttis destillantibus ex ipso capite, varia serpentum genera, vt scripsit Apollonius Rhodius in ædificatione Alexandriæ. at Zenodorus Theophilus in lib. 2. historiarum duos fratres fuisse in Attica scripsit, Phalangen marem & Arachnen fœminam. cæterum Phalanx rem bellicam à Pallade didicit, Arachne telam texere. hi cum rem habuissent inuicem, tantæ turpitudinis odio commota Dea hos dicitur in serpentes conuertisse, cum tamen Acusilaus è Typhonis sanguine illos natos fuisse tradiderit. Id caput suo clypeo Pallas affixit, & gestare consueuit, vt testatur Euripides in Rheso hoc pacto:

——— Γοργὼ δ' ὡς ἐπ' αἰγίδος θεᾶς,
χαλκῆ μετώποις ἱππικοῖσι πρόσδετος,
πολλοῖσι σὺν κώδωσιν ἐκτύπει φόβον.

——— *Gorgo Deæ est ab ægide,*
*Ex ære equinis est ligata frontibus:*
*Multis timorem personat tinnitibus;*

Hæc ea sunt quæ de Medusa memorantur fabulose, quæ cum sola mortalis esset è Gorgonibus, occisa est: nunc cur hæc sint ficta, inquiramus. Paus. in Corinthiacis cædē Medusæ ad historiā traduxit, vbi inquit eam fuisse filiam Phorbi, quæ mortuo patre regnū ab illo acceperit eorū populorum qui ad Tritonidem paludem accolūt, solitamq; in venationes & pugnas cum iis populis quibus imperabat, exire. Verum cum lectissimis Persei copiis, quas ille ductabat ex Peloponneso, obuia fuisset, in acie noctu per insidias in castris trucidata est, cuius vel mortuæ pulchritudinē admiratus Perseus, vt omnibus esset spectaculo, præcisum caput in Græciam portauit, quo viso homines admirati dicti sunt in lapides cōuerti. Non defuerunt tamē qui in Aphrica bestias esse admirabilis & inusitatæ formæ inquiant, & inter illas feros homines: atque Medusam vnā ex illis fuisse, quæ procul à suis gregib. aberrans ad paludē Tritonidē peruenerit,

nerit, quę illius accolas graui clade affecerit, donec à Perseo adiuuante Minerua, quia homines eius loci sacri Mineruæ putabãtur, occisa fuit. At enim nihil horũ quę hactenus dicta sunt, dignũ esse videbatur, quod transmitteretur ad posteros, nisi quæpiã præclarior & vtilior subesset sententia.

¶ Quid ergo est? cum pulcerrima esse diceretur omnium mulierum Medusa, quid prohibet illam voluptatem aut libidinem censeri? est enim vis illa voluptatum, vt & Deorum cultus & omnis humanitatis, & officii, omnisque vtilitatis nos obliuisci cogat, si illarum arbitrio nos dedamus: quare cum homines inutiles rebus cæteris efficiantur, præclare dicti sunt in lapides soliti conuerti. Alii superbiæ & arrogãtiæ & temeritati vim Medusæ attribuerunt : quare duplex est de illa sententia, quod ob libidinem Deæ templum profanauit scilicet, & quod de pulchritudine capillorum ausa sit cum Dea contendere. nam qui superbia & petulantia nimis efferuntur, illi nullam neq; hominum, neq; Deorũ habent rationem : illi cum cæteris omnibus, tum sibi maxime fiunt inutiles & in lapides conuertuntur: quare & superbiæ & libidinis vis tribuitur. admonemur igitur per hanc fabulam vt libidinem fugiamus, cum illa sit & Diis inuisa, & nobis iniucunda denique : vt superbia ne nimis efferamur, quoniam omnis temeritatis vindex est Deus : vt quæcunque bona habemus, à Deo esse putemus, qui omnium bonorum solus est autor & largitor. quare si quis ob illa quæ à Deo acceperit, vel nimis glorietur, vel etiam Deum contẽnat, id totum quod à Deo habuit, auferetur ab eo, & tantũ malorum cumulum, quantus erat pristinorum bonorum, accipiet. Sic enim cum prius omnium oculos Medusa in se converteret ob insignem corporis & capillorum pulchritudinem, siue (vt verius dicam) ob pristinam fœlicitatẽ, postquam coma in angues conuersa est, omnes ab illa oculos auertebant. nam cũ fortunæ vis & aura benigna aspirauerit, magna circumstat vndiq; amicorum & coniunctorum copia: at si Deus fortunæ cursum auerterit, omnes & amici & cõiuncti celeriter auolant, multiq; qui intimi antea fuerãt, cum nobis occurrunt, oculos auertunt. Ad hæc igitur vitia reprimenda confictam fuisse ab antiquis Medusæ fabulam ego crediderim, at non ob eam causam, quæ superius dicta est. Quod autem dixerunt Deam ab eius intuitu homines

diuertisse, id certe ad voluptatem spectat, cum nihil nos possit æque ab illa deterrere, quam supplicia & dolores quę ab illa proueniunt. sed tamen tam propensi sunt homines suopte ingenio vel ad propositas calamitates, modo cum aliqua voluptate commisceantur, vt arceri omnino non possint, idcirco necessarium fuit sapientis Palladis Deæ auxilium, quæ Perseum Iouis filium ad illam obtruncandam miserit. nam nisi diuinitus præceptis instruamur, nobisque Deus auxilio sit, vix vlla ratione à voluptatum illecebris téperare possumus. Dicta est Pallas illud caput suo pectori affixisse, quod factum est vt ostenderetur quanto terrori esse hostibus sapientia iure debeat, & vt demonstrarent tantam vim esse sapientiæ vt homines perfundat tanta animi suauitate, vt vel adhæc fortunæ ludicra, quæ nos bona vocare consueuimus, prorsus obstupescere faciat: cum saxa sint & ligna ad aurum, si cum sapientiæ diuinitate, mirabilitateque conferantur. nam illud præcipuum est sapientiæ munus, quod nobis ostendit stultum esse aliquid firmitatis in rebus fluxis & leuibus putare inesse. at nunc de Gorgonibus dicatur.

### *De Gorgonibus.* CAP. XII.

Gorgonum vero duplex est ordo, cum omnes sint natæ ex iisdem parentibus, quibus etiam Medusa, è Phorco scilicet & Ceto. Aliæ vero earum cum canæ natæ fuerint, Grææ vocatæ fuerunt: de quibus ita scripsit Hesiodus in Theogonia:

> Φόρκυϊ δ' αὖ Κητὼ Γραίας τέκε καλλιπαρήους,
> ἐκ γενετῆς πολιάς, τὰς δὴ Γραίας καλέουσιν
> ἀθάνατοί τε θεοὶ χαμαὶ ἐρχόμενοί τ' ἄνθρωποι.
> Πιφρηδώ τ' εὔπεπλον, Ἐνυώ τε κροκόπεπλον.
> *Tum Phorco, Cetoq; sata sunt nomine G ææ,*
> *Canitiesq; comas nascentibus occupat illis:*
> *Quare sic hom nes illas, superiq; vocarunt:*
> *Pephred bene picta genas, bene compta & Enyo.*

Hæ igitur habitarunt in Scythia, vnumq; oculum & vnum dentem communem habuerunt, quo vterentur, vbi domo exirent: quem domi in vasculo quodam reponebant: quod videtur significasse ita Æschylus in Prometheo:

> πόντου περῶσα φλοῖσβον, ἔστ' ἂν ἐξίκῃ
> πρὸς Γοργόνεια πεδία Κισθήνης, ἵνα

αἱ Φορ-

*αἱ Φορκίδες ναίουσι δηναιαὶ κόραι,*
*τρεῖς κυκνόμορφοι, κοινὸν ὄμμ' ἐκτημέναι,*
*μονόδοντες, ἃς οὔθ' ἥλιος προσδέρκεται*
*ἀκτῖσιν, οὔθ' ἡ νύκτερος μήνη ποτέ.*
*Pontum sonorum transiens vt Veneris*
*Ad Gorgonæos terminos Scytharum, vbi*
*Sunt Phorcides graues puellæ tres quibus*
*Cygni color, Solusq; oculus mox sufficit:*
*Communis idem est omnibus dens: omnibus*
*Satq; is. nec vnquam has intuetur lumine*
*Phœbus diurno, Luna nunquam respicit.*

Quamuis Lamias has Latini appellarunt: scripsit tamen Duris lib. 2. rerum Libycarum Lamiam vnam tantum fuisse, quæ mulier fuerit forma præstantissima, quam cum Iupiter compressisset, fecit Iuno vt interirent quæ ex ea nascerentur. illam igitur ferunt ob dolorem non solum deformem fuisse factam, sed etiam ob suorum filiorum desiderium, aliorumque inuidiam in cunis infantes vorare solitam: quæ dicta est Lamia à gutturis amplitudine. Pausanias tamen in Phocicis Lamiam scribit Neptuni filiam, & primam omnium mulierum fuisse vaticinatam, quæ Sibylla dicta est ab Aphris. Has tamen Atheniensis Apollod. lib. 2. non iisdem nominibus appellauit, sed Pemphrado, Erito Dino. Melanthes in lib. de mysteriis Iæno addidit iis quæ numerantur ab Æschylo & Hesiodo. His oculum & dentem communem rapuit Perseus cum ad cædendam Medusam proficisceretur, vt ait Simonides in Perseo, quos tamdiu retinuit, quamdiu illæ Nymphas, quæ alatos calceos haberent, indicassent. Harum Græarum Gorgones tres sorores dictæ fuerunt, quæ, vt ait Apollod. lib. 2. squamosarum anguium spiris obsita capita haberent, dentes tantos, quanti sunt ingentium aprorum, manus æreas, alasque aureas. Hæ in extremis Iberiæ partibus ad occidentem ab Hesperidibus haud procul distantes habitare dictæ sunt, vt in his versibus testatur Hesiodus:

*Γοργούς θ', αἳ ναίουσι πέρην κλυτοῦ ὠκεανοῖο*
*ἐσχατιῇ πρὸς νυκτὸς, ἵν' Ἑσπερίδες λιγύφωνοι*
*Σθενώ τ', Εὐρυάλη τε, Μέδουσά τε λυγρὰ παθοῦσα·*
*ἡ μὲν ἔην θνητή, αἱ δ' ἀθάνατοι καὶ ἀγήρως*
*αἱ δύο· τῇ δὲ μιῇ παρελέξατο Κυανοχαίτης.*

*Gorgonas Oceani par't hinc extrema colentes,*
*Sunt vbi & Hesperides habitantes noctis ad horas,*
*Euryale, Sthenoq; Medusaq; tristia passis.*
*Hac mortalis erat: nec mors, nec cana senectus*
*Illas infestare valet, compressa Medusa est*
*A patre qui magno regit aquora lata tridente.*

Zez. hist. 22. Chil. 5. Gorgonibus oculum Graearum falso attribuit: fieri enim non potest vt Perseus oculum ceperit à Gorgonibus, illumque tamdiu retinuerit, quamdiu Gorgones sibi indicarentur Menander in lib. de Mysteriis Scyllam etiam memorat inter Gorgones à nonnullis numeratam fuisse. Hæ in Dorcadibus insulis in mari Æthiopico habitarunt, quas insulas nonnulli Gorgadas vocarunt, vnde dictæ sunt Gorgones. Memoriæ prodidit Nimphodor. lib. 3. hist. & Theopompus lib. 27. Gorgones dictas fuisse à nonnullis nō squamosarum anguium spiris capita habuisse implicita, sed ipsa capita fuisse draconum squamosorum dentesque in morem aprorum habuisse, ac oculum, singulas manus ferreas, alasque quibus volarent. His erant pro zonis geminæ viperæ inter se connexæ, vt testatus est Polemo in libro ad Adæum & Antigonum. Consueuerunt præterea omnes illos in lapides conuertere, à quibus aspicerentur, vt in his significauit Æschylus:

*πέλας δ' ἀδελφαὶ τῶνδε τρεῖς κατάπτεροι*
*δρακοντόμαλλοι Γοργόνες βροτοστυγεῖς,*
*ἃς θνητὸς οὐδεὶς εἰσιδὼν ἕξει πνοάς.*
*Sunt tres sorores his volucres non procul,*
*Serpentibus dirisq; compta Gorgones,*
*Quas intuens nemo diu sperauerit.*

Nam cum Perseus Medusam obtruncasset, tanquam illum deglutire cuperent, conuolarunt: sed cum cerni Perseus ob galeā Plutonis minime posset, illæ ab instituto itinere recesserunt. Neque plura his sane de Gorgonibus me legisse memini. Scriptū reliquit Alexander Myndius in eo lib. quē scripsit de iumentis, Nomades animal quoddam in Libya Gorgonem solitos appellare, agrestibus ouibus persimile: quod tamen nonnulli vitulo marino potius esse simile putarunt eius animalis eam vim dictus est habere spiritus, vt omnia animalia q̄ sibi obuia fierent, interimeret, comamq; habere illud animal è fronte ad oculos demissam, quam vbi

concu-

concutiens & caput, vix tandem ob grauitatem aspexisset, eos perimebat qui visi fuissent. Tum alii inquiant non è spiritu, sed aspectu, oculorumque radiis id accidere. Testatur libr. 5. Athenæus multos Marij milites, cum aduersus Iugurtham militarent, hoc animal syluestrem ouem esse putantes insecutos fuisse; ac statim concidisse mortuos, quoniam insequentium strepitum id animal timens, comam, quæ oculos tegit concussisset. Has Gorgones siue fœminæ fuerint, siue monstra horrenda, poetę ad inferos ad vlciscẽdos sceleratos postea detruserunt: sicuti & alia animalia, quæ crudelissima vbique reperta sunt, vt indicant ea Virg.

*Centauri in foribus stabulant, Scyllæq; biformes,*
*Et centum geminus Briareus, ac belua Lernæ*
*Horrendum stridens, flammisq; armata Chimæra,*
*Gorgones, Harpyæq; & forma tricorporis vmbra.*

¶ Fuerunt qui Græas Phorci & marini monstri filias nihil aliud esse arbitrarentur, quam cognitionem & prudentiam filiam q̃ per experientiam acquiritur. Has vnicum oculum habere dixerunt, quo vtebãtur cum exirent domo, quia nõ tantum intra domesticos parietes desidentibus, quantum in publicum prodeuntibus, & vbi sunt difficultates, necessaria est prudentia. Alii curiosorũ ingenia per hæc inquiunt reprehendi, qui ad res suas domesticas cæcutiunt, cum in alienas acutissime cernant. Hæ igitur Grææ iure optimo & seniores natæ, & ex marinis monstris dictæ sunt, & in locis, qui neque Solis, neq; Lunæ lumine illustrarentur, habitare: quoniam in rebus claris & apertis nulla necessaria est exquisita prudentia. Huius prudẽtiæ siue Græarum, sorores sunt Gorgones, quas alii voluptates, alii pericula humanæ vitæ esse putarunt, à quib. vtrisq; sine Græarum cõsilio nemo se recte expedierit. Nam vt ratio ita cupiditas ex eodẽ fonte atq; ex ipso animo nascuntur. Dictus est idcirco etiam Perseus non sine Palladis auxilio ac oculo Græarum Plutonisque galea, & ense Mercurii illas superasse, & incolumis euasisse, quoniã in omnibus rebus arduis ac difficilibus opus est sapientia primũ, & animi perspicientia, & subtilitate, atq; adeo acumine ingenii, sine quib. nihil gloriosum transigi potest: atq; his diuitiæ etiã non nihil afferunt cõmodi. Quid igitur per hæc significabant antiqui? vt rem summatim colligã, idem erat ac si dicerẽt: ꝙ vita humana

multis voluptatib. circumuenta est, quæ nos in perniciem & perpetuas ærumnas trahit: cū sit animaduertendum ne nos tāquam stupidos ab his adduci patiamur. Et quoniam ex altera parte multa nos circumstant pericula, cauendum ne cedamus, sed forti animo illa superanda: in quib. vtrisq; vti conuenit prudentia nostra, & diuinum implorare auxilium, quod nemini sincero animo petenti deesse cōsueuit. Hoc si fecerimus, incolumes ex omnib. vel grauissimis periculis euademus, neque à perniciosis voluptatibus capiemur Id qui fecerit, erit Perseus Iouis filius, Deo gratus sc. & amicus. Quidā senserunt multas bellicosas fœminas fuisse in finibus Libyæ occasum versus, sed inprimis Gorgonum genus, in quas Perseus militauit, quæ virginitatem seruantes miræ strenuitatis per quoddam tempus militare tenebantur. peractis militiæ annis ad fœtum verti poterant, quibus viri parebant ac domos seruabāt, & res domesticas. hæ habitarunt ad Tritonidem stagnum ad occasum apud Oceanum in Æthiopia, quæ debellatæ fuisse à Perseo Iouis filio dicuntur quo tempore Medusa illis imperabat, penitusque deletæ sunt ab Hercule, quo tempore posuit columnam in Libya. Tritonis autem stagnum dicitur terræ motibus & Oceani irruptionib. euanuisse. Isacius tamen fabulā hanc ad res naturæ deducere conatur, dicitq; Gorgones esse maris filias, quoniam dictæ sunt à fremitu maris, aquas scilicet. At has Perseus, siue Sol, Iouis filius, nempe mentis diuinæ minister, Mineruæ consilio accedit: cum omnes naturę actiones fiant ꝑ diuina sapientia neq; frustra, neque inutiliter. ob motus celeritatem hic habuisse dicitur Nympharum volucres calceos: cum in omnia vis eius penetret, falcem cepit à Mercurio: at cum ita humores quos attrahit extenuet vt à nemine videri possint, galeā habuisse dicitur Plutonis. Occidit igitur Medusam, quæ erat mortalis, quoniam solam aquā maris subtiliorem ac supernatantem extenuat, cum reliquæ aquæ subsideant. Dicti sunt in lapides conuerti, qui Medusam vidissent, quoniam admirabilis est sapientia Dei: atque attonitus prope ob admirationem consisteret, si quis intueri recte posset Solis vim & actionem, ac virtutes naturæ. Atque hæc ipsa fabula ad vitæ humanæ institutionem, vt dictum est, vniuersa trāsferri potest. At vero nunc de Sirenibus est dicendum.

*De Si-*

## De Sirenibus. CAP. XIIII.

SIRENES & ipsæ periculosa hominibus monstra propter cantus suauitatē, dictæ sunt ita cantilenis nauigātes homines demulcere, vt in ꝓfundissimum somnū inducerent: quos postea ita sopitos in mare deiiciebāt ac necabant: excogitabant enim ex omnibus cantilenis, quas pro cuiusq; ingenio iucundiores fore putabā̄t. Has igitur finxerunt antiqui Acheloi fluminis, qui Ætoliā ab Acarnania distermi-nat, Nicopolimq; ciuitatem, q̄ Cæsar post victū Antoniū ad victoriæ eius memoriā sempiternā erexit, alluit, & Terpsichores fuisse filias, Nicāder lib. 1. Mutatorum & Melpomenen. Sirenum matrem fuisse scribit, alij Steropen, alij Calliopen. Has tres fuisse memorant, quæ musas aliquando in certamen cantus prouocare Iunonis suasu ausæ sunt: quare cum prius essent alatæ Sirenes, Musæ alas victis euulserunt, coronasque ex illis factas suis capitib. imposuerunt: quod factum est in Creta iuxta ciuitatem illa de causa vocatam Apteram, vt ait Crobylus li. 1. Illa de causa vt dictum est, postea alatis capitibus Musæ fuisse putabantur præter vnam, quæ erat illarum mater. Hæ igitur iuxta Pelorum Siciliæ promontorium prius, vel (vt aliis magis placuit) in insulis Sirenusis habitarunt: quæ sunt in extrema parte Italiæ sunt, vt sensit Strabo lib. 1. qui Sirenusas insulas etiam fuisse inquit lib. 5. saxosas ac desertas, non procul à Capreis. Hæ dictæ sunt inferiorem corporis partem habuisse volucrum auium, at superiorem ad humanam formam effictam, vt sensit Theopompus in Callæschro, & Isacius. Idcirco monstra illas vocauit Ouid. lib. 3. artis amandi:

*Monstra maris Sirenes erant, quæ voce canora*
*Quaslibet admissas detinuere rates.*

Nomina vero illarū fuerunt ista, Aglaope, Pisinoe, Thelxiopia: vt voluit Chærilus Thelxiope, Molpe, Aglaophonos. Clearchus vero Solensis, in Amatoriis, lib. 3. vnam illarum Leucosiam nominat, aliam Ligeam, tertiā Parthenopen: quare ait Strabo etiam lib. 1. Geogr. nobilissimam Italiæ ciuitatē Neapolim dictam fuisse Parthenopē de nomine vnius Sirenū quæ in ijs locis mortua est. Eam vero ciuitatem Phalaris Siciliæ Tyrānus instaurasse fertur per bella prope euersam, ac nouam ciuitatem nominasse, siue Neapolim; cum tamen Diodorus Siculus & Oppianus illam ab

Hercule conditam fuisse, & ita appellatam arbitrati sint, idem Strabo lib. 6. memoriæ prodidit Leucosiam insulam nomen item obtinuisse ab altera Sirene, quæ ibi se in profundum abiecerit, ac interierit. Fabulantur vnam harum voce, alteram tibiis, tertiam cum cithara vel lyra canere solitam, vt variæ illecebræ pro singulorum ingenio adessent, vt patet ex his carminibus:

*Quod tuba, quod litui, quod cornua rauca queruntur,*
*Quodque foraminibus tibia mille sonat:*
*Quodque leues calami, quod suauis cantat Aedon,*
*Quod lyra, quod cithara, quod moribundus olor.*

Mirabilis profecto esse dicebatur harum Sirenum suauitas cantus, quando vel in apertã perniciem homines trahebãt, efficiebantq; vt sui ipsorum obliti in manifestam cædem se trahi paterentur. Idcirco cum Minyæ per ea loco nauigarẽt Ancæo nauem gubernante, se citharam sumpsisse scribit Orpheus in Argonauticis, suoq; cantu Sirenum cantum retudisse: qui cum Deorum certamina caneret, minime auditæ fuerunt cantilenæ Sirenum, vt est in his:

ἔνθα δ' ἐφεζόμεναι λιγυρὴν ὄπα γηρύουσαι
κοῦραι, ἀνοστήτους δὲ βροτῶν θέλγουσιν ἀκουάς.
δὴ τότε δὴ Μινύαισιν ἐφήνδανε πύστις ἀοιδῆς
Σειρήνων οὐδέ σφι παρὰ τῶν αἴσας ἔμελλον
φθογγὴν οὐλομένην. χειρῶν δέ οἱ ἧκαν ἐρετμά.
*Hic cantus dulci modulantur voce puellæ,*
*Atque viros mulcent, ratibus qui marmora sulcant,*
*Cœperat hic cantus Minyas mulcere, nec vllus*
*Præteriturus erat Sirenum tristia fata.*
*Iam manibus remi exciderant: stetit vncta carina.*

Illæ postea desperatione captæ, mutæq; factæ in mare musica instrumenta abiecerunt, vt testatur idem poeta in his:

δὴ τότε φορμίζοντος ἀπὸ σκοπέλου νιφόεντος
Σειρῆνες θάμβησαν, ἐὴν δ' ἄμπαυσαν ἀοιδήν·
καί ῥ' ἡ μὲν λωτοὺς, ἡ δ' ἀυχέλυν ἔκβαλε χειρῶν·
*Dum citharam pulsat scopulo sublimis ab alto,*
*Sirenes trepidæ cantum tenuere sonorum:*
*Altera deinde chelym è manibus iacit, altera lotos.*

Quæ omnia Apollonius ita declarauit lib. 4. Argonaut. vbi inquit Orpheum cantare aggressum, omnem Sirenum vocem superasse;

——— αἶψα δὲ νῆσον
καλὴν ἀνθεμόεσσαν ἐσέδρακον, ἔνθα λίγειαι
Σειρῆνες σίνοντ᾽ Ἀχελωΐδες ἡδείῃσι
θέλγουσαι μολπῇσιν ὅτις παρὰ πεῖσμα βάλοιτο.
τὰς μὲν ἄρ᾽ εὐειδὴς Ἀχελωΐῳ εὐνηθεῖσα
γείνατο Τερψιχόρη Μουσέων μία. καί ποτε Δηοῦς
θυγατέρ᾽ ἰφθίμην ἀδμῆτ᾽ ἔτι πορσαίνεσκον
ἄμμιγα μελπόμεναι· τότε δ᾽ ἄλλο μὲν οἰωνοῖσιν,
ἄλλο δὲ παρθενικῇς ἐναλίγκιαι ἔσκον ἰδέσθαι.
αἰεὶ δ᾽ εὐόρμου δεδοκημέναι ἐκ περιωπῆς.
ἦ θαμὰ δὴ πολέων μελιηδέα νόστον ἕλοντο
τηκεδόνι φθινύθουσαι, ἀπηλεγέως δ᾽ ἄρα καὶ τοῖς
ἵεσαν ἐκ στομάτων ὄπα λείριον· οἱ δ᾽ ἀπὸ νηὸς
ἤδη πείσματ᾽ ἔμελλον ἐπ᾽ ἠιόνεσσι βαλέσθαι,
εἰ μὴ ἄρ᾽ Οἰάγροιο πάϊς Θρηΐκιος Ὀρφεὺς
Βιστονίην ἐνὶ χερσὶν ἑαῖς φόρμιγγα τανύσσας,
κραιπνὸν ἐϋτροχάλοιο μέλος κανάχησεν ἀοιδῆς,
ὄφρ᾽ ἄμυδις κλονέοντος ἐπιβρομέωνται ἀκουαὶ
κρεγμῷ· παρθενικὴν δ᾽ ἐνοπὴν ἐβιήσατο φόρμιγξ.

*——— est insula protinus illis*
*Fertilis aspectu & florens: coluere canora*
*Sirenes illam proles Acheloia, quarum*
*Dira lues cantus mortalibus extitit illis,*
*Qui mare sulcantes iecere ad littora funes.*
*Olim Terpsichore has Acholoo in luminis auras*
*Edidit. illa una est Musarum tum quoq; natam*
*Cantabant Cereris formosam, tum quoq; earum*
*Altera pars virgo fuit, altera rursus & ales.*
*E specula semper spectabant aduenientes,*
*In patriam reditu multi caruere per illas.*
*Fundere & his dulcem vocem cœpere: rudentes*
*E puppi fuerant iactari ad littora clarus*
*Filius OEagri nisi mox & Thracius Orpheus*
*Bistoniam manibus citharam sumpsisset, & aures*
*Sublimi cantu, cantu reuocasset ab illo;*
*Virgineamq; chelys vocem superasset acuta.*

Erat illa Sirenum astutia, vt quib. rebus maxime quisq; audiendis delectaretur, eas præcipue canerent: vtpote ad captandos ambitiosos & gloriæ cupidos, res eorum gestas ad demulcendos libidinosos, res amatorias canebant: erantq;

mirifice omnium præteritorum negociorum memores, quare ita inquiunt apud Hom. lib. μ. Odyss.

*δεῦρ' ἄγ' ἰὼν πολύαιν' Ὀδυσεῦ μέγα κῦδος Ἀχαιῶν.*
*νῆα κατάστησον, ἵνα νωϊτέρω ὄπ' ἀκούσῃς.*
*οὐ γάρ πώ τις τῇδε παρήλασε νηῒ μελαίνῃ,*
*πρίν γ' ἡμείων μελίγηρυν ἀπὸ στομάτων ὄπ' ἀκοῦσαι.*
*ἀλλ' ὅ γε τερψάμενος νεῖται, καὶ πλείονα εἰδώς.*
*ἴδμεν γάρ τοι πάνθ' ὅσ' ἐνὶ Τροίῃ εὐρείῃ.*
*Ἀργεῖοι Τρῶές τε θεῶν ἰότητι μόγησαν·*
*ἴδμεν δ' ὅσσα γένηται ἐπὶ χθονὶ πουλυβοτείρῃ.*
*Huc age flecte ratem Graiorum gloria Vlysses:*
*Flecte ratem celerem, nostras & percipe voces.*
*Nullus enim nigram transegit nauita puppim,*
*Quin nostras voces audiuerit: inde recessit*
*Doctior, & cantu mox delectatus eodem.*
*Scimus enim Graij fuerint quæ pergama circum*
*Consilio superum, & quæ Troes funera passi.*
*Denique cuncta patent nobis mortalia facta.*

Atque quoniam multi, cum eo applicuissent, suauitate cantus irretiti recedere non poterant, sed moriebantur inhumati in desertis insulis, quæ mortuorum ossibus late albebant, opus erat multa & prudentia & animi contentione ad illa pericula deuitanda. Idcirco docetur Vlysses à Circe Solis filia quo pacto hæc transeunda sint; atque Vlysses aures cera nautis obturauit, vbi eo accedendum erat, seque arctissimis vinculis malo alligari iussit, neque si rogasset quidem, voluit solui, cum minime audientes etiam rogaret, sic igitur monet illum Circe:

*Σειρῆνας μὲν πρῶτον ἀφίξεαι, αἵ ῥά τε πάντας*
*ἀνθρώπους θέλγουσιν, ὅτις σφέας εἰσαφίκηται.*
*ὅστις ἀϊδρίῃ πελάσει, καὶ φθόγγον ἀκούσει*
*Σειρήνων, τῷ δ' οὔ τι γυνὴ καὶ νήπια τέκνα*
*οἴκαδε νοστήσαντι παρίσταται, οὐδὲ γάνυνται.*
*ἀλλά τε Σειρῆνες λιγυρῇ θέλγουσιν ἀοιδῇ,*
*ἥμεναι ἐν λειμῶνι· πολὺς δ' ἀμφ' ὀστεόφιν θὶς*
*ἀνδρῶν πυθομένων, περὶ δὲ ῥινοὶ μινύθουσιν.*
*ἀλλὰ παρὲξ ἐλάαν, ἐπὶ δ' οὔατ' ἀλεῖψαι ἑταίρων,*
*κηρὸν δεψήσας μελιηδέα, μή τις ἀκούσῃ*
*τῶν ἄλλων· ἀτὰρ αὐτὸς ἀκουέμεν αἴ κ' ἐθέλῃσθα,*
*δησάντων σ' ἐν νηῒ θοῇ χεῖράς τε πόδας τε*

ὀρθὸν

*ὀρθὸν ἐν ἱστοπέδῃ· ἐκ δ' αὐτοῦ πείρατ' ἀνῆφθω.*

*Sirenas primum aduenies, quæ carmine cunctos*
*Mortales mulcent, si quisquam accesserit illuc.*
*Sirenum terris quicunq; improuidus hæsit,*
*Non illi pendent dulces circum oscula nati,*
*Non vxor reduci, conuiuia nulla parantur:*
*Sirenum cantus delectant. florido at illæ*
*In prato resident, quod multorum ossibus albet*
*Extinctorum hominum, postquam perueneris illuc,*
*Tum moneo nauem curuis impellere remis.*
*Obtura ceris sociorum mollibus aures,*
*Ne quis Sirenum voces exaudiat, ipse*
*Si cupis audire has, vincire manusq; pedesq;*
*Præcipio; ad malum firmissima vincula nectant.*

Erat enim tota fere illa ora alba propter insepultorum ossa, quod etiam ait Virg. lib. 5.

*Iamq; adeo scopulos Sirenum aduecta subibat,*
*Difficiles quondam, multorumq; ossibus albos.*

Et Lesches in parua Iliade;

*Σειρήνων μετέπειτ' ἐσαφίξεαι ἁλμυρὸν ὕδωρ,*
*Σειρήνων γλυκερῆσιν ἀοιδαῖς θηλήσαιο*
*καὶ πλείστους ναύτας, ὧν κεῖται ὀστέα λευκά.*
*Sirenum post aduenies ad salsa profunda,*
*Sirenum, dulcis cantus quarum extitit illis*
*Dira lues nautis, quorum terra ossibus albet.*

At enim cum Vlysses illarum fallacias obturatis aurib. sociorum, ipseque malo alligatus fefellisset, fama est ipsas Sirenes se in mare præcipitasse, neque amplius postea auditas, vt illa carmina significant:

*Sanguine Sisyphio generatus magnus Vlysses*
*Hac tutos sola præstitit arte suos.*
*Illeuit cera sociorum callidus aures,*
*Atq; suas vinclis præbuit ipse manus.*
*Transiluit scopulos, & inhospita littora classis:*
*Illæ præcipites desiluere freto.*

Cum vero se in mare præcipitassent, siue illud Orphei, siue Vlyssis arte factum est, dicuntur in saxa fuisse conuersæ, sicuti testatur Orpheus in Argon.

*δεινὰ δ' ἀνεστενάχησαν, ἵκει πότμος ἦεν λυγρὸς*
*μοιριδίου θανάτοιο· σφέας δ' ἀπὸ ῥωγάδος ἄκρης.*

*ἐς βυθὸν δίσκευσαν ἁλιρρόθιοιο θαλάσσης.*
*πέτρας δ' ἠλλάξαντο δέμας, μορφήν θ' ὑπέροπλον.*
*Sunt grauiter iussa, vt senserunt fata Deorum*
*Aduentasse sibi: summaq; crepidine saxi*
*Praecipites saliere maris spumantis in vndas.*
*Protinus in duras vertuntur corpora cautes.*

Atque cum illud accinisset vt victę sint non procul à littore Cretæ. vrbs è regione vocata fuit Aptera, quod alæ ibi deiectæ sint. Atque tot de Sirenibus fabulose dicta sunt ab antiquis.

¶ Nunc quid per has significarint, inquiramus. Atque illud primum ridiculum videtur, fuisse vnquam aliqua animalia, quæ fuerint è duab. tam diuersis formis composita, vt altera pars esset piscis, altera hominis, cum neutrum horum animalium in aquis & in sicco viuat nec me latet quod quidam crediderunt in generatione mūdi, cum diuisa fuerunt à summo opifice inter se elemēta omnia animalia primum sponte nata esse, atq; ea quæ plurimum haberent caloris, ad superiora lata factas esse volucres: quę multum haberent terrestrem mistionem, in numero reptilium atque terrestrium animalium constitisse, terramq; inhabitasse: at quæ aquosæ naturæ accederent, mare & aquas inhabitasse, vocataque esse natantia. Sed enim cum terra postmodo calore Solis siccata condensataque fuisset, cessauisse hanc generationem, & ex mutuo congressu animalia fuisse orta, vt sensit Anaxagoras physicus, cuius auditor Euripides ita scripsit in Melanippe:

*ὡς οὐρανός τε γαῖά τ' ἦν μορφὴ μία.*
*ἐπεὶ δ' ἐχωρίσθησαν ἀλλήλων δίχα.*
*τίκτουσι πάντα, κἀνέδωκαν εἰς φάος*
*δένδρη, πετεινά, θῆρας, οὕς θ' ἅλμη τρέφει.*
*γένος τε θνητῶν καὶ θεῶν, ὅντ' οὐρανὸν*
*εὑρόντες ἦλθον, πολλὰ καλὰ χρήσιμα.*
*Vt vna forma terra, cœloq; affuit.*
*Seiuncta cum fuere primum at inuicem,*
*Solis tulere cuncta clara in lumina,*
*Feras, volucres, arbores, prolem maris,*
*Viros, Deosq; quis cœlum fuit,*
*Quod protulere multa pulchra commoda.*

Scribit Archippus in lib. 5. de Piscibus, loca quædam mari-

na in angustias quasdam præruptorum montium cõtracta fuisse, in quas illi si fluctus sonum cum suauitate & harmonia emittentes nauigãtes allicerent ad visendum; quo cum appulissent vndarũ impetu delati, absorbebantur: vnde locus datus est fabulę. At Dorion in libro de Piscibus formosas quasdã meretriculas fuisse Sirenas scribit in littore habitãtes, quæ suauitate harmoniæ ad se nauigantes allicerent, & allectos tamdiu retinerent, quamdiu ad summã inopiam neglecta rerum vtilium cura redigerentur. quare dicti sunt omnes naufragium pati, qui ad Sirenes accessissent. dictæ sunt enim Sirenes quasi cathenæ, quia allectos vincirent in amore. Non defuerũt qui Sirenes aues fuisse Indicas putarint, quæ allectos nauigantes ad littora cantus suauitate sopitos postea laniarent, ac deglutirent. Horatius lib 2. Sermonum, non saxa, neque meretrices, neque aues Indiæ, sed desidiam, & turpissimam prope omnium ignauiam Sirenes esse scribit, quæ omnes ad se alliciant, & in perniciem denique adducant, cum inquiant:

*Contemnere miser: vitanda est improba Siren*
*Desidia.*

Ego sane Sirenũ cantus ac Sirenes ipsas, nihil aliud esse crediderim, quam voluptates, & earum titillationes, quæ dicuntur vnius Musarũ & Acheloi filiæ, cum taurino patre, & ad voluptates propenso natę sint; Musaque sit suauitas illa, quæ nos ad eas allicit. Hæ nos in perniciẽ deniq; inducunt, qui ex ea parte animæ oriũtur. quæ caret ratione, & ἄλογος vocatur. hæ ad exprimendam mortalium naturam partim beluæ, partim virgines videbãtur: quia mõstro prope similis est is qui nõ rationi & consilio, sed cupiditati paret cum altera pars illius homo sit, altera belua. cũ enim vis animæ nostræ alia sit cõpos rationis, alia ratione careat, quo pacto nõ habet quisq; intra se inclusas & latentes Sirenes? aut qui nihil habeat, nisi formã corporis, cum homine commune, nullaq; ratione vtatur, sed huc illuc feratur pro animi impetu, quocunq; libido & appetẽtia & cupiditas tulerit: quo pacto is non habet intra se Sirenem, vel ipse potius monstrum teterrimũ efficitur? cum vero alij rebus aliis facilius capiantur, neq; omnes aut libidinis stimulis agitentur, aut ambitione, aut auaritia: illæ rerũ omniũ cognitionẽ se tenere gloriabãtur, singulosq; gratis cantilenis demulcebãt,

Testatur vel illarum nomina nihil aliud fuisse Sirenes quã motus animi, quid.n.est Pisinoe? an nõ vis menti facile suadens? πείθειν n. suadere, νόος mens est. At vero Aglaope suauis est aspectu; Thelxiope vel solo aspectu delectat, cũ θέλγειν delectare significet: & Thelxinoe mentem demulcet, & iucunda vox est Aglaophoni, & sonora Ligeæ, & cãdida est Leucosia, & virginis faciem habet Parthenope: quæ omnia nomina facile vel ad impetus animi, vel ad libidinosa scorta possunt accommodari. Si quis igitur calamitates cõplures, & ærumnas multas deuitare voluerit, is ad voluptates illegitimas, & ad turpia humanæ vitæ lenocinia ad Vlyssis exemplum aures obturet opus est, aut Orphei, reliquorumque sapientum virorum monitis pareat, eosq; solos audiat. quod si quis ad ipsarum Sirenum cantum tamẽ apertas aures habuerit, suopteq; ingenio vitam suam gubernarit, is se rationi alliget oportet, vt malo nauis se alligauit Vlysses; cum incredibili ac pene diuina prudẽtia opus sit, cum quis fuerit semel à Sirenib. delectatus, vt possit inde incolumis recedere. Conuenit igitur vt Orpheus, aut vir aliquis sapiẽs & amicus, Sirenum voces sapientissimis & fidelissimis consiliis vincat, nisi perniciosarum voluptatũ illecebris in miserias trahi malimus. Alij vero Sirenes esse adulatorum voces crediderunt, qua peste nulla neq; suauior, neq; sceleratior principes aut ambitiosos homines inuadit. Illæ in profundissimum somnum principes inducunt, quia tanquam dormientes, eorum pleriq; quid differat amicus ab adulatore non vident. & quoniam suauior est auribus adulatoris quam amici oratio, quæ iucundiora sunt libentius admittunt. at cõtra adulatores cognito ingenio principis, illi qui iucundiores futuri sint sermones excogitant, & num rerum gestarum gloria, vel cõgerendis opibus, vel scortis vel aliis huiusmodi rebus delectetur, eiusq, studium mirificis laudibus extollunt. Quę oratio cum grata sit audienti, Sirenes vnius Musarum filiæ dictæ sunt. atq illæ deniq; in perniciem trahebãt auditores: quoniã vbi adulationi locus est, nullus amicitiæ, nullus sinceritati, nullus iustitiæ patet: quippe cũ is qui magis aliis quam sibiipsi de se credat, ad suauitatem loquẽtibus, ad omnem vel suam vel suorum salutem & foelicitatem conniueat, minimeque diligens in rebus agendis efficiatur, opus est. Hæc vna causa est cur tam frequenter

mutari

mutati sint principes regionum in Italia, neque idem regulus fuerit diutius eiusdem regionis, cum nihil neq; firmius sit, neque stabilius eo regno, quod à sapiente principe gubernetur. Qui enim neque Deum neque homines per iniuriam offenderit, quo pacto calamitates patietur, cum vix illi principes euerti possint, qui sunt facinorosi? aut quo pacto princeps qui à se adulatores reiiciat, vir non bonus, & prudens, & sapiens esse poterit? at de Sirenibus satis, nunc de Orpheo dicamus.

### *De Orpheo.* CAP. XIV.

FVit Orpheus, vt sensit Myrleanus Asclepiades, Apollonis & Calliopes vnius Musarũ filius. nam quamuis diuersæ fuerunt variorũ scriptorum de illius parentib. sentẽtiæ, tamẽ Myrleani sententiã secutus Virg. ita scripsit in Pollione:

*Non me carminibus v ncet: nec Thracius Orpheus,*
*Nec Linus: huic mater quamuis, atque huic pater adsit,*
*Orphei Calliope, Lino formosus Apollo.*

Atque Menæchmus illum Apollinis filium fuisse tradidit, cum nullam fecerit de matre mentionem, vt est in his carminibus:

*Πίερες αἰνοπαθεῖς συγγλὺ ἀποτίσετε λώβην,*
*Ὀρφέ' ἀποκτείναντες Ἀπόλλωνος φίλον υἱόν.*
*Pieres immites pœnas certe indeluetis.*
*Quod cæsus vobis est natus Apollinis Orpheus.*

Apollonius vero lib. 1. Argonaut. Oeagri & Calliopes filium tradidit fuisse his versibus:

*πρῶτά νυν Ὀρφῆος μνησώμεθα, τόν ῥά ποτ' αὐτὴ*
*Καλλιόπη Θρήϊκι φατίζεται εὐνηθεῖσα*
*Οἰάγρῳ σκοπιῆς Πιμπληδος ἄγχι τεκέσθαι.*
*Atque alios inter primum cantab. mus Orphea.*
*Call ope Oeagro peperit Pimpleidos illum*
*Non longinqua iugis, lecto coniuncta iugali.*

Alii Oeagri & Polymniæ, alii Menippes, alii Thamyridis filium fuisse voluerunt, atque Ialemum & Hymenæum huius fratres fuisse constat. Hunc tanta canendi peritia excelluisse inquiunt, vt fluuii ad eius cantum firmarentur, aues aduolarent, feræ properarent, syluæ, & saxa, & venti, & omnium vel sensu carentium genera accurrerent, vt ait Horatius lib. 1. Carminum:

*Aut in vmbrosis Heliconis o is,*
*Aut super Pindo, gelid ve in Hamo*
*Vnde vocalem temere insecuta*
*Orphea syluæ:*
*Arte materna rapidos morantem*
*Flumi um cursus celeresq; ventos*
*Blandum & auritas fidibus canoris*
*Ducere syluas.*

De quo ita scripsit etiam Apollonius lib. 1. Argonaut.

*αὐτὰρ τόνγ' ἐνέπουσιν ἀτειρέας οὔρεσι πέτρας*
*θέξαι ἀοιδάων ἐνοπῇ ποταμῶν τε ῥέεθρα.*
*φηγοὶ δ' ἀγριάδες κείνης ἔτι σήματα μολπῆς*
*ἀκτῆς Θρηικίης Ζώνης ἐπιτηλεθόωσαι*
*ἑξείης στιχόωσιν ἐπήτριμοι, ἃς ὅγ' ἐπιπρὸ*
*θελγομένας φόρμιγγι κατήγαγε Πιερίηθεν.*
*Hunc referunt duros lapides & f umina cantu*
*Detinuisse sua captos dulcedine vocis.*
*Syluestres fagos intra confinia terræ*
*Threiciæ, quæ nunc frondent, vestigia cantus*
*Illius esse ferunt quas secum adduxerat Orpheus*
*Vertice Pierio cithara dulcedine & artis.*

Et quamuis multi fuerunt Orphei, vt testatur Suidas, omnia tamen cæterorum facinora ad vetustissimum Thracem Oeagri filium referuntur, qui, vt ait Zezes hist. 399. chil. 12. fuit Herculis coætaneus, ac floruit annis centum ante bellum Troianum. Hic primus omnium apud Græcos de astrologia scripsit, quod ita ait Lucianus in Dialogo de Astrol. Ἕλληνες δὲ οὔτε παρ' Αἰθιόπων, οὔτε παρ' Αἰγυπτίων ἀστρολογίης πέρι οὐδὲν ἤκουσαν, ἀλλά σφιν Ὀρφεὺς ὁ Οἰάγρου καὶ Καλλιόπης πρῶτος τάδε ἀπηγήσατο. *At Græci nihil vel ex Æthiopibus vel ex Ægyptiis de astrologia audiuerunt, sed illis Orpheus Calliopes & Oeagri filius hæc prior explicauit.* Hic idem prior omnib. Bacchi sacra in Græciã introduxit, primusq; in mõte Bœotiæ Thebis, vbi, Liber pater natus est, sacra illa quæ Orphica vocata fuerunt, in quibus ipse postea fuit laceratus, instituit: vt ait Lactantius de falsa religione. Hic multa humanæ politicæque vitæ vtilia inuenit, vt ait Pauſ. in Bœoticis: nam & Deorum initia, & vniuersam Theologiam primus aperuit, & nefariorum facinorum expiationes excogitauit, & quibus ritibus iratorum Deorum mentes placarentur

rentur tradidit, & multa morborum remedia adinuenit, vt ipse de seipso testatur in Argonaut.

*θυμὸς ἐποτρύνει λέξαι τὰ πάρος οὔποτε πρόσθεν*
*ἔφρασ', ὅταν Βάκχοιο καὶ Ἀπόλλωνος ἄνακτος*
*κέντρῳ ἐλαυνόμενος φρικώδεα κῆλ' ἐπίφασκον,*
*θνητοῖς ἀνθρώποισιν ἄκη, μετὰ ὄργια μύσταις.*
*Dicere fert animus quæ nunquam tempore l..pso*
*Dixi: cum Bacchi, cum regis Apollinis actus*
*Sum stimulo, horrenda vt narrarem spicula: & idem*
*Fœdera cum superis mortalibus, atq; medelas.*

Hic idem scripsit de elementorum inter se generatione mutua de vi amoris in rebus naturalibus, de Gigantibus cum Ioue pugnantibus de raptu & luctu Proserpinæ, de Cereris erroribus, de laboribus Herculis, de Iudæorum, & Corybantum sacrorum ritibus, de lapillis, de occultis oraculorum responsis, de Veneris & Mineruæ sacrificiis, de luctu Ægyptiorum Osiridis causa, & de illorum lustrationibus, de vaticiniis, de obseruationibus auspiciorum, de situ fibrarum, de somniorum interpretatione, de signis ac prodigiis, deque illorum expiationibus, de expiatione inferorum, de ratione & motu astrorum, quo pacto Dii irati placati possint; de quibus omnibus se scripsisse testatur initio suorum Argonauticorum. Fuit vir plane sapientissimus Lini auditor, & vt illa ætas ferebat, diuinarum rerum peritissimus. Qui quantæ sapientiæ fuerit, facile ex his carminibus, quæ scripsit in libro de lapillis, cognoscere licet:

*ὃν δέ κεν ἀνθρώπων πεπνυμένον ἦτορ ἀνώγῃ*
*ἐς πολυήρατον ἄντρον ἱκέσθαι Ἑρμείαο·*
——— & paulo post,
*ἴδμεναι αἴκε θέλῃσι, διαγνώσεσθαι ὅσα τε φῶτες*
*κρυπτάδια σφετέρῃσιν ἐνὶ φρεσὶ μηχανόωνται,*
*ὅσσα τε κικλήσκουσι μετὰ σφίσιν ἱεροφοῖται,*
*ἀνθρώποις ἄφραστον ἰακχάζοντες ἀοιδήν,*
*οἰωνοὶ μεγάλοιο Διὸς κλυτοὶ ὑποφῆται,*
*ῥοῖζον τε στῆσαι χαμαὶ ἐρχομένοιο δράκοντος*
*εἴσεται, ἠδ' ὄφιων ἰὸν σβέσαι ἑρπηστήρων.*
*At quemcunq; virum ducit prudentia cordis,*
(Cætera vt omittam, quæ plurima, maxima dicam)
*Scire cupit si forte, sciet quæcunq; volutant*
*Pectoribus tacitis mortales, quæq; volucres*

*Inter se strident cœli per summa volantes,*
*Infandum vt crocitant cantum mortalibus vllis,*
*Significantque Iouis mentem, gens nuncia fati.*
*Is serpentis humi nôscet firmare draconis*
*Sibila, serpentumque sciet superare venena.*

Non defuerunt qui Orpheum & Amphionem magos Ægyptios fuisse arbitrati sint, vt ait Pauf. in post. Eliacis. Fama est hunc vxorem habuisse Euridycen, cuius amore cum flagraret Aristæus, eamque insequeretur, vt captæ vim inferret, illa per loca deuia fugiens à serpente in herba latente icta interiit. Tum fama est Orpheum sumpta cithara ad inferos descendisse, atque cum mirificam quandam lamentationem cecinisset, lacrymas inferis excitasse, vt ait M. Manilius in quinto rerum astronomicarum:

*Hac surgente lyra testudinis enatat vndis,*
*Forma per hæredem tantum prolata tonantis,*
*Qua quondam sonitumque ferens Oeagrius Orpheus*
*Et sensum scopulis, & syluis addidit aures,*
*Et Diti lacrimas, & morti deniqne finem.*

Plutone deinde placato ac Proserpina seuerissimis mortuorum regibus cantus suauitate non solum obtinuisse, vt ipse post visam Eurydicen in lucem rediret, sed etiam vt ipsam Eurydicen secum abduceret: ea tamen conditione ne prius respiceret, quam ad superos peruenisset, vt ait Ouid. lib. 10. & Virg. lib. 4. Georg. Verumtamen cum amoris impatiens illam & contra leges inferorum respexisset, antequam exisset in lucem, illam amisit. Deinde, qui per Tænarum ad inferos descendisset, & de descensu ad inferos, & de iis quæ vidisset apud inferos scripsit. vt ipse testatur in his in Argonauticis:

ἄλλα δέ σοι κατέλεξ' ἅπερ εἴσιδον ἠδ' ἐνόησα,
Ταίναρον ἡνίκ' ἔβην σκοτίην ὁδὸν Ἄϊδος εἴσω,
ἡμετέρῃ πίσυνος κιθάρῃ, δι' ἔρωτ' ἀλόχοιο.

*Cætera narraui quæ vidi, vt Tænara audiui,*
*Vmbrosas Ditisque domos & tristia regna;*
*Confisus cithara, vxorisque coactus amore.*

Hunc inquiunt cum ad inferos descendisset, ibi Deorum omnium laudes cecinisse, prærerquã Liberi patris, quem per obliuionẽ prætermisit: quare iratus Dionysus furorem illis Bachis immisit, à quib. apud Hebrũ fluuiũ fuit discerptus,

mem-

membraq; eius per agros ſparſa, vt à canib. vorarentur: ſed tamen à Muſis dicuntur fuiſſe collecta, & in Dio Macedoniæ loco ſepulta, quia ſupra ceteros Apollinē laudib. mirificis exornaſſet. Alii dixerunt à Ioue fuiſſe percuſſum fulmine in Thracia, ſicuti teſtatur Leonidas in his verſibus:

*Θρηΐκα χρυσολύρην τῇδ' Ὀρφέα Μοῦσαι ἔθαψαν,*
*ὃν κτάνεν ὑψιμέδων Ζεὺς ψολόεντι βέλει.*

*Conditus à Muſis tumulo hoc eſt Thracius Orpheus:*
*Fulmine flagranti Iupiter vſſit eum.*

Fertur eius caput in Hebrum deiectum cum lyra fluminis in Lesbum delatum fuiſſe, atque ibi ſepultum: lyram autem inter ſidera relatam, & à ſingulis Muſis, quarum laudes eximie cecinerat, nouem inſignibus ſtellis inſignitam. Alii memorant illum poſt mortem Eurydices cæterarum mulierum coniugium ſpreuiſſe, multiſque perſuaſiſſe hominibus malum ingens eſſe fœminam, ſiue mala ſit, ſiue bona: quare cum multi abſtinerent à nuptiis fœminarum, ab illis per ſimulata Liberi patris ſacrificia fuit diſcerptus, vt ſenſit Apollodorus Cyrenaicus in libro de Diis. Alii turpiſſimam cauſſam tradiderunt, quam ita attigit Ouidius:

*Ille etiam Thracum populis fuit autor amores*
*In teneros vertiſſe mares.*

Pauſ. in Bœoticis indignatas ait Thracum fœminas, quod ob cantus ſuauitatem multos viros ſecum abduceret: quæ cum liberius merum hauſiſſent, illum diſcerpſere. At Gelous Apollodorus in Philadelphis iudicem Calliopen electam fuiſſe inquit à Ioue, contendentibus Venere & Proſerpina de Adonide: quæ cum Adonidem communem adiudicaſſet, Venus indignata mulieres in Orpheum Calliopes filium cōcitauit. Alii dicunt ita Venerem vertiſſe amorem omnium mulierum in Orpheum, vt ab illis raptim captus, dum inter ſe contenderēt de Orpheo, fuerit laniatus. Agatarchides Cnidius lib. 22. rerum Aſiaticarum Orpheū ſcripſit mortua Eurydice ad Aornhum veniſſe in Theſprotidem, vbi peruetus erat oraculum euocandarum animarum: ibi cum Eurydicen ſibi adeſſe putaſſet, ſeque deceptū comperiſſet, ſibi mortem cōſciuiſſe. Inde ſcripſit Pauſanias, luſcinias quæ forent circa ſepulchrum Orphei in Thracia, cantum emittere cæteris omnibus ſuauiorem. Alii putarunt Orpheum fulmine ictum concidiſſe, quod arcana ini-

eiorum profanis & rudibus diuulgasset. Aiunt Methonem huius fuisse filium, qui habitauit in Thracia, & vrbem ibi conditam de suo nomine appellauit, vt ait Plutarc. in problematis. Alii vitæ pertæsum post mortẽ Euridices sibi manus intulisse inquiunt præ mœrore. Qui laniatum à mulierib. fuisse tradiderunt, addunt amnem Heliconẽ qui Baphyra apud Diatas vocatus fuit, ex eo tẽpore se sub terras occultasse, quo mulieres Orpheũ occiderunt, ne illius sanguine pollutis fœminis aquas ad expiationes suppeditaret: quẽ sepultum ad Pieriam scribit Apollodorus lib. 1. Dicuntur Musæ grauiter tulisse eius mortem, sed inprimis Mnemosyne & Calliope, vt ait Antipater in his carminibus:

οὐκέτι θελγομένας Ὀρφεῦ δρύας οὐκέτι πέτρας
ἄξεις, οὐ θηρῶν αὐτονόμους ἀγέλας.
οὐκέτι κοιμάσεις ἀνέμων βρόμον, οὐχὶ χάλαζαν,
οὐ νιφετῶν συρμούς, οὐ παταγεῦσαν ἅλα:
ὤλεο γάρ σὲ δὲ πολλὰ κατωδύραντο θύγατρες
Μναμοσύνας, μάτηρ δ᾽ ἔξοχα Καλλιόπη.
τί φθιμένοις στοναχεῦμεν ἐφ᾽ υἱάσιν, ἀνίκ᾽ ἀλαλκεῖν
τῶν παίδων ἀΐδην οὐδὲ θεοῖς δύναμις;

*Non quercus, non saxa trahes dulcedine cantus*
*Orpheu, non poteris detinuisse feras.*
*Non ventosque niuesque domabis, grandinis aut vim,*
*Non mare vt insanis littora pulsat aquis.*
*Mortuus es, nam a lacrymis luxere profusis*
*Mnemosynes, luxit Calliopeque parens,*
*Sed cur lugemus natos? nam Ditis auari*
*In natos superum ferrea iura manent.*

Hæc ea sunt q̃ de Orpheo memoriæ sunt prodita ab antiquis: nunc cur ficta sunt explicemus. Orpheus Apollinis & Calliopes filius fuisse dicitur vel Polymniæ, quoniam vir fuit artis dicendi & metro præcipue præstantissimus: atque omnes viri boni Deorum filii dicti fuerunt, quod animæ insignium virorum ex aliqua sphęrarum & è Sole pręcipue in hæc corpora descendisse putarentur. Hic idem cum in rudes adhuc mortales incidisset, qui sine vllo morum delectu, & sine legib. viuerent, ferarumque ritu per agros nullis conditis tectis vagarentur, tantum dicẽdo & orationis suauitate valuit, vt ad mansuetius vitæ genus homines traduxerit, illos in vnum locum conuocarit, ciuitates condere do-

re docuerit, legibusq; ciuitatum obtemperare, matrimoniorum fœdera seruare; quod fuit antiquorum poetarum munus creditum, & est re ipsa sicut ait Horat. in arte poët.

*Syluestres homines sacer interpresq; Deorum*
*Cædibus & victu fœdo deterruit Orpheus,*
*Dictus ob hoc lenire tigres, rapidosq; leones.*
*Dictus & Amphion Thebanæ conditor vrbis*
*Saxa mouere sono testudinis, & prece blanda*
*Ducere quo vellet. fuit hæc sapientia quondam,*
*Publica priuatis secernere, sacra profanis,*
*Concubitu prohibere vago, dare iura maritis,*
*Oppida moliri, leges incidere ligno.*

Hic vsus est septē chordarum prior instrumēto musico, ad septē planetarū imitationē ac rationē, vel lōgitudinis, vel intensionis, vel magnitudinis, vti dictum fuit. Sapiens omnino erat antiquorum illud poëtarum genus; non autem, vt ferunt nostra tempora, in sola verborum mēsura & metro putabatur vniuersum poeticæ facultatis artificium cōsistere. neque adulantes principibus hominibus, vt aliquod munusculum aucuparentur, quidquid in mētem veniebat, effutiebant, sed ea erant carmina poetarum, vt pro sanctissimis legibus haberentur: sæpiusq; ciuitates de re aliqua contendentes tanquam grauissimi iudicis sententia alicuius poetæ carmine vsæ fuerunt. Hic tanta vi dicendi fuisse dicitur, vt consternatos animos mortalium, & ob aliquam præsentem calamitatem in desperationem lapsos, erexerit & in priorem statum reduxerit, atque ad tranquillitatē reuocarit. Hoc qui facere possit, cæteris hominib. præstātior est iudicandus: non qui sibi soli viuat, &, vt congestis opib. solus, ita sapiētię bonis perfruatur, cæteris hominib. prorsus inutilis, tanquam nusquam esset natus. Hic igitur placatis inferis, animi perturbationibus scilicet, Eurydicen in lucem adducere conatus est, quæ, vt nomen ipsum significat, nihil aliud est quā iustitia & ęquitas. Fuit rursus ad inferos illa retracta ob nimium Orphei amorē, quia neq; iustitię quidē opus est nimis esse cupidum, cum perturbationes animi placentur ratione: atq; si quis paulo fuerit in hac re negligētior aut magis cupidus, tanq̃ ab aliqua vi externa repellitur, & eodē relabitur. Semper igitur viro bono vigilare conuenit neq; minis cedere vel honestis cupiditati-

bus, quæ in grauissimas animi perturbationes inducunt. Quod si quis tamen cupiditatibus cesserit, ille postea vel in maximas calamitates illabetur, vel in miserrimum mortis genus incidet. Vt igitur moderationem animi affectibus adhibeamus, neque quidquam nimis ex animo optare vtile esse intelligamus, hæc ab antiquis de Orpheo memoriæ prodita fuerunt. Alii tamen fabulam hanc Eurydices ita explicarunt, vt illam animam esse dicant, quæ Orpheo siue corpori nupserit. atque eius amore capitur Aristæus, quod est vere bonum intelligendum. Ista per herbas ac flores ab eo fugit, & à serpente latente inter hos flores necatur, descenditque ad inferos, vnde reuocatur per sonum lyræ, ea nimirum conditione, atque hisce monitionibus vt facile possit à corpore perdi, nisi rationi, legique pareat. Ac de Orpheo satis, nunc de Musis dicamus.

## *De Musis.* CAP. XV.

MVsæ, quę poetarum prędides, omniumq; cantilenarum autores fuisse putabantur, vna cum Saturno natæ è Cœlo fuisse creditæ sunt, sicuti sensit Musęus, & complures antiquorũ; at à recentiorib. Iouis & Mnemosynes filiæ dictæ sũt, vt testatur Orpheus in hymno in Musas hoc pacto:

Μνημοσύνης καὶ Ζηνὸς ἐριγδούποιο θύγατρες
Μοῦσαι Πιερίδες μεγαλώνυμοι, ἀγλαόφωνοι.
*Mnemosynesq; Iouisque satas de semine canto*
*Pieridas Musas, praeclara numina fama.*

Et Hesiodus in Theogonia:

Μνημοσύνης δ' ἐξαῦθις ἐράσσατο καλλικόμοιο·
ἐξ ἧς αἱ Μοῦσαι χρυσάμπυκες ἐξεγένοντο,
ἐννέα, τῇσιν ἅδον θαλίαι, καὶ τέρψις ἀοιδῆς.
*Mnemosynen pulchram dilexit Iupiter: ex qua*
*Inde nouem Musæ claræ nascuntur; & illis*
*Sunt semper cantus cordi, & conuiuia læta.*

Cic. lib. 3. de Nat. Deor. ex altero Ioue natas esse quatuor Musas scribit, Thelxiopen, Mnemen, Aœden, Meleten: è tertio Ioue nouem & ex Mnemosyne: è tertio item Ioue Pierias & ex Antiopa, priorib. pares numero. quid ordines etsi tres fuerunt, tamen Iouis & Mnemosynes omnes filiæ dicuntur: atq; natæ sunt in Pierio mõte; vt ait Zez. hist. 90. chil. 7. Scribit Pauf. in Bœoticis primos omniũ Aloei filios tres Musas sanxisse coli religione oportere, Meleten, Mnemen,

men, Aœden: mox Pierum Macedonem cum Thespias venisset, instituisse vt nouem Musæ his ipsis nominibus, quibus in hanc vsque diem vocatæ sunt, colerentur. At Aristocles in libro de Choris tertio filias nouem Piero fuisse scribit, quas ille de nominibus Musarum appellauerit, ex quibus nati sunt illi qui Musarum filij dicti sunt Græcis. Mimnermus vero Cœli filias fuisse Musas credidit, Ioueque fuisse antiquiores: cum aliæ etiam minores natu è Ioue fuerint. Sct iptum reliquit Euphranor in libro de Tibicinibus Euphemen nutricem fuisse Musarum. Alij Memnonis & Thespiæ filias putarunt. Fuerunt apud Thespienses Musarum ludi, qui Musea dicti sunt: in quibus proponebantur cantilenarum & harmoniæ præmia victoribus. Has Deas fuisse sacrorum conuiuiorum, quæ fiunt per lustrationes, & solennitatum, & omnis lætitiæ præsides, significauit Orpheus ita in hymnis:

*αἳ τελετὰς θνητοῖς ἀνεδείξατε μυστοπολεύτοις.*
*Rite viris quæ ostendistis conuiuia sacra.*

Et alibi scriptum est:

*οὐδέ τι λήγοντι μουσέων βροτοί· αἱ γὰρ ἴασι*
*κοίρανοι, αὖσι μέμηλε χορὸς, θαλίαι τ' ἐρατειναί,*
*οἵ τε γάμοι, καί τ' ὀρχήστυς, καὶ Κύπριδος ἔργα.*
*Non linquant Musas mortales tempora vitæ*
*Quæ moderantur: eis chorus, & conuiuia læta*
*Sunt curæ; grataque virum sunt nuptiæ amores.*

Eædem & carminum & musicæ inuentrices fuerunt, & totius sapientiæ moderatrices, sicuti testatur idem Orpheus:

*κλῦτε θεοὶ σοφίης ἱερῆς οἴακας ἔχοντες.*
*Temonem sacræ Sophiæ hæc audite tenentes.*

Plutarch. tamen in libello de Musica ex Heraclidę sentētia non Musis, sed variis hominib. carminum inuentionē concessit; qui primam citharæ inuentionem Amphioni Iouis & Antiopes filio, eiusque poesin tribuit, vtpote qui à patre doctus fuerit: Linumque ait Eubœensem primum lamētationes & fletus carmine edidisse, sicut hymnos Anthedonium Anthen, Philammonemque Delphicum canticos de ortu Apollinis, & Dianæ, & Latonæ. Demetrius Byzantius lib. 3. poematis nō Musis, aut Musarum filiis, sed ipsi Apollini harum rerum inuentionem tribuit: quippe quem dicat & tibiam, & citharam, & fidium cantus inuenisse cuius

mentum, quod inter Apollinis sacrificia hymni canebãtur cum tibiis: cuius etiam signum in Delo fuit antiquitus illo habitu vt dextra arcum, sinistra Gratias teneret: tũ Gratiarum alia tibias, alia lyram, alia fistulã oriri Apollinis admonebat, vt ait Pausanias. Callimachus tamen in quodam epigrammate, non solum Musas poeticam facultatem, sed omnia scriptorum disciplinarumque genera inuenisse scribit, sed quid vnaquæque inuenerit, ita patefecit:

*Καλλιόπη σοφίην ἡρωΐδος εὗρεν ἀοιδῆς.*
*Κλειὼ καλλιχόρου κιθάρης μελιηδέα μολπήν.*
*Εὐτέρπη τραγικοῖο χοροῦ πολυηχέα φωνήν·*
*Μελπομένη θνητοῖσι μελίφρονα βάρβιτον εὗρε.*
*Τερψιχόρη χαρίεσσα πόρεν τεχνήμονας αὐλούς.*
*ὕμνους ἀθανάτων Ἐρατὼ πολυτερπέας εὗρεν.*
*ἁρμονίην πάσῃσι Πολύμνια δῶκεν ἀοιδῆς.*
*Οὐρανίη πόλον εὗρε καὶ οὐρανίων χορὸν ἄστρων.*
*κωμικὸν εὗρε Θάλεια βίον τε καὶ ἤθεα κεδνά.*
*Calliope reperit sapientes pr. uida cantus*
*Heroum: Clio citharam clarissima: vocem*
*Mimorum Euterpe tragicis lætata querelis,*
*Melpomene dulcem mortalibus attulit ipsa*
*Barbiton. at suauis tibi tradita tibia fertur*
*Terpsichore, Diuumq; Erato mox protulit hymnos.*
*Harmoniam cunctisq; Polymnia cantibus addit.*
*Vranie cœli motus atq; astra notauit.*
*Comica vita tibi est, moresq; Thalia reperti.*

Hæ Deæ magnum sunt in aduersitatibus solatium, & non leues illecebræ ad res honorificas: cum ab illegitimis voluptatibus, & ab omni libidine nos reuocent, vt ait Theocritus in Cyclope:

*οὐδὲν ποττὸν ἔρωτα πεφύκει φάρμακον ἄλλο,*
*Νικία, οὔτ' ἔγχριστον, ἐμοὶ δοκεῖ οὔτ' ἐπίπαστον,*
*ἢ ταὶ Πιερίδες. κοῦφον δέ τι τοῦτο καὶ ἁδὺ*
*γίνεται ἀνθρώποις.*
*Nulla magis flammas medicina repellit amoris,*
*Non quæ potatur, quæ vnguntur vulnera, quam vis*
*Pieridum. leuis hæc & dulcis quippe medela*
*Munere concessa est superum mortalibus ægris.*

Harum munus fuit militum animos per carmina inflammare in bellum, harum viros bonos in calamitatibus consolari

ſolari, harum præclara facinora & res geſtas decantare, vt eorum imitatione cæteri mortales ad virtutem incitarentur, quippe cum illæ cantilenæ eſſent in antiquorum conuiuiis, vt patet in libello de Muſica apud Plutarchum. Nã Homerus etiã cõuenire exiſtimauit, vt heroum animi ſeueris & decoris cantibus acuerentur, vt ſæpius reuocatis in memoriam præclaris virorum illuſtriũ rebus geſtis mox inſtructi & accenſi cum hoſtibus dimicarent. fuit enim cantorũ & poetarum antiquorum inſtitutum, vt ſe non ſolum moderatores animorum, ſed etiam morum magiſtros cum ſuauitate profiterentur. nam Græcæ ciuitates liberis ab initio prima adoleſcentiæ rudimenta poeticæ tradiderunt, non illi quidem nudæ, nec ſpoliatæ omnino voluptate, ſed caſtæ tamen, & moderatæ. Ex illa igitur muſici cantus & lyræ & tibiarum modos docentes ſe & ipſorum morũ magiſtros atque emendatores profitebantur, quæ à Pythagora, & à poſteris deinde Pythagoricis audiebantur. Homerus propterea cantores morũ correctores appellauit, cum ſcripſerit lib. 3. Odyſſ. cantorem cuſtodem & monitorẽ Clytemneſtræ relictum fuiſſe ab Agamemnone: qui mulierum laudes percurrens earum quæ maritis abſentib. temperanter & caſte vixerunt, deſideriũ quoddam honoris; & gloriæ & probitatis in eius animo impreſſit, poſtea dulcem faciẽs conſuetudinem à malis cogitationibus abhorrentem illius animum confirmauit, neq; prius illa potitus eſt Ægiſthus, quam cantorẽ obtruncauit. cantabãtur autem, ab antiquis vel philoſophicæ vel aſtronomicæ cantilenæ in conuiuiis, cuiuſmodi eſt apud Virgilium cantus Iopæ in conuiuio Didonis: vel illuſtrium virorum præclara facinora ibidẽ cantabantur, quibus poſteri ad illorum imitationem, ad virtutem inflammarentur: vt eſt illud Homeri in lib. θ. Odyſſ.

*αὐτὰρ ἐπεὶ πόσιος καὶ ἐδήτυος ἐξ ἔρον ἕντο,*
*Μοῦσ' ἄρ ἀοιδὸν ἀνῆκεν ἀειδέμεναι κλέα ἀνδρῶν.*
*Vt dapibus depulſa fames vinoq; refecti,*
*Muſa iubet canere hinc illuſtria facta virorum.*

Sic etiam, vt eſt lib. 9. Iliad. cum præcones Agamemnonis, ad tentorium Achillis aduentaſſent, illum cum cithara canentẽ illuſtrium virorum facinora inuenerunt, vt eſt in his:

*πολλὰ μάλ', εὐχομένω Γαιηόχῳ ἐννοσιγαίῳ,*
*ῥηϊδίως πεπιθεῖν μεγάλας φρένας Αἰακίδαο.*

*Μυρμιδόνων δ' ἐπὶ τε κλισίας καὶ νῆας ἱκέσθην.*
*τὸν δ' εὗρον φρένα τερπόμενον φόρμιγγι λιγείῃ.*
*καλῇ δαιδαλέῃ. ἐπὶ δ' ἀργύρεος ζυγὸς ἦεν.*
*τὴν ἄρετ' ἐξ ἐνάρων πόλιν Ἠετίωνος ὀλέσσας·*
*τῇ ὅγε θυμὸν ἔτερπεν, ἄειδε δ' ἄρα κλέα ἀνδρῶν.*
*Numina suppliciter Neptuni hi sancta precantur,*
*Mentibus Æacidæ magni suadere loquendo.*
*Myrmidonumq; adeunt iuxta tentoria naues:*
*Mulcentem cithara hunc mentem inuenere sonora,*
*Pulchra, ex argento, cui clara manubria: & illam*
*Ceperat è spoliis vrbs diruta vt Eetionis.*
*Hac animum mulcens cantabat facta virorum.*

Hæc erant illa ad virtutem & ad æmulationem incitantia, quæ in conuiuiis, in publicis conuentibus, & vel inter pocula ab antiquis cantoribus canebantur: res gloriosæ gestæ scilicet illustrium virorum, qui vel fœliciter cum hostibus dimicassent, vel fortiter in bello pro patria cecidissent. Canebantur aliquando cantilenæ ad mundi mirabilitatem pertinentes, & ad infinitam diuinæ mentis, summique opificis sapientiam, aut ad astrorum cognitionem: cuiusmodi sunt illa quæ canuntur apud Apollonium libro primo Argonauticorum:

*ἤειδεν δ' ὡς γαῖα καὶ οὐρανὸς ἠδὲ θάλασσα*
*τὸ πρὶν ἐπ' ἀλλήλοισι μιῇ συναρηρότα μορφῇ*
*νείκεος ἐξ ὀλοοῖο διέκριθεν ἀμφὶς ἕκαστα.*
*ἠδ' ὡς ἔμπεδον αἰὲν ἐν αἰθέρι τέκμαρ ἔχουσιν*
*ἄστρα σεληναίη τε, καὶ ἠελίοιο κέλευθοι*
*οὔρεά θ' ὡς ἀνέτειλε, καὶ ὡς ποταμοὶ κελάδοντες*
*αὐτῇσι Νύμφῃσι καὶ ἑρπετὰ πάντ' ἐγένοντο.*
*ἤειδεν δ' ὡς πρῶτον Ὀφίων Εὐρυνόμη τε*
*Ὠκεανὶς νιφόεντος ἔχον κράτος Οὐλύμποιο·*
*ὥς τε βίῃ καὶ χερσὶν, ὁ μὲν Κρόνῳ εἴκαθε τιμῆς,*
*ἡ δὲ Ῥέῃ· ἔπεσον δ' ἐνὶ κύμασιν Ὠκεανοῖο.*
*Namq; canebat uti primum cœlum, mare, terra,*
*Vna fuit facies, commistaq; forma vicissim:*
*Singulaq; vt fuerant mox tristi lite dirempta.*
*Vt stellis cœlum sedes firmissima, Luna*
*Quæ ambages, Soliq; via, flexusq; recurui.*
*Vt sunt cum Nymphis montes & flumina nata,*
*Serpentumq; genus varium, & genus acre ferarum.*

*Vt prius Eurynomeq́; & Ophion semine nata*
*Oceani imperium tenuere niualis Olympi.*
*Vtq; hic vi imperij Saturno cessit honorem,*
*Ilia Rhea, hinc latuere maris sub fluctibus altis.*

Tanta deniq; fuit antiquorum cantorum modestia & temperantia, vt neq; inter procos quidem Penelopes turpia aut lasciua canerentur: quamuis essent iuuenes ad omnem libidinem, omnemque intemperantiam maxime propensi: sed canebatur apud hos reditus Græcorum in patriam laboriosus sane ac perdifficilis; sicut patet ex his:

τοῖσι δ' ἀοιδὸς ἄειδε περικλυτός. οἱ δὲ σιωπῇ
εἵατ' ἀκούοντες· ὁ δ' Ἀχαιῶν νόστον ἄειδε
λυγρὸν, ὃν ἐκ Τροίας ἐπετείλατο Παλλὰς Ἀθήνη.

*Egregius cantor cantabat ibi, hique silentes*
*Audibant: reditum cantor cantabat Achiuum*
*Difficilem è Troia, quem Pallas præbuit illis.*

Harum igitur cantilenarum, & cantorum, & poetarum præsides Musæ putabantur, quarum dux creditus est Apollo. Has tanta suauitate dixerunt esse sapientes, vt optimum creditæ sint remedium aduersus omnes voluptatum illecebras, sicut ait Theocritus in Pastoribus:

οὔτ' ἔαρ ἐξαπίνας γλυκερώτερον, οὔτε μελίσσαις
ἄνθεα, ὅσσον ἐμὶν Μῶσαι φίλαι. οὓς γὰρ ὁρῶσαι
γαθεῦσαι, τὼς δ' οὔτι ποτῷ δηλήσατο Κίρκα.

*Non ita ver gratum est apibus, non lumina florum,*
*Vt mihi sunt Musæ, quos læta respiciunt hæ,*
*Lædere non possunt mox dira pocula Circes.*

Est autem Musarum vis prope admirabilis credita: quippe cum ob suauitatem orationis, rerumque & figmentorum mirabilem varietatem, multa pro veris falsa persuadeant: neque quidquam sit tam tenue & imbecillum quod poetarum peritorum artificium non mirifice extollat, cum præsertim ipsæ de seipsis dicant in Theogonia:

ἴδμεν ψεύδεα πολλὰ λέγειν ἐτύμοισιν ὁμοῖα.
ἴδμεν δ', εὖτ' ἐθέλωμεν, ἀληθέα μυθήσασθαι.

*Mentiri scimus permulta simillima veris:*
*Si libeat rursus, scimus quoq; vera profari.*

Fabulati sunt antiqui Musas grauiter ferentes, quod Venus amoris stimulos sibi iniunxisset, Adonim necasse eius amicum, cum aliæ aliorum mortalium desiderio captæ fuerũt:

vt Calliope OEagri, è quo peperit Orpheum & Cymothonem: Terpsichore è Stymone Rhesum suscepit, Clio Linũ è Magnete, atque aliæ ex aliis. Nam de laudibus venationis cantum periucundum canentes illum hiantem & imbibentem cantum detinuerunt, donec Mars Adonidis riualis in aprum verteretur, ipsumq; Adonim percuteret, vel (vt aliis magis placuit) in Adonim aprum excitaret, à quo fuit ictus. tum ex Adonitis sanguine nata est anemona rubra, cum prius esset alba. cum Venus passis capillis ac nudis pedibus eo accurreret, rosa rubuit ob Veneris sanguinem, quia spina eius pedem grauiter pupugisset. Fuerunt tamen nonnulli, qui Musas semper castas fuisse dixerint, vt testatur Plato in eo epigrammate, quod est apud Diog. Laert.

> ἁ Κύπρις Μούσαισι, Κοράσια, τὰν Ἀφροδίταν
> τιμᾶτ' ἢ τὸν Ἔρων ὔμμιν ἐφοπλίσομαι.
> χ' αἱ Μοῦσαι ποτὶ Κύπριν, Ἄρει τὰ στωμύλα ταῦτα.
> ἡμῖν δ' οὐ πέταται τοῦτο τὸ παιδάριον.
>
> *Ad Musas Venus hæc: Dabo Amori tela puellæ*
> *In vos, vel Venerem præcipio colite.*
> *Ad Venerem Musæ: Marti licet ista mineris.*
> *Ad nos non didicit iste volare puer.*

Fuerunt loca multa Musis consecrata, à quibus cognomina sortitæ sunt, vt Heliconiades ab Helicone monte, quem Otus & Ephialtes illis consecrarẽt, & à Pieria & Pimpla & Libethra, Pierides, Pimplides, Libethrides, & Parnasides & Pegasides; quæ loca illis consecrata fuerunt à Thracibus Bœotiæ accolis, vt ait Strabo lib. 10. quia Thraces priscæ musicę operam dederunt, poeticamq; harmoniam inuenerunt, quales fuerunt Ephorus, Orpheus, Thamyris, Musæus, & Eumolpus, qui quod scite caneret, nomẽ obtinuit. Fama est Acheloi filias cum Musis de cantu ausas fuisse aliquando contendere, quare prædictum suppliciũ passæ sunt. Fuerunt etiam cygni Musarum aues nominati ob cantum, vt testatur Callimachus in hymno in Delum hoc pacto:

> ὣς μὲν ἔφη· κύκνοι δὲ θεοῦ μέλποντες ἀοιδοὶ
> Μηόνιον Πακτωλὸν ἐκυκλώσαντο λιπόντες
> ἑβδομάκις περὶ Δῆλον, ἐπήεισαν δὲ λοχείῃ
> Μουσάων ὄρνιθες ἀοιδότατοι πετεηνῶν.
>
> *Hæc dixit: cygniq; Dei prædulce canentes*
> *Mæonium linquunt Pactolum, terq; quaterque*

Mox

*Mox circa Delum volitant, circaq́; puellam,*
*Musarum volucres, auibus mage turba canora.*

Fuerunt his coronæ etiam sacratæ è variis florib. ac frondibus, & è palmis præsertim, quib. coronabantur ac plumis.

§ Nec plura his fere de Musis tradita sunt ab antiquis, quæ nunc breuiter explicemus. Musas alij Mnemosynes & Iouis, alij Antiopæ & Iouis, alij Mēnonis & Thespiæ filias fuisse putarunt: quoniã Musæ scientia, & optimus affectus animi ad illam imbibendã creditus est, qui non nisi diuinitus in nos influit, cum omne bonũ datum sit de cœlo descēdens à patre luminũ: conseruatur tamen & augetur memoriæ bonitate & exercitatione: quare & Iouis Memoriæ filias Musas dixerunt. Quid enim est aliud Mnemosyne quã memoria? Antiope rursus exercitatio est vel potius æmulatio, cum quis pro viribus contendit ne ab alio superetur canendi peritia. Neque aliud est sane Memnon quã memoria, aut Thespia quam diuinatio, & diuina cognitio. Id apertius ēt declarant nomina illarum Musarum, quæ fuerunt ab Aloei filiabus cultæ: Melete scilicet exercitatio, Mneme memoria, Aœde cantus. Qui Musas Cœli filias dixerunt, & Ioue antiquiores, in idē prope recidunt, nisi quod hi Iouem non mythice sed historice intelligunt. Harum Musarũ nutricē fuisse Euphemen dixerunt, quoniã bonũ nomen & gloria, & laus atq; honor artes ac disciplinas alunt? neq; vllus stimulus est hominibus acutior ac potentior q̃ gloria, ad impellendum ad res honorificas. Qui Musas tres tantũ esse arbitrati sunt, crediderunt illas esse artes, per quas perueniretur ad sapientię cognitionē. Communior tamē fuit opinio ꝙ Musæ essent sphærarum animæ: Vrania sc. stelliferi cœli, & eius sphæræ, quæ vocatur aplanes: Polymnia Saturni, Terpsichore Iouis. Clio Martis, Melpomene Solis, Erato Veneris, Euterpe Mercurij, Thalia Lunæ: quæ sicuti magis recedunt à medio mundi, ita diuersos sonos efficiunt. Nam cum aliæ sphæræ tardiores sint, aliæ velociores, aliæ mediũ inter hos motus sortiantur, eidem credita fuit sonorum esse differentia; ita vt ex velocissimo & ordinato cœlorum motu, contactuque potentissimo & varia & ingēs efficeretur melodia, vt arbitrati sunt Pythagorici. Sunt igitur octo Musæ commemoratæ, totidem sphærarum toni, ex quibus redundat illa quæ nonæ addita est, Calliope: quasi

bonum concentũ dixerim. Hæ cum ſint propinquæ primo corpori quod mouetur, cui ſedes Dei proxima creditur; dictæ ſunt circa aram Iouis tripudiare, vt ait Heſiod. in his:

*καί τε περὶ κρήνην ἰοειδέα πόσσ' ἁπαλοῖσιν*
*ὀρχεῦνται, καὶ βωμὸν ἐρισθενέος Κρονίωνος.*
*Hæ teneris pedibus vitrei nam fontis ad oras*
*Vſq; choros ducunt Iouis omnipotentis ad aram.*

Cum vero varia ſint harum Muſarum ſtudia, variis quoque delectationibus capiuntur animæ mortalium, quæ ex illis ſphæris, vt ſenſerunt Pythagorici, deſcenderunt. Nam qui è Luna, cum magis Thaliæ naturæ ſint obnoxii, comica laſciuia & petulantia delectantur. Qui deſcenderunt è ſphæra Saturni, vel è Polymnia, cum ſicco ſint ac frigido temperamento, multa pollent rerum præteritarum memoria: nam ingenia & corporum natura cum natura planetarum plerumque conſentiunt, & idcirco alij alijs ſtudiis delectãtur. Pro planetarum aſpectibus exempli gratia, ſi Mercurius ſit forti bonoque aſpectu eloquentiã & elegantiã præbet, & ſuauitatẽ orationis, & ſcientiam atque ingenium præſertim in rebus mathematicis. Idem cum Ioue, theologos & philoſophos gignere putatur. Idem ſi coniunctus ſit cum fœlici Martis aſpectu medicos facit peritos & fortunatos, at cũ malo aſpectu vel imperitos vel infœlices vel etiam fures vt creditur, quod præcipue contingit vbi combuſtus dicitur à Sole. Cum Venere poetas gignit & Muſicos. Cum Luna mercatores cautos & diligentes negociatores. Cum Saturno tribuit ſcientiã ac peritiam vaticiniorũ. eſtq; non ſolum mutabilis cum natura illorum planetarum quibuſcum commiſcetur, ſed etiam adauget eorum vires. nam quanto potentiore aſpectu illos reſpexerit, tanto fœlicior eſt illorum virtutibus augendis: quippe cum creſcant, minuanturq; vires cæterorum planetarum huius malignitate vel beneficentia. Sed horum planetarum vires, ac varietatem ſtudiorum ita expreſſerunt illa carmina:

*Clio geſta canens tranſactis tempora reddit.*
*Melpomene tragico proclamat mœſta boatu.*
*Comica laſciuo gaudet ſermone Thalia.*
*Dulci loquis calamos Euterpe flatibus vrget.*
*Terpſichore affectus citharis mouet, imperat, auget.*
*Plectra gerens Erato ſaltat pede, carmine, vultu.*

Carmi-

*Carmina Calliope libris heroica mandat.*
*Vrania cæli motus scrutatur & astra.*
*Signat cuncta manu, loquitur Polymnia gestu.*
*Mentis Apollineæ vis has mouet vndiq; Musas:*
*In medio residens complectitur omnia Phœbus.*

Nam scriptum reliquit etiam Zez. hist. 90. chil. 6 nihil aliud esse Musas quam cognitionem & animi vim illam quæ intelligit: cum Helicon Musarum locus à vertendis foliis sit nominatus. Has igitur non harmoniæ solum musicæ vim habere arbitrati sunt antiqui, sed etiam componendorum morum, temperandorumque animorum ab immoderatis perturbationibus. Nam qui Musicæ & poeticæ facultatis studiosus sit, is fere libidinosus & inhumanus esse non solet: cum omnia vitia otium & inscientiam, at non disciplinarum studia, comitentur. Inde accidit vt musicam diuinam scientiam crediderit Pythagoras, vt ait Strabo lib 10. Geogr. Cum crederent igitur antiqui omnes res humanas à mente diuina, & à corporibus cœlestibus aliquo pacto gubernari, omnem cuiusque peritiæ præstantiam deorsum mitti tradiderunt à Sole, & à cæteris planetis: cum re ipsa sine ope diuina vis humana debilis & imbecilla sit ad omne opus perficiendum: quare Musæ sæpius ad ferendum opem vocantur à poetis. Illi qui Musarum filii dicti sunt, ea fuerunt ingeniorum scientiæque præstantia, vt diuinitus è cœlo demissi inter homines viderentur, cum nullum Veneris desiderium alioquin cadere possit in corpora cœlestia. At nunc de Dædalo dicamus.

## *De Dædalo.* CAP. XVI.

DÆdalus, quem ingeniosum & præstantem virum fuisse vel nomen ipsum significat, nulla alia de causa fuit tot fabularum figmentis implicatus, vt vix tandem ex illis euolare potuerit, nisi vt præclara exempla recte sapienterque viuendi hominibus relinqueret. Hunc Eupalami siue Euphemi filium fuisse & Alcippæ testatur Zez. hist. 19. primæ chil At Pherecydes Dędalum Erechthei viri Atheniensis, & Iphinoes filium fuisse scripsit, à quo etiam tribus Dædalidæ Athenis fuerunt vocatæ. nam Dædalus fuit è stirpe regia illorum qui dicti sunt Metionidæ At Pausanias illum fuisse Palamaonis filium scripsit in Bœoticis. Hic non magis ob artis pręstantiam, quam ob errores & casuum va-

rietatem celebritate nominis apud omnes gentes claruit. Dicitur solum vertisse, quia sororis suæ Perdices filium Atalum, vel Acasum, vt alii malunt, vel Telen discipulum, at non (vt quidam putarunt) filium Perdices, de tecto per inuidiam deiecerit: id enim cum commisisset, sciebat quibus legibus erat obnoxius quare metu pœnarum ad Minoem Cretæ Regem confugit, quem Endæus eius discipulus, patria Atheniensis, secutus est. ait tamen Pausi. in Atticis Calum nominatũ fuisse illum, ob cuius cædem Dædalus è patria profugerit. Est enim illud innatum præstantioribus ingeniis vt superiores, aut etiam pares, æquo animo perferre non possint cum omnes maxime nitantur excellere. Hunc fabulantur è Minerua architecturam & vniuersam artem ædificandi, lignaq; formandi edoctum fuisse, quia cum in Cretam penetrasset & ipsi Regi, & filiabus Regis, ob insignia opera q̃ fecit, mirifice gratus fuit. Hic labyrinthum ad formã illius Ægyptii labyrinthi extruxit, cum eius rationem tantum audiuisset. Deinde Pasiphaæ factus etiam familiaris, cum illa ingenti tauri desiderio teneretur, illudq; Dædalo aperuisset, (nam Venus ob Solis odium, qui suum adulterium patefecit, in omnẽ Solis prolem sæuiebat) Dædalus dicitur miro artificio ligneam vaccam excogitasse, in quam inclusa Pasiphae cum tauro rem habuit. At enim re postea cõperta capitalis fraudis damnatus cum filio è vinculis elapsus, Inycum, quæ vrbs erat Siciliæ ad Regem Cocalum amisso filio in itinere euasit. at eum cum Minos insequeretur naui, ad eã Siciliæ partẽ applicuit primum, vbi Minoam vrbem postea vocatam cõdidit, de qua ita meminit. Gregorius Gemistus in 1. lib. rerum Græcarum: κατέπλευσε μὲν τῆς Σικελίας ἐς Μινώαν πόλιν, ἣν ἔκτισε μὲν Μίνως ἐκεῖνος ὁ Κρητῶν βασιλεὺς, ὅτε ἐς Σικελίαν κατὰ Δαιδάλου ζήτησιν ἀφιγμένος, Κωκάλῳ τῷ Σικανῶν βασιλεῖ ἐπεξενώθη. *Nauigauit ad eam primum Siciliæ partem, vbi condita est Minoa quam Minos ædificauit ille Rex Cretensium, quando Dædalum quærens in Siciliam appulit, & vsus est perbenigno Regis Cocali hospitio.* Hic cum à Minoe repeteretur, neq; eum Cocalus dedisset, bellum inter Minoẽ & Siculos exarsit, vt ait Pausi. In Achaicis. Cum in Siciliam venisset, tanto fuit in honore apud omnes Siculos, vt nullius nomẽ omnino per id tempus neq; in Sicilia, neq; in Italia magis esset celebre. Cum

vero

vero fugeret è Creta, fabulati sunt antiqui Dædalum sibi, & Icaro filio alas è cera excogitasse, vt iis imperio Minois qui late terra mariq; imperabat, eo tempore euolarẽt. Sed cum Dædalus & Icaro & sibi alas humeris aptaret, multis verbis filium monuit ne vel sublimiora loca, vel mari nimis propinqua expeteret, sed mediam quandam regionis viam seruaret seq; volantem sequeretur. Verum Icarus, quæ sunt adolescentum ingenia, parum ea referre ratus, neglectisq; vtilibus, paternis, ac salubribus admonitionibus, captus suauitate volandi, altiora loca expetiuit. quare alis nimio Solis calore liquefactis, in mare præceps decidit, quod ab eo fuit Icarium nominatum, vt ait Ouid. lib. 3. de arte am.

*Icare clamabat pennas aspexit in vndis?*
*Ossa tegit tellus, æquora nomen habent.*

Andrætas tñ Tenedius in nauigatione Proponditis Icariũ mare non ab Icaro Dædali filio, sed ab vna Cycladum quę Macris & Icarus dicebatur, nominatum fuisse scripsit. Habuit Dædalus vxorem Gortynidis filiam, è qua suscepit liberos Scillidem, & Dipœnum, vt ait Paus. in Corinthiacis: è quadam Cretensi muliere præterea Iapygæm, è Naucrate serua Icarum Atq; à Iapyge filio Dædali Iapygia dicta fuit, vt ait Strab. lib. 6. Cum ante Dædali tẽpora sine manibus, vel pedibus, vel oculis statuæ effingerẽtur ab antiquis, primus omnium mortalium Dædalus deficientes partes suffecit: quare dictus est fecisse simulacra, q̃ mouerẽtur, quod non etiam pedibus carerent vt indicat Eurip. in Hecuba:

εἴμοι γένοιτο φθόγγος ἐν βραχίοσι,
καὶ χερσὶ καὶ κόμαισι, ποδῶν βάσει,
ἢ Δαιδάλου τέχναισιν, ἢ θεῶν τινος.
*Si sit mihi vox, brachiis si robora,*
*Si vel manibus comisve si ingressu pedum,*
*Vel Dædali arte, vel Deum cuiuspiam.*

Sic Plato comicus in Decipiente:

τὰ Δαιδάλεια πάντα κινεῖσθαι δοκεῖ,
βλέπειν τ' ἀγάλματ',
*Dicas moueri cuncta sane Dædala, &*
*Videre simulacra.*

Primus enim oculos formauit, & crura ac manus fecit, cum antiquiores oculos clausos, demissasq; manus, ac lateribus annexas confingeret. Alii dicunt primos Rhodios

statuas fecisse quæ (vt ait Aristarchus) vagarentur, atque q̃ prius essent rudes, Dionysum apud Chios ligatum fuisse inquit Polemo. Non tamẽ ad perfectã & absolutã artem sculpendarũ statuarum ventũ erat adhuc Dædali tẽpore, quippe cũ scribat Paus. in Corinthiacis Dædali opera rudia fuisse neq; aspectu decora, sed q̃ tamen diuinitatẽ quandã præ se ferrent. inter præclara Dædali opera sella cõspectilis numerata est, q̃ in delubro Mineruæ Poliadis apud Athenienses dicata: omnesq; ligneæ statuæ, Dædala dicebantur antiquitus. Erat & solennitas quædam, q̃ Dædalea vocabatur; q̃ hac de causa institutam fuisse fabulantur: Iuno aliquãdo Ioui irata dicitur in Eubœam peruenisse q̃ cum placare Iupiter conaretur, ad Cithæronẽ, qui Platęensib. imperabat, virũ consilio & calliditate sane pstantissimam peruenit. Tũ Iupiter eius monitu ligneum simulachrum fabricauit, q vestib. indutum super plaustro collocauit, famamq; in omnes dedit, q esset Platæã Asopi filiã ducturus. Id vbi sensisset Iuno, statim accurrit, manusq; imagini iniecit. tũ lacerata veste sensit se iucunde fuisse deceptã: quare facile cũ Ioue in gratiã rediit. Ad huius rei memoriã lignea imago quæ Dædala vocabatur, septimo quoq; anno plaustro imponebatur, & cũ põpa ad delubrũ Iunonis vehebatur, vt scripsit Phylarch. lib. 19. hist. Neq; tñ ex quibusuis lignis illa imago efficiebatur, sed hoc ritu eligebatur ad illã lignũ. Lucus fuit quidã in Bœotia non procul ab Alalcomenis omniũ maximus, & peruetustæ ibi quercus ibant in cũ lucum Platæenses, & elixarũ carniũ frustra exponebãt, quib. prętet cęteras aues maxime negociũ fuit cum coruis, quos omni conatu arcere, & à carnib. expellere nitebantur. Ex aliis vero volucribus obseruabant, q̃ carnem arripuerit, super qua arbore consederit: neq; licet ex alia materia Dædala cædere, nisi ex illa arbore q̃ prima ita fuerit indicata. Fertur Dędalus apud Selinuntios speluncam quandam tam miro artificio excogitasse, vnde vapor quidã subtilis, tantęque amœnitatis exhalaret, vt ex humanis corporib. sudorem cum quadã suauitate euocaret, vnde corpora ægrotãtia facilẽ sanitati restituebãtur. atq; præclari postea artifices statuarũ ex Attica Dædali officina, ac nobiles manarunt cõplures, inter quos non vltimum locum obtinuit Onatas Æginera Miconis filius, vt ait Pausanias in rebus Eliacis, & Ageladas Argiuus.

Damo-

Damophon Sicyonius, Arcesilaus Chius, Leochatis Sidonius, Alcmenes Cyprius, vt alios prętermittā. Nam quanta insigniū opificum multitudo iidē fere temporibus floruerit, & quæ singulorū opera memorabilia extiterint, visum est non fore superuacaneum atq; iniucundum, si quāta fieri poterit breuitate recēseamus: siquidē vna est ars pictura, q̄ non valde dissentit à liberalibus vocatis disciplinis. Quis enim audeat ipsam picturam omnium bonarū artium alūnam, & simiā (vt ita dixerim) naturæ, ab illis disciplinis seiungere: cum vna hæc sit ars, q̄ quasi tacita historia res gestas, & formas corporis, & colores multo diligentius imitetur, q̄ oratione exprimi possit, & ad posteros in manus tradat. Hæc ars omniū optimatum artiū altrici Græciæ familiaris ita plantas & animalia imitans superioribus temporib. naturā attigit, vbi cōsecuta fuit potētiorum studia, vt vel cū ipsa natura contēdere ausa sit, cū omnē naturę mirabilitatē in omnib. naturę operib. mirifice exprimeret. illud cum Græciæ esset cognitū, merito fuit in cōsuetudine positū vt prima adolescētū nobiliū rudimēta essent lineamēta corporum effingere, q̄ cognitio autore ac suasore Pāphilo vna cum moralib. artib. à teneris imbibebatur, seruis prorsus incognita & interdicta. Nam pfecto tam fuit mirabilis in quibusdā picturæ pstantia, vt nō modo lineamenta corporis & figuras & colores exprimeret, verumetiā quantū quisq; vixisset aut victurus esset appareret physiognomis, qđ assecutus est inprimis Apelles. & qđ magis mirū videbatur, cognoscebātur in pictura omnes animorū motus expressi ab eodē artifice, cum populum Atheniensem fecisset ea forma vt hæc in illo omnia cognoscerentur. Enimuero nisi cum Physiognomia cōsentiat pictura vel sculptura, non est magnopere vtilis existimanda. quare totum fere artificium in capite pcipue fingēdo consumitur, atq; qđ reliquum est magna ex parte in extremis membris. Tunc enim pfecta est cognitio figurarū, si appareat in eis physiognomia cum reb. gestis cōsentire. sin aūt, suæ sunt imagines ipsis artificib. ad custodiā officinarū relinquendę. Sunt aūt ista & insigniorū quorundā pictorū nomina & pstantiora illorū opera, q̄ memorabilia visa sunt antiquis scriptorib⁹.

Androbii nobilissimi pictoris opus fuit præter cætera nobile existimatum Danae portata à ventis per mare, quam

piratæ tanquam ſtupidi apparebant admirari. Deinde mirus Hercules in Oeta monte ſuper pyra impoſitus, qui cũ reliquiſſet quidquid haberet humanum, cum magna lætitia, vt apparebat, à Diis in cœlũ excipiebatur. & Scyllis anchoras Perſicæ claſſis præcidens, & Stratonice & Deianira.

Agacritus diſcipulus Phidiæ Mineruam fecit Ironiam, & Iouem non longe à Coronea ex ære.

Ageladas Argiuus Iouem fecit Imperatorem apud Meſſenios, cuius etiam opus fuit Hercules impuber apud Achæos, & Iupiter puerili facie ex ære. deinde quatuor equi ænei, qui in Delphos ab Argiuis pro concepto voto miſſi fuerunt & totidem Tarentinorum.

Alcamenes ſculptor fuit inſignis, qui Veneris ſimulacrũ fecit & Iunonis in via Phaleri, quæ deducebant Athenas, & Martis armati ſignum, & aliud mirabile Veneris in vrbis regione Noctis vocata: Bacchi item ſimulacrũ in templo ex ebore & auro, quod fuit iuxta theatrũ: & Hecates ſignũ Athenis è tribus corporibus ſimul iunctis, Epipyrgidiam vocatum: Æſculapii ſignum Mantineæ: apud Bœotos labores Herculis ad formas Coloſſorum è lapide Pentelico.

Alciſtere quoque fœmina pinxit ſaltatorem egregium æſtimatum, quando non mares ſolum, ſed etiam fœminæ in arte pingendi claruerunt: nam & Ariſtaretæ Nearchi filiæ ac diſcipulæ perpulcher memoratur fuiſſe Æſculapius, & Laia Cyzicena perpetua virgo ingenioſa fuit exprimendis penicillo mulieribus, cum multas pinxerit, ac ſeipſam quoque egregie è ſpeculo effinxerit.

Alcmenis opus Thebanis eſt Hercules & Minerua è lapide Pentelico ſpecie Coloſſi.

Amphion Gnoſius Aceſtoris filius fecit Cyrenæis Battum in curru ſedentem cum matre Cyrene auriga, ac Libyę nympha, quæ Batto coronam imponat.

Anaxagoras item Ægineta ſignum Iouis fecit in Olympia, & Herculem ex ære cum leone Nemæo colluctantem, eumque ſuffocantem arctiſſimo complexu.

Antermus, Miciades, Malas communi opera aliam Dianam fecerunt lapideam Laſiis, atque aliam Chiis, quæ pro optica raptione intuitus ſeuera ac prope irata apparet templum ingredientibus, at exeuntibus iam placata, & benigna, quorum & alia opera fuerunt è Pario lapide.

Anti-

Antiphanes Argiuus Castores fecit in Delphis, cuius etiam opus fuit equus æreus, & Lucina parturienti assistens.

Antiphilus autem pictor fuit non ignobilis, qui multa egregia opera fecit, sed omnium principatum tenuit puer in ignem curuatus inflans, quo igne paululum flatu excitato tota domus videbatur aliquantulum lumen accipere per noctem. pinxit & Satyrum cum pelle pantheræ.

Apelles quoque patria Cous, peritia & gloria artis pingendi nemine inferior, pinxit celeberrimam Venerem emergentem, cuius vultum tantum ac pectus expressit è Phrynes formosissimæ amicæ aspectu, quod ea talis videretur. Neptunaliorum Cerealiorumque tempore in omnium Græcorum conspectu ad mare vestibus & comis solutis. fecit & eximiam Dianam. & in Epheso Alexandrum pinxit cum Iouis fulmine, & eundem triumphantem, & Bellum cum illo manibus reuinctis à tergo: & Castorem, Pollucem, Victoriam. Pinxit & Clytum super equo properantem ad bellum, cui galeam puer porrigebat: & heroē nudum miri artificii ob expressas corporis partes, & equū in certamine, & Archelaum cum vxore & filia. Sed omniū eius operum præstantissimus creditus fuit Antigonus thoracatus super equo incedens. pinxit & Dianam ad Homeri carmina, & mensam celebrem miro artificio excogitauit. atque cum Antigonus esset altero lumine orbatus, prior excogitauit rationem occultādi vitii, vt quod deesset corpori, picturę deesse videretur: nam solam partem integram ostendit, aliam in vmbram conuersam occultauit. pinxit & quæ penicillo exprimi fere non possunt, fulgura & tonitrua; & Venerem Chois inchoauit tantum, sed opus mors illis inuidit. edidit volumina doctrinam picturæ continētia, qui cognitus fuit Protogeni vel è tenuitate lineæ in tabula. tantæ vero præstantiæ creditus est, vt soli liceret Alexandrum pingere, cum aliis esset vetitum.

Apollodorus patria Atheniensis, qui floruit tertia post nonagesimam Olympiade, pictor fuit clarissimus, cuius miri artificii creditus est Aiax Iouis fulmine percussus, ac tantæ pulcritudinis, vt nihil tale ars pingendi habuerit præstantius ante illa tempora, cuius etiam pulcherrimus fuit sacerdos adorans.

Arcesilaus pinxit Leosthenē in Piræeo apud Athenien-

ses, opus eximium creditum, & eius filios præter cætera, qui Leosthenes Macedonas duobus præliis vicit in Bœotia & Thermopylis.

Ardices patria Corinthius illud laudis iure sibi vendicat in arte pingendi, qꝫ primus fuit cũ Telephane Sicyonio, q̃ hanc artẽ exercuerit, qui lineis tantũ figuras adumbrabãt, nulloque vtebantur colore, sed ꝓ coloribus lineas interius spargebãt. inde effectũ est vt alii Corinthiũ, alii Sicyonium inuentũ esse cẽsuerint pingere aut lineamẽta inducere. Verũ cum hi artifices parũ naturam imitarentur vt adhuc rudes pingendo, necesse fuit nomina illorũ picturis adscribi, quos exprimere pingendo fuissent conati. Quis.n. nesciat nihil æque naturam imitari, q̃ colores si fuerint cum aptis conuenientibusq; lineamentis coniuncti? necesse est enim vt vtriq; ad exprimendã effigiẽ conspirent, sint autẽ alterũ horũ defecerit, inanis prope est omnis labor artificũ. quare plurimũ sibi deesse statuarii fateantur oportet, qui sola delineamenta ꝑ marmora vel metalla possunt imitari. plurimũ igitur se debere fateãtur oportet pictores Periphanto Corinthio, qui primus omniũ colorem excogitauit, qui testa trita colorare cœpit. alii tamen Philocli Ægyptio, alii Cleãthi Corinthio inuentionẽ lineamentorũ attribuerũt.

Ardalus egregia opera fecit duos. Vulcanos, alterum in Delphis, alterum in tẽplo Mineruæ Poliadis ex ære: quo tẽpore vna cum pictoribus insignis statuariorum, & metalla in figuras hominũ aut beluarum fundentiũ multitudo claruit. nã quamuis diuturniores sunt figuræ q̃ funduntur aut exciduntur, q̃ quæ pinguntur, neque tam facile patiuntur temporum iniurias, eandemq; rationem membrorum siue analogiam obtinere possunt, quam & pictura, tamen minus habent colores, quod maximum est naturæ ornamentum & indicium ad mores & ingenium cuiusque dignoscendum. fuerunt tamen quidam artifices qui pingendo, fundendo, & excidendo suum ingenium expresserint.

Argeus enim qui Iouem effinxerat ex ære, idem insignem Apollinem fecit ligneum, sicuti Attalus Atheniensis Herculem fecerat lapideum in Naxo, mox excidit Apollinem Lycium è ligno.

Aristides autẽ Thebanus tantæ præstantiæ fuit pictor, vt per colores non solum figuras exprimeret, sed etiam primus

mus animorũ motus imitatus sit, qui pinxit pugnã Alexandri Macedonis cũ Persis, opus sane celebre, & miræ pulchritudinis. Pinxit & Liberum patrẽ cum Ariadna, quæ tabula vendita est sex millib. sestertiorum. mirifice apparuit animi perturbatio fœminæ in ea tabula, in qua capto quodã oppido puer exprimebatur se voluntans ac repẽs ad mammas matris è vulnere morientis, quæ videbatur solicita de puero. pinxit & currentes quadrigas: & venatores cum præda; & senem cum lyra, qui apparebat puerũ docere, atq; ægre ferre tarditatem ingenij, & ægrum magnopere laudatum.

Aristocles Cydoniates discipulus & filius Cleœtæ pulcherrimũ Ganymedẽ fecit ex ære apud Eleos, qui ab aquila ad Iouem portaretur; & Herculẽ pugnantem pro baltheo.

Aristolaus Pausiæ filius memorabiles pinxit Periclẽ, Epaminondã, Medeã, Virtutẽ, populum Atheniẽsem, Theseũ.

Aristomedon statuas fecit æreas complures in Delphis, & Latonam præcipue præclaram gestãtem paruulum Phœbum, & quæ ducebat manu Dianam paruam.

Aristonomus Ægineta Iouem fecit apud Eloes altera manu auem, altera fulmen gestantem æreum cum corona capiti imposita è variis floribus.

Ascarus Ageladæ Sicyonij discipulus Iouem item fecit coronatum floribus apud Eleos ex ære, fulmenq; dextra tenentem tanquam eiaculaturum. Fecit etiam Pana cum Cupidine colluctantem.

Asclepiodori vnum tantum opus memoria dignum fuisse percepimus, tabulam nimirum duodecim Deorum.

Athenio Maronites egregius pictor Glaucionis Corinthij discipulus pinxit Atheniensibus mulieres sacra canephoria celebrãtes, hoc est, canistros variorũ florum plenos super capitib. ad templum Cereris gestantes, fecit item Achillem sub habitu muliebri occultatũ, & ab Vlysse deprehensum, fecit & mirificam tabulam Agasonis cum equo.

Athenodorus Lacedæmonius Apollinem & Iouem fecit è marmore in Delphis.

Bathycles Magnesius statuarius sellã fecit apud Spartanos Amyclei, & Minotaurũ æreum, qui viuens trahi vinctus à Theseo videretur. Sustinebant illã sellã à fronte duæ Gratiæ, & à tergo duæ Horæ, cuius in læua parte Typhõ & hydra inerant, in dextra Tritones. Iupiter Taygeten, Neptu-

nus Alcyonen portabant inerat & Herculis pugna cum Cygno. & Centaurorũ apud Pholum, & Persei facinus in Medusam, & Herculis cum Thurio Gigante certamẽ, ac Tyndari cũ Euryto. Leucippi filiarum raptus. Mercuri⁹ Liberum patrẽ nuper natũ in cœlum portabat. Peleus Achillem Chironi alẽdum erudiẽdumq; tradebat. Cephalus ob formã rapiebatur ab Aurora. Achilles pugnabat cũ Memnone, Hercules Diomedem obtruncabat, & Hydram, & canem Plutonis rapiebat, Geryonis boues abigebat, Actoris filios in superiore margine trucidabat, leonẽ strangulabat, & mox pugnabat Oreo Centauro, & cũ Acheloo luctabatur, Nessum ad Euenum amnẽ interficiebat. Harmonię celebrabãtur nuptiæ Deorum donis. Mercurius tres Deas deducebat ad iudiciũ. Iuno Io in vacca versam intuebatur, Mineruaq; Vulcanum fugiebat. Bellorophontes Lyciæ mõstrum conficiebat. Calais & Zetes harpyias à Phineo arcebant. Theseus & Pirithous Helenam rapiebant. Apollo & Diana sagittis Tityum conficiebant. Admetus aprum & leonem ad currum iungebat: cum multa inessent præterea. cui operi Gratiæ & Dianæ Leucophrynes signum est additum.

Boethus Carthaginẽsis eximium Pusionem fecit nudum inauratum apud Eleos, qui erat ad pedes Veneris è marmore, cum Venus esset opus Cleonis Sicyonij. Nam permulti fuerunt artifices, q ob vnum tantum opus egregium fuerũt celebrati: vt Timotheus cum Æsculapij signũ fecisset apud Trœzenios: Theopõpus Ægineta, qui taurum fecit ex ære in Delphis: Theocles Lacedæmonius, qui quinq; Hespericas apud Eleos excidit: Polycles, qui fecit æreum Hermaphroditum: Nicodamus Mænalius, q apud Eleos fudit Mineruam ægide & galea munita: Mendæus, Pęonius, qui Victoriam fecit æream apud Eleos super pila: Hermion Trœzenius, qui excidit Apollinẽ Pythium apud Samios: Hypatodorus, qui Mineruam in vrbe Aliphera: Iphicles, qui leænam ex ære elinguem ob Aristogitonem: Leocharis ob Ionẽ Polieum æreum in arce Athenis: Callo Ægineta ob puerum Mamertinũ æreum apud Eleos pulcherrimum, & Mineruã ligneam in arce Trœzeniorum: Calyphõ Samius ob æream Discordiam in templo Dianæ Ephesinæ: Eleutheri⁹ ob Bacchum è Pario lapide apud Atheniẽses in templo Liberi patris iuxta theatrum: Euchir Atheniensis ob Mercurium

rium marmoreum apud Pheneatas; Eudæus Dædali discipulus ob Mineruam marmoream sedentem in arce Athenarum: Doryclides Lacedæmonius Dipœni discipulus ob Themidem marmoream apud Eleos: Epheus ob Venerem ligneam in æde Apollinis Lycij: Endius ob Mineruam Aleleam, quam fecit ex ebore.

Bryaxis celebratus fuit ob Apollinem æreum & Iunonē apud Pheneatas, qui fecit Æsculapij quoq; & Hygiæ signa apud Athenienses, in Iouis Puluerei cognomento delubro, quod fuit sine recto.

Bularchus is qui floruit Olympiade decima sexta, pinxit magno artificio Magnetum prælium, quæ tabula tanti Precij habita est, vt pari pondere auri sit repensa.

Buthieus & Myronis discipulus puerum in ignem inflātem fudit. & Agonautas, & aquilam gestantē Ganymedem, quem Iouis iussu rapuerat, erat ita concinne facta vt eum vnguibus non læderet. deinde Apollinem cum diademate.

Calamidis Agrigentini insignia opera fuerūt apud Eleos pueri ærei dexteras tendentes, & signū Victoriæ inuolucre ac sine alis Athenis: Æsculapius imberbis apud Corinthios ex auro & ebore, qui dextera fructū pineū tenebat, ac læua sceptrum. fecit Athenis & æream leænam propter Pisistrati casum, & Thebis signū Ammonis: apud Tanagræos Mercurium æreum arietem humero gestantem, & Apollinem Alexicacum Atheniensibus, & Veneris signum æneum.

Callimachus cacizotechnus æreā quandam lucernā fecit q̄ per annum arderet, neq; tamen in ea oleum consumebatur, q̄ deposuit Athenis in arce Mineruæ: ac primus lapides terebrauit, fecit & Iunonem desponsatam apud Platæēses,

Calyphon Samius in templo Dianæ Ephesiæ pugnam pinxit Troianorum ad Græcorum naues. & inprimis Discordiam vultu horrendo.

Canachus Sicyonius Apollinem fecit Philesium, & ceruam mirabili artificio. Apollinem item Didymæum Milesiis, & Ismenium Thebanis, & Venerem ex auro atque ebore Corinthiis. cuius tamen opera fuerunt rigidiora, quam vt vera imitarentur.

Cephisodorus ille qui floruit nonagesima Olympiade Pacem fecit æream Atheniensibus, quæ Plutum in sinu gestaret & aram Iouis, & Mineruam in portu Athenarum.

Cephisodotus & Xenophon fecerunt Arcadibus Dianæ Sospitæ simulacrum è lapide Pentelico.

Chalcosthenes Atheniensis mirabilis & ipse opifex fuit existimatus, quamuis fictilia tãtum effingeret hoc est, imagines & statuas è Creta, cuius etiam causâ ob multam huiusmodi fictilium statuarum copiam locus Ceramicus nominatus fuit Athenis.

Chares Lyndius colossum fecit Solis apud Rhodios septuaginta vlnarum miræ pulchritudinis.

Chionis opus fuit eximium in Delphis Minerua & Diana marmoreæ.

Chirisophus Cretensis fecit è marmore Pario apud Tegeatas simulachrum Apollinis auratum.

Chrysippus Soiensis præterea & Zeno Mnasei filius, dicuntur fuisse omnium pictorum suæ ætatis pingendis animalibus præstantissimi, quorum alter Herculem fecit leonem Nemeæum suffocantem, alter expressit aprum Calydonium mirifice penicillo, & Hesionem ceto expositam mœstam, & aues Stymphalidas.

Cimon Cleoneus, qui in corticibus pingere consueuit, prior optime membra distinxit, venasque in corporibus expressit, & sinus in vestibus ac rugas retulit. inuenit & catagrapha vocata despicientes, suspicientes, scilicet, ac respicientes pernicillo exprimere.

Cleon Sicyonius statuam fecit æream Dinolochi pueri, qui pueros omnes vicerat in Olympicis certaminibus, quod opus fuit pulcherrimum iudicatum.

Critias Epicharmum aheneum fecit opus insigne, se in cursu armatorum exercentem.

Ctesicles quoq; statuarius tantæ pulchritudinis, tantiq; artificij muliebrẽ statuam è Pario lapide fecit in Samo, vt eius amore incredibili captus sit Clisophus Selymbrianus, cum qua vbi propter frigus ac duritiem congredi non posset, eo vsque cupiditatis accessit, vt carunculam quandam prætenderit. atque omnino concubuerit, vt ait Adæus Mitylenæus in libro de statuariis.

Cyclopes etiam non ignobile statuarij fuerunt, quippe quorum opus fuit leones marmorei Mycenarum portę insidentes, & marmoreum caput Medusæ iuxta Cephisum amnem.

Dædali

Dædali item multa opera fuerunt nobilia, inter quæ sella lecticaria compactilis in Arce Athenarum, & Hercules Thebis apud Bœotos apud Lebadenses: Trophonius & in Creta: lignea Mineruæ apud Gnosios: Olunte Britomartis: Venus lignea apud Delios: apud Corinthios signũ ligneum Herculis nudi; rude illud quidem, sed tamen, vt aiunt, quod diuinum quiddam præ se ferret, apud Samios finxit ligneã Iunonem. erant autem hæc ligna, è quibus Solis fere simulacra conficiebantur antiquitus, cedrus, lotus, quercus, cyparissus, hedera, cilicia, ebenus.

Dædalus Sicyonius cuius fuit, & discipulus Patrocles, trophæum Eleis in Alte erectum laborauit, quod partum fuit deuictis prælio Laconibus, qui etiam signa Pancratiastarum fecit, vt plerique artifices, quæ à nobis silentio inuoluuntur, cum res non sint visæ valde memoria dignæ.

Dameas Trœzenius Dianam, Neptunum, ac Lysandrum fecit in Delphis.

Damophon Messenius insignia opera fecit è marmore Pentelico, Lucinam facem præ se ferentem, & signum Hygiæ & Æsculapii apud Achæos: apud Arcades Mercurium & Venerem ligneam, sed Veneris imi pedes, & os, & manus fuerunt è lapide: & Cererem dextra gerentẽ facem, quæ sinistra cistam admoueret Heræ: Hera cistam & sceptrum genibus sustinebat, quæ omnia facta fuerant ex vno lapide apud Acacesios. Fecit idem matrem Deorum è lapide Pario, & Ionem Olympium ex ebore, & apud Messenios Dianam Laphriam, & eandem Luciferam, ac Fortunam marmoream.

Demetrius statuarius Mineruam vocatam Musicam fecit ex ære, cuius in scuto dracones ita erant formati, vt vbi percuterentur, sonum citharæ persimilem emitterent.

Dinomenis opus fuit Io, & Callisto ænea in arce Athenarum, & Callisto Lycaonis filia.

Dionysius Argiuus egregius statuarius apud Eleos Orpheum fecit, & Liberum patrem, & multos ex Herculis laboribus, & equum eximium cum auriga assistente.

Dipœnus & Scillis Cretenses Dædali discipuli fecerunt marmoreum Mineruæ signum eximium in vrbe Cleone, & Castorem ac Pollucem aqua Argiuos ex ebeno cum equis, & Anaxim, Mnasium, Ilairam, Phœben, hi primi fuerunt,

qui apud Sicyonios exciderunt è marmore, qui cum marmora quædam in Deos decidere cepissent, ac postea inceptum opus deseruissent, fames & annonæ penuria Sicyoniorum regionem inuasit, tum reuocati ex oraculi respõso finiuerunt Apollinẽ, Dianam, Herculem, Mineruã, Ianum, atque hi primi mortalium in cædẽdo marmore claruerunt.

Dyllus & Amylus item communi opera fecerunt ex ære Iouis & Æginæ simulacra egregia apud Delphos.

Echon quoq; ille egregius pictor, qui floruit Olympiade septima post centesimam, miro artificio pinxit Liberum patrem, & tragœdiam atque comœdia, & anum quę Semirami ex ancilla factæ reginæ lampada præferret. nouæ nuptæ nobilis adesse verecundia apparebat.

Eleuthereus Bacchi signũ fecit Athenis ex ebore & auro.

Emilius Ægineta Horas incidit apud Eleos sedentes in soliis, ad quarum pedes erant canistri variis floribus ac fructibus referti.

Endæus Dædali discipulus sedentem fecit Mineruam è marmore Pario.

Endius Mineruam fecit Arcadibus ex ebore Aleam vocatam opus nobile.

Eubulides fecit Apollinẽ in Ceramico apud Atheniẽses.

Eumanus patria Atheniensis prior omnium eorum qui fuerunt ante suam ætatem, conatus est figuras colorib. exprimere, cũ floruit ante Cimonis Cleonei tempora. Sed vt sunt omnia primum nascentia rudia & plane impolita, facile fuit illis qui secuti sunt, eum superare. hic Dianam pinxit nuper natam matri obstetricem, & eandem cum Apolline in vltionem matris Pythonem sagittis occidentem.

Euclides statuarius eiusdem patriæ, Cererem & Venerem fecit, & Liberum patrem, & Lucinam è lapide Pentelico apud Achæos, & Iouem sedentem apud Æginetas.

Euphranor autem Isthmius pictor fuit illis temporibus quibus pictura iam plurimum ornamentorum acceperat, atque ad summum peruenerat, cuius opera fuerunt duodecim Dij, & Theseus, qui apparebat æquabilem administrationem ciuitatis præsentibus Atheniensib. concessisse. Præ se ferebat eadem pictura, quę erat in porticu nauatam operam Lacedæmoniis ab Atheniensibus ad Mantineã, quod erat equestre prælium in quo Grylli Atheniensis virtus enituit,

enituit,& in Bœotio equitatu Thebanus Epaminūdas pręstabat, nam equites equitibus,& equi equis imminere adparebant. fuit eiusdem Euphranoris, & tabula Ephesij, in qua Vlysses boue & equo iunctis seminare sal videbatur. fecit & Paridem, qui in eodem opere cognoscebatur iudex Dearum, & Helenæ amator, & qui Athillem occidisset. fecit & bonam Fortunam altera manu poculum, altera papauera & aristas gestantem: & Latonam nuper genitam,& alteram, quæ Apollinem ac Dianam sedentes super brachio gestaret. fecit & Virtutem & formam colossi mulieremque quandam ministrantem sacrificio.

Euthycrates Lysippi filius Herculem fecit in Delphis & Alexandrum Macedonem venatorem ex ære.

Gitiades Lacon tripodes quosdā fecit Dianæ, & æneam Mineruā apud Lacedæmonios & multos Herculis labores, & Castores, & Vulcanū matrē è vinculis eximentē, & Amphitriten,ac Neptunū cæteris suis operib. forma pręstātes.

Hermon excidit è ligno apud Trœzenios Castorum simulacra multa elegantia membrorum.

Hermogenes Cytherius fecit Apollinem Clariū æreum, & Venerem apud Corinthios. fecit & Neptunum æreum cum delphino sub pedibus aquam profundentem, vt ait Alcimus in libro de statuariis.

Hygion Atheniensis,vel,vt ait Adæus in libro de statuariis, Crotoniates, primus omnium mortalium marē à fœmina pingendo distinxit, cum ante illum figuræ ita pingerentur imperfectæ,vt neq; à marib. fœminæ dignoscerētur, neque vllam haberent aut oris aut mēbrorum elegantiam.

Hypatodorus Mineruam fecit apud Arcades è marmore cum ob magnitudinem, tum ob opificum spectatu dignā,

Irene fœmina Cratini pictoris filia egregiam pinxit in Eleusine vrbe puellam, & Calypso iam vetulam,& Theodorum eximium præstigiatorem suæ ætatis.

Lapharis patria Phliasius fecit Herculem apud Sicyonios, Apollinem apud Achæos, Herculem item apud Corinthios ligneum in æde ipsius Herculis.

Learchus Rheginus Dipœni & Scilidis discipulus, vel (vt alij maluerunt) Dædali, fecit signum Iouis Chalciœci ligneum eximium apud Lacedæmonios.

Leochares fecit Eurydicen & Olympiadem ex auro & ebore,& Apollinem cognomento Patroum.

qui apud Sicyonios exciderunt è marmore, qui cum marmora quædam in Deos decidere cepissent, ac postea inceptum opus deseruissent, fames & annonæ penuria Sicyoniorum regionem inuasit, tum reuocati ex oraculi respõso finiuerunt Apollinẽ, Dianam, Herculem, Mineruã, Ianum. atque hi primi mortalium in cædẽdo marmore claruerunt.

Dyllus & Amylus item communi opera fecerunt ex ære Iouis & Æginæ simulacra egregia apud Delphos.

Echon quoq; ille egregius pictor, qui floruit Olympiade septima post centesimam, miro artificio pinxit Liberum patrem, & tragœdiam atque comœdia, & anum quę Semirami ex ancilla factæ reginæ lampada præferret. nouæ nuptæ nobilis adesse verecundia apparebat.

Eleuthereus Bacchi signũ fecit Athenis ex ebore & auro.

Emilius Ægineta Horas incidit apud Eleos sedentes in soliis, ad quarum pedes erant canistri variis floribus ac fructibus referti.

Endæus Dædali discipulus sedentem fecit Mineruam è marmore Pario.

Endius Mineruam fecit Arcadibus ex ebore Alcam vocatam opus nobile.

Eubulides fecit Apollinẽ in Ceramico apud Atheniẽses.

Eumanus patria Atheniensis prior omnium eorum qui fuerunt ante suam ætatem, conatus est figuras colorib. exprimere, cũ floruit ante Cimonis Cleonei tempora. Sed vt sunt omnia primum nascentia rudia & plane impolita, facile fuit illis qui secuti sunt, eum superare. hic Dianam pinxit nuper natam matri obstetricem, & eandem cum Apolline in vltionem matris Pythonem sagittis occidentem.

Euclides statuarius eiusdem patriæ, Cererem & Venerem fecit, & Liberum patrem, & Lucinam è lapide Pentelico apud Achæos, & Iouem sedentem apud Æginetas.

Euphranor autem Isthmius pictor fuit illis temporibus quibus pictura iam plurimum ornamentorum acceperat, atque ad summum peruenerat, cuius opera fuerunt duodecim Dij, & Theseus, qui apparebat æquabilem administrationem ciuitatis præsentibus Atheniensib. concessisse. Præ se ferebat eadem pictura, quę erat in porticu nauatam operam Lacedæmoniis ab Atheniensibus ad Mantineã, quod erat equestre prælium in quo Crylli Atheniensis virtus enituit.

enituit, & in Bœotio equitatu Thebanus Epaminūdas prę-stabat, nam equites equitibus, & equi equis imminere adparebant. fuit eiusdem Euphranoris, & tabula Ephesij, in qua Vlysses boue & equo iunctis seminare sal videbatur. fecit & Paridem, qui in eodem opere cognoscebatur iudex Dearum, & Helenæ amator, & qui Achillem occidisset. fecit & bonam Fortunam altera manu poculum, altera papauera & aristas gestantem: & Latonam nuper genitam, & alteram, quæ Apollinem ac Dianam sedentes super brachio gestaret. fecit & Virtutem & formam colossi mulieremque quandam ministrantem sacrificio.

Euthycrates Lysippi filius Herculem fecit in Delphis & Alexandrum Macedonem venatorem ex ære.

Gitiades Lacon tripodes quosdā fecit Dianæ, & æneam Mineruā apud Lacedæmonios & multos Herculis labores, & Castores, & Vulcanū matrē è vinculis eximentē, & Amphitriten, ac Neptunū cæteris suis operib. forma pręstātes.

Hermon excidit è ligno apud Trœzenios Castorum simulacra multa elegantia membrorum.

Hermogenes Cytherius fecit Apollinem Clariū æreum, & Venerem apud Corinthios. fecit & Neptunum æreum cum delphino sub pedibus aquam profundentem, vt ait Alcimus in libro de statuariis.

Hygion Atheniensis, vel, vt ait Adæus in libro de statuariis, Crotoniates, primus omnium mortalium marē à fœmina pingendo distinxit, cum ante illum figuræ ita pingerentur imperfectæ, vt neq; à marib. fœminæ dignoscerētur, neque vllam haberent aut oris aut mēbrorum elegantiam.

Hypatodorus Mineruam fecit apud Arcades è marmore cum ob magnitudinem, tum ob opificum spectatu dignā,

Irene fœmina Cratini pictoris filia egregiam pinxit in Eleusine vrbe puellam, & Calypso iam vetulam, & Theodorum eximium præstigiatorem suæ ætatis.

Lapharis patria Phliasius fecit Herculem apud Sicyonios, Apollinem apud Achæos, Herculem item apud Corinthios ligneum in æde ipsius Herculis.

Learchus Rheginus Dipœni & Scilidis discipulus, vel (vt alij maluerunt) Dædali, fecit signum Iouis Chalciœci ligneum eximium apud Lacedæmonios.

Leochares fecit Eurydicen & Olympiadem ex auro & ebore, & Apollinem cognomento Patroum.

Leocharis autem pictor fuit non ignobilis, qui opus fecit eximium Iouem in Piræo in vltima porticu.

Locrus Parius Mineruam finxit miræ pulchritudinis apud Athenienses, & Demosthenem exilio Calauream secũdo eiectum morientem hausto veneno, & Pindarum, quia Athenienses carmine laudauisset

Lycius Myronis filius pinxit in Alte apud Eleos cũ Græcis barbaros in certamen congressuros, Agamemnonem cum Paride, Æneam cum Diomede, Deiphobum cum Aiace Telamonio.

Lysonis opus fuit apud eosdem populos prope diuinum creditum.

Lysippus Eleus Cupidinem fecit æneum Thespiensibus, & Pyrrhi simulacrum.

Lysippus Sicyonius permulta præclara opera fecit, sed inter hæc Musas apud Athenienses, & Iouem æneum in æde Veneris, & Herculem apud Corinthios, ac Iouem apud Argiuos multa laude digna, & Socratis æream statuam Athenis, quæ publico decreto erecta fuit in celebertimo vrbis loco, vbi Athenienses pœnitentia facti accusatores ipsos Socratis mactauissent, vt ait Diog. Laertius in eius vita.

Lysistratus & ipse Sicyonius huiusce Lysippi frater non est silentio prætermittendus, quoniam primus omnium mortalium fuit, qui hominum figuras è gypso effinxerit, quod inuentum maxime fuit accommodatum ad vniuersum fundendi artificium, cum inde ars fusoria plurimum facilitatis acceperit.

Medon Lacedæmonius Mineruam fecit armatam scuto, & hasta, & casside marmoream.

Menochares Pausiæ discipulus pinxit Æsculapium, & eius filiam Hygiam, & Æglen, & Pana, & Ocnum funem tenentem, quam asinus vorabat.

Menodorus statuarius Cupidinem fecit eximium Thespiis, & Callisto Athenis in arce.

Miconis Atheniensis pictoris opus fuit eximium Lapitharum & Centaurorum pugna apud Athenienses in templo, Thesei atque illos qui in Colchidem nauigarunt. in templo Castoris & in porticu Pœcile vocata, acies Atheniensium nimirum Theseo Duce cum Amazonibus congressuræ illius sunt opus, & Græci excidentes Ilium, & re-

ges

ges ob nefarium Aiacis cum Cassandra facinus congregati, & captiuarum mulierum agmen, & Cassandra, & qui aduersus Persas in Marathone pugnarunt. spectabatur par in vtraque acie pugnante alacritas, ac barbari fugientes apparebant temere se in paludem trudentes ob metum. erant & Phœnissæ naues & barbarorum facta cædes à Græcis, & Theseus à littore soluens, & Minerua ac Hercules.

Myronis Atheniensis fuit puer æreus in arce & facinus Persei in Medusam, & spectatissimũ opus in Helicone Liber pater erecto statu, præter Erechtheũ, qui fuit Athenis. fecit hic idẽ ligneum Orpheum apud Æginetas, & marmoreum Cupidinem, qui ex altera parte videbatur Hercules ex ære egregie fabrefactus: & æreũ discobulum. Neque debet hoc mirum videri ꝙ idem artifex in varia materia suũ ingenium exercuerit, quoniã multi fuerũt ex antiquis, qui non minus pingendo, q̃ fundendo & incidendo excelluerunt: cum præsertim harum artium omnium vna sit origo, vna ratio, vnus finis. fecit æreã vaccam apud Æginetas, quę præcipuã laudẽ artificii meruit, & Arcesilai atq; Lichæ statuas. & Aristæum Liberi patris filiũ. & Iouem imperatorem spectatissimum, & Apollinẽ eximiæ pulchritudinis ex ære.

Musus Iouem æneum fecit apud Eleos in templo Iouis popularis, seu Lacetæ, quod fuit Corinthiorum donarium.

Mys non solum in argento cœlando, sed etiam in cędendis ligneis imaginibus peritissimus, cum summa omnium spectantium laude pugnam in arce sculpsit in clypeo Mineruæ Centaurorum & Lapitharum, quam Mineruam Phidias fecerat ex ære.

Naucydis Argiui opus fuit Hebes simulacrũ in æde Iunonis in agro Mycenæo, & apud Argiuos Hecate ex ære.

Nicagora Sicyonia sculptrix Herculem fecit apud Corinthios in draconem versum, qui ex Epidauro delatus fuit Corinthum multis bigis ob eximium pondus.

Niceratus effinxit Æsculapiũ & eius filiã Hygiã ex ære.

Nicearchus non ignobilis pictor multa præclara fecit, inter quæ principatum obtinuit Pan cum Cupidine colluctans, qui pares prope apparebant: & Cupido item ac Venus inter Gratias. erat & Hercules ita mœstus, vt videretur pertæsus infamiæ.

Nicias Atheniensis Nicomedis filius, qui floruit Olym-

piade duodecima post centesimam, ita inuenit coloribus clarum & obscurum ac lucidum referre, vt eius picturæ nõ pictæ, sed consistere per se apparerent? tanta fuit in iis exprimendis præstantia artificii. Narratur eius Bacchus mirabili fuisse artificio factus & Io, & Andromeda, & Calypso eius fuerunt spectatu digna, pinxit inferos Athenis ex Homeri carminibus, quod opus mirum creditum Necyem vocarũt: expressit postmodo penicillo Hyacinthi pulchritudinem, & tauri Marathonii ferocitatem in porticu Stoa vocata. omnium vero pictorum maxime mirabilis fuit exprimendis animalibus, sed canibus inprimis.

Nicodemus apud Eleos fecit Herculem puerili ætate, opus mirabilie creditum.

Nicomachus Aristodemi filius multa & ipse fecit præclara, inter quæ vt eximia commemorantur, mater Deorum in throno sedens multa cum maiestate, circa quam florum fructumque mirabilitas quædam pullulabat. Dii in eadem pictura astabant plerique eius voluntati obtemperaturi, vt videbantur. Proserpina item rapta è Plutone, quæ apparebat sub terram ingredi: Scylla marinum monstrum: Apollo & D ana, ac Rhea super dorso leonis sedens.

Olympiosthenes tres Musas incidit in Helicone, sicut Cephisodorus.

Omphalion pictor, Niciæ Nicomedis filii discipulus, Æsculapium fecit mirabilem apud Messenios, & Tritonem super delphini dorso per mare equitantem, & Podalirium & Machaonem, & Hygiam Æsculapii filiam virginem formosam, incredibilis artificii creditam, quæ quandam præ se ferret in vultu lætitiam.

Onatas Ægineta Miconis filius signum Iouis incidit apud Eleos, & Herculem, quem dicarunt Thasii, ex Attica Dædali officina inter nobiles artifices nulli secundus. eiusdem opus fuit Mercurius arietem sub alis portans, galeatus, chlamydeque indutus. hic vbi Cererem fecisset Phigalensibus. quantum præmii poposcit, tantum reportauit, hoc est decem magna talenta, vt ait Aristodemus Abderites in lib. 2. de statuariis. Floruit eadem ætate, qua Hegias & Agelades clarissimi statuarum artifices.

Pamphilus Macedo Apellis & Melãthii magister, arithmeticus & geometra non ignobilis, qui negabat artẽ pingendi

gendi aut sculpendi aut cęteras huiusmodi sine mathematicis posse scite tractari: fecit Victoriam Phliunte Atheniēsium, Vlyssemque penicillo eximie expressit.

Panæus Phidiæ frater miro artificio pinxit pugnam Marathoniam aduersus Persas Athenis in porticu Pœcile vocata, quo vno opere nobilitatus fuisset, vel si nihil aliud fecisset. tanta erat eius pictarum formarum venustas, vt non pictæ figuræ, sed viui homines pugnare viderentur, cum quisque posset pugnantes dignoscere. Idem Delphis templum nobilissimum Apollinis pinxit sine præmio, quare ab Amphictyonibus fuit multis honoribus insignitus, & senatuscons. factum vt publicus sumptus fieret in eius victū vbicunq; moraretur in agro suo. hic primus fuit qui os aperire & dentes ostendere picturas coegit, vultumq; figuratum à prisca ruditate ad iucūdiorem aspectum perduxit.

Parrhasius Euenoris filius, patria Ephesius, prior fuisse dicitur qui proportiones inuenerit in figuris, addiditq; capillis venustatem, & faciei non prius visam elegantiam. est enim omnium maxime necessarium, vt rationes in vniuersa picturæ, sculpturę, aliarumq; consimilium artium facultate seruentur, neq; solum propter venustatem, quæ visui iucundas figuras facit, sed etiam quia sic ad vnguem pro viribus naturā imitari conuenit, quæ semper in optime cōstitutis animalibus certam rationem membrorum seruare consueuit. Præclare igitur dicere solebat Pamphilus, geometriam & arithmeticam disciplinas esse picturæ pernecessarias, quoniam omnis proportio diligentior numeris, deinde in aliis magnitudinibus consideratur. eius rei præclarū est indicium, quod si quis caput à capillis ad mentū, vel digitum, vel manum, vel pedem corporis permensus fuerit, poterit magnitudinem totius corporis, & singulorū membrorum reperire. Huius Parrhasii eximia opera fuerunt Meleager Rhodiis, & Hercules ac Perseus cū Plutonis galea & talaribus Mercurii volās: quæ præterea figuræ loricis armatorum, quarum altera currens in bello sudare, altera iam defessa positis armis anhelare videbatur. Fuerūt eiusdem duæ tabulæ eximiæ, in quarū altera Achilles erat pictus & Agamēnon & Vlysses; in altera Castor & Pollux & Æneas. pinxit hic ī arce Athenarū in tēplo Mineruæ pugnā Centaurorū eximie, & post hanc celebres illas vuas, quib.

decipiebantur volucres, quamuis velamenti artifici victoriam concessit. pinxit & nutricem Cressam cum infante in manibus: & Liberum patrem astante Virtute: & sacerdotem cum puero habente acerram & coronam.

Pasiteles autem plasta cum in pictura, sculptura, & cælatura excelluerit, plasticen tamen omnium harum matrem appellauit.

Pausias egregius pictor, patria Sicyonius, inter cætera eximia Cupidinem fecit, qui abiecto arcu & sagittis lyram tenebat apud Argiuos; & Glyceram coronas è floribus facientem, bibentemque è phiala vitrea Ebrietatem.

Phidias nobilis statuarius non minus fundendo, quàm etiam sculpendo valuit, quamuis fuit prius pictor, floruitque Olympiade nonagesima: huius opera multa fuisse mirabilia traduntur, atque inter cætera mater Deorum apud Athenienses, & Venus è Pario lapide. fuit Apollo eius opus æreus in arce nominatus Parnopius, & Mineruа ibidem ex ære, cuius in clypeo formam sibi similem insculpsit, cum inscribere non esset licitum. fecit aliam Mineruam vocatã Lemniam præstantissimam adiutore Colote, & Nemesin cum corona in ceruos incisa, & Victoriæ signum, quę læua fraxinum, dextra phialam gestabat, cui operi suum nomen inscripsit, quæ fuit in Arce Athenarum, vt ait Hippias in lib. 2. de statuariis. eius fuit & ahenea Leda, & alia lignea Minerua Area cognomento, cuius manus summę è Pentelico lapide, & pedes erant apud Platæenses. fecit & Iouem Eleis ex ebore, & Venerem ex auro & ebore, quæ altero pede testudinem premebat: in arce Elidis Mineruam item ex auro & ebore, cuius cassidi gallus insidebat, & aliam rursus Pellenensibus. fecit in templo Olympico Iouem insignem ex ebore, & Amazonem quandam Ephesiis æream in templo Dianæ, & duas Mineruas: & Venerem è Pario lapide Athenis, & Mercurium Pronaum apud Platæenses è marmore.

Philesius Eretriensis fecit apud Eleos binas boues æreas eximii operis.

Philoxenus Eretricus prælium Alexandri cum Dario pinxit, & lasciuiam, in qua tres Sileni comessabantur.

Pisas fecit Apollinem Athenis & Iouem consiliarium è marmore in curia quingentorum.

Polycletus Argiuus statuarius suum ingenium & ipse in diuersa materia exercuit. eius opera memoratu digna fuerunt iuuenis strenuus apparens hastam tenere, qui fuit inde Doryphorus nominatus: & pueri taxillis ludentes; & Venus eximia apud Spartanos: & Iuno ex auro & ebore sedens in solio cum corona capiti imposita in agro Mycenæo in tēplo ipsius Iunonis, cui assistebant Gratiæ & Horæ, atq; altera manu malū Punicum, altera sceptrum tenebat, cui cuculus insidebat: & Iupiter apud Argiuos è candido marmore: & ærea statua fratris sui, atq; ærea Hecatæ. Illud tamen nō est silentio prætermittendum, quod nō sculpebantur ex auro vel argento vel ebore nisi magni Dii: cum plebeii è quauis materia fierent antiquitus. Erant Dii magni magnarum gentiū crediti hi; Iupiter, Neptunus, Mars, Mercurius, Vulcanus, Apollo, Iuno, Vesta, Ceres, Venus, Diana, Minerua. nam aliis fiebant è ligno simulacra, vel fictilia Fecit Apollinem hic & Dianam & Latonam in vertice Orthiæ montes è candido marmore, cuius opus fuit Liberi patris signum apud Megapolitanos cothurnati, quod læua thyrsum, dextera poculum tenebat insidebatq; aquila super thyrso. omnium vero suorum operum laudatissimus fuit regulus Artis vocatus, qui erat quasi lex illarum proportionum, quæ sint seruandæ cæteris artificibus in omni ratione figurarū. fecit & duo signa ærea non maxima, sed eximiæ tamen venustatis ac virginali habitu & vestitu, quæ sacra quædam de more virginum Atheniensium capitibus imposita sustinerent, vocabanturque Canephoræ.

Polygnotus Thasius, Miconis filius, pinxit in Delphis Nestorem pileo tectum & hastam tenētem: atq; penicillo mirifice expressit bellū Troianum, & Charontem grandē natu, & vectos in cymba parum clara specie: & Epeum muros Troiæ solo æquantem: & Neoptolemum cædentem Troianos. fecit Cerberum opus sane horrendum, & Ocnū cum asello vorante funem fuit Ocnus vir ignauus, cuius vxor absumebat quidquid ille acquirebat apud Atheniēses in Dioscurorū templo Castoris & Pollucis res gestas: Diomedem sagittas portantem Philoctetæ. Vlysses surripiens Palladium eius opus fuit, & Orestes obtruncās auxiliarios Ægisthi apud arcem Atheniensium: & Alcibiades cum monumentis equestris victoriæ ad Nemeam: & Vlysses apud

Platæenses patrata iam procorum cæde ferunt quidã hunc fuisse primũ, at non Panænũ. qui os aperire & dẽtes ostendere figuras docuerit, vultusq; mutationes variauerit; quo inuẽto plurimũ accessit ornamẽti vniuersæ arti pingendi, fuerunt tamẽ qui dixerint ad ætatẽ vsq; Polygnoti & Zeuxis & Timantis nõ fuisse inuentos colores plures quatuor.

Praxias Atheniensis Calamidis Agrigenti discipulus elaborauit Dianæ, Latonæ, Apollinis, Musarum, Liberi patris Thyadum, Solis occidentis ora in Delphis: quo mortuo reliqua Androsthenes & ipse Atheniensis absoluit discipulus Eucami: Nam Phryne, cuius insigni amore captus erat Praxiteles, facta sibi optione vtrum mallet eligẽdi huiusce vel statuæ vel Satyri in tripodibus, hanc elegit, & in Thespiis deposuit. atque cum multi artifices in omnibus se exercuerint pingendis aut fundendis. aut excidẽdis, tamen non omnes in omnib. excelluerũt, sed in quibusdã præcipue. fuit enim Phidias exprimendis Diis, quam hominib. magis accommodatus. Nicias canibus, Praxiteles equis excelluit.

Praxiteles nulli prope omnium artificum qui sua tempestate floruerunt, vel etiam posteris ignotus, raptum Proserpinæ & Ebrietatem fecit æream, & Cererem ac Proserpinam in primo vrbis ingressu è Phalero apud Athenienses, & Satyrum præterea, quo maxime gloriabatur, in via quæ vocabatur Tripodes, in templo Liberi patris è lapide Pario, & Cupidinem ibidem non minoris admirationis Harmodium præterea & Aristogitonem tyrannum occidentes & duodecim Deos: Suadelã Latonamq; cum filiis ad Portam Nymphadas appellatam, & Dianam & Apollinem & Neptunum: aliam Latonam Argiuis: adolescentem lacertam arcu percussurum apud Athenienses: Cererem & filiã & Iacchum facem præferentem apud Thespienses in Gnido Venerem è pario lapide subridentem risu simulato, vt ait Lucianus in Amoribus cum qua rem habuit Marcereus perintius, quod in Samo aiunt contigisse, vbi ea scripta sũt etiam de Clisopho Selymbriano ab Adæo Mitylenæo in libro de statuariis apud Anticyrenses Dianã fecit dextera facem gestantem cum pharetra pendente ex humero, cui canis a læua & ipse æreus astabat. fecit & Phrynes statuam ex auro super columnam lapidis Pentelici vt ait Alcetas in secũdo libro depositorum in Delphis. apud Eleos Mercurius

eius

cius opus fuit Bacchum infantem gestans, apud quos fecit etiam communi opera cum Cleone Sicyonio Venerem ex ære mirabili artificio. fuit Cleon discipulus eius Antiphanis qui didicerat à Pericleto discipulo Polycleti Argiui fecit Athenis signum Dianæ Brauroniæ, & consultricis Deæ simulacrum, & Thyadas & Caryatidas. & Mantineam Iunonem sedentem in solio, cui Hebe & Minerua assistebāt: apud Plataéses Iunonem adultam, & Rheam saxum fasciis inuolutum pro puero ad Saturnum deferentem: apud Platæenses Iunonem è Pentelico lapide, vbi Callimachus aliam fecit: apud Thespienses Venerem pulcherrimam de Phryne inauratam: aliam Phrynen è marmore apud Athenienses Bellonam fecit, Triptolemum, & bonam Fortunam, & Cupidinem marmoreum depromptū è Glycerio, q̃ formosissima fuit amica, non minus quā Phryne, aut Thais aut Leontium, aut Hippe, aut quæuis nobilis amicarum.

Protogenes patria Caunius nobilissimus fuit pictor, qui cum multa eximia opera fecisset, principatum tamen Ialyso illi celebri tribuere solitus est, in quo nondum perfecto septem annos Rhodi pingendo absumpsit; & cani illi pulcherrimo anhelanti exprimenda spuma ex ore manante diutius laborauit. expressit penicillo Marsyam victum & exanimum prope propter mœrorem. & Niobem spectantem filiorum cædem quam ex ipso vultu licebat cognoscere prope stupidam factam. Tantæ fuit existimationis, vt cum Demetrius vrbem Rhodon capere posset ex ea parte qua erat Ialysus ignis opera, maluerit vrbi parcere, quam Ialysum igni deuastare. pinxit Satyrum eximium incumbentem columnæ cum cornice columnæ insidente viuæ prorsus simili: & Paralum. Hemionida. Cydippem, Tlepolemum, Antigonum, matrem Aristotelis. fecit etiam signa ex ære. pinxit & latores legum Atheniensibus.

Pythagoras Parius Gratias venustissimis faciebus pinxit apud Pergamenos, opus insigne.

Pythagoras Rheginus primus omnium ære expressit venas, neruos, capillos, & alia complura, idque multo artificiosius totum fecit inuentum, quam fuerat ante suam ætatem: qui fecit etiam præter cætera multa pancratiastarum simulacra, qui artem didicit à Clearcho Rhegino, qui ab Euchero Corinthio, qui à Syadra & Charta Spartanis.

Pythodorus Thebanus Iunonem fecit ex ære Coronez Sirena s manu præferentem.

Rhœcus ac Theodorus Samii primi fuerunt, qui plastices artis artificium in Samo inuenerunt. fecit & alia signa in Dianę Ephesiæ templo, & fœminam quam Ephesii Noctem appellabant perobscuram.

Scopas Parius Venerem popularem ex ære fecit in Elide capro insidentem, & multa alia signa in variis locis, sed præsertim in Ionia & Caria. fecit apud Athenienses Amorem, Cupidinem, Appetentiam; apud Corinthios Herculem, & Hecaten signa marmorea. fecit Venerem è marmore, quæ noctu ridere videretur ob voluptates venereas, ac furta nocturna, & Phaethontem, & Vestam sedentem cum duabus ministris, & Thetidem cum Achille ac Nymphis quæ insiderent delphinis, Tritonibus, & Phorco fecit Cnidiis Bacchum & Mineruam: Arcadibus Æsculapium impuberem, & Hygieam è Pentelico marmore: & Platæensibus marmoream Mineruam Pronaum.

Simonis pictoris Æginetæ opus fuit apud Eleos equus & assistens auriga, & labores Herculis.

Socrates Sophronisci filius incidit apud Athenienses è marmore in vestibulo arcis Gratias & Mercurium. pinxit etiam Hygiam filiam Æsculapii, & Æglen Panacea quoq; & Iaso & piger spartum torquens, quod asinus rodebat, erant eius picturæ.

Strongylio parum erat aptus exprimendis in marmore humanis corporibus, cum boues & equos optime exprimeret. solam Dianam sospitam fecit Athenis tolerabilem.

Tauriscus non ignobilis pictor præter alia egregia pinxit discobulum, in quo & musculi in dorso & vis brachii, & omnis habitus corporis totis viribus in altum iacere conantis mirifice apparebat: & Paniscum, & Clytemnestram, & posynicen repetentem regnum, & Capaneum.

Tectæus & Angilio magistri Callonis, ac Scillidis & Dipœni discipuli, simulachrum fecerunt marmoreum eximium in Delo Apollinis Delii.

Teletas & Ariston communi opera fecerunt apud Eleos æreum Iouis colossum duodeuiginti pedum, opus eximium creditum.

Theocosmus ciuis Atheniensis Ioue fecit adiutore Phidia

dia è marmore, cuius capiti Horæ & Parcæ insidebant cuius os ex auro & ebore constabat. reliqua è gypso & fictili materia.

Theodorus Samius mirabilis fuit in arte sua, siquidem ferrum fundere ac signa facere ex eo primus inuenit, non tamen multos æmulos habuit propter difficultatem metalli, quod non potuit sequentibus temporibus in statuas commode fundi, quare necesse fuit ab illo fuisse aliquo ignoto medicamento purificatum.

Theopropus Æginera Taurum ex ære in signum fecit Corcyræis.

Thrasymedes Parius Arignoti filius Æsculapium insignem fecit ex auro & ebore sedentem, tenentemq; scipionem, qui altera manu caput premeret draconis, cane ad pedes decumbente.

Thimeneus Musæum pinxit penicillo in arce Athenarum, qui Boreæ dono volare apparebat: & palæstritem, & puerum hydrias portantem.

Thylacus & Oretus & eorũ filij apud Eleos signum illud Iouis fecerũt, quod fuit postea in Olympiam deportatum.

Thymilus Amorem fecit Libero patri assistentem apud Athenienses è marmore candido in via Tripodibus, & Satyrum puerum poculum porrigentem.

Timãthes Iphigeniam ante altaria stantẽ pinxit multosque mœstos circa illam sed omnes reliquos mœrore superare Menelaus patruus videbatur. Cum vero patris dolorẽ se non posse penicillo exprimere arbitraretur eximius artifex, quod iam quidquid posset in patruo expressisset, velamento vestis paternũ os occultauit. Pinxit idẽ Polyphemũ cum Satyris in parua tabula, & iudicium amorũ in Aiace, qua tabula iudicatus est superasse Parrhasium Sami. fecit Cyclopem dormientem & ad ostentandam magnitudinem Satyros qui thyrso eius pollicem metirentur.

Timocles & Timarchidas Athenienses fecerunt Æsculapium marmoreum imberbem Elateæ.

Timomachus Byzãtius eximius pictor præter Arionem delphinis vectum citharam pulsantem, fecit Aiacem & Medeam & Orestem & Iphigeniam in Tauris, quæ vultu mœsto ac pudibundo æstuãs aræ vestes componeret, vt caderet decore. fecit & Gorgonem, in qua ars præcipue eni-

tuit. fecit & Athenienses sedentes, & alios concionantes. & præstantissimum opus fuit Gorgon.

Tisagoras cõscius artificij Theodori Samij, vt apparuit, fecit apud Delphos è ferro Herculem pugnantem cum hydra, & alia signa ferrea multa laudabilia, quamuis ars esset difficilima. fecit Pergami alterum caput ferreum leonis, alterum apri.

Xenophon & Eubij Thebanorum opus fuit Hercules Promachus è candido lapide apud Bœtos.

Xenophilus Æsculapiũ fecit apud Argiuos è candido lapide, cui Strato adiunxit bonã valetudinem: & Neptunũ apud Anticyrenses, ea forma vt manu femori admota altero, pede supra Delphinum ascenderet, altera gestaret tridentẽ.

Xenophon Atheniensis Fortunæ signũ fecit ferentis plutum, ꝙ opus cum imperfectũ relinquens decessisset, Callisthonicus Theban⁹ ciuis os & manus & quędã alia suffecit.

Zeuxis Heracleota pictor clarissimus tam amplas diuitias per suam artem sibi comparauit, vt ausus sit vestem aureis literis nomen suum continentem gestare ad ludos Olympicos, huiusce mirum opus fuit Penelopes pictura, quã ita pinxit vt præter eximiam pulchritudinem, studium etiam continentię & pudicitiæ, atq; omnes mores qui in honestissima matrona esse solent, referrentur in ea pictura, & quasi elucerentur. pinxit Marsyam ligatum, & vuas, ad quas aues aduolabant cum puero illas gestante. fecit Agrigentinis Herculem vtraque manu angues suffocantem præsentibus Amphitryone & Alcmena, in qua pictura metus quidam exprimebatur parentum. Pinxit Iouem in throno cum eximia quadã maiestate. Diis cæteris assistentibus: & opus Helenam vocatum, quod è quinq; præstantissimis virginibus delectis Crotoniatarum confecit, obseruatis partibus, quæ visæ sunt præstantiores in singulis. Pinxit Atalantam & Pana pastorum Deum, quem largitus est postmodum Archelao. nam post partas insignes opes, quia censeret sua opera condigno precio emi non posse, cepit ea elargiri. pinxit Athenis in tẽplo Veneris pulcherrimum Cupidinẽ rosis coronatum, & egregium Centaurum. Et ne memorandis artificibus aut illorum operib. tempus absumã, quę possent magnum volumen implere, multi alij pictores & statuarij fuerunt præter prædictos, inter quos celebres erant:

Alypus Corcyræus, Andreas Argiuus, Andreas Tenedius, Antiphilus Nazius, Antiphilus Corinthius, Asterion Atheniensis: Callicles Megarensis, Calynthus Crotoniata, Cantharus Sycionius, Chœrilus Olynthius, Chrysothemis Cyprius, Cleœta Smyrneus, Cleon Arcadius: Dædalus Corinthius, Dætondas Cephalenius, Daippus Megarensis, Dontas Lacedæmonius, Dionysiocles Milesius: Eutelidas Argiuus, Eutychus Chius: Glaucias Æginetta, Gratianus Spartanus: Hermocrates Samius, Hippias Eleus: Lysippus Chius, Lysus Macedo: Megacles Messenius, Micon Syracusanus: Naucydes Smyrnæus, Nicodemus Æginetta, Nicodemus Zacynthius: Olympus Cous: Pausias Chius, Patrocles Crotoniata, Pátrocles Sicyonius, Philotimus Æginetta, Polychus Æginetta, Polycles Atheniensis, Polydamas Scotussensis, Protheus Arcas, Ptolichus Æginetta, Ptolichus Corcyreus, Pyrilampes Messenius, Pyrilampes Sicyonius: Silanion Atheniensis, Soidas Naupactius, Somis Abderita, Stadieus Atheniensis, Sthenis Olynthius, Stomius Megarensis: Theocles Crotoniata, Theocosmus Liparensis, Theomnestus Sardianus, Tisander Macedo. Habuit filium Dædalus Iapygen, à quo dicta est Iapygia: & vrbs Lyciæ vocata est Dædala, è Dædalo ibi postea sepulto. primus fuit Dædalus qui asciam, perpēdiculum, & glutinum, lithocollam, ac terebram inuenit, atque cum Calus eius discipulus rotam figulinam prior excogitasset & serram ad asperitatem malæ serpentinæ, quæ paruum lapidem corrosisset & ferrum, inuidens Dædalus, ne gloriam magistri suffocaret, eum per dolum interemit. Sed satis de his artificibus, nunc ad ea quæ fabulose de Dædalo dicta sunt, accedamus, illa perquirentes.

¶ Hæc fere illa sunt omnia: quæ de Dædalo celebrata sunt, quorum sententiam nunc perquiramus. Quod artifex ingeniosus fuerit Dędalus, sororisque filium Attalum, vel Telen, vel Calum, qui figuli rotam & serram ad imitationem dentium serpentis, quæ paruulam tabellam corroserat, inuenit, interemerit, ea de causa solum verterit, & in Cretam profugerit, vbi familiaris Minois & Pasiphaes factus sit, historice quidem, at non fabulose narratum est. Quod etiam Pasiphae cum Tauro congressa sit, illud historice dictum est, vt explicauimus atque cum adulterij non solum,

conscius, sed etiam adiutor Dædalus fuisset, quod fuit à Minoe in vincula coniectus vna cum filio Icaro. Hi carceribus reclusis paruas nauiculas nacti, cum nõnullis, qui odio habebãt nimis seueram Minois administrationem, velis in ventos explicatis, remorumq; vtrinque valide impellentium beneficio, fugam arripuerunt. Dædalusq; in Siciliam peruenit, at Icarus ob imperitiam naucleri in scopulũ impegit, & naufragium fecit, ac periit. Dictus est autẽ Dædalus alas excogitasse, qui cum illũ classis Minois insequeretur, ipse primus velificationem inuenit, ac ventum secundum in puppim nactus Minois classem anteuertit, quæ remis tantum vtebatur, vt ait Pausanias in Bœoticis. Arbitrati sunt nonnulli præterea dictam fuisse Pasiphaen in amorem tauri incidisse, quia cum ex Dædalo de tauro inter astra collocato, deque vniuersa re astronomica audiuisset, in astronomiæ amorem inciderit, vt ait Lucianus in dialogo de Astrologia. Cur vero Minos postea illum insecutus sit, aliam afferunt rationem. Atque hæc quidem historice à diuersis scriptorib. de Dædalo memorantur. Nunc quod ad mores pertinet, consideremus. Omnium malorum, omniumque calamitatum sane fundamentum est iniustitia, nam quia Calum Dædalus è turri per inuidiam præcipitauit, in multos labores & ipse incidit, qui neque regiam quidem amicitiam firmam esse aut tutam sceleratis hominib. expertus est. Quæ potest enim esse ingenij præstantia, quæ non miserrima sit, cum fuerit cum improbitate & turpitudine coniuncta? cum igitur ad summa contenderet Dædalus, summorumque hominum amicitias expeteret, illud ipse expertus est, quod filio persuadere conabatur, mediocritatem tutius exoptari, cum summæ cuiusq; fortunæ vel summa scelera, vel summę calamitates soleant esse coniunctæ. Hæc ipsa ratio effecit cum in Siciliam volaturus alas Icaro accommodaret, vt illum admonuerit media semper esse expetenda: quare inter volandum etiam neque nimis Solem esse accedendum ob ingentem calorem, neque nimis ad mare; ne fierent alæ, quam oporteret, ob quam grauiores, aut ob frigus duriores. Si igitur eum monet apud Ouidium lib. 2. de arte:

*Me pennis sectare datis: ego præuius ibo.*
*Sit tibi cura sequi, me duce tutus eris.*

N 2

*Nam sine aetherias vincino Sole per auras*
*Ibimus, impatiens cera caloris erit:*
*Siue humiles propiore freto iactabimus alas,*
*Mobilis aequoreis penna madescit aquis.*
*Inter vtrumq; vola, ventos quoq; nate caueto:*
*Quaq; vocant aurae, vela secunda dato,*

Quae praecepta si quis diligentius consideret, sane parũ pertinent ad nauigationẽ; at plurimum ad institutionem humanae vitae, siquidem multo grauior est fortunatorum casus, quam eorum qui diu infoeliciter egerũt, omnisq; foelicitatis molesta est iactura illis quibus aduersa fortuna spirare coeperit. Neque alia de causa haec celebrata sunt à poetis, nisi vt demonstrarent diuitiarum & rerum omnium excellentiam nemini esse tutam: optimamq; esse mediocritatem, quae neq; inuidiam secum trahat plurimorum, neque tamen contemnatur: quod patitur infima hominum conditio. Atq; Lucianus in astrologia iuuentutis calorem & inscitiam per haec demonstrari asserit, cum non illa disquirãtur, ab illa aetate, quae conueniant, sed vel ad coelum animo tollatur ab arte aberrans, & à iudicio recto praeceps in mare decidit. At nunc de Pelope dicatur.

## *De Pelope.* CAP. VIII.

PELOPS ille, cuius humerum Ceres comedit, Taygetes & Tantali filius fuisse dicitur, vt testatur Euripides in Oreste vbi loquitur de Tantalo:

ὅτος φυτεύει Πέλοπα, τοῦ δ' Ἀτρεὺς ἔφυ.
*Ab hoc Pelops est editus Atrei pater.*

Pelopem alij patria fuisse Lydum, alij Paphlagonium memorant. verum quaecunq; patria illi fuit, huiusmodi de illo res narrantur. OEnamus Rex Elidis ac Pisae, cum percepisset ex oraculo futurum esse, vt à genero interficeretur, filiamq; haberet eximiae pulchritudinis ex Eurythoe Hippodamiam, omnibus artibus conatus est homines ab eius coniugio deterrere. Atque currule certamẽ proposuit Hippodamiae petentibus procis, ea lege, vt qui victus fuisset, trucidaretur: qui vero victor extitisset, Hippodamię matrimonium obtineret, Marmacem primum procorum per capitis periculum venisse ad petendam Hippodamiam memorant, ad cuius tumulum mactatae sunt Parthenia & Eripha vocatae equae, & humatę, OEnomai iussu. ac post illum

hos ordine fuisse ab OEnomao cæsos procos: Alcethoam, Euryalium. Eurymachum, Crotalum, Actitã, Porthaonem, Caperẽ, Lycurgum, Chalcodontẽ, Lasium. Tricolonum, Aristomachum, Priantem, Cronum, Æolium, & postremum Erythrum; quibus omnibus victor Pelops quotannis postea, quamdiu regnauit, parentare consueuit. Alij tamẽ illud factum fuisse à patre maluerunt, qui filiam amaret, quẽ nemini volebat concedere, quare illa de oraculo dicitur finxisse. Fama est OEnomam quoties currule certamen procis filiæ proponeret, Areo Ioui rem diuinam facere consueuisse. Amabatur eadem à Myrtilo Mercurij & Cleobulęs filio; vel, vt alii voluerunt, Phaethusæ; vt alii, Mantus: qui auriga erat patris ipsius Hippodamiæ. Inter cæteros igitur procos & Myrtilus erat post cædes tredecim aliorum; quorum hæc nomina scripta sunt ab Epimenide: Merminus, Hippostratus, Æolopeus, Piras, Acurnan, Hippomedon, Alcathous, Chalcon, Lasius, Scopelus, Lycurgus, Acrocomus, Crocalus, Eurymachus, Euryalus: cum à cęteris quibusdam ex his subtractis Æolus & Tricoronus fuerint subrogati, neque simplex sit de his opinio, ꝙ alij Aristomachum, & Hippothoum, Eurylochum, Automedontẽ, Pelaguntẽ, Cyrianõtem, Pelopẽ, Opuntium nominarunt. erat autẽ ex illorum craneis Matri tẽplum extructurus. Cecidit in illis certaminibus ẽt Cranon, in cuius honorem Thessali vrbem Ephyram prius nominatã mox Cranonẽ appellarunt, vt ait Nicephorus. Cum forma pręstantẽ Pelopem Hippodamia vidisset, in eius amorem incidit, atq; clam egit cum Myrtilo vt victoriã aduersus patrem Pelopi concederet. Tum Myrtilus clauos modiolis rotarũ non immisit, quare fecit vt OEnomaus à Pelope vinceretur, ac cæderetur labentib. rotis. Alij dicunt OEnomaũ superatũ fuisse à Pelope, quia Myrtilus cereos clauos modiolis infixerit. Concedebat enim OEnomaus procis vt Hippodamiam in suis curribus haberent, atq; cursus initium à fluuio Clade, finem Isthmũ Corinthiacum esse voluit; ipseq; cum hasta à tergo currens in curru sequebatur, qui ab equis velocissimis Psilla & Harpinna trahebatur. sic igitur comprehensos procos ipse OEnomaus hasta à tergo transfigebat. Tunc itaq; dolis Myrtili victus a Pelope OEnomaus, cum moreretur, imprecatus est Myrtilo vt à Pelope occideretur, ꝙ etiam postea contigit

git Nam cum Pelops asportaret, Hippodamiam, eaq; sitim pateretur in itinere, secessit parumper de via Pelops ad aquã hauriendam: hanc primã satis aptam occasionẽ ratus Myrtylus absente Pelope Hippodamiã vitiare conatus est. Tũc Hippodamia reuerso Pelopi Myrtilum accusauit, quem Pelops apud Geræstum promõtorium in mare detrusit, quod mare ab eo postea Myrtoum dictũ fuit, vt significauit Euripides in Oreste, at Istrus libr. 12. rerum Atticarum virum bellicosum fuisse Myrtilum scripsit, qui ob promissum sibi, & postea non concessam Hippodamiam, cum Pelope certauerit, à quo tamen victus fuerit. Post Myrtili cædẽ à Vulcano expiatum fuisse memorant ipsum Pelopem, qui cum ad mare accessisset, Pisamque OEnomai regiam & Apiam Pelasgiam dictam accepisset, Peloponnesum, hoc est Pelopis insulam nominauit, quamuis sit peninsula. Fabulantur prætereaPelopen, vt coctus fuit, à Neptuno fuisse amatum, vt in his significauit Pindarus:

τοῦ γαιάοχος ἠράσατο Ποσειδῶν,
ἐπεί νιν καθαροῦ λέβητος ἐξεῖλε Κλωθὼ
ἐλέφαντι φαίδιμον ὦμον κεκαδμένον.

*Quem terram amplexus amauit Neptunus;*
*Vt ipsum è puro lebete exemit Clotho,*
*Ebore clarum humerum condecoratum.*

Scripsit Pauſ. in prioribus Eliacis, non duos tãtum, sed quatuor fuisse equos OEnomai. Memoriæ prodidit Xanthus in rebus Lydiæ, & Herodotus in ijs quæ scripsit de Perseo & Andromeda, quatuor illos OEnomai equos Psillã, Harpinnam, Ocyon Aoratum fuisse nominatos: ac promissum fuisse Myrtilo doli præmium iniurando à Pelope, vt prima nocte Myrtilus esset cum Hippodamia; quod postea cũ ille reposceret, fertur è naui in mare Pelope deiectus, veluti testatur etiam Pauſ. in Arcadicis. Cum eius corpus æstu maris eiectum ad Pheneatas applicuisset, sepultum fuit honorifice, & annua sacrificia illi instituta: quamuis Myrton mari non à Myrtilo, sed à Myrtone puella ibi submersa nomen inditum fuisse testatur Duris Samius. Memoriæ proditum est à Theseo in reb. Corinthiacis & à Pauſ. in ijsdem, currum Pelopis depositum fuisse apud Corinthios in templo Anactorum, qui penderet de tholo, cum Pelops tam cultus sit præcipuo honore præ cæteris heroibus apud

Eleos, quam Iupiter prædiis cæteris. Dicitur Pelops filios habuisse Cleonē, à qua vrbs dicta est. Letreum, Alcathoum, Lysidicen, Plysthenē ac Thyestem. Alij dixerunt Pittheum & Chrysippum & Diantē & Hippalcmū fuisse filios. Sed è quib. mulieribus nō constat: & Argæum quendā at non cū quidā, qui ab Hercule primus combustus, dedit in manus consuetudinē ad posteros comburendorū cadauerū: & Corinthum, à quo vrbs Ephyre instaurata sit, quāuis alij Ioui, alij Oresti, alij alijs Corinthiis id attribuunt. Quod vero Neptunus Pelopem amauerit vbi exemptus fuisset è lebete, nōnulli referunt ad historiam, dicuntq; illud dictum idcirco fuisse, quia Pelops anteq̄ ad incrementum naturalis caloris peruenisset, naturaq; superuacaneos humores concoqueret, fuisset valetudinarius. at cum venisset ad pubertatē, dictus est amatus fuisse à Neptuno: cuius filij & amici viri bellicosi ac strenui homines fuerūt. Neq; hoc dissentit sane à physica ratione, quādo scriptū est ab Arist. in historiis animalium, multos ad pubertatē vsq; fuisse valetudinarios, qui emisso semine sani facti sunt, aut cōtra Pelopem sepultum fuisse Letrinæ, q̄ ciuitas fuit Elidis vti scripsit Isacius: atq; Troia omnino capi nō poterat, vt prędixit oraculum, antequā Neoptolemus Achillis filius, & os Pelopis, & arc⁹ Herculis, quē habebat Philoctetes, huc portarētur. Illud os vbi in Græciā post captū Ilium reportaretur ad Eubœam naufragio facto periit, quod multos post annos captum fuit à quodam piscatore, qui admiratus magnitudinē consuluit oraculū cuius esset, cognitum os Pelopis in littore humauit, atq; post iussis Eleis ad sedandam pestilentiam illud requirere, cum attulissent multa munera, publice illud acceperunt. Neq; plura fere his de Pelope memoriæ ꝓdita sunt.

¶ Sed cur hæc de Pelope & Hippodamia, quæ non dissentiunt ab historica narratione, recepta sunt à poetis, & celebrata? Quia nihil aliud est humana vita nisi similis huic certamini contentio: quippe cum pericula, calamitatesq; sint subeundæ, & fortiter cum voluptatibus pugnādum, à quibus si vincamur, in perniciē prorsus ducimur: at si victores ipsi extiterimus, viri fortes & constātes habebimur, fortitudinemq; tanq̄ Hippodamiam semper contubernalem habebimus per vniuersam vitā: cum in naturā prope vertatur consuetudo. quod autē pronum sit ac velox ingenium siue

natura

natura mortalium ad voluptates, testantur ipsa equorum nomina: cum Harpinna rapacem significet, Ocys & Psilla veloces sint, Aoratus autem videri non possit. cum igitur vellent ostendere plenam contentionis, plenam miseriarum, plenam periculorum vitam esse mortalium, semper voluptatibus iniunxerunt pericula, cum omnes denique calamitosæ existant. Atque vt nos ab illis retraherent, & vt viri boni efficeremur pro viribus, demonstrarunt quæ supplicia proponantur iis qui victi fuerint à voluptatibus. Hæc vna causa extitit, cur hæc memoriæ prodita sunt, & à poëtis celebrata. At nunc de Perseo dicamus.

## *De Perseo.* CAP. XVIII.

PErsimilis Oenomai fuit causa, quę Acrisium Danaes patrem & auum Persei compulit, vt nemini filiam in matrimonium concederet: quippe is responsum acceperat futurum esse vt à nepote, qui nasceretur è filio Danae, occideretur: fuit enim Danae Persei mater Acrisii Argiuorum regis & Eurydices Eurotei, vel, vt aliis magis placuit, Lacedæmonis filia, quæ cum nata esset, Acrisius adiuit oraculum, vt an marem aliquem filium postea habiturus esset, sciscitaretur. Tum respondit oraculum, nullum quidem marem habiturum, sed foro vt nasceretur nepos è filia, à quo ipse occidatur; vt scripsit Pherecydes in lib. 1. & 12. & hist. tum iste domum reuersus aheneum thalamum in aula domestica subterraneum extruxit, vt ait Soph. in Antigone, in quem Danaen cum nutrice inclusit, custodiasque adhibuit, ne filius vllus ex ea nasceretur, vt scripsit Pausanias in Corinthiacis, & Horat. lib 3. Carminum:

*Inclusam Danaen turris ahenea,*
*Robustæq; fores, & vigilum canum*
*Tristes excubiæ munierant satis*
*Nocturnis ab adulteris:*
*Si non Acrisium virginis abditæ*
*Custodem pauidum Iupiter, & Venus*
*Risissent: fore enim tutum iter & patens*
*Conuerso in precium Deo.*
*Aurum per medios ire satellites,*
*Et perrumpere amat saxa, potentius*
*Ictu fulmineo,*

Huius igitur in amorē cum Iupiter incidisset, auro similis

dicitur è tholo defluxisse quod cum illa in sinum cepisset. Iupiter quis esset se patefecit, ac illam compressit, ex quo natus est Perseus. Fuerunt qui dixerint Danaen prægnantem à patre fuisse cognitam sed expectatam vt pareret: alii clam peperisse maluerunt, & puerum trienniuim absoluisse, prius quam Acrisius id persentiret tum ad aram Hercei Iouis Danaen à patre fuisse adductam, & interrogatam ex quo peperisset: cumque illa è Ioue diceret, minime creditam cæsa prius nutrice in arcam ligneam inclusam fuisse, & in mare deiectam, vt testatur Apoll. lib. 4. Argonaut.

οἵα ἣ καὶ Δανάη πόντῳ ἔνι πήματ' ἀέτλη
πατρὸς ἀτασθαλίῃσι.

*Qualia vel Danaen patris dementia ponto*
*Ferre coegit.*

Deinde cùm ad insulam Seriphum arca applicuisset, q̄ vna est è Cycladibus vbi Polydectes Androthoes & Peristhenes eius qui fuit Damastoris, qui Nauplii, qui Neptuni, filius imperabat: vel, vt alii maluerũt Neptuni filius & Cerebyę, vel Amæmones, à Dictye fratre Regis, qui ibi forte piscabatur, hæc arca rete extrahitur, quem Danae rogauit vt arcam aperiret: quam cum ille reclusisset, didicissetq; quinã essent, domum deduxit, & vt affinitate coniunctos, apud se perhumaniter habuit, vt ait Strabo lib. 10. Sequẽtibus postea temporibus Polydectes vim Danae inferre conatus est, quod cum ob Perseum nõ posset, finxit se velle dotẽ in nuptias Hippodamiæ Oenomai filiæ parare, munusq; Perseo imposuit, vt ad se Medusæ caput, quod Hippodamiæ largiretur, afferret. Ille igitur acceptis iis, de quib. dictum est in Medusa, eo contendit. Fama est Stheno & Euryalen Medusæ sorores homicidam insectantes ad Argiũ peruenisse, collẽ ita dictum ab occultato Argo; q̄ vbi sperarent se illũ esse comprehensuras, ob ingentem lætitiam insignem mugitum ediderunt, vnde locus & vrbs vocata est Mycera. Fama est Acrisiũ deinde, vt ait idem Pherecydes, nulla diligẽtia fati necessitatem, & oraculi responsum, deuitare potuisse: quippe cum relato in Seriphum capite Medusæ, Polydectes, omnesq; eius in saxa fuerint conuersi, ac Perseus relicto Dictye, qui in Seripho imperaret, cum magna Cyclopum manu & Danae, & Andromeda ad Argiuorũ ciuitatẽ contendit. Nam fama est Andromedã filiam fuisse Cephei & Cassio-

Digitized by Google

& Cassiopes: quæ à Nereidib. scopulo fuit alligata, vt a ceto voraretur, quia Cassiope illarum iram in se cõcitauerat: cum filiã vel Nereidas forma antecellere gloriaretur. Hæc igitur ostenso capite Medusæ ac virtute Persei iter illuc facientis liberata fuit, quem etiã postea secuta est, vt ait Ctesias in Perseide. cum Perseus igitur Argos venisset, non inuenit Acrisium quoniam ob timorem Larissam, q̃ Pelasgorum fuit ciuitas, confugerat. Relicta igitur ibi Danae apud matrem Eurydicen, cum Cyclopibus, & Andromeda; ipse Larissam contendit, vbi recognouit Acrisium, illiq; persuasit vt Argos secũ rediret. Verum anteq̃ Larissa discederent, certamen celebrari cõtigit in illa ciuitate, ad quod certamen & ipse Perseus descẽdit, atq; discum capiens illũ emittere incepit. nondum n. inuentum fuerat pentathlum, sed singula certamina seorsum absoluebãt. Discus igitur in pedem Acrisii reuolutus illum vulnerasse dicitur, ex quo vulnere interiit, cuius sepulcrũ ante portas ciuitatis Perseus & Larissæi magnifice extruxerunt. Paus. tamen in Corinthiacis non à disco cõuoluto, sed impetu illius iacti ad amnem Peneum percussum fuisse Acrisium scribit, cum Perseus inuenti à se disci gloria elatus artẽ in conuentu hominum ostenderet. Theseus in rebus Corinthiacis memoriæ prodidit Perseum Argos reuersum cũ parricidium magnæ sibi infamiæ duceret esse, petiisse à Prœto vt regnum commutaret, qua re impetrata vrbem condidit, q̃ Mycenas nominauit ab inuento capulo ensis in excauandis fundamentis, cum Mycetem capulum inquilini vocarent. quod tamen à fungo ibi repente nato accidisse quidam maluerunt, alii ab Inachi filia Mycene. Duxit Andromedam ex India, vt ait Herod. in Polymnia, è qua cepit filium Perseum, quẽ apud auum reliquit, quia nullum is marem filium habebat fuit eius filia Erythra etiam, à qua mare Erythræum vocatum est, quam habuit antequàm Tarsum Ciliciæ vrbem conderet, quam tamen quidam à Sardanapalo fuisse extructam maluerunt. Suscepit etiam Gorgophonem filiam, vt ait in Corinth. Paus. quæ prima fuit omnium mulierum, quæ ad secundas nuptias transierit, cum mortuo Periere Æoli filio Oebalo nupserit, cum esset prius mos fœminarũ mortuo primo viro vt à secundis nuptiis abstinerent. Alcæus præterea & Electryõ & Sthenelus fuisse filii Persei memorãtur

conſcius, ſed etiam adiutor Dædalus fuiſſet, quod fuit à Minoe in vincula coniectus vna cum filio Icaro. Hi carceribus recluſis paruas nauiculas nacti, cum nõnullis, qui odio habebãt nimis ſeueram Minois adminiſtrationem, velis in ventos explicatis, remorumq; vtrinque valide impellentium beneficio, fugam arripuerunt. Dædaluſq; in Siciliam peruenit, at Icarus ob imperitiam naucleri in ſcopulũ impegit, & naufragium fecit, ac periit. Dictus eſt autẽ Dædalus alas excogitaſſe, qui cum illũ claſſis Minois inſequeretur, ipſe primus velificationem inuenit, ac ventum ſecundum in puppim nactus Minois claſſem anteuertit, quæ remis tantum vtebatur, vt ait Pauſanias in Bœoticis. Arbitrati ſunt nonnulli præterea dictam fuiſſe Paſiphaen in amorem tauri incidiſſe, quia cum ex Dædalo de tauro inter aſtra collocato, deque vniuerſa re aſtronomica audiuiſſet, in aſtronomiæ amorem inciderit, vt ait Lucianus in dialogo de Aſtrologia. Cur vero Minos poſtea illum inſecutus ſit, aliam afferunt rationem. Atque hæc quidem hiſtorice à diuerſis ſcriptorib. de Dædalo memorantur. Nunc quod ad mores pertinet, conſideremus. Omnium malorum, omniumque calamitatum ſane fundamentum eſt iniuſtitia, nam quia Calum Dædalus è turri per inuidiam præcipitauit, in multos labores & ipſe incidit, qui neque regiam quidem amicitiam firmam eſſe aut tutam ſceleratis hominib. expertus eſt. Quæ poteſt enim eſſe ingenij præſtantia, quæ non miſerrima ſit, cum fuerit cum improbitate & turpitudine coniuncta? cum igitur ad ſumma contenderet Dædalus, ſummorumque hominum amicitias expeteret, illud ipſe expertus eſt, quod filio perſuadere conabatur, mediocritatem tutius exoptari, cum ſummæ cuiuſq; fortunæ vel ſumma ſcelera, vel ſummę calamitates ſoleant eſſe coniunctæ. Hæc ipſa ratio effecit cum in Siciliam volaturus alas Icaro accommodaret, vt illum admonuerit media ſemper eſſe expetenda: quare inter volandum etiam neque nimis Solem eſſe accedendum ob ingentem calorem, neque nimis ad mare; ne fierent alæ, quam oporteret, ob quam grauiores, aut ob frigus duriores. Si igitur eum monet apud Ouidium lib. 2. de arte:

*Me pennis ſectare datis: ego præuius ibo.*
*Sit tibi cura ſequi, me duce tutus eris.*

*Nam si in aetherias vincino Sole per auras*
*Ibimus, impatiens cera caloris erit:*
*Siue humiles propiore freto iactabimus alas,*
*Mobilis aequoreis penna madescit aquis.*
*Inter vtrumq; vola, ventos quoq; nate caueto:*
*Quaq; vocant aurae, vela secunda dato,*

Quae praecepta siquis diligentius consideret, sane parũ pertinent ad nauigationẽ; at plurimum ad institutionem humanae vitae, siquidem multo grauior est fortunatorum casus, quam eorum qui diu infœliciter egerũt, omnisq; fœlicitatis molesta est iactura illis quibus aduersa fortuna spirare cœperit. Neque alia de causa haec celebrata sunt à poetis, nisi vt demonstrarent diuitiarum & rerum omnium excellentiam nemini esse tutam: optimamq; esse mediocritatem, quae neq; inuidiam secum trahat plurimorum, neque tamen contemnatur: quod patitur infima hominum conditio. Atq; Lucianus in astrologia iuuentutis calorem & inscitiam per haec demonstrari asserit, cum non illa disquirãtur, ab illa aetate, quae conueniant, sed vel ad cœlum animo tollatur ab arte aberrans, & à iudicio recto praeceps in mare decidit. At nunc de Pelope dicatur.

## *De Pelope.* CAP. VIII.

PELOPS ille, cuius humerum Ceres comedit, Taygetes & Tantali filius fuisse dicitur, vt testatur Euripides in Oreste vbi loquitur de Tantalo:

*ὅτος φυτεύει Πέλοπα, τῦ δ' Ἀτρεὺς ἔφυ.*
*Ab hoc Pelops est editus Atrei pater.*

Pelopem alij patria fuisse Lydum, alij Paphlagonium memorant. verum quaecunq; patria illi fuit, huiusmodi de illo res narrantur. OEnamus Rex Elidis ac Pisae, cum percepisset ex oraculo futurum esse, vt à genero interficeretur, filiamq; haberet eximiae pulchritudinis ex Eurythoe Hippodamiam, omnibus artibus conatus est homines ab eius coniugio deterrere. Atque currule certamẽ proposuit Hippodamiae petentibus procis, ea lege, vt qui victus fuisset, trucidaretur: qui vero victor extitisset, Hippodamię matrimonium obtineret, Marmacem primum procorum per capitis periculum venisse ad petendam Hippodamiam memorant, ad cuius tumulum mactatae sunt Parthenia & Eripha vocatae equae, & humatę, OEnomai iussu. ac post illum

hos ordine fuisse ab OEnomao cæsos procos: Alcethoam, Euryalium, Eurymachum, Crotalum, Actitã, Porthaonem, Caperẽ, Lycurgum, Chalcodontẽ, Lasium, Tricolonum, Aristomachum, Priantem, Cronum, Æolium, & postremum Erythrum; quibus omnibus victor Pelops quotannis postea, quamdiu regnauit, parentare consueuit. Alij tamẽ illud factum fuisse à patre maluerunt, qui filiam amaret, quẽ nemini volebat concedere, quare illa de oraculo dicitur finxisse. Fama est OEnomam quoties currule certamen procis filiæ proponeret, Areo Ioui rem diuinam facere consueuisse. Amabatur eadem à Myrtilo Mercurij & Cleobulę filio; vel, vt alii voluerunt, Phaethusæ; vt alii, Mantus: qui auriga erat patris ipsius Hippodamiæ. Inter cæteros igitur procos & Myrtilus erat post cædes tredecim aliorum; quorum hæc nomina scripta sunt ab Epimenide: Merminus, Hippostratus, Æolopeus, Piras, Acurnan, Hippomedon, Alcathous, Chalcon, Lasius, Scopelus, Lycurgus, Acrocomus, Crocalus, Eurymachus, Euryalus: cum à cęteris quibusdam ex his subtractis Æolus & Tricoronus fuerint subrogati, neque simplex sit de his opinio, ꝙ alij Aristomachum, & Hippothoum, Eurylochum, Automedontẽ, Pelaguntẽ, Cyrianõtem, Pelopẽ, Opuntium nominarunt. erat autẽ ex illorum craneis Matri tẽplum extructurus. Cecidit in illis certaminibus ẽt Cranon, in cuius honorem Thessali vrbem Ephyram prius nominatã mox Cranonẽ appellarunt, vt ait Nicephorus. Cum forma pręstantẽ Pelopem Hippodamia vidisset, in eius amorem incidit, atq; clam egit cum Myrtilo vt victoriã aduersus patrem Pelopi concederet. Tum Myrtilus clauos modiolis rotarũ non immisit, quare fecit vt OEnomaus à Pelope vinceretur, ac cæderetur labentib. rotis. Alij dicunt OEnomaũ superatũ fuisse à Pelope, quia Myrtilus cereos clauos modiolis infixerit. Concedebat enim OEnomaus procis vt Hippodamiam in suis curribus haberent, atq; cursus initium à fluuio Clade, finem Isthmũ Corinthiacum esse voluit; ipseq; cum hasta à tergo currens in curru sequebatur, qui ab equis velocissimis Psilla & Harpinna trahebatur. sic igitur comprehensos procos ipse OEnomaus hasta à tergo transfigebat. Tunc itaq; dolis Myrtili victus a Pelope OEnomaus, cum moreretur, imprecatus est Myrtilo vt à Pelope occideretur, ꝙ etiam postea contigit

git. Nam cum Pelops asportaret, Hippodamiam, eaq; sitim pateretur in itinere, secessit parumper de via Pelops ad aquã hauriendam: hanc primã satis aptam occasionẽ ratus Myrtylus absente Pelope Hippodamiã vitiare conatus est. Tũc Hippodamia reuerso Pelopi Myrtilum accusauit, quem Pelops apud Geræstum promõtorium in mare detrusit, quod mare ab eo postea Myrtoum dictũ fuit, vt significauit Euripides in Oreste, at Istrus libr. 12. rerum Atticarum virum bellicosum fuisse Myrtilum scripsit, qui ob promissum sibi, & postea non concessam Hippodamiam, cum Pelope certauerit, à quo tamen victus fuerit. Post Myrtili cædẽ à Vulcano expiatum fuisse memorant ipsum Pelopem, qui cum ad mare accessisset, Pisamque OEnomai regiam & Apiam Pelasgiam dictam accepisset, Peloponnesum, hoc est Pelopis insulam nominauit, quamuis sit peninsula. Fabulantur præterea Pelopen, vt coctus fuit, à Neptuno fuisse amatum, vt in his significauit Pindarus:

τῦ γαιάοχος ἐράσσατο Ποσειδῶν,
ἐπεί νιν καθαρῦ λέβητος ἐξῆκε Κλωθὼ
ἐλέφαντι φαίδιμον ὦμον κεκαδμένον.
*Quem terram amplexus amauit Neptunus;*
*Vt ipsum è puro lebete exemit Clotho,*
*Ebore clarum humerum condecoratum.*

Scripsit Paus. in prioribus Eliacis, nõ duos tãtum, sed quatuor fuisse equos OEnomai. Memoriæ prodidit Xanthus in rebus Lydiæ, & Herodotus in ijs quæ scripsit de Perseo & Andromeda, quatuor illos OEnomai equos Psillã, Harpinnam, Ocyon Aoratum fuisse nominatos: ac promissum fuisse Myrtilo doli præmium iniurando à Pelope, vt prima nocte Myrtilus esset cum Hippodamia; quod postea cũ ille reposceret, fertur è naui in mare Pelope deiectus, veluti testatur etiam Paus. in Arcadicis. Cum eius corpus æstu maris eiectum ad Pheneatas applicuisset, sepultum fuit honorifice, & annua sacrificia illi instituta: quamuis Myrton mari non à Myrtilo, sed à Myrtone puella ibi submersa nomen inditum fuisse testatur Duris Samius. Memoriæ proditum est à Theseo in reb. Corinthiacis & à Paus. in ijsdem, currum Pelopis depositum fuisse apud Corinthios in templo Anactorum, qui penderet de tholo, cum Pelops tam cultus sit præcipuo honore præ cæteris heroibus apud

Eleos, quam Iupiter prae diis caeteris. Dicitur Pelops filios habuisse Cleonē, à qua vrbs dicta est Letreum, Alcathoum, Lysidicen, Plysthenē ac Thyestem. Alij dixerunt Pittheum & Chrysippum & Diantē & Hippalemū fuisse filios. Sed è quib. mulieribus nō constat: & Argaeum quendā at non eū quidā, qui ab Hercule primus combustus, dedit in manus consuetudinē ad posteros comburendorū cadauerū: & Corinthum, à quo vrbs Ephyre instaurata sit, quāuis alij Ioui, alij Oresti, alij alijs Corinthiis id attribuunt. Quod vero Neptunus Pelopem amauerit vbi exemptus fuisse è lebete, nōnulli referunt ad historiam, dicuntq; illud dictum idcirco fuisse, quia Pelops anteq̄ ad incrementum naturalis caloris peruenisset, naturaq; superuacaneos humores concoqueret, fuisset valetudinarius. at cum venisset ad pubertatē, dictus est amatus fuisse à Neptuno: cuius filij & amici viri bellicosi ac strenui homines fuerūt. Neq; hoc dissentit sane à physica ratione, quādo scriptū est ab Arist. in historiis animalium, multos ad pubertatē vsq; fuisse valetudinarios, qui emisso semine sani facti sunt, aut cōtra Pelopem sepultum fuisse Letrinae, q̄ ciuitas fuit Elidis vti scripsit Isacius: atq; Troia omnino capi nō poterat, vt prędixit oraculum, antequā Neoptolemus Achillis filius, & os Pelopis, & arc⁹ Herculis, quē habebat Philoctetes, huc portarētur. Illud os vbi in Graeciā post captū Ilium reportaretur ad Euboeam naufragio facto periit, quod multos post annos captum fuit à quodam piscatore, qui admiratus magnitudinē consuluit oraculū cuius esset, cognitum os Pelopis in littore humauit, atq; post iussis Eleis ad sedandam pestilentiam illud requirere, cum attulissent multa munera, publice illud acceperunt. Neq; plura fere his de Pelope memoriae ꝓdita sunt.

¶ Sed cur haec de Pelope & Hippodamia, quae non dissentiunt ab historica narratione, recepta sunt à poetis, & celebrata? Quia nihil aliud est humana vita nisi similis huic certamini contentio: quippe cum pericula, calamitatesq; sint subeundae, & fortiter cum voluptatibus pugnādum, à quibus si vincamur, in perniciē prorsus ducimur: at si victores ipsi extiterimus, viri fortes & constātes habebimur. fortitudinemq; tanq̄ Hippodamiam semper contubernalem habebimus per vniuersam vitā: cum in naturā prope vertatur consuetudo. quod autē pronum sit ac velox ingenium siue

natura

natura mortalium ad voluptates, testantur ipsa equorum nomina: cum Harpinna rapacem significet, Ocys & Psilla veloces sint, Aoratus autem videri non possit. cum igitur vellent ostendere plenam contentionis, plenam miseriarum, plenam periculorum vitam esse mortalium, semper voluptatibus iniunxerunt pericula, cum omnes denique calamitosæ existant. Atque vt nos ab illis retraherent, & vt viri boni efficeremur pro viribus, demonstrarunt quæ supplicia proponantur iis qui victi fuerint à voluptatibus. Hæc vna causa extitit, cur hæc memoriæ prodita sunt, & à poëtis celebrata. At nunc de Perseo dicamus.

## *De Perseo.* CAP. XVIII.

PErsimilis Oenomai fuit causa, quę AcrisiumDanaes patrem & auum Persei compulit, vt nemini filiam in matrimonium concederet: quippe is responsum acceperat futurum esse vt à nepote, qui nasceretur è filio Danae, occideretur: fuit enim Danae Persei mater Acrisii Argiuorum regis & Eurydices Eurotei, vel, vt aliis magis placuit, Lacedæmonis filia, quæ cum nata esset, Acrisius adiuit oraculum, vt an marem aliquem filium postea habiturus esset, sciscitaretur. Tum respondit oraculum, nullum quidem marem habiturum, sed fore vt nasceretur nepos è filia, à quo ipse occidatur; vt scripsit Pherecydes in lib. 1. & 12. & hist. tum iste domum reuersus aheneum thalamum in aula domestica subterraneum extruxit, vt ait Soph. in Antigone, in quem Danaen cum nutrice inclusit, custodiasque adhibuit, ne filius vllus ex ea nasceretur, vt scripsit Pausanias in Corinthiacis, & Horat. lib 3. Carminum:

*Inclusam Danaen turris ahenea,*
*Robustaq; fores, & vigilum canum*
*Tristes excubiæ munierant satis*
*Nocturnis ab adulteris:*
*Si non Acrisium virginis abditæ*
*Custodem pauidum Iupiter, & Venus*
*Risissent: fore enim tutum iter & patent*
*Conuerso in precium Deo.*
*Aurum per medios ire satellites,*
*Et perrumpere amat saxa, potentius*
*Ictu fulmineo,*

Huius igitur in amorē cum Iupiter incidisset, auro similis

dicitur è tholo defluxisse quod cum illa in sinum cepisset. Iupiter quis esset se patefecit, ac illam compressit, ex quo natus est Perseus. Fuerunt qui dixerint Danaen prægnantem à patre fuisse cognitam sed expectatam vt pareret: alii clam peperisse maluerunt, & puerum triennium absoluisse, prius quam Acrisius id persentiret tum ad aram Hercei Iouis Danaen à patre fuisse adductam, & interrogatam ex quo peperisset: cumque illa è Ioue diceret, minime creditam cæsa prius nutrice in arcam ligneam inclusam fuisse, & in mare deiectam, vt testatur Apoll. lib. 4. Argonaut.

οἵα δ' ϗ Δανὴ πόντῳ ἔνι πήματ' ἀνέτλη
πατρὸς ἀτασθαλίῃσι.

*Qualia vel Danaen patris dementia ponto*
*Ferre e egit.*

Deinde cum ad insulam Seriphum arca applicuisset, q̄ vna est è Cycladibus vbi Polydectes Androthoes & Peristhenes eius qui fuit Damastoris, qui Nauplii, qui Neptuni, filius imperabat: vel, vt alii maluerūt Neptuni filius & Cerebye, vel Amæmones, à Dictye fratre Regis, qui ibi forte piscabatur, hæc arca rete extrahitur, quem Danae rogauit vt arcam aperiret: quam cum ille reclusisset, didicissetq; quinā essent, domum deduxit, & vt affinitate coniunctos, apud se perhumaniter habuit, vt ait Strabo lib. 10. Sequētibus postea temporibus Polydectes vim Danae inferre conatus est, quod cum ob Perseum nō posset, finxit se velle dotē in nuptias Hippodamiæ Oenomai filiæ parare, munusq; Perseo imposuit, vt ad se Medusæ caput, quod Hippodamiæ largiretur, afferret. Ille igitur acceptis iis, de quib. dictum est in Medusa, eo contendit. Fama est Stheno & Euryalen Medusæ sorores homicidam insectantes ad Argiū peruenisse, collē ita dictum ab occultato Argo; q̄ vbi sperarent se illū esse comprehensuras, ob ingentem lætitiam insignem mugitum ediderunt, vnde locus & vrbs vocata est Mycena. Fama est Acrisiū deinde, vt ait idem Pherecydes, nulla diligētia fati necessitatem, & oraculi responsum, deuitare potuisse: quippe cum relato in Seriphum capite Medusæ, Polydectes, omnesq; eius in saxa fuerint conuersi, ac Perseus relicto Dictye, qui in Seripho imperaret, cum magna Cyclopum manu & Danae, & Andromeda ad Argiuorū ciuitatē contendit. Nam fama est Andromedā filiam fuisse Cephei

& Cassio-

& Cassiopes: quæ à Nereidib. scopulo fuit alligata, vt à ceto voraretur, quia Cassiope illarum iram in se cōcitauerat: cum filiā vel Nereidas forma antecellere gloriaretur. Hæc igitur ostenso capite Medusæ ac virtute Persei iter illuc facientis liberata fuit, quem etiā postea secuta est, vt ait Ctesias in Perseide. cum Perseus igitur Argos venisset, non inuenit Acrisium quoniam ob timorem Larissam, q̄ Pelasgorum fuit ciuitas, confugerat. Relicta igitur ibi Danae apud matrem Eurydicen, cum Cyclopibus, & Andromeda, ipse Larissam contendit, vbi recognouit Acrisium, illiq; persuasit vt Argos secū rediret. Verum anteq̄ Larissa discederent, certamen celebrari cōtigit in illa ciuitate, ad quod certamen & ipse Perseus descēdit, atq; discum capiens illū emittere incepit. nondum n. inuentum fuerat pentathlum, sed singula certamina seorsum absoluebāt Discus igitur in pedem Acrisii reuolutus illum vulnerasse dicitur, ex quo vulnere interiit, cuius sepulcrū ante portas ciuitatis Perseus & Larissæi magnifice extruxerunt. Paus. tamen in Corinthiacis non à disco cōuoluto, sed impetu illius iacti ad amnem Peneum percussum fuisse Acrisium scribit, cum Perseus inuenti à se disci gloria elatus artē in conuentu hominum ostenderet. Theseus in rebus Corinthiacis memoriæ prodidit Perseum Argos reuersum cū parricidium magnæ sibi infamiæ duceret esse, petiisse à Prœto vt regnum commutaret, qua re impetrata vrbem condidit, q̄ Mycenas nominauit ab inuento capulo ensis in excauandis fundamentis, cum Mycetem capulum inquilini vocarent. quod tamen à fungo ibi repente nato accidisse quidam maluerunt, alii ab Inachi filia Mycene. Duxit Andromedam ex India, vt ait Herod. in Polymnia, è qua cepit filium Persēum, quē apud auum reliquit, quia nullum is marem filium habebat fuit eius filia Erythra etiam, à qua mare Erythræum vocatum est, quam habuit antequam Tarsum Ciliciæ vrbem conderet, quam tamen quidam à Sardanapalo fuisse extructam maluerunt. Suscepit etiam Gorgophonem filiam, vt ait in Corinth. Paus. quæ prima fuit omnium mulierum, quæ ad secundas nuptias transierit, cum mortuo Periere Æoli filio Oebalo nupserit, cum esset prius mos fœminarū mortuo primo viro vt à secundis nuptiis abstinerent. Alcæus præterea & Electryō & Sthenelus fuisse filii Persei memorātur

ex Andromeda, vti scripsit Herodotus in historiis, quibus Mestorem etiam addidit, alii præterea his filium tribuerũt illum Erythræum, q imperauit mari Erythræo, & in illis regionib sepultus nomen dedit mari, vt testatus est Arrianus lib. 8. rerum gestarum ab Alexandro. Hæc sunt q̃ memoriæ prodita fuerunt de Perseo, præter illa quæ dicta fuerunt superius. Sepultus fuit Perseus in via, qua Mycenis Argis iter fuit ad læuum, cui honores diuini vt Heroi sunt habiti.

¶ Nunc quid ista significent, perquiramus. Quod Danae inclusa ita fuerit, & Iupiter in aurum versus illam vitiarit, nihil aliud significat, quam largitionibus cuncta patere & ab auaritia nihil esse tutum. Quod his carminibus significauit Paulus Silentiarius:

> χρύσεος ἀψαύστοιο διέτμαγεν ἅμμα κορείας
> Ζεὺς, διὰ δὺς Δανάας χαλκελάτους θαλάμους.
> φαμὶ λέγειν τὸν μῦθον ἐγὼ τάδε· χάλκεα νικᾷ
> δαίπιδα καὶ δεσμοὺς χρυσὸς ὁ πανδαμάτωρ.
> χρυσὸς ὅλους ῥυτῆρας, ὅλας κληῖδας ἐλέγχει.
> χρυσὸς ἐπιγνάμπτει τὰς σοβαροβλεφάρους.
> καὶ Δανάας ἐλύγωσεν ὅδε φρένα μήτις ἐραστὴς
> λισσέσθω Παφίαν ἀργύριον παρέχων.
>
> *Aureus in cæcas penetrauit denique rimas,*
> *Et Danaes dures Iupiter in thalamos.*
> *Fabula sic inquit me iudice: ferrea claustra*
> *Aurum perrumpit, duraque vincla domat.*
> *Aurum omnes vectes infregit, & arguit artem*
> *Clauis, & inflexit torua supercilia.*
> *Sic Danae deuicta fuit. non vllus amator*
> *Aurum qui fuerit, supplicet hinc Veneri.*

Nulla fuit enim ætas, vbi diuitiæ in cognitionem hominũ irrepserũt, ĩ qua nõ maxima auri maiestas fuerit, cui & honestatis leges omnes, & omnia humanitatis iura, & Dei religio sæpius seruire coacta est: cũ infinitus sit numerus eorum qui magis aurum, q̃ verum Deũ colant, curent, amẽt, venerentur re ipsa, quamuis verbo secus profiteantur, & in amplissimis ciuitatib. p̃sertim, vbi magis regnat auaritia, ambitio, & omnis immoderata licentia ꝙ exposita fuerit in arca, ad historiã spectat. quod Perseus illa egerit, quæ de ipso superius dicta sunt, id totum fabulosum: est n. Perseus ratio animæ nostræ & prudentia. Atqui Medusa cũ esset vel

mere-

meretrix, vel naturalis libido & voluptas, quæ homines in saxa conuerteret: hæc cæditur a Perseo, & caput eius Palladi datur, quod affigitur clypeo: nihil hoc aliud significat, quam vim eandem esse sapientiæ & libidinis, neque minus esse voluptatis in rebus præclaris, quam in libidine: sed ad hanc cognitionem tanquam lena vtimur ratione, quare Perseus ablatum Medusæ caput illud Palladi asportauit. at de Medusa diligentius alibi explicatum est. Ille impedimento fuit Polydectæ, quoniam ratio non solum aduersus voluptatem insurgit, sed etiam aliis pro viribus opitulatur. Neque enim vir bonus est solum plane, aut iustus, qui nihil ipse iniquum faciat: sed etiam qui pro viribus aliis est impedimento, ne quid faciant iniquum. Hic fingitur Deorum ope Gorgonum impetum euasisse, Medusamque obtruncasse, quam neque intueri quidem vlli licebat: quia omnis humana prudentia per se debilis est sine Dei auxilio; sine quo voluptatum illecebras effingere non satis possumus. est enim & hoc ipsum, esse virum bonum, Dei munus. Alii dixerunt Perseum Iouis filium Gorgonem interemisse, quare ad cœlum sublimis postea euolauerit, historice esse intelligendum, cum is tyrannum Cretæ, vel (vt alii maluerunt) Arcadiæ, vt vero alii, Athenarum patriæ suæ interfecerit ex quo facinore fuit laudibus, vt aiunt, ad cœlum elatus, vel quod magis rationi conuenit, lętitię rerum è sententia gestarum. Alii animæ immortalitatem per hæc significari intelligunt, cum illa faciat generationem & corruptionem per motum assiduum, at ipsa victrix tamen rerum inferorum terrestri hoc pondere soluta in cœlum denique euolet. Neque licet tuto cuipiam voluptates intueri, quoniam si quis illegitimis voluptatibus considerandis diutius immoretur, haud difficile est illum irretitum ab iis captiuum trahi. Chares tamen Mitylenæus libro secundo historiarum Danaen scripsit non à Ioue, sed à Prœto patruo fuisse compressam; è quo natus est Perseus; postea Pilumni Apulorum Regi nupsisse, cui Daunum peperit. Verum quia nihil hæc pertinent ad vitæ institutionem, in præsenti prætermittantur.

# NATALIS COMITIS MYTHOLOGIÆ,

## LIBER OCTAVVS.

*Quam sapienter Deorum multitudo antiquorum ad vnum Deum referatur.*

ADMIRABILIS profecto fuit, ac prope diuina maiorum nostrorum sapientia, ornatissime Campeggi, qui primi religionem & Deorum immortalium metum inter homines introduxerunt; non solum quia nulla ciuitas, nullus hominum cœtus, domus sine religione diutius potest consistere: sed etiam quia per hanc multiplicem fabularum varietatem nullam mundi partem, nullumque locum esse demonstrarunt, qui diuina Deorum præsentia vacare possit. Nam quanquam Christianæ veritatis participes esse non potuerunt, quia nondum summum veritatis lumen Christus veræ religionis præcepta tradiderat, tamen pro suis viribus, & quantum acie humani ingenii prospicere potuerunt, demonstrare conabantur, neminem clam vllũ facinus vel turpe vel honorificum suscipere posse, quod non continuo à Diis obseruaretur Atque hos res humanas curare demonstrabant, cum ritus sacrorum, & ceremonias, & preces, & proprium singulorum cultum, vel ad placandos, vel ad aliquid petendum, instituissent. Illud enim fuit eorum qui fabulas excogitarunt, consilium, vt Deum cuncta videre, cunctaque audire ostenderent: quos ego vel Pythagora, vel Socrate, vel omnibus illis, qui postea vocati sunt philosophi, multo sapientiores fuisse iudico. Nam etsi non erat perfecta illa religio antiquorum, neque prorsus ad probitatem instructa, tamen id vitio dare non conuenit, quoniam nihil perfectum & plane absolutum nasci solet. Illi igitur, vt nullam mundi partem, nullumque lo-

cum

cum vel priuatum vel publicum Deo vacuum esse monstrarent, ne quis sceleratus arbitraretur se Deos latere posse, & nauigantium, & agricolarum, & militantium, & pastorum, & venatorum, & quiduis aliud facientium Deos proprios esse dixerunt: quia vulgus & imperita multitudo percipere non poterat, quo pacto fieri posset cum vnus sit Deus, vt is omnia videret eodem tempore, quæ fiunt vbiq; & dicuntur in infinito prope hominum numero. Vulgus enim pro suo ingenio plerumque diuinam naturam metitur, & quæ nimis admirabilia sibi videntur, quamuis à diuina natura non abhorreant, repellit ac pro falsis habet: quia tanquam male affectus stomachus validiora admittere non potest. Hæc ipsa causa fecit vt arbitror, vt tantam Deorum multitudinem introduxerint antiqui, cum Deum vbique esse, omniaque illius nutu gubernari demonstrare conarentur, cui pro negociorum varietate diuersa nomina tribuerunt. Nam vim diuinam cœlum, & vniuersas mundi partes superiores gubernantem, Iouem Deorum patrem appellarunt: cuius vim eam, quæ sub terris esset, vocarunt Plutonem, atque illum Iouis fratrem nominarunt. Cum vero in aquis eadem vis considerabatur, quas diuina prouidentia omnino carere non putabant, Neptunum dixerunt, atque hunc ipsum etiam crediderunt Iouis esse fratrem: cum per aëra penetraret, rursus vim ipsam diuinam nuncuparunt Iunonem, eamque censuerunt esse sororem Iouis. Atque omnes vires denique per ipsa elementa diffusas à superioribus & originem ducere, & pendere arbitrati sunt, quas omnes quasi ab vno fonte in multos riuulos & naturam earum explicantes diduxerunt. Atque vt summatim dicam, si rem diligentius inuestigemus, omnes prope antiquorum Deos vel Iouis fratres, vel filios, vel nepotes, vel aliqua affinitate coniunctos, inueniemus. Ex quo patet nihil aliud significare voluisse antiquos, quam vnum esse Deum, vnum rerum omnium gubernatorem, cuius vis esset in omnes res diffusa, qui vnus cuncta videret, & audiret, & regeret. Verum ad institutum opus iam accedemus, & de Oceano primo transigamus.

## De Oceano. CAP. I.

OCeanus, qui fluuiorum, & animantium omnium, & Deorum pater vocatus est ab antiquis, Cœli & Vestæ, quam terram nonnulli vocarunt, filius fuisse dicitur: vt testatur Hesiod. in Theog. vbi Terræ filios ita commemorat:

Γαῖα δέ τοι πρῶτον μὲν ἐγείνατο ἶσον ἑαυτῇ
Οὐρανὸν ἀστερόενθ᾽, ἵνα μιν περὶ πάντα καλύπτοι,
ὄφρ᾽ εἴη μακάρεσσι θεοῖς ἕδος ἀσφαλὲς αἰεί.
γείνατο δ᾽ οὔρεα μακρὰ θεῶν χαρίεντας ἐναύλους
Νυμφέων, αἳ ναίουσιν ἀν᾽ οὔρεα βησσήεντα.
ἡ δὲ καὶ ἀτρύγετον πέλαγος τέκεν οἴδματι θῦον,
πόντον, ἄτερ φιλότητος ἐφιμέρου. αὐτὰρ ἔπειτα
Οὐρανῷ εὐνηθεῖσα τέκ᾽ Ὠκεανὸν βαθυδίνην.

*Terra sibi par stellatum cœlum alma creauit,*
*Quod complectatur lato velamine totam:*
*Et foret hinc superis sedes firmissima Diuis.*
*Inde sati montes statio gratissima Nymphis,*
*Quæ syluas habitare solent in monte huic ipsis.*
*Hæc eadem peperit ventosi marmora Ponti,*
*Non vlli coniuncta marito, sed & inde creauit*
*Oceanum Cœlo coniuncta in amore profundum.*

Apud hos educatam fuisse Iunonem testatur Hom. lib. 3. Iliad.

εἶμι γὰρ ὀψομένη πολυφόρβου πείρατα γαίης,
Ὠκεανόν τε θεῶν γένεσιν, καὶ μητέρα Τηθύν·
οἵ μ᾽ ἐν σφοῖσι δόμοισιν ἐΰ τρέφον, ἠδ᾽ ἀτίταλλον.

*Oceanum visura peto, iamq; vltima terra,*
*Vnde genus superis, adeo Tethymq; parentem:*
*Qui me aluere suis domibus fœliciter olim.*

Ab hoc ipso Oceano videtur putasse Orpheus & antiquorum Deos, & res omnes initium sumpsisse: quippe cum omnia priusquam oriantur, aut intercidant, indigeant humore: sine quo nihil neque corrumpi potest, neque gigni, vt sensit Thales. Sic autem scribit Orpheus in hymnis:

Ὠκεανὸν καλέω πατέρ᾽ ἄφθιτον αἰὲν ἐόντα,
ἀθανάτων τε θεῶν γένεσιν, θνητῶν τ᾽ ἀνθρώπων.
ὃς περικυμαίνει γαίης περιτέρμονα κύκλον·
ἐξ οὗπερ πάντες ποταμοὶ, καὶ πᾶσα θάλασσα.

*Oceanumq; voco patrem, Tethymq; parentem,*
*Vnde ortus superis, vnde & mortalibus ortus;*

Qui

*Qui late terram spumosis fluctibus ambit:*
*E quo sunt maris, & fluuiorum semina primum.*

Huic tauri caput esse censuerunt antiqui, quare illum ita ταυρόκρανον appellauit Euripides in Oreste:

| | |
|---|---|
| Ὠκεανὸς ὃν | *Oceanus quem* |
| ταυρόκρανος ἀγκάλαις | *Tauriceps vlnis* |
| ἑλίσσων, κυκλεῖ χθόνα. | *Se flectens ambit terram.* |

Scriptum reliquit Æschylus Oceanum amicissimum fuisse Prometheo in his;

οὐ γάρ ποτε φήσεις Ὠκεανοῦ φίλος
ἔστι βεβαιότερός σοι.
*Non recte amicum firmiorem dixeris*
*Oceano tibi.*

Memoriæ prodidit Isacius præter Tethym duas fuisse vxores Oceano, Parthenopem & Pampholygem; atque Asiam & Libyam suscepit filias è Pampholyge, ex Parthenope Europam & Thracen, vnde nomina regionib. postea fuerunt data. Dicuntur fuisse ab Oceano genitæ præterea Philyra, Callirhoe, Perseis, Xanthe, Daira, Ephyre, Leucippe, Melobosis, Ianthe, Electra, Phœno, Tyche, Ocyrhoe, Eurynome, Æthra, Pleione, Clymene, Doris, Triton. Et ne singulis commemorandis sim longior, tria millia filiorum fuisse Oceano dicuntur, vt in his ait Hesiodus in Theogonia:

αὗται δ' Ὠκεανοῦ καὶ Τηθύος ἐξεγένοντο
πρεσβύταται κοῦραι· πολλαί γε μέν εἰσι καὶ ἄλλαι.
τρὶς γὰρ χίλιαί εἰσι τανύσφυροι Ὠκεανῖναι·
αἵ ῥα πολυσπερέες γαῖαν καὶ βένθεα λίμνης
πάντῃ ὁμῶς ἐφέπουσι θεάων ἀγλαὰ τέκνα.
*Hæ sunt Oceani & de semine Tethyos ortæ,*
*Prisca quidem soboles; magna est & cætera turba.*
*Sunt etenim ter mille puellæ Oceaninæ,*
*Quæ terras habitant, stagnorumq; alta profunda,*
*In variis dispersa locis gens, pignora Diuum.*

Cum vero in perpetuo cursu & Oceanus & fluuij ex eo nati existant, θεῖον γένος, quasi non diuinum, sed decurrens genus, dicti sunt: eadem sane ratione, qua Sol & Luna & astra assidue currentia Dij fuerunt nominata. Sic autem inquit Theocritus in Bubulcis:

ἄγχεα καὶ ποταμοὶ θεῖον γένος, αἴτι Μενάλκας
πή ποχ' ὁ συρικτὰς προσφιλὲς ᾆσε μέλος.

*Decurrens genus ô fluuij, vallesque, Menalcas*
*Si quando vobis dulce melos cecinit.*

Dicti enim sunt fluuij διιπετεῖς, non quia peculiarem in se habeant diuinitatem magis, quam reliquæ mundi partes, quia omnium prope naturalium corporum maxime aquarum, & inter has fluuiorum motus sit conspicuus. Nam cũ venerit in dubium nonnullis cœlorum motus, qui non cælos, sed terram moueri arbitrabantur, vt asserit Ptolemæus & Aristotel. lib. 3. cœli, neminem an fluuii etiam moueantur, & vniuersa aquarum moles, apparet recte dubitare potuisse. Est enim non minus Oceani, quam fluuiorum perpetuus motus, cum modo affluat, modo refluat; quod fieri ad Lunæ cursum nonnulli arbitrantur. ita vt cum Luna ascendit ob Oceano donec ad medium cœli veniat, affluant aquæ, refluantq; cum descendit. Atque hic motus non semper sibi est similis. magis enim refluit in pleniluniis, cum in nouilunio vix sentiatur, & cum cœlum serenum fuerit motus etiam augetur, ita vt humiliores aquæ relinquantur. Ad hanc rem nonnihil conferunt etiam coniunctiones & oppositiones reliquorum planetarum, & quibusdam anni tẽporibus id etiam magis fit. maiorq; varietas in his motibus existit, quippe cum circa tropicũ æstiuum augeatur accessus & recessus, minorq; fiat ad tempus vsque æquinoctii, ac rursus crescat ad hybernum tropicum, & ab eo ad vernum æquinoctium minuatur. Augetur istud etiam vi eorum signorum, in quibus Luna fuerit in suis mutationibus. nam in placidioribus æqualiores fiunt motus, in vehementioribus magis inæquales, quod etiam vis imbrium auget, ac impetus ventorum. Hæc tanta causarum varietas fecit, vt nulla certa ratio horum motuum aquarũ afferri vel à peritissimis nauigantibus possit. Est autẽ Oceanus vniuersa illa aquarum moles, quę terram vndique circumdat: nam quocunq; ad extremas terræ oras quis accesserit, mare illi latissimum occurrit, quod ab Oriente quidem Eoum aut Indicum appellatur, ab occidente Atlanticum, vbi Hispaniam Mauritaniamq; disterminat. Ad Septentrionem, & ad oppositam huic regionem mare Ponticum & glaciale nuncupatur, & rubrum aut Æthiopicum. Multi sane nauigiis ad extremã oram Oceani penetrare conati sunt, multorumq; dierum iter fecerunt, sed illis prius annona & res victui necessa-

cessaria defecerunt, quam aquarum spacium, & nauigabilis planities, vt testatur Strabo, & Rhianus in nauigatione Hannonis Chartaginensis.

¶ At nunc quæramus, cur hæc de Oceano ficta sint. Oceanum Cœli & Terræ filium crediderunt; quoniam ex informi materia cum prius natus fuisset amor, isque vniuersam molem miscuisset, natum est Cœlum, & Mare, & Terra, & omne Deorum genus pullulauit, vt ait Aristophanes in Auibus: (πάντα.

πρότερον δ' οὐκ ἦν γένος ἀθανάτων πρὶν Ἔρως συνέμιξεν ἅ-
ξυμμιγνυμένων δ' ἑτέρων ἑτέροις, γένετ' Οὐρανὸς, Ὠκεανὸς
καὶ Γῆ, πάντων τε θεῶν μακάρων γένος ἄφθιτον. (τε

*Ante non erat genus immortalium, antequam Amor commiscuisset omnia,*
*Commistis vero aliis, natum est Cœlum, Oceanusq;*
*Et terra, omniumq; Deorum beatorum genus æternum.*

Patet igitur ex his Oceanum post Cœlum natum fuisse. Nam cum summus opifex Deus in hoc mundo architectādo dixisset, Fiat lux, continuo lucis instrumenta, cœli scilicet, planetarumque corpora nata sunt: quare prius natum est cœlum, deinde Deus secreuit vniuersam aquarum naturam ab aquis quæ super cœlo sunt, & in vnum locum à terra iussit secedere. Hac igitur ratione amor, quæ diuina est bonitas, cūcta commiscuit, & ad generationem excitauit. vnde Oceanus natus est è Cœlo & Terra. Apud Oceanum dicitur fuisse Iuno educata, quod aqua in aera proximum, cum rarior fit, soluitur, atq; aer densior factus ad alumnum Oceanū descendit in aquam versus, vt est elementorum inter se generatio. Hunc eundem Oceanum tradidit Orpheus, & omnes antiquorum theologi principiū ortus Diis & rebus extitisse, quia, vt sensit Thales, nihil sine humectatione nascitur aut putrescit, atq; omnes elemētorum qualitates, quas Deorum nominib. appellarunt, ex humore nascuntur. Taurinum autem caput Oceano tribuerunt antiqui propter vim ventorum, à quib. excitatur & impellitur, vel quia tauris similem fremitū emittat, vel quia tanquam taurus furibundus in littora feratur, cuiusmodi finguntur esse etiam fluuij. Fabulati sunt propterea Oceanum fuisse amicissimum Prometheo, quoniam nauigantibus per Oceanum maxima prudentia & peritia opus sit,

non solum vt siderum ductu, quo cupiunt peruenirent, sed etiam peritia opus est in obseruandis & deuitandis scopulis in multo ante cognoscendis tempestatibus ac vẽtorum signis, & in omnibus deniq; vitandis, quæ possunt nauigãtes in summum discrimen inducere: quæ eadem etsi vtilia sunt in mari mediterraneo, non tamen tantopere videntur necessaria. Huius vxorem fuisse Tethyn dixerunt, de qua paulo post dicetur. Oceani filij tam multi & filiæ fuisse dicuntur, quia ex vaporibus, qui calore Solis sublimes tolluntur, gignuntur fluuiorum aquæ & fontes, vt putarunt antiquorum nonnulli. nam etsi voluit Aristot. fontes ex aere in locis cauernosis in aquam verso procreari, tamen si diutius siccitas cœli extiterit, neque fiant imbres vel penitus arescere flumina & fontes, vel ad tenuissimum cursum deduci videmus? quare etsi non tota, maior tamen pars fluuiorum & fontium ita procreatur, vt apparet. Inter filios Oceani Tyche connumeratur, quæ fortuna est, quia fortunatos esse oportet nauigantes, & omnes illos qui se ventorum fidei committunt, atque vt summatim dicam, per Oceanum fabulosum rerum naturalium generationem, & necessariam esse nauigantibus prudentiam significarunt. At nunc de Tethye dicamus.

## *De Thetye & Thetide.* CAP. II.

TETHYS, quæ vxor fuit Oceani, Terræ & Cœli filia & ipsa fuit, vt ait Hesiodus in Theog.

*Οὐρανῷ εὐνηθεῖσα τέκ' Ὠκεανὸν βαθυδίνην,*
*Κοῖόν τε, Ῥείαν τε, Θέμιν τε. Μνημοσύνην τε,*
*Θείαν τε, Κρεῖόν θ', Ὑπερίονά, τ' Ἰαπετόν τε,*
*Φοίβην τε χρυσοστέφανον, Τηθύν τ' ἐρατεινήν.*
*Oceanum Cœlo peperit, cui vasta profunda,*
*Et simul Iapetum, Cœumq;, Rheamque, Themimque,*
*Mnemosynen, Thiam, Criumque, Hyperiona, Tethyn*
*Formosam, Phœbenq; coma est cui cincta corona.*

Hanc dearum matrem appellarunt, cum pater illarum esset Oceanus. Thetis vero quæ priore aspirata & breui legitur, Chironis filia fuit, vt ait Epicharmus in Hebes nuptiis:

*μόγις κόρα Χείρωνος ὢν ἄλυξαν*
*Θέτις δραμοῦσα.*
*Puella vix Chironis horum fugerat*
*Currens Thetis,*

At

At Homerus tamen in hymno in Apollinem Nerei filiam fuisse significauit in his:

ἀλλά ἑ Νηρῆος θυγάτηρ Θέτις ἀργυρόπεζα
δέξατο.
*Candida sed cepit mox illum filia Nerei.*

Quod etiam testatus est Anaxandrides Rhodius, vbi Thetim de ipsa loquentem introducit in his carminibus:

ἐν ταῖσι μὲν ἁλίαισιν ἐκ ἀνώνυμον
Θέτιν θύγατρα Νηρέως καλοῦσί με.
*Deas marinas inter haud ingloriam*
*Thetim vocarunt Nerei me filiam.*

Et Euripides in Iphig. in Aulide;

μὰ τὸν δι' ὑγρῶν κυμάτων τεθραμμένον
Νηρέα φυτουργὸν Θέτιδος, ἥ μ' ἐγείνατο.
*At non per vndis educatum Nereum*
*Thetidis patrem, cuiusq; ego sum filius.*

Hæc fuit vxor Pelei atq; dicta est omnium mulierum fuisse forma præstantissima, de cuius nuptiis Thetidis ita scribit Apollodorus: Δία καὶ Ποσειδῶνα μόνους φασὶν ἐρίσαι περὶ γάμου τῆς Θέτιδος. Θέτιν δὲ, ὡς τραφεῖσαν ὑφ' Ἥρας, μὴ θέλειν τῷ Διὶ συνελθεῖν. ὅθεν ὀργισθέντα τὸν Δία, θνητῷ συζεῦξαι αὐτήν. *Inquiunt enim Iouem ac Neptunum solos de Nuptiis contendisse. At Thetim noluisse congredi cum Ioue, quia fuisset à Iunone educata, quamobrem iratus Iupiter, illam mortali dedit in matrimonium*: vt est libro 11. Metam. apud Ouid. Alij dixerunt Apollinem vna cum Ioue & Neptuno de illius nuptiis contendisse, sed omnes fuisse à Prometheo, vel (vt aliis magis placuit) à Themida deterritos, quod ex illa filius præstantior esset oriturus. Alij dixerũt Thetidem ægre tulisse quod vna ex Deabus marinis esset futura hominis vxor, quare eius nuptias deuitans in varias formas mutabatur, de qua ita scripsit Homerus:

ἐκ μέν μ' ἀλλάων ἁλιάων ἀνδρὶ δάμασσεν.
*Vnam me æquoreis è nymphis nubere cunctis*
*Mortali voluit.*

Nam quamuis in ignem & in leonem tanquam Proteus verteretur, nulla neq; vi flammarum tamen, neq; vnguium aut dentium feritate potuit à nuptiis illum deterrere. Scriptum reliquit Isacius Peleum Chironis consilio Thetim compressisse cum in varias formas mutaretur, atque in se-

piam deniq; fuisset conuersa. id cum in loco Thessaliæ Magnesiæ accidisset, locus ipse Sepias dictus fuit, vt ait Zez. hist. 46. chil. 2. Alii tamen dicunt Thetidem vxorem Pelei fuisse non coactam, neq; sub variis formis deludentem cōpressam, sed sponte se in eius matrimonium concessisse, vt scripsit Pythenetus in primo rerum Æginetarum. Celebratæ sunt autem Pelei & Thetidis nuptiæ in Pelio monte, ad quas omnes Dij præter Discordiam conuenerunt, quæ pomum aureum in locum nuptiarum iniecit, ἡ καλῇ λαβέτω. Contulerunt huic omnes Dei munera: Pluto smaragdum insignem, Neptunus equos Xanthum & Balliam, Vulcanus cultrum, & Dii cæteri alia. Nam ita mos fuit antiquorum, vt cum donis ad nuptias conuenirent. Sequentibus postea temporibus & alios filios & Achillem Thetis Peleo genuit; quos cum sub igne per noctē occultaret, vt quod mortale esset absumeretur, mortui sunt. Achilles vero ambrosia per diem iniunctus, & sub igne per noctem occultatus dicitur aliquantulū perdurasse, donec re à Peleo deprehensa Thetis irata se in numerum Nereidum receperit. Atq; eo tempore Achilles vocatus fuit Pyrisous, tāquam ab igne seruatus, & Chironi educandus datus fuit, & postea Achilles ob eam causam, quod exusto labro careret dictus, vt ait in his Agamestor in Thetidis epithalamio:

παιδὶ τῷ δ' ὄνομα θῆκε πυρίσσοον. ἀλλ' Ἀχιλῆα
Πηλεὺς κίκλησκε, χεῖλος ἕνεκά μιν
χείμθρον εἰνὶ κόνι ποδὶ ἢ ἐπὶ πῦρ ἀπάμερσε,
χεῖλος αἰθομένῳ ἀποσφάτως ἐπίεχε.

*Additur huic nomen Pyrisous: ipse at Achillem*
*De labri Peleus nomine dixit eum;*
*Sub cinere exussit puero quia pruna iacenti*
*Vnum de labris, hinc quoq; nomen habet.*

Fuerunt qui dixerunt Thetidem non sub flamma solitam esse occultare filios è Peleo susceptos, sed in lebetem aquæ bullientis iacere, vt experiretur an mortales geniti essent, atque hæc de Thetide filia Nerei. Tethis Oceani vxor, sororque Titiani Ephyren peperit, quæ nupsit postea Epimetheo, & Pleionen Atlantis vxorem de qua sic ait. Ouid. lib. 5. Fast.

*Duxerat Oceanus quondam Titannida Tethyn,*
*Qui terram liquidis, qua patet, ambit aquis.*

*Hinc*

*Hinc sata Pleione cum cœlifero Atlante*
*Iungitur, vt fama est, Pleiadesque parit.*

Memorántur præterea multæ Oceani & Tethyos filiæ, Acaste, Admete, Asia, quæ Asiæ nomen dedit, Clymene, Idyia, Ephyre, Eudora, Eurynome, Ianira, Lyriope, Melobosis, Metis, Plexame, Prymno, Rhodia Thea, Thoe Tyche, Xãthe, Zeuxo, Clytie, quæ ab Apolline amabatur. Ea cũ furtũ Apollinis Leucothoes patri Orchamo indicasset ob zelotypiam, relicta ab Apolline, amoris impatiens cibo potuque abstinens, quia spectaret quacunque incederet Apollo, Deorum misericordia in Heliotropium herbam demum conuersa est.

¶ Verum siue Thetidem nominemus, siue Thetim, vtraque Dea fuit marina, & Tethys putanda est ipsa aquæ moles, quæ ad generationem coaluerit: Thetis vero aquæ elementum, vt patet ex Pollione Virgilij;

*Pauca tamen suberunt priscæ vestigia fraudis,*
*Quæ tentare Thetim ratibus, quæ cingere muris*
*Oppida.*

Nam nisi sit Oceanus vniuersa aqua, ac materia Tethys ad generationem concreta, ridiculum sane erit mare etiam vxorem habere. cum igitur ea materia, ex qua cuncta gignuntur, coaluerit, illa Deorum & animalium omnium mater dicta est. Quod attinet ad nuptias Pelei, scriptum reliquit Staphylus in libro de Thessalia Chironem rerum astronomicarum peritissimum voluisse Peleum illustrare, quare tempus obseruauit, quo futuri essent magni imbres, atque famam in homines dissipauit, quod Ioue concedente Peleus Thetim esset vxorem ducturus, ad quas nuptias Dij cum pluuia & magna hyeme forent venturi. cum tempus igitur huiusmodi aduentasset, Peleus duxit Philomelam Actoris Myrmidonis filiam, sed tamen de Thetide inualuit. Alij per hæc libidinosorum furorem notarunt, qui omnes vias inquirunt, quibus mulieres alliciant, neque timent muliebres fallacias, cum neglecta honoris, facultatum, salutis cura, illud solum spectent, vt libidinẽ expleant. sed cum inter mortalem & immortalem suapte natura parnum sit commercium, non sunt diuturnæ nuptiæ, neque illorum salus, qui voluptatem tanquam bonum simpliciter affectant. Nam profecto decet virum sapientem tanquam peritum nauclerum, non tantum vti præsenti vento

aut præsenti forma, sed etiam futura longe prospicere. Verum de his alibi copiosius dictum sit. hæc de Thetide sufficiant: ac nunc de Tritone dicamus.

## *De Tritone.* CAP. III.

TRITON Deus marinus, quorum filius fuerit, non conuenit inter scriptores. Hesiodus Neptuni & Amphitritesillum filium fuisse dicit in Theogonia in his.

*ἐκ δ᾽ Ἀμφιτρίτης καὶ ἐριχτύπου Ἐννοσιγαίου*
*Τρίτων εὐρυβίης γένετο μέγας· ὅστε θαλάσσης*
*πυθμέν᾽ ἔχων, παρὰ μητρὶ φίλῃ καὶ πατρὶ ἄνακτι*
*ναίει χρύσεα δῶ, δεινὸς θεός.*
*Inde Amphitrite Neptunoq; editus ipse*
*Est Triton Deus insignis, qui vasta profunda*
*Cum patre & cum matre colit, quiq; aurea tecta*
*Incolit eximius Deus.*

Acesander vero Eurypylum & Tritonem filios fuisse Neptuni & Celænus scriptum reliquit, ac Steropen Solis filiã nupsisse Eurypylo, cui genuit Leuconem & Leucippum At Numenius in libro de Piscationibus Oceani & Tethyos filium Tritonem fuisse inquit. Lycophron Nerei filium putauit, vt patet in ijs carminibus, in quibus inquit poculum donatum fuisse Tritoni à Medea, quoniam is Argonautas rexerit, cum in Syrtes incidissent:

*κλασθὲν πίτυλον νερτέρων κειμήλιον*
*Αὐσίγδα, Κινύφειος ἣν τέγγων ῥόος*
*νασμοῖς λιπαίνει, τῷ δὲ Νηρέως γόνῳ*
*Τρίτωνι Κολχὶς ὤπασεν δεινὸς γυνὴ,*
*χρυσῷ πλατὺν κρατῆρα κεκροτημένον.*
*Fractum lacunar inferorum magna opes,*
*Ausinda, Cinnypheus hanc fluctus rigans*
*Fœcundat arua, Nerei proli hic dedit*
*Tritoni Colchis poculum olim fœmina*
*Dono, quod auro erat probe multo illitum.*

Fuit autem Triton Oceani ac Neptuni buccinator & tubicen, vt restatur Ouid. li 1. Metam in his; vbi etiam formam ipsius buccinæ describit:

*Cœruleum Tritona vocat, conchaq; sonanti*
*Inspirare iubet, fluctusq; & flumina signo*
*Iam reuocare dato: caua buccina sumitur illi,*

*Tortilis*

*Tortilis in latum quæ turbine crescit ab imo:*
*Buccina, quæ medio concepit vbi aera ponto,*
*Littora voce replet sub vtroq; iacentia Phœbo.*

Huius suprema pars corporis vsque ad vmbilicum fuit hominis, at inferior vsq; ad caudã delphini, duos pedes priores equinos habuisse dicitur, caudamq; duplicem in Lunæ formam, vt significauit Apollonius lib. 4. Argonaut. in his:

——— δέμας δέ οἱ ἐξ ὑπάτοιο
κράατος ἀμφί τε νῶτα καὶ ἰξύας ἔστ' ἐπὶ νηδὺν,
ἀντικρὺ μακάρεσσι φυὴν ἔκπαγλον ἐΐκτο.
ἂν τὰρ ὑπαὶ λαγόνων δικραίρα οἱ ἔνθα καὶ ἔνθα
κήτεος ὁλκαίη μηκύνετο· κόπτε δ' ἀκάνθαις
ἄκρον ὕδωρ, αἵτε σκολιοῖς ἐπὶ νειόθι κέντροις
μήνης ὡς κεράεσσιν ἐειδόμεναι διχόωντο.

*Par fuerat forma superis humero, q; caputq;,*
*Et latera, & partes supremas corporis omnes.*
*Inferius sed enim cauda hinc pendebat & illinc*
*Immanis ceti, tum spinis verberat alti*
*Terga freti, hæ Lunæ similes curuantur in orbem.*

Hanc eandem formam Tritonis ita expressit Virgil. lib. 10.

*Hunc vehit immanis Triton, & cærula concha*
*Exterrens freta, cui laterum tenus hospita nanti*
*Frons hominem præfert, in pristim desinit aluus.*
*Spumea semifero sub pectore murmurat vnda.*

Fabulati sunt hunc in curru ab equis cœruleis tracto vehi solitum, vt ait Ouid. in epist. Didus;

*Iam venti ponent, strataq; æqualiter vnda,*
*Cœruleis Triton mare curret equis.*

Inquiũt huic numeros fuisse colore purpureo, & quasi colore mortuæ triglæ perfundũtur; de quo ita ait Ouid. lib. 1.

*——— supraq; profundum*
*Extantem, atq; humeros natiuo murice tectum*
*Cœruleum Tritona vocat.*

Tritonem humanam vocem habuisse dicunt, vt testatur Pauſ. in Arcad. Fabulantur hunc inuentam à se concham ad id bellum attulisse, quod susceptum est aduersus Gigantes, quam cum inflasset, & inauditum sonum edidisset, illi immanem aliquam beluam ac formidabilem rati se in fugam verterunt, quare victoriam facilẽ Diis concesserũt. De Tritia Tritonis filia meminit Pausan. in Achaicis, quæ

cum esset virgo, fuit sacerdos Mineruæ, sed postea à Marte compressa Melanippum peperit. Idem testatur in Bœoticis Tritonem solitum fuisse quæcunque pecora ad mare agerentur apud Tanagræos adoriri, qui etiam leniora nauigia inuadebat. Ad hunc placandum cum Tanagræi vini craterem exposuissent, ille odore allectus vinum hausit; mox de tumulo littoris in somnum versus præceps decidit, cui Tanagræus quidam humo securi caput amputauit: quem tamen à Baccho cæsum nonnulli crediderunt. Qui diligentius Tritonum figuram exprimere conati sunt, illi Tritonum capillos apio palustri similes esse dixerunt, cum reliquum corpus exiguis squamis integeretur, duritiæ limæ persimili. Branchias habuit paulo inferiores auribus naresque hominis, cum rictus tamen oris esset paulo latior: dẽtesque pantherarum dentibus persimiles, oculi subglauci, manus & vngues & digiti similes erant testæ conchyliorũ; tum pinnæ sub ventre & sub pectore, sicut visuntur in delphinis, vt scriptum est à Sostrato libro tertio animalium. Dictus est Triton etiam Neptunus, siue mare, vt ait Lycophron, qui etiam cetũ, in cuius ventre Hercules triduũ fuit Tritonis canem in his appellat, & leonem Herculem;

*τριεσπέρου λέοντος. ὅν ποτε γνάθοις*
*Τρίτωνος ἠμάλαψε κάρχαρος κύων.*
*Triumq; noctium leonem, quem canis*
*Tritonis olim deglutiuit improbus.*

Nam cum Hercules Laomedontis largitionibus impulsus Hesionen regie ornatam, cetoque expositam Laomedontis ipsius filiam vellet ab illo periculo liberare, fertur aggerem, vt alii malunt, murum repentinum excitasse, atque ad angustias eius aggeris armatus constitisse. Vbi vero cetus accessisset hians in ejus os Hercules irruit, vbi cum per triduum fuisset, ceto disrupto exiit omnibus amissis capillis capitis, vt scriptum reliquit Andrætas Tenedius in nauigatione Propõtidis. Quam quidem fabulam nihil aliud significasse puto, nisi futurum, vt traditum est à sapiẽtibus, Christianam viuendi rationem omnem pristinã malitiam disrupturam; cum multa tradita sint de Hercule, quæ ad prædicendam Christi fortissimam & omnibus saluberrimam vitam spectare appareant. Vocatus fuit Triton Nilus

lus Ægyptius fluuius, quod in eo Triton mortuus apparuit vt quidam putarunt, qui cum Deus esse putaretur ab antiquis, tamen vim mortis effugere non potuit, sicuti filii reliquorum creditorum Deorum, vt nos lusimus his Græcis carminibus:

φεῦ, φεῦ, ποῖ φεύγοι μερόπων γένος; ἄφθιτον οὐδέν.
    πάντα δαμᾷ δρεπάνῳ ὀξέϊ γὰρ θάνατος.
καὶ φορέει τούτου τοῖς ἔντεσιν οὐδὲν ἄτρωτον
    δέρμα, κρατεῖ πάντων ῥεῖα θεὸς φοβερός.
οὐ δύναται γναμπτοῖσι λέων ὀνύχεσσιν ἀμύνειν
    οἷς τέκνοισι μόρον, κ' οὐ κεράεσσι βόες.
πῶς λεπιδωτὰ γένη κρύπτοιεν ἂν ἁλμυρὰ πόντου
    βένθεα; πῶς φεύγοι τὰ πτερόεντα θεόν;
οὐδὲ φυτοῖς δύναται γῆ μήτηρ σῆψιν ἀλάλκειν,
    οὐ ζώοισι μόρον, πολλὰ χαριζομένη.
ὤλετ' Ἀριστοτέλης φύσει πολυφέρτατος ἀνδρῶν,
    ὤλετο, τῆς σοφίης οὐκέτ' ὄνησις ἔπει.
κάτθανε δ' ἡγήτωρ ποιητάων θεῖος Ὅμηρος.
    οὐκ εἶδεν σώζειν Ὀρφέα Καλλιόπη.
οὐδ' αὖθις βασιλεὺς ἐνέρων, καὶ Περσεφόνεια,
    ἃς ἔλαβον ψυχάς, πέμπον ἐς ἠέλιον.
ἄμαχος οἷς θάνατος κατὰ μυρία φῦλα καμόντων
    αἰὲν ἄγει, πέλεται σύνδρομος ἀΐδιος.
ἔσθ' ἅρα φύλλα χαμαὶ χέεται βορέαο πεσόντος,
    ἔθνεά τ' ὀρνίθων χείματος ἀχαλάει.
ἀφελόεις τ' ἄνεμος ποτὶ κύματα θῖνα κυλίνδει,
    πᾶσαι βᾶν ψυχαὶ ἀθρόες γε καταχθονίους.
οὐκ εὐχὰς θνητῶν, μακάρων τ' αἰτήματ' ἀκούει.
    οὐδένα γὰρ φιλέει μήποτε δωροδέκτος.
κάτθανεν Ἡρακλῆς, μεγάλου Διὸς ἄλκιμος υἱός,
    οὐ δύναται λύειν Ἀφρογένεια φίλον.
Ἄρτεμις Ἱππόλυτον λείπει πολυΐστορ' ἄνακτι
    ἀχρεῖον ὑποχθονίῳ δακρυόεσσα Διί.
ἄτρεπτος νόμος ἐστὶ θεᾶς θανάτοιο· γὰρ οὐδεὶς
    ἔκφυγ' ἐπεὶ μοῦνος τῆς γε θεὸς κρατέει.

Quæ carmina non insuauiter vertit Laurentius Gottius in Latinam linguam, iuuenis, multis egregiis artibus ornatus, vt dictum est:

*Quo fugiat mortale genus? nil deniq; tutum est.*
    *Crudelis nam mors omnia falce secat.*

*Nil durum, nil non Mortis penetrabile telis.*
*Omnia vi domuit Mors violenta Dea.*
*Cornibus haud potuit natis depellere pestem*
*Bos, non horrendo feruidus ungue leo.*
*Squammigeras pelagi gentes quæ falsa profunda*
*Celarint? volucres quæ leuis aura ferat?*
*Non potuit plantis terra aut animalibus alma*
*Prodesse auxiliis, omnia victa cadunt.*
*Mortuus est, illum nihil & sapientia iuuit,*
*Natura cecidit gnatus Aristoteles.*
*Occidit & vatum ductor diuinus Homerus.*
*Nec clarum seruat Orphea Calliope.*
*Quas animas cepit Proserpina rursus ad auras*
*Non patitur superas Solis adire Deus.*
*Vndiq; mors animas horrenda in tartara cogit*
*Tranantes illuc quæ sine lege ruunt.*
*Quot volucres primo tristantur frigore læsæ,*
*Quot frondes gelido flante Aquilone cadunt,*
*Aut vndas venti spumosa ad littora voluunt,*
*Tot defunctæ animæ tartara ad ima fluunt.*
*Non audit mors vota virum vel iussa Deorum.*
*Non amat hæc quenquam, munera nulla capit.*
*Arte Venus nulla, chariten reuocauit Adonim.*
*Et Iouis Alcidem lurida regna tenent.*
*Inferno regi Hippolytum Diana relinquit,*
*Pallentem mœrens & lacrymosa Ioui.*
*Inconcussa Deæ stat lex, quam nemo reflexit:*
*Hanc vnus potuit nam superasse Deus.*

Vocatus fuit etiam Triton Nilus Ægyptius fluuius, quia ter nomen mutauerit: nam prius Oceanus, deinde Ægyptus, tum denique Nilus vocatus est, vt ait idem Lycoph.

Αἰγύπτιον Τρίτωνος ἕλκοιτο πότον.
*Ægyptium Tritonis vt potum trahit.*

Vocatæ sunt Tritones & vrbes nonnullæ Bœotiæ, Thessaliæ, Libyæ.

¶ Atq; Tritones deniq; crediti sunt Dei, qui presto essent nauigātib. ne q̄s locus, aut ne ꝙ hominū facin⁹ diuina numinis pstantia carere videretur. Quod Tritō Neptuni fuerit & Amphitrites, vel Neptuni & Celænus, vel Oceani & Tethyos, vel Nerei filius. nihil aliud significare sane ego credi-

crediderim, quam monstrum marinum fuisse, cum aqua omnium elementorum maxime sit ad varia monstrorum genera procreanda fertilis. Et quoniam facile cadit in rerum ignotarum admirationem imperita multitudo, idcirco quod raro apparet vel diuinum quidpiam esse arbitratur, vel certe sine aliqua diuina & maxima causa non contingere. Id cum ita sit, non fuit difficile persuadere mortalibus diuinum quidpiam esse Tritones, & Deos esse quorum in potestate essent nauigantes, ad quod credendum aliquando periculorum magnitudo impellebat (fiunt enim timentium animi & in periculis existentium ad superstitionem perfaciles.) Et cum inter multos precantes alicui voti compos fieri contigisset, illius præconio postea Tritonum vt Deorum nomen fuit celebratum. Neque illud prætermiserim, quod apud Romanos super templo Saturni Triton quidam eximiæ magnitudinis fuit collocatus, qui buccinam inflabat quoties oriebatur ventus, caudamque intra terram occultabat. Per illum significare tradiderunt nonnulli res gestas ante Saturnum silentio fuisse inuolutas: at post imperium Saturni clarissima historiographorum voce fuisse celebratas: quamuis ego occultatam veram religionem ante Christum per hæc significatum crediderim; at post Christi aduentum clarissimo sanctorum Apostolorum præconio omnibus gentibus veram, sanctam & saluberrimam legem omnibus Christo altissimo Dei filio credentibus celebratum iri. Nam alioquin insulsum esse videbatur, vt sapientes antiqui caudatos etiam Deos habuerint. At nunc de Palæmone dicamus.

## *De Ino & Palæmone.* CAP. IV.

INO quoq; cum Palæmone filio nauigantib. præesse fuit existimata ab antiquis, & inter Deorum marinorum numerum relata. Hæc Cadmi & Harmoniæ illius, cuius carmen nuptiale Musæ cecinerunt, filia fuit, vt ait Hesiodus:

*Κάδμῳ δ' Ἁρμονίη θυγάτηρ χρυσῆς Ἀφροδίτης*
*Ἰνὼ, καὶ Σεμέλην καὶ Ἀγαυὴν καλλιπάρηον,*
*Αὐτονόην θ', ἣν γῆμεν Ἀρισταῖος βαθυχαίτης.*
*Harmonia hinc Veneris formosa filia Cadmo*
*Inoq; Semelenq;, & Agauen edidit, atq;*
*Autonoen, quæ nupsit Aristæo inde comato.*

Fuit Ino postea Athamantis Thebanorũ regis vxor, quæ, vt

dictum fuit, singulari odio Nepheles filios, vtpote nouerca prosequebatur, totisq; seminibus vnum de filiis Nepheles Diis immolari oportere per aruspices significauit. Postea ob Iunonis odium in omnes Thebanos, quia Bacchus ibi natus esset, Athamas in furorem vertitur, Learchumq; filium, quem ex Ino inter cæteros susceperat, obtruncauit. Tum Ino arrepto Melicerta ob Athamantis timorem in proximum mare insiliit. Fuerunt qui dicant furorem immissum fuisse Ino, quod illius filiæ peperissent & educassent Dionysum. At Nymphodorus Syracusius in libro Asiaticæ nauigationis non ab Athamante, sed à furiata Ino sæuitum esse scripsit in filios, quæ & Learchum & Melicertam trucidauit, ac postea desperatione capta in mare insilierit ob impatientiam doloris, vt ibi suffocaretur. At Dorion in libro de piscibus Learchum sagitta fuisse ab Athamante transfixum scribit, Melicertamque ab Ino iugulatum, post quam rem se Ino in mare præcipitauit Fuit autem alius Melicerta cognomento ob suauitatem carminum, cum prius Simonides vocaretur, qui & artem memoriæ primus inuenit, & longa dupliciaq; elementa, tertiumque sonum lyræ addidit, quem alii scripserunt 56. alii 72. Olympiade floruisse. Alii dixerunt Ino fugisse Athamantis impetum cum Melicerta filio, quia Learchum, quem Athamas interemerat, in cacabum bullientis aquæ coniecisset. At Polyzelus in rebus Rhodiis Athamantem impetum fecisse in filios Inus scripsit, quia per fraudes illius, cũ fruges torruissent agricolę, mortem innocentibus Nepheles filiis paratam fuisse intellexisset, resciuissetque immissam esse famem per fraudem Orchomeniis. Aufugit igitur per Geraniam Megarensis agri montem, seq; de saxo Moluride dicto, vt ait Paus. in Atticis, cum filio Melicerta, vt communior est sententia in mare præcipitauit: vt patet ex his lib. 4. Metam. apud Ouid.

*Imminet æquoribus sc pulus: pars ima caua: ur*
*Fluctibus, & tectas defendit ab imbribus vndas:*
*Summa rigent frontemq; in apertum porrigit æquor.*
*Occupat hunc (vires insania fecerat) Ino*
*Seque super pontum multo tardata timore*
*Mittit onusq; suum percussa recanduit vnda.*

Alii fabulantur accidisse eo tempore vt Nereides chorum

du::cen:

ducerent in eo loco, quare dixerunt se in honorem Melicertæ, vt Sisypho gratificarentur tripudiare. Non defuerũt tamen qui putarint eius corpus ad Sisyphum delatum ex Exhænuntia, quo fuerat portatum ab vndis, & Isthmicos ludos tunc illi institutos. At Megarenses Inus cadauer in maritimam oram agri sui à mari eiectum fuisse inquiunt, & à Cleso Tauropolique Clesonis filiabus susceptum sepulturæ mandatum fuisse. Hęc Ino vocata fuit postea Leucothea, & Dea maris existimata, vt Homerus lib. 4. Odyss.

τὸν δὲ ἴδεν Κάδμου θυγάτηρ καλλίσφυρος Ἰνώ
Λευκοθέη, ἣ πρὶν μὲν ἔην βροτὸς αὐδήεσσα,
νῦν δ᾽ ἁλὸς ἐν πελάγεσσι θεῶν ἐξέμμορε τιμῆς.

*Prospicit hunc Ino formosi filia Cadmi*
*Leucothea, an'e fuit mortalis fœmina: sed nunc*
*Illam diuino nautæ dignantur honore.*

Hæc Matuta deinde vocata fuit à Latinis, quia mane oriretur, vt ait Cic. in lib. Tusc. disput. in his: Ino Cadmi filia nonne Leucothea nominata à Græcis, Matuta habetur à nostris? quæ quod aurora sit, ita patet ex Lucret. lib. 5.

*Tempore item certo roseam Matuta per oras*
*Ætheris auroram defert, & lumina pandit.*

Cœpta fuit dici Leucothea in quodam vico non procul ab vrbe Corone, & tunc in Deorum numerum relata, vt ait Paus. in Messeniacis. Fuit magna vis eius existimata in seruãdis nauigantib & in mari placando, vt Orph. in hymnis:

Λευκοθέαν καλέω Καδμηΐδα, δαίμονα σεμνήν,
εὐδύνατον, θρέπτειραν ἐϋστεφάνου Διονύσου.
κλῦθι θεὰ πόντοιο βαθυστέρνου μεδέουσα,
κύμασι τερπομένη, θνητῶν σωτῆρα μεγίστη.
ἐν σοὶ γὰρ νηῶν πελαγόδρομος ἄστατος ὁρμή.

*Aduoco Leucotheam, Dea quæ venerabilis atq;*
*Multa potens; Bachum puerum quæ nutriit ol'm.*
*Audi diua maris, quæ nautas, quæ regis vndas,*
*Fluctibus & gaudes seruatrix alma virorum:*
*Vt tibi collibuit, sulcant tuta alta carinæ.*

Impetratum est autem Veneris precibus à Neptuno vt Dea maris fieret Ino, sicuti scriptum reliquit Ouid. lib. 4. Metamorph.

*At Venus immeritæ neptis miserata labores,*
*Sic patruo blandita suo est: O numen aquarum,*

*Proxima cui cœlo cessit Neptune potestas.*
*Magna quidem posco? sed tu miserere meorum*
*Iactari quos cernis in Ionio immenso,*
*Et Diis adde tuis aliqua mihi gratia Ponto est.*
*Annuit oranti Neptunus, & abstulit illis*
*Quod mortale fuit, maiestatemq; verendam*
*Imposuit, nomenq; simul, faciemq; nouauit?*
*Leucotheeq; Deum cum matre Palemona dixit.*

Scripsit in Atticis Pauſ. Melicertam a delphine exceptum fuiſſe, cum cecidiſſet è ſaxo Moluride, & in Corinthiorum Iſthmum expoſitum mutato nomine Palæmona fuiſſe appellatum, atque inter cœteros honores Moluridem petrã illi fuiſſe conſecratam, & Iſthmicos ludos illi à Siſypho Æoli filio fuiſſe inſtitutos, qui tunc imperabat Corinthiis cum eſſet Melicertæ fratris filius: atque primum pinu, deinde apio ſicco victores ibi coronati ſunt. Muſæus in eo libro quem ſcripſit de Iſthmiis, duo certaminum genera celebrari ſolita in Iſthmo ſcripſit, alterum in honorem Neptuni, alterum in Melicertæ quod etiam in honorem Neptuni Iſthmia celebrarentur, videtur atteſtari in his Apollonius lib 3.

οἷος δ' Ἴσθμιον εἶσι Ποσειδάων ἐς ἀγῶνα
ἅρμασιν ἐμβεβαώς.
*Qualis adit ludos Iſthmi Neptunus vt altum*
*Conſcendit currum.*

Habitus eſt poſtea ipſe etiam Palæmon Deus marinus, vt ait Orpheus in hymnis:

συντροφε Βάκχε χορεῖο Διωνύσου πολυγηθοῦς
κικλήσκω σὲ Παλαῖμον ἐπ' εὐιέροις τελεταῖσιν,
ὃς ναίεις πόντοιο βυθοὺς βαθυκύμονας ἁγνούς,
ἐλθεῖν ἀμμίον τ' ἱερῷ γηθοῦντα προσώπῳ,
καὶ σώζειν μύστας κατά τε χθόνα, καὶ κατὰ πόντον.
ποντοπλάνοις γὰρ ἀεὶ ναύσιν χειμῶνος ἐναργὴς
φαινόμενος σωτὴρ, μοῦνος θνητοῖς ἀναφαίνῃ
ῥυόμενος μῆνιν χαλεπὴν κατὰ πόντιον οἶδμα.
*Te voco qui fluctus habitas pontumq;, Palæmon,*
*Cum Baccho nutrite, veni ad tua ſacra benignus,*
*Et læta facie pelagi de fluctibus altis:*
*Cultores, qui tuos in terris protege, & undis.*
*Pontiuagis hyemem nautis depellere ſueſti,*

His

*His quibus appares miseris mortalibus vnus*
*Namq́ue faues, tumidique refrenas æquoris iras.*

Sic etiam Euripid. in Iphigenia in Tauris custodem & seruatorem nauium Palæmonem vocauit:

*ὦ ποντίας παῖ Λευκοθέας, νεῶν φύλαξ,*
*δέσποτα Παλαῖμον, ἵλεως ἡμῖν γενοῦ.*
*Fili marinæ Leucotheæ custos bone.*
*O nauium Palæmon esto mi bonus.*

Atque Lucianus Epigrammatum poeta fuisse consuetudinem scribit in hisce carminibus, vt Diis marinis, per quos salutem & incolumitatem nautæ fuissent assecuti è maris perturbatione, vota soluerent:

*Γλαύκῳ, καὶ Νηρεῖ, καὶ Ἰνοῖ, καὶ Μελικέρτῃ,*
*καὶ βυθίῳ Κρονίδῃ, καὶ Σαμόθραξι θεοῖς,*
*σωθεὶς ἐκ πελάγους Λουκίλλιος ὧδε κέκαρμαι*
*τὰς τρίχας ἐκ κεφαλῆς. ἄλλο γὰρ οὐδὲν ἔχω.*
*Inoque, Glaucoq́ue & Nereo dein Melicertæ,*
*Et Samothracum Diis, æquoreoq́ue Ioui,*
*Seruatus dicat è pelagi Lucillius vndis*
*Hos crines aliud namq́ue habet ille nihil.*

Hic non vehebatur in curru, sed natandi peritissimus habebatur, vt ait Ouid. in epist. Leandri:

*Et iuuenem possim superare Palæmona nando,*
*Miraq́ue quem subito reddidit herba Deum.*

Vocatus fuit Palæmon etiam Portunus, quem clauem dextra gestantem finxerunt, quoniam portus ab hostibus tueretur. Huic infans mactari consueuit, atque in Tenedo præcipue diuinis honoribus colebatur. Sepultus fuit hic nauigantium Deus in Isthmo, vt ait Pausanias in Atticis: at Ino in ora maritima agri Megarensium à Cleso & Tauropoli Clesonis filiabus & Lelegis neptibus, vt dictum fuit, Hæc sunt ea quæ de Ino & Palæmone memoriæ prodita fuerunt ab antiquis, è quibus veritas est expriméda. Quod Ino fuerit Cadmi & Harmoniæ filia, & Athamantis vxor, non dissentit ab historia? & quod a patre fuerit filius saxo illisus, & quod Ino timore vel furore concita in mare se cum filio præcipitauit. Quod vero ipsa & puer Melicerta fuerint in Deos conuersi, nihil hoc habet cum veritate commune.

§ At quid per hæc significare voluerunt antiqui; Dictum

fuit superius tantam fuisse nonnullorum antiquorum principium ambitionem, vt aras, & sacerdotes, & ceremonias nonnullis suorum maiorum tanquam Diis immortalibus instituerint. Sic Isthmia Sisyphus, quæ prius in honorē Neptuni celebrabantur, in honorem sui propinqui conuertit, quare dictus est Neptunus his aquarum imperium impertisse, atque inde Dii marini crediti sunt. Nam apud Romanos etiam pro Græcorum consuetudine funebres ludi instituti sunt, qui & ipsos suos principes inter Deos fuisse relatos demum fabulantur. Nam sicut omnium prope principum nostræ ætatis paucis exceptis animum auaritia, vitiorum omnium sordidissimum, ita ambitio antiquorū mentes occupauerat. Leucothea, quæ Matuta dicta est à Latinis, aurora est: Palæmon siue Portunus vis est tempestatis: nam παλλειν agitare significat, vnde Palæmon vocatus est. Matutæ filius dictus fuit, quia vēti plerumq; ab aurora spirare incipiunt: & quia tunc in mare incumbunt, dicuntur se in mare præcipitasse, velut rationi magis conuenit, quia certissima est nuncia ventorum ac tempestatum, tanq̃ futuræ serenitatis, aurora. Hi crediti sunt Dij nauigantiū, quia venti nauigantibus vere præsint, qui si benigni aspirarint, fœlix iter cōtingit nauibus, & idcirco ait Virg. lib. 1. Georg.

*Votaq; seruati soluent in littore nautæ,*
*Glaucum Panopeæ, & Inoo Melicertæ.*

Quare per hanc fabulam significarunt illos se ventorum leuitati credere, qui per mare nauigarent. quare non est de diuina clementia conquerendum si quid aduersi acciderit, sed de nostra leuitate & imprudentia. qui cum in tuto simus, sponte tamen & consulto in illa procurramus pericula. Ad placandas etiam perturbationes animorum hæc fabula accommodata est, & ad hortandum ad beneficentiam & liberalitatem, quippe cum ita exagitata à Iunone Ino, quia Liberum patrem liberaliter educasset, in tantum fœlicitatis postea euaserit. Nam etsi viri boni aliquandiu pro benefactis opprimuntur, & patiuntur domesticas calamitates, tamen nemo vir bonus diu potest esse infœlix. nam quæ tanta potest esse calamitas, quod tantum infortuniū, quod diuina clementia in maiorem fœlicitatem non possit conuertere? confidendum igitur esse diuinæ bonitati sic antiqui tradiderunt, cum nemo iustus à Deo contemptus relin-

relinquatur, cumque tanta sit diuina clementia, vt spem etiam superet mortalium ijs adiuuandis qui inique miserias patiuntur. Nunc de Glauco dicamus.

*De Glauco.* CAP. V.

GLAVCVS, & qui ipse marinus Deus ex homine factus est, nõ minus absurdum figmentum, suæq; ἀποθεώσεως caussam consecutus fuit. Hunc Anthedonis hominis cuiusdam Bœoti filium fuisse scriptum reliquit Strabo libro nono, cum tamen illum Polybi Mercurij filii & Eubœæ filium fuisse scribat Theophrastus lib. 5. eorum quæ in sicco degunt, & Promathidas Heraclæota Phorbi & Panopeæ nymphæ filium putauit, ac patria Anthedonium, cum Anthedon eximia ciuitas fuerit Bœotię. Alii dicunt fuisse Nopeum Glauci patrem, quem dicentem de seipso introduxit Thelycus Me hymnæus ita Bacchicis carminibus:

*Ἀνθηδὼν πόλις ἐστὶν ἐπὶ πλευρῇσι θαλάσσης,*
*ἀντίον Εὐβοίης, σχεδὸν Εὐρίποιο ῥοάων·*
*ἔνθεν ἐγὼ γένος εἰμί, πατὴρ δέ με γείνατο Νωπεύς.*
*Vrbs est Anthedon spumoso proxima ponto,*
*Eubeicis obiecta fere Euripique fluentis;*
*Est genus inde meum, Nopeus pater ipse vocatur.*

Hic dicitur Ariadnam ex insula Dia rapuisse, qui postea à Baccho fuit viteo vinculo ligatus, sed deinde dimissus. Hic quoniam natator esset peritus, Pontius fuit appellatus. Epicus vero Euanthes Neptuni & Nædis filium illum fuisse scripsit in quodam hymno. Fabulantur hunc Symam Ielemis & Doridis filiam raptam in Asiam deportasse: deinde amasse Hydnam Scylli Scionei vrinatoris filiam. Alii dicunt hunc piscatorem fuisse Anthedonium, vt est apud Ouid. lib. 10 Metamorph.

*Ante tamen mortalis eram, sed scilicet altis*
*Deditus æquoribus, tantum exercebar in illos.*
*Nam modo ducebam ducentia retia pisces,*
*Nunc in mole sedens moderabar arundine linum.*

Quidã inquiunt hunc artificem fuisse Argo nauis, eamque gubernasse quo tẽpore Iason pugnauit cum Tyrrhenis, qui solus euasit nõ vulneratus, vt scripsit Possis li. 3. Amazonidis Hunc alii habitasse in Delo scribũt, & cum Deabus Nereidibus vaticinari solitum, Apollinemq; artem vaticinandi à Glauco doctum fuisse, vt ait Nicander lib. 1. Georgicorum

Fabulantur hunc aliquando magnam copiam piscium cepisse, qui piscatorem fuisse tradiderunt, quos cum in vrbem portaret, onusque ob nimium pondus fessus in via deposuisset, quidam ex iis piscibus herba quadam gustata reuixit. eam rem admiratus Glaucus & ipse herbam illam gustauit, quare statim immortalis est factus. at Ouidius lib. 13. dum pisces numeraret in littore mari proximo, vnde pisces ceperat, illud contigisse scribit, piscesque ipsos non gustata, sed tacta solum herba in mare refugisse memorat, his verbis:

*——— ego primus in illo*
*Cespite consedi dum lina madentia sicco.*
*Vtq; recenserem captiuos ordine pisces,*
*Insuper exposui, quos aut in retia casus,*
*Aut sua credulitas in aduncos egerat hamos.*
*Res similis ficta, sed quid mihi fingere prodest?*
*Gramine contacto cepit mea præda moueri,*
*Et motare latus, terraq; vt in æquore niti.*
*Dumq; moror, mirorq; simul fugit omnis in vndas*
*Turba suas, dominumq; nouum littusq; relinquunt.*

Id cum vidisset Glaucus, etiam ipse illa herba gustata Deus factus in mare insiliit, vt testatur paulo post idem poeta. Alij tamen eo tempore, quo Iason cum Tyrrhenis pugnauit, Iouis consilio illum in profundum mare demersum inquiunt, ac Deum marinum factum soli Iasoni apparuisse. Alij malunt Glaucum in Oria monte altissimo Ætoliæ leporem insecutum fuisse, quem captum cum ad fontem detulisset quia propter laborem diuturnum defecerat, ille refectus proxima herba quadam gustata conualuit: qua herba gustata ipse etiam Deus marinus factus est. Alij tædio vitæ illum sese in mare præcipitasse inquiunt. Fabulantur hunc interpretem fuisse Nerei, vt sensit Euripid. in Oreste:

——— ἐκ δὲ κυμάτων
ὁ ναυτίλοισι μάντις ἐξήγγειλέ μοι
Νηρέως προφήτης Γλαῦκος, ἀψευδὴς θεός.

*——— ast è fluctibus*
*Vates fretum sulcantibus dixit mihi*
*Glaucus, propheta Nerei, verax Deus.*

Sic autem Apollonius libro primo vatem Nerei illum appellauit his carminibus:

τοῖσιν

τοῖσι δὲ Γλαῦκος βρυχίης ἁλὸς ἐξεφαάνθη,
Νηρῆος θείοιο πολυφράδμων ὑποφήτης.
ὕψι δὲ λαχνῆεν τε κάρη καὶ στήθε᾽ ἀείρας,
νειόθεν ἐκλαγόνων στιβαρῇ ἐπορέξατο χειρὶ
νηίου ὁλκαίοιο, καὶ ἴαχεν ἐσσυμένοισι.

*Visus adest illis tunc alto ex æquore Glaucus,*
*Diuini vates Nerei, qui plurima nouit:*
*Hirsutum caput, & pectus summa extulit vnda:*
*Tum forte dextra ex imo capit ille carinam*
*Labentis nauis, atq; hæc properantibus insit.*

Strabo vero lib.9. non in Deum marinum, sed in balænam conuersum fuisse scribit. Hic etsi cum Ariadna congressus fuisse scribitur à Thelyto Methymnęo in Bacchicis carminibus & cum Europia Mirei, & Hydna Scylli, cumq; Syma Iosemis, nullus tamen filius ex eo genitus commemoratur. at Clearchus Solensis lib.7. Vitarum, aliam fabulam longe ab his diuersam recensuit, quam etiam recitauit Isacius. inquit enim Glaucum Pasiphaes filium fuisse, qui cum murem insequeretur, in dolium mellis cecidit, atq; ibi suffocatus est. hunc vbi pater Minos quæreret, neque vspiam inueniret, accepit responsum hominem illum significaturum, & filium in vitam restituturum, qui dixisset cui rei similis esset bos tricolor Minois, qui in agro pascebatur. Hunc Polyidus illi fructui similem esse dixit, quē ferret rubus. Quare Minos illum iussit apprehendi, & sibi filium indicare, at Polyidus ex arte diuinandi suffocatum esse inquit in dolio mellis. cum igitur mortuus inuentus fuisset Glaucus, Polyidus cum illo in domum quandam includitur, vt illum vitæ restitueret. qui cum serpentem ad cadauer properantem vidisset, volens illum irritare vt ipse ab eo necaretur, forte serpentem interfecit. tum alius draco ad mortuum serpentem accedens herbam quandam attulit, qua tacta serpens ille reuixit. Hanc ipsam herbam captam Polyidus Glauco imposuit, & ita in vitam reuocauit. Coegit postea Minos Polyidum artem quoq; vaticinandi Glaucum docere, antequam in patriam suam Argos liberum dimitteret. Fuit etiam Glaucus alius Sisyphi filius, qui cum equas haberet, quæ carnibus humanis vescerentur, ab ijsdem ipse in amorem versis, Venerisq; stimulis agitatis, discerptus fuit, vt significat Virgil. lib.3. Georg.

*Et mentem Venus ipsa dedit, quo tempore Glauci*
*Potniades malis membra absumpsere quadrigæ.*

Id autem contigit non procul a Dirce fonte, Potniaq; ciuitate, vt ait Strabo lib. 9. quod inter eos ludos funebres contigisse ait Paus. in priorib. Eliacis, quos in patris honorem instituerat Acastus. Aiunt autem eo ipso in loco terrorem equis immitti solitum, in quo discerptus fuit Glaucus ab eius genio, quare Tarraxippus cognomento fuit nominatus. Quãuis alii istud ipsum Alcathoo Parthaonis filio tribuunt, qui fuit vnus ex Hippodamiæ procis ab OEnomao occisis, quique in eo ipso loco humatus suæ iniuriæ memor sæuiret in omnes per eum locũ equitantes: Fuit & Glaucus quidã Epicydis Spartanus virtutis & ingenii existimatione clarus. Et Glaucus Chius primus omnium mortaliũ ferruminationẽ excogitauit, artemq; ferri coniungendi, vt scripsit Herodotus in Clio. Fuit alius Glaucus Carystius, qui duas coronas victor è Pythiis, octonas è Nemeis & Isthmiis reportauit, cui pater fuit Demylus à Glauco marino Deo oriundus, vt ait Pausanias in posterioribus Eliacis.

¶ At nunc ex his veritatem eliciamus. fuit Glaucus vrinator peritissimus. quare aiunt hunc spectantibus Anthedoniis è portu enatasse donec ex omnium prospectu sub aqua latens in locum longinquũ perueniret, vnde à nemine amplius videri posset: ibi aliquot dies commoratus multis spectantibus ad certum diem natans in portum rediuit, cum diceret se tamdiu sub vndis degisse. Accedebat ad hoc miraculum, quod hyeme, cum nihil caperent piscatores, ad ciues suos quoscunq; illi pisces poposcissent, cõtinuo apportabat, quos ille multum ante in hũc vsum reseruauerat. Deinde captus à quadam belua marina cũ interiisset, memoriæ proditum est illum gustata quadam herba Deum marinum esse factum. Alij dixerunt Glaucum vitæ pertæsum se in mare præcipitasse: alii ob amorem Palæmonis, qui cum nõ amplius visus fuerit, à belua aliqua marina fortasse correptus creditus est in Deorum marinorum numerum recessisse. Verum quid habet admirabile hæc fabula, cur à poetis sapientissimis hominibus celebraretur? aut quid hoc pertinet ad humanæ vitæ institutionem? Significare per hæc voluerunt antiqui nullam adeo depressam & sordidam esse hominum conditionem: quam non Dei voluntas extollere & illu-

& illustrare facilime possit: cum nulla sit hominum conditio, quam Deus respiciat sine probitate, cum is innocentiam & integritatem animi tantum, at non aliud quidquam respiciat. Hunc cum diuinandi artis peritum finxerint, demonstrabant nauigandi peritum hominem futuras tempestates multo ante præuidere. At nunc de Nereo dicamus.

## *De Nereo & Nereidibus.* CAP. VI.

NEREVS vero fuit Ponti, siue Oceani & Tethyos filius creditus, vt his ait Hesiodus in Theogonia:

Νηρέα τ' ἀψευδέα καὶ ἀληθέα γείνατο Πόντος
πρεσβύτατον παίδων αὐτὰρ καλέουσι Γέροντα,
οὕνεκα νημερτής τε καὶ ἤπιος, οὐδὲ θεμιστέων
λήθεται, ἀλλὰ δίκαια καὶ ἤπια δήνεα οἶδεν.

*Nerea fatidicum, haud fallacem, semine Ponti*
*Progenitum natis seniorem dictus & inde est*
*Ille Senex, quod veridicus, blandusq; nec æqui*
*Oblitus nouit semper decernere iusta.*

Nam etiam Apollodorus libro 1. bibliothecæ hos Ponti & non Tethyos, sed Terræ filios connumerauit, Phorcum, Thaumantem, Nereum, Eurybiam, Ceto Illum igitur & veridicum & vatem esse crediderunt, cum Troianas etiam calamitates Paridi nunciarit, vt ait Horatius lib. 1. Carminum in his:

*Pastor cum traheret per freta nauibus*
*Idæis Helenam perfidus hospitam,*
*Ingrato celeres obruit ocio*
*Ventos, vt caneret fera*
*Nereus fata Mala ducis aui domum,*
*Quam multo repetet Græcia milite,*
*Coniurata tuas rumpere nuptias,*
*Et regnum Priami vetus.*

Fertur hic in mari Ægæo præcipue domum habuisse, vt ait Apollonius lib. 4.

ὣς ἔφατ' αὐτίκα δ' Ἶρις ἀπ' οὐλύμποιο θοροῦσα
τέμνε τανυσσαμένη κοῦφα πτερά, δῦ δ' ἐνὶ πόντῳ
Αἰγαίῳ, τόθι πέρ τε δόμοι Νηρῆος ἔασιν.

*Iris ait: cœloq; volans descendit ab alto*
*Præpetibus pennis passis, pontumq; subiuit.*

*Ægeum, domus hic sublimis, & atra Nerei.*

Fama est Herculem ad aurea mala Hesperidum ferēda missum, ad Nymphas, quæ in antris Eridani habitabant, adiisse, vt ex ijs audiret vbinam locorum essent illa mala aurea. Tum Hercules missus fuit ad Nereum, quem varijs formis eludere conantem tamdiu detinuit, vt in pristinam figuram redierit, remque indicarit. Hunc antiquissimum Deum nominauit Orpheus in Argonauticis:

Νηρέα μὲν πρώτιστα καλῶ πρέσβιστον ἁπάντων.

*Nerea cui priscum genus est, huc ante vocamus.*

Hunc mari præesse, & in mari habitare solitum, delectari choris puellarum, principiumque esse & finem aquarum, & omnes illius facultates denique ita complexus est Orpheus in hymno quodam:

ὦ κατέχων πόντου ῥίζας, κυαναυγέτιν ἕδρην,
πεντήκοντα κόραισιν ἀγαλλόμενος κατὰ κῦμα,
καλλιτέκνοισι χοροῖς, Νηρεῦ, μεγαλώνυμε δαῖμον,
πυθμὴν μὲν πόντου, γαίης πέρας, ἀρχὴ ἁπάντων.

*Fundamenta tenens ponti, cui cærula sedes,*
*Quinquaginta mari in lato latare puellis,*
*Formosisq; choris, Nereu, venerabile numen:*
*Tu fundamen aquæ, tu terræ finis, & idem*
*Principium es cunctis.*

Hunc ab vndis educatum & nutritum fuisse significauit Eurip. in Iphig. in Aulide:

μὰ τὸν δι' ὑγρῶν κυμάτων τεθραμμένον
Νηρέα, φυτουργὸν Θέτιδος, ἥ μ' ἐγείνατο.

*At non per vndas educatum Nereum*
*Thetidis patrem, cuiusq; ego sum filius.*

Hunc eundem patrem fuisse Nereidum vocatum ita idem testatur in eadem Tragœdia:

εἴτ' οὖν ἐπ' ἀκταῖς θάσσετον Διοσκόρω,
ἢ Νηρέως ἄγαλμά θ', ὃς τὸν εὐγενῆ
ἔτικτε πεντήκοντα Νηρῄδων χορόν.

*Nam seu Dioscuri sedent in littore,*
*Imago siue Nerei, Nereidum*
*Qui quinquies decem chorum olim protulit.*

Suscepit filias Nereus è Doride nympha Haliam, Spio, Pasithean & Ligean. Fuerunt enim quinquaginta. Nereides vocatæ Nerei & Doridis filiæ, vt ait Hesiod. his in Theog.

Νηρῆος

Digitized by Google

*Νηρῆος δ' ἐγένοντο μεγήρατα τέκνα θεάων*
*πόντῳ ἐν ἀτρυγέτῳ καὶ Δωρίδος ἠϋκόμοιο,*
*κούρης Ὠκεανοῖο τελήεντος ποταμοῖο.*
*Nascuntur Nereo nam pignora clara Dearum*
*Doridis & pulchra spumosis in maris vndis,*
*Quæ fuit Oceano fluuio lato edita quondam.*

Fuit autem Doris Nerei soror, Has comas virides habere censuerunt antiqui: quare ita ait Horatius lib. 3. Carminum:

*Nos cantabimus inuicem*
*Neptunum, & virides Nereidum comas.*

His aues Halcyones gratissimæ fuisse putabantur, vt ait Theocritus in Thalesiis:

*χ' ἁλκυόνες στορεσεῦντι τὰ κύματα, τάν τε θάλασσαν,*
*τόν τε νότον, τόν τ' εὖρον, ὃς ἔσχατα φυκία κινεῖ.*
*ἁλκυόνες γλαυκαῖς Νηρηΐσι ταί τε μάλιστα*
*ὀρνίθων ἐφίλαθεν.*
*Halcyones sternent vndas atque æquora ponti,*
*Atque Eurum, atque Notum, qui extremas suscitat algas:*
*Halcyones, Nereidibus gratissima proles*
*Cunctarum volucrum.*

Scriptum reliquit Orpheus in hymno quodam in Nereides, illas in vndis tripudiare, & bacchari, & tanquam lætissimos pisces huc illuc circa currum Tritonis precipue cursitare, inter quæ & illud est carmen:

*Τριτώνων ἐπ' ὄχεσσιν ἀγαλλόμεναι περὶ νῶτα.*
*At tergo currus Tritonum cernere posses*
*Has gestire simul.*

Harum Nereidum multarum nomina ita recensuit Homerus lib. 6. Iliadis:

*κώκυσέν τ' ἄρ' ἔπειτα· θεαὶ δέ μιν ἀμφαγέροντο*
*πᾶσαι, ὅσαι κατὰ βένθος ἁλὸς Νηρηΐδες ἦσαν.*
*ἔνθ' ἄρ' ἔην Γλαύκη τε, Θάλειά τε Κυμοδόκη τε,*
*Νησαίη Σπειώ τε, καὶ Θόη θ', Ἁλίη τε βοῶπις,*
*Κυμοθόη τε καὶ Ἀκταίη, καὶ Λιμνώρεια,*
*καὶ Μελίτη, καὶ Ἴαιρα, καὶ Ἀμφιθόη, καὶ Ἀγαυή,*
*Δωτώ τε, Πρωτώ τε, Φέρουσά τε, Δυναμένη τε.*
*Δεξαμένη τε, καὶ Ἀμφινόμη, καὶ Καλλιάνειρα,*
*Δωρὶς, καὶ Πανόπη, καὶ ἀγακλειτὴ Γαλάτεια,*
*Νημερτής τε καὶ Ἀψευδὴς, καὶ Καλλιάνασσα.*

*ἔνθα δ' ἦν Κλυμένη, Ἰάνειρά τε, καὶ Ἰάνασσα,*
*Μαῖρα, καὶ Ὠρείθυια ἐϋπλόκαμός τ' Ἀμάθεια,*
*ἄλλαι θ' αἳ κατὰ βένθος ἁλὸς Νηρηΐδες ἦσαν.*
*Tum fundit lacrymas: hanc circum numina ponti*
*Conueniunt, quæ imas habitant Nereides vndas.*
*Hic aderant Glauceq; Taliaq; Cymodoceq;,*
*Nesæa, Spioq; Thoeq;, Halieq; decora,*
*Cymothoe, Actæe, Melite, cum candida Agaue,*
*Amphithoeq;, & Iæra comis in colla refusis,*
*Dotoq;, Protoq;, Pherusaq;, Dynameneq;,*
*Doris, & Amphinome, Panopeq; & Callianira,*
*Dexamene, Galatea, Amateaq;, Callianassa,*
*Et Clymene, atq; Ianira simul pariterque Ianassa,*
*Maraque, & Orithyia genas fucata colore,*
*Quæque imas habitant alia Nereides vndas.*

Verum multo etiam plures his vocatæ Nereides, quæ ad quinquaginta numerantur ab Hesiodo in Theogonia; quæ ita vocantur: Proto, Eucrate, Sao, Amphitrite, Eudore, Thetis, Galene, Glauce, Cymothoe, Spio, Thalia, Melite, Eulimene, Agaue, Pasithea, Erato, Eunice, Doto, Pherusa, Dinamene, Nesæe, Actæe, Protomedea, Doris, Panope, Galatea, Hippothoe, Hipponoe, Cymodoce, Cymatolege, Cymo, Eione, Halimeda, Glauconome, Pontoporia, Liagore, Euagore, Laomedea, Polynome, Autonoe, Lysianassa, Euarne, Psamathe, Menippe, Neso, Eupompe, Themisto, Pronoe, Nemertes. Apollodorus vero Athen. has etiam præter prædictas connumerauit lib. 1. Glaucothoen, Nausithoen, Haliam, Pionen, Plesauren. Calyso, Cranto, Neomerim, Deianiram, Polynoen, Melien, Dionen, Isæã, Dero, Eumolpen, Ionen, Ceto, Limnoream. Istæ autem omnes pulcherrimæ habebantur, quare, vt proditum est in fabulis, Cassiope Cephei Regis Æthiopum vxor cum omnes suæ ætatis mulieres se forma antecellere gloriaretur, ausa est se Nereidibus etiam præferre. quamobrem illarum indignationem in se concitauit. Illæ igitur arrogantia huius fœminæ irritatæ, temeritateq; commotæ incredibilis & admirandæ magnitudinis cetum in illius regionem immiserunt: quare postea iussa est ab oraculo Andromedam filiam, quam vnicam habebat, vt à ceto voraretur, saxo alligatam exponere. Andromeda tamen Persei virtute liberata fuit

ta fuit, & eiusdem beneficio ad perpetuum vitandæ temeritatis exemplum, Cassiope inter sidera relata, vt patet ex Aratæo carmine ita Latine verso à Cicerone:

*Labitur illa simul gnatam lacrymosa requirens*
*Cassiopeia, neque ex cœlo depulsa decore.*
*Fertur nam verso contingens vertice primum*
*Terras post humeros euersa sæpe refertur.*
*Hanc illi tribuunt pœnam Nereides almæ,*
*Cum quibus, vt perhibent ausa est contendere forma.*

Neque plura his fere sunt de Nereo Nereidibus memoriæ tradita. Nunc sententiam antiquorum ex his exprimamus.

¶ Nereus dicitur Oceani fuisse & Tethyos filius, qui sane nihil est aliud, quam consilium & peritia in regẽdis nauibus, quippe cum peritia illa ex Oceano & vndis nascatur. Hic multas parit filias, quæ sunt inuentiones ac consilii mutationes ad nauigationem pertinentes. hanc peritiã antiquissimum Nereum vocarunt, ob vetustatem nauigationis. Eundem vatem esse tradiderunt, quia efficit in singulis disciplinis peritia vt multa euentura diuinemus & longe prospiciamus. Neque peritus nauigandi quispiam putandus est, nisi qui multo ante ventorum mutationes, & signa tempestatum, tanquam ex altissima specula prouideat. Hunc Deum in varias formas se vertere finxerunt antiqui, quoniam sapientis est ad multas varietates, rerumque gerendarum oportunitates se accommodare. Ne quis igitur Deorum immortalium clementiam sibi deesse arbitraretur, sed vnumquemque sua dementia perire, qui se in sæuissimas maris tempestates intruserit, nulla habita ratione illorum, quæ

*Ipse pater statuit, quid menstrua luna moneret,*
*Quo signo caderent Austri;*

Hæc dicta sunt.

¶ Idem est autem fabulam hanc confinxisse, vt summatim dicam, atque si dicerent antiqui: Esto prudens in trãsigendis negociis, neque Deum incuses vbi per imprudentiam aut temeritatem tibi pericula ipse conflaueris, cum Deus prudenti cuique ac diligenti viro præsens sit. Alii tamen marinam aquam Nereum vocarunt, vt est apud Ouidium in Deianira.

*Respice vindicibus pacatum viribus orbem,*
*Qua latam Nereus caerulus ambit humum.*

Atque de Nereo satis dictum est, nunc de Phorcyne dicamus.

## De Phorcyne. CAP. VII.

PHorcyn, quem Latini Phorcum etiam vocarunt, fuit & ipse Ponti siue Maris ac Terrae filius, vt testatur Hesiodus in Theogonia.

αὖτις δ' αὖ Θαύμαντα μέγαν καὶ ἀγήνορα Φόρκυν
Γαίῃ μισγόμενος, καὶ Κητὼ καλλιπάρῃον,
Εὐρυβίην τ' ἀδάμαντος ἐνὶ φρεσὶ θυμὸν ἔχουσαν,
*Hinc Thaumanta parit magnum, Phorcynáque superbum*
*Coniunctus Terra, & praestanti corpore Ceto,*
*Eurybyamque simul, cui sunt adamantina corda.*

Varro tamen Phorcynem Thoseae Nymphae ac Neptuni filium fuisse scribit, qui filias habuit, praeter commemoratas, superius ex Ceto, Phorcidas scilicet & Gorgones, Thoosam, quae cum Neptuno coniuncta Cyclopem peperit Polyphemum, de quo ita scribit Hom. lib. 1. Odyss.

ἀλλὰ Ποσειδάων γαιήοχος ἀσκελὲς αἰὲν
Κύκλωπος κεχόλωται, ὃν ὀφθαλμοῦ ἀλάωσεν
ἀντίθεον Πολύφημον, ὅου κράτος ἐστὶ μέγιστον
πᾶσιν Κυκλώπεσσι, Θόωσα δέ μιν τέκε νύμφη,
Φόρκυνος θυγάτηρ ἁλὸς ἀτρυγέτοιο μέδοντος.
*Verum Neptunus qui terram verberat vndis,*
*Succenset causa Cyclopis, quod Polyphemum*
*Lumine priuauit, qui robore praestitit omnes*
*Inter Cyclopas peperit quem Nympha Thoosa.*
*Filia spumosi, qui temperat aequora, Phorci.*

Genuit etiam serpentem, qui mala Hesperidum tuebatur, vt ait Hesiodus:

Κητὼ δ' ὁπλότατον Φόρκυι φιλότητι μιγεῖσα
γείνατο δεινὸν ὄφιν, ὃς ἐρεμνῆς κεύθεσι γαίης
πείρασιν ἐν μεγάλοις παγχρύσεα μῆλα φυλάσσει.
*Postremum Phorco Ceto coniuncta sed edit*
*Serpentem magnum qui extremis partibus orbis*
*Sub tellure latens semper mala aurea seruat.*

Habuit etiam Scyllam filiam, vt dicemus postea. Nec plura fere de Phorcyne leguntur apud antiquos. ¶ Fuit Phorcyn

Ponti

Ponti vel Neptuni ac Terræ filius & maris Deus, quem circularē aquarum motū nonnulli esse crediderunt, qui principium ab Oceano capit, & ab humore in terra existente. Huius vxor esse Ceto dicitur, exhalatio scilicet quæ calore & radiis Solis excitatur, qui humor cum per æstatem grauiorem extenuatus tollitur, fit draco: prope enim tremula fit illa exhalatio, & obliqua, quæ per calorem Solis attollitur. Alii rem hanc ad historiam transferre maluerunt, dixeruntq; Phorcynem Sardiniæ atq; Corsicæ insulis imperasse, qui ab Atlante nauali prælio superatus, in ea pugna submersus sit, neque vspiam postea inuentus, quare creditus fuit se in Deorum marinorum numerum recepisse. Cætera vero quæ de illo fabulose dicuntur, in eius gratiam fuerunt ad probabilitatem priorum ficta. At nunc de Proteo.

## *De Proteo.* CAP. VIII.

PRoteus & ipse maris Deus fuit, Neptuni & Phœnicæ Nymphæ filius, vt scriptum reliquit Zez. hist. 44. Chil. 2. qui in Pharo Alexandriæ habitauit, Toronenque ex Ægypto in Phlegram Pallenes profectus vxorē duxit. Nati sunt illi filii è Torone Tmylus & Telegonus, de quibus meminit Euripides in Helena. Hi postea peregrinos crudeliter interimebant cum adoleuissent, quorum sæuitiam cum Proteus æquo animo ferre non posset, impetrasse à patre Neptuno dicitur vt in Ægyptum rursus ferretur; cuius preces cum audiuisset Neptunus, è quodam Pallenes hiatu speluncam sub mari fecit, in qua illum in Ægyptum vsque siccum perduxit. Deinde cum Hercules ob crudelitatē, qua in hospites vtebantur, Tmylum & Telegonum obtruncasset, cognita cæde filiorum neque lacrymas emisit, quia nefarii essent homines, neque risit quod essent filii, vt scripsit Theopompus li. 8 rerum Græcarū. Xantippus vero scripsit in rebus Lydiæ Proteum Oceani & Thetyos à quibusdam creditum fuisse filium. Eurip. præterea Psamathen vxorem illum duxisse scribit, de qua Theonoen, & Theolymenum marem suscepit. habuit etiam Caberam, Rhetiam, & Idotheam filias, quæ Menelaum de reditu in patriam ambigentem, cum diutius in Ægypto detineretur, docuit vt recentibus pellibus phocarum indutus vna cum sociis tanquam phocis se inter phocas dormire simularēt, quo tempore sub meridiem Proteus in siccum, exiens inter phocas

dormire consueuit, atque illum dormientem comprehendere, tamdiuque retinere in varias formas se mutantem, quamdiu in pristinam formam redierit. nam tunc futura demum illis prædicet omnia. Dicunt enim modo in aquã, modo in ignem, modo in feras, in arbores, volucres, serpẽtes se vertere solitum, vt ait Hom. lib. 4 Odyss. vbi explicat consilium Idotheæ, quæ carmina, cum multa sint, non ascribam, sed Latine illa breuitatis causa pronunciabo. Sic enim Græca incipiunt:

*ὣς ἔφατ᾽ αὐτὰρ ἐγώ μιν ἀμειβόμενος προσέειπον,*
*αὐτὴ νῦν φράζου σὺ λόχον.*

Sic autem Latine:

*Dixerat: hæc ego sum contra sed talibus orsus:*
*Nunc sene insidias diuini Diua recense,*
*Ne me præuisum fugiat. nam vincere Diuos*
*Viribus humanis res est valde ardua Dixi*
*Sic ego sed contra Dea sic est inde locuta.*
*Hospes vera tibi dico, verissima nosces*
*Cum medios radiis iam Sol accenderit æstus,*
*Æquoreas solet ire senex in littora verax.*
*Hunc Zephyro iactata senem tegit alga marina,*
*Quem circum phocæ in spelunca è fluctibus altis*
*Egressæ capiunt placidam per membra quietem,*
*Spirantes salsas, & olentes maribus vndas.*
*Huc ego te ducam cum primum Aurora fugarit*
*Exoriens stellas, socios tres ipse memento*
*Deligere cunctis, qui præstent mente, animoque.*
*Nunc age narrabo tibi fraudes, nunc senis artes.*
*Primum dinumerat phocas, numerumque recurrit,*
*Quas omnes vt ad esse videt, prosternitur vna*
*Ipse, ouium veluti custos in montibus olim:*
*Hunc vbi videritis stratum, somnoque grauatum,*
*Cura sit hinc arcte duris innectere vinclis,*
*Et retinere Deum conantem fallere dextras:*
*Omnia mox fiet, serpens qui pectore terram*
*Verret, fiet ros seu aqua hic, crepitabit & ignis.*

Hinc eundem Deum rerum omnium principium esse, & Deorum antiquissimum putauit Orpheus, quem & claues habere maris, & omnibus præesse, tanquam principium vniuersæ naturæ dixit, vt patet ex eo hymno:

Πρωτέα

*Πρωτέα κικλήσκω πόντου κλῇδας ἔχοντα.*
*πρωτογενῆ, πάσης φύσεως ἀρχὰς ὃς ἔφηνεν,*
*ὕλην ἀλλάσσων ἱερὴν ἰδέαις πολυμόρφοις,*
*πάντιμος. πολύβουλος, ἐπιστάμενος τά τ' ἐόντα,*
*ὅσσα τε πρόσθεν ἔην, ὅσα τ' ἔσσεται ὕστερον αὖτις*
*Gestantem clau s pelagi te m. xime Proteu*
*Prisce v. c. , à quo natura primordia prim. m*
*Edita sunt, form as in multas verte e n. sti*
*Materiam sacram prudens, venerabilis, atq;*
*Cuncta sciens, quæ sint, fuerint, ventura tr. bantur,*

Hunc in curru vehi, qui à phocis traheretur, putarunt antiqui, quos equos bipedes vocauit Virgil. lib. Georg.

*Est in Carpathio N p: uni gurgite vates*
*Cæruleus Pr. teus, magnum qu. pisc. bus æquor,*
*Et iun. cto bipedum cur. u metitur equorum.*

Nec plura his fere de Proteo tradita sunt ab antiquis, quorum sententiam explicemus. Proteum Neptuni siue Oceani filium finxerunt, quem putarunt vim esse aëris, qui de Stoicorum sententia Iupiter fuit appellatus, ac per omnia pertransiret, & vbiquę esset, vt patuit superius, cum de Ioue loqueremur. nā aër proxime fit ex aqua in illum extenuata. Hunc naturam esse aeris, per quem temperatum omnia oriuntur, & vnde sit omnibus ortus principium & plantis & animalibus videtur significasse Hom. lib. 4. Odyss in his:

*ἀλλ' ἤτοι πρώτιστα λέων γένετ' ἠϋγένειος.*
*αὐτὰρ ἔπειτα δράκων, καὶ πάρδαλις ἠδὲ μέγας σῦς*
*γείνετο δ' ὑγρὸν ὕδωρ δένδρεον ὑψιπέτηλον,*
*καὶ πῦρ.*
*C. ncussit ceruice iubas leo factas, & inde*
*Fit draco terribilis, modo sus, m. do pardalis ingens,*
*Alt: coma aut arbor, nunc frigida defluit vnda,*
*Nunc ignis c. epitat.*

Nam ex eadem materia pro aeris caloris ve ratione occulta, vel arbores, vel animalia nascūtur, vel materia ipsa conuertitur in elementa, quod antiqui significarunt per tot, tamq; multiplices formarū mutationes, cum Proteus quasi τὸ πρῶτον ὄν, primum existens scilicet sit, materia enim omnis in intellectu forma prior existit, formasq; varias semper expetit naturæ impulsu; quamobrem in tot formas verti dictus est Proteus. Nam certe quidem hominem ali-

quem fuisse, qui se in tot formas verteret, putare, fatui omnino est hominis. at Lucianus in dialogo qui nauigium inscribitur, nauigandi peritissimum hominem videtur existimasse, cum ita dicat: θαυμάσιος τὴν τέχνην, ὥς ἔφασκον οἱ ἐμπλέοντες, καὶ τὰ θαλάττια σοφὸς ὑπὲρ τὸν Πρωτέα: *admirabilis nauigandi peritia, vt dicebant, qui vna nauigarunt, & rerum marinarum cognitione vel Proteum illum superare videbatur.* Diodorus Siculus lib. 2. morem fuisse Regum Ægyptiorũ scribit, vt priorem partem vel leonis in capite gestarent, vel draconis, vel arboris, atque in ignis aliquãdo formam diademata inciderentur, quod gestamen erat principatus insigne. Inde postea fictum fuit, quod Proteus se in varias formas commutaret. Dictus est fuisse phocarum custos & pastor, quia locis maritimis imperauerit; nam Reges & Principes populorum ποιμένας λαῶν antiqui vocarunt, hoc est populorum pastores. debet enim princeps non minus salutis q̃ etiam vtilitatis suorũ populorum esse studiosus qui n. de tondendo grege tantũ & occidendo solicitus est, non pastor, sed lupus & latro est appellandus. Sunt. n. diuitiæ populorum quasi obsides, q̃ iacturæ metu ciues in fide retineant, atq; ciuium opulentia, opulentia deniq; est principis, si res ita tulerit. Atq; omnis ciuitas in q̃ opes ad paucos confluxerint, magis exposita est hostium viribus, quia præter inuidiam & intestina odia, plurimũ differt pugnare pro alienis, & pro suis facultatib. cum omnes sint propriæ vtilis præcipue acerrimi defensores, segnes aliarum, nemoque patriam suam esse existimet, in qua nihil habeat plus bonorum q̃ cæteri. Dictus est phocarum pastor, quoniam maritimi & natandi periti essent eius populi. At Lucianus histrionem fuisse Proteum arbitratus est, de quo ita scribit in dialogo de Saltatione: δοκεῖ γάρ μοι ὁ παλαιὸς μῦθος καὶ Πρωτέα τὸν Αἰγύπτιον οὐκ ἄλλο τι ἢ ὀρχηστήν τινα γενέσθαι λέγειν, μιμητικὸν ἄνθρωπον, καὶ πρὸς πάντα σχηματίζεσθαι καὶ μεταβάλλεσθαι δυνάμενον, ὡς καὶ ὕδατος ὑγρότητα μιμεῖσθαι, καὶ πυρὸς ὀξύτητα ἐν τῇ τῆς κινήσεως σφοδρότητι, καὶ λέοντος ἀγριότητα, καὶ παρδάλεως θυμὸν, καὶ δένδρου δόνημα, καὶ ὅλως, ὅ τι καὶ θελήσειεν. *Videtur mihi sane antiqua illa fabulosus Proteus saltator quispiam aut histrio fuisse egregius, qui sciret se in omnia formare, omniaque imitari, ita vt aquæ humorem, & ignis acumẽ per motionum celeritatem imitaretur, & leonis feritatem, & iram pardalis. &*

*arbo-*

*arboris susurrum, & omnino quidquid illi collibuisset, referret.* Neque tamen soli Proteo hæc facultas fuit in omnia se cõuertendi, sed etiam Thetidi, & Mestræ filiæ Erisichthonis Æthonis Thessali, quæ cum pater omnia sua bona ob assiduam famem diuinitus immissam deglutisset. sese tamdiu in varias formas vertebat, quamdiu à patre venderetur, vt eius fami succurreret, deinde ad patrem statim clam redibat. Sic Periclymenus Nelei & Polymelæ filius, ac frater Nestoris, id munus à Neptuno impetrauit, vt in omnia quę optaret, conuerti posset. quare musca dicitur ab Hercule Pylum, oppugnante occisus. nam in eam formam versus indicatus fuit à Pallade. quod autem in omnia ita verteretur, sic de illo loquens Euphorion indicauit:

*Σὺν τε Περικλύμενον Νηλήιον ἔκτανε μυῖαν,*
*ὅς ῥά τε πᾶσιν ἔικτο. θαλάσσιος ἠΰτε Πρωτεύς.*
*Atque Periclymenum muscam tunc ille cecidit,*
*Qui, velut æquoreus Proteus, se vertit in omnia.*

Quod etiam planius explicauit Hesiodus in his:

*—— Περικλύμενον τ᾽ ἀγέρωχον*
*ὄλβιον, ᾧ πόρε δῶρα Ποσειδάων ἐνοσίχθων*
*παντοῖ᾽, ἄλλοτε μὲν γὰρ ἐν ὀρνίθεσσι φάνεσκεν*
*αἰετὸς ἄλλοτε δ᾽ αὖτε πελέσκετο (θαῦμ᾽ ἰδέσθαι)*
*μύρμηξ ἄλλοτε δ᾽ αὖτε μελισσέων ἀγλαὰ φῦλα·*
*ἄλλοτε δεινὸς ὄφις καὶ ἀμείλιχος. εἶχε δὲ δῶρα*
*παντοῖ᾽ οὐκ ὀνομαστά. τά μιν καὶ ἔπειτα δόλωσεν*
*βουλῇ Ἀθηναίης.*

*—— Periclymenumq; superbum*
*Fœlicem, cui dona dedit præstantia quondam*
*Neptunus, volucres inter fit namq; volucris:*
*Tum fit rursus apis, rursus (mirabile visu)*
*Formica apparet, rursus fit frigida serpens*
*Munera multa habuit, quæ singula dicere non est:*
*Deniq; principium cædis, causaq; fuerunt,*
*Pallas uti monuit.*

Habuit etiam Empusa hanc ipsam facultatem conuertendi se in quæcunque libuisset, de qua ita scripsit Aristophanes in Ranis:

*καὶ μὴν ὁρῶ νὴ τὸν Δία θηρίον μέγα,*
*ποῖόν τι; δεινόν. παντοδαπὸν γοῦν γίγνεται.*
*τοτὲ μὲν βοῦς, νυνὶ δ᾽ ὀρεὺς, τοτὲ δ᾽ αὖ γυνὴ*

*ὁρῶ μὲν τοίνυν· θηρίον γὰρ μέγιστον·*
*παντοδαπόν γε· μεταβάλλεται· οἷόν τι ἦν;*
*ἀργαλεώτατόν τι· πῦ ἐστι; φέρ' ἐπ' αὐτὴν ἴωμεν,*
*ἀλλ' οὐκ ἔτ' αὖ γυνή ἐστιν, ἀλλ' ἤδη κύων.*
*Ἔμπουσα τοίνυν γ' ἐστί.*
*Nam maximam profecto cerno beluam,*
*Qualem? nouam, fit cuncta, cum libet, statim.*
*Nunc mula, nunc bos, rursus illa fœmina*
*Formosa dic, vbi est? eamus recta eo*
*Haud fœmina est, sed rursus illa, sed canis.*
*Empusa certe est illa.*

Sic etiam Epicharmus in Hebes nuptiis:

*Ἔμπουσα, δένδρον, βοῦς, ἔχιδνα γίγνεται,*
*λίθος τε μυῖα, καὶ γυνὴ δ' ὡραία τις,*
*καὶ πάνθ' ὁπόσα λῇ, καὶ ὅσοις συμφέρει.*
*Empusa, planta, bos fit, atque vipera,*
*Lapisque musca, pulchra & illa fœmina,*
*Quidquid capit, vel denique illi conferat.*

¶ Alii, inter quos fuit Antigonus Carystius in Diction, Proteum virum sapientissimum fuisse tradiderunt, qui multa de naturali philosophia scripserit, de plantis, de lapidibus, de natura ferarum, de mutatione mutua elementorum, & quo pacto illa principia sint omnium nascentium, quæ vt vires singula sumpserint, ita vel arbores fiunt, vel herbæ, vel animalia: quare dictus fuit Proteus in illa omnia se vertisse. Hunc eundem diuinatorem arbitrabantur, quia multa ex obseruatione siderum, & ea rerum præteritarum memoriæ prædiceret. Alii crediderunt per magicas artes Proteum in prædictas formas se mutasse. Alii dixerunt fuisse virum dicendi peritum, qui facile posset in quosuis animorum motus homines impellere, quæ prædictas formas sumere dictus fuit. Ego Proteum virum fuisse prudentem putauerim (si modo quis fuit) & in conciliandis conseruandisq; amicitiis callidissimum, & in temperandis motibus animorum, & in moribus ad omnes euentus rerum caute formandos, aut certe quales esse viros prudentes oporteat per hæc figmenta nobis antiquos demonstrasse. Quis enim nesciat nihil magis necessarium esse vel in administratione ciuitatum, vel quotidiana consuetudine, quam varietatem ingenij, quæ confert plurimum ad omnes oportunitates, ac rerum vicissitudines? oportet igitur virum prudentem, quoniam non omnes

iisdem

ijsdem studiis delectantur aut capiuntur, per varias formas se in hominum amicitiam ingerere, ac variis vti rationibus in ciuitatum administrationibus, quoniam alij euentus clementiam, alij seueritatem iudicis requirunt. sic enim fieri Proteum modo ignem, modo aquam intelligendum est, & modo fructiferam arborem, modo crudelissimam feram propter præmia iustitiæ ac supplicia. verumtamen non solum ad amicitias, & ad ciuitatum administrationes hæc fabula pertinet, sed multo magis ad vniuersam humanæ vitæ rationem, quippe cum neque semper indulgere genio conueniat, neque semper eadem vitæ seueritas retinenda sit: sed vtriusque rei tempora sunt cognoscenda, quippe cum nihil violentum sit diuturnum. Nihil aliud igitur dixisse mihi videntur per hæc figmenta, quam illud quod etiam dictum fuit ab oraculo, Ne quid nimis: cum omnis omnium rerum salus & constantia in mediocritate, moderationeque sit collocata. Illa vero quæ dicuntur fabulose de Periclymeno, de immenso quodam auaritiæ gurgite intelligenda sunt. nam tametsi immensas opes domesticas auaritia recondiderit, tamen his minime contenta, vel per omne fraudum insidiarumque genus alienis facultatibus inhiat.

## *De Castore & Polluce.* CAP. IX.

CASTOREM item & Pollucem salutaria numina nauigantibus si gemini apparerent, omnes crediderunt antiqui, atque etiam omnium nauigantium vnus sermo mutatis tamen nominibus nostra ætate appellauit. Fama fuit Iouem, vt de horum origine aliquid dicamus, captum desiderio Ledæ Tyndari Regis in cygnum se conuertisse, atque illam compressisse. Nam cygnus factus ita iucunde cecinit, vt illum propter cantus suauitatem Leda adamauerit & contrectauerit. Deinde ab eo cygno compressa ouum peperisse dicitur, è quo Castor & Pollux & Helena nati sunt, vt Ouidius in his innuit in epistolis Helenæ.

*Dat mihi Leda Iouem cygno decepta parentem,*
*Quæ falsam gremio credula fouit auem.*

Alij tamen deterritum ab aquila cygnum ad Letam conuolasse inquiunt, atque cum sub ea forma Ledam decepisset,

Iupiter cygni formam in cœlum transtulit, vt ait M. Manilius in primo Astronomicorum:

*Proxima sors cygni, quem cœlo Iupiter ipse*
*Imposuit formæ precium, qua cepit amantem,*
*Cum Deus in niueum descendit versus olorem.*

Alij tamen crediderunt oua nata fuisse ex illo congressu, quorum ex altero Castor & Pollux, ex altero Helena nata sit & Clytemnestra, nonnulli Timandram addiderunt sororem. Non defuerunt tamen ex vno tantum ouo Pollucem & Helenam natos fuisse crediderunt: quod Leda à Ioue conceperit, cum è Tyndaro Castorem & Clytemnestrã natos esse arbitrentur. hi igitur mortales vt ex homine cõcepti, illi mortales vt ex Deo crediti fuerunt. Vocati tamen sunt omnes Tyndaridæ, & in Lacedæmone iuxta Taygetum montem Laconiæ nati, vt ait Homerus in hymnis:

Κάστορα καὶ Πολυδεύκε' ἀείδεο μοῦσα λίγεια
Τυνδαρίδας, οἳ Ζηνὸς ὀλυμπίου ἐξεγένοντο·
τοὺς ὑπὸ Ταϋγέτου κορυφῆς τέκε πότνια Λήδη,
λάθρη ὑποδμηθεῖσα κελαινεφέϊ Κρονίωνι.
*Castora Pollucemque mihi nunc pandite Musæ*
*Tyndaridas, Iouis è cœlestis semine natos.*
*Taygeti peperit & quondam hos sub vertice Leda,*
*Clam coniuncta Ioui cœlestia regna tenenti.*

Theocritus in Dioscuris Castorem & Pollucem Iouis filios, at non Tyndari appellauit:

ὑμνέομες Λήδας τε καὶ αἰγιόχου Διὸς υἱώ,
Κάστορα καὶ φοβερὸν Πολυδεύκεα πύξ ἐρεθίζειν·
*Cantamus natam de Leda & de Ioue prolem,*
*Castora Pollucemque timendos hostibus acres.*

Hi cum nati fuissent Pephni, quæ maritima erat ciuitas in insula eiusdem nominis Lacedæmoniorũ ditionis, vt fuit Thalamatarũ sermo, & Alcmã in quodam cãtico scripserat (quamuis magna esset cõtrouersia inter Messeniacos ac Lacedæmones ab vtris Castores essent oriundi, cum illos patrios Deos vtrique sibi vendicarent) à Mercurio Pellenen nutriendi statim deportati fuerunt. Deinde cum Iason ad aureum vellus esset nauigaturus, & ad eum confluerent vndique delecti iuuenes: inter cæteros accessit Castor & Pollux vt ait in libro primo Apollonius:

ἐ μὲν Αἰτωλὶς κρατερὸν Πολυδεύκεα Λήδη,
Κάστορά τ' ὠκυπόδων εἶρσεν δεδαημένον ἵππων
Σπάρτηθεν· τοὺς δ' ἥγε δόμοις ἔνι τυνδαρέοιο
τηλυγέτους ὠδῖνι μιῇ τέκεν.
*Impulit hic fortem Pollucem Ætolica Leda,*
*Castora & hinc eadem domitorum rursus equorum*
*E Sparte, partu quondam quos edidit uno*
*Tyndarii in æde vir.*

Hi multa præclara facinora in ea nauigatione ediderunt. nam cum ad Bebryciorum, Amycique Neptuni filij littus appulissent. Pollux aduersus Amycum, qui omnes Argonautas prouocauerat, in pugnam producit, eumq; interfecit. Amycus enim consueuerat ita omnes peregrinos interimere, cum illos cogeret secum pugnis decertare: atq; tunc etiam ad Argo nauem accedens Amycus ita omnes ad pugnam inuitauit:

κέκλυθ' ἁλίπλαγκτοι τάπερ ἴδμεναι ὔμμιν ἔοικεν·
οὔ τινα θέσμιόν ἐστιν ἀφορμηθέντα νέεσθαι
ἀνδρῶν ὀθνείων, ὅστις Βέβρυξι πελάσσῃ,
πρὶν χείρεσσιν ἐμῇσιν ἰὰς χεῖρας ἀεῖραι.
τῷ καί μοι τὸν ἄριστον ἀποκριδὸν οἶον ὁμίλου
πυγμαχίῃ στήσασθε.
*Discite pontiuagi nautæ, quæ discere oportet:*
*Nulli, Bebrycios portus qui intrauerit, est fas*
*Soluere, ni expertus sit nostra robora dextra.*
*Quale agite ô proceres præstantem robore cunctis*
*Mittite mi pugilem.*

Theocritus autem exisse aquatum Pollucē scribit, & apud fontē Amycum inuenisse, è quo coactus fuit pugnis decertare. Omnes tamen assentiuntur Amycum fuisse cum multis Bebrycib. à Polluce occisum. Iidem post Colchicā expeditionem in patriam reuersi, cum Theseus Helenā rapuisset, in Athenienses ad recuperandam sororem militarunt, tum expugnata Aphidna, captaque vrbe, & Helena recepta, omnibus Atheniensibus pepercerunt, præterquam vni Æthræ matri Thesei, quam captiuam abduxerunt. Inde vero effectum est vt reges & seruatores Dioscuri, ob eximiā clementiam ab Atheniensibus sint postea vocati. post recuperatam sororem in amorem phœbes & Talayræ, filiarum Leucippi, Arsinoesque sororum inciderunt, quæque ipsi in

Theseo improbauerant, in alios ipsi committere nō dubitarunt. Z z. vero non Phœben, sed Ilairam vocat alteram Leucippi filiarum hist. 48. chil. 2. quam alij Naeiram, alij Elairam vocarunt quibus nonnulli illud etiam addiderunt è Phœbe ac Polluce natum fuisse postea Mnesibum, quem alij Mnesinoum, alii Asineum vocarunt. è Castore & Ilaira natus est Anogon, atque, vt aliis magis placuit, Anaxis, vt aliis, Aulothus. Fuerant illæ Lynceo & Idę Apharei filiis desponsatæ, quare earum mariti in raptores Dioscuros occeptam iniuriam impetum cum armis facientes grauem pugnam commiserunt ad Taygeti montis radices, ac deniq; Castor à Lynceo interfectus est. ac Lynceus postea actus à Polluce columna saxea occubuit, de quo Pollux tropheum erexit. Futurum erat breui vt Pollux etiam acceptis ab Ida vulneribus interficeretur, nisi Iupiter Idam fulmine ob natum percussisset. vt ait in his Theocritus:

ἦ γὰρ ὅγε στάλαν Ἀφαρηΐου ἐξανέχουσαν
τύμβου ἀναρρήξας ταχέως Μεσσάνιος Ἴδας
μέλλε κασιγνήτοιο βαλεῖν σφετέροιο φονῆα.
ἀλλὰ Ζεὺς ἐπάμυνε, χερῶν δέ οἱ ἔκβαλε τυκτὴν
μάρμαρον· αὐτὸν δὲ φλογίῳ συνέφλεξε κεραυνῷ.

*Pars erat è cumulo nam Aphareio extra columna:*
*Quam forti dextra fregit Messenius Idas;*
*Hanc fratrisq; sui fuerat iacturus in hostem.*
*Iupiter auxilium tulit, illi marmor ab ipsa*
*Decussit dextra, & combussit fulminis igne.*

Alij Pollucē etiam cæsum fuisse dixerunt: aeq; cum vterque se intra vētrosam quercū occultasset. à Lynceo mortalium omnium perspicacissimo fuisse visos, vt patet ex his carminibus eius Stasini qui res Cyprias carmine conscripsit:

——αἶψα δὲ λυγκεὺς
τηΰγετον προσέβαινε ποσὶ ταχέεσσι πεποιθώς.
ἀκρότατον δ' ἀναβὰς, διεδέρκετο νῆσον ἅπασαν
ταντάλιδου Πέλοπος· τάχα δ' εἴσιδεν ὄβριμος ἥρως
δεινοῖς ὀφθαλμοῖσιν ἔσω δρυὸς, ἄμφω κοίλης,
κάστορά θ' ἱππόδαμον, καὶ ἀεθλοφόρον Πολυδεύκεα.

——*quo tempore Lynceus*
*Taygeti velox ascendit culmina montis,*
*Lustrauitq; oculis quidquid tenet insula magni*
*Tantalida Pelopis: praeacuto lumine vidit*

Hos

*Hos ambos intra ventrosa robore quercus,*
*Pollucem fortem & domitorem Castora equorum.*

Neque mirum est tam fortes fuisse Apharei filios, aut tam perspicacẽ Lynceum, quando ab illo Perseo qui Medusam occidit, per Gorgophonen nympham originem duxerunt. quorum hæc series ortus fuisse narratur. Fuerunt duo fratres Hyacinthus & Cynortes. Cynortę filius Perietes ex hoc & Gorgophone Persei filia Leucippus, & Icarius, & Aphareus nati sunt. è Leucippo & Philodice Inachi filia Phœba & Ilaira nascuntur. Ex Icario & Peribœa Naido nascuntur filii quinq; mares, & Penelope, quæ postea fuit vxor Vlyssis. ex Aphareo & Atene nympha OEcali filia, vt scripsit Stesichorus; vel, vt aliis magis placuit, ex Arne filia, Æoli, Lynceus & Idas nascuntur: quare ex eodem fonte priore omnes manasse visi sunt. Didymus tamen solum Castorem visum fuisse inquit à Lynceo. at Pindarus in Nemeis propter armenta abacta pugnatum fuisse inquit, at non propter Leucippi filias habuerũt aurigas Rhecam & Amphistratũ viros fortissimos: quorum alter Phthiotis illis qui Achaiam habitarunt; alter Laconibus, qui Heniochiam vocatam duces fuerunt, vt ait Strabo lib. 11. Dicuntur primi Dioscuri arcus inuenisse, & docuisse canes quod spectat ad venationem, & cæstus certamen, vt nos lib. 2. Venationum scripsimus:

*Quid referam Ledæ pueros? hic repetit arcus,*
*Et cursu, domitare feras inuenit equorum:*
*Ille canes primus docuit vestigia caute,*
*Atq; feris homines crudo decernere cæstu.*

Cum cæsus fuisset igitur Castor à Lyceo, fabulantur immortalẽ Pollucẽ à patre Ioue petiisse, vt Castor immortalitatẽ assequeretur; quod cum obtinere nõ potuisset, impetrauit denique vt dimidium suæ posset illi impartire: quare alternis diebus singuli viuere dicuntur, vt est apud Virg. lib. 6.

*Si fratrem Pollux alterna morte redemit,*
*Itque reditque viam toties.*

Hi crediti sunt ab equis albis vehi soliti, quare ita scripsit Pindarus in Pythiis in Hierone:

ἶχον δ' Ἀ'μύκλας ὄλβιοι
Πινδόθεν ὀρνύμενοι
λευκοπώλων Τυνδαριδᾶν βαθύδο-
ξοι γείτονες.

*Habitabant Amyclas diuites*
*E Pindo concitati*
*Candidos equos habentium , Tyndaridarum gloriosi vicini.*

Post cædem autem Castoris Castoreum vocatum tripudium in honorem Castoris fuit institutum, de quo meminit Pindarus in secunda Ode Pyth. in eo autem armati iuuenes tripudiabant. Quidam tamen dixerunt ab ipsis Dioscuris post victos Gigantes id tripudium fuisse excogitatũ, atque Palladem legem Enoplam cecinisse, inter quos fuit Epicharmus, quam legem postea Lacones, cum tibiis in acie instructi aduersus hostes vsurparunt: quod tamen nonnulli à Curetibus inuentum fuisse inquiunt. Dixerunt enim Cretenses non solum Castoreum , sed etiam Pyrrhichium melos excogitasse quod quidam Pyrricho Cretensi tribuunt, inter quos fuit Sosibius. Alii Pyrrho Achillis filio, qui armatus vsus est in victoria contra Eurypylum & Telephum , id attribuunt. Arist. primum Achillem ad pyram Patrocli Pyrrhicho vsum fuisse inquit. Enimuero Castor & Pollux ob res præclare gestas in Deorum numerum , sicuti antiquorum plerique, relati fuerunt: cum mortales essent vt reliqui homines, vt ait Paus. in Arcadicis. Fama est hos nauigantium Deos, & omnibus nauigantibus salutares tali de causa creditos esse: Cum ingens tempestas Argonautas à Sigæo digressos inuasisset, atq; pro illorum incolumitate vota Orpheus concepisset, geminæ flammæ circa Castoris & Pollucis capita apparuerunt. Secuta est paulo post admirabilis maris tranquillitas , & clementia ventorum: quamobrem credita fuit inesse quædam in his iuuenibus diuinitas, & ignes illi cum postea nauigantibus apparerent , Castoris & Pollucis arbitrio apparere crediti fuerunt. Putabantur ijdem seruare nauigantes in extremo vitæ periculo constitutos, vt apparet ex Idyllio Theocriti in Dioscuros, vbi signum esse futuræ serenitatis inquit, apparens præsepe inter asellos: his versibus:

ἀλλ' ἔμπης ὑμεῖς γε καὶ ἐκ βυθοῦ ἕλκετε νᾶας
αὐτοῖσιν ναύτῃσιν ὀιομένοις θανέεσθαι.
αἶψα δ' ἀπολήγοντ' ἄνεμοι, λιπαρὰ δὲ γαλάνα
ἂμ πέλαγος, νεφέλαι δὲ διέδραμον ἄλλυδις ἄλλαι,
ἐκ δ' ἄρκτοι τ' ἐφάνησαν, ὄνων τ' ἀνὰ μέσσον ἀμαυρὴ
φάτνη

*φάτιν, σημαίνοισαι τὰ πρὸς πλόον δὲ δία πάντα.*

*Vos tamen ex vndis naues seruatis, & ipsos*
*Nautas in summo positos discrimine vitæ.*
*Continuo venti cessant, fremitusq; minacis*
*Æquoris, aufugiunt nubes, vrsæq; nitescunt:*
*Apparet præsepe simul tenue inter asellos,*
*Significans tranquilla maris mox omnia nautis.*

Hæ flammæ cum geminæ apparent, salutiferæ putantur nauigantibus: at si vna tantum, periculosa est nauigiis, & eo magis si terribilis illa & dira pestis, quam nautæ vocāt Helenam, suo aduentu geminas flammas fugauerit. Quāuis Euripides Helenā quoq; cum fratribus esse salutarem nauigantibus scribit in Oreste, vt est in his carminibus:

Ἑλέναν μὲν ἣν σὺ διολέσαι πρόθυμος ὢν
ἥμαρτες, ὀργὴν Μενέλεῳ ποιούμενος,
ἥδ' ἐστὶν, ἣν ὁρᾶτ' ἐν αἰθέρος πτυχαῖς,
σεσωσμένη τε, κοὐ θανοῦσα πρὸς σέθεν.
ἐγώ νιν ἐξέσωσα, κἀπὸ φασγάνου
τοῦ σοῦ κελευσθεὶς ἥρπασ' ἐκ Διὸς πατρός.
Ζηνὸς γὰρ οὖσαν, ζῆν νιν, ἄφθιτον χρεών·
Κάστορί τε Πολυδεύκει τ' ἐν αἰθέρος πτυχαῖς
σύνθακος ἔσται ναυτίλοις σωτήριος,

*Helena quidem, quam tu voluisti perdere*
*Agens parum iucunda Menelao, hæc adest:*
*Hæc, quam videtis in loco summo ætheris,*
*Seruata: nec tua manu illa concidit.*
*Seruaui ego illam sic volente eius patre*
*Ioue ensis ictu de tui, nam viuere est*
*Illam necesse semper, vt satam Ioue.*
*Sic Castori & Polluci in æthere arduo*
*Salutis assidebat illa nauibus.*

Hos ignes Horatius stellam appellauit lib. 1. Carminum:

*Dicam & Alciden, puerosq; Ledæ:*
*Hunc equis, illum superare pugnis*
*Nobilem, quorum simul alba nautis*
*Stella refulsit;*
*Defluit saxis agitatus humor,*
*Concidunt venti, fugiuntq; nubes,*
*Et minax (quod sic voluere) ponto*
*Vnda recumbit.*

Sacrificabantur his Deis agni candidi, tanquam Diis bonis, & faustis. & fœlicibus, vt patet ex hymno Homeri vbi potestatem Dioscurorum describit:

ἀμφὶ Διοσκούρους ἑλικώπιδες ἔσπετε μοῦσαι
τυνδαρίδας, Λήδης καλλισφύρου ἀγλαὰ τέκνα,
Κάστορά θ' ἱππόδαμον, καὶ ἀμώμητον Πολυδεύκεα·
τοὺς ὑπὸ ταϋγέτου κορυφῇ ὄρεος μεγάλοιο
μιχθεῖσ' ἐν φιλότητι κελαινεφέϊ Κρονίωνι,
σωτῆρας τέκε παῖδας ἐπιχθονίων ἀνθρώπων
ὠκυπόρων τε νεῶν, ὅτε τε σπέρχωσιν ἄελλαι
χειμέριαι κατὰ πόντον ἀμείλιχον· οἱ δ' ἀπὸ νηῶν
ἐρχόμενοι καλέουσι Διὸς κούρους μεγάλοιο
ἄρνεσσιν λευκοῖσιν ἐπ' ἀκρωτήρια βάντες
πρύμνης.

*Tyndaridas natos magno Ioue dicite Musa,*
*Pignora quæ quond m peperit pulcherrima Leda*
*Pollucem so tem, domitorem & Castora equorum,*
*Taygeti peperit Leda hos sub vertice montis*
*Ætherio coniuncta Ioui, cui sidera parent:*
*Hæc peperit miseros seruantia pignora nautas,*
*Atq; rates, dira quas inuasere procella*
*Hyberna, vt pelagi fremit implacabilis æstus.*
*Tunc etenim nautæ summa de puppe vocarunt*
*Voce Iouis pueros, niueorum & munere placant*
*Agnorum.*

Maxime omnium Deorum culti fuerunt apud Cephalēses Castor & Pollux, magniq; Dii ab illis sunt vocati, per quos vt alibi mulieres, ita viri apud illos & alias nonnullas nationes iurare consueuerunt, vt testatur in his Theognis:

Κάστορ καὶ Πολύδευκες, οἳ ἐν Λακεδαίμονι δίῃ
ναίετε Εὐρώτᾳ καλλιρόῳ ποταμῷ,
εἴ ποτε βουλεύσαιμι φίλῳ κακὸν, αὐτὸς ἔχοιμι·
εἰ δέ τι κεῖνος ἐμοὶ, δὶς τόσον αὐτὸς ἔχοι.

*Pollux & Castor qui Eurota ad fluminis vndas*
*Accolitis, fines qui L cedamonios,*
*Illa ego perpetiar, si quæro incommoda amico:*
*Is mihi si quærat, bis totidem ipse ferat.*

Fama est quod cum ludi Olympici fuissent ab Hercule aliquando instaurati, Pollux cæstibus victor, cursu & arte pugilum Castor renunciati fuerunt. nam tametsi vno partu, & ex

& ex eodem ouo nati sunt ambo, tamen varia studia vtrisque fuerunt, vt ait Horat. lib. 2. Serm.

*Castor gaudet equis; ouo prognatus eodem,*
*Pugnis quot capitum viuunt, totidem studiorum*
*Millia.*

Memoriæ proditum est in Laconicis à Pausania nõ procul à Sciade Laconum loco sepulcrum fuisse Castoris, qui vna cum Polluce infauste cum filiis Leucippi Sparten inuadentibus commisso prælio cecidit, neque tamen ante quadragesimum annum ab eo bello inter Deos fuerunt relati. Alii non à filiis Leucippi, sed ab aliis cæsos putarunt. Qui Idam fulmine ictum dixerunt, quia Castorem cecidisset; illi datam fuisse Polluci à Ioue optionem inquiunt, cum illum solari Iupiter cuperet in morte fratris, vtrum mallet eligẽdi, immortalis ne ipse vellet fieri an potius sex menses cum fratre viuere, & sex alterne mori. tum Pollux cum fratre viuere & mori maluit. Hæc tot fabulose de his tradita sunt ab antiquis, è quibus veram sententiam exprimamus.

¶ Castor & Pollux & Helena ex vno ouo nati dicuntur atque patre, quid hoc monstri est Dii boni? fieri nullo modo sane potuit vt tanta multitudo eodem partu natu sit; quippe cum natura numerum mammarum superari omnino non patiatur: quod si filiorum numerus mammas superauerit, illi postea viuere non possunt. Ridiculum est igitur & ouum natum fuisse è muliere, & tot homines ex ouis & eodem partu, & omnes vixisse. Fictum fuit igitur, vt quidam voluerunt, Ledam ouum peperisse, quia prægnans vẽtrem ad oui formam rotundum haberet; vel, vt alii maluerunt, quia in eadem pellicula ouo persimili fœtus cõcreuerint. Hanc cum Ioue in cygnum conuerso concubuisse inquiũt cum Ioues reges omnes dicerentur: quam cum Rex quidã non in mollibus stratis & regio apparatu compressisset, sed apud Eurotam fluuium Lacedæmoniorũ, cygnorum more in locis humidis; locus datus est fabulæ quod Iupiter cygnus factus eam compresserit. Fuerunt filii è Pephno in Pellenen portati educandi, quod clam vt ex adulterio nati educandi in alia loca missi sint. Quæ de rebus gestis eorum memorantur, ab historia non dissentiunt, nisi quod fuerit Idas fulmine percussus: quod & ipsum tamen historice

dictum esse scripsit Zez. hist. 48. chil. 2 quippe cum Cerauni nomē locum dederit fabulæ, cum suppetias tulerit Polluci. nam Græci Ceraunum fulmē appellant. Fabulati sunt Lynceum acutissime videre solitum illa etiam quæ essent sub terra: quia metalla prior inuenerit auri, & argenti & ferri: cum .n. lucernā sub terra reliquisset, ac metalla efferret, creditus est q̄ forent sub terra etiam videre. Cum pater igitur mortuos filios sepulturæ mandasset, vt vir astrologiæ peritissimus multitudini persuasit imperitorum Castorem & Pollucem fuisse inter sidera relatos. Istud autem ob facilitatem ingenii & humanitatem Pollucis alii factū esse existimarunt; nam δεῦκ☉- multum est & omnem dulce appellatum, & πολὺς multus; vnde nomen est Pollucis apud Græcos, ob suauitates ingenii & in omnes clementiā dictum. Cum ignes illi circa capita horum nauigantium prius apparuissent, crediti sunt illi ignes ab imperitis à Castore & Polluce mitti in tēpestatibus signa nauigantib. salutaria. apparent autem geminæ flammæ aliquando in castris in summa parte pilorū, aut tentoriorum, aut aliquando in nauib. circa antennas, aut in summa parte mali, aut iuxta carchesium, quod signum vidētes nauigantes in magnam spem veniunt salutis & tranquillitatis futuræ. Si vna tantum flamma appareat, solum Castoré esse arbitrantur mortalé, quare periculum omnib. portendere: si binæ, salutares sunt: si tertia accedente flāma Helenæ, illæ profugerint, illaque circa malum consederit, certissima mors nauigantib. significatur, aut certissimum naufragiū. Has geminas flāmas nunc Diuos Nicolaū & Hermum nauigantes appellant: q̄ quid sint, vel quomodo appareāt, magna fuit semper inter scriptores contētio. Credidit nauigantiū nostri tēporis multitudo, cum Diuos singulatim in auxilium peti: eas flāmas esse illos Diuos ad quorū nomina euanuerint. Alii qui rē altius inuestigare voluerūt, inter quos fuit Xenophanes, crediderūt spectra q̄dā propter timoré mortalium oculis sese offerre, tanquā somnia senū ægrotantiū quæ à phantasia subministrarētur. Quid enim prohibet in magna animorum trepidatione sensus quoq; mirifice perturbari, & prodigiosa quędam monstra apparere? nam turbatorū sensuum comites sunt plerumq; horrendę & admirabiles res visæ. Ego sane nihil horū esse putauerim, sed vapores

pores quosdam in ignes pertenues ex aëre concretos qui suapte natura summa petant malorum & antennarum: quippe cum totidem visi sint aliquando, quot fuerunt nauigia, at non duo tantum. nam si essent spectra solum, quæ pro sensuum perturbationibus apparerent, illud necessario sequeretur, vt non solum aliis minores, aliis maiores ignes apparerent; aliis plures, aliis pauciores: sed etiam pro affectis corporibus & dominantibus, humoribus, aliis ignes ardentes, aliis armati homines & dimicantes, aliis beluæ horribiles & admirandis formis viderentur. quoniam ita laborantibus, & male affectis corporibus hæc videntur in somnis, & aliquando nihilominus vigilantibus. Illi igitur ignes cum gemini apparent, exhaustam prope concretam tempestatum materiam significant: cum vnus fuerit ignis, nondum concretam: cum plures, maximam superesse copiam. Isti ignes, si densissimus aër & vaporibus plenus extiterit, ob frequentiam condensata: materiæ, fugantur ab Helena, quæ non nisi ex abundantia ingenti consurgit vaporum. Dicti sunt Castor & Pollux in Deos relati ob beneficia quæ in homines contulerunt, cum multos sceleratos homines de medio sustulerint; & in eos populos quos subiugauerant, singulari clementia sint vsi. Quo autem pacto per hęc mores hominum corrigere conati sunt antiqui? beneficentiam, & liberalitatem in omnes, & propinquorum præcipue concordiam Diis gratissimam esse demonstrarunt: quare ad has virtutes per hanc fabulam nos hortabantur. at nunc de Æolo.

## *De Æolo.* CAP. X.

AEolus, ventorum imperator, vel potius (vt quidam putarunt) quæstor, Hippotæ filius fuit, vt inquit Ouidius in epistola Leandri:

*Parce precor, facilemq; moue moderatius auram:*
*Imperet Hippotades sic tibi triste nihil.*

Sic Apollonius lib. 4. Argonauticorum:

*Αἰολον ἱππότεω παῖδα κλυτόν.*

*Æolum Hippotæ filium clarum.*

Matrem Æolo fuisse Meneclam Hylli Lyparensis filiam memoriæ prodidit Euthydemus Atheniensis in libro de Salsamentis: at Eudoxus Cnidius in libro secūdo de ambitu terræ, Ligyā Actoris Carystii filiam matrem Æoli fuisse

ob depressam regionem, Africamque ab Europa distermi-
nauit: vt in his ait Valerius Flaccus libro primo Argonau-
ticorum:

*Has nimbi, ventiq; domos, & naufraga seruat*
*Tempestas, hinc in terras, latumque profundum*
*Est iter, hinc olim soliti miscere polumque*
*Infœlixque fretum (neque enim tunc Æolus illis*
*Rector erat, Libya cum rumperet aduena Calpen.*
*Oceanus, cum flens Siculos Oenotria fines*
*Perderet, & mediis intrarent montibus vnda.*

Nam per Oceani tempestates disruptis montibus qui terram includerent ab impetu Oceani in occasum ad columnas Herculis, mare factum fuit, quod terra ibi esset depressa, ac montes facti sunt insulæ. quis hoc plane negare ausit propter antiquitatem? Dicuntur sex filii ac totidem filiæ fuisse Æoli, inter quos Magnes, Æthlius, Iocastus, Canagra, Perieres, Arne, Pheræa. neque plura nomina filiorum Æoli me legisse memini Hippotadę. at aliorum Æolorum fuerunt, Macareus, Athamas, Sisyphus, Misenus, Iphiclus, Salmoneus, Cephalus, Criteus, Alcione, Canace. Vocati sunt autem venti Thracii, quod è Thracia spirare putarentur: fuit enim Dionysophanis sententia, quod specus esset in Thracia, è quo erumperent venti, vnde fabulati sunt postea ventorum in Thracia esse domicilium, vnde ait Homerus lib ξ. Iliadis:

Βορέης καὶ Ζέφυρος, τώ τε Θρῄκηθεν ἄητον.
*Threicius Boreas Zephyrusque fremebat ab oris.*

Et Horatius libro primo Carminum:

*Iam veris comites quæ mare temperant,*
*Impellunt animæ lintea Thraciæ.*

Quidam tradiderunt Æolias insulas omnes prope esse pares, atq; ambitum habere maiorem centũ & quinquaginta stadiorum, quæ per tantundem spacium distarent à Sicilia. habere dictæ sunt scaturigines ignium & hiatus subterraneos, qui illuc vsque peruenirent, ac desertæ fuerunt per quoddam tempus, donec Liparus Ausonis filius per dissensionem cum fratribus, illuc aduectauit cum nauibus & magna manu militũ ex Italia, & Liparam à se dictam habitauit. Huius iam senescentis filiam inquiunt Æolum Hippotæ filium duxisse Cyanen nomine, & acciuisse vndique

colo-

colonos; quare non solum Lipara, sed omnes sunt habitatæ, quibus addiderunt, Æolum in Deos & hospites benignum, in subditos iustum fuisse, ac rerum bellicarum non ignarum, & omnis humanæ prudentiæ participem: quippe qui etiã vela in vsus nauticos excogitarit. Habuit filios Xuthum, Androclum, Pheremonem, Iocastam, Agathyrnum, Astyochum, vt alij tradiderunt: qui etiam cum prædicere ventos solitus esset è varietate efflatorum ignium, dictus est quæstor ventorum, vt diximus.

¶ Tot sunt ea quæ de Æolo tradita sunt ab antiquis: nunc quæ ratio illos compulerit ad has fabulas fingendas inquiramus. Memoriæ igitur prodidit Isacius Æolum hominem fuisse astronomiæ peritissimum, & illam scientiam præcipue exercuisse, quæ pertinet ad naturam ventorum, vt prodesset nauigantibus. Prædicebat igitur vel cum Sol tauro propinquaret, exempli gratia, quæ maris futura esset tempestas, aut quæ benignitas cœli, & quo die, quáve diei hora: vel quamdiu perduraret Zephyrus, si talis aut talis spiraret: aut si alius ventus sub exortum canis, aut alterius signi cœlestis exoriretur, aut etiam diebus criticis, quintis scilicet, septimis & aliis huiusmodi ab ortu seruatis. Ea de causa effectum est, vt illum ventorum esse regem dicerent, sicut Amaclidem, & Protoclem, & Protocreontẽ dixit Orpheus: hi enim quos vellent ventos, dicebantur in vtrem includere, & emittere, quos vellent spirare. Scriptum reliquit Strabo libro primo, Æolum dictum fuisse regem ventorum, quia per fluxum ac refluxum aquarum, cum habitaret in locis aspertimis & difficilimis, nauigantibus futuræ tempestatis ac surgentium ventorũ signa multo ante prædixerit, quæ cum ad prædictum tempus euenirent, credidit vulgus mortaliũ ventos esse in Æoli potestate, quos posset, cum liberet, emittere. Videbatur enim admirabile quidpiam ac prope diuinum, posse venturas temporum mutationes multo ante præuideri. Id tamen fieri posse comprobauit Thales Milesius, vbi anni fertilitatem & copiam oliuarum in futurum annum prǫuidisset, vt ait Diog. Laertius in eius vita. Magna est omnino vis ac prope diuina sapientia non solum in prædicendis rebus futuris, sed etiam ijs faciendis, quæ nullo humano ingenio fieri posse videbantur. Verumtamen cum pauci sint omnino sapientes, multi-

*Habitabant Amyclas diuites*
*E Pindo concitati*
*Candidos equos habentium, Tyndaridarum gloriosi vicini.*

Post cædem autem Castoris Castoreum vocatum tripudium in honorem Castoris fuit institutum, de quo meminit Pindarus in secunda Ode Pyth. in eo autem armati iuuenes tripudiabant. Quidam tamen dixerunt ab ipsis Dioscuris post victos Gigantes id tripudium fuisse excogitatũ, atque Palladem legem Enoplam cecinisse, inter quos fuit Epichatmus, quam legem postea Lacones, cum tibiis in acie instructi aduersus hostes vsurparunt: quod tamen nonnulli à Curetibus inuentum fuisse inquiunt. Dixerunt enim Cretenses non solum Castoreum, sed etiam Pyrrhichium melos excogitasse quod quidam Pyrricho Cretensi tribuunt, inter quos fuit Sosibius. Alii Pyrrho Achillis filio, qui armatus vsus est in victoria contra Eurypylum & Telephum, id attribuunt. Arist. primum Achillem ad pyram Patrocli Pyrrhicho vsum fuisse inquit. Enimuero Castor & Pollux ob res præclare gestas in Deorum numerum, sicuti antiquorum plerique, relati fuerunt: cum mortales essent vt reliqui homines, vt ait Pauſ. in Arcadicis. Fama est hos nauigantium Deos, & omnibus nauigantibus salutares tali de causa creditos esse: Cum ingens tempestas Argonautas à Sigæo digressos inuasisset, atq; pro illorum incolumitate vota Orpheus concepisset, geminæ flammæ circa Castoris & Pollucis capita apparuerunt. Secuta est paulo post admirabilis maris tranquillitas, & clementia ventorum: quamobrem credita fuit inesse quædam in his iuuenibus diuinitas, & ignes illi cum postea nauigantibus apparerent, Castoris & Pollucis arbitrio apparere crediti fuerunt. Putabantur ijdem seruare nauigantes in extremo vitæ periculo constitutos, vt apparet ex Idyllio Theocriti in Dioscuros, vbi signum esse futuræ serenitatis inquit, apparens præsepe inter asellos: his versibus:

ἀλλ' ἔμπης ὑμμές γε καὶ ἐκ βυθοῦ ἕλκετε νᾶας
αὐτοῖσιν ναύτῃσιν ὀιομένοις θανέεσθαι.
αἶψα δ' ἀπολήγοντ' ἄνεμοι, λιπαρὰ δὲ γαλάνα
ἀμπέλαγος, νεφέλαι δὲ διέδραμον ἄλλυδις ἄλλαι,
ἐκ δ' ἄρκτοι τ' ἐφάνησαν, ὄνων τ' ἀνὰ μέσσον ἀμαυρὴ
φάτνη

*φάτιν, σημαίνουσι τὰ πρὸς πλόον εὔδια πάντα.*
*Vos tamen ex vndis naues ſeruatis, & ipſos*
*Nautas in ſummo poſitos diſcrimine vitæ.*
*Continuo venti ceſſant, fremitusq; minacis*
*Æquoris, aufugiunt nubes, vrſæq; niteſcunt:*
*Apparet præſepe ſimul tenue inter aſellos,*
*Significans tranquilla maris mox omnia nautis.*

Hæ flammæ cum geminæ apparent, ſalutiferæ putantur nauigantibus: at ſi vna tantum, periculoſa eſt nauigiis, & eo magis ſi terribilis illa & dira peſtis, quam nautæ vocāt Helenam, ſuo aduentu geminas flammas fugauerit. Quāuis Euripides Helenā quoq; cum fratribus eſſe ſalutarem nauigantibus ſcribit in Oreſte, vt eſt in his carminibus:

*Ἑλένα μὲν ἣν σὺ διολέσαι πρόθυμος ὢν*
*ἥμαρτες, ὀργὴν Μενέλεῳ ποιούμενος,*
*ἥδ' ἐστὶν, ἣν ὁρᾶτ' ἐν αἰθέρος πτυχαῖς,*
*σεσωσμένη τε, κοὐ θανοῦσα πρὸς σέθεν.*
*ἐγώ νιν ἐξέσωσα, κἀπὸ φασγάνου*
*τοῦ σοῦ κελευσθεὶς ἥρπασ' ἐκ Διὸς πατρός.*
*Ζηνὸς γὰρ οὖσαν, ζῆν νιν, ἄφθιτον χρεών·*
*Κάστορί τε Πολυδεύκει τ' ἐν αἰθέρος πτυχαῖς*
*σύνθακος ἔσται ναυτίλοις σωτήριος,*
*Helena quidem, quam tu voluiſti perdere*
*Agens parum iucunda Menelao, hæc adeſt:*
*Hæc, quam videtis in loco ſummo ætheris,*
*Seruata: nec tua manu illa concidit.*
*Seruaui ego illam ſic volente eius patre*
*Ioue enſis ictu de tui, nam viuere eſt*
*Illam neceſſe ſemper, vt ſatam Ioue.*
*Sic Caſtori & Polluci in æthere arduo*
*Salubris aſſidebat illa nauibus.*

Hos ignes Horatius ſtellam appellauit lib. 1. Carminum:

*Dicam & Alciden, puerosq; Ledæ:*
*Hunc equis, illum ſuperare pugnis*
*Nobilem, quorum ſimul alba nautis*
*Stella refulſit;*
*Defluit ſaxis agitatus humor,*
*Concidunt venti, fugiuntq; nubes,*
*Et minax (quod ſic voluere) ponto*
*Vnda recumbit.*

Sacrificabantur his Deis agni candidi, tanquam Diis bonis, & faustis, & fœlicibus, vt patet ex hymno Homeri vbi potestatem Dioscurorum describit:

ἀμφὶ Διὸς κούρους ἑλικώπιδες ἔσπετε μοῦσαι
Τυνδαρίδας Λήδης καλλισφύρου ἀγλαὰ τέκνα,
Κάστορά θ' ἱππόδαμον, καὶ ἀμώμητον Πολυδεύκεα·
τοὺς ὑπὸ Ταϋγέτου κορυφῇ ὄρεος μεγάλοιο
μιχθεῖσ' ἐν φιλότητι κελαινεφέϊ Κρονίωνι,
σωτῆρας τέκε παῖδας ἐπιχθονίων ἀνθρώπων
ὠκυπόρων τε νεῶν, ὅτε τε σπέρχωσιν ἄελλαι
χειμέριαι κατὰ πόντον ἀμείλιχον· οἱ δ' ἀπὸ νηῶν
εὐχόμενοι καλέουσι Διὸς κούρους μεγάλοιο
ἄρνασιν λευκοῖσιν ἐπ' ἀκρωτήρια βάντες
πρύμνης.

*Tyndaridas natos magno Ioue dicite Musa,*
*Pignora quæ quondam peperit pulcherrima Leda*
*Pollucem fortem, domitorem & Castora equorum,*
*Taygeti peperit Leda hos sub vertice montis*
*Æthereo coniuncta Ioui, cui sidera parent:*
*Hæc peperit miseros seruantia pignora nautas,*
*Atque rates, dira quas inuasere procella*
*Hyberna, vt pelagi fremit implacabilis æstus.*
*Tunc etenim nautæ summa de puppe vocarunt*
*Voce Iouis pueros, niueorum & munere placant*
*Agnorum.*

Maxime omnium Deorum culti fuerunt apud Cephalēses Castor & Pollux, magniq; Dii ab illis sunt vocati, per quos vt alibi mulieres, ita viri apud illos & alias nonnullas nationes iurare consueuerunt, vt testatur in his Theognis:

Κάστορ καὶ Πολύδευκες, οἳ ἐν Λακεδαίμονι δίῃ
ναίετ' ἐπ' Εὐρώτᾳ καλλιρόῳ ποταμῷ,
εἴ ποτε βουλεύσαιμι φίλῳ κακὸν, αὐτὸς ἔχοιμι·
εἰ δέ τι κεῖνος ἐμοὶ, δὶς τόσον αὐτὸς ἔχοι.

*Pollux & Castor qui Eurotæ ad fluminis vndas*
*Accolitis fines qui Lacedæmonios,*
*Illa ego perpetiar, si quæro incommoda amico:*
*Is mihi si quærat, bis totidem ipse ferat.*

Fama est quod cum ludi Olympici fuissent ab Hercule aliquando instaurati, Pollux cæstibus victor, cursu & arte pugilum Castor renunciati fuerunt. nam tametsi vno partu, & ex

& ex eodem ouo nati sunt ambo, tamen varia studia vtrisque fuerunt, vt ait Horat. lib. 2. Serm.

*Castor gaudet equis; ouo prognatus eodem,*
*Pugnis quot capitum viuunt, totidem studiorum*
*Millia.*

Memoriæ proditum est in Laconicis à Pausania nõ procul à Sciade Laconum loco sepulcrum fuisse Castoris, qui vna cum Polluce infauste cum filiis Leucippi Sparten inuadentibus commisso prælio cecidit, neque tamen ante quadragesimum annum ab eo bello inter Deos fuerunt relati. Alii non à filiis Leucippi, sed ab aliis cæsos putarunt. Qui Idam fulmine ictum dixerunt, quia Castorem cecidisset; illi datam fuisse Polluci à Ioue optionem inquiunt, cum illum solari Iupiter cuperet in morte fratris, vtrum mallet eligẽdi, immortalis ne ipse vellet fieri an potius sex menses cum fratre viuere, & sex alterne mori. tum Pollux cum fratre viuere & mori maluit. Hæc tot fabulose de his tradita sunt ab antiquis, è quibus veram sententiam exprimamus.

¶ Castor & Pollux & Helena ex vno ouo nati dicuntur atque patre, quid hoc monstri est Dii boni? fieri nullo modo sane potuit vt tanta multitudo eodem partu natu sit; quippe cum natura numerum mammarum superari omnino non patiatur: quod si filiorum numerus mammas superauerit, illi postea viuere non possunt. Ridiculum est igitur & ouum natum fuisse è muliere, & tot homines ex ouis & eodem partu, & omnes vixisse. Fictum fuit igitur, vt quidam voluerunt, Ledam ouum peperisse, quia prægnans vẽtrem ad oui formam rotundum haberet; vel, vt alii maluerunt, quia in eadem pellicula ouo persimili fœtus cõcreuerint. Hanc cum Ioue in cygnum conuerso concubuisse inquiũt cum Ioues reges omnes dicerentur: quam cum Rex quidã non in mollibus stratis & regio apparatu compressisset, sed apud Eurotam fluuium Lacedæmoniorũ, cygnorum more in locis humidis; locus datus est fabulæ quod Iupiter cygnus factus eam compresserit. Fuerunt filii è Pephno in Pellenen portati educandi, quod clam vt ex adulterio nati educandi in alia loca missi sint. Quæ de rebus gestis eorum memorantur, ab historia non dissentiunt, nisi quod fuerit Idas fulmine percussus: quod & ipsum tamen historice

dictum esse scripsit Zez.hist.48.chil.2 quippe cum Cerauni nomē locum dederit fabulæ, cum suppetias tulerit Polluci.nam Græci Ceraunum fulmē appellant Fabulati sunt Lynceum acutissime videre solitum illa etiam quæ essent sub terra: quia metalla prior inuenerit auri, & argenti & ferri:cum.n. lucernā sub terra reliquisset, ac metalla efferret, creditus est q̄ foret sub terra etiam videre. Cum pater igitur mortuos filios sepulturæ mandasset, vt vir astrologiæ peritissimus multitudini persuasit imperitorum Castorem & Pollucem fuisse inter sidera relatos. Istud autem ob facilitatem ingenii & humanitatem Pollucis alii factū esse existimarunt; nam δεῦκος multum est & omnem dulce appellatum, & πολὺς multus; vnde nomen est Pollucis apud Græcos, ob suauitates ingenii & in omnes clementiā dictum. Cum ignes illi circa capita horum nauigantium prius apparuissent, crediti sunt illi ignes ab imperitis à Castore & Polluce mitti in tēpestatibus signa nauigantib. salutaria. apparent autem geminæ flammæ aliquando in castris in summa parte pilorū, aut tentoriorum, aut aliquando in nauib. circa antennas, aut in summa parte mali, aut iuxta carchesium, quod signum vidētes nauigantes in magnam spem veniunt salutis & tranquillitatis futuræ. Si vna tantum flamma appareat, solum Castorē esse arbitrantur mortalē, quare periculum omnib. portendere: si binæ, salutares sunt: si tertia accedente flāma Helenæ, illæ profugerint, illaque circa malum consederit, certissima mors nauigantib significatur, aut certissimum naufragiū. Has geminas flāmas nunc Diuos Nicolaū & Hermum nauigantes appellant: q̄ quid sint, vel quomodo appareāt, magna fuit semper inter scriptores contētio. Credidit nauigantiū nostri tēporis multitudo, cum Diuos singulatim in auxilium peteret, eas flāmas esse illos Diuos ad quorū nomina euanuerint. Alii qui rē altius inuestigare voluerūt, inter quos fuit Xenophanes, crediderūt spectra q̄dā propter timorē mortalium oculis sese offerre, tanquā somnia senū ægrotantiū quæ à phantasia subministrarētur. Quid enim prohibet in magna animorum trepidatione sensus quoq; mirifice perturbari, & prodigiosa quędam monstra apparere? nam turbatorū sensuum comites sunt plerumq; horrendę & admirabiles res visæ. Ego sane nihil horū esse putauerim, sed vapores

pores quosdam in ignes pertenues ex aëre concretos qui suapte natura summa petant malorum & antennarum: quippe cum totidem visi sint aliquando, quot fuerunt nauigia, at non duo tantum. nam si essent spectra solum, quæ pro sensuum perturbationibus apparerent, illud necessario sequeretur, vt non solum aliis minores, aliis maiores ignes apparerent; aliis plures, aliis pauciores: sed etiam pro affectis corporibus & dominantibus, humoribus, aliis ignes ardentes, aliis armati homines & dimicantes, aliis beluæ horribiles & admirandis formis viderentur. quoniam ita laborantibus, & male affectis corporibus hæc videntur in somnis, & aliquando nihilominus vigilantibus. Illi igitur ignes cum gemini apparent, exhaustam prope concretam tempestatum materiam significant: cum vnus fuerit ignis, nondum concretam: cum plures, maximam superesse copiam. Isti ignes, si densissimus aër & vaporibus plenus extiterit, ob frequentiam condensata: materiæ, fugantur ab Helena, quæ non nisi ex abundantia ingenti consurgit vaporum. Dicti sunt Castor & Pollux in Deos relati ob beneficia quæ in homines contulerunt, cum multos sceleratos homines de medio sustulerint; & in eos populos quos subiugauerant, singulari clementia sint vsi. Quo autem pacto per hęc mores hominum corrigere conati sunt antiqui? beneficentiam, & liberalitatem in omnes, & propinquorum præcipue concordiam Diis gratissimam esse demonstrarunt: quare ad has virtutes per hanc fabulam nos hortabantur. at nunc de Æolo.

## *De Æolo.* CAP. X.

AEolus, ventorum imperator, vel potius (vt quidam putarunt) quæstor, Hippotæ filius fuit, vt inquit Ouidius in epistola Leandri:

*Parce precor, facilemq; moue moderatius auram:*
*Imperet Hippotades sic tibi triste nihil.*

Sic Apollonius lib. 4. Argonauticorum:

*Αἴολον Ἱππότεω παῖδα κλυτόν.*
*Æolum Hippotæ filium clarum.*

Matrem Æolo fuisse Meneclam Hylli Lyparensis filiam memoriæ prodidit Euthydemus Atheniensis in libro de Salsamentis: at Eudoxus Cnidius in libro secūdo de ambitu terræ, Ligyā Actoris Carystii filiam matrem Æoli fuisse

maluit, quamuis dixerunt nonnulli non vnum tantum Hippotę filium fuisse Æolum vocatum eo nomine, sed etiam filium Hellanis cuiusdam Iouis nepotem. omnia tamen quæ dicuntur de Æolis, ad vnum Hippotæ filium referuntur. Nec defuerunt, qui Iouis filium putauerint. Habitauit Æolus in vna ex illis septem insulis, q̃ de illius nomine dictæ fuerunt Æoliæ, atque illa Strongyle nominabatur, vt ait Strabo libro sexto. fuerunt omnes illæ insulæ sub imperio Æoli, atque Strongyle dicta est à rotunditate, quæ Didyma etiam dicebatur. dicta est & Lipara pinguis, & ab igne scatente Thermissa, & Euonyme sinistra, quia nauigantibus è Lipara in Siciliam sinistra appareat, & ab arbustis Ericusa & Phœnicusa, & Hiera sacra alii hāc, alii Liparam ob scatentium flammarum frequentiam Vulcani officinam esse dixerunt, Memoriæ prodidit Callias in libro decimo eorum quæ scripsit ad Agathoclem, ἐν ταύτῃ καὶ ὄρθιον ὑψηλὸν, ἐφ᾽ οὗ κρατῆρές εἰσι δύω. ὧν ὁ ἕτερός ἐστι τὴν περίμετρον τριστάδιος· ἐξ οὗ πολὺ φέρεται φέγγος, ὥστε ἐπὶ πολλὼν τόπον διήκειν τὸν φωτισμόν. καὶ ἐξ ἐκείνου μὲν τοῦ χάσματος διάπυροι λίθοι μεγάλοι ἀναφέρονται. γίνεται δὲ καθ᾽ ὃν καιρὸν συμβαίνει τὸν Ἥφαιστον ἐργάζεσθαι (ὡς λέγουσι) βρόμος τηλικοῦτος, ὥστε ἐπὶ στάδια καὶ πεντακόσια καὶ πλείω ἀκούεσθαι τὸν ἦχον. οἱ δὲ ἐκ τοῦ ἐκφυσήματος μύδροι ἀναρριπτόμενοι, διὰ τὴν ἐκπύρωσιν, πάντοτε ἰώδεις εἰσί, καὶ διακεκαυμένοι τὴν ὄψιν, καὶ τὴν δύναμιν καθ᾽ ἥλιον ἔχουσι καὶ νύκτωρ μὲν πάντα τὰ περὶ τὴν ἐργασίαν τοῦ θεοῦ γιγνόμενα, καλῶς δηλοῦται· μεθ᾽ ἡμέραν δὲ ἐκ τῆς κορυφῆς. ὅθεν ἡ φλὸξ ἀνίησιν, ὁρᾶται ὥσπερ μέλαν νέφος τὸν τόπον ὑπερκείμενον. *Fuisse hic* (in insula sacra vocata scilicet) *summitatem quandam præcelsam, in qua duo essent foramina ignem exhalantia, alterum quorum haberet ambitum trium stadiorum, è quo multum luminis efferebatur, ita vt splendor ad multum spatium extenderetur, atque ex illa vragine lapides igniti insignis magnitudinis emittebantur, tantusque exaudiebatur strepitus, quo tempore Deum operari contingeret (vt aiunt) vt vel ad quingenta & plura stadia sonitus exaudiretur. at vero lapides igniti, qui ab efflatu emittebantur, rubiginis colore omnino siue violaceo erant vbique tecti propter incendium, quorum ea vis erat vt aspectum & virtutem incensi haberent ad solem, atque per noctē quidem manifesto apparerent illa, quæ spectabant ad Dei opificiū: per diem vero in ea summitate, vnde flamma erumpebat, apparebat*

*bit caligo quædam tanquam nigra nubes, quæ loco illi insideret.* Scriptum reliquit Pytheas in ambitu terræ consueuisse antiquos rude & illaboratum ferrum ibi deponere, & mercedem siue ensis, siue securis, siue rei alius, quam vellent, nominantes, deinde illam die crastina accedentes solitos accipere. Alii eum Rhegi Italiæ imperasse maluerunt. Hunc Æolum ventorum moderatorem & quæstorem nominauit Homerus lib. α. Odyss.

> κεῖνον γὰρ ταμίην ἀνέμων ποίησε Κρονίων,
> ἠμὲν παυέμεναι, ἠδ᾽ ὀρνύμεν ὅν κ᾽ ἐθέλῃσι.
> *Quæstorem statuit ventorum Iupiter illum,*
> *Cum libet vt sedet ventos, & concitet idem.*

Atque vniuersam Æoli potestatem descripsit Virgil. lib. 1. Æneid. in his:

> ——— *hic vasto rex Æolus antro,*
> *Luctantes ventos, tempestatesque sonoras*
> *Imperio premit, ac vinclis, & carcere frænat.*

Sic etiam Dionysius de situ orbis:

> τὴν δὲ μετ᾽ Αἰόλου εἰσὶ περίδρομοι εἰν ἁλὶ νῆσοι,
> Αἰόλου Ἱπποτάδαο, φιλοξείνου βασιλῆος,
> Αἰόλου ὃς θνητὰ μετ᾽ ἀνδράσιν ἔλλαχε δῶρα,
> κοιρανίην ἀνέμων κλονεόντων θ᾽ ἱσταμένων τε.
> ἑπτὰ δέ οἱ ζαΐγ᾽ εἰσὶν, ἐπώνυμοι ἀνδράσι Πλωταί.
> *Post hanc Æoliæ sunt insulæ in æquore, regis*
> *Æoli Hippotadæ, peregrini regis amici,*
> *Æoli, adest mirum cui diuum munere donum:*
> *Ventorum imperium, seu perflent, siue quiescant:*
> *Sunt illi septem dictæ cognomine Plotæ.*

Sic enim Apollonius libro quarto:

> Αἴολον, ὅς᾽ ἀνέμοις αἰθρηγενέεσσιν ἀνάσσει.
> *Æolus, imperitat qui ventis æthere natis.*

Nam ante quam ventis Æolus imperaret, dicta sunt multa accidisse ventorum certamina, quæ vrbes frequentissimas ac regiones deuastarint: qualia fuerunt illa, quæ tãtopere mare infestarunt, vt Siciliam ab Italia seiunxerint, & cum prius nullũ esset mare mediterraneũ, vis tempestatis ĩ Oceano orta per quoddã spacium terram discidit, vnde aqua per Calpen ingressa mare quod est intra terram fecit

ob depressam regionem, Africamque ab Europa distermi-nauit: vt in his ait Valerius Flaccus libro primo Argonauticorum:

*Has nimbi, ventiq; domos, & naufraga seruat*
*Tempestas, hinc in terras, latumque profundum*
*Est iter, hinc olim soliti miscere polumque*
*Infœlixque fretum (neque enim tunc Æolus illis*
*Rector erat, Libya cum rumperet aduena Calpen.*
*Oceanus, cum flens Siculos Oenotria fines*
*Perderet, & mediis intrarent montibus vndæ.*

Nam per Oceani tempestates disruptis montibus qui terram includerent ab impetu Oceani in occasum ad columnas Herculis, mare factum fuit, quod terra ibi esset depressa, ac montes facti sunt insulæ. quis hoc plane negare ausit propter antiquitatem? Dicuntur sex filii ac totidem filiæ fuisse Æoli, inter quos Magnes, Æthlius, Iocastus, Canagra, Perieres, Arne, Pheræa. neque plura nomina filiorum Æoli me legisse memini Hippotadę. at aliorum Æolorum fuerunt, Macareus, Athamas, Sisyphus, Misenus, Iphiclus, Salmoneus, Cephalus, Criteus, Alcione, Canace. Vocati sunt autem venti Thracii, quod è Thracia spirare putarentur: fuit enim Dionysophanis sententia, quod specus esset in Thracia, è quo erumperent venti, vnde fabulati sunt postea ventorum in Thracia esse domicilium, vnde ait Homerus lib ξ. Iliadis:

Βορέης καὶ Ζέφυρος, τώ τε Θρῄκηθεν ἄητον.
*Threicius Boreas Zephyrusque fremebat ab oris.*

Et Horatius libro primo Carminum:

*Iam veris comites quæ mare temperant,*
*Impellunt animæ lintea Thraciæ.*

Quidam tradiderunt Æolias insulas omnes prope esse pares, atq; ambitum habere maiorem centũ & quinquaginta stadiorum, quæ per tantundem spacium distarent à Sicilia. habere dictæ sunt scaturigines ignium & hiatus subterraneos, qui illuc vsque peruenirent, ac desertæ fuerunt per quoddam tempus, donec Liparus Ausonis filius per dissensionem cum fratribus, illuc aduẽtauit cum nauibus & magna manu militũ ex Italia, & Liparam à se dictam habitauit. Huius iam senescentis filiam inquiunt Æolum Hippotæ filium duxisse Cyanen nomine, & acciuisse vndique colo-

colonos; quare non solum Lipara, sed omnes sunt habitatæ, quibus addiderunt, Æolum in Deos & hospites benignum, in subditos iustum fuisse, ac rerum bellicarum non ignarum, & omnis humanæ prudentiæ participem: quippe qui etiã vela in vsus nauticos excogitarit. Habuit filios Xuthum, Androclum, Pheremonem, Iocastam, Agathyrnum, Astyochum, vt alij tradiderunt: qui etiam cum prædicere ventos solitus esset è varietate efflatorum ignium, dictus est quæstor ventorum, vt diximus.

¶ Tot sunt ea quæ de Æolo tradita sunt ab antiquis: nunc quæ ratio illos compulerit ad has fabulas fingendas inquiramus. Memoriæ igitur prodidit Isacius Æolum hominem fuisse astronomiæ peritissimum, & illam scientiam præcipue exercuisse, quæ pertinet ad naturam ventorum, vt prodesset nauigantibus. Prædicebat igitur vel cum Sol tauro propinquaret, exempli gratia, quæ maris futura esset tempestas, aut quæ benignitas cœli, & quo die, quáve diei hora: vel quamdiu perduraret Zephyrus, si talis aut talis spiraret: aut si alius ventus sub exortum canis, aut alterius signi cœlestis exoriretur, aut etiam diebus criticis, quintis scilicet, septimis & aliis huiusmodi ab ortu seruatis. Ea de causa effectum est, vt illum ventorum esse regem dicerent, sicut Amaclidem, & Protoclem, & Protocreontẽ dixit Orpheus: hi enim quos vellent ventos, dicebantur in vtrem includere, & emittere, quos vellent spirare. Scriptum reliquit Strabo libro primo, Æolum dictum fuisse regem ventorum, quia per fluxum ac refluxum aquarum, cum habitaret in locis aspertimis & difficilimis, nauigantibus futuræ tempestatis ac surgentium ventorũ signa multo ante prædixerit, quæ cum ad prædictum tempus euenirent, credidit vulgus mortaliũ ventos esse in Æoli potestate, quos posset, cum liberet, emittere. Videbatur enim admirabile quidpiam ac prope diuinum, posse venturas temporum mutationes multo ante præuideri. Id tamen fieri posse comprobauit Thales Milesius, vbi anni fertilitatem & copiam oliuarum in futurum annum prǫuidisset, vt ait Diog. Laertius in eius vita. Magna est omnino vis ac prope diuina sapientia non solum in prædicendis rebus futuris, sed etiam ijs faciendis, quæ nullo humano ingenio fieri posse videbantur. Verumtamen cum pauci sint omnino sapientes, multi-

que haberi cupiant, cum sapientes male imitentur, vel cōuiciis etiam insectentur sapientiores, idcirco effectum est, vt illa falso dicta putentur ab Empedocle, & non sine risu ab insulsis audiantur, in quibus ille diuinam vim sapientiæ ita explicauit:

*παύσεις δ' ἀκαμάτων ἀνέμων μένος, οἵ τ' ἐπὶ γαῖαν*
*ὀρνύμενοι, πνοιαῖσι καταφθινύθουσιν ἀρούρας·*
*καὶ πάλιν, ἢν κ' ἐθέλῃσθα, παλίντιτα πνεύματ' ἐπάξεις,*
*στήσεις δ' ἐξ ὄμβροιο κελαινοῦ καίριον αὐχμὸν*
*ἀνθρώποις, στήσεις δὲ καὶ ἐξ αὐχμοῖο θερείου*
*ῥεύματα δενδρόθρεπτα, τά τ' αἰθέρι ναιήσονται,*
*ἄξεις δ' ἐξ ἀΐδαο καταφθιμένου μένος ἀνδρός.*

*Placabis ventos qui terras flamine verrunt*
*Omnia vastantes; rursus, sic forte libebit,*
*Flamina consurgent pluuiæ pellentur ab agris,*
*Cum fuerint nimiæ; induces & rursus easdem,*
*Si libeat pronas sistes & fluminis vndas*
*Tartareis animas idem reuocabis ab vmbris.*
*Lucida parebit sophiæ vis atheris alti.*

Verum hæc narratio ad historiam pertinet. Alii qui rerum naturalium occultas vires perscrutantur, dicūt quod si quis vtrem à pelle delphino detracta fecerit, illamq; penes se habeat, poterit per quasdā ceremonias obtinere vt spiret quicunq; ventus ille voluerit, atque solus ille spirabit: vnde illa finxit Hom. de ventis ab Æolo data Vlyssi. Quod attinet ad mores, Æolus est vir sapiens, qui iræ moderatur pro opportunitate temporum, & præsentium negociorum quando nunc simulare irā, nunc dissimulare vtilissimum est id autē putatur ventos refrenare & emittere cum libuerit. Hęc autem varietas morum Æolo nomen dedit. Sunt omnes sane affectus vtiliter hominibus ab ipsa natura concessi, quippe cum ita non mediocriter conferat ad corrigendos mores, si nimium non incaluerit, quæ si nulla esset, omniū iniquitatem æquo animo aliquando ferremus, neq; tam studiose damna à nobis propulsaremus. Sed omnium rerum vtilis est mediocritas, & omnibus adhibenda moderatio; quæ si nulla extiterit, tūc pessima est ira omnium animi affectuū, & in furorem deniq; conuertitur. Sic aūt nos ventorū Æoli irā expressimus, cui nisi in principio quis restiterit, mox tanq̄ cæcus ad multa parū decora rapitur est in lib. 4. Ven.

*non*

*—— non mulcent dulcia verba*
*Syluestres animos, nullusq; admittitur illis*
*Orator: laxis furiisq; vagantur habenis,*
*Vt grauis Æolio cum ventus prosilit antro*
*Totus in arua ruens, & syluas sternit opacas,*
*Flaminibus rapidis immensus murmurat æther,*
*Tum neq; velinolæ puppes, neq; nubila cœli*
*Contra stare valent, conuoluens omnia secum*
*Viribus Hipp tadæ nullis frenatur. & illum*
*Non tenet imperium Regis, nil audit, at vnus*
*Est cordi fragor, & strages & murmur, & ira.*

Æolium igitur Regem, siue rationem, oportet his motibus animorum imperare; siquidem qui iræ non imperauerit, ille iræ non sine pœnitentia postea seruiat, necesse est. Deinde ista ficta fuerunt illa etiam de causa ab antiquis, quia demonstrare volebant nihil sine diuina prudentia cõtingere, cum venti etiam rerum omnium leuissimi & maxime inconstantes suum habeant moderatorem. Alij putarunt per hæc incitatos fuisse nauigantes ad percipiendam naturam ventorum & tempestatum, cum possent omnes multo ante hæc significare & intelligere, quorum signa nonnulla præuia sint tempestatum, qualia sunt ea quæ scripsit Aratus & Theophrastus de signis aquarum & ventorum. At nunc de Borea dicamus.

## *De Borea.* CAP. XI.

Boreas autem è quib. parentibus ortus sit, fabularum inuentores non tradiderunt, quod ego legerim, nisi quod in Thracia habuerit domiciliũ. Fabulati sunt antiqui Orithyiã Erechthei Athenarum Regis filiã virginem fuisse forma præstantissimam, quam cum Boreas colligentem flores iuxta fontem Cephisum vidisset, eius amore incensus illam rapuit & in Thraciã deportauit, veluti scriptũ fuit à Chœrilo. Alii dixerunt apud Ilissum celeberrimũ Atticum fluuiũ raptam fuisse ludentem cum cæteris virginibus, vt ait in Atticis Pausa. quod etiam testatur Dionysius in situ orbis:

νέρθε γε μὴν Ἰσθμοῖο, πρὸς αὐγὰς, Ἀτθὶς ὕδωρ
τῆς διὰ, θεσπεσίου φέρεται ῥόος Ἰλισσοῖο.
ἔνθεν καὶ Βορέης ποτ' ἀνήρπασεν, Ὠρείθυιαν.

*Cecropis est tellus supra Isthmum, Solis ad ortum,*
*Ilissus per quam diuino flumine fertur.*

*Vnde tulit Boreas raptam grauis Orithyiam,*

Scripsit Ouid. lib. 6. Metamorph. Orithyiam fuisse in regionem Ciconum deportatam, & ibi celebratas nuptias Boreæ, & geminos peperisse filios, vt est in his:

*Nec prius aerij cursus suppressit habenas,*
*Quam Ciconum tenuit populos & mœnia raptos.*
*Illic & gelidi coniux Actaa tyranni,*
*Et genitrix facta est partus enixa gemellos.*

Simonides tamen poeta non ab Ilisso, sed à Brilisso raptam fuisse Orithyam putauit, & ad petrã Sarpedoniam Thraciæ deportatam, non procul ab Æmo monte. Memoriæ prodidit Herodotus in Polymnia, iussos fuisse Athenienses ab oraculo, cum Xerxes ad deuastandam Græciam cum innumerabili prope classe traiiceret, generum Boream in auxilium vocare, qui vehemens in classem Persarum irruit, ac multa nauigia submersit, quare debilitatæ fuerũt vires hostium. cum vero in Thraciam Orithyiam abstulisset, ibique habitaret, Thracius Boreas vocatus est ab Eur. in Cyclope.

ὅταν δὲ Βορέας χιόνα Θρῄκιος χέῃ,
δοραῖσι θηρῶν σῶμα περιβαλὼν ἐμόν.

*Boreas vbi niuesq; fundit Thracius,*
*Corpus meum tego ferarum pellibus.*

Hunc in antro habitare solitum scripsit Callimach. in lauacrum Deli;

ἥμενος ὑψηλῆς κορυφῆς ἔπι Θρήικος Αἵμου
θοῦρος Ἄρης ἐφύλασσε σὺν ἔντεσι· τὼ δέ οἱ ἵππω
ἑπτάμυχον Βορέαο παρὰ σπέος ηὐλίζοντο.

*Threicij residens sublimi vertice in Æmi,*
*Mars seruabat equos, atq; arma nitentia: equiq;*
*Hic stabulabantur Boreæ frigentis ad antrum.*

Boreæ filias fuisse scribit Callimachus in eodem hymno Vpim & Loxo, & Hecaergen.

πρῶται τοί τοι ταῦτ' ἔνεικαν ἀπὸ ξανθῶν Ἀριμασπῶν
Οὖπίς τε, Λοξώ τε, καὶ εὐαίων Ἑκαέργη,
θυγατέρες Βορέαο, καὶ ἄρσενες οἳ τότ' ἄριστοι
ἠιθέων.

*Namq; Arimasporum prima è regione tulerunt*
*Vpisque, Loxoque, Hecaerge annosa vigenti*
*De Borea natæ: præstans & robore pubes*
*Inde mares.*

Memo-

Memoriæ proditum est à Cleanthe in primo libro de moribus, Boream rapuisse Chlorim quoq; Arcturi filiam, atq; illam in collem Niphatem asportasse, qui postea Thorus Boreæ vocatus fuit, antequam diceretur Caucasus, de qua filiam suscepit Hyrpacem. Fabulantur Chionem præterea & Zetem & Calaim natos fuisse ex Orithya, qui vna cum cæteris Argonautis in Colchos nauigarunt, de quibus ita meminit Apollonius lib. 1.

*Ζήτης αὖ Κάλαΐς τε βορῆϊοι υἷες ἵκοντο,*
*οὕς ποτ' Ἐρεχθηῒς Βορέῃ τέκεν Ὠρείθυια*
*ἐσχατιῇ Θρῄκης δυσχειμέρου, ἔνθ' ἄρα τήνγε*
*Θρηΐκιος Βορέης ἀνερέψατο Κεκροπίηθεν*
*Ἰλισοῦ προπάροιθε χορῷ ἔνι δινεύουσαν*
*καί μιν ἄγων ἕκαθεν, Σαρπηδονίην ὅθι πέτρην*
*κλείουσι, ποταμοῖο παρὰ ῥόον Ἐργίνοιο.*
*λυγαίοις ἐδάμασσε περὶ νεφέεσσι καλύψας.*

*Zetes & Calaus Borea de semine nati*
*Rur.us. Erechthei peperit quos Orithya*
*Veloci Borea, rapuit quam Cecropis agro*
*Ducentem choreas Ilissi ad fluminis vndam.*
*Hanc Sarpedoniam ad petram tulit inde vocatam,*
*Qua fluit Erginus vitrea perlucidus vnda.*

Suscepit Boreas præterea ex Orithya Cleopatram, quę postea Phineo nupta Cramben & Orythum & Hemum illi peperit, vel, vt alij maluerunt Thyrum & Maryandinũ, quam Arplicen, at non Cleopatram vocarunt. Hos scripsit Phanodicus Boreæ filios ad Argonautas ex Hyperboreis adiisse, at Herodotus è Daulide. Aiunt præterea celerrimos fuisse, omnium Boreadas, facultatemque habuisse volandi, vt testatur Theognis in his:

*ὠκύτερος δ' εἴησθα πόδας ταχεῶν Ἁρπυιῶν,*
*καὶ παίδων Βορέω, τῶν ἄφαρ εἰσὶ πόδες.*

*Si magis Harpyiis sis velox, vincere possis*
*Et natos Boreæ, haud pes quibus vtiliter*

Cum venissent igitur cum cæteris principibus Colchicæ expeditionis ad Phineum, Harpyas à mensa Phinei profugarunt, à quibus Plotæ insulæ Strophades vocatæ sunt, Hi postea cæsi fuerunt ab Hercule in partitione munerũ, quæ ab Iasone illis heroibus, qui secũ nauigarunt, data fuerunt, vt quidam putarunt, inter quos fuit Stesimbrotus, alij quia

nauem in Mysiā redire nollent ab Hercule cæsos fuisse maluerunt. Semus quia cursu vicissent, per inuidiā ab Hercule cæsos tradidit. Nicander Colophonius, qui Boreas sibi tēpestatem in Insulam Con immisisset, cum reuerterētur, ab Hercule ob iram trucidatos putauit, at non à generis Leucippi. Neq; plura de Borea memorantur ab antiquis. Scripsit Hesagoras in rebus gestis Megarensium Aoream, qui Orithyiam rapuit, non ventum, sed iuuenem fuisse Strymonis filium ita vocatum, qui cum illam in matrimonium à parentibus impetrare non posset, ad rapinam se accinxit, raptamque in Thraciam deportauit. Quamuis alii non à Borea, sed à populis Thraciæ Boreæ nomine raptam fuisse putarunt, vt ait Ouid. in epist Paridis:

*Nomine ceperunt Aquilonis Erechthida Thraces,*
*Tuta tamen bello Bistonis ora fuit.*

Alii deiectam fuisse Orithyiam è præcipiti loco in Ilissum fluuium existimarunt, quæ cum nullibi post inuenta sit, locum dedit fabulæ, quod eam amatam Boreas in Thraciam asportasset. Quod Harpyias à mensa senis Phinei expulerint crediderunt nonnulli Harpyiam & Erasiam filias fuisse eius senis, quæ cum parum honestam viuendi rationem complecterentur, paternas facultates immodice exinanirent, domumq; paternam turpiter exhaurirent. Has ambas cum filii Boreæ secū abduxissent, putati sunt Phineum egestate fameque liberasse. Quid contineatur sub hac fabula, præter historiam, non reperio. Atque locum aliquem doctioribus etiam relinquo. At nunc de Scylla dicamus.

## *De Scylla & Charybdi.* CAP. XII.

Scylla & Charybdis, monstra infesta nauigantibus maxime timenda, existimatæ sunt, quæ fœminæ quondam dicuntur fuisse. Fuit igitur Scylla Phorcinis & Hecates filia vt sensit Acusilaus: vt vero Homerus, Cratæis fuit eius mater, quæ tamen eadem est, vt Apollon. Acusilaum fortasse secutus scripsit lib 4.

ἠὲ παρὰ Σκύλλης συγερὸν κευθμῶνα νέεσθαι,
Σκύλλης Αὐσονίης ὀλοόφρονος, ἣν τέκε Φόρκῳ,
νυκτιπόλος θ᾽ Ἑκάτη, τήν τε κλείουσι Κράταιιν.

*Horrendum aut antrum Scylla concedere iuxta,*
*Ausonia Scylla Phorci de semine nata,*

Noctis

*Noctiuagaq; Hecates, quae dicitur vna Crataïs.*

Chariclides vero in cathena, Phorbantis & Hecates filiam fuisse tradidit, Stesichorus Lamiae. Timaeus lib. 21. historiarum non è Phorcyne, sed è Typhone natam fuisse asserit: alii è fluuio Crati. Fuerunt qui dixerint Scyllam fuisse olim filiam Nisi regis Megarensium, quae capta amore Minois, patris purpureum capillum, quo incolumi ille mori nō poterat, vt respondit oraculū, clam abscidit, patremq; ipsum, & Nisaeā ciuitatem Atheniensib. prodidit. nam cum Athenienses Nisi fines hostiliter inuasissent, ceperunt nonnulla oppida subitis incursionibus, ipsumq; Nisum in vrbem Nisaeam incluserunt, & obsederunt, vt ait Pausanias in Atticis, & Strabo lib. 8. Fama est igitur Minoem illam in profundum maris deturbasse odio proditionis, quare in mōstrum marinum versa sit. Alii dicant illam desperatione captam cum à Minoe neglecta relinqueretur post proditionem se in mare praecipitasse & Deorum ita canes additos esse vt illam in monstrum versam assidue lacerarent. Fuerunt tamen qui duas fuisse Scyllas dixerint, alteram Phorci, alteram Nisi filiam: atq; hanc postremam post cęsum capillum cum illam pater insequeretur, in cirim fuisse conuersam, patrem in haliętum, aues inter se infensas, vt in lib. 1. Georgicorum ait Virgil.

*Apparet liquido sublimis in aere Nisus,*
*Et pro purpureo poenas dat Scylla capillo:*
*Quacunq; illa leuem fugiens secat aera pennis,*
*Ecce inimicus atrox magno stridore per auras*
*Insequitur Nisus; qua se fert Nisus ad auras,*
*Illa leuem fugiens raptim secat aethera pennis.*

Pausanias in Corinthiacis Scyllā Nisi filiam neque in auem mutatam scribit, neq; in monstrum marinum, quę patrem Minoi prodidit, neq; à Minoe vxorem ductam, vt sibi promissam fuerat, sed ipsius Minois iussu in mare deiectā, quae maris vndis, agitata sit. donec ad Scyllaeum vocatum promontorium sit delata, vbi tamdiu insepultum iacuit cadauer, quam diu à marinis volucribus voraretur: vnde locus datus fuit fabulae. quare ita ad illud illusit Ouid.

*Filia purpureum Nisi furata capillum,*
*Puppe cadens nauis facta refertur auis.*

Zenodotus lib. 3. Compendiorum, suspensam fuisse inquit,

Scyllam de prora nauis, in qua vehebatur Minos, & per mare tractam donec ita interierit. Scyllam vero, quæ dicta est Phorci filia, præstantem forma corporis mulierem fuisse memorant, quæ cum Neptuno cõcubuerit; qua re cognita pharmacum Amphitrite in fontem, in qua se lauere Scylla consueuerat, iniecit, eamque in furorem actam cum se in mare præcipitasset, in monstrum marinũ conuertit, vt scripsit Myro Prianeus lib. 5. rerum Messeniacarum. Alij fabulati sunt Scillam rem habuisse cum Glauco, quod ægre ferens Circe, quæ illius amore tenebatur, pharmacis fontem, in quo lauari Scylla consueuerat, infecit; quibus illa pubetenus in varias formas mutata sit. Scylla igitur sua deformitate territa, amissæque formæ desperatione capta, se in mare præcipitauit: quare locum dedit fabulæ, vt ait Zenodotus Cyreneus. Scyllæ formam ita describit Isacius: ἓξ μὲν κεφαλὰς ἔχων, κάμπης, κυνὸς, λέοντος, Γοργόνης, φαλαίνης, ἀνθρώπου· ιβ' πόδας *Sex habens capita, erucæ, canis, leonis, Gorgonis, balenæ, fœminæ pedes autem duodecim.* qui idem aliorum sententias secutus, diuersam formam illi tribuit. Alij dixerunt oculorum tenus Scyllam pulcherrimam fuisse mulierem, at sex habuisse canum capita, reliquam corporis partem fuisse serpentum. Hom. lib. μ. Odyss. & capita sex, & duodecim pedes illi fuisse scribit, & singula capita habuisse tres ordines dentium, vt est in his:

ἔνθα δ' ἐνὶ Σκύλλη ναίει δεινὸν λελακυῖα·
τῆς ἤτοι φωνὴ μὲν ὅση σκύλακος νεογιλῆς
γίνεται. αὐτὴ δ' αὖτε πέλωρ κακόν. οὐδέ κέ τίς μιν
γηθήσειεν ἰδὼν, οὐδ' εἰ θεὸς ἀντιάσειεν.
τῆς ἤτοι πόδες εἰσὶ δυώδεκα, πάντες ἄωροι.
ἓξ δέ τε οἱ δειραὶ περιμήκεες, ἐν δὲ ἑκάστῃ
σμερδαλέη κεφαλή· ἐν δὲ, τρίστοιχοι ὀδόντες,
πυκνοὶ καὶ θαμέες, πλεῖοι μέλανος θανάτοιο.

*Hoc habitat grauiter latrans, ac Scylla profundum,*
*Cuius vox similis catulis; monstrumq; verendum,*
*Ipsa grauis pestis, non sit Deus obuius illi*
*Quis fieret, posset lætari, nilq; timere.*
*Namq; pedes illi bisseni, collaq; longa*
*Sunt sex huic, caput horrendum quæ singula monstrant.*
*Dentibus est ordo triplex, illiq; frequentes,*
*Et semper nigra mortis vestigia seruant.*

At Virgil. lib. 3. Æneid. aliter eius formam descripsit in his:

*At Scyllam cæcis cohibet spelunca latebris*
*Ora exertantem, & naues in saxa trahentem.*
*Prima hominis facies, & pulchro pectore virgo*
*Pube tenus postrema immani corpore pistrix,*
*Delphinum caudas vtero commissa luporum.*

Fabulati sunt præterea hanc oculos igneos habuisse, & adeo longa colla, vt vel longinquas naues ad se posset attrahere; quare ita scripsit Apollon. lib. 4.

μή πως σμερδαλέοισιν ἐπαΐξασα γένυσσιν
λεκτοὺς ἡρώων δηλήσεται χθ.

*Ne forte horrendis maxillis concita lædat*
*Delectos heroas.*

Fabulantur igitur quod quicunque appulissent eo, faciebant naufragium, hominesq; ab iis canibus qui erant circa pudenda Scyllæ, vorabantur, vt testatur Virgil. in Sileno:

*Quid loquar? aut Scyllam Nisi, aut quam fama secuta est,*
*Candida succinctam latrantibus inguina monstris,*
*Dulychias vexasse rates, & gurgite in alto*
*Ah timidos nautas canibus lacerasse marinis?*

Charybdis item voracissima mulier dicitur, fuisse, quę cum furata esset nonnullas boues Herculi boues Geryonis abigenti, à Ioue fulmine icta fuit, & in illud monstrum marinum versa Alii tamen ab Hercule cæsam fuisse maluerunt, & à Ioue in monstrum conuersam. at Isacius Mnaseam Patrensem in nauigatione secutus furtum hoc Scyllæ tribuit, qui illam ab Hercule cæsam fuisse scribit. patris vero Phorcynis opera postea in lebete subiectis lampadibus coctam reuixisse. Hæc ea sunt fere omnia quæ de Scylla & Charybdi, periculosis maris Siculi scopulis, ab antiquis memorantur. Describuntur ita illi scopuli ab Homero lib. μ. Odyss.

οἱ δὲ δύω σκόπελοι, ὁ μὲν οὐρανὸν εὐρὺν ἱκάνει
ὀξείῃ κορυφῇ· νεφέλη δέ μιν ἀμφιβέβηκε
κυανέη, τὸ μὲν οὔ ποτ' ἐρωεῖ, οὐδέ ποτ' αἴθρη
κείνου ἔχει κορυφὴν, οὔτ' ἐν θέρει, οὔτ' ἐν ὀπώρῃ.
οὐδέ κεν ἀμβαίη βροτὸς ἀνὴρ, οὐ καταβαίη,
οὐδ' εἴ οἱ χεῖρές γε ἐείκοσι, καὶ πόδες εἶεν.

*Hi duo sunt scopuli, præacuto vertice cælum*
*Hic adit, assidue tegitur qui nubibus atris.*

Scyllam de prora nauis, in qua vehebatur Minos, & per mare tractam donec ita interierit. Scyllam vero, quæ dicta est Phorci filia, præstantem forma corporis mulierem fuisse memorant, quæ cum Neptuno cócubuerit; qua re cognita pharmacum Amphitrite in fontem, in qua se lauere Scylla consueuerat, iniecit, eamque in furorem actam cum se in mare præcipitasset, in monstrum marinũ conuertit, vt scripsit Myro Prianeus lib. 5. rerum Messeniacarum. Alij fabulati sunt Scillam rem habuisse cum Glauco, quod ægre ferens Circe, quæ illius amore tenebatur, pharmacis fontem, in quo lauari Scylla consueuerat, infecit; quibus illa pubetenus in varias formas mutata sit. Scylla igitur sua deformitate territa, amissæque formæ desperatione capta, se in mare præcipitauit: quare locum dedit fabulæ, vt ait Zenodotus Cyreneus. Scyllæ formam ita describit Isacius: ἓξ μὲν κεφαλὰς ἔχων, κάμπης, κυνὸς, λέοντος, Γοργόνης, φαλαίνης, ἀνθρώπου· ιβ´ πόδας *Sex habens capita, eruca, canis, leonis, Gorgonis, balena, fœmina pedes autem duodecim.* qui idem aliorum sententias secutus, diuersam formam illi tribuit. Alij dixerunt oculorum tenus Scyllam pulcherrimam fuisse mulierem, at sex habuisse canum capita, reliquam corporis partem fuisse serpentum. Hom. lib. μ. Odyss. & capita sex, & duodecim pedes illi fuisse scribit, & singula capita habuisse tres ordines dentium, vt est in his:

ἔνθα δ' ἐνὶ Σκύλλη ναίει δεινὸν λελακυῖα·
τῆς ἤτοι φωνὴ μὲν ὅση σκύλακος νεογιλλῆς
γίνεται. αὐτὴ δ' αὖτε πέλωρ κακόν. οὐδέ κέ τίς μιν
γηθήσειεν ἰδὼν, οὐδ' εἰ θεὸς ἀντιάσειεν.
τῆς ἤ τοι πόδες εἰσὶ δυώδεκα, πάντες ἄωροι.
ἓξ δέ τε οἱ δειραὶ περιμήκεες, ἐν δὲ ἑκάστῃ
σμερδαλέη κεφαλή· ἐν δὲ, τρίστοιχοι ὀδόντες,
πυκνοὶ καὶ θαμέες, πλεῖοι μέλανος θανάτοιο.

*Hoc habitat grauiter latrans, ac Scylla profundum,*
*Cuius vox similis catulis; monstrumq; verendum,*
*Ipsa grauis pestis, non sit Deus obuius illi*
*Quis fieret, posset latari, nilq; timere.*
*Namq; pedes illi bisseni, collaq; longa*
*Sunt sex huic, caput horrendum qua singula monstrant.*
*Dentibus est ordo triplex, illiq; frequentes,*
*Et semper nigra mortis vestigia seruant.*

At

At Virgil. lib. 3. Æneid. aliter eius formam descripsit in his:

*At Scyllam cæcis cohibet spelunca latebris*
*Ora exertantem, & naues in saxa trahentem.*
*Prima hominis facies, & pulchro pectore virgo*
*Pube tenus, postrema immani corpore pistrix,*
*Delphinum caudas vtero commissa luporum.*

Fabulati sunt præterea hanc oculos igneos habuisse, & adeo longa colla, vt vel longinquas naues ad se posset attrahere; quare ita scripsit Apollon. lib. 4.

*μήπως σμερδαλέοισιν ἐπαΐξασα γένυσσιν*
*λεκτοὺς ἡρώων δηλήσεται ἄχθ.*
*Ne forte horrendis maxillis concita lædat*
*Delectos heroas.*

Fabulantur igitur quod quicunque appulissent eo, faciebant naufragium, hominesq; ab iis canibus qui erant circa pudenda Scyllæ, vorabantur, vt testatur Virgil. in Sileno:

*Quid loquar? aut Scyllam Nisi, aut quam fama secuta est,*
*Candida succinctam latrantibus inguina monstris,*
*Dulychias vexasse rates, & gurgite in alto*
*Ah timidos nautas canibus lacerasse marinis?*

Charybdis item voracissima mulier dicitur, fuisse, quę cum furata esset nonnullas boues Herculi boues Geryonis abigenti, à Ioue fulmine icta fuit, & in illud monstrum marinum versa Alii tamen ab Hercule cæsam fuisse maluerunt, & à Ioue in monstrum conuersam. at Isacius Mnaseam Patrensem in nauigatione secutus furtum hoc Scyllæ tribuit, qui illam ab Hercule cæsam fuisse scribit. patris vero Phorcynis opera postea in lebete subiectis lampadibus coctam reuixisse. Hæc ea sunt fere omnia quæ de Scylla & Charybdi, periculosis maris Siculi scopulis, ab antiquis memorãtur. Describuntur ita illi scopuli ab Homero lib. μ. Odyss.

*οἱ δὲ δύω σκόπελοι, ὁ μὲν οὐρανὸν εὐρὺν ἱκάνει*
*ὀξείῃ κορυφῇ· νεφέλη δέ μιν ἀμφιβέβηκε*
*κυανέη, τὸ μὲν οὔ ποτ' ἐρωεῖ, οὐδέ ποτ' αἴθρη*
*κείνου ἔχει κορυφὴν, οὔτ' ἐν θέρει, οὔτ' ἐν ὀπώρῃ.*
*οὐδέ κεν ἀμβαίη βροτὸς ἀνὴρ, οὐ καταβαίη,*
*οὐδ' εἴ οἱ χεῖρές γε ἐείκοσι, καὶ πόδες εἶεν.*
*Hi duo sunt scopuli, præacuto vertice cœlum*
*Hic adit, assidue tegitur qui nubibus atris.*

*Vnde tulit Boreas raptam grauis Orithyiam,*

Scripsit Ouid.lib.6. Metamorph. Orithyiam fuisse in regionem Ciconum deportatam, & ibi celebratas nuptias Boreæ, & geminos peperisse filios, vt est in his:

*Nec prius aerij cursus suppressit habenas,*
*Quam Ciconum tenuit populos & mœnia raptos.*
*Illic & gelidi coniux Actæa tyranni,*
*Et genitrix facta est partus enixa gemellos.*

Simonides tamen poeta non ab Ilisso, sed à Brilisso raptam fuisse Orithyam putauit, & ad petrã Sarpedoniam Thraciç deportatam, non procul ab Æmo monte. Memoriæ prodidit Herodotus in Polymnia, iussos fuisse Athenienses ab oraculo, cum Xerxes ad deuastandam Græciam cum innumerabili prope classe traiiceret, generum Boream in auxilium vocare, qui vehemens in classem Persarum irruit, ac multa nauigia submersit, quare debilitatæ fuerũt vires hostium. cum vero in Thraciam Orithyiam abstulisset, ibique habitaret, Thracius Boreas vocatus est ab Eur. in Cyclope.

ὅταν δὲ Βορέας χιόνα Θρῄκιος χέῃ,
δοραῖσι θηρῶν σῶμα περιβαλὼν ἐμόν.
*Boreas vbi niuesq; fundit Thracius,*
*Corpus meum tego ferarum pellibus.*

Hunc in antro habitare solitum scripsit Callimach. in lauacrum Deli;

ἥμενος ὑψηλῆς κορυφῆς ἔπι Θρήικος Αἵμου
θοῦρος Ἄρης ἐφύλασσε σὺν ἔντεσι· τὼ δέ οἱ ἵππω
ἑπτάμυχον Βορέαο παρὰ σπέος ηὐλίζοντο.
*Threicij residens sublimi vertice in Æmi,*
*Mars seruabat equos, atq; arma nitentia: equiq;*
*Hic stabulabantur Boreæ frigentis ad antrum.*

Boreæ filias fuisse scribit Callimachus in eodem hymno Vpim & Loxo, & Hecaergen.

πρῶτοι ταί τοι τά δ' ἔνεικαν ἀπὸ ξανθῶν Ἀριμασπῶν
Οὖπίς τε, Λοξώ τε, καὶ εὐαίων Ἑκαέργη,
θυγατέρες Βορέαο, καὶ ἄρσενες οἵ τότ' ἄριστοι
ἠιθέων.
*Namq; Arimasporum prima è regione tulerunt*
*Vpisque, Loxoque, Hecaerge annosa rigenti*
*De Borea natæ: præstans & robore pubes*
*Inde mares.*

Memo-

Memoriæ proditum est à Cleanthe in primo libro de moribus, Boream rapuisse Chlorim quoq; Arcturi filiam, atq; illam in collem Niphatem asportasse, qui postea Thorus Boreæ vocatus fuit, antequam diceretur Caucasus, de qua filiam suscepit Hyrpacem. Fabulantur Chionem præterea & Zetem & Calaim natos fuisse ex Orithya, qui vna cum cæteris Argonautis in Colchos nauigarunt, de quibus ita meminit Apollonius lib. 1.

*Ζήτης αὖ Καλαΐς τε βορήϊοι υἷες ἵκοντο,*
*οὕς ποτ' Ἐρεχθηῒς Βορέῃ τέκεν Ὠρείθυια*
*ἐσχατιῇ Θρήκης δυσχειμέρου, ἔνθ' ἄρα τήνγε*
*Θρηΐκιος Βορέης ἀνερέψατο Κεκροπίηθεν*
*Ἰλισοῦ προπάροιθε χορῷ ἔνι δινεύουσαν*
*καί μιν ἄγων ἕκαθεν, Σαρπηδονίην ὅθι πέτρην*
*κλείουσιν, ποταμοῖο παρὰ ῥόον Ἐργίνοιο,*
*λυγαίοις ἐδάμασσε περὶ νεφέεσσι καλύψας.*

*Zetes & Calais Boreæ de semine nati*
*Rursus. Erechthei peperit quos Orithya*
*Veloci Boreæ, rapuit quam Cecropis agro*
*Ducentem choreas Ilissi ad fluminis vndam.*
*Hanc Sarpedoniam ad petram tulit inde vocatam,*
*Qua fluit Erginus vitrea perlucidus vnda.*

Suscepit Boreas præterea ex Orithya Cleopatram, quę postea Phineo nupta Cramben & Orythum & Hemum illi peperit, vel, vt alij maluerunt Thyrum & Maryandinũ, quam Arplicen, at non Cleopatram vocarunt. Hos scripsit Phanodicus Boreæ filios ad Argonautas ex Hyperboreis adiisse, at Herodotus è Daulide. Aiunt præterea celerrimos fuisse, omnium Boreadas, facultatemque habuisse volandi, vt testatur Theognis in his:

*ὠκύτεροϛ δ' εἴηθα πόδας ταχεῶν Ἁρπυιῶν,*
*καὶ παίδων Βορέω, τῶν ἄφαρ εἰσὶ πόδες.*

*Si magis Harpyiis sis velox, vincere possis*
*Et natos Boreæ, haud pes quibus vtiliter*

Cum venissent igitur cum cæteris principibus Colchicæ expeditionis ad Phineum, Harpyas à mensa Phinei profugarunt, à quibus Plotæ insulæ Strophades vocatæ sunt, Hi postea cæsi fuerunt ab Hercule in partitione munerũ, quæ ab Iasone illis heroibus, qui secũ nauigarunt, data fuerunt, vt quidam putarunt, inter quos fuit Stesimbrotus, alij quia

nauem in Myſiā redire nollent ab Hercule cæſos fuiſſe maluerunt. Semus quia curſu viciſſent, per inuidiā ab Hercule cæſos tradidit. Neander Colophonius, qui Boreas ſibi tēpeſtatem in Inſulam Con immiſiſſet, cum reuerterētur, ab Hercule ob iram trucidatos putauit, at non à generis Leucippi. Neq; plura de Borea memorantur ab antiquis. Scripſit Heſagoras in rebus geſtis Megarenſium Aoream, qui Orithyiam rapuit, non ventum, ſed iuuenem fuiſſe Strymonis filium ita vocatum, qui cum illam in matrimonium à parentibus impetrare non poſſet, ad rapinam ſe accinxit, raptamque in Thraciam deportauit. Quamuis alii non à Borea, ſed à populis Thraciæ Boreæ nomine raptam fuiſſe putarunt, vt ait Ouid. in epiſt Paridis:

*Nomine ceperunt Aquilonis Erechthida Thraces,*
*Tuta tamen bello Biſtonis ora fuit.*

Alii deiectam fuiſſe Orithyiam è præcipiti loco in Iliſſum fluuium exiſtimarunt, quæ cum nullibi poſt inuenta ſit, locum dedit fabulæ, quod eam amatam Boreas in Thraciam aſportaſſet. Quod Harpyias à menſa ſenis Phinei expulerint crediderunt nonnulli Harpyiam & Eraſiam filias fuiſſe eius ſenis, quæ cum parum honeſtam viuendi rationem complecterentur, paternas facultates immodice exinanirent, domumq; paternam turpiter exhaurirent. Has ambas cum filii Boreæ tecū abduxiſſent, putati ſunt Phineum egeſtate fameque liberaſſe. Quid contineatur ſub hac fabula, præter hiſtoriam, non reperio. Atque locum aliquem doctioribus etiam relinquo. At nunc de Scylla dicamus.

## *De Scylla & Charybdi.* CAP. XII.

Scylla & Charybdis, monſtra infeſta nauigantibus maxime timenda, exiſtimatæ ſunt, quæ fœminæ quondam dicuntur fuiſſe. Fuit igitur Scylla Phorcinis & Hecates filia vt ſenſit Acuſilaus: vt vero Homerus, Cratæis fuit eius mater, quæ tamen eadem eſt, vt Apollon. Acuſilaum fortaſſe ſecutus ſcripſit lib 4.

ἠὲ παρὰ Σκύλλης συγερὸν κευθμῶνα νέεσθαι,
Σκύλλης Αὐσονίης ὀλοόφρονος, ἣν τέκε Φόρκῳ,
νυκτιπόλος Ἑκάτη, τὴν τε κλείουσι Κραταιΐν.
*Horrendum aut antrum Scyllæ concedere iuxta,*
*Auſoniæ Scyllæ Phorci de ſeminenatæ,*

Noctiu

*Noctiuagaeq; Hecates, quae dicitur vna Cratais.*

Chariclides vero in cathena, Phorbantis & Hecates filiam fuisse tradidit, Stesichorus Lamiae. Timaeus lib. 21. historiarum non è Phorcyne, sed è Typhone natam fuisse asserit: alii è fluuio Crati. Fuerunt qui dixerint Scyllam fuisse olim filiam Nisi regis Megarensium, quae capta amore Minois, patris purpureum capillum, quo incolumi ille mori nō poterat, vt respondit oraculū, clam abscidit, patremq; ipsum, & Nisaeā ciuitatem Atheniensib. prodidit. nam cum Athenienses Nisi fines hostiliter inuasissent, ceperunt nonnulla oppida subitis incursionibus, ipsumq; Nisum in vrbem Nisaeam incluserunt, & obsederunt, vt ait Pausanias in Atticis, & Strabo lib. 8. Fama est igitur Minoem illam in profundum maris deturbasse odio proditionis, quare in mōstrum marinum versa sit. Alii dicant illam desperatione captam cum à Minoe neglecta relinqueretur post proditionem se in mare praecipitasse & Deorum ira canes additos esse vt illam in monstrum versam assidue lacerarent. Fuerunt tamen qui duas fuisse Scyllas dixerint, alteram Phorci, alteram Nisi filiam: atq; hanc postremam post caesum capillum cum illam pater insequeretur, in cirim fuisse conuersam, patrem in haliaetum, aues inter se infensas, vt in lib. 1. Georgicorum ait Virgil.

*Apparet liquido sublimis in aere Nisus,*
*Et pro purpureo poenas dat Scylla capillo:*
*Quacunq; illa leuem fugiens secat aera pennis,*
*Ecce inimicus atrox magno stridore per auras*
*Insequitur Nisus; qua se fert Nisus ad auras,*
*Illa leuem fugiens raptim secat aethera pennis.*

Pausanias in Corinthiacis Scyllā Nisi filiam neque in auem mutatam scribit, neq; in monstrum marinum, quę patrem Minoi prodidit, neq; à Minoe vxorem ductam, vt sibi promissam fuerat, sed ipsius Minois iussu in mare deiectā, quae maris vndis, agitata sit. donec ad Scyllaeum vocatum promontorium sit delata, vbi tamdiu insepultum iacuit cadauer, quam diu à marinis volucribus voraretur: vnde locus datus fuit fabulae. quare ita ad illud illusit Ouid.

*Filia purpureum Nisi furata capillum,*
*Puppe cadens nauis facta refertur auis.*

Zenodotus lib. 3. Compendiorum, suspensam fuisse inquit,

At Virgil. lib. 3. Æneid. aliter eius formam descripsit in his:

*At Scyllam cæcis cohibet spelunca latebris*
*Ora exertantem, & naues in saxa trahentem.*
*Prima hominis facies, & pulchro pectore virgo*
*Pube tenus postrema immani corpore pistrix,*
*Delphinum caudas vtero commissa luporum.*

Fabulati sunt præterea hanc oculos igneos habuisse, & adeo longa colla, vt vel longinquas naues ad se posset attrahere; quare ita scripsit Apollon. lib. 4.

*μήπως σμερδαλέοισιν ἐπαΐξασα γένυσσιν*
*λεκτοὺς ἡρώων δηλήσεται.*
*Ne forte horrendis maxillis concita lædat*
*Delectos heroas.*

Fabulantur igitur quod quicunque appulissent eo, faciebant naufragium, homines; ab iis canibus qui erant circa pudenda Scyllæ, vorabantur, vt testatur Virgil. in Sileno:

*Quid loquar? aut Scyllam Nisi, aut quam fama secuta est,*
*Candida succinctam latrantibus inguina monstris,*
*Dulychias vexasse rates, & gurgite in alto*
*Ah timidos nautas canibus lacerasse marinis?*

Charybdis item voracissima mulier dicitur, fuisse, quę cum furata esset nonnullas boues Herculi boues Geryonis abigenti, à Ioue fulmine icta fuit, & in illud monstrum marinum versa Alii tamen ab Hercule cæsam fuisse maluerunt, & à Ioue in monstrum conuersam. at Isacius Mnaseam Patrensem in nauigatione secutus furtum hoc Scyllæ tribuit, qui illam ab Hercule cæsam fuisse scribit. patris vero Phorcynis opera postea in lebete subiectis lampadibus coctam reuixisse. Hæc ea sunt fere omnia quæ de Scylla & Charybdi, periculosis maris Siculi scopulis, ab antiquis memorantur. Describuntur ita illi scopuli ab Homero lib. μ. Odyss.

*οἱ δὲ δύω σκόπελοι, ὁ μὲν οὐρανὸν εὐρὺν ἱκάνει*
*ὀξείῃ κορυφῇ· νεφέλη δέ μιν ἀμφιβέβηκε*
*κυανέη, τὸ μὲν οὔ ποτ' ἐρωεῖ, οὐδέ ποτ' αἴθρη*
*κείνην ἔχει κορυφὴν, οὔτ' ἐν θέρει, οὔτ' ἐν ἐπώρῃ.*
*οὐδέ κεν ἀμβαίη βροτὸς ἀνὴρ, οὐ καταβαίη,*
*οὐδ' εἴ οἱ χεῖρές τε ἐείκοσι, καὶ πόδες ἦεν.*
*Hi duo sunt scopuli, præacuto vertice cœlum*
*Hic adit, assidue tegitur qui nubibus atris.*

*Nullis serena dies hic est, non tempore messis,*
*Nec quando apricis liuent in collibus vua.*
*Nec si vigi iti manibus, pedibusq; vir vllus*
*Scand re nitatur, poterit, non inde redire.*

Alium scopulum paulo inferius idem poeta ita describit:

*τὸν δ' ἕτερον σκόπελον χθαμαλώτερον ὄψει Ὀδυσσεῦ,*
*πλησίον ἀλλήλων· καί κεν διοϊστεύσειας.*
*τῷ δ' ἐν ἐρινεὸς ἐστι μέγας φύλλοισι τεθηλώς.*
*τῷ δ' ὑπὸ δῖα Χάρυβδις ἀναρροιβδεῖ μέλαν ὕδωρ.*
*τρὶς μὲν γάρ τ' ἀνίησιν ἐπ' ἤματι, τρὶς δ' ἀναροιβδεῖ.*
*δεινόν· μὴ σύ γε κεῖθι τύχοις ὅτε ῥοιβδήσειεν.*

*Alter erit scopulus d pressior optime Vlysses,*
*Vicin inter se h (namq; ho super ueris arcu,*
*Si libeat) foliisq; v ret ficulnus ibidem*
*Maxima, sub qua haurit pelagus diuina Charybdis.*
*Ter bibit illa die, ep tas te q; euomit vndas.*
*Obserua, ne sorbens: sis inde propinquus.*

At Virgil. luculentissime rem ita expressit, breuissime lib. 3. Æneid.

*Dextrum S ylla l tus, laeuum implacata Charybdis*
*Obsidet, atq; imo barathri ter gurgite vasto*
*Sorbet, in abruptum fluct us, rursusq; sub auras*
*Erigit alternos, & sidera ver erat vn la.*
*At Scyllam cacis coh bet spelunca latebris,*
*Ora exertantem, & naues in saxa trahentem.*

Strabo lib. 1. vt videtur putasse Homerus, fluxum maris ac refluxum vehementem fieri circa eos scopulos in mari Siculo putauit, quibus in locis cum grauissimus esset strepitus propter saxorum concauitates, fabulati sunt antiqui canes esse circa latera & inferiores partes Scyllæ, qui illam vorarent. hanc rem ita scribit Isacius, ἡ Σκύλλα περὶ τὸ Ῥήγιον τῆς Σικελίας ἐστὶν ἀκρωτήριον ἐξέχον εἰς θάλασσαν. ἐκεῖθεν πέτραι πολλαὶ καὶ μεγάλαι, ἔχουσαι κοίλους τόπους καὶ σπήλαια ἐν οἷς κατεμένουσι θηρία θαλάσσια, τῶν δὲ πλοίων ἐν ταῖς πέτραις ἀπορριπτομένων ὑπὸ τοῦ τῆς Χαρύβδεως ὕδατος, καὶ συγκλονουμένων, τοὺς ἄνδρας ἐσθίουσιν. ἡ Χάρυβδις δὲ καὶ ἡ Σκύλλα πλησίον εἰσὶν ἡ μὲν γὰρ Χάρυβδις περὶ Μεσσήνην ἐστὶν ἡ δὲ Σκύλλα περὶ τὸ Ῥήγιον. *Scylla promontorium est iuxta Rhegium Sicilia. in mare prominens, sub quo sunt saxa multa & ingentia, qua locos interius h bent cauos, & speluncas, in quibus habitant monstra*

*mari-*

*marina. vbi nauigia fuerint iis petris ab aqua Charybdis illiſa & euerſa, tunc homines ab illis feris vorantur, Charybdis autem & Scylla vicinæ inter ſe ſunt: atque Charybdis eſt iuxta Meſſanam, Scylla iuxta Rhegium.* Dictæ ſunt idcirco mulieres hæ fuiſſe, quod illa forma fuerit ſcopulorum, vt procul ſpectantib. mulierum formam præ ſe ferrent. nam, vt traditum eſt in opticis, pro diſtantia ſpectantium & pro ſitu rei collocatæ, multa ſunt quæ aliam atque aliam formam, vel plantæ, vel animalis, vel religionis præ ſe ferant. illud autem ita eſſe declarauit his verbis Apollonii Rhodii enarrator, quod etiam ſcriptum fuit ab Agatharchide lib. 7. rerum Europicarum: ἀκρωτήριον δ' ἐστὶν ἡ Σκύλλα, ἐξέχον εἰς θάλασσαν, ὁμοίωμα καὶ πρόσωπον ἔχον γυναικός. κάτω δὲ τοῦ ἀκρωτηρίου εἰσὶ πέτραι πολλαὶ καὶ μεγάλαι, ἔχουσαι κοίλους τόπους καὶ σπήλαια, ἐν οἷς θαλάσσια θηρία μένουσιν. Et ne omnia Græca hic aſcribam, ſententiam tantum ita explicabo: Scylla promontorium eſt in mare prominens, forma facieque muliebri ſub ipſo promontorio petræ ſunt ingentes & complures, quæ locos concauos & ſpeluncas habent interius, in quibus habitant feræ marinæ. Quæcunque igitur nauigia compulſa fuerunt ab vndis vel à tempeſtate in Charybdim, ibidem ſubmerſa ab ipſo mari abſorbentur. at quæ ab vndis Charybdis agitata rurſus & compulſa in aſperas & latentes Scyllæ petras irruerint, quaſſantur & diſrumpuntur; poſtea feræ illæ monſtraque marina multiplicia exeuntia, homines è nauibus colligentes edunt. Quidam diligentius rem explicantes maris traiectum ſeptem ſtadiorum eſſe inter Italiam, Siciliamque tradiderunt, qui πόρθμος ſiue fretum fuit appellatus atque ex tribus Siciliæ promontoriis Lilybæo, Pachyno & Peloro. Pelorus Italiam proſpectat, ſub quo ſita fuiſſe dicitur Charybdis. ex huius regione Scylla fuit in Italia ſub alto promontorio ex illa Italiæ parte in mare prominente, quod ſimilitudinem ac ſpeciem haberet mulieris. Dicta eſt Scylla à poetis habere canes, qui è lateribus, pectoreque promineant, & interimant nauigantes, quoniam ex inferiore loco, è concauitate ſaxorum ſcilicet, in qua latent, exeuntes, ſeque ſuperius ex eius latere extollentes, exire è pectore feræ illæ videantur. fuit igitur ſcopulus, & profunditas aquarum, & forma eius ſcopuli, quæ fabulæ locum

dedit. Cum Hercules iuxta hæc loca nauigasset, magnamque partem illarum boum quas secum vehebat, amisisset, dictus est interemisse Charybdim, quia machinis quibusdam locum illum expurgauit, & in posterum nauigabilem fecit, ita vt neque Scyllæ neque Charybdis vllum ad posteros vestigium manserit. dicta fuit autem Scylla ἀπὸ τοῦ συλᾶν, à spoliando scilicet, vel à σκύλλειν vexando: quamuis ἀπὸ τῶν σκυλάκων, à catulis, quidam putarint. at Charybdis ἀπὸ τοῦ χάσκειν ab hiando, & ῥοιβδῶ sorbeo, nominata est.

¶ Ego sane virtutum vitiorumq; naturam sub hac fabula contineri crediderim, quia cum inter duo pericula nauiget is qui ex altera parte Scyllam, ex altera Charybdim habeat, solus deniq; tutus & incolumis euadit, qui neutri horum periculorum magis adhæserit: hoc quid aliud significat, quam quod scribitur ab Aristotele in Ethicis, virtutē esse medium duorum extremorum, quæ ambo sunt vitanda? Vt autem vitia deuitaremus extrema, his partim fœmineas formas vt inuitantibus ad se, tribuerunt, partim figuras immanissimarum ferarum; quippe cum eo accedentibus calamitates proponerent, & vitæ ac facultatum iacturam, cum canes, & varia monstra horribilia his adiunxerint, q̃ inhærentes vorarent. Nam quid aliud est vita mortalium, quam assidua inter varias molestias & illegitimas voluptates nauigatio? is autem vnus, qui sancte pieq; vixerit, & qui vitia vtrobiq; existentia deuitauerit, incolumis in patriam, quod beatarum est animarum post hanc vitam concilium, cui præest Deus, peruenire poterit. Sed quoniã in errores aliquando collabi omnibus facile est, & plerisq; contingit, si quis illis scopulis appropinquarit, continuo est inde totis viribus recedendum. nemo est enim ex omnibus hominib. qui non ab ipsa natura ad voluptates incitetur. Idcirco poetarum omnium præstantissimus Homerus multis amissis inde vix abnauigantē fecit Vlyssem: quia pauci sunt viri fortes in periculis: & multo pauciores prudentes, vbi semel voluptatum facti sunt captiui, nec ab illis postea explicare se facile possunt. Dicitur Scylla in hoc monstrũ à Circe conuersa fuisse, cum mulier esset pulcherrima, quod omnes qui declinãt à ratione, rectoq; viuendi instituto, brutorũ animos induant. Quid.n. Circen esse dicebamus? at non titillationem naturæ ad voluptates incitan-

citantem? cum vellent igitur demonstrare antiqui (vt summarim dicam) plenissimam esse difficultatum & periculorum vitam humanam, nauigantique inter duos grauissimos scopulos simillimam; quæ si parum sapienter gubernetur, voluptatibus allecti homines in maximas miserias incident: hæc de Scylla & Charybdi excogitarunt: quæ iucundissimis narrationibus & fabulosis vestierunt, vt qui parum salutis suæ alioquin essent studiosi, saltem suauitate figmentorum ad audiendam vitæ recte instituendæ rationem allicerentur. Alii crediderunt hanc fabulam ad moderationem sumptuum spectare, quippe cum incauti in fœnus incidant, tanquam in Scyllæum fretum, vnde omnium facultatum vno tempore postea fit iactura: quod videtur innuisse Cicero in orat. pro Pub. Sextio. At nunc de Orione dicamus.

## De Orione. CAP. XII.

ORion ille, qui, vt traditum est in fabulis, fuit inter sidera collocatus, Hyrico Neptuni filio & Alcyone natus fuisse dicitur, de quo scriptum est ab Euphorione his verbis: Ὑριεὺς ὁ Ποσειδῶνος καὶ Ἀλκυόνης μιᾶς τῶν Ἄτλαντος θυγατέρων ᾤκει μὲν ἐν Τανάγρᾳ τῆς Βοιωτίας φιλοξενώτατος δὲ ὤν, ὑπεδέξατό ποτε καὶ θεούς. Ζεὺς δὲ καὶ Ποσειδῶν καὶ Ἑρμῆς ἐπιξενωθέντες αὐτῷ, καὶ τὴν φιλοφροσύνην ἀποδεξάμενοι, παρῄνεσαν αἰτεῖν ὅ τι ἂν βούλοιτο· ὁ δὲ, ἄτεκνος ὢν ᾐτήσατο παῖδα. λαβόντες οὖν οἱ θεοὶ τὴν τοῦ ἱερουργηθέντος αὐτοῖς βοὸς βύρσαν ἀπεσπέρμηναν εἰς αὐτὴν, καὶ ἐκέλευσαν κρύψαι κατὰ γῆν, καὶ μετὰ δέκα μῆνας ἀνελέσθαι ὧν διελθόντων ἐγένετο ὁ Οὐρίων, οὕτως ἐπονομασθεὶς διὰ τὸ οὐρῆσαι ὥσπερ τοὺς θεούς. ἔπειτα κατ' εὐφημισμὸν, Ὠρίων. *Hyrieus Neptuni & Alcyones filius, quæ vna fuit è filiabus Atlantis, aliquando in Tanagra ciuitate Bœotiæ habitauit cum vero benignus esset aduersus hospites, Dii quoque dicuntur in eius hospitium accessisse Iupiter autem & Neptunus, & Mercurius ab illo liberaliter tractati, eiusque benignitate delectati proposuerunt, vt quodcunque liberet, peteret. Hic cum adhuc esset sine filiis, filium poposcit. Tum vero Dii pellem mactati bouis sibi capientes in ipsam semen profuderunt, iusseruntque illam sub terram occultare, neque ante decimum mensem aperire: quibus mensibus peractis natus est Vrion, qui ita vocatus est, quod quasi minxissent Dii: at vero propter deuitandam turpitudinem vocis, postea dictus fuit Orion.* Neque enim, vt quidam arbi-

trati sunt, dicitur ex vrina, sed è spermate natus fuisse: Cum vero è semine trium Deorum natus dicatur illum Lycophron tripatrem ita vocauit:

*στεφηφόρον βοῦν δεινὸς ἄρπυιος δράκων*
*ῥαίσει τριπάτρω φασγάνῳ Κανδάονος.*
*Bouem coronatum grauis torquens draco*
*Cædet tripatris ense olim Candaonis.*

Fuit enim Candaon primum apud Bœotos, postea Orion, vocatus Isacius non Mercurium, sed Apollinem vna cum duobus Orionis patribus connumerauit. Atque Colonia fuit vxor Hyriei, cui pellis illa seruanda data fuit. Scriptũ reliquit Dorion in libro de piscibus, Orionem fuisse Neptuni & Brylles Minois filiæ, quæ sententia fuit etiam Hesiodi. Pherecydes Neptuni & Euryales filium inquit, vt ait Apollodorus libro primo Bibliothecæ. At Zezes, qui commentarios in Hesiodum scripsit, Orionem inquit fuisse Hyriei & Brylles filium, quæ Brylle fuit Minois. Quod autem venator fuerit Orion, testantur nomina ipsorum canum, quos ille in venationes alebat. nam nisi venator fuisset, nunquam probabile videretur, nisi fuisset insanus, vt Leucomelænam, Mæram, Dromim, Cissetam, Lampurim, Lycoctonum, Proophagum, Arctophonum, aliosq; complures canes aleret, qui illius commemorantur. Huic sororem addiderunt Candiopen. Nicandri vero enarrator Orieum, non Hyrieum vocauit Orionis patrem. Fabulantur hunc munus à patre Neptuno impetrasse, vt tam super vndas, quam super terram posset incedere. Alii tamen tantæ fuisse magnitudinis senserunt, vt nulla esset tanta profunditas, è qua non humeri saltem extarent è mari, quam sententiam secutus Virgil. ita scripsit lib. 10.

*——— quam magnus Orion,*
*Cum pedes incedit medii per maxima Nerei*
*Stagna viam scindens, humero supereminet vndas.*

Qui cum postea in Chium ad Oenopionem venisset, Æropen illius vxorem vitiare conatus est. Id grauiter ferens Oenopion comprehenso Orioni oculos effodit, & mox extra suam regionem eiecit: qui postea in Lemnum profectus à Vulcano per benigne excipitur. tum Vulcanus eius misertus Cedalionem vnum è famulis Orioni ducem viarum dedit, qui in orientem ad Solem profectus ab eo sanitati

nitati restitutus est, ac lumen recuperauit. Deinde contra Oenopionem arma suscepit, quem in eius auditum aduentum ciues sub terra occultarunt. hunc vbi non speraret se amplius posse inuenire Orion, in Cretam contendit, vbi venationi operam daret. Enimuero non in Aerope solum vxore Oenopionis, qui fructus esset tentatæ per vim alienarum mulierum pudicitiæ experiri voluit: quem fabulantur Pleiades Atlantis & Pleiones Oceani filias vna cum illarum matre persecutum in Bœotia per quinquennium assidue; quibus etiam potius esset, nisi per Iouis misericordiam, à quo precabantur auxilium, inter sidera fuissent relatæ. Dianæ quoque, cum vna venaretur, aiunt vim inferre voluisse, quare illius iussu occisum fuisse, vt in his testatur Euphorion: συγκυνηγῶν δὲ οὗτος Ἀρτέμιδι, ἐπεχείρησεν αὐτὴν βιάσασθαι. ὀργισθεῖσα δὲ ἡ θεὸς, ἀνέδωκεν ἐκ τῆς γῆς σκορπίον, ὃς αὐτὸν πλήξας κατὰ τὸν ἀστράγαλον, ἀπέκτεινε. *Cum vero vna cum Diana venaretur, illi vim inferre conatus est. At Dea irata scorpium è terra excitauit, qui illius talum percutiens interemit.* At Horatius libro tertio Carminum illum ab ipsa Diana ob tentatam pudicitiam sagitta cæsum fuisse scribit in his:

*& integræ*
*Tentator Orion Dianæ*
*Virginea domitus sagitta.*

Alii fabulati sunt, inter quos fuit Diocles ī lethiferis pharmacis, Orionem puerum insigni forma fuisse à Diana amatum, quę etiam illi nubere decreuerat: quippe cum Aurora etiam dicatur illum raptum ob formam in Delum asportasse. Id cum Apollo grauiter ferret, frustraq; sororem sæpius reprehendisset, nactus est satis aptam ita opportunitatem Orionis occidendi. Nam cum aduenientis Orionis caput prominens de vnda longinquum Apollo vidisset, proposito præmio artis contendit cum sorore quod non attingeret illud signum sagittis: at illa ostentandæ artis studio accensa sagittam in fronte Orionis infixit, quare postea cognita dolore commota impetrauit à Ioue vt ille inter sidera referretur. Corinnus autem Delius, qui Tanagræum fuisse inquit Orionem, multaq; loca mansuefecisse, & venenatis animalibus expurgasse, hunc idcirco interiisse memorat, quia inter venādum cum Latona & Diana

gloriaretur, quod nullum animal ferum ipsum vitare posset: eà re Deæ indignatæ dicuntur scorpium excitasse, à quo occideretur: qui sub saxo quodam latuit, donec eo accederet Orion. Est enim scorpiorum consuetudo vt sub saxis lateant, sicut Sophocles ait in captiuis:

*ἐν παντὶ γὰρ τοι σκορπίος φρουρεῖ λίθῳ.*
*Saxo sub omni delitescit scorpius.*

Tum vero cum pes Orionis forte saxo appropinquasset, ab eo scorpio ictus interiit, ac demum Dianæ misericordia inter sidera & ipse & scorpius relati fuerunt. Quidam maluerunt occisum fuisse à Diana, quia illam inuitasset vt disco secum luderet. Alii quia vim Opi vni è virginibus, quæ Dianam ex Hyperboreis secutæ fuerant, inferre voluerit, à Diana confixum sagittis existimarunt, vt ait Apollodorus lib. 1. Neque vero ipsius solum Orionis magna fuit arrogantia, sed etiam Side eius vxor dicitur ausa fuisse cum Iunone de forma contendere, quare ad inferos fuit ab illa deiecta. Scripsit Nicander in Theriacis scorpium immissum Orioni à Diana, quia peplum Dianæ etiam apprehendere, cum illam violare niteretur, ausus sit impuris manibus, vt patet ex his:

*τὸν δὲ χαλαζήεντα κόρη Τιτηνὶς ἀνῆκε*
*σκορπίον ἐκ κέντροιο τεθηγμένον. ἦμος ἐπέχρα*
*Βοιωτῷ τεύχουσα κακὸν μόρον Ὠρίωνι,*
*ἀχράντων ὅτε χερσὶ θεῆς ἐδράξατο πέπλων·*
*αὐτὰρ ὅγε στιβαροῖο κατὰ σφυροῦ ἤλασεν ἴχνος*
*σκορπίος ἀπροϊδὴς ὀλίγῳ ὑπὸ λᾶϊ λοχήσας.*
*Grandine signatum Titanis at inde puella*
*Scorpion immisit, qui cuspide surgat acuta,*
*Bœoto vt meditata necem fuit Orioni:*
*Impuris ausus manibus quia prendere peplum*
*Illæ Deæ est, talum percussit scorpius illi,*
*Sub paruo lapide occultus vestigia propter.*

Atque scorpii idcirco formam ad sempiternam memoriam dicitur fuisse inter sidera relata. Orionem non fuisse postea inter sidera relatum, sed fictum id & excogitatum fuisse ad alicuius gratiam, testatur Pausanias in Bœoticis, qui sepulchrum fuisse Orionis apud Tanagræos memoriæ prodidit. Hæc tot fabulosa de Orione ab antiquis sunt tradita: è quibus sententiam illorum eliciamus.

¶ Orion

¶ Orion fuit Neptuni & Iouis & Apollinis filius, ex horum semine nimirum in pellem bouis incluso natus. Quid hoc est monstri Dij boni? an potest vnus esse multorum parentum filius? hæc in elementorum generatione vera esse possunt, cū omnia sint in omnibus. Est enim mare, in quo semen includitur, taurus, tum ob fremitum, tum etiam ob impetum, cum à ventis incitatur: atq; illud manifestius est semen omnium elementorū, cum manifestius aqua ob calorem Solis mutationem patiatur. Excitat igitur vis Apollinis vapores ex aqua, eosque extenuans non sine quodā spiritu innato in aera extollit: atque q̄ Iupiter aer, Neptunus in aqua diffusus sit spiritus, & δύναμις ζωῦσα, patuit. Horū igitur trium Deorum viribus commistis, gignitur ventorum & pluuiarum & tonitruum materia, quæ Orion dicta est. Cum vero subtilior aquæ pars, quæ extenuatur, supernatet, dixerunt Orionem à patre impetrasse, vt super aquas incederet. Vbi materia illa extenuata in aera dilatatur & diffunditur, dictus est Orion venisse in Chium, qui locus à fundendo nominatur: nam χέειν fundere significat. At cum ibi Aeropē violare conetur, extra regionē eiicitur priuatus lumine, quia necesse est eos vapores per aera pertransire, & ad summam partem accedere, per quem locum diffusa materia primam vim ignis quodammodo labefactari sentit. Est enim omnium quæ mouentur motu non naturali, vis maxima in principio, at in fine minima, cum illa sensim in itinere deficiat. Excipitur Orion benigne a Vulcano, & ad Solem profectus pristinæ sanitati restitutus, inde in Chium reuertitur. Hoc sane nihil aliud est, quam circularis elemētorū, & mutua inter se generatio & corruptio. Fabulantur hunc à Diana sagittis cęsum, quod illam attingere ausus sit, quia cum vapores ad supremā partem aeris ascenderint, ita vt Lunam videantur nobis aut Solem attingere, Lunæ vis hos congregat, & in imbres aut ventos conuertit, & ita suis sagittis cædit ac deorsum mittit, cuius Lunæ vis est tanquā fermentū in his rebus faciendis. Dixerunt postea Orionem occisum fuisse & in cœleste signum conuersum, quoniā sub Orionis exortum frequentes fiunt pluuiæ, & venti & tonitrua. Hoc signum, quia ita formatū est, vt stricto gladio in taurum insurgat, & propinquas Pleiades insequatur, dictus est obuius factus Pleiadibus in earum amorem incidisse, ac

illas persecutus fuisse? quæ quidem Pleiades dictæ sunt ἀπὸ τοῦ πλειῶνος, ab anno scilicet, cum suis ortib. æstatis & hyemis initium significent. Cum vero Orion oppositū habeat scorpionem, videtur semper illum fugere ex eodem hemisphærio, quare de illo fabula conficta est. Atque tot breuiter ea sunt, quæ pertinent ad physicam rationem. Cum multa passum fuisse propter libidinem dixerint Orionem antiqui, significare voluerunt nihil illegitimum non facere calamitosum. Alii inuisam esse Diis immortalibus & iniucundam omnem arrogantiam per hanc fabulam significari maluerunt, cum soli Deo, si qua in re prꝑstiterimus, honor & gloria pro illa præstantia à nobis tribuenda sit. Nam idcirco Deorum iussu à scorpione ictus interiit Orion, quod Diis etiam præsentibus gloriaretur, quod nulla esset adeo immanis fera, quæ ad illum posset deuitare. At nunc de Arione dicamus.

## *De Arione.* CAP. XIV.

ARION patria Methymnæus, quibus ortus sit parentibus, non constat, quos ego sane obscurissimos fuisse crediderim: quippe cum solus fortunæ euentus, & ars recte pulsandæ citharæ Orionem ipsum illustrauerint. Nonnulli tamen hunc Neptuni filium ex Oncæa nympha satum arbitrati sunt. Alii ex Autoloe, alii è Terra genitum maluerunt. Floruit autem Arion quo tempore Periander Corinthii imperauit, vt ait Herodotus in Clio. Scribit hunc Herodotus primum Corinthi apud Periandrum tyrannum diu fuisse, ac postea cupiuisse in Italiam & in Siciliam nauigare, vbi cum ingentem vim pecuniarum meruisset ob artis suæ præstantiam, tum rursus optauit Corinthum redire. Hic cum esset Tarenti, nullis nautis se suaq; committere, quam Corinthiis maluit: mercatus est igitur atque conuenit de naulo cum hominibus Corinthiis. quos cum sibi insidias struere plurimum à terra distantes persensisset, vt ipso cæso pecunia tuto potirentur, rogauit vt liceret saltem cygnorum more sibi funebre carmen canere, hisq; pecuniā profudit, vt ea ratione experiretur, an animos illorum placare posset. Illi igitur his minime persuasi, iusserunt, vt vel se ipsum occideret, quo sepulturam consequeretur, vel in mare quam citissime desiliret. At Arion ita spe frustratus, cum sentiret illos nulla cantus suauitate deliniri, vbi legem

gem Orthiam cecinisset, se cum toto apparatu, quem cantaturus susceperat, in mare de prora deiecit: deinde nautæ Corinthum adierunt, Dicuntur delphines hunc in Tænarum exposuisse, quos, dum ferretur, suauitate cantus pro mercede demulcebat. Atqui rem totam non minus luculēter expressit Ouid. lib. 2. Fastorum, quam Plutarchus etiam in conuiuio, vt est in his carminibus:

*Quod mare non nouit, quæ nescit Ariona tellus?*
*Carmine currentes ille tenebat aquas.*
*Sæpe sequens agnam lupus est à voce retentus,*
*Sæpe auidum fugiens restitit agna lupum.*
*Sæpe canes, leporesq; vna iacuere sub vmbra:*
*Et stetit in saxo proxima cerua leæ.*
*Et sine lite loquax cum Palladis alite cornix*
*Sedit, & accipitri iuncta columba fuit,*
*Cynthia sæpe tuis fertur vocalis Arion,*
*Tanquam fraternis, obstupuisse modis.*
*Nomen Arionium Siculas impleuerat vrbes,*
*Captaq; erat Lyricis Ausonis ora sonis.*
*Inde domum repetens, puppim conscendit Arion,*
*Atq; ita quæsitas arte ferebat opes.*
*Forsitan, infœlix ventosq; vndasque timebas.*
*At tibi naue tua tutius æquor erat.*
*Namq; gubernator districto constitit ense,*
*Cæteraq; armata conscia turba manu.*
*Ille metu pauidus, Mortem non deprecor, inquit:*
*Sed liceat sumpta pauca referre lyra.*
*Dant veniam, ridentque moram. capit ille coronam.*
*Quæ posset crines, Phœbe, decere tuos.*
*Induerat Tyrio distinctam murice pallam:*
*Reddidit icta suos pollice chorda sonos.*
*Flebilibus numeris veluti canentia dura.*
*Traiectus penna tempora cantat olor.*
*Protinus in medias ornatus desilit vndas.*
*Spargitur impulsa cœrula puppis aqua.*
*Inde (fit maius) tergo delphina recuruo*
*Se, memorant, oneri supposuisse nouo.*
*Ille sedet, citharamque tenet, preciumque vehendi*
*Cantat, & æquoreas carmine mulcet aquas.*

Arion igitur cum eo apparatu Corinthū profectus rem co-

tam Periandro aperuit, qui cum prius nō credidisset, Arionem dedit in custodias, nautasq; ad se aduocatos, quid audissent de Arione, percunctatus est, cum illi dicerent eum esse incolumem in Italia, quodq; illum Tarēti reliquissent, accersitus est illuc Arion qualis in mare desilierat: tum obmutuerunt nautæ, neq; facinus negare quidem ausi sunt; quare vltimo supplicio fuerunt affecti. Fuit eximius omnino citharœdus Arion, ac poeta nobilis dithyrambicus, nemini mortalium secundus eo tempore in arte recte pulsandæ citharæ, ac neq; Philoxeno quidem Cytherio, cuius nomen celeberrimum fuit ob hanc ipsam artem, vlla re inferior, quem cyclicos chorosprimum omnium inuenisse scripsit Hellanicus in Cranaicis, & Dicæarchus atque Demarchus in libro de Dionysiacis certaminibus, quamuis Antipater & Euphronius in suis commentariis inuentum illud Lago Hermioneo tribuerint. Fabulati sunt præterea antiqui delphinum illum, qui seruauit Arionem, ad perpetuam illius beneficentiæ memoriam inter sidera fuisse relatum, vt ait Ouidius ibidem:

*Dij pia facta vident: astris delphina recepit*
*Iupiter, & stellas iussit habere nouum.*

Alii tamen maluerunt delphinum inter sidera fuisse relatū, quia Neptuno cōciliarit Amphitriten, at Hermippus quia dux in honorem Apollinis fuerit Cretensibus in Delphos. Lucianus in dialogis marinorum Deorum eam pecuniam Corinthi illum comparasse inquit, cum esset apud Periandrum: atque nauiganti ad Methymnæos in patriam, istud contigisse. Atq; tot ab antiquis dicta fuerūt de Arione: quæ quod fabulosa sint, nemini obscurum est. Nam quæ de delphinis dixerunt antiqui, quod homines ab iis seruati fuerint, somniis simillima ego esse censeo, quippe cum sit eadem semper animalium natura, neque tamen quispiam ab illis ad hæc vsque tempora seruatus narretur à delphinis: & tamen infinitus prope est numerus eorum qui in mari perierunt: at cum in mare se præcipitasset, magis probabile est natantem & vestibus sustētatum Arionem a nautis Tænaris fuisse exceptum, & in naui cui picti fuissent vtrinque in prora delphines, in Tænarum fuisse portatum: vt scriptum reliquit Antimenides in 1. lib. hist.

¶ Verum vt sententiam tandem antiquorum ex his erpri-

mamus, significare voluerunt per hanc fabulam, omnium scelerum Deos esse vltores: quippe cum animalia quoq; rationis expertia & vocis, soleant aliquando Diis ita volentibus esse sceleratorum accusatores, & innocentibus hominibus opem ferre: omneque beneficium Diis gratum contingere, quod in virum bonum confertur. At de Arione satis, nunc de Amphione dicamus.

## *De Amphione.* CAP. XV.

AMphionem etiam citharœdum non solum musicæ artis peritia, sed etiam fortunæ inconstantia, & calamitatum cumulus illustrauit. Fabulantur hunc & Zethum eius fratrem, fuisse Iouis & Antiopes filios: nam Antiope filia Nyctei & Androthoes à Ioue in Satyrum conuerso cōpressa fuit, atq; grauida facta Nyctei patris minis territa in Sicyonem ad Epopeum profugit, vbi cum Zethum & Amphionem peperisset, illos dedit in Cithæronem cuidam bubulco alendos. Nycteus grauiter ferens filiæ fugam, cum hortatus fuisset Lycum fratrem negocium ne negligeret, moritur, at Lycus cum delecta manu militum repētino aduentu Epopeum trucidauit vrbe potitus, captiuamq; reduxit Antiopē, quam Darcæ vxori in custodiis dedit. nec multo post collecta pastorum manu, cum cognouissent ex alumno qui essent, Zethus & Amphiō ipsum patruum & Dircen ceperunt & ipsi repentino aduentu, Dirceque crudeliter agresti tauro alligatam laniari studentes, laniata moniti sunt à Mercurio vt Lycum imperare permitterent, vt scriptum fuit à Nicocrate in rebus Cypriis. Sic autem de illa Antiope quod odio esset patri, meminit Apollonius libro quarto:

οἷα μὲν Ἀντιόπην εὐώπιδα μήσατο Νυκτεύς.
*Oderat Antiopen sic lapso tempore Nycteus.*

Alii crediderunt Antiopen Amphionis matrem, filiam fuisse Asopi, vt scripsit Apollonius lib. 1.

ἐν δ' ἔσαν Ἀντιόπης Ἀσωπίδος υἱέε δοιώ,
Ἀμφίων καὶ Ζῆθος ἀπύργωτος δ' ἔτι Θήβη
κεῖτο πέλας
*Zethus & Amphion aderant duo pignora clara*
*Asopi Antiopes: nondum turrita manebant*
*Mœnia Thebarum.*

Diophanes lib.1. Ponticarũ historiarum, vbi scripsit de Antiope matre Æetæ, Amphionem & Zethum non Iouis, sed Theoboontis filios fuisse inquit, quod etiam testatur Zez. hist. 13 chil. 1. Epimenides Corcyræus Amphionem scripsit tractandis lyræ fidibus Mercurio vsum fuisse magistro, atq; adeo admirabilem fuisse illius cantum, vt ferę & saxa illum sequerentur, non minus quam Orpheum Calliopes filium, vt ait Paus. in Bœoticis: nam hanc etiam lyram à Musis primum accepisse scriptum reliquit Antimenides lib. 1. historiarum, & Pherecydes li. 10. At vero Dioscorides Sicyonius ab Apolline lyram illi datam fuisse memorat. Hanc autem celebritatem nominis in musicis consecutus est Amphion, quod ob affinitatem cum Tantalo modulos edoctus fuit à Lydis, primusque tres chordas addidit tetrachordo à superioribus musicis inuento. vt ait in lib. 1. de Musica Aristocles. nam ferunt hunc neten chordam ante portam postea Thebanam ipsum inuenisse, vnde porta nomẽ sortita fuit. Dicuntur Zethus & Amphion antequam Thebæ conderentur, exiguum Thespiensium pagum Etresim vocatum habitasse, vt testatur Strabo lib. 9. Enimuero cum Amphiõ & Zethus suspectas haberent vires Phlegyarum hostium per id tempus, vt ait Pherecydes, Thebas muris ac turribus munierunt, vt essent tutiores ab hostium incursionibus: nõ enim audiebant sine muris ac turribus habitare, vt ait Homerus in Odyssææ libro λ.

τὴν δὲ μετ', Ἀντιόπην ἴδον Ἀσωποῖο θύγατρα.
ἣ δὴ καὶ Διὸς εὔχετ' ἐν ἀγκοίνῃσιν ἰαῦσαι.
καί ῥ' ἔτεκεν δύο παῖδ', Ἀμφίονά τε Ζῆθόν τε·
οἳ πρῶτοι Θήβης ἕδος ἔκτισαν ἑπταπύλοιο,
πύργωσάν τ' ἐπεὶ οὐ μὲν ἀπύργωτόν γ' ἐδύναντο
ναιέμεν εὐρύχορον Θήβην, κρατερώ περ ἐόντε.

*Post hanc Antiope Asopi mihi filia visa est:*
*In Iouis amplexum quæ iactat seisse, gemellos*
*Et Zethum peperisse simulque Amphiona clarum:*
*Qui portis septem geminus, & turribus altis*
*Cinxerunt Thebas nec enim sine turribus ausi*
*Incolere inuicti quamuis hi viribus essent.*

Fabulati sunt igitur saxa sua sponte assiliisse, murumq; extructum fuisse, dum Amphion lyram suauiter pulsaret, vt ait Horatius in arte poetica:

Dictus

*Dictus & Amphion Thebanæ conditor vrbis*
*Saxa mouere sono testudinis, & prece blanda*
*Ducere quo vellet.*

Dicitur hæc ciuitas septem habuisse portas, quæ nominabantur: Electris, Prœtis, Neitis, Creuça, Hypsista, Ogygia, Homolois. vocatæ sunt Thebæ, vt sensit Zez. à patre cōditorū, vel quod magis placet, à Thebe nympha filia Promethei, quæ illis fuit affinitate coniuncta, vt scripsit Pausan. In Bœoticis inquiunt Thebas, post multas infœlices dimicationes, quæ illi ciuitati contigerunt, ab Alexādro Macedoniæ rege euersas fuisse, quo tēpore Thebani bellū aduersus ipsum Alexādrum in Persas arma parantem susceperunt, q̄ ciuitas quoniam per cantum extructa non poterat nisi per cantum euerti, diruta est Ismenia quondam flebiles numeros cum tibia accinente, vt scriptū fuit à Callisthene. verumtamen idem Alexander, qui iusserat Thebas solo æquari, ad gratiam cuiusdam athletæ, qui ter victor ab illo coronatus fuerat, instaurauit, quod ita significauerat oraculum:

Ἑρμῆς, Ἀλκείδης, καὶ ἱμαντομάχος Πολυδεύκης,
οἱ τρεῖς ἀθλήσαντες ἀνακτίσουσι σε Θήβη.

*Alcides, Pollux, nymphaque Atlantide cretus,*
*Mox instaurabunt euersis mœnia Thebis.*

Aiunt primum omnium mortalium Amphionem aram dicasse Mercurio, quod ab eo lyram accepisset. At quoniā fœlicitatem æquo animo perferre non minus difficile est, quā aduersos fortunæ euentus, idcirco effectum est, vt nimium gloriaretur Amphion ob artis præstantiam, & in Latonā eiusq; filios contumelias coniecerit: quod Dea nulla re hominib. præstaret, atq; eius filii rudes habendi sint & imperiti si secū conferantur. cum ipse mutuo sit peritior Apolline. Dicunt his contumeliis iratas Deas pestilētiam in domum Amphionis excitasse, quia ipse cum tota familia deletus est. Et Zethus, cum mater ipsa genitum ex se filium ob certam noxam peremisset, ægritudine animi contabuit.

¶ Dictus est Amphion Iouis & Antiopes filius, quoniam musica exercitatione conficitur plerumque, atque omnes viri præstātes Iouis filii ab antiquis dicti sunt, vt explicauimus superius. Hunc & Orpheum fuisse Ægyptios, & magorum scientia excelluisse ait Pausan. in posterioribus Eliacis. Aiunt hunc musicæ fuisse peritū, & saxa ac feras, quo vellet,

ducere solitum: quoniam per orationis suauitatem duros & agrestes homines mansuefecerit, & ad extruēdas ciuitates, ciuitatumque legibus obtemperandum delinierit. At idem qui cæteros ad humanitatem, mansuetudinemque reuocauerat, cum ob fœlices rerum successus nimium factus fuisset insolens, Deosque vel ipsos paruifaceret, vltimo supplicio affectus est, cum nemo impune Deum aut Dei cultum parui faciat, nedum contemnat. At nunc de Halcyonibus dicatur.

## *De Halcyonibus.* CAP. XVI.

FVIT Halcyō Canobes & Mæoli filia, vel Æoli vt ait Lucianus in Halcyone inscripto dialogo, sicuti testatus fuit Alexander Myndius, fuit vxor Ceycis. At Ceyx fuit rex Trachinorum qui cum nobilitate, opibus, & forma corporis excelleret, se vel Diis immortalibus æquare ausus est, & Deorum nominibus appellauit. nam Ceyx seipsum Iouem, Halcyonen appellauit Iunonem. illam arrogātiam Iupiter grauiter ferens, Ceyci Delphos nauiganti adeo sęuam tempestatem immisit, vt Ceyx, & omnes, qui cum Ceyce nauigabant, naufragium passi perierint: sicuti testatur Polyzelus in ijs quæ scripsit de Rhodo. Fabulantur postea cadauer agitatum ab vndis ad litus, & ad eam speculam appulsum fuisse, ad quā sępe veniebat Halcyone prospectura an Ceyx accederet: quo viso illo miserabiliter conquesta, dicta est Iouis misericordia in auem sui nominis mutata cum se è specula in mare pręcipitasset: tunc etiam Ceyx cōuersus est in cerylum: sic enim mares inter illas volucres nominantur, vt ait Carystius Antigonus. Hoc tamen nonnulli dixerunt factum fuisse Luciferi & Thetidis misericordia, at nō Iouis. Hanc rem ita breuiter complexus est Euripides in Iphigenia in Tauris:

ὄρνις, ἃ παρὰ τὰς πετρίνας
πόντου δειράδας ἀλκυὼν
ἔλεγον οἶτον ἀείδεις,
εὐξύνετον ξυνετοῖσι βοάν,
ὅτι πόσιν κελαδεῖς ἀεὶ μολπαῖς.

*Saxosa ponti quæ ad iuga*
*Auis colis forte Halcyon,*
*Lugubrem resonans luctum,*
*Notam prudentibus vocem,*

Quod

*Quod concinis tuis maritum cantibus.*

Hæ aues dicuntur esse magnitudine passeris, vt ait Plinius, colore cyaneo, collo gracili ac procero: maresque à fœminis vbi illi consenuerint, gestari super alis enimuero vbi fuisset Halcyon in auem conuersa, eiusque oua quæ continuo pepererat, in mari voluerētur, quia maxima orta fuisset tempestas, Iupiter misertus dies quatuordecim per mediam hyemem illi concessit, quibus & parere per tranquillitatem maris & excludere posset: quos dies Halcyonios vel Halcyonidas, vt aiunt Græci, vocarunt. de his ita scripsit Theocritus in Cerealia celebrantibus:

χ' ἁλκυόνες στορεσεῦντι τὰ κύματα, τάν τε θάλασσαν,
τόν τε νότον, τόν τ' εὖρον, ὃς ἔσχατα φυκία κινεῖ·
Ἁλκυόνες, γλαυκαῖς Νηρηίσι ταί τε μάλιστα
ὀρνίθων ἐφίλαθεν, ὅσαις τε περ ἐξ ἁλὸς ἄγρα.

*Halcyones sternunt spumantis marmoris vndas,*
*Atq; Eurum, atq; Notum, qui extremas suscitat algas:*
*Halcyones, supra volucres Nereides almæ*
*Quas dilexerunt, quibus est æquore præda.*

Dictæ fuerunt Halcyones quod in mari pariant, cum ἅλς sit mare, ac κύειν parere. Inquiunt Halcyones circa conuersiones Solis hybernas nidulari, nidumq; mirabili structura componere ad formam piscatoriæ nassæ: tanta vero duritie, vt neq; ferro, neq; saxis pertundi possit, quem conficiūt ex acicularum spinis, quas belonas vocant, idq, facere cum primum grauitatem ventris sibi adesse senserint. vbi absolutus nidus perfectusque fuerit, illū in mare demittunt, vt explorent an fatiscat ex aliqua parte: atq; huic os miro artificio ad sui corporis magnitudinem tantum relinquunt, vt scripsit Solensis Clearchus in eo lib. quē scripsit de Torpedine pisce, & Plut. in libello de amore parentum erga filios. Dicuntur inter has aues esse adeo salaces mares, vt senescentes vel in ipso coitu moriantur, vt scripsit idē Clearchus in Terrore, & Isacius in Lycophronem. Neque tamē prætermittendum est illud, quod scriptum est ab Hegesandro de Halcyonib. in suis commentariis, Halcyones fuisse Gigātis Alcyonei filias, quæ post patris mortem se in mare deiecerint, & ab Amphitrite sint in aues sui nominis cōuersæ, vt patet ī his: Ἀλκυονέως τοῦ γίγαντος θυγατέρες ἦσαν Φθωνία, Ἄνθη, Μεθώνη, Ἀλκίππα, Παλλήνη, Δριμὼ, Ἀστερίη αὗται

μετὰ τὴν τοῦ πατρὸς τελευτὴν ἀπὸ Καναστραίου, ὅ ἐστιν ἄκρα τῆς Παλλήνης, ἔρριψαν αὑτὰς εἰς τὴν θάλασσαν· Ἀμφιτρίτη δ' αὐτὰς ὄρνιθας ἐποίησε καὶ ἀπὸ τοῦ πατρὸς ἀλκυόνες ἐκλήθησαν. *Alcyoneo giganti filiæ fuerũt Phthonia, Anthe, Methone, Alcippa, Palene, Drimo, Asteria. Quæ post patris interitum è Canastræo qui est Pallenes promõtoriũ, sese in mare præcipitarunt. Amphitrite vero has in aues vertit, & Alcyones de patris nomine appellauit.* ¶ Hæc ea sunt, quæ fabulose de Halcyonibus memorantur ab antiquis. Quæ dicta sunt de auibus, tanquam de natura auium illarum sunt intelligenda: quia spectant ad illarum consuetudinem: quæ de diebus Halcyonis non valde sunt admirabilia; quod per solstitiorum tempus nullæ prope fiant aeris mutationes. Omnia enim cum ad summũ peruenerint, languidiora sunt, atq; aliquantulum cessant: quod patet in sagittis & lapidibus in altum aera coniectis, cum inde alterius motus capiant initium. Ad deprimendũ igitur mortalium arrogantiam dictus est Ceyx in eam calamitatem incidisse, cum tantam fœlicitatem æquo animo ferre non diutius posset. Nam sæpius temerarios & potentes homines ob temeritatẽ Deus de pristina fœlicitate deiecit, prudentesq; & mansuetos homines supra cæteros omnes extulit. Hanc igitur fabulam effinxerunt antiqui, ne nimis præsentib. opibus aut nobilitate, aut viribus aut forma corporis gloriaremur, cum omnia nobis data hæc mutuo sint à Deo bonorum omnium autore: atq; vt omnes intelligerent, nullam fœlicitatem esse tantam aut tam firmã, quã Deus, si propter peccata voluerit, non citissime possit labefactare, & funditus euertere. At nũc de Asopo dicamus.

## *De Asopo.* CAP. XVI.

AT vero Asopus amnis, cuius filiam Æginam Iupiter rapuit, fuit Oceani & Tethyos filius, vt sensit Acusilaus: alii Neptuni & Perus, vt ait Atheniensis Apollodo. li.3. Bibliothecæ. At Nicanor Samius in lib.2. de flaminib. Iouis & Clymenes filiũ fuisse dixit. Sesosthenes autẽ li.9. rerum Ibericarũ Himeri & Cleodices filium fuisse tradidit. Pausan. in Corinthiacis Neptuni & Cegluſæ filiũ fuisse creditum memorat. Phanodemus in reb. Atticis Salaminis & cuiusdam Panopei. Hũc maior scriptorum pars patria fuisse Thebanum, vxoremq; duxisse Meropen Ladonis filiam asserunt, de qua Pelagontem, Ismenumque suscepit, & filias viginti;

inter

inter quas fuit Thespia, Peroe, Thebe, quæ vrbi nomē dedit, & Combe Chalcis cognomento quæ prior æream armaturam inuenit in vrbe Eubœæ, quæ ab illa Chalcis vocata est; Salamin, Platæa, Harpinne, Corcyra, Ægina, quæ insulis nomina dederunt, cum altera Scheria, altera Oenone prius diceretur; Ismene, Antiope, Aeroe, Cleone, Nemea, quam cum Iupiter deperiret, promisit quidquid illa optaret se esse daturum, atq; ea dicitur perpetuam virginitatem expetiuisse; Tanagra, Sinope, quæ multis vrbibus vel ipsæ vel filii nomina dederunt. nam de Corcyra non modo vocata prius Scheria, deportata illuc à Neptuno, sed etiam natus Phæax, à quo Phæacia dicta de Sinope non parua est controuersia sed tamen pleriq; affirmāt illam raptam fuisse ab Apolline, & in Pontum deportatam, è quo Syrum peperit, qui Syriæ nomen dedit, vt ait Philostephanus. At Dionys. in situ orbis à Ioue raptā fuisse Sinopen ita scripsit:

ὅς ποτ' ἀλωομένην Ἀσωπίδα δέξατο Σινώπην.
καί μιν ἀκηχεμένην σφετέρῃ παρενάσσατο γαίῃ,
Ζηνὸς ἐφημοσύνῃσιν. ὁ γὰρ φιλότητος ἐραννῆς
ἰσχανόων, πατρῆς ἀπενόσφισεν οὐκ ἐθέλουσαν.

*Errantem cepit qui Asopida namq; Sinopen,*
*Quam tristem in regione sua sopiuit, vt illum*
*Iupiter admonuit correptus amore puellæ.*
*Inuitam idcirco è patriis hanc ceperat agris.*

Alii tamē, inter quos fuit Andro Teius, vnā fuisse ex Amazonibus Sinopen tradiderunt, alii Martis & Parnassæ, alii Martis & Æginæ filiam. Fuit etiā Ægina, quā Iupiter rapuit, Asopi filia. quam cum studiose quæreret Asopus, neq; vsquā inueniret, à Sisypho pacta mercede vt perennem aquam in Acrocorintho pro indicio obtineret, inuenit. Eius indicii pœnas apud inferos luere Sisyphū nōnulli tradiderūt, atq; Asopum ipsum, cū Iouem insequeretur, fulmine percussū fuisse, vt ait Callimachus. Posidippus in libro de Diis & heroib. Thespiā Asopi filiā quoq; fuisse scripsit, cui tria munera Apollo concessit, vt ciuitas Bœotiæ apud mōtē Heliconē de eius nomine diceretur, vt virgo inter sidera in cęlo esset, & vt vaticinaretur. Fuit n. Asopus Thebanorū fluuius qui suos fontes habuit in Arethyræa, Trachiniamq; Scolū vocatā præterfluebat, qui cum fulmine ictus fuisset, remissus est in sua fluēta, & diu postea carbones deuehere sueuit:

vt ait Apollod. lib 3. Ab hoc fluuio regio vniuersa in agro Thebano iuxta Cithæronem montem Asopia vocata fuit, vt est apud Strab.lib.9.Pausan.scripsit in Corinthiacis Asopum amnem in finibus Phliasiorum suos ortus habuisse, qui per Sicyoniorum agrum lapsus in mare intrat iuxta Corinthum. Atqui cum multi fuerint Asopi, rationi conuenit & varias regiones, & varios ortus illis fuisse assignatos. At finxerunt antiqui Asopum fuisse hominem, cui actiones istas tribuerunt. Alii hominem fuisse vere crediderunt, qui, quoniam terram forte excauans Asopi fluuii fontes reperisset, obtinuit vt fluuius de suo nomine diceretur.

¶ Aiunt hunc fuisse Iouis, vel Neptuni, vel Oceani filium, quod ex aere in aqua verso oriantur flumina, vt ait Aristot.in Meteor. vel quod mare principium est omnium fluuiorum. Huius filiæ multæ dicuntur, quæ sunt vel riui, vel aquarum proprietates, quæ multa nomina sortitæ sunt Fabulantur illum rapta filia fuisse fulmine percussum cum Iouem insequeretur, quia siccitas cœli & calor iam riuos exsiccauerunt, & cum ipse fluuius extenuatus in vapores verteretur, Iouem insequebatur, & ob calorem prope exsiccatus fulmine dicitur percussus. Fuit enim maxima siccitas aliquando in agro Thebano & in Ægina, quare locus datus est fabulæ. At nunc de Deucalione dicamus.

## *De Deucalione.* CAP. XVII.

Deucalionis diluuium, & aquarum copia, quæ fuerit, nemini obscura est, at cur illud diluuium ita factum sit pauci omnino tradiderunt, sed nos vt in cœteris consueuimus, hoc etiam explicemus. Fuit Deucalion Promethei filius, vt scripsit lib.3.Apollonius:

——ἔνθα Προμηθεὺς
Ἰαπετιονίδης ἀγαθὸν τέκε Δευκαλίωνα.

——*hic namq; Prometheus*
*Filius Iapeti clarum edit Deucalionem.*

At Hom.lib.5.Iliad. Deucalionem Minois filium fuisse inquit in his:

*Μίνως δ' αὖ τέκετ' ἀμύμονα Δευκαλίωνα.*
*Ed dit hinc Minos praclarum Deucalionem.*

Herodotus vero Promethei & Clymenes filium fuisse scripsit, Hesiod.Promethei & Pādorę, q̄ etiam Strabo testatur

lib.9. Alii Minois, & Pasiphaes, alii Asterii & Cretæ. Hi enim Minois recensentur; Castreus, Deucalion, Glaucos, Androgeus ab Apollodoro; filiæ Hecale, Xenodice, Ariadna, Phædra. Istud autem accidit, vt varii parentes Deucalionis dicantur fuisse, non solum quod ob antiquitatem rei dissentiunt scriptores, sed etiam quia diuersi fuerunt. Deucaliones, cum tamen omnia de Promethei filio dicantur. Hic habitauit in Cydno Locridis, vt ait Strabo lib.9. vbi planities fuit fertilissima inter Cydnum & Opuntem, vt ait Apollonius lib.3.

*ἔστι τις αἰπεινοῖσι περίδρομος οὔρεσι γαῖα*
*κάμπτων εὔρρηνός τε καὶ εὔβοτος· ἔνθα Προμηθεὺς*
*Ἰαπετιονίδης ἀγαθὸν τέκε Δευκαλίωνα.*
*Est tellus quædam circumdata montibus altis,*
*Irrigua atque ferax herbarum, hic namque Prometheus*
*Filius Iapeti clarum edit Deucalionem.*

Lucianus in Dea Syria Deucalionem Scytham fuisse inquit illum sub quo fuit diluuium, his verbis: οἱ μὲν ὦν πολλοὶ Δευκαλίωνα τὸν Σκύθεα τὸ ἱρὸν εἵσασθαι λέγουσι, τοῦτον Δευκαλίωνα· ἐπὶ τοῦ τὸ πολλὸν ὕδωρ ἐγένετο. *Multi sane Scytham Deucalionem sacellum hoc erexisse inquiunt, eum inquam Deucalionem cuius tempore multa fuit inundatio.* At Pausanias in Atticis Iouis Olympii templum fuisse vetustissimum Athenis scribit à Deucalione extructum, & ipsum Deucalionem habitasse Athenis, cuius etiam sepulchrum fuit Athenis non longe ab illo templo. Hunc imperasse Thessaliæ constat, quem etiam Regem ita appellauit Herod. in Clio. ἐπὶ μὲν γὰρ Δευκαλίωνος βασιλῆος οἴκεε τὴν Φθιῶτιν. *Tempore regis Deucalionis Phthiotim habitabat.* Hic Pyrrham habuit vxorem Pandoræ, & Epimethei filiam, vt ait Proclus, de cuius nomine vocata fuit Thessalia primum Pyrrha, vt testatur in his carminibus Cretensis Rhianus:

*Πύρραν δή ποτε τήνγε παλαιότεροι καλέεσκον,*
*Πύρρης Δευκαλίωνος ἀπ' ἀρχαίης ἀλόχοιο.*
*Αἱμονίην δ' ἐξαῦτις ἀφ' Αἵμονος, ὅν ῥα Πελασγὸς*
*γείνατο φέρτατον υἱόν. ὁ δ' αὖ τέκε Θεσσαλὸν ἄνδρα,*
*τοῦ δ' ἀπὸ Θεσσαλίην λαοὶ μετεφημίξαντο.*
*Hanc Pyrrham dixere patres de nomine Pyrrha,*
*Vxor prisca fuit quæ magni Deucalionis.*
*Hæmonia est & rursus ab Hæmone dicta Pelasgi,*

*Quem clarum genuit natum: hic at Thessalonamum,*
*A quo Thessali i popu'i sunt inde vocati.*

Dictus est Deucalion Hellenem, qui nomen dedit Græciæ, filium habuisse; & Protogeniam è Pyrrha, & Amphyctionem, & Melantho, cuius ex Neptuno filius Delphus Delphis nomen dedit, vt scripsit Euphorion. Atqui multi fuerunt Deucaliones, vt constat ex antiquorum scriptorum testimoniis: vnus Promethei & Clymenes, alius Minois & Pasiphaes, vt ait Pherecydes: alius Abantis & Asopię, vt scripsit in primo rerum Arcadicarum Aristippus : alius Haliphronis & Iophossæ nymphæ filius, de quo mentionem fecit Hellanicus: alius Asterii & Cretæ Halymonis filiæ, quæ Cretæ nomen putatur dedisse, de quo mentionem fecit Apollodorus Cyzicenus : alius rursus Promethei & Pandoræ, de quo dictum fuit, ad quem omnia prope cæterorum facta referuntur. Habuit filiam præterea Protogeniam è Pyrrha, & Hæmonem à quo Hæmonia, & Melanthiam. Memoriæ prodidit Andro Teius magnam sceleratorum hominum frequentiam fuisse Deucalionis tempore cum frequentes omnino essent homines vbique. Est enim illa consuetudo, vt cum difficilius in magna multitudine viuatur, difficultas victus & astutiores, & peiores homines efficiat. Nam fames neque Deorum religionem, neque maiestatem legum, neque autoritatem principum veretur; quare omnia scelerum genera per annonæ difficultatem oriuntur. Hinc nascitur Deorum indignatio, & acerbitas bellorum, qualia fuerunt Iouis consilio & Oedipodis & Priami tempore, cum vniuersus prope terrarum orbis iis bellis exarserit. Inde Iouis eiusdem consilio grauissimæ exortæ sunt pestilentiæ ad delēdas sceleratas nationes, quare Furiæ solio Iouis assidere dictæ sunt. Est enim eadem ciuitatum, quæ corporum etiam singulorum hominū natura; vt cum multis malis hominibus, tanquam noxiis humoribus, repletæ fuerint, diuina ita statuente prouidentia per aliquas calamitates expurgentur; cum nihil humanum in summo vertice diu consistere possit, & proxima sit semper peccatorum eximiæ magnitudinis diuina vltio. Quod autem maxima esset perditorum hominum multitudo, ita significauit Ouid. lib. 1. Metamorph.

*Occidit vna domus, sed non domus vna perire*

*Digna*

*Digna fuit: qua terra patet, fera regnat Erinnys.*
*In facinus iurasse putes.*

At vero Deucalion vir bonus & pius habitus est, qui Deorum etiam immortalium primus templa ædificauit, & ciuitates condidit, vt ait Apollonius lib. 3.

Ἰαπετιονίδης ἀγαθὸν τέκε Δευκαλίωνα
ὃς πρῶτος ποίησε πόληας, καὶ ἐδείματο νηοὺς
ἀθανάτοις, πρῶτος δὲ καὶ ἀνθρώπων βασίλευσεν.

*Filius Iapeti clarum edit Deucalionem.*
*Condidit hic primus vrbes ac templa Deorum:*
*Mortales inter primus regnauit & idem.*

Cum igitur vitæ integritate & sanctitate, & erga Deos immortales reuerentia Deucalion & Pyrrha cæteris hominibus præstarent, de quibus ita scripsit Ouid. lib. 1.

*Non illo melior quisquam nec amantior æqui*
*Vir fuit, aut illa reuerentior vlla Deorum.*

In quadam arca, vti monitus fuerat a Prometheo, reb. necessariis eo comportatis seruati fuerunt, quã Lucianus in Timone κιβώτιον appellauit, at Andro Teius λάρνακα. vnde Parnassus mõs, quod illuc scapha illa appulerit, Larnassus antea dicebatur; deinde mutata prima litera nominatus est Parnassus. Cum terra multos dies sub aquis latuisset, vt experiretur an aquæ decreuissent, & an longe abesset à terra Deucalion, columbam quandam quã secum habebat dicitur emisisse, vt testatur Plutarchus in libello de industria animalium. Id cũ sæpius fecisset, eaque citissima eo reuolasset, quia non habebat vbi consisteret, intelligebat Deucalion aquas nondum satis decreuisse. verum cum auolasset denique, neque amplius rediisset, intellexit siccum iam alicubi esse terræ solum, & id non longe abesse: quare Deucalion eo cum scapha traiecit, quo egressus cum Pyrrha Themidis oraculum, quæ tunc responsa dabat, adiuit sciscitaturus quo pacto, si ita Diis placeret, posset humanũ genus reparari: quod quidam apud Cephisum amnem accidisse memoriæ prodiderunt. Id autẽ responsum tulerunt vt velatis capitibus ossa matris post se iacerent, quibus diu cogitatis partim difficilimum, cum omnia limo obducta essent, partim etiã impium Deæ responsum visum est, si etiã mortuorũ ossa, quã vbi essent, nescirent, effodere & mouere iuberentur. At venit in mentem deniq; Deucalioni communẽ

omnium matrem & altricem esse terram, cuius ossa iure saxa dici ob duritiem possent. sic autem rem expressit Ouid. lib. I.

*Atque ita, Si precibus, dixerunt numina iustis*
*Victa remollescunt, si flectitur ira Deorum;*
*Dic Themi qua generis damnum reparabile nostri*
*Arte sit, & mersis fer opem mitissima rebus,*
*Mota dea est: sortemque dedit: Discedite templo,*
*Et velate caput, cinctasque resoluite vestes;*
*Ossaque post tergum magnæ iactate parentis.*
*Obstupuere diu: rumpitque silentia voce*
*Pyrrha prior, iussisque Deæ parere recusat:*
*Detque sibi veniam pauido rogat ore, pauetque*
*Lædere iactatis maternas ossibus vmbras.*

Nam cũ illa audiuisset Deucalion, statim postea subiunxit:

*Magna parens terra est, lapides in corpore terræ*
*Ossa reor dici: iacere hos post terga iubemur.*

Verum hanc rem breuissime complexus est Iuuenalis in prima Satyra his carminibus:

*Ex quo Deucalion nimbis tollentibus æquor*
*Nauigio montem ascendit, sortesque poposcit,*
*Paulatimque anima caluerunt mollia saxa,*
*Et maribus nudas ostendit Pyrrha puellas.*

Quod ipsum ita declararunt fabulatores, cum populi lai dicti sint à Græcis, & lithus lapis, vt est in his:

*ἐκ δὲ λίθων ἐγένοντο βροτοὶ, λαοὶ δὲ καλεῦνται.*
*E saxis homines natis, laique vocantur.*

Arrianus tamen in libro secundo rerum Bithynicarũ Deucalionem in arcem, locumque eminentiorem tunc Argi confugisse inquit ex illo diluuio, quare post illam inundationem Ioui Aphesio liberatori scilicet aram erexisse, qui locus postea Nemen à pabulo pecudum, q̃ frequentes ibi pascebantur, fuit nominatus. Nec me præterit in eo Iouis Olympii templo, quod fuit apud Athenienses, fuit quandam voraginem ad cubiti fere altitudinem, in quem hiatũ aquas defluxisse memorant per Deucalionis eluuionem, in quem etiam quotannis polentã cum melle & farina triticea porricere cõsueuerunt post illam inundationem, vt ait Thrasybulus in historia sumptis iis qui erant superstites Dodonam habitauit, quam regionem ita vt ab vna Oceanidum

nidum appellauit, vt scripsit in suis commentariis etiam Acestodorus. Memoriæ proditum est tamen à Pausania in rebus Atticis Megarum Iouis & vnius Sithnidum nympharum filium in Geraniæ verticem diluuium effugisse, cum mons nondum illud nomen haberet. nam cum Megarus gruum interuolantium vocē secutus illuc aduentasset, quia grus γέρανος à Græcis diceretur, montem Geraniam nominauit. Hæc illa sunt quæ de Deucalione memorantur ab antiquis: nunc cur ita ficta fuerint, inuestigemus. Deucaliō fuit vir bonus & iustus & pius qui ob æquitatem religionēque suam, non solum Promethei siue prudentiæ filius fuit creditus, sed etiam ab aquarum impetu Deo protegente seruatus, cum nefarii omnes vno tempore periissent. est enim initium sapientiæ timor domini: quare fuit prudentiæ filius Deucalion cum viros bonos mergi omnino non patiatur Deus, quos fluctuare patiatur, idcirco in arca seruatus Deucalion & Pyrrha eam tempestatem euaserunt. at cū rursus rudes homines, & religionis cultusq; Deorum ignari nascerentur, dicti sunt lapides, qui à Deucalione ad potiorem vitam, & à Pyrrha informati fuerunt, in homines conuersi. Hæc igitur fabula ad probitatem, & ad cultum Deorum homines adhortabatur, quæ excepta est, vt mihi quidem videtur, è sacris litteris. At nunc de Ione dicamus.

## *De Ione siue Iside.* CAP. XVIII.

FVIT Io, quæ Iunonis zelotypia in candidam vaccā conuersa est, vt scriptum fuit à Cecrope, Argi & Ismenes Asopi filia; vt vero ab Acesodoro, Neptuni & Halirrhoes, quā tamen Acusilaus Pyrenes filiam putauit, quæ fuerit Iunonis sacerdos, vt scripsit Apollodorus lib. 2. bibliothecæ. cōmunior tamen fuit scriptorum sententia, quod ea fuerit Inachi fluuii filia vt scripsit Ouid. lib. 1. Metamorph.

*Inachus vnus abest, imoq; reconditus antro*
*Fletibus auget aquas; natamq; miserrimus Io*
*Luget vt amissam.*

Qui Iunonis sacerdotem fuisse dixerunt Ionem, illam in vaccam à Iunone conuersam fuisse tradiderunt, vbi illam à Ioue vitiatam comperisset. tum vero iurauit Iupiter se minime cum illa fuisse congressum. Hanc tamen Iuno à Ioue munus poposcit, & Argo Arestoris filio, vt ait Myrleanus

Asclepiades, vel Tetræ, vel sensit Acusilaus, seruãdam tradidit, qui eam in monte Mycenæo ad oliuam quandã alligauit. Scriptum reliquit Andrætas Tenedius in nauigatione Propontidis, Ionem non modo non fuisse perfunctã Iunonis sacerdotio, vt nonnulli putarũt, sed ẽt fuisse quoddam scortum, quæ veneficiis Iouem in amorem irretire niteretur, vt est etiam apud enarratorẽ Theocriti, ad quã rem Iyngis Echus vel potius Suadelæ & Panos filiæ opera vsa fuit. Illa re cognita Iynx in auem sui nominis à Iunone fuit conuersa, quam etiã auem vtilẽ esse veneficiis arbitrantur, quæ quoniã caudam semper mouet, dicta est à Latinis motacilla. Est autem auis exigua, pennasq; habet pictas, collũ longum pro corporis magnitudine, linguã exertam plerũque, frequenterq; & ipsa cõuertitur, & collũ conuertit. Hãc capientes veneficæ mulieres ceteæ rotæ annexã super carbonibus cum quibusdã execrationib. torrent, & cõburunt, at nonnullæ veneficæ non totã, sed intima tantum illius ei rotæ alligant. hactenus Andrætas. Fabulantur hanc datam fuisse Iasoni à Venere quo tempore nauigauit in Colchos, vt Medeam in amorem sui posset allicere. Ionem igitur Iyngis artificio adductus Iupiter nebula, vt lateret, compressit; quod cum sensisset Iuno, zelotypia capta eo accessit: at Iupiter id sentiens Ionẽ in vaccã candidam mutauit, vt omnẽ suspicionẽ Iunoni leuaret hac arte. Cum vero Iuno illã vaccam vidisset, donum à Ioue postulauit: At veritus Iupiter ne, si illam negauisset, dolus pateret, quamuis inuitus, tamen largitus est. Cum vero diu sub Argi custodia, qui centum habebat oculos, asseruata fuisset, Iupiter tandem illius misertus mandauit Mercurio vt raptam Ionem, vel interfecto Argo abduceret: tum Mercurius sumpta pastoris forma conatus est cum fistula per soni suauitatem Argum in somnum inducere, quem etiam virga tactum sopiuit. deinde cum vaccam rapere vellet, Argus ab Hierace iuuene imprudente fuit excitatus. cum vero rem tegere amplius Mercurius non posset, Argũ saxo occidit: atq; Heracem in auẽ sui nominis mutauit, quæ à Latinis accipiter dicitur. Illa re valde commota Iuno primum Argum in pauonem cum totidem oculis in pennis nunc etiam apparentibus, mutauit, deinde œstrum vaccæ immisit, quo illa grauissime exagitata est, vt testatur Virgilius lib. 3. Georg.

*Hoc*

*Hoc quondam monstro horribiles exercuit iras*
*Inachia Iuno pestem meditata iuuencæ.*

Hæc igitur furore vexata primum mare, quod ab ipsa Ionium vocatum est, dicitur tranasse; quod Theopompus tamen non ab ea, sed ab Ionio viro Illyrico, dictum putauit, veluti Archidamus ab Ionibus ibi in traiectu maris immersis. Postea vero montem Hæmum per Illyridem profecta transcendit, sinumque Thracium traiecit, qui ab ea postea vocatus est Bosporus. nam duo fuerunt Bospori, Cimmerius & Thracius. Hęc loca fuisse ita ab illa nominata significauit Prometheus apud Æschylum, vbi omnia euentura Ioni puellæ vaticinatur, inter quæ hæc etiam sunt:

σαφῶς ἐπίστασ᾽, Ἰόνιος κληθήσεται,
τῆς σῆς πορείας μνῆμα τοῖς πᾶσι βροτοῖς.
*Scias aperte, Ionius vocabitur*
*Tua via monumentum is omnibus viris.* &id:
ἔσται δὲ θνητοῖς εἰσαεὶ λόγος μέγας
τῆς σῆς πορείας, Βόσπορος τ᾽ ἐπώνυμος.
*Semper viros inter vigebit de tuo*
*Cursu loquela, & Bosporus cognomine:*

In Scythiam vero profecta multa deinde Europæ & Asiæ maria tranauit, atque in Ægyptum tandem peruenit vt ait Ouid. lib. 1. Metamorph. quare cum tot labores sibi esse exantlandos Io percepisset antea è Prometheo, in desperationem prope adducta est: quare ita secum inquit:

τί δῆτ᾽ ἐμοὶ ζῆν κέρδος; ἀλλ᾽ οὐκ ἐν τάχει
ἔρριψ᾽ ἐμαυτὴν τῆσδ᾽ ἀπὸ στύφλου πέτρας,
ὅπως πέδῳ σκήψασα, τῶν πάντων πόνων
ἀπηλλάγην. κρεῖσσον γὰρ εἰς ἅπαξ θανεῖν,
ἢ τὰς ἁπάσας ἡμέρας πάσχειν κακῶς.
*Quid vita lucri est? ipsa nec citissime*
*Hac de petra præceps iacio me per Deos?*
*Vt omnibus finem feram laboribus.*
*Multo magis semel iuuaret emori,*
*Quam viuere in dies acerbe singulos.*

Cum igitur venisset in Ægyptum ad Nili ripas, dicitur Io priorem hominis formam recuperasse, vt significauit Moschus his versibus in Europa:

θηλεῦντο δὲ ποντοπόρον βοῶν,

*ἐν δ᾽ ἦν Ζεὺς ἐπαφώμενος χείρεσσι βοὸς χερὶ θείῃ*
*πόρτιος εἰναλίης, τὴν ἑπτάπορον παρὰ Νεῖλον*
*ἐκ βοὸς εὐκεράοιο πάλιν μετάμειβε γυναῖκα.*
*Fluctiuagamque bouem spectabant in maris vndis.*
*Iupiter hic aderat, niueæ qui terga iuuencæ*
*Tractabat dextra: septemflui ad ostia Nili*
*De boue cornuta facta est mox fœmina pulchra.*

Atq; scripsit Æschylus in Prometheo, quod Ioue attrectãte tergus huiusce iuuencæ priorem formã Io recuperauit. Scriptum reliquit Apollodorus in libro de Diis, quod istud ipsum contigit iuxta Iopen ciuitatẽ, quæ ita vocata fuit ab ipsa Ione, cum Argum diuina ope superasset: Ἰόπη δὲ πόλις καλεῖται, ὅτι ἐκεῖ ἡ Ἰὼ τὸν Ἄργον νικήσασα, γέγονεν ἄνθρωπος: *vocata fuit Iope ciuitas, quod ibi post Argum diuina ope superatũ, Io facta est homo.* Scripsit Apollodorus Ionem pristina forma recuperata ad Nili fluenta Epaphum è Iouis congressu peperisse, quem Iuno Curetibus occultandum tradidit. id cum resciuisset Iupiter, fertur Curetes interfecisse quo tempore Io profecta est in Syriam ad filiũ inuestigandũ, quo inuento in Ægyptũ rediit. Strabo tamen lib. 10. antrum quoddam in Eubœa fuisse scribit in littore maris Ægæi, q́ vocabatur aula bouis, vbi Io dicta est Epaphũ peperisse. Post partum igitur Dea facta fuisse dicitur, & ab Ægyptiis Isidis nomine culta, & tempestatibus ac nauigantibus præfecta, vt testatur Lucian⁹ in Dialogo Zephyri & Noti. Hæc illa sunt, quæ de Ione Inachi filia fabulose dicta sunt ab antiquis scriptoribus. Memoriæ prodidit Herodotus in Clio raptã fuisse Ionem à Phœnicibus, & in Ægyptum deportatam, q́ scriptum fuit etiam ab Ephoro, & à Phœnicib. vulgo creditum est. at longe alia fuit Persarũ sententia, quippe qui putarint, quod vbi Io Argis fuit compressa à quodã nauclero nauis Phœniciæ, parentes verita, quia cognouisset se ferre in vtero, cum Phœnicibus lubens in Ægyptum nauigarit. Quod autem bos facta mare tranauerit, id falsum omnino esse creditur, sed datũ fuisse fabulæ locũ, quia in naui, quæ priorem partem bouis pictam haberet in prora, nauigarit. cum igitur in illa naui mare illud, quod Asiam ab Europa disterminat, cuius in littore extructum est Byzantium, traiecisset, locus dictus fuit Bosphorus, quia bos illac incesserit. Alii crediderũt tumultuarias nauiculas ab accolis,

qui vellent traiicere, fuisse factas, quæ quoniam à bob. traherentur, locus fuerit ita appellatus. Alii maluerunt appellatum fuisse Bosphorũ ab eo tauro, quem Rex Ægyptiorum pro Ione misit ad Inachum, cum vero mortuus fuisset, hunc ostendẽtes circumtulerunt, quoniam illud animal nõ erat antea notum, neque visum in Græcia, vt ait Sosiphanes in Meleagro. cum vero apparuisset longe existentibus supra vndas natans taurus ille, quod erat super tabulatum, sinus ille ab incessu bouis, dictus fuit Bosphorus. Fingebatur vero Isidis statua cornuta quæ ex palmarum foliis habebat calciamenta cum luna sit palmarum fertilitatis causa. Huic fœminæ victimæ, vitulæ scilicet erant cõsecratæ, sicut scripsit Herodotus in Euterpe: τὰς δὲ θηλέας οὔ σφι ἔξεστι θύειν, ἀλλὰ ἱραί εἰσι τῆς Ἴσιος· τὸ γὰρ τῆς Ἴσιος ἄγαλμα ἐὸν γυναικήιον, βούκερών ἐστι, κατά περ Ἕλληνες τὴν Ἰοῦν γράφουσι. *Fœminas illis sacrificare non licet, quæ consecratæ sunt Isidi. nam Isidis statua cum sit muliebris, habet bouis cornua: cuiusmodi Græci Ionem fingunt.* Inquiunt postea Epaphum Ægypti imperium adeptum vrbem Memphim ædificasse, matremque post mortem Isidis nomine coli imperasse. atque hæc illa sunt, quæ attinent ad historicam expositionem.

§ Quod ad physicã spectat, Io modo Luna dicta est, modo credita est terra. nam dicitur Io fuisse Argi & Ismenes filia vel Neptuni, vel Inachi fluuii, vel aquæ omnino, quum terræ solum Io crederetur. nam terra procul existentibus videtur paulatim ex vndis exoriri. Hanc Iupiter compressit in nebula, cum Iupiter nimirum æthereus calor intelligatur, per quem vapores è terra assidue exsurgunt. Fabulantur Ionem in vaccam mutatam fuisse animal fertilitatis terræ studiosum, cuius omnis industria sit in colendis agris, ob vbertatem ipsius terræ. nam cum Iuno accessit, mitior calor scilicet aeris, tum Iupiter illam vaccam concessit, cum neq; ob nimium calorem assiduum, vt neq; ob frigus terra fiat ferax. Iuno Argo cui centum erant oculi, illam seruandam concessit, quia cælum, cui plurimæ sunt stellæ tãquam oculi, assidue terram intuetur, & ob suum cursum tempora assidue varians plurimum adiuuat ad fertilitatem. Harum stellarum siue horum oculorum, altera pars dormit, altera vigilat, quia semper dimidium cœli videtur Sole illustrari, cum dimidium stellas frequentes ostentet: atq; stellæ quæ

Solis lumine obscurantur dicuntur dormire. At cur Iupiter Argum occidere Mercurio imperauit? quia ratio plurimum potest in agricultura. Hæc vacca cæso Argo dicitur liberata fuisse, totumq; fere terrarum orbem peragrasse, & omnia tranasse maria: quia prudentia & industria agricolarum videtur aeris etiam bonitatem aut fortunæ malitiam superare: cum tellus colonorum industria maxime fiat fertilis. Hæc ipsa ratio agriculturæ in omnes terras tradita tandem peruenit in Ægyptum, quæ tellus, quoniam ob suam fertilitatem ac bonitatem maxime patefaciat vim naturæ & feracitatem, dicta est vacca primam formam ibi recuperasse. Ad hos cum Isis transfretasset mulier omnino formosissima suæ ætatis, ab Api Ægyptiorum Rege vxor dicta: quam dicunt nonnulli Mercurium cæso Argo sene prudentissimo Argiuorum rege, vt ipse imperio potiretur, pulsum è Græcia, cum res parum fœliciter illi successissent, comitatũ fuisse. Ibi cum Isis agriculturam, atq; multas res humanæ vitæ perutiles Ægyptiis ostendisset, pro Dea culta est, & diuini honores illi fuerunt instituti. Enimuero ego fabulã hanc vniuersam ad Lunæ cursum potius accommodãdam putauerim: quam dixerunt esse Inachi vel Neptuni filiam, cum Luna sensim humectet nocturno lumine, vt ait Ptolemæus in Almagesto. Hanc dixerunt filiam Inachi à Ioue fuisse compressam in nebula, cum Iupiter etiam Sol aliquando sit: etenim in horum planetarum coniunctionibus nubes aut nebulæ plerumq; gignuntur. Mox ob accedentẽ Iunonem Io in vaccam mutatur, quia semper fere die tertio saltem à cõiunctione Luna exit cornuta, vaccæq; cornua imitatur. Nam nisi ante diem quartum illa se è nubibus explicauerit, puriorique aeri obtulerit, pluuiæ assiduæ prope in vniuersum mensem significantur. Hanc exeuntem à coniunctione & è nubibus egressam excipit Iuno, & Argo seruandam tradit, quia illa cæteris omnib. stellis est inferior, à quibus despicitur. Occiditur Argus Iouis iussu, & vacca ab Argo liberatur, quia Sole lumen & vires Lunæ impartiente, illa omnium stellarum vires superat, magisq; conspicuæ sunt Lunæ, quam stellarum omnium aliarum vires & actiones in humanis corporibus: quas exercet Luna vbi aliquantulum excreuerit. Hæc Io dicta est orbem terrarũ peragrasse, & modo in Scythiam, quæ regio est ad septentrionem,

modo

modo in Ægyptum peruagata, quia cum Luna velocissima sit, mariq; omnia secum trahat, tum modo ad septentrionem, modo austrum declinat ab ecliptica. Ibi versa est in Deam, quam cornutam finxerunt, cum primam formam recuperasset: quoniam primi omnium mortalium Ægyptij cum oculos in cœlum sustulissent, vidissentq; cœlum, Solem, Lunam, astra perpetuo motu moueri, & plurimum rebus humanis prodesse, à perpetuo cursu Deos vocarunt, atque Solem & Lunam præcipue diuinis honoribus coluerunt, vt testatur Euseb. lib. 1, præp. euang. & Plat. in Cratylo. Alii fabulam hanc ad humanam vitam, moresq; mortalium exprimendos retorserunt: dixeruntq; Ionem esse hominum parum cordatorum animas: quæ primum cum Ione coniunctæ in nebula, & è cœlo in hæc corpora tenebrarum plena delapsæ, in beluas vertuntur, neque cupiunt aut diuinitatem summi Dei, aut acceptam immortalitatem speculari: Sic vero mutatæ donantur Iunoni, quoniā auaritia & omnium libidinum cumulus homines inuadit, quæ multo etiam plures sunt, quam oculi Argi. Paulo post cum maturior ætas aduenerit, mittitur à Ioue Mercurius qui Argum occidat, quoniam ratio libidines deniq; refrænat, estq; omnium voluptatum satietas. Deinde œstrus à Iunone mittitur, qui stimulus est conscientiæ, & rerum præteritarum, ætatisque inutiliter transactæ recordatio. Hæc facit vt intelligamus nos antea toto cœlo, vt aiunt, aberrasse, & vt prudentiores facti pristinam hominum formam resumamus, ac Dii immortales denique per sanctitatem vitæ, & innocentiam, & iustitiam & humanitatem in omnes viros bonos efficiamur. Atque de Ioue satis, nunc de Vesta dicamus.

## *De Vesta.* CAP. XIX.

NEQVE vero Isis solum, sed etiam Vesta ab antiquis terra credita est, quam Saturni & Rheæ filiæ esse crediderunt antiqui, vt testatur Diodorus Siculus, & Orpheus in his:

*Ἑστία εὐδυνάτοιο Κρόνου θύγατερ βασίλεια,*

*Filia Saturni Vesta ô Regina potentis.*

Et lib. 6 Fastorum.

*Ex Ope Iunonem memorant, Cereremq; creatas*
*Semine Saturni, tertia Vesta fuit.*

Quidam, inter quos fuit Posidonius, in libris quib. titulus erat de Heroibus & dæmonibus, senserunt duas fuisse Vestas, alteram Saturni matrem, quæ vocata fuit etiam Pales, alteram filiam, quæ semper virgo fuit credita. Sed quoniam ad vnum nomen omnia referuntur, nulla habita nominum differentia, quid de Vesta senserint antiqui, breuiter explicabimus. Dixerunt igitur Vestam esse domorum omnium seruatricem. cui rerum omnium primitiæ offerebantur, vt testatur Homerus in hymno:

Ἑστίη ἣ πάντων ἐν δώμασιν ὑψηλοῖσιν
ἀθανάτων τε θεῶν, χαμαὶ ἐρχομένων τ' ἀνθρώπων
ἕδρην ἀΐδιον ἔλαχες πρεσβηΐδα τιμήν,
καλὸν ἔχουσα γέρας καὶ τιμήν. οὐ γὰρ ἄτερ σοῦ
εἰλαπίναι θνητοῖσιν, ἵν' οὐ πρώτῃ πυμάτῃ τε
Ἑστίῃ ἀρχόμενος σπένδει μελιηδέα οἶνον.

*Vesta Deumq; hominumque domos Dea quæ colis altas,*
*Perpetuamque tenes sedem, quæ semper honorem:*
*Præmia cui data sunt ingentia te sine nulli*
*Mortales vnquam celebrant conuiuia læti,*
*Ni Vestæ primum libent prædulcia vina.*

Nam cum Vesta Saturni filia prima domos extruere inuenissent, intra domos vbique pingebatur, quo & domos seruaret, & custos esset habitantium, vt testatur his Posidonius in Heroibus & Dæmonibus: ἡ γὰρ Ἑστία Κρόνου θυγάτηρ, τὴν οἰκίαν κατασκευὰς εὗρεν. ὧν τοῦ εὑρήματος ἕνεκεν ἐντὸς τῶν οἴκων ἔγραφον, ἵνα καὶ τούτους σώζοι, καὶ φύλαξ εἴη τῶν οἰκούντων. *Vesta sane Saturni filia domum primum inuenit, quam etiam inuentionis causa intra domos pingere consueuerant, vt & has seruaret, & custos esset in illis habitantium.* Fuit hac ipsa de causa domus etiam Vesta siue ἑστία vocata, vt ait Euripides in Medea:

——— ἣν ἐγὼ σέβω
μάλιστα πάντων, καὶ συνεργὸν εἱλόμην,
Ἑκάτην, μυχοῖς ναίουσαν Ἑστίας ἐμῆς.

——— *hanc ego colo*
*Præ cæteris Hecaten, mihi, quam ferre opem*
*Legi: mea Vesta colit namque intima.*

Mos autem fuit in omnibus sacrificiis vt primitiæ Vestæ offerrentur, vt dictum est: cuius cõsuetudinis causam huiusmodi adduxit Aristocritus libro secundo: μετὰ γὰρ τὸ κωλυθῆναι τὴν

ναι τὴν τῶν ϑεῶν ἀρχὴν, τὸν Δία δεξάμενον τὴν βασιλείαν, ἐπιτρέπειν Ἑστίᾳ λαβεῖν ὅτι βούλοιτο. τὴν δὲ, πρῶτον μὲν παρθενίαν αἰτῆσαι. μετὰ δὲ παρθενίαν, ἀπαρχὰς ϑυομένων αὐτῇ νέμεσθαι πρώτῃ παρὰ τῶν ἀνθρώπων. καὶ μετὰ ταῦτα οὕτω νενόμισται ἐν τοῖς ἱεροῖς τὰς ἀπαρχὰς ἁπάντων τῶν ϑυομένων πρώτῃ Ἑστίᾳ. *Nam posteaquam deiecti sunt Titanes, ac uetiti ne susciperent imperium, Iupiterq; illud coepisset, optionem dedit Vestae quod vellet capiendi. Hanc primum virginitatem postulasse inquiunt, & post illam, vt primitiae omnium quae sacrificarentur, sibi offerrentur ab hominibus. Ita vero postea sancitum est in sacris, vt primum omnium quae sacrificabantur, primitias Vestae offerrent.* Istud ipsum innuit etiam Aristoph. in Vespis:

ἀλλ' ἵνα
ἀφ' Ἑστίας ἀρχόμενος ἐπιτρίψω τινά.
*A Vesta incipiens vt contundam quempiam.*

Fingebatur Vesta esse mulier, quae sedens coronaretur, circa quam essent multiplicia plantarum blandientiumq; animalium genera, vt inquit Hecateus Milesius in Genealogii. Enimuero cum duae essent Vestae, per antiquiorem Saturni matrem terram; at per iuniorem, ignem purum aetheris significarunt, vt testatur Ouid. lib. 6. Fastorum:

*Vesta eadem est, terra: subest vigil ignis vtriq;.*
*Significant sedem terra focusq; suam.*

Cum igitur aeternus sit ignis aethereus, iure optimo Vesta aeterna vocata fuit, vt est apud Horatium lib. 3 Carminum quam Homerus etiam domos altas Deorum, & perpetuas sedes habere dixit in hymnis. At Orpheus mediam regionem ignis perpetui in his:

Ἑστία δὲ δυνάστιο Κρόνου ϑύγατερ βασίλεια,
ἣ μέσσον οἶκον ἔχεις πυρὸς ἀενάοιο μεγίστου.
*Filia Saturni Vesta ô Regina potentis,*
*Quae colis aethereae medium regionis, & ignis.*

Atque cum arasset erecta in Prytaneo, in qua perpetuus & inextinctus ignis asseruabatur, aram illam Pollux Vestam appellauit in his: ἐφ' ὧν δὲ ϑύομεν, ἢ πῦρ ἀνακαίομεν, βωμὸς, ϑυμιατήριον, Ἑστία. ἔνιοι γὰρ οὕτως ὀνομάζουσιν. οὕτω δ' ἂν κυριώτατα καλοίης τὴν ἐν Πρυτανείῳ, ἐφ' ἧς τὸ πῦρ τὸ ἄσβεστον ἀνάπτεται. *Super quibus sacrificamus aut ignem accendimus, altare, acerra, Vesta: nonnulli enim sic appellarunt. sic sane aptissime illum quae est in Prytaneo, vocaueris super qua ignis ille*

*perpetuus ardere solet.* At Ouid. lib. 6. Fastorum, flammam ipsam Vestam fuisse appellatam sensit, vt patet in his:

*Nec tu aliud Vestam, quam viuam intellige flammam:*
*Nataq; de flamma corpora nulla vides.*

Hanc Deam ignem fuisse vt vel ab initio Romæ præcipua religione cultam, argumento sunt illa quæ ad Vestalium perpetuam virginitatem pertinebant: quæ, cum omnibus notissima sint, minime nunc explicabo. Cum altera harum Vestarum Saturni fuisse mater, merito vocata fuit antiqua & cana, vt est in lib. 9. Æneid. apud Virgilium:

*Assaracíq; larem, & canæ penetralia Vestæ.*

¶ Hanc terram omnino fuisse testatur Plutarch. dec. 8. Sympos. probl. quippe cum inquiat mensas antiquorum fuisse rotundas ad similitudinem terræ: quæ cum victum nobis tanquam terra præberent vocatæ sunt Vestæ. Sed illud etiam manifestius (vt ego quidem arbitror) declarauit Plato in Timæo, cum Deos omnes, elementa scilicet, ac vires cœlorum commoueri faciat, solamque terram in medio horum immobilem consistere, vt patet ex his: ὁ μὲν δὴ μέγας ἡγεμὼν ἐν οὐρανῷ Ζεὺς ἐλαύνων πτηνὸν ἅρμα, πρῶτος πορεύεται, διακοσμῶν πάντα καὶ ἐπιμελούμενος. τῷ δ' ἕπεται στρατιὰ θεῶν καὶ δαιμόνων, κατὰ ἕνδεκα μέρη κεκοσμημένη. μένει δὲ Ἑστία ἐν θεῶν οἴκῳ μόνη. *Magnus sane dux in cœlo Iupiter currum agens volucrem, primus incedit omnia coordinans & curans. Hunc sequitur Deorum dæmonumque exercitus in duodecim partes distributus. at Vesta sola manet in Deorum domo.* Nam cum Iupiter supremus sit Deus, Dii dæmonesque reliqui planetæ sunt, & corpora cœlestia, ac elementa, quæ intra duodecim partes signiferi omnia continentur. Cum vero primũ mobile corpus omnia reliqua secum trahat, idcirco dicti sunt Dii ac dæmones volucrem currum sequi, quorum est non paruus exercitus. At sola ex iis qui Dii habiti sunt, domum immobilis seruat Vesta, cum illa terra sit, vt Euripides in his significauit:

καὶ Γαῖα μῆτερ Ἑστίαν δέ σ' οἱ σοφοὶ
βροτῶν καλοῦσιν, ἡμένην αἰθέρι.
*Parensq; terra, quam vocant Vestam viri*
*Præstantiores considentem in æthere.*

Nam terra sola ex omnibus naturalibus corporibus immobilis existens, in medio totius orbis sublimis, tanquam

in aere,

in aere, consistit: neque in aliquam mundi partem magis declinat: quare iure inquit Ouid. lib. 6. Fast.

*Terra pila sim lis nullo fulcimine nixa*
*Aere subiecto tam graue pendet onus.*
*Ipsa volubilitas libratum sustinet orbem;*
*Quiq; premat partes, angulus omnis abest.*

Cum enim tantundem vndique distat à cœlo, dicta est sedere in æthere, & nulla re suffulta sustineri. Huic tanquam dæmoni summæ parti ignis præfecto in sacrificiis litabatur odoribus. At cum antiquior Vesta terra esse putaretur flores vtpote illorum feraci matri offerebantur, & far, vt est apud Virg. lib. 5.

*Hæc memorans, cinerem, & sopitos suscitat ignes,*
*Pergameumq; larem, & canæ penetralia Vestæ*
*Farre pio, & plena supplex veneratur acerra.*

Vestam omnino Plotinus, aliique complures, animam terræ esse voluerunt, quæ Ceres etiam aliquando fuit nominata. Alii Vestam esse crediderunt, inter quos fuerunt Platonici, ἑστίαν separatum formarum, & rerum diuinarum solidum fundamentum: idcirco in omnium Deorum sacrificiis Vestæ primitiæ offerri ab antiquis solebant. Credita fuit altera Vesta Saturni mater, quia cum nondum existeret tempus, in confusa mundi mole terra latuerit: altera filia, quia post cœlum & tempus elementorum corpora summus opifex architectatus est Deus. Cum terra igitur esset omnium prope corporum naturalium fundamentum, merito mater Deorum etiam fuit ab antiquis appellata, vt testatur Strabo lib. 10. Hanc conuiuiorum præfectam, & omnium sacrorum primitias capere solitam dixerunt, quia sine terræ muneribus, vel sine calore è cœlo, nulla res nasci potest conuiuiis apta. quæ cum omnia ad sacrificia munera producat, merito omnium illorum primitias capere credita est. Atque quid Vesta sit, & quod fuerit ab antiquis culta, cum omnia elementa, elementorumque vires diuinis nominibus ab antiquis nominarentur, qui nihil Deo vacare putarunt, iam satis explicatum fuit. At nunc de Iride dicatur.

## De Iride. CAP. XX.

IRIS fuit Thaumantis & Electræ filia, sororque Harpyiarum, veluti testatus est Hesiodus in Theogonia in his:

*Θαύμας δ' Ὠκεανοῖο βαθυῤῥείταο θύγατρα*
*ἠγάγετ' Ἠλέκτρην· ἡ δ' ὠκεῖαν τέκεν Ἶριν,*
*ἠϋκόμους δ' Ἁρπυίας Ἀελλώ τ' Ὠκυπέτην τε.*
*Oceano natam Thaumas, qui littora pulsat,*
*Vxorem Electram duxit, mox edidit Irim*
*Illa viro, Harpyiasq; & Aello Ocypetemq;.*

Fuit Iris Iunonis existimata diligentissima ministra, vt ait Callimachus in lauacrum Deli his carminibus:

*τῇ ἰκέλη Θαύμαντος ὑπὸ θρόνον ἵζετο κούρη.*
*κείνη δ' οὐδέποτε σφετέρης ἐπιλήθεται ἕδρης,*
*οὐδ' ὅτε οἱ ληθαῖον ἐπὶ πτερὸν ὕπνος ἐρείσει·*
*ἀλλ' αὐτοῦ μεγάλοιο ποτὶ γλωχῖνα θρόνοιο,*
*τυτθὸν ἀποκλίνασα καρήατα, λέχριος εὕδει·*
*οὐδέποτε ζώνην ἀναλύεται, οὐδὲ ταχείας*
*ἐνδρομίδας, μή οἱ τι καὶ αἰφνίδιον ἔπος εἴπῃ*
*δεσπότης.*
*Subq; throno sedet huic similis Thaumante puella*
*Edita, quæ sedem nonnunquam deserit illam,*
*Non vbi lethæas somnus circumiacit alas.*
*Ast vbi deflectens ceruicem flexa parumper*
*Illa throni magni fulcris accumbit inhærens;*
*Soluitur haud zona huic, volucris nec calceus vnquam,*
*Ne Dea forte sibi tradat mandata repente.*

Nam profecto Iris fungebatur eodem munere apud Iunonem, quo fungi solitus fuit Mercurius apud Iouem, cum huius ministræ esset munus quoscunque vellet Iuno arcessere atque aduocare, sicuti demonstrauit Apollonius Rhodius lib.4 Argonaut. cum ita scribat;

*Ἶρι φίλη, νῦν, εἴ ποτ' ἐμὰς ἐτέλεσσας ἐφετμάς,*
*εἰ δ' ἄγε λαιψηρῇσι μετοιχομένη πτερύγεσσι*
*δεῦρο Θέτιν μοι ἄνωχθι μολεῖν ἁλὸς ἐξανιοῦσαν.*
*Iri veni dilecta mihi: mea iussa per auras,*
*Si optatis vnquam fauisti sedula nostris,*
*Ad Thetidem defer. veniat cita de maris vndis.*

Huic iniunctum est munus etiam, vt lectum Iunonis sterneret, vt ait Theocritus in Encomio Ptolemæi;

*ἐν δὲ λέχος στόρνυσιν ἰαύειν Ζηνὶ καὶ Ἥρῃ,*
*χεῖρας φοιβήσασα μύροις ἔτι παρθένος Ἶρις.*
*Iunoni atq; Ioui lectum substernere virgo.*

Vnguen-

*Vnguentis perfusa manus solet Iris odoris.*

Maxime denique omnium Dearum seruitio, & in omnibus rebus Iridis Iuno vtebatur, quippe cum vel ab inferis reuersam Iunonem ab Iride lustrari faciat Ouid. lib. 4. Mutationum in his:

*Læta redit Iuno: quam cœlum intrare parantem*
*Roratis lustrauit aquis Thaumantias Iris.*

Valerius Flaccus, tamen Iridem Iouis etiam nunciam facit in his lib. 4. Argonaut.

*—— ille Dearum*
*Fletibus, & magno Phœbi commotus honore,*
*Velocem roseis demittit nubibus Irim.*

Et Homerus 9. Iliad.

Ἶριν δ' ὄτρυνε χρυσόπτερον ἀγγέλιουσαν.
*Auratis alis est Iris nuncia missa.*

Crediderunt præterea antiqui nullam animam muliebrem posse ex his humanis corporibus absolui, nisi Iridis beneficio ex his molestissimis ac blandissimis vinculis Iunonis iussu solueretur, sicuti Mercurius ipse Iouis mandato mares homines è corporeis carcerib. liberare putabatur. Quare vt alia complura scite ac præclare Virgil. pro institutis priscæ Theologiæ non introducit Mercurium, sed Iridem in lib. 4. Æneid. Didus animam ex ipso corpore euocantem neque Iouis iussu, sed Iunonis, cum ita inquiat:

*Ergo Iris roseis per cœlum roscida pennis*
*Mille trahit varios aduerso Sole colores,*
*Deuolat, & supra caput astitit: hunc ego Diti*
*Sacrum iussa fero, teque isto corpore soluo.*

Nam Iridem, sicuti Mercuriũ, alatam finxerunt antiqui ad exprimẽdam eius velocitatem. Fuerunt etiam quidam qui illam fabulati sint taurino capite flumina sorbere consueuisse. Neque plura his fere memoriæ prodita esse de Iride ab antiquis recordamur. at nunc quid sub his ambagibus verborum memoria dignum contineretur, inquiramus.

¶ Iridem Thaumantis & Electræ filiam fuisse tradiderunt, quia Thaumas sit Ponti filius. Electra vero Cœli siue Sol; nã id nomẽ serenitatem significat: est enim ἥλιος Sol, αἴθριος serenus. nascitur igitur Iris ex aqua & serenitate, & refractione radiorum scilicet, vt voluit Aristot. in meteorologicis. Sapienter sane dictum est ab antiquis quod Iris

sedeat sub throno Iunonis, quia gignatur in parte aeris inferiore, hoc est infra nubes. nam illius arcus cœlestis quæ Iris nuncupatur, radius solis cauæ nubi immissus causa est: qui in ipsum Solem acie repulsa refringitur. Sic enim nubes arcum illum cœlestem efficere putantur, quod in alia parte sint tumidiores, in alia crassiores ac densiores quam Solem possint transmittere, ac in alia imbecilliores quam possint excludere. Sic igitur per hanc ipsam inæquabilitatem cum ipsa vmbra atque lux commisceatur, exprimitur illa varietas mirabilis, quæ Thaumantis dicitur filia siue admirationis, cum θαυμάζειν sit admirari nam certe quidem omnia intuemur per lineas rectas, vel reflexas, quæ aliquando refringuntur vt aiunt Optici, quæ lineæ tantum corporis expertes intelliguntur sola mente & cogitatione perceptæ. videmus recta quæ sunt in aere nullo oblato impedimento, vel post gemmas lucidas, vel cornu perspicuũ, si subtilissima sit materia, aut cætera huiusmodi flectuntur remi in aqua ob materiam densiorem: refracta videmus vti specularia. Finxerunt antiqui illam esse Iunonis nunciam & Harpyiarum siue ventorum sororem, vt diximus, quoniam certissima sint illa signa futurorum ventorum aut imbrium aut serenitatis, quæ Iridem sequi consueuerunt: quare Virgilius inter signa pluuiarum Iridis quoque signa annumerauit, cum ita scripserit de illa lib. 1 Georg. *Et bibit ingẽs Arcus* & Valerius Flaccus arcum cœlestem serenitatis indicem esse scripsit in lib. 1. Argonaut.

*Emicuit reserata dies, cœlumq; resoluit*
*Arcus & in summos redierunt nubila montes.*

Constat enim ex humore & densitate aeris, vti dicebam, in quam Sole incidente gignitur illa varietas colorum, cuius aeris prima pars è regione Solis sita appareat rubicunda cũ radiis penetretur. at nigrior pars est quoniam obscurior ac densior aer non ita potest à Sole penetrari, sic viror obscurior rubicundo colore gignitur è mistura minoris luminis maiorumq; tenebrarum. Dixerunt quidam etiam per noctem fieri Iridem in nubibus ob lumen Lunæ, sed hoc raro potest contingere, quia non est diuturnum plenilunium, atq; quod lumen ipsius lumine Solis sit multo debilius. At enim de Iridis causa dissentiunt plurimum inter se sapientes: quoniam Aristot. totam Iridis obseruationem ac naturam ad

ram ad opticã rationem perduxit, nihilq; esse re ipsa neque alicubi illos colores consistere existimauit: cum tamẽ Metrodorus de Iride disserens illum euenire reipsa voluerit, at non tantum apparentẽ esse, vbi nubes dẽsata fuerit aduersus Solem. Tunc enim cum incidat Sol in nubes fit cyanea ille credidit, propter mistionem: at rubicundum illud fit, ꝙ opponatur directe ipsi splendori. quod inferius est, album videtur, atq; hoc Solis lumen esse censuit. At enim pleriq; antiquorum non modo dissentiunt de Iride, sed & de visu quomodo fiat, & de lineis ad visum spectãtibus, alii siquidem visum fieri per emissas, alii per receptas formas ab oculis tradiderunt: alii per vtrumque. Ac rursus alii per receptam, alii per emissam lucem: inter quos fuit Heliod. Larissæus, qui ita scripsit in Opticis: ὅτι μὲν οὖν προσβολάς τινας ἀφ' ἡμῶν ἐπιβάλλομεν τοῖς ὁρωμένοις, δηλοῖ καὶ τὸ τῶν ὀφθαλμῶν σχῆμα, οὐ κοῖλον οὐδὲ πρὸς ὑποδοχήν τινος πεποιημένον, ὥσπερ τὰ τῶν ἄλλων αἰσθητηρίων. ἀλλὰ σφαιροειδὲς ὑπάρχον ὅτι δὲ τοῦτο τὸ προσβαλλόμενον ἀφ' ἡμῶν, φῶς ἐστιν, αἵ τ' ἀπολάμπουσαι τῶν ὀμμάτων δηλοῦσι μαρμαρυγαί, καὶ τὸ τινὰς νύκτωρ ὁρᾶν, οὐδὲν τοῦ ἔξωθεν προσδεομένους φωτός, ὥσπερ οὐδὲ τὰ νυκτινόμα τῶν ζώων· οἷος ἐκεῖνος ὁ Τιβέριος γέγονεν ὁ Ῥωμαίων βασιλεύς. τῶν δὲ νυκτινόμων ζώων τὰ ὄμματα καὶ ἐκλάμποντα φαίνεται νύκτωρ δίκην πυρός. *Nam sane quod è nobis formas quasdam emittamus in res visas, declarat vel ipsa forma oculorum, cum non sit concaua, neq; suapte natura ad aliquid excipiendum facta, sunt est aliorum sensuum, sed circula is & rotunda. Quod autem illud quod em t tur lux est, iudicio sunt splendores ex oculis enitentes, & quod quidam noctu cernunt, nulla alia externa luce indigentia, sicuti neque animalia qua nocturnum victum quærunt, qualis fuit is Romanorum Imperator Tiberius. Atq; oculi nocturnorum quorundam animalium emicant per noctem tanquam ignis.* Deinde alii visum fieri per pyramidem siue conum inquiunt, cuius cuspis sit in oculo basis in re visa, vt sensit Euclides in secunda hypothesi rerum Opticarum. est autem conus pyramis rotunda, vt ait Apollonius Pergæus in lib. 1. Conorũ, & Vitellio lib. 4. Opticorum. Alii illud fieri per triangulum, alii per quartam partẽ circuli arbitrati sunt ac rursus visum alii facile terminari, si corpus solidum sese cito opponat, dixerunt, aut si non possit visus ad obiectam aliquã rem peruenire, aut si res visa non consistat, vt accidit in

profunditatibus obſcurarum altitudinum, quarum pars ima videri non poſſit, vel vt accidit in fluminibus velociſſimis, vbi radii viſus citiſſime deferuntur, aut etiam ſi quis in orbem cito vel diu rotetur, vertigines inde naſci inquiunt, quod etiam ſcriptum reliquit Theophr. in lib. τῶν ἰλίγγων, ſiue de vertiginibus. nam non modo aer in panniculis circa cerebrum patitur agitationem moleſtam per eum motum, ſed radii etiam viſus maxime exagitantur, cum non poſſint perſiſtere. Viſus præterea ſiue radii ex oculis emiſſi ſi in corpus tranſparens, ſiue quodam tenus penetrabile vel læue, quodammodo incidat, quod tamen habeat aliquam denſitatem, cum non poſſit integer ad extremum peruenire, aut prorſus penetrare refringitur, quia non videat oppoſitam ſuperficiem ſine refractione: atque inde efficitur vt redundent imagines, ſicut fieri apparet in ſpeculis, aut in aquis habentib. obiectam ſuperficiem paulo obſcuriorem. Enimuero tanta vis eſt rerum viſarum aliquando, vt colorem infundere videantur & luci & viſui, à quib. refringuntur radii viſus ſiue reflectuntur. Nam vt ait in Opticis idem Lariſſæus. εἰ γὰρ ἀνίσχων ὁ ἥλιος ἢ δυόμενος, διά τινος ἐρυθροῦ διαλάμπει νέφους. ὁρᾶν ἐστὶν ἅπαντα φοινικᾶ, καὶ γῆν καὶ θάλασσαν, καὶ ἁπλῶς ὅσα ἂν καταλάμπει. τούτοις δὴ παραπλήσια καὶ παρὰ τὴν ἡμετέραν ὄψιν ἐστὶ θεωρῆσαι. ὁ ποῖον γὰρ ἂν τύχοι τὸ τοῦ διαφανοῦς χρῶμα, τοιοῦτο χροὺν καὶ τὸ δι' αὐτοῦ φαινόμενον δόξειεν ἂν ὁρᾶν. *Si enim Sol conſurgens vel decedens per aliquam rubram nubem intuerit, licet omnia rubra intueri terram ac mare ſcilicet, atque omnia, vt vno verbo dicam, quæ illuſtrantur. Hiſce conſimilia & per aſpectum ſolent noſtrum euenire: nam qualis color rei diaphanis ſiue tranſapparentis fuerit, talem rem ipſam per illam viſam contingit videri.* Eiuſdem enim coloris omnia apparebunt, cuius coloris fuerit ſpeculum per quod illa videbuntur. Hinc effectum eſt vt quidam reipſa dolores ineſſe Iridi, at non per opticam rationem apparere crediderunt, aut per apparentes colores, qui redundent è lucidi & obſcuri miſtione ſecundum magis & minus, videtur ſenſiſſe Ariſtot. in libris Meteorologicis. manifeſtum eſt autem quod vbi duæ, vel plures Irides apparuerint, futurarum pluuiarum copiam ſignificant. quare ita de illa ſcripſit Aratus in ſignis aquarum & ventorum:

ἢ διδύμη ἔζωσε διὰ μέγαν οὐρανὸν Ἶρις.

*Aut*

*Aut gemina cœlum cum zona cinxerit Iris.*

Nam vbi paruus fuerit humentis aeris ac vaporum concursus, vna tantum Iris producitur: at vbi multa fuerit & copiosa pluuiarum materia condensata, post primam formatam Iridem altera efficitur, quæ circumsistat priorem, cingatque cœlum persimili ambitu. Quod autem illud muneris iniunctum Iridi putaretur vt morientes mulieres Iunonis iussu à lãguoribus liberaret, id nihil aliud meo quidem iudicio significat, quam illud quod à physicis dictum est, quia tempora pluuiosa & nimis humida maxime obsunt mulieribus, cum sicca supra modum viris obsint, qui ad iustã ætatem peruenerunt. Cum enim in elementorum, qualitatumq; siue temperamentorum symmetria vniuersa vita animantium consistat, frigida ac nimis humida tempora obsunt illis, qui vel ad caloris mediocritatem nondum peruenerunt, vel iam vergunt ad eius inopiam, cum superuacaneos humores ob temporis & temperaméti malitiam non possint concoquere. Propter excessum etiam non Iunonis, sed Iouis, hoc est nimii caloris, iussu finxerunt Mercurium animas virorum ad inferos comitari ac deducere. Atqui nec illud quidem prætermittendum in hoc loco duxerim, quod fingebantur animæ mortalium ex hisce corporibus Dearum iussu solui, non autem sponte sua discedere. Hoc enim idcirco dictum fuit, quoniam cum prædia ac iumenta Dei simus, vt ita dicam, & vere diuina animalia, nata Dei iussu ad cultum religionis, ad perfruendum Dei liberalitate, ad cognoscendam Dei naturam diuinam, ad orbis totius ornamentum, ad bene agendum, ad fœlicitatem per virtutes post mortem nobis comparandam, non licet immature nos ipsos interficere, quod Deo molestissimum est, sed expectare Dei voluntatem. Quis enim æquo animo ferret, si sua prædia arbores ac segetes, quas produxissent, deuastarent? aut quis non succenseret, si illa irata domino pertæsaque fertilitatis nihil producerent, aut seipsa destruerent? quis in ea, si posset, non acerbissime animaduerteret? Debent igitur animæ mortalium tamdiu detineri in his corporibus, quib. fuerunt à Deo alligatæ, quamdiu illi qui eas vinxit, ita detinere aut coercere placuerit, neque inde nisi iussu ipsius Dei soluendæ sunt. Ac de Iride satis, nunc dicatur de Alpheo.

## De Alpheo. CAP. XXI.

DE Alpheo, quem alii hominem, alii fluuium fuisse crediderunt, cuius fontes essent apud Aseam pagum Arcadiæ, nihil prope certi habemus vel quis fuerit, vel quibus parentibus sit natus, nisi quod eum alii Thermodontis & Nymphæ cuiusdam Amymones, alii Partheniæ fuisse filiũ tradunt. quidam aurigam fuisse Pelopis putarunt, alii cuiusdam ducis insignis, cuius virtus post Leonidam in Thermopylis enituerit. atque hi omnes fere post mortem in fluuium sui nominis mutatum fuisse memorarunt, Alii præterea fabulantur Alpheum virum fuisse mirifice venationibus deditum, qui aliquando in Arethusæ venantis & ipsius amorem inciderit. illam cum Alpheus in matrimoniũ postulasset, atque ea constantissime recusaret eius nuptias, in Ortygiam transiuisse non procul à Syracusis, atque ibi in fontem sui nominis conuersa fuisse dicitur, vbi Dianam, cuius erat comes, precata fuisset vti nuptias illas quoquo pacto deuitare posset, vt testatur Ouid. lib. 5. suarum Mutationum in his carminibus:

*Fessa labore fugæ. Fer opem, deprehendimur, inquam*
*Armigeræ Diana tuæ: cui sæpe dedisti*
*Ferre tuos arcus, inclusaq; tela pharetra,*

Et paulo post:

*In latices mutor, sed enim cognoscit amatas*
*Amnis aquas, positoq; viri quod sumpserat ore,*
*Vertitur in proprias quo se mihi misceat vndas.*

Illud cum grauissime tulisset Alpheus, Arethusam scilicet in fontem sui nominis Deæ misericordia & nutu fuisse cõuersam, desiderii amorisque eius impatiens dicitur & ipse Deos precatus fuisse, vt tantam animi molestiam aliqua ratione vitare posset: quare in fluuium sui nominis & ipse fuit conuersus, qui post illam mutationem etiam dictus est vel ipsum fontem amare, quippe cum subter mare, vt aiũt, delapsos vel Syracusas vsq; decurrat, vbi postmodo emergens cum Arethusa fonte commiscetur, vt patet ex his:

*Trinacriam supra medio iacet insula ponto,*
*Ortygiam dicunt, vbi cana fluenta refundit,*
*Alpheus, Siculæ hinc Arethusa & iungitur vndæ.*

Alii dixerunt Alpheum amauisse Dianã, eamq; insecutum fuisse ad Ortygiam vsque, vbi cũ cessauisset, tẽplum Dianæ cogno-

cognomento Alpheæ fuit erectum ad perpetuam deuitati periculi memoriam. Alii tradiderunt Alpheum vnum fuisse ex iis qui genus ducerent à Sole, qui cum Cercapho fratre vbi contenderet de virtute, illũ interfecit, a pastoribusq; exagitatus se in Nyctimum fluuium desperatione captus præcipitauit, qui ab illo post modo vocatus est Alpheus, cuius rei testis est Agathocles Milesius in secundo de fluminibus, & Agatho Samius. Fuerunt tamen nonnulli, qui semper fluuium, at non hominem fuisse Alpheum putauerint, atqui Strabo lib. 6. Geographiæ multis verbis contẽdit aduersum Timæum Philosophum ac Pindarum, fieri nõ posse vt aqua Alphei fluminis per quosdam hiatus decurrens impermista cum Arethusa denique commisceatur, quoniam inquit illum os habere palam in mare irrumpens, neque esse quidquam alueo vicinum quod illum absorbeat. Id autem fortasse videri posset absurdum, nisi illud & ea ex oraculo Apollinis carmina confirmarent, quod post paulo dicetur. & alii fluuii ingentes istud facere comperirentur. Nam fama est Nilum paludem quandam ingredi solitum tanquam è continente, terraque elapsum per Æthiopiam inferiorem decurrisse in Ægyptum, atque in mare illud, quod ad Pharum est, erupisse. sic enim memorauit Nicanor Samius in lib. 1. de fluminibus & ij qui supra Syenen profecti sunt ad Meroen. In Hebræorum finibus præterea fluuius ille qui Iordanis appellatus fuit, dictus est in Tyberiadem stagnum ingredi solitus, atque inde emergens subire alterum stagnum, quod mare mortuum nuncupatur, ac rursus emergens per quoddam spacium denique in paludem absorptus omnino euanescit. & Pyramus decurrens per Cataoniam habet fontes in media planitie: est autem fossa satis ampla, per quam aqua defluit limpida delata clam sub terra per magnum spacium, ac rursus erumpit in apertum, mox per Taurum montem penetrat ac defluit tanta profunditate & angustia, vt canis ibi possit transiiire. inde tantum cœni trahit, vt traditum sit hoc ab oraculo:

ἔσσεται, ἐσσομένοις ὅτε Πύραμος ἀργυροδίνης
ἠϊόνα προχέων ἱερὴν ἐς Κύπρον ἵκηται.

*Tempus erit niueis cum labens Pyramus vndis*
*Littora producet in Ciprum deinde sacratam.*

Et Orontes defluens è Mesopotamia mox sub terrã occul-

ratur, tum rursus erumpit apud Apamenen. atq; ita profluit in mare Seleuciæ, vt ait Chrysippus lib. 2. rerum Scythicarum. Narrantur in Mycale monte fontes fuisse in Ionia cuiusdam fluminis, quod erat Alphei persimile: nam illud in medium mare præterlapsum rursus erumpere solebat prope portũ in Branchidis, cui portui nomen fuit Panormo, vt ait Timagetus in libr. 2. de portubus. Melas fluuius item magnus quidem, ac solus è cunctis Græciæ fluminibus à fonte nauigiorum patiens, & tanquam Nilus incrementum per solstitium æstiuum accipiens, nõ longe excurrens maxima ex parte in occultos lacus extinguitur, & exiguam sui partem cum Cephiso amne commiscet, vt ait Plutarchus in vita Syllæ. Cum tanta varietas cursuum fluuiorũ memoretur in variis locis, quid mirum est illud quoq; Alpheo flumini contingere potuisse, cum multi scriptores illud etiam affirmarint? atq; Alphei fluminis hic fuisse ortus & cursus narratur ab antiquis, dictus est Alpheus fluuius non procul à Phylace Spartæ loco suos habere ortus, vbi caput est eius fluminis, qui locus Symbola fuit appellatus, qui agrum Tegeatarum à finib. Lacedæmonum disterminat. Sunt aũt dicta Symbola, quoniã συμβάλλειν congredi conferreq; significat, ꝙ in eundem fere locum fluuius Ladon ex agro Clitoriorũ, & Erymanthus è monte Erymantho defluens, & Helisson decurrens per agrum & per vrbem Megalopolin, & Brentheates per agrũ defluens Megalopolitanorũ, & Gortynius Gortynam vrbem alluens, & Phagus ex agro Melænensi & Celadon in ipsum Alpheum illaberentur. Dictus est nasci è pago Asco, vbi & Eurota. Fuit autem semper credita peculiaris quędã Alphei cursus natura, vt is modo sub terrã sese occultaret, modo ex occultis cauernis, vt dicebamus, in lucem erumperet, idq; faceret sæpius, donec cum Arethusæ aqua cõmisceretur, quæ res dedit locum fabulæ, ꝙ Alpheus vel fluuius factus incredibili Arethusæ desiderio cõflagraret. nam, vt fama est, cum primum è Phylace Symbolisque emanauit, se in agrum Tegeatarum abscondit, postea in Asæum erumpens cum aqua Eurotæ cõmuni alueo per spacium viginti stadiorum deferebatur. Tum rursus in cuniculũ quendã ingressi delabebatur sub terram, donec erumperet Eurotas in agrum Laconicum: at Alpheus in fines Megalopolitanorũ, vbi Arcades fontes fuerant appellati. Inde vero

Pisæum

Pisæum agrum Olympiamq; prætei labens prorumpebat in nauale Eleorũ ſupra Cyllenen, mareq; intrabat Adriaticũ. Illud aũt tãtis aquarum virib. agebatur, vt neq; Adriaticum quidem poſſet violentum eius curſum retardare, quo min⁹ pelagus internatans & ſua aqua, & proprio nomine ſeruato ad Ortygiã inſulam pueniret, fontiq; Arethuſæ adiniſceretur, vt ſcripſit Nicanor in lib. 3. de fluminibus. Tradiderunt præterea ipſam Arethuſam hunc ipſum habere curſum ſolitam, vt ſub aquis marinis lapſa nullis ſalſis aquis admiſceretur, ad cuius naturam alludens Virg. ait in Gallo:

*Sic tibi cum fluctus ſubter labere Sicanos,*
*Doris amara ſuam non intermiſceat vndam,*

Mitifice dicta eſt eſſe accommodata aqua Alphei fluminis ad educandos oleaſtros. neque illud ſane nõ incredibile eſt, quoniam varia fuit ſemper fluuiorum diuerſorum natura ad varia herbarũ, animalium: arborumq; genera ꝑducenda & educanda. Enimuero vt piſcium varietatẽ mirabilitatemque auium circa illos verſantium prętermittam, Alphei propria planta fuit oleaſter, ſicut fluuii Acherontis peculiaris arbos populus alba eſſe dicebatur, vt Aſopus in agro Bœotorũ iuncum educabat in ſignis magnitudinis, vt Mæander dictus eſt fœliciſſime producere & alere myricas, vtq; Galliæ Ciſalpinę Padi alumna dicta eſt egregie nigra populus. Credita eſt aqua fluuii Alphei fuiſſe ſacrificiis accõmodatiſſima, quoniã Alpheus amnis eſſet gratiſſima Ioui. Nã cum die decimonono Februarii cinerem è Prytaneo quotãnis aruſpices deportarent ad aram Iouis Olympii, illoque cinere aqua Alphei fluminis diluto arã Iouis oblinirent de more, fuit poſtea ſancitum legibus ſacrificiorum, ne qua aqua præterquam Alphei fluminis ad eum vſum introduceretur, vt ſcripſit Porphyrius in lib. 1. de ſacrificiis, quare ex eo tantum luto diutius ſeruatum fuit, vt tectorium aræ ſuperinduceret̃. Iure optimo deinde introductus fuit Alphe⁹ in illum ſacrorum vſum, quoniam vim quandam præcipuã purgando ille fluuius creditus eſt habere, vnde etiam nomen obtinuit. nam cum eius aquæ irrigatio maculas purget, quas Alphos nominarunt, vt ait Strabo lib. 8. atque vocatus eſt Alpheus à ſanandis impetiginibus, cum prius Ariger vocaretur. Hunc fluuium nonnulli pro Deo coluerunt, cui & ſtatuam & communem aram cum Diana erexerunt,

quod etiam Acheloo & Cephiso fluminibus contigit, quibus aræ fuerunt erectæ, sicuti memoriæ proditũ est à Pauſ. in rebus Atticis. Consecuta fuit etiam ipsa Arethusa postmodum diuinos honores vt ait Nicanor Samius in libro tertio de fluminibus: siquidem mos fuit Ægiensium, qui populi fuerunt Achaiæ, liba sumpta ex ara Salutis in mare porricere, quæ se mittere Arethusæ Syracusas testarentur, vt ait Melanthes in libro de sacrificiis.

¶ Hæc illa sunt fere omnia quæ de Alpheo fluuio memoratu digna tradita sunt ab antiquis scriptoribus atqui sæpius explicatum fuit à nobis superius, quod antiqui, sub fabularum integumentis naturę arcana occultarunt, quodq; per has ambages verborum naturam & vires elementorum ac rerum omnium explicabant, quæ illis tantum erant manifesta, qui facti essent horum mysteriorũ participes. Præterea vt res diuinas se semper habere ante oculos vulgus arbitraretur, mõtes & flumina & fontes & maria partim magnos Deos esse tradiderunt, partim quandam continere intra se occultã diuinitatem, quę posset humanorum factorũ esse testis. Et quoniã non animi solũ, sed etiã corporis mũdities Deo gratissima existimãda est, idcirco aquam illam, quæ præcipuam vim haberet purgandi & sacrificiis esse accommodatam sanxerunt, & fluuium ipsum, qui huiusmodi aquam hominibus in vsus illos suppeditaret. existimauerũt esse Ioui amicissimum atque acceptissimum. Alii diuinam vim animorum nostrorum, virtutisque naturam per huiusmodi fabulam explicarunt, quippe quod sicuti materia appetit formam, vt suum proprium bonum, quod ipsa per se inutilis est & ociosa apparet, sic anima nostra virtutem tanquam formam suam expetit. Hæc causa est cur Alpheus fingebatur sequi Arethusam, cum ἀλφὸς sit macula, vt dictam est, siue imperfectio, & ἀρετὴ virtus à Græcis nominetur. ac de Alpheo satis, nunc de Inacho dicamus.

## *De Inacho.* CAP. XXII.

INachus autem filius fuisse dicitur Eurydamantis & Dorycles nymphæ, cum tamen quidam Iphinoen eius matrem nominatam fuisse maluerint. Alii OEneum patrem Inachi fuisse putarunt, quare fuit OEnides ab Hesiodo in sacro sermone ita appellatus:

Ἴναχος

Ἴναχος Οἰνείδης Κεγνίδῃ πολὺ φίλτατον ὕδωρ.

*Inachus O Enides cœlo gratissimus amnis.*

Hic primus omnium mortalium Argiuis imperasse dicitur, vxorem habuisse Antiopen, vt quidam putarunt; vt vero alii maluerunt, Colaxen: de qua Phoroneum, ac Mycalen filiam suscepit, quæ fuit postea vxor Brestoris, vt scriptũ est à Pausania in rebus Corinthiacis. Habuit præterea filiã Philodicẽ, quæ ex Leucippo Phœbam genuit & Ilairam, vt traditum est à Timageto. Celeberrimum est præterea, ꝙ Io illa quæ prius in vaccã, deinde in deam Isidem conuersa fuit, erat eiusdem Inachi filia, nam fama est ꝙ Inachus quo tempore Argiuis imperauit, fluuium Amphilochum prius vocatum ampliore alueo locupletauit, cũ is propter repentinos imbres solito alueo minime contentus sæpe in planitiem irrumperet, ac aliquando multa Arguorũ ædificia ac segetes secum rapiens deuolueret. Cum postmodũ fluuium alueus caperet, neq; damna Argiuis inferret, vocatus est Inachus de nomine benefici principis, quem ille Iunoni consecrauit, vt ait idem Pausanias. Neque enim cõsentit rationi, quod Io fluuii potius quam hominis fuisset filia, qui sic Inachus vocaretur. Memoriæ proditum est ab antiquis, quod Inachus fluuius suos ortus ac fontes habuit in monte Artemisio ex fonte Lyrceo vocato, minime dubios, cuius dicebatur illa esse natura vt parua vsitata adesset illi aquarũ copia, at facilime per imbres ita excresceret, vt bonã partem Argiuæ regionis inundaret, cum tamen per æstatem esset prope siccus. Istam autẽ aquarum penuriã Inacho contigisse illa de causa fabulantur, quia Inachus cũ Phoroneo, Cephiso, & Asterione iudex Argiuorum de regione inter Neptunum ac Iunonem contendẽtes delectus, regionem adiudicasset Iunoni. nã cum Iuno agrum Argiuorũ ad se pertinere, sibique iure consecratum censeri debere diceret, Neptunus eum ad se spectare propter aquarũ copiam, quæ regionem inundabant, eamque faciebant fertilissimam, cõtendit. At enim cum ab hæsitantibus diu iudicibus sententia postea pro Iunone lata fuisset, agerque Argiuus Iunoni adiudicatus, fama est iratum Neptunum omnem aquarum copiam illis fluminibus iudicibus ademisse; quare nisi per æstatem cœlestibus pluuiis iuuarentur, omnem prorsus aquam vna cum suis nominibus amisissent, contra vero quo

tempore ager Argiuus Iunoni fuit adiudicatus, dicitur maxima pars agri immissis aquis à Neptuno fuisse inundata, vt ita sciretur plusne Iuno an Neptun⁹ regioni posset nocere. Sed tamen postea precante Iunone vt illam aquam ex agro Argiuo deduceret, vix illud denique impetratum est, atque Argiui in eo loco ipso, per quē aqua refluxit, templum magnificum Neptuni cognomento Prosclystii siue, inundantis ex voto erexerunt publico sumptu, cum statua Graniani Sicyonii artificis è marmore Pentelico, cū columnis viginti & octo, quarum epistylia erant alterne Dorici & Corinthiaci operis, vt scripsit Hermippus in lib. 2. de magnificentia templorum & sacris regum donariis. Hecatæus Inachum fuisse fluuium Amphilochorum scripsit è Lachmo defluentem, è quo erumperet Æas, qui fuit diuersus ab Inacho Argolico. Dictus autem fuit Amphilochus ab Amphilocho Argiuorū rege, quē fama est fluuiū austrum versus è Lachmo fluere solitum Argos irrumpentem, cum Æas occasum versus illaberetur in sinum Adriaticum. Neque tamen me præterit fuisse nonnullos qui Argos vrbē Amphilochiū nominarint, cuiusce rei caussa narratur huiusmodi. Post Epigonorū expeditionē aduersus Thebanos Alcmæon fuit in Ætoliā à Diomede accersitus, atq; Alcmæonis opera & auxiliis Diomedes Ætoliam & Acarnaniā facile subiugauit. postea vero Diomede ab Agamemnone ad bellum Troianum accersito, antequā Argos ciuitas extaret, mansit Alcmęon quidem in Acarnania, atq; Argos ibi condidit, quam de sui fratris nomine appellauit Amphilochium, cuius in caput forte saxum deuolutum illum occidit, dum instaret in altera parte vrbis ædificationi. Sic vrbs Amphilochium dicta est vbi Amphilochus ex vulnere decessisset post die quarto. Huic cum Inachus successisset, quia vrbs recens adhuc multis colonis non esset plena, non satis celebre nomē obtinuit, quoniā libentius homines in agris vitā degerent. At Phoroneus ipsius Inachi filius animum adiecit ad vrbem locupletandā, vt qui dispersos in agris Argiuos, seorsumq; habitantes in vnius ciuitatis ius ac mœnia cōpulit, & aliud pręterea oppidum condidit, quod ab ipso Phoronicum fuit vocatum. Sed n. cum Amphilochium multitudine ciuium breui fuisset oppletū, opulentissimæq; & florentissimæ vrbis satis honesta principia accepisset, illi nomē mutauit, &

ex Argo

ex Argo nepote nato è Phoronei filia ciuitatē Argos nominauit. nam cū paulo ante mortuus fuisset Inachus, in Inacho fluuio de se nominato sepultus fuit, cum sibi magnificū sepulcrū ibi sub aquis extruxisset. Neq; mirū est nomina fluuiorū & cursum sæpius fuisse mutatū, quādo vel ipsa aqua fluminū aliquando pene defecerit, vti testatur Lucianus ita in Charonte, καὶ πόλεις, ὥσπερ ἄνθρωποι, καὶ τὸ παραδοξότερον, ποταμοὶ ὅλοι. Ἰνάχου γοῦν οὐδὲ τάφος ἐν Ἄργει καταλείπεται. *atq; vrbes tanquā homines; & quod magis est admirabile, vel vniuersi fluuii euanescunt. Inachi.n. nullum Argis extat monumentū aut vestigium.* tanta vis est temporum. Sed de fabulosis aut historicis hactenus. ¶ Ego sane quid aliud per hanc fabulā vellent exprimere antiqui, nō reperio, nisi vellent exprimere physicam fluuiorū & aeris naturam: nā quid est aliud Iunonē ac Neptunum de regione contendere; nisi tantū esse aquarū aerisq; beneficium ad fertilitatem regionis, vt vtrum maius sit, non facile possit diiudicari? Delecti sunt fluuii iudices, quoniā iudicium illud nō facile est cuiquā, nisi fluminibus, qui ipsi norunt quāta sit suarū aquarum bonitas, hoc est rerū physicarum peritis ingeniis. Sed vt sunt pleræq; res humanæ, quæ bonæ creduntur, hæc eadem res, q̄ salutē & fertilitatem regionib. afferre cōsueuit, si citra vel vltra modū sit, omnem salubritatē infestat atq; euertit. Inde effectum esse dicitur vt indignatus Neptunus modo regionem inundarit, modo omnem fere aquam fluminibus ademerit. Idem est enim aquarū vsus regionibus, qui est vini hominibus ac reliquarum epularum. nam cum vinum vtile sit moderatū bibentibus, eius nimia copia incredibile est quantum obsit, tanquā intima corporis inundans ac pene suffocās, & vim naturalem exurens aut extinguens. quare vt fluui ferunt per inundationes herbarū semina, si aqua sit cū terra commista accedēte calore, vt sensit Theophrastus in 3. lib. plantarum, sic multa morborum & ægritudinū semina nascuntur per nimiā inundationem vini, si calor naturalis non possit copiā concoquere. Sed omnium difficillimum est diiudicare plusne bonitas aeris, an copia bonarum aquarum conferat regionibus, quare iudices ancipites aliquandiu fuerunt. Ego tamen censuerim, quoniam vsus aeris tam perpetuus est tam vtilis, tam necessarius, vt sine illo viuere neq; tantillū possimus, cuius inprimis eximia bonitas ac temperies est requirenda, sa-

pientissime dictum fuisse ab antiquis in regione Argiuorũ adiudicanda præferendã fuisse Iunonem, q̃ aera esse superius à nobis explicatum fuit. Atqui sine fluminibus vel irrigatione agrorum vel solis imbribus cœlestibus aut etiam roribus aliquando contenti esse possunt agri ad fertilitatẽ & ad sanitatem colonorum, at sine aeris bonitate nullum oppidum, nulla ciuitas, nulla regio est habitabilis, aut magnopere à sanæ mentis hominibus expetenda. Eius rei sunt argumentũ paludes aut agri paludibus propinqui, in quibus incolumitas colonorũ aut proxime habitantium non solet esse diuturna, vel si optimo illi prius fuerint naturali temperamento, qui illuc accesserint, cum multæ quotidie fiant accolentium animalium ægritudines. Hæc ipsa causa fuit, vt arbitror, cur Iuno precibus à Neptuno vix impetrarit vt aquas post inundationes ex Argiuorũ regione deduceret. nam post illuuiones agrorum non facile recuperatur salubritas regionis, & id fit præsertim si multa flumina in eam regionem defluxerint. at quoniã homines res diuinas perraro rite iudicare possunt, non semel pœna suæ arrogãtiæ deterriti sunt ab ipsis Deorum rebus iudicandis, quib. parere tantum conuenit, & obseruare, at non etiã iudicare, inde fabulati sunt antiqui fluminibus iudicibus aquã fuisse à Neptuno ademptã. Sic Paris temerarius iudex patriæ suæ incendium & minas vniuersæ Asiæ adiudicauit. Sic Midas sibi mutationem auriũ tantum, at alii per hanc temeritatẽ in montes, in flumina, in beluas sunt mutati, quos lõgum esset referre. Reliqua, quæ sunt ad fabulæ ipsius ornamẽta adhibita, nõ sunt omnia vtilia naturalib. ac philosophicis rationibus, quia solẽt nonnulla ad rerũ primariarum probabilitatẽ & exornationem confingi. Vt n. in fertilissimo agro fieri non potest nulla vt herba nascatur inutilis, sic in optimis pulcherrimisq; figmentis antiquorũ non possunt omnia ad certam mortalium vtilitatẽ perduci, sed quædam ad voluptatẽ, quædam ad probabilitatẽ ficta fuisse sunt existimanda. Quod siquis putet se posse hæc ad meliorẽ partũ perducere, melioresq; explicationes inuenire, debet hãc vtilitatẽ cum posteris communicare: omnes enim ad cæterorum quoq; commoda nati sumus, ac iubemur à Deo illud talentũ exercere pro viribus, ꝙ nobis à diuina clementia concessum est. At de Inacho satis, nunc dicatur Europa.

## De Europa. CAP. XXIII.

Dicitur Europa fuisse Agenoris Phœnicum regis & Meliæ Nymphæ filia, quæ Cadmum ac Thasum fratres habuerit. Thasus deinde nomen dedit illis Thasis, qui Tyrum ad Phœniciam incoluerunt. Sorores Europæ fuerunt Electra & Taygete, & fratres præterea Cilix à quo Cilicia; & Phœnix, à quo Phœnicia fuit dicta Alii tamen hos è diuersis matribus natos esse arbitrati sunt. siquidem Cadmũ Pherecydes lib. 4. historiarum ex Agenore & Argiope Nili fluuii filia natum esse tradidit, at è Damno filia Beli Phœnicem & Isæam Ægypti vxorem, qui Ægypto nomen dedit,& Meliam vxorem Danai natos esse memorat. Europã tanta corporis præstantia atque pulchritudine fuisse narrant; vt omnes suæ tempestatis mulieres facile antecelleret. Hanc vbi Iupiter summopere deperiret, dicitur in candidũ ac pulcherrimum taurum esse conuersus, atque ad littus maris descendisse, quo Europa cum sociis virginibus aliquando adire consueuerat. Huius tauri miram quandam & inusitatam pulchritudinem Europa admirata dicitur seorsum à sociis ad eum spectandum primum accessisse, deinde etiã liberius manibus contrectasse, ac deniq; ipsum taurum tanquam equum ludendo conscendisse, à quo per dolum dicta est fuisse super mare in Cretam vsque deportata, vti scriptum est ab Ouid in 3. lib. mutatorum in his:

*Iamq; Deus posita fallacis imagine tauri*
*Se confessus erat, Dictaaq; rura tenebat.*

Fabulantur Iouẽ vbi sese quis esset Deus pristina forma recepta cõfessus fuisset, ad præclari huiusce facinoris memoriam sempiternã inter sidera tauri imaginem collocasse, vt scriptũ fuit ab Hygino in fabulis astrorum. Aiunt Agenorẽ tã grauiter casum Europæ tulisse, cũ illa nullibi inueniretur, quod raptã à piratis esse arbitraretur, vt accitis Cadmo & Thaso filiis classem instruxerit, q̃ bifariam diuisam illis dedit. Iussit Thasum cum altera parte classis omnes regiones Phœniciæ finitimas, atq; omnes portus diligẽtissime inuestigare: cum altera parte Cadmũ vel ad lõginquas maris Syrii terras accurrere, atq; fugiẽtes piratas cõprehendere si qui forte Europã auferrẽt: neq; prius redirent, q̃ asportarent Europã Sed enim cum Thasus nullibi illam inueniret celerrima ac diligẽtissima nauigatione vsus, nullumq;

vestigium omnino eius ablatæ repertū fuisset, dictus est in insulam maris Ægæi, quam olim Platen vocarunt, aduentasse Thraciæ finitimam, oppidumq; ibi condidisse, quod Thasum de suo nomine appellauit, a quo vniuersa postmodo insula vocata fuit Thasus, vbi habitare decreuit cum illis Phœnicibus, qui ipsum secuti fuerant in naui ad recuperādam sororem. Cadmus item vbi frustra sororis fugam & ipse diligenter terra mariq; inuestigasset, tandem desperata eius salute vel libertate vel inuētione ad oraculum cōfugit vt sciscitaretur quo nā pacto illam posset inuenire: aut cōsilium caperet quid sibi in illa difficultate rerum esset agēdum. Responsum est à Deo quod ibi habitare oporteret, vt ait Musæus in Titanographia, & Callimachus de habitatis insulis, vbi bos ipsa quieuisset, q̃ habuisset ducem itineris. Europam autē ipsam non esse humanarum virium aut humani ingenii inuenire. Mox vbi bos apud Thurium fontē apparuisset, qui locus fuit à boue ita vocatus, cum Phœnices Thur vaccam appellarent, id non procul à Cephiso flumine contigit, vti bos humi decūbens conquiesceret. Cadmus igitur ibi habitare decreuit, vrbemque ibi condidit, q̃ Bœotiā vocauit, vt ait Nicander in libro de Europa, & Callimachus in conditis insulis, & habitatis vrbibus & earum nominibus, & Ouid. in 3. mutationum. Cadmus vbi sacrificia de more antiquorum Diis patriis eius loci esset facturus, antequam fundamenta vrbis iaceret, quo ipsos Deos benignos in posterum placatosq; haberet, iussit ministros aquam sibi è proximo fonte afferre, quem fontem Areriaden nominabant. Verum cum non procul ab eo fonte draco insignis magnitudinis in spelunca quadam lateret, Martis & Veneris filius, vt quidam crediderunt, inter quos fuit Apollodorus Cyrenaicus in libro de Diis, & Lysimachus q̃ multa de Europa scripsit in lib. 4. rerū Thebanarum, & de Cadmo ad vrbem Thebanā profecto, dicūtur missi aquatum ministri fuisse ab illo dracone deuorati. Cum frustra Cadmus diutissime aquatum missos exspectasset atq; ęgerrime ferret illorū tarditatem, dictus est & ipse illuc ad frōtem fuisse profectus, ac inuentum draconem palpitantia adhuc cruēta ministrorū corpora vorantē nō procul ab Homoloide rū vocata porta Thebana occidisse. Illud cū euenisset eo pacto, Mars, vel, vt aliis magis placuit, Pallas iussit

Cadmum

Cadmum seminare alteram partem dētium exemptorum ex ore serpentis: è quibus satis fabulantur natos esse homines permultos, qui sese mutuis vulneribus ingenio atque artificio Cadmi trucidarunt. Pherecydes scriptum reliquit libro quinto historiarum, Martem ac Palladem dimidium illorum dentium eius draconis dedisse Cadmo, cum dimidium reseruatum sit postea Æetæ regi Colchorum. Tunc ajunt Martem imperasse vti Cadmus eos dentes sereret, è quibus armati homines nati sunt pugnaturi cum Cadmo in vltionem draconis Martis filii ab illo trucidati. Pallas Cadmi miserta dicitur illum monuisse vt lapide clam vnum eorum percuteret. Ille qui percussus fuit, cum illam iniuriam non aliunde natam esse arbitraretur, quam ab vno fratrum, vt sunt homines bellicosi ad omnem iniuriam armis vindicandam prompti, ob literata omnis humanitatis & affinitatis memoria, leuissime aduersus illum, quē putauit iniurium, irruit, illumque trucidauit, mox cæteris illam iniustam cædem vindicantibus, atque aliis contra tanquam illegitime iniurias passum defendētibus, omnes demum sunt mutuis vulneribus confossi, atq; ad vnum in illo certamine ceciderunt, præter Vdæum, Pelorē, Chthonium, Echionem, & Hyperenorem, qui soli quinq; superfuerunt ex illis multis hominibus. Cadmus postmodo his sibi conciliatis opera illorum vsus est in multis rebus, q̄ ita breuiter declarauit Apollonius Rhod. lib. 3. Argonauticor.

——— πόρε δέ σφιν ἰχὼν
κρείων Αἰήτης χαλεπὸς ἐς ἄεθλον ὀδόντας
Ἀονίοιο δράκοντος, ὃν Ὠγυγίῃ ἐνὶ Θήβῃ
Κάδμος, ὅτ' Εὐρώπην διζήμενος εἰσαφίκανε,
πέφνεν, Ἀρηπιάδῃ κρήνῃ ἐπίουρον ἐόντα.
ἔνθα καὶ ἐννάσθη πομπῇ βοὸς, ἥν οἱ Ἀπόλλων
ὤπασε μαντοσύνῃσι προηγήτειραν ὁδοῖο.

*——— ven entibus illis*
*Rex Æeta feros dedit in certamina dentes*
*Aonii serpentis. eum namq; ære cecidit*
*Europam quærens Cadmus, cum mœnia Thebæ*
*Ogygiæ peteret seruantem, vbi nascitur vnda*
*Fontis Aretiadæ. ductu bouis ille quieuit*
*Hic primum, dedit esse ducem quam Clarius Apollo.*

Vbi hæc ita contigissent, ac Agenor neq; filiam neq; filios

reduces amplius videre potuisset, credita est Europa in Deorum numerum relata, vt ait Lucianus in Dea Syria: quamobrem ad Agenoris ipsius consolationem, vt fama est, Phœnices illam templis & altaribus & propriis sacerdotibus decorarunt, sacrumque putatum sermonem de illa vulgarunt, quod Iupiter in taurum versus, vt diximus, illam in Cretam abstulerit. Præterea Sidonii numismata cum fœmina tauri dorso insidente ac mare transfretante cuderunt in eius honorem. Memoriæ proditum fuit etiam Carneum fuisse Iouis & huius Europæ filium, quem ab Apolline & Latona fuisse educatum memorarunt. Huic fratrem Leotychidem nonnulli adiunxerunt, sororesque Hydarnim, Limeram, & Alageniam, qui omnes postea nomina ciuitatibus dederunt, vt scripsit Eudoxus in ambitu terræ. Atque illa hactenus explicata fuerunt, quæ de Europa & Cadmo fabulose memoriæ prodita sunt ab antiquis: nunc quid per hæc significare voluerint, perquiramus.

Scriptum reliquit Herodotus in primo libro suarum historiarũ, Cretenses homines audita insigni Europæ pulchritudine ad eam rapiendam suo regi contendisse, quorũ tamẽ nomina ignorari inquit, vt est in his. *μετὰ δὲ ταῦτα Ἑλλήνων τινάς (οὐ γὰρ ἔχουσι τοὔνομα ἀπηγήσασθαι) φασὶ τῆς Φοινίκης ἐς Τύρον προσσχόντας, ἁρπάσαι τοῦ βασιλέος θυγατέρα Εὐρώπην. εἴησαν δ᾽ ἂν οὗτοι Κρῆτες. Postea vero nonnullos è Græcis (non tamen nomina proferre possunt) in Tyrum classe delatos fuisse memorant, atque Europam regis Phœniciæ filiam rapuisse, fuerunt autem isti viri Cretenses.* Circumferuntur illa de tauro memoriæ prodita fabuloseque conficta, quod in prora eius nauigii, quo vecta est Europa, taurus esset depictus, vti traditum est ab Agatharchide Cnidio in rebus Europicis. nã non solum in numismatis, sed etiam in picturis domesticis & in nauigiis iumentorum imagines antiqui pingere consueuerunt, quare pistricem & centaurum & chimæram naues appellauit Virg. ab illis formis animalium, quæ in proris erant picta vt est lib. 5. & nomen pecuniæ atque peculii inde apud Latinos manauit. Ego nonnihil præterea ad animorum moderationem pertinens sub hoc huiusce fabulæ inuolucro contineri crediderim præter historicam explicationem quando vel ipsum Deorum regem creditum Iouem propter lasciuiam in animal turpe se mutauisse t a-

diderunt

diderunt ad posteros. Nam significare volebãt nullam esse turpitudinem, in q̃ libido & effrænata quædam Veneris titillatio nõ impellat, nisi quis prudẽtia & ratione moderationẽ adhibeat. vnde præclare dictũ est ab Euripide in Medea, ingens malum mortalib. esse amorẽ, vt est ĩ hoc versu:

*φεῦ, φεῦ βροτοῖς Ἔρωτες ὡς κακὸν μέγα!*

*Heu, heu, viris ingens vt est Amor malum!*

Sapientissime igitur in Pythagorista scripsit Aristophon amorem de cœlo in terras ad homines multo Diis imprudentiores esse detrusum, quoniam esset ibi autor multorũ malorum, & multarum calamitatum fundamentum, cum discordias & inimicitias inter Deos sereret, vt est in his:

*εἶτ' οὐ δικαίως ἐστ' ἀπεψηφισμένος*
*ὑπὸ τῶν θεῶν τῶν δώδεκ' εἰκότως Ἔρως:*
*ἐτάραττε κἀκείνους γὰρ ἐμβάλλων στάσεις,*
*ὅτ' ἦν μετ' αὐτῶν. ὡς δὲ λίαν ἦν θρασὺς*
*καὶ σοβαρὸς, ἀποκόψαντες αὐτοῦ τὰ πτερὰ*
*ἵνα μὴ πέτηται πρὸς τὸν οὐρανὸν πάλιν,*
*δεῦρ' αὐτὸν ἐφυγάδευσαν ὡς ἡμᾶς κάτω.*
*τὰς δὲ πτέρυγας ἃς εἶχε, τῇ Νίκῃ φορεῖν*
*ἔδοσαν περιφανὲς σκῦλον ἀπὸ τῶν πολεμίων.*
*Reiectus est numquid Deorum calculis*
*E cœtu Amor decem duorumq́; omnia*
*Turbabat ille: bella liteśq; intulit*
*Vbi esset vna, quod foret valde insolens.*
*Huic arroganti alas ciderunt Dei,*
*Volare rursus ne valeret ad polum;*
*Profugum deorsumq́; expulerunt ad viros?*
*Alas dedere, quas habebat, posset vt*
*Exuuias referre victor ex hostibus.*

Nam duo sunt periculosi maxime scopuli, in quos deuitãdum est ne humana vita illabatur, ira scilicet, & ingens rei alicuius amor ac desiderium, quando vterque horum affectuum potest quemuis, nisi moderatus existat, in apertissimam perniciem, tanquam in duos marinos scopulos Scyllam & Charybdim, impellere, atq; illidere. nam sicut tanta vis est irę, vt vel in res anima sensuq; carẽtes excitet, & ĩ ferrea artis instrumenta inflãmet, si opus artis parũ fœliciter ob imperitiã succedat, & ad cõtumelias lapidi vel ferro vel ligno dicendas, nihil iis ipsis rebus homines prudentiores:

sic amor facit, cum sit quoddam animi delirium, si immoderatus existat, vt neque nobilitatem maiorum, neq; maiestatem imperii tantilli faciant plerique, neque intelligatur his motibus agitatos cæteris omnibus derisum & contemptum iri. nam sic virtus, & illa animi diuinitas, quæ rerum omnium preciosissima est & Deo gratissima, contaminatur, & conculcatur, captiuaque ab amore, quo libuerit, trahitur. Facit enim amor vt turpia, deformia, tristia, damnosa, lætissima, vtilia, pulchra, honesta atque laudabilia videantur, quare non minus illi qui amat, quam ebrio & insano illud conuenit, quod est in Oreste Euripidis:

*μέν᾽ ὦ ταλαίπωρ᾽ ἀτρέμα σοῖς ἐν δεμνίοις.*
*ὁρᾷς γὰρ οὐδὲν ὧν δοκεῖς σάφ᾽ εἰδέναι.*
*Iace silens tuo miselle in lectulo:*
*Nihil vides vere, vt videris cernere.*

Inde fingitur Iupiter ipse in tantum animal lasciuum ac furibundum esse conuersus, cum vellent antiqui amoris insolentiam & obscœnitatem per hæc patefacere. nam omnia prope bella, deuastationes regnorum, euersiones ciuitatum, incendia prouinciarum descripta à poetis, omniaque hominum deliria, propter lasciuos amores, & immoderatam libidinem euenerunt. Præclare igitur ac sapienter suauissimus poeta Euripides in Hippolyto Coronifero ita scripsit, vbi quot mala in humanam vitam per mulieres irrumpant, considerasset:

*ὦ Ζεῦ, τί δὴ κίβδηλον ἀνθρώποις κακὸν*
*γυναῖκας εἰς φῶς ἡλίου κατῴκισας;*
*εἰ γὰρ βρότειον ἤθελες σπεῖραι γένος,*
*οὐκ ἐκ γυναικῶν χρῆν παρασχέσθαι τόδε.*
*ἀλλ᾽ ἀντιθέντας σοῖσιν ἐν ναοῖς βροτοὺς*
*ἢ χαλκὸν, ἢ σίδηρον, ἢ χρυσοῦ βάρος*
*παίδων πρίασθαι. σπέρμα τοῦ τιμήματος,*
*τῆς ἀξίας ἕκαστον. ἐν δὲ δώμασι*
*ναίειν ἐλευθέροισι θηλειῶν ἄτερ.*
*O Iupiter quid hoc mali: mortalibus*
*Cur protulisti fœminas olim viris;*
*Non id decebat fœminas producere:*
*Sed in tuis templis viros deponere*
*Ferrum, vel æs, puri vel auri pondera,*

Et

*Et filiorum sic referre semina*
*Pro precio mox singulos in ædibus*
*Mox liberos sic esse procul à fœminis.*

Et iucundus Meander in Tibicina siue ἀῤῥηφόρῳ:

ἂν γαμεῖς, ἐὰν νοῦν ἔχῃς, τοῦτον καταλιπὼν τὸν βίον.
γεγάμηκα γὰρ αὐτός· διὰ τοῦτό σοι παραινῶ μὴ γαμεῖν.
δεδογμένον τὸ πρᾶγμ᾽. ἀνεῤῥίφθη κύβος.
πέραινε. σωθείης δὲ νῦν ἀληθινὸν
εἰς πέλαγος αὐτὸν ἐμβαλεῖς γὰρ πραγμάτων,
οὐ Λιβυκὸν, οὐδ᾽ Αἰγαῖον, οὗ τῶν τριάκοντ᾽, οὐκ ἀπόλλυται
τρία πλοιάρια. γήμας δ᾽ οὐδ᾽ εἷς σέσωσθ᾽ ὅλως.

*Mentem si habes, nullam capesse coniugem*
*Vitam relinquens hanc. ego duxi prius,*
*Quare tibi suadebo ne ducas mihi*
*Decreta res, & iacta prorsus alea est.*
*Seruaberis, sic perge. te credis freto*
*Magno negociorum, at non illi Libyco*
*Ponto, vel Ægæo, perire vbi solent*
*E nauibus triginta, tres haud sæpius,*
*Est nemo sospes coniugem qui duxerint.*

Atqui si res altius consideretur, vereor ne omnis illa reprehensio fœminarum in ipsos viros redundet, quia nullũ malum committitur à solis fœminis: cum omnium malorum ac scelerum vel adiutores & socios, vel consultores viros habuerint. nihil est igitur quod sua dementia à viris in mulieres reiiciatur. nam fœminæ animalia imperfecta vt plerique appellant, non sunt à perfectis viris ad omnia flagitia adiuuandæ, aut etiam impellendæ: sed potius admonendæ, atque à conceptis in animo errorib. salubri consilio retrahendæ. habent fœminæ verecundiam quandã à natura insitam, magis quam viri & timorem & imbecillitatem ingenii ac corporis ad res perficiendas, quibus magis ab omni turpitudine deterrentur, & sane facilius est mulieres, quam viros intra honestatis terminos coercere, oportet infœliciũ mulierculatum misereri, quæ tot incommoda vere patiuntur, quot memorantur ab omnium prope poetarum suauissimo, vt mihi quidem videtur, Euripide his versibus:

πάντων δ᾽ ὅσ᾽ ἐστ᾽ ἔμψυχα, καὶ γνώμην ἔχει,
γυναῖκές ἐσμεν ἀθλιώτατον φυτόν.
ἃς πρῶτα μὲν δεῖ χρημάτων ὑπερβολῇ

πόσιν πρίασθαι, δεσπότην τε σώματος
λαβεῖν. κακοῦ γὰρ τοῦδ' ἔτ' ἄλγιον κακόν;
κἀν τῷδ' ἀγὼν μέγιστος ἢ κακὸν λαβεῖν,
ἢ χρηστόν· οὐ γὰρ εὐκλεεῖς ἀπαλλαγαὶ
γυναιξὶν οὐδ' οἷόν τ' ἀνήνασθαι πόσιν.
εἰς καινὰ δ' ἤθη καὶ νόμους ἀφιγμένην
δεῖ μάντιν εἶναι, μὴ μαθοῦσαν οἴκοθεν.
ὅτῳ μάλιστα χρήσεται ξυνευνέτῃ,
κἂν μὲν τάδ' ἡμῖν ἐκπονουμέναισιν εὖ
πόσις ξυνοικῇ, μὴ βίᾳ φέρων ζυγόν,
ζηλωτὸς αἰών· εἰ δὲ μή, θανεῖν χρεών
ἀνὴρ δ' ὅταν τοῖς ἔνδον ἄχθηται ξυνών,
ἔξω μολὼν ἔπαυσε καρδίας χόλον,
ἢ πρὸς φίλον τιν', ἢ πρὸς ἥλικα τραπείς.
ἡμῖν δ' ἀνάγκη πρὸς μίαν ψυχὴν βλέπειν.

*Nos fœminæ miserrima plantæ sumus*
*Viuentium, vel monte quæ pollent. prius*
*Nobis maritos est opus pecunia*
*Emisse grandi, perpetuiq; corporis*
*Heros. quid infelicius dici queat?*
*In hoc labor fit plurimus nobis, bonos*
*Nanciscier, quod à viro discedere*
*Sit turpe, nec spreuisse fœminæ licet.*
*Leges nouas petenti. & hinc domum nouam*
*Illi fit esse vatem opus, ni sciuerit*
*Domi marito conuenit quali vtier.*
*Quod si maritus gaudet illis moribus,*
*Feratq; lætus id iugum, dulcissimum est:*
*Sin, emori præstaret inde millies.*
*Ægre vir ipse cum tulit domestica,*
*Sedauit iram cordis exiens domo,*
*Petens amicum vel sodalem quempiam:*
*Nobis misellis cernere hunc vnum est opus.*

Aiunt præterea Cadmũ vbi è Phœnicia in Græciam traiecisset, primum detulisse quarundã literarum cognitionẽ, cum antea res philosophicæ per fabulosas narrationes tantum in manus ad posteros traderentur. Primus idem historiã soluta oratione scribere aggressus est, quod tamẽ quidã non Phœnici, sed Milesio Cadmo attribuerunt. Primus hic ærosum lapidẽ Cadmiam vocatum adinuenit, è quo æs co-

qui

qui ac fieri cõsueuit, fecitq; æs ipsum purius, cum ante eius tempora per imperitiã artificum æs multa inutilia cõmista soleret habere. Europa postmodo cõsecuta est à Ioue vt tertia pars orbis de suo nomine diceretur, quam ita sitã esse dicunt, vt per fretum columnarũ nauigantib. interius in dextra parte sit Africa ad Nili vsq; fluenta: in sinistra Europa ad Tanaim vsque & Mæotidis incolas & Borysthenes, cum vtræq; hæ partes Asia terminẽtur. Est quidẽ Europa tota habitabilis præter exiguã admodum partẽ Tanaidis & Mæotidis plagæ finitimam, quæ ob ingentem vim frigoris non commode habitari potest. Thasius postea Herculẽ Tyberiũ esse contendens, vbi ad Olympia venisset, ciuis sui statuam æneam decem cubitorum erigendam curauit super basi ærea, quæ statua læua arcum, dextra clauam tenebat. Atque tot de Europa dicta sint, nunc de Penelope disseramus.

## *De Penelope.* CAP. XXIV.

PEnelope fuit Icarij & Peribœæ Naidis filia, quæ prius Arnæa vocabatur, habuitque quinque fratres. vt inquit Silen⁹ Chius in fabulosis historiis, Caunum, Thalerũ, Nopsopem. Philemonem, Helorum. Fama est Icarium quo tẽpore gestaret in vtero Peribœa, fuisse ad oraculum propter quædam visa vbi in somniis, vt sciscitaretur quid vxor esset paritura, ac responsum tulisse huiusmodi:

*Αἶχ☉ ἴχει Περίβοια, κλέ☉ τ', ἐν γαστρὶ γυναικῶν.*

*Fœmineum Periboœa decus, Periboœa pudorem*

*Fert vtero.*

Illud cum audiuisset Icarius, neq; recte Dei dictũ percepisset, ratus aliquam insignem infamiam, in suam familiam ex illa quæ nasceretur redundaturam, continuo natam Arnæam in quadam pelui expositam in mare deiecit, fortunæque ipsius puellæ totum negocium commisit. Hanc puellã Arnæam nominarunt, quod eam nollent educare cum ἀρνεῖσθαι refutare & abnuere significet, cæterũ peluis vbi diutius miram quandam maris & ventorum tranquillitatem nacta fuisset, neq; recessisset ab eo loco, vbi primum deposita fuerat, nisi quantũ naturalis marinarũ aquarum refluxus illam sensim detulisset, dicuntur aues quædam ad eius puellæ vagitum aduolasse, quas Meleagridas vocãt, in quas cõuersas Meleagri sorores post diuturnas lacrymas ob impatientiã doloris fabulati sunt, vbi stipes illi coætaneus fuisset

in ignem coniectus. Has aues arculā ad littus appulisse memorant, cum parum distaret à littore, ac infantem per nonnullos dies educauisse. Illud miraculum ab incolis eius loci deprehensum ac Icario narratum ita misericordia puellæ eius animum cōmouit adhortante & impellente præcipue Peribœa, vt ad mare ipse profectus inuentam peluim cum auibus nutricib. domum detulerit. Illæ igitur aues cum penelopes per illud tempus à Græcis dicerentur, nam Penelope est gallinarum genus, quas nunc Indicas vocant, mox deposito priore Arnææ nomine filiam Penelopen vocauit, vt testatus est Herodotus in iis quæ scripsit de Perseo & Andromeda postmodo cum ad nubilē ætatem accessisset Penelope, tāta corporis pulchritudine, tantaq; morū elegantia fuisse dicitur, vt mirificos amores in animis iuuenū excitaret. multi igitur è principibus Græcarum ciuitatum illā in matrimonium petiuerūt. Sed cum oraculi adhuc memor Icarius eam nemini cuperet in matrimonio collocare, nisi præstantissimo viro, qui posset prudentia & virtute filiæ suæ desideriis moderari, quæ hactenus omnem honestatē illæsam & integerrimam seruasset, proposuit cursus certamen in via Aphetaide illa de causa vocata apud Lacedęmonios, non procul a Carnei Apollinis sacello. Nam cum ibi è carcerib proci emissi fuissent, Apheta via vocata fuit, quia ἀφιέναι sit dimittere. In iis ludis victorē declaratum fuisse Vlyssem memorat Pausan. in reb. Laconicis, quare illi præmium cursus (vt aiunt) promissum datę sunt Penelopes nuptiæ: quare Vlysses simulacrum Mineruæ dicauit, quā nominauit Celeutheā. Postea multis precibus ac pollicationibus fertur Icarius tentasse Vlyssis animum, vt mallet apud se Lacedæmone, q̃ in Ithaca habitare, ibiq; habere suerum domicilium. ea spes vbi ipsum Icarium fefellisset, neq; posset id Vlyssi vllis rationib. persuadere, sese conuertit ad expugnandum animum filiæ, eamque orare cepit, ne se in extrema senectute mortua iam Peribœa in assiduis lacrymis, diuturnoq; luctu solum domi desereret; quæ preces patris irritæ fuerunt apud filiam quoque. Aiunt tamen Vlyssem vel senis misericordia commotum importunitate optionem dedisse Penelopæ vtrum mallet eligendi, vellet ne esse Lacedæmone apud patrem, vel secum in Ithacam illo relicto concedere, at illa dicitur nihil neque patri Icario, neq;
Vlyssi

Vlyssi respondisse, sed in curru velata facie, in quo erat perstitisse Illud vbi percepisset Icarius, quod maritũ sequi mallet, quod dicere puderet, permisit vt cũ viro abiret in Ithacam. Postea cum Telemachum filiũ ex illa suscepisset Vlysses, protractus fuit ad bellum Troianum, vt dictum est in Vlysse. Illo autem tempore, quo abfuit Vlysses ex Ithaca, dicitur. Penelope integerrime seruasse pudicitiam per viginti annos, quæ, postquã omnes heroes è bello Troiano, euersa & succensa iam Troia, domum rediissent, (nam post decennii bellum Troianum, decennium errauit Vlysses) dicitur à multis principibus propinquarum ciuitatum rursus fuisse solicitata vt ad secundas nuptias transiret, quod iam mortuum esse Vlyssem arbitrarentur. Ad eam rem maxime illam impellebat sumptuum domesticorum magnitudo; quod ex ipsius Penelopes prouentibus viuebãt, semperque illius fiebat minor res domestica. hoc incommodum videbatur vna illa ratione deuitatura, si cuipiam illorum nupsisset. At Penelope spem illorum fallebat per dolum, quibus promiserat se statim atq; inceptam telam texuisset, nõ amplius Vlyssem expectaturam; sed vnum esse illorum capturam maritum. Illud autem faciebat, quia cognoscebat petulantiam & temeritatem superborum iuuenum, qui nisi ita spe delusi fuissent, vel vniuersas Penelopes facultates breui dissipassent, vel in illam violenti irruissent. Sed enim cum tantundem operis per noctem demoliretur, quantum per diem texuisset, ita illorum expectationem in aduentum vsq; Vlyssis deniq; protraxit, à quo domum reuerso omnes illi proci fuerunt artificiose trucidati. Inquiunt præterea non procul a Ladę stadio vocato in agro Orchomeniorum Penelopen filium Vlyssi, vbi reuersus fuit à bello Troiano, peperisse, quem propter operam patris egregie in illa expeditione nauatam, Ptoliporthum, hoc est vrbium populatorem, siue euersorem, nominauit. Fuit Mantinensium sermo præterea, vt ait Pausanias in rebus Arcadicis, Penelopen fuisse ab Vlysse illo crimine damnatam exactamq; domo, quod procos vltro allexisset & inuitasset, qua in Spartam prius se contulit, & nec à patre vt iam mortuo ibi accepta, nec ab affinibus, coacta fuit se inde recipere in Mantineam, vbi etiam illam decessisse, sepultamq; fuisse inquiũt non procul à Ladæ stadio, & à templo Dianæ. Hęc illa sunt

fere omnia, quæ de Penelope memorantur ab antiquis. Ferunt Icarium puellam idcirco proiecisse, quoniam credidisset oraculum significare aliquam insignem turpitudinem ait dedecus & infamiam mulierum illam futuram, quamuis longe diuersa esset oraculi sentētia, quod dicebat illum honestissimum pudorem & verecundiam muliebrem, quæ in honestissimis matronis requiritur, futuram in ea quę nasceretur, atq; gloriam futuram ingentem sexui muliebri. Alii tamen & honestissimam mulierē fuisse Dido contendūt, & infamem Penelopen, quæ cum omnibus procis concubuerit, ac Pana genuerit, sed pro studiis in se scriptorum fuisse vel bonas, vel malas creditas, sed tamen de Penelopes bonitate crebrior sententia inualuit, de qua ita scripsit Eubulus in Chrysilla:

*ὦ Ζεῦ πολυτίμητ', εἶτ' ἐγώ ποτε κακῶς*
*ἐρῶ γυναῖκας, νὴ Δί' ἀπολοίμην. ἄρα*
*πάντων ἄριστον κτημάτων. εἰ δ' ἐγένετο*
*κακὴ γυνὴ Μήδεια. Πηνελόπεια δὲ*
*μέγα πρᾶγμ'. ἐρεῖ τις ὡς Κλυταιμνήστρα κακή,*
*Ἄλκηστιν ἀντέθηκα χρηστήν.*

*O Iupiter prudens, ego dicam male*
*De fœminis? ô per Iouem perdar prius,*
*Est omnium res optima ipsa fœmina.*
*Medea praua est Penelopen statim feret*
*Bonum quid esse. mox Clytemnestra malá*
*Repugnat Alcestis.*

Neque mirum est statim natam Penelopen in eas calamitates incidisse, quādo nemo prope sapiens aut fortis est idem fortunatus, est enim semper atrocissimum certamen virtuti cum fortuna. vnde etiam Herculem & cæteros insignis virtutis heroas ab bonos viros antiqui calamitosos fuisse finxerunt. & profecto calamitates sunt donum Dei, maius fortasse omnibus commodis, & clarissima oportunitas ac facultas à Deo oblata ostentandæ, exercendæque fortitudinis. Inde Semiramis omnium mulierum clarissima, quas scimus ingenio & prudentia valuisse, eandem prope fortunam experta est, quam Penelope ab auibus educata & Danae cum filio in arcam ligneam inclusa atque in mare deiecta, mox à Deo seruata fuisse dicitur, cum reipsa nemo vir bonus à Deo in rebus arduis deseratur, qui ad ipsum mentē

since-

ſinceram cõuerterit. Fuerunt multi alii, quos longum eſſet recenſere, qui infantes feris proiecti reſponſa Deorum non fefellerunt, ſed contra ab ipſis feris educati, ac nõ ſolum liberati ſunt. Dicuntur propoſitæ nuptiæ Penelopes victoribus curſus pro priſca conſuetudine formoſiſſimarum mulierum, vel quod ita pro oraculorum reſponſis procos à nuptiis quarundam mulierum deterrerent per pericula victis imminentia, vt Atalantæ & Hippodamiæ, vel quod res egregias cenſerent non debere niſi virtuti & ſtrenuitati proponi, cum ignauiæ & ſocordiæ & deſidiæ ſolæ ærumnæ propoſitæ ſint: cum veriſſimum ſit illud Heſiodi dictum in operibus & diebus quod.

*αἰεὶ δ' ἀμβολιεργὸς ἀνὴρ ἄτῃσι παλαίει.*

*Ærumnis tardius ſemper luctatur iners{q́;}.*

Enimuero cum Vlyſſem prudentiam eſſe conſtet, iure illi in matrimonium dederunt Penelopen, quam pro continẽtia & pudicitia celebrarunt. Hæc tanta continentia fuiſſe dicitur, vt, cum Troia multis vndiq; accitis ex Aſia auxiliis obſidionẽ Græcorum decẽnium tulerit, Diis quoq; ipſis hinc inde rem iuuantibus, & tantundẽ ſpacium temporis Vlyſſes poſt bellum errarit, neq; precibus, neq; minis, neq; importunitate procorum potuerit expugnari, ſed multa arte fefellerit. Eſt enim difficilius animũ virtute & tẽperantia recte munitum ad aliquam turpitudinem impellere, quam Troiam expugnare, aut munitiſſimum oppidũ in deditionem compellere, cum nullæ machinæ ſint, quæ poſſint expugnare virtutem. Nõ enim credibile eſt virtutem Penelopes decantatam fuiſſe ab antiquis, niſi præclarum quoddã ad virtutem exemplar vitę Penelopes inſtitutum fuiſſet. Illa quæ tradita ſunt alibi de Penelope, ꝙ cum omnibus procis cõgreſſa Pana Deum pepererit, fabuloſa ſunt, plurimumq; à veritate diſſidentia, cum neq; multos habeant teſtes, neq; rationi conueniat vt è ſemine plurimorum mulier poſſit concipere, quia vterus vbi concepit primũ ita clauditur, nihil vt egredi vel ingredi poſſit. Per illa igitur quæ de continentia Penelopes dicta ſunt, cæteras mulieres antiqui hortabantur ad temperantiã, & continentiam, & honeſtatẽ, vt illæ ſam fidem ſeruarent maritis quã promiſiſſent, ne cederent libidinoſorum blanditis, ne cenſerent quidquam, eſſe præclarius quam aduerſus illecebras inuictus conſiſtere.

Quod autem texenda tela illam procos delusisse tradiderunt, significabant nihil esse periculosius ociosa vita, cum negociantes prauæ cogitationes, illecebręque voluptatum non tam facile capiant. est enim otium si nō parens, at certe alumnus omnis libidinis, omnisque insolentiæ. Atque tot de Penelope, nunc de Andromeda dicamus.

### *De Andromeda.* CAP. XXV.

ANdromedæ exemplum demonstrauit, quam calamitosum sit esse affinem contemnētium Dei obseruantiam, quam celeberrimam fecit vitæ periculum, in quod incidit non sua, sed matris temeritate fœminæ arrogantissimæ, quæ sese vel Deabus ipsis pulchritudine præstare ausa est profiteri. non enim modo periculosum est ac difficultatum plenum esse coniunctos affinitate cum illis qui Dei cultum & iustitiam paruifaciunt, verum etiam calamitosum plerumque Dei contemptoribus esse amicos. Dicitur Andromeda fuisse Cephei Æthiopum regis & Cassiopes filia, virgo sane egregia, & omnibus animi atque corporis dotibus ornatissima, ac digna quæ è melioribus parentibus nata esset: ferunt enim Cassiopen adeo forma corporis præstitisse, qua cæteras omnes mulieres anteiret, vt ausa sit vel ipsam Iunonem in contentionem & certamen de pulchritudine prouocare. Iuno tantum huiusce mulieris temeritatē ægre ferens, cum prius illi patefecisset omnem humanam præstantiam pulchritudinis eximiam esse turpitudinem, si cum rebus diuinis conferatur, dicitur rogasse Neptunum vt eius reginæ temeritatem reprimeret, suamque iniuriam vlcisceretur. at Silenus Chius in fabulosis historiis non cum Iunone illam contendisse inquit, sed cum Nymphis Nereidibus. Neptunus igitur illa mulieris arrogantia commotus dictus est in Cephei & Cassiopes regionem cete tantæ magnitudinis, tamque formidabile monstrum immisisse, vt omnes agros deuastaret, & ædificia funditus demoliretur, à qua peste neque ciuitates quidem erant satis munitæ, cum illas etiam vastitate corporis & ingēti mole opprimeret ac prosterneret. tanta calamitate perculsus animoque consternatus Cepheus oraculum consuluit, sciscitatusque est qua de causa id tantum malorum ac difficultatum eueniret, & quo pacto tanto periculo liberari posset. responsum post facta sacrificia de more consulētium tulit, non prius cessaturam

illam calamitatem, quam Cassiopes arrogantia excitasset, quam vnicam filiam quam habebat, Andromedam, illi monstro marino vorandam exposuisset, quod factum est ad Ioppen Cepheus illo responso accepto apud vrbem Æthiopiæ. Ioppen vocatam filiam Andromedam ferreis vinculis ligatam exposuit. accidit per illud tempus vt Perseus cum Medusæ capite illac iter faceret qui virginis innocentis misertus eam soluit, atque in eodem loco vna cum Andromeda cete expectauit, vt scripsit Aristides & Libanius, atque aduentantis monstri partem in saxum conuertit ostenso capite Gorgonis, partem ipse ferro obtruncauit. Perseus deinde sic liberatam Andromedam insigni virtute vxorem cepit, atque in Seriphum secum asportauit. Fuerunt etiam qui dixerint Perseum ex illa filiam Persen nominatam suscepisse, quam apud auum Cepheum reliquerit. Nā vbi Perseus sensit sibi insidias parari à Phineo Cephei fratre, qui arbitraretur se habiturum vxorem Andromedam si Perseum obtruncasset: Perseus fecit vt Phineus etiam viso Medusæ capite continuo in saxum verteretur: deinde Argos cum Andromeda & Danae matre profectus ibi ad extremum vsque vitæ suæ diem habitauit. Hæc sunt quæ de Andromeda memoriæ prodita sunt ab antiquis, nunc cur ita ficta fuerint, perquiramus.

¶ Si quis diligenter perpendat quæ scripta sunt à nobis in hac ipsa narratione de Andromeda, nihil aliud inueniet in illis contineri, nisi antiquorum adhortationem ad pietatem & ad animi moderationem amplexādam. Nam cum Dei præclara munera nesciret æquo animo ferre Cassiope, ausa est vel cum Deabus bonorum omnium autorib. contendere, & sese vel illis propter ea bona anteferre, quæ bona per illorum liberalitatem & magnificentiā acceperat. Sed tantam hominum dementiā vel arrogantiam non impune patitur Deus iustus iudex omnium scelerum, cui sordida sunt omnia mortalia vel clarissima, si careant bonitate & iustitia, audeantque cum diuinis conferri. Sic igitur vbi formam corporis Iuno Cassiopeæ eripuisset, immisit etiam illam calamitatem in regionem Ægyptiorum siue Æthiopum. Et quamuis pœna sceleratorū coniunctos aliquando vexet pro flagitiis, tamen non patitur Deus viros bonos perire, quos vexari sinit, cum semper sit innocentia

in periculis positæ defensor. Inde fabulati sunt Andromedam in summo capitis periculo positam propter maternam temeritatem tandem Deorum immortalium beneficio Perseum illuc diuertentium non solum fuisse liberatam, sed etiam ad maiorem fœlicitatem prouectam, cum calamitatem patienter tolerasset. Non potuit ager Æthiopum, populique subditi vitare monstri deuastationem, quo cæso ad pristinam fœlicitatem redierunt, quia cum peccauerint reges aduersus Dei cultum, non modo ipsi, sed etiam populi ac subditæ illis nationes eiusdem impietatis vel asseclæ vel fautores vna cum ipsis regibus diuinitus affligantur: cum etiam semper Deus iustissimas causas habeat animaduersionis propter infinita prope multorum peccata. nam nullum scelus relinquitur impunitum, quod ab ipso autore per pœnitentiam non punitum fuerit. Nam vel exteræ nationis impulsu Dei in iustos reges insurgunt, vel populi aduersus iniquos magistratus, vel alius magistratus in alium; cum Deo commercium sit cum sola iustitia, quæ sola etiam est anima ciuitatum, firmumque vinculum rerum publicarum ac regnorum omnium. Neque debet quisquam hanc tantam, tam admirabilem fabularum varietatem antiquarum frustra excogitatam fuisse ab antiquis existimare, vel in manus ad posteros transmissam, quoniam quæ insulse prodeunt, breuissimam vitam sortiuntur: at quæ sapienter prodita sunt, illa non facile vi temporis infringuntur aut debilitantur. inde effectum est vt fabulæ quæ ad corrigendos informandosque mores hominum sunt confictæ, ad hanc vsque ætatem nostram penetrarint sine controuersia, cum reliquæ philosophandi rationes propter ciuiles discordias, siue digladiantium inter se philosophantium contentiones sint explosæ, vel certe frequentes mutationes acceperint.

# NATALIS COMITIS MYTHOLOGIÆ,

## LIBER NONVS.

*Quam sapienter religionem, & sacerdotum honores, & inferorum locum introduxerint antiqui.*

SEd antequam ad reliqua procedamus cum multa ab antiquis ad vitam mortalium sapienter gubernandam fuerint excogitata; Illustrissime Ioannes Baptista Campeggi, me operæ preciũ facturum esse arbitror, si demonstrauero omnem antiquorum religionem ad metum Deorũ in animis hominũ imprimendum fuisse inuentam. Nam cum turba fœminarũ, imperitorumq; multitudo rationes philosophicas minime possent imbibere, neq; per eas ad religionem, & fidẽ, & sanctitatem facile inuitari, Deorum metu & timore opus fuit; quæ certe sine fabularum, rerumq; admirabilium figmẽtis in animis hominum imprimi non poterant. Hęc igitur causa, fuit cur fulmen Ioui & Ægidem attribuerint antiqui pro armis, & tridentẽ Neptuno, & sagittas Cupidini, & faces Erinnybus vltricibus scelerum, & Palladi dracones, & Diis cæteris arma diuersa cõcesserint. Sed quoniã q̃ excogitata fuerunt, rudia plane primum, & inutilia fortasse ad hoc efficiendum videbantur, neq; obstinatos illos homines esse oportebat, qui primã rudem religionem acciperent, postea recentiorũ Deorum multitudo introducta fuit: & cũ his recentiores leges, & non idẽ ritus sacrorum: quippe cũ antiquas leges à Diis recentib conculcatas fuisse dicat Æschylus in Eumenidibus. Fuerunt autẽ recentiores Dii crediti Iupiter inprimis, qui omnia priscorum Deorum iura & omnes leges antiquauit, tũ Hercules & Dionysus, & omnis illa infinita ꝓpe Deorũ turba, qui ab ipso Ioue postea manarũt. Post hos Deos etiã hominib. diuini honores sunt habiti post mortẽ, atq; illorum nonnullis vrbes

etiã dicatæ:sicut in Chersonneso Eleus Protesilao,Lebadia Bœotiæ Trophonio, templũ Amphiarao in Oropia. Atq; vt hominũ inuenta sibi grata esse Dii certissimis argumentis illi confirmarẽt, multa miracula è reb. sibi sacratis contingere voluerunt, ꝙ statua Liberi patris visa ab hominib. profanis illos in insaniam verteret. quod si quis neglecta religione in lucum Eumenidum apud Athenienses ingressus esset, furore agebatur. in aream Iouis Lycæi impuris ingressis omnino intra annum mori necesse fuit. cui rei & illud accessit miraculũ, quod si vel homines vel beluæ illuc intrarent,nullam reddebant corporis vmbrã:quod quauis & diei & anni parte fiebat.His de causis magna accessit autoritas auspiciis,auguriis, vaticiniis, & omnib. diuinationibus,quæ ad religionem spectabant:qualẽ fuit illud quod fiebat apud Achiuos ante Cereris templum:nam speculum fuit pertenui funiculo suspensum,& ad aquã fontis ibi existentis demissum : in quo ægri peractis prius sacrificiis de more eius loci , vbi certã sanitatem vel certissimam mortẽ ex offerentibus sese in speculo imaginibus intuebantur. id vero non nisi ad comprobandã illam religionẽ ab impuris dæmonibus efficiebatur. atque infinita prope miracula variis in locis cõtigisse antiquæ & nuper nascentis religionis tempore memorantur. Ita vero effectũ est, vt magna reuerẽtia & sacrificiis,ac religioni Deorum,& sacerdotib. ipsis accesserit:cum sacerdotes è nobilissimis tantũ familiis eligerentur & omnib. publicis cõsiliis interessent apud Græcos:nam tanquam Diis præsentibus, quibus nihil ignotũ existimare debemus: ita præsentibus sacerdotibus, Mantibus sc. apud Athenienses, at Auguribus regi apud Lacedæmonios assidentibus, omnia publica proponebantur consilia. Neq; ante vel publica vel priuata negocia magni põderis vlla post consultationẽ aggrediebantur, q̃ oraculum Delphicum, aut Ammonium, aut Dodonæum, aut aliquo pacto Deorũ ipsorum voluntatẽ consuluissent. Sic sequentibus postea temporib. fuit in more positum, deinde legib. etiam confirmatũ , vt senatus legitime non nisi in templis Deorũ, aut in locis sacris posset haberi:tanquã omnium q̃ agerẽtur, ac dicerentur, & cõscientiæ æquitatisq; suę testes Deos ipsos facerent. Postea vero sapientissimi legũ ciuiliũ latores singuli varios Deos suarũ legũ autores introduxerunt,

runt, cum lex omnis leuis sit & inanis habita, quę Deorum immortaliū consensum nō haberet. Inde cœpit prisca antiquorū theologia studia, mentesq; hominū ad se allicere, quam totam tamen in corporum naturalium cōsideratione Zeno & Cleanthes & Chrysippus philosophi consistere crediderūt. At non penitus à reb. diuinis, quamuis certa & legitima via eo non accedebatur, erat remota cōtemplatio antiquorum, neq; inutilis plane erat illa inuestigatio. Nō n. animorum solum ingeniorumq; nostrorum quasi naturale quoddā pabulum inuenimus considerationem Deorum, rerumq; diuinarum cognitionē, dum naturā Dei perscrutamur, sed etiā erigimur quodammodo, elatiores fieri nobis videmur, supera & cælestia cogitātes, humana, vt exigua & minima & futilia paru facimus; virique boni efficimur. Nam contemptis reb. humanis, affectibusq; animorum & cupiditatibus cōculcatis, quid reliquum esse potest in nobis improbitatis? aut quis patet his motibus inter rerum diuinarū inuestigationē locus? Neq; vero corpora solum naturalia pro Diis culta fuerunt ab antiquis, vt Luna, Sol, terra, ignis, aqua, venti, qui omnes ꝓ Diis diuinos honores obtinuerūt, vt & Herodotus in Clio, & Plato in Cratylo testantur, & nos superius demonstrauimus: sed etiā vt certa moderatione animorum nostrorum motus tēperarentur, nihilq; crederetur sine Deo auspice & moderatore fieri, singuli prope animorū motus pro Diis quoq; diuinis honoribus culti sunt. nam & ara Misericordiæ fuit apud Athenienses: apud quos illi numini, quia magna momenta in tota hominū vita, casuumq; varietate habeat, præcipuus quidā honos habeatur. tum Pudoris, & Famæ, & Alacritatis aræ, & bonæ Valetudinis erectæ sunt: & Somnia, Pertinacia, Gratiæ, Fraus, Miseriæ, Querela, Amor, Dolus, Metus, Labor, Inuidētia, Fatū, Senect⁹, Mors, Tenebrę ꝓ Diis habitæ: Necessitatē præterea magnam Deā vocauit Callimachus in hymnis, & Fortuna reb. omnib. dominare credita, & Spem ac Timorem graues Deos ita vocauit Theog.

Ἐλπὶς καὶ κίνδυνος ἐν ἀνθρώποισιν ὅμοιοι·
οὗτοι γὰρ χαλεποὶ δαίμονες ἀμφότεροι.

*Spesq; Timorq; pares mortales inter, & iidem*
*Infestant animos, numen vtrumq; graue.*

Nam cum superiores motus animorū diuinos esse signifi-

carent, & Mentis, Fidei, Pietatis, Virtutis fana fuerint erecta, nonne hoc palam indicarunt, Deos omnia prospicere; & viros bonos quam maxime ad integritatem ac beneficentiam oportere animos suos accommodare? Atqui cum mundum totum Deum esse dicerent, nihil omnino putabant diuina præsentia Deorum carere posse, cum multitudo rerum omnium quæ agerentur & dicerentur & cogitarentur, Deos ipsos testes esset habitura: quare nemini scelerato esse impune licuit. Neque vllus fuit ex hac tanta Deorum multitudine, cui mortalium sapientia, probitas, iustitia, integritas, fides, temperantia non esset grata. Quare præclare traditum est à sapientibus duas esse vias animarum à corporibus excedentium. Qui enim se humanis vitiis contaminassent, seque totos libidinibus addixissent, quibus cæci se domesticis turpitudinibus ac flagitiis inquinassent; vel qui fraudes inexpiabiles in administrandis rebus patriæ suæ concepissent: iis deuium quoddam iter fuisse seclusum à Deorum concilio tradiderunt, atque hi nunquam ad Deos ipsos postea peruenire poterant. Qui vero multa quidem, at expiabilia peccata commisissent, sordibusque humanę fęcis fuissent inquinati; illis post certum temporis spacium ad Deorum concilium accedere licebat, vbi omnes illas sordes abluissent: cum nihil nisi purum & simplex ad Deos peruenire posset. Qui vero se integros castosque seruassent per totam vitam, quibusq; fuisset quam minima cum corporibus contagio, & qui in his corporibus Deorum vitam fuissent pro viribus imitati; his facilem patere reditum ad Deos, vnde discesserant, tradiderunt antiqui. Quare cum sceleribus ingentia supplicia, virtuti magna præmia proponerentur, cumque omnium negociorum cogitationumque suarum Deos testes habere singulos dicerent antiqui, poterant homines vel nolentes ad probitatem impelli pauidi & ob Deorum præsentiam demissi. At nunc de Vlysse iam dicamus.

## *De Vlysse.* CAP. I.

VLysses, de quo tam multa, tamque mirabilia scribuntur à poetis, & ab omnium poetarum principe. Homero præcipue, natus est in Bœotia, vt sensit Lycophron; vt vero alii, in Ithaca, parentibus Laerte & Anticlea, de qua ita meminit Homerus lib. λ. Odyss.

*ἦλθε δ' ἐπὶ ψυχὴ μητρὸς κατατεθνηυίης,*
*Αὐτολύκου θυγάτηρ μεγαλήτορος Ἀντίκλεια,*
*τὴν ζωὴν κατέλειπον ἰὼν εἰς Ἴλιον ἱρήν.*
*Atq; ad ima accessit defunctæ matris eodem,*
*Nata magnanimo Autolyco clara Anticlea:*
*Quam viuam liqui, petii cum Pergama sacra.*

Silenius autē Chius scriptū reliquit lib. 2. fabulosarum historiarum, Vlyssem vocatum fuisse, quoniam natus sit quo tēpore Anticlea prægnans iter faceret, ad Neritumq; Ithacæ montem contenderet propter difficultatem itineris. nā cū magnus imber decidisset, illa in via lapsa cecidit ac peperit. Alii tamen ab ira populorum aduersus Autolicū nominatum fuisse Vlyssem maluerunt. Hic vbi nauigandum esset ad bellum Troianum cum cæteris heroibus, se insanum esse simulauit ob eximium amorem, quo vxorem Penelopen Icari filiam, vt aiunt, prosequebatur. Iunctis itaq; duob. inter se longe diuersis animalibus littus aratro proscindere cœpit, salemque pro seminibus spargere. At Palamedes eius astutia cognita cum aperire & retegere illius consiliū niteretur, Telemachū Vlyssis filiū infantem, quē vnicū Vlysses habebat, ante aratrū in sulco deposuit. Vlysses facinus conspicatus, ne filium lęderet, aratrum subleuauit, ac retinuit animalia. cognitum fuit eo pacto simulatā fuisse ab Vlysse illā insaniam, at non vere esse mente captū. quare ad bellum Troianū cum cæteris heroibus classe necessario deuectus egregiā operam Græcis in eo bello nauauit. Primum.n. fuit autor vt Achilles inter filias Lycomedis virginali habitu indutus atq; ita latens ad bellum protraheretur. Nam fama est Vlyssem cum audiuisset per exploratorē quendam Asium nomine, Achillē ibi latere, sumpto mercatoris habitu externi multa venalia attulisse ad Lycomedis filias maiori ex parte muliebria instrumenta. inter cæteras merces, quas Vlysses exposuit, erant pugiones & gladii quidā perornati. his allectus Achilles relictis muliebrib. instrumētis ad hæc contēplanda & pertractāda se cōtulit, qua ratione differre à muliebrib. ingeniis ac vir esse imberbis inter mulieres cognitus est ab Vlysse, q̃uis se fœminā esse per muliebres vestes mentitus esset. deinde sagittas Philoctetæ, quas ille ab Hercule acceperat. & de Pelopis ossibus vnū ad Troianum bellum afferri oportere docuit,

ſine quibus Troia capi minime poterat, monuerat oraculum. Cineres Laomedontis clã è Scæa porta rapuit Palladiũ cæſis arcis cuſtodib. ſuſtulit. Explorator cum Diomede miſſus Rheſo Thraciæ rege cæſo abduxit equos, antequam Xanthi aquã bibiſſent. Hæc autẽ omnia niſi fierent, Troia omnino erat inexpugnabilis. Poſt mortẽ Achillis de armis eius cum Aiace contendit, atq; Vlyſſes contra fortitudinẽ Aiacis multa vi eloquentiæ demonſtrauit ciuitates ſapiẽtia potius hoſtium, q̃ vi armorum, & firmitate corporis euerti debellariq; poſſe. quare finxerunt robuſtiſſimum, Aiacem facile inſaniuiſſe, quia pleraque quamuis robuſta corpora tamen nõ multum valent ingenio, vel potius parum diſtãt ab inſania Aiax igitur huius eloquentia & rerum gloria ſapienter geſtarũ victus circa diluculum ſeipſum confodit, vt ait is q res Cyprias conſcripſit. atq; cum paruus eſſet Vlyſſes, magnus tamen erat Aiax; ſed in proceris magniſq; corporib tenuis eſt plerumq; ſapientia, vt quorũ virtus latius ſit diffuſa, in paruis nimia ſæpe calliditas: quare mediocritas magis eſt laudabilis. de his igitur iure poteſt dici, quod

*Maior in exiguo regnabat corpore virtus:*
*Non eſt in tanto corpore mica ſalis.*

Multa ſunt denique & alia ab eodem Heroe in illo bello, q̃ callide excogitata fuiſſe commemorantur, q̃ nunc omittenda duxi. atq; illa tantum percutram, q̃ non ad ſubiugãdam aliq̃ Aſiæ partem, quod quidem non valde glorioſum eſt cuiq̃, præſertim ſi id fiat per multas plurimorum manus neq; ad occupandum attinent imperium Troianorum, ſed ad ſeipſum, ꝙ multo præclarius eſt, vincendum, & ad componendos animi motus, & ad mentem ſuam rationi, prudentiæq; legibus ſubiiciẽdam, fuerunt ab antiquis memoriæ prodita. Capta igitur Troia cum in patriam nauigaret Vlyſſes, ad littus Ciconum, qui fuerunt aſperrimi Thraciæ populi, tempeſtate delatus, ibiq; Iſmarum, quam ciuitatem Maroneam poſtea vocarunt, populatus, erat inde abnauigaturus, atque non conſulentibus amicis die poſtea irruẽtibus Ciconibus cum duodecim nauibus, quas habebat, multis è ſuis in prælio aduerſus irruentes Ciconas deſideratis ſoluere tandẽ ab illo littore coactus eſt. Atq; cum magno negocio poſtea terram attigiſſet, ibi biduum cõmoratur, tertiaq; die nauigatione proſpera vſus patriã fere attigerat.

gerat. Sed à Maleo promõtorio depulsus decimo die rursus in Aphricam magna tempestate delatus ad Lotophagorum regionem appulit: Ibi cum socii eius locorum fructus gustassent, patriæ obliti ad naues minime reuerterunt. Inde vero fertur delatus fuisse in Siciliam, vbi Polyphemi antrũ cum duodecim sociis intrauit. quem Polyphemum postea liberioribus poculis inuitatum, cum in profundum somnum deflexum videret. qui iam sex socios Vlyssis deuorasset, obcæcauit: & vnicum oculum, quem is habebat, accẽso titione exussit. tum pellibus ouium indutus cum superstitibus sex sociis ex antro inter oues mirifice clam elapsus est. è Sicilia deinde ad insulam Æoliam delatus ventos in vtrem inclusos, præter Zephyrum, omnes accepit ab Æolo: nam is Sicilia & ab Æolis insulis in Ithacam nauigantibus magnopere est vtilis. At cum sociorum auaritia, qui thesaurum in vtrem inclusum credebant, reclusisset vtrem, reflantibus ventis acerbissime ad Æoliam insulam denuo repellitur. Hic rursus cum frustra Æoli munus id repeteret, repulsam passus, cum acerbissimis contumeliis tanquam Diis inuisus ex insula sic ab Æolo repellitur:

ἔρρ' ἐκ νήσου θᾶσσον ἐλέγχιστε ζωόντων.
ἔρρ' ἐπεὶ ἀθανάτοισιν ἀπεχθόμενος τόδ' ἱκάνεις.
*Ocyus esto procul viuentum pessime: cede,*
*Cede procul, superis inuisus fluctibus erras.*

Tum vero ad Læstrygonas immanissimos Campaniæ populos Neptuni filios creditos accedit. Atq; cum Læstrygones humanis carnibus vescerentur, nonnullis è suis amissis, mox ad Æœam insulam cursum tenuit, quo in loco Circe venefica mulier, quæque plurimum magicis artibus posset, Solis filia credita, habitabat. Hæc etiam nonnullos è sociis Vlyssis exploratum quinam insulam incolerent missos, in beluas conuertit. At hãc Vlysses intrepidus accessit sumpto pharmaco, quod sibi Mercurius aduersus veneficia dederat: quam stricto gladio socios primæ formæ coegit restituere. cum hac postea annum versatus filium suscepit Telegonũ & Ardeam filiam, quæ postea in Italiam delata vrbi Ardeæ nomen dedit, sicuti ex Ausone suscepto è Calypso vocata fuit Ausonia. Mox ad inferos descendit, vt, è vate Tiresia q̃ sibi agenda forent. perdisceret vnde reuersus columnam Plutoni ac Proserpinæ consecrauit. mox ad insulã Sirenum

delatus aures sociorũ cera illitas obturauit, seq; ad malum nauis alligari iussit, ne suauitate cantus victus periretur, Deinde Scyllã & Charybdim pertrãsiens nõ sine aliqua sociorũ iactura in Siciliã rursus peruenit, vbi Solis filię paternos greges custodiebãt. Hic monuit socios ne Solis greges lęderent, sed ipso dormiente fama coacti (Iamdiu n. permagna annonæ penuriã plurimum passi fuerant nauigantes) plura animalia è gregibus ceciderunt: ꝙ scelus tantum oẽs naufragiũ passi morte postea luerunt. At Vlysses expers eius sceleris arrepto malo nauis nouẽ dies in mari fuit ab vndis & ventis agitatus: ac tandẽ ad Ogygiam insulã delatus, & à Calypsone nympha in hospitiũ acceptus, septem annos cũ illa versatus est, atq; ex eius congressu filios ẽt suscepit. Inde cum rate denuq; vectus fuisset ita Diis iubentibus, cum non procul abesset à Phæacia, ratis etiã frangitur. quoniam Neptunus propter casum Polyphemi filii grauissimã tempestatem illi immisit Huius miserta Leucothoe tabulã subiecit, cui innixus Vlysses in portũ Phæacũ adnatauit, nudusq; inter frondes arborũ ibi se occultauit. Cũ vero vestes postmodo à Nausicaa filia Alcinoi accepisset, Palladis opera ad Areten Alcinoi coniugẽ perductus est, à qua nauib. & sociis dono acceptis in Ithacã cũ munerib. dormiẽtes exponitur. Hic à Pallade excitatus sumpto mendici habitu, vti Pallas mouerant, ad suos rediit domumq; suã lasciuis ac sceleratis procis expurgauit. Post reditũ Vlyssis à Troia longe diuersus fuit sermo mortaliũ, siquidẽ alii Penelopen illi filiũ peperisse inquiũt. qui deuicta Troia Ptoliporthus fuit appellatus ad memoriã paternæ virtutis, cum illud nomẽ populatorẽ vrbis significet. Alii dixerunt ab Vlysse fuisse illo crimine damnatã, ꝙ procos vltra inuitasset, ac domo eiectam prius Spartã, deinde Mantineam illã adiisse, vbi vitam cõcluserit. Hæc autem omnia ita sunt à poetis decantata, vt vel solum Homeri poema nobis possit esse testimonio ita se habere, quæ hactenus de Vlysse dicta sunt. Pindarus tamẽ in Nemeis multo plura decantata fuisse scribit de Vlysse, q̃ reipsa gesta fuerint, cum poetam beneuolum & amicum sit nactus. At alii aiũt Vlyssem fuisse à Telemacho occisum, quem susceperat è Circe, qui etiã veritus à custodiis ad patrem accedere, quosdam è custodib. trucidauit, & mox patrem ipsum incognitũ lancea transfixit, cui alligauerat in

summa

ſumma parte os turturis marinæ, cui frequentibus ſomniis & auguriis fuerat prędictum fore vt à folio ſibi caueret, velut ait Dictys Cretenſis in lib.7. belli Troiani.

§ At nunc cur hæc ita fuerint ficta, perquiramus Atq; illud eſto primum, ꝙ ſi quis diligentius conſideret illa q̃ memoriæ prodita ſunt de Vlyſſe, is intelliget vniuerſam hominum vitã in his Fabulis expreſſam fuiſſe, & præclara ſub his præcepta contineri, q̃ ſpectẽt plurimum ad animos noſtros in omnes fortunæ euentus ad ſapientiam informandos. Quis eſt enim Vlyſſes? an non ſapientia, quæ inuicta per omnia pericula intrepide pertranſit? aut qui ſunt Vlyſſis ſocii? nõne animorum noſtrorum motus? Cur igitur multos è ſuis ſociis in præliis aduerſus Ciconas ad radices Iſmari montes amiſit? cur multi fuerunt a Læſtrygonibus abſumpti? cur nonnulli à Cyclope vorati? cur alii à Scylla & Charybdi grauiſſimis mõſtris abſorpti? Quoniam multi vel ira vel dolorib. vincuntur, vel rebus aduerſis ita infringuntur, atq; conſternantur, animoq; deficiunt, vt ad piorũ locum, tanquam in patriam, peruenire non poſſint Nam cum pars animæ noſtræ altera rationi pareat, altera ad illam ſurda ſit omnino merito illos ſocios Vlyſſi iniunxerunt. Alii contra nõ cedunt quidem difficultatibus, aduerſus quarum molẽ inuicti pſiſtunt, ſed inter Phæacum delicias, aut inter fructuum Lotophagorum ſuauitatem, aut per iucundiſſima Circes pocula, aut cantus Sirenum, ꝓpriam ſalutem neglexerunt. Quare non pauciores inter delicias aut voluptates, quam inter grauiſſima pericula ſocios Vlyſſes deſiderauit. Quanta ſit autem vis voluptatum, quamq; pernicioſa mortalibus, declarauit exemplũ Polyphemi quippe cum vel tãta moles Cyclopis fuerit per vini ſuauitatem oppreſſa. Cum demonſtrarent rurſus poetæ diuinam bonitatem omnibus patere eius auxilium implorantibus, dixerunt illum ventos in vtrem incluſos ab Æolo accepiſſe, quæ tamen neglecta ſemel, poſtea non foret ita facilis & omnib. obuia, illum ad Æolum reuerſum repulſam paſſum fuiſſe inquiunt. Deinde oſtendunt auaritiã ſociorum Vlyſſis, qui vtrem recluſerunt, multorũ & laborum & calamitatum fuiſſe originem. Ibidẽ quam neceſſario ſit Imperatoris vigilantia oſtenditur, cum neq; tantillum quidem ab adminiſtratione rerum ad communem omnium ſalutem pertinentium recedere liceat.

Quamuis plerisq; non ad publicã, sed ad propriam vtilitatem, res publicas gubernare nunc mos est: qui neglecto humanitatis & æquitatis iure illud tantum quod sibi cõferat, legitimum esse arbitrantur. Deinde significatum super hæc viro bono necessariam esse omnino prudentiã, & rerum futurarum quasi diuinationem quandam, & præcognitionẽ cum sciscitatum de rebus futuris vel inferos adierit. At vero non sufficere vires humanas ad superanda pericula, vel titillationes voluptatum, ad quas obstupescit humanum ingeniũ, facile monere potest Mercurii munus, quod datum est Vlyssi aduersus omnia veneficia. Cur inter suauissimos Sirenum cantus vel aures obturari, vel ad malũ alligari cõuenit? quia aduersus illegitimarum voluptatum illecebras vel surdos esse, vel rationi firmissime alligatum obtemperare omnino opus est. Cur socii naui igne fulminis cœlestis conflagrante vbi Solis greges mactauissent, eo Deo neglecto in mari perierunt, ac solus Vlysses euasit? quia nemo impune deniq; religionem paruifacit, cum innocentes semper Deus protegat & adiuuet. Hic idẽ modo nudus & ad littus eiectus inter frõdes latuit, modo auri & argẽti diues multis acceptis sociis & munerib in patriam dormiens exponitur ob fortunæ vicissitudines, quas virũ sapiẽtem æquo animo perferre opus est. Hic idem sumpto mendici habitu consilio Palladis post omnes procos cæsos tranquillus in patria fuit, quoniã viri boni, & mali eundem habẽt ortum, & exitum vitæ: omnes enim medici & nudi nascuntur ac moriũtur. In illo igitur habitu speratis denique & extinctis libidinis voluptatumq; omnium stimulis, qui proci sunt animæ nostræ, in patria, in piorum locis, in Deorum cõcilio fœlicissime viuimus. Quare si quis vel illa monstra, quæ dicitur Vlysses experta, alicubi extitisse credat, vel extitissent dispersa, ad illa omnia Vlyssem fuisse delatum; is nimium rerum antiquarum scriptorib. pro quadã simplicitate credit, & à veritate omnino valde delirat. Sin hęc omnia ad mores, vitamque mortalium recte instituendam excogitata putet, mecũ plane sentit: cũ omnia hæc ad omnes fortunæ euentus sapienter ferẽdos non mediocriter pertineant. Dicta est Minerua Vlyssi omnem deformitatem abstulisse, vt ait Plutarchus in Synopsi, quia sapientia omnia corporis vitia deleat. Atque de Vlysse ita breuiter, nunc de Oreste dicatur.

De

## De Oreste. CAP. II.

ORestes autem fuit Clytæmnestræ & eius Agamemnonis filius, qui summus Imperator fuit Græcorum, vbi Græci ad Troiam militarent, quem alii dicunt in conuiuio cum domum post id bellum rediisset, alii in balneo vna cum nonnullis viris illustribus, per insidias, Ægisthi fuisse cæsum. Ferunt Orestem paruulum domi cum matre relictum fuisse, quo tẽpore Agamemnon ad bellum Troianum nauigauit, vbi cãtorem, custodem & admonitorem Clytæmnestræ reliquit. At Ægisthus Clytæmnestræ desiderio captus cãtore clam per insidias in insula deserta obtruncato, illa denique potitus est. Hic idem Ægisthus Agamemnone patre Orestis cęso filium quoq; erat occisurus, nisi is ab Electra sorore admonitus insidias sibi parari ab Ægistho, fuga sibi salutem cõparasset. Alii dicunt Arsinoen nutricem cęso patre rapuisse Orestem, eumq; seruasse cum esset trium annorum, vt inquit Herodotus in Pelopeia. Pherecydes sensit Orestẽ à Laodamia nutrice subtractum, fuisse furori crudelitatiq; Ægisthi, sed filium Laodamiæ pro Oreste fuisse ab illo trucidatum. Profugit igitur Orestes ad Stropiũ principem Phocensium, qui sororem Agamemnonis in matrimonium, vbi ad duodecim annos cõmoratus, cum iam ob robustiorem ætatem peruenisset & paternæ cædis memor, & acceptæ ab Ægistho iniuriæ non oblitus, tanquam nuncius mortis Orestis ad Clytęmnestram matrem admittitur: atq; Electra conscia, quæ data fuerat in matrimonium cuidam agricolę, ne possent qui ex illa nascerentur ad regnum aspirare, matrem & Ægisthum eodem ferro obtruncauit in paternæ cædis vltionem. Atq; hoc factum fuit in quodam sacello Palladis, ꝙ fuit extra vrbem, cum adulteri pro morte Orestis Diis gratias agerent, vt magno periculo liberati, qua de causa Ioui liberatori sacrificabant. Nam cum sororis marito, eiusque coniunctis armatis templi aditum Orestes occlusit, ipseq; ingressus cum paucis sua manu ambos confodit & trucidauit. Id autem factum est ab Oreste non sine oraculi iussu, vt ait Eurip. in Oreste his carminibus:

φοίβου δ' ἀδικίαν μὲν τί δεῖ κατηγορεῖν;
πείθει δ' Ὀρέστην μητέρ', ἥ σφ' ἐγείνατο,
κτεῖναι, πρὸς οὐχ ἅπασιν εὔκλειαν φέρον.

*Quid est opus narrare Phœbi iniurias?*

*Matrem hic Oresti suadet illum quæ edidit*
*Mactare magnam quo refert infamiam.*

Fuerunt tamen qui dixerint Orestem non fuisse per id tempus apud Strophium, sed dum exularet à patria è regno paterno eiectus, Argis primum potitũ fuisse, deinde cum magna Arcadum manu, Phocensium auxiliis fretum Spartæ regnum occupasse, cui Lacedæmonii haudquaquam inuiti paruerunt, q Tyndari nepotẽ multo digniorẽ putarunt, cui parerent, quam Nicostratum aut Megapenthem quos Menelaus è quadam serua susceperat. His addiderunt Hermionen Menelai filiam nupsisse Oresti, de qua natus est filius Sisamenus, q patri Oresthi in regnum successit, vt ait Paus. in Corinthiacis. Narrant Oresti post illam cædem diem dictam fuisse apud Areopagitas, vt sensit Nymphodorus, ab Erinnyb⁹ vltricib. scelerum: vt vero Dionysiocles, à Tyndaro patre Clytæmnestrę: vt vero Amorgius Simonides, ab Erigione Ægisthi & Clytæmnestræ filia: in quo iudicio cum par esset vtrinque suffragiorum numerus inuentus, absolutus fuit. Eo iudicio absolutus Orestes Areæ Mineruæ ará erexit, quam ita cognomento appellauit, quia ἀρᾶσθαι sit precari, quod preces eius audierit. Nam eo insectantib. Erinnybus è patria ad id iudicium cõpulsus fuerat, quo tempore Demophon Athenis regnabat. cum enim nescio quo animi stimulo ob cõscientiam cõmissi facinoris vexaretur, è patria ad Messeniam primum profugit, qui locus distabat fere septẽ stadiis à Megalopoli, ad quam ad vrbẽ vbi peruenisset, mox Orestia fuit appellata, vti scripsit Acesodorus li. 2. de vrbibus. Alii dicunt Oresten Thraciæ vrbem ab ipso Oreste conditam & appellatam fuisse, quæ postea vocata fuit Adrianopolis: atq; ibi primum furiis correptus fuit, vt ait in Arcadicis Pausanias. Alii dicunt Orestem sibi manus alterius digitum hic abrosisse impatientẽ furoris, vbi nigræ Furiæ sibi obuiæ primum fuerunt, quæ adeso digito mox sibi albæ visæ sunt, quare ad se ipsum rediit. Quidam apud Trœzenios diu mansisse tabernaculũ vocatum Orestis tradiderunt quod erat insigne ædificium apud illos, in quo loco cum parua esset cella ante id tempus, illum consistere Trœzenii iusserunt antequam materni sanguinis maculas expiationibus elueret: quo etiam in loco dum rite expiaretur, solebant cũ illo epulari, qui præerant illis illustrationibus,

bus. Mansit postea consuetudo apud Trœzenios vt posteri illorum præfectorũ in eodem loco statis dieb. cœnitarent: eius autem expiationibus & laurum adhibitam fuisse, & alia lustrationum genera, & aquã ex Hippocrene fonte, scripsit Melanthes in libro primo sacrificiorum. Habuerunt enim ipsi quoq; Trœzenios Hippocrenen fontem, de quo longe alius est sermo, atq; de Hippocrene fonte Bœotorum. Hic in Macedoniam profectus oppidum condidit, quod vocatum fuit Argos Oresticum, & vniuersa regio Orestias, vt testatus est Strabo libro septimo. Narrant Orestem Athenas per id tempus venisse, quo Lenæa Liberi patris sacrificia celebrabãtur, quæ scripsit Apollodorus Anthesteria fuisse antiquitus appellata, quasi florialia dixerim. Cum igitur inter sacrificia non admitteretur, vtpote cæde matris pollutus, dicitur Pandion hoc excogitasse: cum choam vini, (est autẽ illud mensuræ nomen apud Athenienses) dari singulis cõuiuiis iussisset, imperauit singulis vt suum biberent neque alii de suo cuipiam infunderent, ne ex eodem cratere biberet Orestes, è quo initiari essent, neq; ex eorum vino: neque rursus grauiter ferret, quod ipse solus seorsum ab aliis biberet. Atque inde Choum solennitas manasse eo ritu credita est. Neque vero istud ipsum sine oraculi monitu factum fuit, quod scripsit Eurip. in Iphigenia in Tauris:

——— πρῶτα μὲν οὐδεὶς ξένων
ἑκὼν ἐδέξαθ'. ὡς θεοῖς συγούμενον.
οἳ δ' ἔχον αἰδῶ, ξένια μονοτράπεζά μοι
παρέσχον οἴκων, ὄντες ἐν ταυτῷ στέγῃ.
σιγῇ δ' ἐτεκτήναντ' ἀπόφθεγκτόν μ'; ὅπως
δαιτὸς γενοίμην πώματός τ' αὐτοῦ δίχα.

*——— Primumq; nullus hospitum*
*Me cepit, inuisum velut Deis virum.*
*Qui me colebant, hi mihi hospitalia*
*Parare soli dona, mensuram vna in domo,*
*Silentio prabere cuncta, quo forem*
*Nec particeps consilij ipse, nec poculi.*

Enimuero cum postea oraculum sciscitatus, esset Orestes, quo pacto posset ab eo furore liberari, respõsum tulit illud fieri nõ posse, nisi in Tauricã regionem Scytharum ꝓfectus Palladis statuam, q̃ illi eximie colebant, abstulisset in Græciam, sororemq; Iphigeniã recuperaret, & in fluuio ablue-

retur, qui confunderetur cum septem fluminibus. Ille diu anceps peruenit in fines Rheginorum, atque in inuento ibi flumine sese abluit. Mox in Siciliã Syracusas traiiciens fertur cum è Taurica rediret, templum ibi erexisse, & simulachrum Deæ cõsecrasse, q̃ Fascelitim nominarunt, quia illã imaginẽ intra fascem lignorum occultauerit Orestes, cum esset illã è Taurica exportaturus: idq; priusquam statuã auferret, vbi primum in Tauricã accessit. Eo igitur cum accessisset, in vincula à pastorib. cum Pylade coniectus (nam Pyladẽ Strophii Phocensis filiũ, cum quo fuit à teneris educatus, omnium pfectionum, periculorumq; socium fidissimũ habuit) ad Thoantem regionis regẽ deducitur, vt de more eius gentis pro victima illi Deæ mactaretur: deinde ad Iphigeniam ad tẽplum missi cum statua per noctem conscensa nauicula oẽs aufugiunt. Sed antequam inde soluerent, Orestes comã lugubrem in Tauris deposuit, quẽ ritum postea detulit in Cataoniam, vt scriptum reliquit Phanodemus in lib. 7. rerum Atticarũ, & Strab. lib. 12. Alii tamen voluerunt Orestem comam deposuisse anteq̃ iudicium Areopagitarum accessisset. Cum vero rediisset Athenas, Electram sororem Pyladæ in matrimonium collocauit, è qua Pylades postea Medontẽ & Strophium filios suscepit, vt scripsit Hellanicus Lesbius in 1 lib rerũ Æolicarum, & Isaci⁹ in Lycophronem. Quidã præter Iphigeniam & Electram sorores illi addiderunt Chrysosthemim, & Laodicẽ, & Iphianassam. Fuerunt q non procul à Megalopoli Orestẽ sanitati restitutum crediderint, in loco quẽ Acen vocarunt & Tonstrinam. vbi comam totondit. Alii istud ipsum iuxta Gytheum saxum contigisse memorant, quod ociosum vocarunt: super quo vbi sedisset Orestes fuit ab insania liberatus, vt ait Nymphodorus Syracusius in περίπλῳ siue nauigatione, & Pausanias in Laconicis. Alii tradiderunt illud iuxta Amanũ montem contigisse, vnde etiã mons ipse nomen acceperit, cum prius Melanthius diceretur, vt ait Plutarchus in lib. de fluminibus. Nam vbi profugientes è Tauris tempestate delati fuerunt in partem eius regionis, q Seleucia dicebatur, & ad Antiochiam, montemq; Melanthium, ibi tandem dicitur Orestes fuisse liberatus à furore Erinnyum, vti scripsit in suis historiis Thrax Eumolpus. Alii Palladis consilio Orestem Argos adiisse, & Erynnias placasse inquiunt, quare ibi eius

eius insaniam placatis Eumenidibus desiisse. Cum igitur Athenas rediisset sanitati restitutus, sorore data Pyladæ socio, Neoptolemo Achillis cæso, Hermionen vxorem duxit, de qua suscepit Tisamenum: vel, vt scripsit Isacius, ex Erigone Ægisthi filia vxore ducta Penthilum genuit, habitauitque Arcadiæ vrbem Orestiam, vbi à serpente ictus extremum vitæ suæ diem conclusit: cuius sepulchrum fuit apud Thyreates, vt scripsit Pausanias in Arcadicis. Huic tanquam Deo postea solennis ritus apud Trœzenios fuit institutus, vt, cum Orestes in cella quadam antequam expiaretur, cōsistere iuberetur, cum quo epulati sunt qui lustrationi illi præfuerunt, ad eius rei sempiternam memoriam, illorum posteri statis diebus in eodem loco cœnitarent. vbi vero defossa fuerunt illa piacula, laurum natam postea fuisse memorant. Sequentibus temporib. cum bellum grauissimum inter Tegeates atque Lacedæmonios exarsisset, multis cladibus affectis Lacedęmoniis responsum est ab oraculo, præsentes calamitates cessaturas, si ventos & percutientem ac repercussum, hominumq; perniciem omnem remouentes, ossa Orestis inuenisset. Lichas igitur Lacedæmonius cum Tegeam peruenisset (erant enim tunc fœderis iure omnia pacata in ciuitatibus) atque fabri ærarii officinam esset ingressus, ibi inueniri posse ossa Orestis in memoriā venit, quia ventos folles oraculum appellasset; percutientē, malleum; repercussum, incudē; hominū perniciē ferrum, quo in præliis cædendis hominibus vsi fuissent. atque sepulta fuisse postea Orestis ossa memorant iuxta Parcarum fanū in sepulchro Agamemnonis, vbi iussi sunt Tegeatæ ab oraculo illa sepelire, vt ait Pausanias in Laconicis.

¶ Atq; hæc illa sunt quæ de Oreste ab antiquis memorantur. Quod hæc ad historicā narrationem referenda sint omnia prope, nemini dubium esse arbitror. at ꝙ ita fuerit Orestes à furiis exagitatus ob parricidium, quod vel iussu oraculi cōmiserat, illud solum nobis est cōsiderandum. Dicunt huic visas fuisse Furias, q̄ ardentes faces assidue illius oculis obiicerent, à quib. semper terrore horribili afficiebatur, per quas neq; diurno neq; nocturno tempore quiescere licebat. hanc animi molestiam, atq; adeo hunc mentis furorem, conscientiæ stimulos fuisse constat, quib. scelerum flagitiorumq; sibi conscii homines exagitantur, cū

oportuna cum magna manu iuuenum occupassent, adeuntes ea loca obtruncabant. ob concordiam igitur fratrum & sororis corpus vnum tria habere illa capita fabulati sunt. Hos Bellerophontes vi superauit, & in seruitutem redegit: quare dictus est plumbum in os intrusisse quod etiam testatur Isacius in Lycophronem. Nicander Colophonius fluuiorum naturam ac torrentum præcipue per hæc figmenta significari voluit: cum dixerit Chimæram tria habuisse capita, & triplicem corporis formam: primum caput fuit leonis, vltimum draconis, at medium capræ, quoniam ex hybernis imbribus, aquarumque abundantia fiunt fluuii quidam, qui dicuntur χείμαρροι, per hyemem fluentes scilicet qui sunt tanquam leones feroces & indomiti, omniaque obuia secum trahunt. cum igitur omnia rapiant & strepitum edentes quasi rugiant, leonum primam partem habere dicti sunt: cum præcipue terram quasi vnguibus effodiant, qua iter sunt habituri. At pars media capra est dicta. quoniam aqua huiusmodi proxima quæque carpit: vltima pars est serpens quia obliquus & contortus est omniũ fluuiorum, tanquam serpentum & viperarum cursus. Hoc monstrum horrificum Bellerophontes Pegaso inuectus, Solis calor scilicet interemit, quia cum cessat pluuiarum copia per æstatem tunc exsiccantur torrentes. Nam Bellerophon & Pegasus idem sunt re ipsa, vis Solis scilicet, quæ variis nominibus appellatur: neque quidquam prohibet eundem Solem diuersis nominibus pro variis actionibus appellari. Neque enim fieri potuit naturæ ductu vt tam deforme monstrum alicubi nasceretur, vt ait Lucret. lib. 5.

*Qui fieri potuit triplici cum corpore, vt vna*
*Prima leo, postrema draco, media ipsa Chimæra,*
*Ore foras acrem flaret de corpore flammam?*

Ego sane per hanc fabulam nos ab ira, turpissima omnium monstrorum, reuocari crediderim: cum ira, tanquã leones furibundos faciat, q̃ ex ebulliente sanguine circa cor excitatur, oculosq; rubro colore tanq̃ flammis perfundit. Huius media pars est capra, infestũ plãtis animal quoniã maxime infesta est facultatibus ira: cum nullã neq. vtilitatis, neque honoris rationem habeat ira. vt autem significarent antiqui omnium vitiorum maxime molestam esse iram, q̃ pro viribus ab omnibus deuitanda est, neq; huic morui obnoxios

noxios esse amplectendos. huic monstro partem extremam draconis attribuerunt. Non minus enim cauendus aut fugiendus est is viro prudenti, qui quo tulerit vis iræ & impetus feratur, quam draconum & crudelissimarum viperarum consuetudo. Sic enim refrænandam esse iram antiqui nobis significarunt, aut futurum esse vt nullam hominum nisi stultissimorum amicitiam comparemus. Alii vim rhetoricę facultatis sub hac fabula contineri arbitrati sunt qui procemiorum naturam acrem esse voluerunt, modiceque intumescere: medium orationis carpere, & sublimia sectari propter necessaria sapientiæ studia: at extremam partem se tanquam anguem ad medium reflecti summatim repetendum, virusque habere & acrimoniam. qua excitet animos auditorum in aduersarios. At de Chimæra satis: nunc de Bellérophonte dicatur.

### *De Bellerophonte.* CAP. IV.

DIcitur is Bellerophon qui Chimæram interemit, patriâ fuisse Corinthius; & Glauci eius filius, qui natus fuit è Sisypho, vt testatus est Dioxippus Corinthius libro secundo de rebus patriis, & Pausanias in Corinthiacis, qui Bellerophon Hipponus antea dicebatur. Hic vbi Bellerum Corinthium, vel, vt maluit Phœnix Colophonius, Deliadem proprium fratrem, vel, vt Philemon putauit Pirenen, vt vero Dorotheus Sidonius, Alcimenen, interemisset, non solum nomen, sed patriam etiã mutauit. Argos igitur profugus adiens à Prœto perhumaniter excipitur, & in hospitiũ capitur. Deinde paucis interiectis diebus Antea, vel, vt alii maluerunt, Sthenobœa Prœti vxor incredibili amore Bellerophontis capitur: quem cum nullis blanditiis posset ad adulterium allicere, apud Prœtum tentatæ pudicitiæ accusauit. At Prœtus hunc ipse quidem iure antiquæ cõsuetudinis interficere noluit: quoniam fuit antiquorum consuetudo vt neminem occiderent qui cum edissent, nisi istud accidisset inconsulto: sed ad Iobatem generum suum in Lyciam misit occidendum, literasq; dedit obsignatas, in quibus criminatio continebatur. Subiuit eandem fortunam Hippolytus propter amores nouercæ, & Peleus propter Cretheim Hippolyti filiam, qui tamen ambo post calamitates inique acceptas Deorum misericordia pristinæ incolumitati sunt restituti. Hippolytum, notius est quam indi-

Quamuis plerisq; non ad publicã, sed ad propriam vtilitatem, res publicas gubernare nunc mos est: qui neglecto humanitatis & æquitatis iure illud tantum quod sibi cõferat, legitimum esse arbitrantur. Deinde significatum super hæc viro bono necessariam esse omnino prudentiã, & rerum futurarum quasi diuinationem quandam, & præcognitionẽ cum sciscitatum de rebus futuris vel inferos adierit. At vero non sufficere vires humanas ad superanda pericula, vel titillationes voluptatum, ad quas obstupescit humanum ingeniũ, facile monere potest Mercurii munus, quod datum est Vlyssi aduersus omnia veneficia. Cur inter suauissimos Sirenum cantus vel aures obturari, vel ad malũ alligari cõuenit? quia aduersus illegitimarum voluptatum illecebras vel surdos esse, vel rationi firmissime alligatum obtemperare omnino opus est. Cur socii naui igne fulminis cœlestis conflagrante vbi Solis greges mactauissent, eo Deo neglecto in mari perierunt, ac solus Vlysses euasit? quia nemo impune deniq; religionem paruifacit, cum innocentes semper Deus protegat & adiuuet. Hic idẽ modo nudus & ad littus eiectus inter frõdes latuit, modo auri & argẽti diues multis acceptis sociis & munerib in patriam dormiens exponitur ob fortunæ vicissitudines, quas virũ sapiẽtem æquo animo perferre opus est. Hic idem sumpto mendici habitu consilio Palladis post omnes procos cæsos tranquillus in patria fuit, quoniã viri boni, & mali eundem habẽt ortum, & exitum vitæ: omnes enim medici & nudi nascuntur ac moriũtur. In illo igitur habitu speratis denique & extinctis libidinis voluptatumq; omnium stimulis, qui proci sunt animæ nostræ, in patria, in piorum locis, in Deorum cõcilio fœlicissime viuimus. Quare si quis vel illa monstra, quæ dicitur Vlysses experta, alicubi extitisse credat, vel extitissent dispersa, ad illa omnia Vlyssem fuisse delatum; is nimium rerum antiquarum scriptorib. pro quadã simplicitate credit, & à veritate omnino valde delirat. Sin hęc omnia ad mores, vitamque mortalium recte instituendam excogitata putet, mecũ plane sentit: cũ omnia hæc ad omnes fortunæ euentus sapienter ferẽdos non mediocriter pertineant. Dicta est Minerua Vlyssi omnem deformitatem abstulisse, vt ait Plutarchus in Synopsi, quia sapientia omnia corporis vitia dejcat. Atque de Vlysse ita breuiter, nunc de Oreste dicatur.

De

## *De Oreste.* CAP. II.

ORestes autem fuit Clytæmnestræ & eius Agamemnonis filius, qui summus Imperator fuit Græcorum, vbi Græci ad Troiam militarent, quem alii dicunt in conuiuio cum domum post id bellum rediisset, alii in balneo vna cum nonnullis viris illustribus, per insidias, Ægisthi fuisse cæsum. Ferunt Orestem paruulum domi cum matre relictum fuisse, quo tẽpore Agamemnon ad bellum Troianum nauigauit, vbi cãtorem, custodem & admonitorem Clytæmnestræ reliquit. At Ægisthus Clytæmnestræ desiderio captus cãtore clam per insidias in insula deserta obtruncato, illa denique potitus est. Hic idem Ægisthus Agamemnone patre Orestis cęso filium quoq; erat occisurus, nisi is ab Electra sorore admonitus insidias sibi parari ab Ægistho, fuga sibi salutem cõparasset. Alii dicunt Arsinoen nutricem cęso patre rapuisse Orestem, eumq; seruasse cum esset trium annorum, vt inquit Herodotus in Pelopeia. Pherecydes sensit Orestẽ à Laodamia nutrice subtractum fuisse furori crudelitatiq; Ægisthi, sed filium Laodamiæ pro Oreste fuisse ab illo trucidatum. Profugit igitur Orestes ad Stropiũ principem Phocensium, qui sororem Agamemnonis in matrimonium, vbi ad duodecim annos cõmoratus, cum iam ob robustiorem ætatem peruenisset & paternæ cædis memor, & acceptæ ab Ægistho iniuriæ non oblitus, tanquam nuncius mortis Orestis ad Clytęmnestram matrem admittitur: atq; Electra conscia, quæ data fuerat in matrimonium cuidam agricolę, ne possent qui ex illa nascerentur ad regnum aspirare, matrem & Ægisthum eodem ferro obtruncauit in paternæ cædis vltionem. Atq; hoc factum fuit in quodam sacello Palladis, ꝙ fuit extra vrbem, cum adulteri pro morte Orestis Diis gratias agerent, vt magno periculo liberati, qua de causa Ioui liberatori sacrificabant. Nam cum sororis marito, eiusque coniunctis armatis templi aditum Orestes occlusit, ipseq; ingressus cum paucis sua manu ambos confodit & trucidauit. Id autem factum est ab Oreste non sine oraculi iussu, vt ait Eurip. in Oreste his carminibus:

*Φοίβου δ' ἀδικίαν μὲν τί δεῖ κατηγορεῖν;*
*πείθει δ' Ὀρέστην μητέρ', ἥ σφ' ἐγείνατο,*
*κτεῖναι, πρὸς οὐχ ἅπασιν εὔκλειαν φέρον.*
*Quid est opus narrare Phœbi iniurias?*

*Matrem hic Oresti suadet illum quæ edidit*
*Mactare magnam quo refert infamiam.*

Fuerunt tamen qui dixerint Orestem non fuisse per id tempus apud Strophium, sed dum exularet à patria è regno paterno eiectus, Argis primum potitũ fuisse, deinde cum magna Arcadum manu, Phocensium auxiliis fretum Spartæ regnum occupasse, cui Lacedæmonii haudquaquam inuiti patuerunt, q Tyndari nepotẽ multo digniorẽ putarunt, cui parerent, quam Nicostratum aut Megapenthem quos Menelaus è quadam serua susceperat. His addiderunt Hermionen Menelai filiam nupsisse Oresti, de qua natus est filius Sisamenus, q patri Oresthi in regnum successit, vt ait Paus. in Corinthiacis. Narrant Oresti post illam cædem diem dictam fuisse apud Areopagitas, vt sensit Nymphodorus, ab Erinnyb⁹ vltricib. scelerum: vt vero Dionysiocles, à Tyndaro patre Clytæmnestrę: vt vero Amorgius Simonides, ab Erigione Ægisthi & Clytæmnestræ filia: in quo iudicio cum par esset vtrinque suffragiorum numerus inuentus, absolutus fuit. Eo iudicio absolutus Orestes Areæ Mineruæ ará erexit, quam ita cognomento appellauit, quia ἀρᾶσθαι sit precari, quod preces eius audierit. Nam eo insectantib. Erinnybus è patria ad id iudicium cõpulsus fuerat, quo tempore Demophon Athenis regnabat. cum enim nescio quo animi stimulo ob cõscientiam cõmissi facinoris vexaretur, è patria ad Messeniam primum profugit, qui locus distabat fere septẽ stadiis à Megalopoli, ad quam ad vrbẽ vbi peruenisset, mox Orestia fuit appellata, vt scripsit Acesodorus li. 2. de vibibus. Alii dicunt Oresten Thraciæ vrbem ab ipso Oreste conditam & appellatam fuisse, quæ postea vocata fuit Adrianopolis: atq; ibi primum furiis correptus fuit, vt ait in Arcadicis Pausanias. Alii dicunt Orestem sibi manus alterius digitum hic abrosisse impatientẽ furoris, vbi nigræ Furiæ sibi obuiæ primum fuerunt, quæ adeso digito mox sibi albæ visæ sunt, quare ad se ipsum rediit. Quidam apud Trœzenios diu mansisse tabernaculũ vocatum Orestis tradiderunt quod erat insigne ædificium apud illos, in quo loco cum parua esset cella ante id tempus, illum consistere Trœzenii iusserunt antequam materni sanguinis maculas expiationibus elueret: quo etiam in loco dum rite expiaretur, solebant cũ illo epulari, qui præerant illis illustrationibus,

bus. Mansit postea consuetudo apud Trœzenios vt posteri illorum præfectorũ in eodem loco statis dieb. cœnitarent: eius autem expiationibus & laurum adhibitam fuisse, & alia lustrationum genera, & aquã ex Hippocrene fonte, scripsit Melanthes in libro primo sacrificiorum. Habuerunt enim ipsi quoq; Trœzenios Hippocrenen fontem, de quo longe alius est sermo, atq; de Hippocrene fonte Bœotorum. Hic in Macedoniam profectus oppidum condidit, quod vocatum fuit Argos Oresticum, & vniuersa regio Orestias, vt testatus est Strabo libro septimo. Narrant Orestem Athenas per id tempus venisse, quo Lenæa Liberi patris sacrificia celebrabãtur, quæ scripsit Apollodorus Anthesteria fuisse antiquitus appellata, quasi florialia dixerim. Cum igitur inter sacrificia non admitteretur, vtpote cæde matris pollutus, dicitur Pandion hoc excogitasse: cum choam vini, (est autẽ illud mensuræ nomen apud Athenienses) dari singulis cõuiuiis iussisset, imperauit singulis vt suum biberent neque alii de suo cuipiam infunderent, ne ex eodem cratere biberet Orestes, è quo initiati essent, neq; ex eorum vino: neque rursus grauiter ferret, quod ipse solus seorsum ab aliis biberet. Atque inde Choum solennitas manasse eo ritu credita est Neque vero istud ipsum sine oraculi monitu factum fuit, quod scripsit Eurip. in Iphigenia in Tauris:

——— πρῶτα μὲν οὐδεὶς ξένων
ἑκὼν ἐδέξατ'. ὡς θεοῖς συγούμενον.
οἱ δ' ἔσχον αἰδῶ, ξένια μονοτράπεζά μοι
παρέσχον οἴκων, ὄντες ἐν ταυτῷ στέγει.
σιγῇ δ' ἐτεκτήναντ' ἀποφθεγκτόν μ'; ὅπως
δαιτὸς γενοίμην πώματός τ' αὐτοῦ δίχα.

*——— Primumq; nullus hospitum*
*Me cepit, inuisum velut Deis virum.*
*Qui me colebant, hi mihi hospitalia*
*Parare soli dona, mensuram vna in domo,*
*Silentio præbere cuncta, quo forem*
*Nec particeps consilij ipse, nec poculi.*

Enimuero cum postea oraculum sciscitatus, esset Orestes, quo pacto posset ab eo furore liberari, respõsum tulit illud fieri nõ posse, nisi in Tauricã regionem Scytharum ꝓfectus Palladis statuam, q̃ illi eximie colebant, abstulisset in Græciam, sororemq; Iphigeniã recuperaret, & in fluuio ablue-

retur, qui confunderetur cum septem fluminibus. Ille diu anceps peruenit in fines Rheginorum, atque in inuento ibi flumine sese abluit. Mox in Siciliã Syracusas traiiciens fertur cum è Taurica rediret, templum ibi erexisse, & simulachrum Deæ cõsecrasse, q̃ Fascelitim nominarunt, quia illã imaginẽ intra fascem lignorum occultauerit Orestes, cum esset illã è Taurica exportaturus: idq; priusquam statuã auferret, vbi primum in Tauricã accessit. Eo igitur cum accessisset, in vincula à pastorib. cum Pylade coniectus (nam Pyladẽ Strophii Phocensis filiũ, cum quo fuit à teneris educatus, omnium ꝓfectionum, periculorumq; socium fidissimũ habuit) ad Thoantem regionis regẽ deducitur, vt de more eius gentis pro victima illi Deæ mactaretur: deinde ad Iphigeniam ad tẽplum missi cum statua per noctem conscensa nauicula oẽs aufugiunt. Sed antequam inde soluerent, Orestes comã lugubrem in Tauris deposuit, quẽ ritum postea detulit in Cataoniam, vt scriptum reliquit Phanodemus in lib. 7. rerum Atticarũ, & Strab. lib. 12. Alii tamen voluerunt Orestem comam deposuisse anteq̃ iudicium Areopagitarum accessisset. Cum vero rediisset Athenas, Electram sororem Pyladæ in matrimonium collocauit, è qua Pylades postea Medontẽ & Strophium filios suscepit, vt scripsit Hellanicus Lesbius in 1 lib rerũ Æolicarum, & Isaci⁹ in Lycophronem. Quidã præter Iphigeniam & Electram sorores illi addiderunt Chrysosthemim, & Laodicẽ, & Iphianassam. Fuerunt q non procul à Megalopoli Orestẽ sanitati restitutum crediderint, in loco quẽ Acen vocarunt & Tonstrinam. vbi comam totondit. Alii istud ipsum iuxta Gytheum saxum contigisse memorant, quod ociosum vocarunt: super quo vbi sedisset Orestes fuit ab insania liberatus, vt ait Nymphodorus Syracusius in περίπλῳ siue nauigatione, & Pausanias in Laconicis. Alii tradiderunt illud iux a Amanũ montem contigisse, vnde etiã mons ipse nomen acceperit, cum prius Melanthius diceretur, vt ait Plutarchus in lib. de fluminibus. Nam vbi profugientes è Tauris tempestate delati fuerunt in partem eius regionis, q̃ Seleucia dicebatur, & ad Antiochiam, montemq; Melanthium, ibi tandem dicitur Orestes fuisse liberatus à furore Erinnyum, vti scripsit in suis historiis Thrax Eumolpus. Alii Palladis consilio Orestem Argos adiisse, & Erynnias placasse inquiunt, quare ibi eius

eius insaniam placatis Eumenidibus desiisse. Cum igitur Athenas rediisset sanitati restitutus, sorore data Pyladæ socio, Neoptolemo Achillis cæso, Hermionen vxorem duxit, de qua suscepit Tisamenum: vel, vt scripsit Isacius, ex Erigone Ægisthi filia vxore ducta Penthilum genuit, habitauitque Arcadiæ vrbem Orestiam, vbi à serpente ictus extremum vitæ suæ diem conclusit: cuius sepulchrum fuit apud Thyreates, vt scripsit Pausanias in Arcadicis. Huic tanquam Deo postea solennis ritus apud Trœzenios fuit institutus, vt, cum Orestes in cella quadam antequam expiaretur, cōsistere iuberetur, cum quo epulati sunt qui lustrationi illi præfuerunt, ad eius rei sempiternam memoriam, illorum posteri statis diebus in eodem loco cœnitarent. vbi vero defossa fuerunt illa piacula, laurum natam postea fuisse memorant. Sequentibus temporib. cum bellum grauissimum inter Tegeates atque Lacedæmonios exarsisset, multis cladibus affectis Lacedęmoniis responsum est ab oraculo, præsentes calamitates cessaturas, si ventos & percutientem ac repercussum, hominumq; perniciem omnem remouentes, ossa Orestis inuenisset. Lichas igitur Lacedæmonius cum Tegeam peruenisset (erant enim tunc fœderis iure omnia pacata in ciuitatibus) atque fabri ærarii officinam esset ingressus, ibi inueniri posse ossa Orestis in memoriā venit, quia ventos folles oraculum appellasset; percutientē, malleum; repercussum, incudē; hominū pernicię ferrum, quo in præliis cædendis hominibus vsi fuissent. atque sepulta fuisse postea Orestis ossa memorant iuxta Parcarum fanū in sepulchro Agamemnonis, vbi iussi sunt Tegeatæ ab oraculo illa sepelire, vt ait Pausanias in Laconicis.

¶ Atq; hæc illa sunt quæ de Oreste ab antiquis memorantur. Quod hæc ad historicā narrationem referenda sint omnia prope, nemini dubium esse arbitror. at ꝙ ita fuerit Orestes à furiis exagitatus ob parricidium, quod vel iussu oraculi cōmiserat, illud solum nobis est cōsiderandum. Dicunt huic visas fuisse Furias, q̄ ardentes faces assidue illius oculis obiicerent, à quib. semper terrore horribili afficiebatur, per quas neq; diurno neq; nocturno tempore quiescere licebat. hanc animi molestiam, atq; adeo hunc mentis furorem, conscientiæ stimulos fuisse constat, quib. scelerum flagitiorumq; sibi conscii homines exagitantur, cū

nihil magis animum assidue torqueat, quam præteritorum flagitiorum memoria, quod ita testatur Cicero in oratione pro Roscio Amerino: Nolite putare, quemadmodum in fabulis sæpenumero videtis, eos qui aliquid impie scelerateque commiserint, agitari, & perterreri Furiarum tædis ardentibus. sua quemque fraus, & suus error maxime vexat: suum quemque scelus agitat amentiaque afficit: suę malæ cogitationes, conscientiæque animi terrent. Hæ sunt impiis assiduæ domesticæque Furiæ, quæ noctes diesque pœnas præteritorum peccatorum à consceleratissimis hominibus repetunt. Nam cum nihil magis hominum quieti, & tranquillitati confert: quam integritatis opinio, & nullius fraudis sibi esse conscium: quod per hanc fabulam antiqui significarunt At nunc de Chimæra dicamus.

## *De Chimæra.* CAP. IV.

CHimæra monstrum illud celeberrimum apud antiquos, Echidnæ ac Typhonis filia fuisse dicitur, vt scripsit Hesiodus in Deorum ortu, vbi loquitur de Echidna in his:

ἡ δὲ Χίμαιραν ἔτικτε πνέουσαν ἀμαιμάκετον πῦρ,
δεινήν τε μεγάλην τε, ποδώκεά τε κρατερήν τε.
τῆς δ' ἦν τρεῖς κεφαλαί: μία μὲν χαροποῖο λέοντος,
ἡ δὲ χιμαίρης, ἡ δ' ὄφιος κρατεροῖο δράκοντος.
πρόσθε λέων, ὄπιθεν δὲ δράκων, μέσση δὲ χίμαιρα,
δεινὸν ἀποπνείουσα πυρὸς μένος αἰθομένοιο.

*Tum parit indomitas spirantem ex ore Chimæram*
*Flammas, ingentem, celerem, fortemq́ue, grauemq́ue,*
*Huic tria erant capita: primum fuit acre leonis,*
*Ast aliud capræ, atq́ue aliud caput inde chelyndri.*
*Prima leo, postrema draco, media inde capella,*
*Quæ grauiter patulis spirabat naribus ignem.*

Fabulantur hanc Chimæram Amisodari studio fuisse educatam vt scripsit Apollodorus lib. 2. Bibliothecæ. Hoc mõstrum trium fuisse diuersarum formarum & è superioribus patuit. & Homerus ita expressit lib. ζ Iliad.

πρῶτον μέν ῥα Χίμαιραν ἀμαιμακέτην ἐκέλευσε
πεφνέμεν. ἡ δ' ἄρ' ἔην θεῖον γένος, ἀνθρώπων·
πρόσθε λέων, ὄπιθεν δὲ δράκων, μέσση δὲ χίμαιρα,
δεινὸν ἀποπνείουσα πυρὸς μένος αἰθομένοιο.

*Horrendam primum iubet obtruncare Chimaram,*
*Cui genus haud mortale fuit de stirpe virorum.*
*Prima leo, postrema draco, media inde capella,*
*Quæ grauiter patulis spirabat naribus ignem.*

Cum ignē igitur ex ore & naribus exspiraret, fabulati sunt Bellerophontem ad hanc occidendam missum fuisse, qui conscendens equum Pegasum alatum, natū è Neptuno & Medusa, illam sagittis trasfixit, vt scripsit Apollodorus lib. 2. quamuis aliter alii sentiant, vt dicetur postea. Hāc in Lycia habitasse memorant, quo etiā in loco nata est, neq; his plura de Chimæra memoriæ prodita sunt. Nunc veritatem inquiramus. Scriptū fuit ab Antigono Carystio in historicis cōmentariis tres populos à Bellerophonte fuisse victos, quod etiā significatum per triplicē Chimæræ formā fuisse ait Zezes hist. 149. chiliad. 7. Alcimus in rebus Siculis, & Syracusius Nymphodorus Chimærā Lyciæ montem esse dixerunt, in quo ignis nasceretur. eius in summa parte leones dicti sunt habitasse, in medio erant vberrima & amœnissima pascua, ad radices serpentes cōplures. quæ res locū dedit fabulæ, quod Chimæra monstrum esset è tribus tam diuersis animalibus cōpositum, cuius caput & pectus vertex scilicet esset leonis, ignemq; efflaret ex ore: atq; ita venter erat capræ, cauda vero draconis. Hunc locum Bellerophōtes Glauci filius cum fecisset habitabilem, dictus est monstrum illud sagittis confecisse. Plutarc. in lib. de claris mulieribus Chimærā montem quēdam fuisse ait sonitus horrendos & incendia emittere solitū, quibus ager finitimus infestatus nec arbores nec fruges produceret. at Bellerophōte iubente rescindi partē, q̄ erat planissima, cōpositum fuisse, consopitumq; sonitum, & magnum adhibitum regioni remedium. Scriptum fuit à Theopompo lib. 7. rerum Philippicarum, Chimæram non sagittis fuisse transfixam, sed hasta petitā fuisse, q̄ plumbum haberet in summa parte collocatum: q̄ partem hastæ cum Bellerophon in os Chimeræ intrusisset, plumbum igne colliquefactum in ventrē Chimæræ defluxit, & illi combussit omnia intestina, quare mortua est. Scripsit Agatharchides Gnidius lib. 3. rerum Asiaticarum Chimæram mulierem fuisse Amisodari, qui imperauit Lycium, quæ duos frates haberet Leonem & Draconem. hi cum Lyciæ loca incursionibus & insidiis

oportuna cum magna manu iuuenum occupassent, adeuntes ea loca obtruncabant. ob concordiam igitur fratrum & sororis corpus vnum tria habere illa capita fabulati sunt. Hos Bellerophontes vi superauit, & in seruitutem redegit: quare dictus est plumbum in os intrusisse quod etiam testatur Isacius in Lycophronem. Nicander Colophonius fluuiorum naturam ac torrentum præcipue per hæc figmenta significari voluit: cum dixerit Chimæram tria habuisse capita, & triplicem corporis formam: primum caput fuit leonis, vltimum draconis, at medium capræ, quoniam ex hybernis imbribus, aquarumque abundantia fiunt fluuii quidam, qui dicuntur χείμαρροι, per hyemem fluentes scilicet qui sunt tanquam leones feroces & indomiti, omniaque obuia secum trahunt. cum igitur omnia rapiant & strepitum edentes quasi rugiant, leonum primam partem habere dicti sunt: cum præcipue terram quasi vnguibus effodiant, qua iter sunt habituri. At pars media capra est dicta. quoniam aqua huiusmodi proxima quæque carpit: vltima pars est serpens quia obliquus & contortus est omniũ fluuiorum, tanquam serpentum & viperarum cursus. Hoc monstrum horrificum Bellerophontes Pegaso inuectus, Solis calor scilicet interemit, quia cum cessat pluuiarum copia per æstatem tunc exsiccantur torrentes. Nam Bellerophon & Pegasus idem sunt re ipsa, vis Solis scilicet, quæ variis nominibus appellatur: neque quidquam prohibet eundem Solem diuersis nominibus pro variis actionibus appellari. Neque enim fieri potuit naturæ ductu vt tam deforme monstrum alicubi nasceretur, vt ait Lucret. lib. 5.

*Qui fieri potuit triplici cum corpore, vt vna*
*Prima leo, postrema draco media ipsa Chimera,*
*Ore foras acrem flaret de corpore flammam?*

Ego sane per hanc fabulam nos ab ira, turpissima omnium monstrorum, reuocari crediderim: cum ira, tanquã leones furibundos faciat, q̃ ex ebulliente sanguine circa cor excitatur, oculosq; rubro colore tanq̃ flammis perfundit. Huius media pars est capra, infestũ plãtis animal quoniã maxime infesta est facultatibus ira: cum nullã neq; vtilitatis, neque honoris rationem habeat ira vt autem significarent antiqui omnium vitiorum maxime molestam esse iram, q̃ pro viribus ab omnibus deuitanda est, neq; huic morui obnoxios

noxios esse amplectendos. huic monstro partem extremam draconis attribuerunt. Non minus enim cauendus aut fugiendus est is viro prudenti, qui quo tulerit vis iræ & impetus feratur, quam draconum & crudelissimarum viperarum consuetudo. Sic enim refrænandam esse iram antiqui nobis significarunt, aut futurum esse vt nullam hominum nisi stultissimorum amicitiam comparemus. Alii vim rhetoricę facultatis sub hac fabula contineri arbitrati sunt qui procemiorum naturam acrem esse voluerunt, modiceque intumescere: medium orationis carpere, & sublimia sectari propter necessaria sapientiæ studia: at extremam partem se tanquam anguem ad medium reflecti summatim repetendum, virusque habere & acrimoniam. qua excitet animos auditorum in aduersarios. At de Chimæra satis: nunc de Bellérophonte dicatur.

*De Bellerophonte.* CAP. IV.

DIcitur is Bellerophon qui Chimæram interemit, patria fuisse Corinthius; & Glauci eius filius, qui natus fuit è Sisypho, vt testatus est Dioxippus Corinthius libro secundo de rebus patriis, & Pausanias in Corinthiacis, qui Bellerophon Hipponus antea dicebatur. Hic vbi Bellerum Corinthium, vel, vt maluit Phœnix Colophonius, Deliadem proprium fratrem, vel, vt Philemon putauit Pirenen, vt vero Dorotheus Sidonius, Alcimenen, interemisset, non solum nomen, sed patriam etiã mutauit. Argos igitur profugus adiens à Prœto perhumaniter excipitur, & in hospitiũ capitur. Deinde paucis interiectis diebus Antea, vel, vt alii maluerunt, Sthenobœa Prœti vxor incredibili amore Bellerophontis capitur: quem cum nullis blanditiis posset ad adulterium allicere, apud Prœtum tentatæ pudicitiæ accusauit. At Prœtus hunc ipse quidem iure antiquæ cõsuetudinis interficere noluit: quoniam fuit antiquorum consuetudo vt neminem occiderent qui cum edissent, nisi istud accidisset inconsulto: sed ad Iobatem generum suum in Lyciam misit occidendum, literasq; dedit obsignatas, in quibus criminatio continebatur. Subiuit eandem fortunam Hippolytus propter amores nouercæ, & Peleus propter Cretheim Hippolyti filiam, qui tamen ambo post calamitates inique acceptas Deorum misericordia pristinæ incolumitati sunt restituti. Hippolytum, notius est quam indi-

oportuna cum magna manu iuuenum occupassent, adeuntes ea loca obtruncabant. ob concordiam igitur fratrum & sororis corpus vnum tria habere illa capita fabulati sunt. Hos Bellerophontes vi superauit, & in seruitutem redegit: quare dictus est plumbum in os intrusisse quod etiam testatur Isacius in Lycophronem. Nicander Colophonius fluuiorum naturam ac torrentum præcipue per hæc figmenta significari voluit: cum dixerit Chimæram tria habuisse capita, & triplicem corporis formam: primum caput fuit leonis, vltimum draconis, at medium capræ, quoniam ex hybernis imbribus, aquarumque abundantia fiunt fluuii quidam, qui dicuntur χείμαρροι, per hyemem fluentes scilicet qui sunt tanquam leones feroces & indomiti, omniaque obuia secum trahunt. cum igitur omnia rapiant & strepitum edentes quasi rugiant, leonum primam partem habere dicti sunt: cum præcipue terram quasi vnguibus effodiant, qua iter sunt habituri. At pars media capra est dicta. quoniam aqua huiusmodi proxima quæque carpit: vltima pars est serpens quia obliquus & contortus est omniũ fluuiorum, tanquam serpentum & viperarum cursus. Hoc monstrum horrificum Bellerophontes Pegaso inuectus, Solis calor scilicet interemit, quia cum cessat pluuiarum copia per æstatem tunc exsiccantur torrentes. Nam Bellerophon & Pegasus idem sunt re ipsa, vis Solis scilicet, quæ variis nominibus appellatur: neque quidquam prohibet eundem Solem diuersis nominibus pro variis actionibus appellari. Neque enim fieri potuit naturæ ductu vt tam deforme monstrum alicubi nasceretur, vt ait Lucret. lib. 5.

*Qui fieri potuit triplici cum corpore, vt vna*
*Prima leo, postrema draco media ipsa Chimæra,*
*Ore foras acrem flaret de corpore flammam?*

Ego sane per hanc fabulam nos ab ira, turpissima omnium monstrorum, reuocari crediderim: cum ira, tanquã leones furibundos faciat, q̃ ex ebulliente sanguine circa cor excitatur, oculosq; rubro colore tanq̃ flammis perfundit. Huius media pars est capra, infestũ plãtis animal quoniã maxime infesta est facultatibus ira: cum nullã neq. vtilitatis, neque honoris rationem habeat ira. vt autem significarent antiqui omnium vitiorum maxime molestam esse iram, q̃ pro viribus ab omnibus deuitanda est, neq; huic motui obnoxios

noxios esse amplectendos. huic monstro partem extremam draconis attribuerunt. Non minus enim cauendus aut fugiendus est is viro prudenti, qui quo tulerit vis iræ & impetus feratur, quam draconum & crudelissimarum viperarum consuetudo. Sic enim refrænandam esse iram antiqui nobis significarunt, aut futurum esse vt nullam hominum nisi stultissimorum amicitiam comparemus. Alii vim rhetoricę facultatis sub hac fabula contineri arbitrati sunt qui procœmiorum naturam aerem esse voluerunt, modiceque intumescere: medium orationis carpere, & sublimia sectari propter necessaria sapientiæ studia: at extremam partem se tanquam anguem ad medium reflecti summatim repetendum, virusque habere & acrimoniam. qua excitet animos auditorum in aduersarios. At de Chimæra satis: nunc de Bellérophonte dicatur.

### *De Bellerophonte.* CAP. IV.

DIcitur is Bellerophon qui Chimæram interemit, patria fuisse Corinthius; & Glauci eius filius, qui natus fuit è Sisypho, vt testatus est Dioxippus Corinthius libro secundo de rebus patriis, & Pausanias in Corinthiacis, qui Bellerophon Hipponus antea dicebatur. Hic vbi Bellerum Corinthium, vel, vt maluit Phœnix Colophonius, Deliadem proprium fratrem, vel, vt Philemon putauit Pirenen, vt vero Dorotheus Sidonius, Alcimenen, interemisset, non solum nomen, sed patriam etiã mutauit. Argos igitur profugus adiens à Prœto perhumaniter excipitur, & in hospitiũ capitur. Deinde paucis interiectis diebus Antea, vel, vt alii maluerunt, Sthenobœa Prœti vxor incredibili amore Bellerophontis capitur: quem cum nullis blanditiis posset ad adulterium allicere, apud Prœtum tentatæ pudicitiæ accusauit. At Prœtus hunc ipse quidem iure antiquæ cõsuetudinis interficere noluit: quoniam fuit antiquorum consuetudo vt neminem occiderent qui cum edissent, nisi istud accidisset inconsulto: sed ad Iobatem generum suum in Lyciam misit occidendum, literasq; dedit obsignatas, in quibus criminatio continebatur. Subiuit eandem fortunam Hippolytus propter amores nouercæ, & Peleus propter Cretheim Hippolyti filiam, qui tamen ambo post calamitates inique acceptas Deorum misericordia pristinæ incolumitati sunt restituti. Hippolytum, notius est quam indi-

geat explicatione, fuisse in vitam ab inferis reuocatum: sic enim plerique fabulati sunt, Peleus ob amores Cretheis vxoris Acasti, quia noluisset illi ad turpitudinem parere, accusatus apud Acastum tentatæ pudicitiæ in deserta Pelei montis deductus est, atque arbori nudus alligatus vt à feris syluestribus voraretur dicunt Deos innocentiæ misertos Vulcanum ad Peleum soluendum misisse, atque ensem illi insuper donasse quo feras irruentes posset trucidare. sic igitur solutus iuit in Thessaliam, Acastumq; ipsum & vniuersam Iolcum debellauit, vt inquit Hellanicus Lesbius in rebus Thessalicis. Cum vero solennitas quædam per illud tēpus in Lycia celebraretur, fuit ab Iobate per nouem dies admissus in conuiuium, ac decimo tandē die Iobates literas à socero aperuit. enimuero cum illam consuetudinē Iobates etiam seruaret, hunc quidem ipse interficere noluit, sed imperauit vt Chimærā, & Solymos, & Amazonas occideret, quæ omnia testatus est his versibus Hom. lib. ζ. Iliad.

τῷ δὲ γυνὴ Προίτου ἐπεμήνατο δῖ' Ἄντεια
κρυπταδίῃ φιλότητι μιγήμεναι· ἀλλὰ τὸν οὔτι
πεῖθ' ἀγαθὰ φρονέοντα δαΐφρονα Βελλεροφόντην.
ἡ δὲ ψευσαμένη Προῖτον βασιλῆα προσηύδα.
τεθναίης ὦ Προῖτ' ἢ κάκτανε Βελλεροφόντην,
ὅς μ' ἔθελεν φιλότητι μιγήμεναι οὐκ ἐθελούσῃ·
ὣς φάτο· τὸν δὲ ἄνακτα χόλος λάβεν, οἷον ἄκουσε,
κτεῖναι μὲν ῥ' ἀλέεινε (σεβάσσατο γὰρ τό γε θυμῷ)
πέμπε δέ μιν Λυκίηνδε, πόρεν δ' ὅγε σήματα λυγρὰ,
γράψας ἐν πίνακι πτυκτῷ θυμοφθόρα πολλά.
δεῖξαι δ' ἠνώγει ᾧ πενθερῷ ὄφρ' ἀπόλοιτο.
αὐτὰρ ὁ βῆ Λυκίηνδε θεῶν ὑπ' ἀμύμονι πομπῇ.
ἀλλ', ὅτε δὴ Λυκίην ἷξεν, Ξάνθον τε ῥέοντα,
προφρονέως μιν τῖεν ἄναξ Λυκίης εὐρείης.
ἐννῆμαρ ξείνισσε, καὶ ἐννέα βοῦς ἱέρευσεν·
ἀλλ' ὅτε δὴ δεκάτη ἐφάνη ῥοδοδάκτυλος ἠώς,
καὶ τότε μιν ἐρέεινε, καὶ ᾔτεε σῆματ' ἰδέσθαι
ὅττι ῥά οἱ γαμβροῖο παρὰ Προίτοιο φέροιτο.

*Occultoq; uxor Prœti mox carpitur igni,*
*Clam petiit amplexum illius: sed pectora casta*
*Flectere non potuit prudentis Bellerophontis.*
*Hinc tulit ad Regem mendacia callidia Prœtum*
*Prœte precor pereas, ni cades Bellerophontem.*

Qui

*Qui vim ferre mihi, & lectum turpare iugalem*
*Tentauit. Regem audita mouere querela,*
*Cædem deuitat tamen hanc, meus ho r. t ab illa.*
*In Lyciam ad generum mittens sed tristia scripta*
*Huic arcana dedit, luat vt pro crimine pœnas,*
*Tempore quo Lyciam petiit, sed forte Deorum*
*Festa celebrabant Lycii solennia. Rex hunc*
*Vt primum Lyciam petiit, Xantumq; fluentum,*
*Excipit hospitio peregrinum r te di ôm*
*Ille nouem, totidemq; boues mactauit ad aras:*
*Auro a vt decimo conspersit lumine terras,*
*Quid peteret rogat hunc, soceri tum scripta resignat.*

Deinde sequuntur Iobatæ iussa, qui ad prædicta pericula Bellerophōtē ire imperauit Erat enim adeo terribilis Chimæra, quæ flāmas euomebat, vt proxima quæq; combureret ac igni deuastaret, & pecora interficeret. At vero Dii cognita illius innocentia, eius misetti Pegasum alatum equū natum è Neptuno & Medusa, vel, vt alii maluerunt, è sanguine Medusæ, dum eius caput à Perseo cæderetur, illi dederunt quem equū vbi Bargyllus comes vellet capere, calce ictus interiit, atq; Bargyllis Cariæ oppido nomen imposuit dicunt Mineruā, Chalinitiden siue frænatricē cognomento, maxime omniū Deorum opē innocentiæ Bellerophontis tulisse, quippe q̄ prius domitū & fræno assuetum Pegasum illi tradiderit. Eo equo vectus Bellerophon primum Chimærā occidit deinde Solymos & Amazonas debellauit. Hunc ab illis reb. gestis redeuntem & exultantem multi è Lyciis insidiis collocati repente adoriuntur, quib. omnibus profligatis cum Bellerophon incolumis ad Iobatem reuertisset, eius virtutem & fortitudinem admiratus Iobates Philonoen filiā in matrimonium illi dedit, eumq; generum sibi asciuit, è qua Bellerophon Isandrum, & Laodamiā, & Hippolochū suscepit, quāuis alii è diuersis mulieribus hos susceptos voluerunt. His rebus cognitis cum innocentia Bellerophontis postea omnibus patuisset, illā infamiam non ferens Prœti vxor sumpta cicuta sibi mortem consciuit. At Iubates postea decedens successorem etiam regni Bellerophontem instituit. Sed Bellerophon, quale est ingenium plerisq; mortalium, tanta rerum gestarum fœlicitate nimium elatus in cœlum quoq; ascendere

super equo Pegaso voluit, quam arrogantiam Iupiter omnis temeritatis grauissimus vindex deprimendam esse ratus, œstrum illi equo immisit, quare Bellerophon præceps in terram deturbatur. Cum in Alciam Ciliciæ planitiem is cecidisset, cæcusque factus fuisset, tamdiu errauit per illam planitiem, quamdiu vixit, donec inedia denique fuit absumptus ac victus penuria cum nullam neque domum, neque hominem reperisset. at Pegasus nunc sublimis, nunc depressus per aera volans, in cœlum denique rediit in Iouis præsepe, quæ stellæ sunt ita vocatæ. quod cum vidisset Aurora, hunc impetrauit a Ioue, vt ab eo vecta quotidianum cursum conficeret. Sed de fabulosis hactenus:

¶ Hanc fabulam alii ad historiã, alii ad physicam, alii ad Ethicam explicationem traduxerunt. Quæ ad historiam spectant, ea per se patent, nisi quod Pegasus nauis fuerit ita dicta ἀπὸ τοῦ πήγνυσθαι a compingendo scilicet. Fuerunt qui Bellerophontem nihil aliud esse putauerint, quam humorem motu Solis eleuatum: quoniam aere vi Solis agitato pars grauior sublata paulo post rursus deorsum demittitur atque cogitur, q̃ cum feratur deorsum & coaguletur, Pegasus dicta fuit. Cum vero pars sublimior ad regionẽ ignis feratur, sic illa pars crassior dicta fuit à Ioue deorsum detrusa fuisse: atque cum Pegaso ex aqua ob motum cœli diurnum sublato, Aurora oriatur dies dictus est, vt sensui magis pateret, at non Bellerophon, à Pegaso equo portari. Alii generationẽ elementorũ, cum alia sursum, alia deorsum ferantur, vt leuia sunt aut grauia, per hæc significari maluerunt. Alii vitæ humanæ rationẽ prope omnẽ sub hac fabula cõtineri tradiderunt: nam neq; aduersis rebus nimis tristari, neq; prosperis & fœlicib. nimis gloriari aut extolli conuenit, quoniã horum omnium deniq; moderatorem Deũ esse experimur. Is enim pro sua singulari clementia & calamitatibus iniq; circumuentos adiuuat, quod accidit, dum calamitosus esset, Bellerophonti, & nimis elatos animos deprimit, quare præceps idẽ postea dicitur de cœlo detrusus. Alii malunt Chimæram fuisse Lyciorum ducem rei bellicæ peritissimum, sed immani crudelitate, qui cum piraticam exerceret, veheretur q; in naui, cuius prora leonem, puppis draconẽ haberet, in medio capra esset depicta, quẽ insecutus Bellerophon cum citissima ac expeditissima naui lõga

Perga-

Pegaso vocata interemit: quare datus est locus fabulæ, vt ait Plut. in claris mulieribus. At Lucianus in astrologia sensit animũ Bellerophontis ad sublimiũ rerum speculationẽ elatum equum fuisse creditum alatum, atq; ita rem fabulis inuolutam. Alii ad astronomicas rationes hæc ipsa quæ de physicis dicta sunt, transtulerunt, eaq. fieri inquiunt pro virib. astrorum, quas cum prior Bellerophon deprehendisset, dictus est in cœlũ ascendisse. Alii dixerunt Bellerophontem à Pesago alato vectum Chimæram interemisse, quia is celerem prior inuenit & frænum, vt ait Pindari interpres: sicuti bigarum inuentor fuit Castor, quadrigas Erichthonius Atheniensis inuenit. Dictus est is equus alatus, vt voluerũt quidã nauigium, cum ille prior omniũ inuenerit nauigare classe, atque ordinẽ classis instruẽdæ, cum vela & remi alæ sint nauigiorum. Hic igitur nauali prælio Solymis populis bellicosis superatis, quos leonibus similes dixerunt poetæ Amazonib. arma intulit, quas per loca difficilia & montosa peragrantes capras vocarunt Insidias porro quas Iobates è lectissimis iuuenib. illi parauerat redeunti, caudã serpentis vocarunt. At de Bellerophõte satis, nunc de Rhea dicamus.

## De Rhea. CAP. V.

RHEAM scripsit Hesiodus in Theogonia Terræ & Cœli fuisse filiam, cum ita de filiis Terræ loquitur:

*Οὐρανῷ εὐνηθεῖσα τέκ' Ὠκεανὸν βαθυδίνην,*
*Κοῖόν τε, Κρεῖόν, θ', Ὑπερίονά τ', Ἰαπετόν τε,*
*Θείαν τε, Ῥεῖαν τε, Θέμιν τε, Μνημοσύνην τε.*
*Oceanum peperit Cœlo coniuncta profundum,*
*Cœumq; Creumque, Hyperionaque, Iapetumque,*
*Thiamque, Rheamque, Themimque, Mnemosinenque.*

At Orpheus in hymnis Rheam primã omnium à Deo factã fuisse inquit, quem Protogonum appellat, cum ita inquiat:

*πότνια Ῥεῖα θύγατερ πολυμόρφου Πρωτογόνοιο.*
*O Rhea Protogoni genitoris filia summi.*

Quæ cum fuisset postea Saturni vxor credita, de illa scripsit idem Orpheus:

*πάντιμ', ἀγλαόμορφε, Κρόνου σύλλεκτρε μάκαιρα.*
*Saturni fœlix coniux, splendida forma est.*

Ex hac idem poeta terram, & mare, & cœlum, & ventos genitos fuisse tradidit, quæ Deorum & hominum parens appellata est, vt patet in his carminibus eiusdem Orphei:

μῆτερ μὲν τε θεῶν ἠδὲ θνητῶν ἀνθρώπων.
(ἐκ σοῦ γὰρ καὶ γαῖα, καὶ οὐρανὸς εὐρὺς ὕπερθεν,
καὶ πόντος. πνοιαί τε) φιλόδρομε, ἀερόμορφε·
*Mater Diuorum pariter, materq; virorum:*
*Ex te t-rra parens frugum, cælumq; prof:undum,*
*Et mare cum ventis: veloci percita cursu.*

Hanc ipsam Iouis fuisse matrem testatur Callimachus in hymno in Iouem:

ἐν δέ σε Παρρασίῃ Ῥείη τέκεν, ἧχι μάλιστα
ἔσκεν ὄρος θάμνοισι περισκεπὲς
*Nam te in Parrhasia peperit Rhea, sunt vbi colles*
*Arboribus tecti fr ndosis.*

Fab.lati sunt hanc Deorum matrem à quatuor leonibus in curru vehi solitam, & corona turritu coronari, cuius manibus sceptrum addiderunt, & sacerdotes tympana æraque pulsabant, & Corybantes armati circumstabant incedentem, circa quam erant ferę p..multæ, quarum mater credita est, vt inquit Lucretius libro tertio:

*Quare magna Deum mater, materq; fera-um,*
*Et nostri genitrix hæc dicta est corporis vna.*
*Hanc veteres Graium docti cecinere poetæ*
*Sedibus in curru biiugos agitare leones.*

Hanc Deam primam fuisse crediderunt, quæ vrbes condiderit, & turres ad d:fensionem exogitarit, quare ita scripsit Virgilius libro decimo:

*Alma parens Idæa Deum, cui Dindyma cordi,*
*Turrigenæq; vrbes, biiugiq; ad fræna leones.*

Tympanum illi præterea tribuerunt, quod pulsabatur in sacris, & castratis sacerdotibus colebatur cum magno tibiarum cornicinumq; strepitu. Illud autem factum fuit ob Atyos memoriā Phrygii pueri, qui cum à Rhea amaretur, neque tamen eius desiderio vellet satisfacere, perpetuam virginitatem se seruaturum pollicitus est. At cum eam non seruasset, à Rhea in furorem percitus seipsum euirauit, atque sacerdotem illi Deæ, cui fidem violauerit, dicauit. Alii dicunt Atym fuisse eius Deæ sacerdotem ab illa Dea sacrificiis præfectum illa lege vt perpetuam castitatem seruaret: sed postea promissi parum memor Sangaritidem nympham compressit, è qua Lydum, qui Lydiæ nomen dedit & Tyrrhenum, à quo vocata est Tyrrhenia, suscepit, vt ait Doro-

Dorotheus Corinthius in historiis, at Dea irata furorē immisit Atyi, qui sibi testes execuit, violētas etiam manus iugulo illaturos, nisi Dea miserta in pinum arborem sibi cōsecratam conuertisset. Alii tamen ex Hercule & Iole Tyrrhenum & Atym prædictum esse natos maluerunt, & scripsit Sostratus in secundo introductionis historię fabulosæ, quare non mirum est si propter antiquitatem suscepti argumēti vel ego quoq; ipse à me dissentio, cum variorum scriptorum opiniones in variis locis sim secutus. Inde vero mā-sit ea consuetudo, vt à Gallis vocatis sacerdotibus muliebri habitu indutis Rhea coleretur, vt testatur Lucianus in Dea Syria idcirco, quod vterentur tympanis in eius sacris, ita de illa scripsit Orpheus in hymnis:

*τυμπανόδουπε, φιλοιστρομανὲς, χαλκόκροτε κούρη.*
*Tympana quam mulcent, tinnituq; æris acuti*

Sic & Ouidius libro primo de Ponto:

*Ante Deum matrem cornu tibicen adunco*
*Cum canit, exiguæ quis stipis æra neget?*

Huic Deæ pinus arbor sacrata fuit, quod in eam arborem denique Atym ab illa amatum, mutatum fuisse credunt, vt testatur Ouidius libro decimo Metamorph. in his:

*Et succincta comas, hirsutaq; vertice pinus,*
*Grata Deum matri, siquidem Cybeleius Atys*
*Exuit hac hominem, truncoq; indurnit illo.*

At enim pinu postea coronatis sacerdotibus sacrificare mos fuit per aliquod tempus. Alii fabulati sunt Iouem per somnum in terram semen profudisse, ex quo terræ conceptu Genium humana figura, sed ambiguo sexu prodiisse in lucem Agdistem appellatum, cui Dii virilem partem execuerunt, è qua eiecta nata est amygdalus, cuius fructus decerpens Sangarii fluminis filia in sinu abdidit: at illis euanescentibus puella grauida facta mox enixa est puerum, qui cum depositus fuisset in sylua, & à capra educatus, forma creuit multo humana præstantiore, eius amore miro captus est Agdistes cum adoleuisset, qui cum Pesinuntis regis filiam esset ducturus, à superueniente Agdiste tantus furor immissus est, vt non Attes solum, sed etiam socer sibi pudenda præciderint. quare Rhea ob formam illum sibi sacerdotem Guilum asciuit, vt ait Pausanias in rebus Achaicorum. Huiusce Deæ famuli & Curetes & Cory-

oportuna cum magna manu iuuenum occupassent, adeuntes ea loca obtruncabant. ob concordiam igitur fratrum & sororis corpus vnum tria habere illa capita fabulati sunt. Hos Bellerophontes vi superauit, & in seruitutem redegit: quare dictus est plumbum in os intrusisse quod etiam testatur Isacius in Lycophronem. Nicander Colophonius fluuiorum naturam ac torrentum præcipue per hæc figmenta significari voluit: cum dixerit Chimæram tria habuisse capita, & triplicem corporis formam: primum caput fuit leonis, vltimum draconis, at medium capræ, quoniam ex hybernis imbribus, aquarumque abundantia fiunt fluuii quidam, qui dicuntur χείμαῤῥοι, per hyemem fluentes scilicet qui sunt tanquam leones feroces & indomiti, omniaque obuia secum trahunt. cum igitur omnia rapiant & strepitum edentes quasi rugiant, leonum primam partem habere dicti sunt: cum præcipue terram quasi vnguibus effodiant, qua iter sunt habituri. At pars media capra est dicta. quoniam aqua huiusmodi proxima quæque carpit: vltima pars est serpens quia obliquus & contortus est omniũ fluuiorum, tanquam serpentum & viperarum cursus. Hoc monstrum horrificum Bellerophontes Pegaso inuectus, Solis calor scilicet interemit, quia cum cessat pluuiarum copia per æstatem tunc exsiccantur torrentes. Nam Bellerophon & Pegasus idem sunt re ipsa, vis Solis scilicet, quæ variis nominibus appellatur: neque quidquam prohibet eundem Solem diuersis nominibus pro variis actionibus appellari. Neque enim fieri potuit naturæ ductu vt tam deforme monstrum alicubi nasceretur, vt ait Lucret. lib. 5.

*Qui fieri potuit triplici cum corpore, vt vna*
*Prima leo, postrema d[r]a[c]o media ipsa Chimera,*
*Ore feras aerem flaret de corpore fl[a]mmam?*

Ego sane per hanc fabulam nos ab ira, turpissima omnium monstrorum, reuocari crediderim: cum ira, tanquã leones furibundos faciat, q̃ ex ebulliente sanguine circa cor excitatur, oculosq; rubro colore tanq̃ flammis perfundit. Huius media pars est capra, infestũ p[l]ãtis animal quoniã maxime infesta est facultatibus ira: cum nullã neq. vtilitatis, neque honoris rationem habeat ira vt autem significarent antiqui omnium vitiorum maxime molestam esse iram, q̃ pro viribus ab omnibus deuitanda est, neq; huic morui ob-

noxios

noxios esse amplectendos. huic monstro partem extremam draconis attribuerunt. Non minus enim cauendus aut fugiendus est is viro prudenti, qui quo tulerit vis iræ & impetus feratur, quam draconum & crudelissimarum viperarum consuetudo. Sic enim refrænandam esse iram antiqui nobis significarunt, aut futurum esse vt nullam hominum nisi stultissimorum amicitiam comparemus. Alii vim rhetoricę facultatis sub hac fabula contineri arbitrati sunt qui procemiorum naturam acrem esse voluerunt, modiceque intumescere: medium orationis carpere, & sublimia sectari propter necessaria sapientiæ studia: at extremam partem se tanquam anguem ad medium reflecti summatim repetendum, virusque habere & acrimoniam. qua excitet animos auditorum in aduersarios. At de Chimæra satis: nunc de Bellerophonte dicatur.

*De Bellerophonte.* CAP. IV.

DIcitur is Bellerophon qui Chimæram interemit, patria fuisse Corinthius; & Glauci eius filius, qui natus fuit è Sisypho, vt testatus est Dioxippus Corinthius libro secundo de rebus patriis, & Pausanias in Corinthiacis, qui Bellerophon Hipponus antea dicebatur. Hic vbi Bellerum Corinthium, vel, vt maluit Phœnix Colophonius, Deliadem proprium fratrem; vel, vt Philemon putauit Pirenen, vt vero Dorotheus Sidonius, Alcimenen, interemisset, non solum nomen, sed patriam etiã mutauit. Argos igitur profugus adiens à Prœto perhumaniter excipitur, & in hospitiũ capitur. Deinde paucis interiectis diebus Antea, vel, vt alii maluerunt, Sthenobœa Prœti vxor incredibili amore Bellerophontis capitur: quem cum nullis blanditiis posset ad adulterium allicere, apud Prœtum tentatæ pudicitiæ accusauit. At Prœtus hunc ipse quidem iure antiquæ cõsuetudinis interficere noluit: quoniam fuit antiquorum consuetudo vt neminem occiderent qui cum edissent, nisi istud accidisset inconsulto: sed ad Iobatem generum suum in Lyciam misit occidendum, literasq; dedit obsignatas, in quibus criminatio continebatur. Subiuit eandem fortunam Hippolytus propter amores nouercæ, & Peleus propter Cretheim Hippolyti filiam, qui tamen ambo post calamitates inique acceptas Deorum misericordia pristinæ incolumitati sunt restituti. Hippolytum, notius est quam indi-

geat explicatione, fuisse in vitam ab inferis reuocatum: sic enim plerique fabulati sunt, Peleus ob amores Cretheis vxoris Acasti, quia noluisset illi ad turpitudinem parere, accusatus apud Acastum tentatæ pudicitiæ in deserta Pelei montis deductus est, atque arbori nudus alligatus vt à feris syluestribus voraretur dicunt Deos innocentiæ misertos Vulcanum ad Peleum soluendum misisse, atque ensem illi insuper donasse quo feras irruentes posset trucidare. sic igitur solutus iuit in Thessaliam, Acastumq; ipsum & vniuersam Iolcum debellauit, vt inquit Hellanicus Lesbius in rebus Thessalicis. Cum vero solennitas quædam per illud tẽpus in Lycia celebraretur, fuit ab Iobate per nouem dies admissus in conuiuium, ac decimo tandẽ die Iobates literas à socero aperuit. enimuero cum illam consuetudinẽ Iobates etiam seruaret, hunc quidem ipse interficere noluit, sed imperauit vt Chimærã, & Solymos, & Amazonas occideret, quæ omnia testatus est his versibus Hom. lib. ζ. Iliad.

*τῷ δὲ γυνὴ Προίτου ἐπεμήνατο δῖ᾽ Ἄντεια*
*κρυπταδίῃ φιλότητι μιγήμεναι· ἀλλὰ τὸν οὔ τι*
*πεῖθ᾽ ἀγαθὰ φρονέοντα δαΐφρονα Βελλεροφόντην.*
*ἡ δὲ ψευσαμένη Προῖτον βασιλῆα προσηύδα.*
*τεθναίης ὦ Προῖτ᾽ ἢ κάκτανε Βελλεροφόντην,*
*ὅς μ᾽ ἔθελεν φιλότητι μιγήμεναι οὐκ ἐθελούσῃ·*
*ὣς φάτο· τὸν δὲ ἄνακτα χόλος λάβεν, οἷον ἄκουσε,*
*κτεῖναι μέν ῥ᾽ ἀλέεινε (σεβάσσατο γὰρ τό γε θυμῷ)*
*πέμπε δέ μιν Λυκίηνδε, πόρεν δ᾽ ὅ γε σήματα λυγρὰ,*
*γράψας ἐν πίνακι πτυκτῷ θυμοφθόρα πολλά.*
*δεῖξαι δ᾽ ἠνώγει ᾧ πενθερῷ ὄφρ᾽ ἀπόλοιτο*
*αὐτὰρ ὁ βῆ Λυκίηνδε θεῶν ὑπ᾽ ἀμύμονι πομπῇ.*
*ἀλλ᾽, ὅτε δὴ Λυκίην ἷξε, Ξάνθον τε ῥέοντα,*
*προφρονέως μιν τῖεν ἄναξ Λυκίης εὐρείης.*
*ἐννῆμαρ ξείνισσε, καὶ ἐννέα βοῦς ἱέρευσεν·*
*ἀλλ᾽ ὅτε δὴ δεκάτη ἐφάνη ῥοδοδάκτυλος ἠώς,*
*καὶ τότε μιν ἐρέεινε, καὶ ᾔτεε σήματ᾽ ἰδέσθαι*
*ὅττι ῥά οἱ γαμβροῖο παρὰ Προίτοιο φέροιτο.*

*Occultoq; vxor Prœti mox carpitur igni,*
*Clam petit amplexum illius: sed pectora casta*
*Flectere non potuit prudentis Bellerophontis.*
*Hinc tulit ad Regem mendacia callidia Prœtum*
*Prœte precor pereas, ni cades Bellerophontem.*

Qui

*Qui vim ferre mihi, & lectum turpare iugalem*
*Tentauit. Regem audita mouere querela,*
*Cædem deuitat tamen hanc, meum ho r.t ab illa.*
*In Lyciam ad generum mittens sed tristia scripta*
*Huic arcana dedit, luat vt pro crimine pœnas,*
*Tempore quo Lyciam petiit, sed forte Deorum*
*Festa celebrabant Ly it solennia. Rex hunc*
*Vt primum Lyciam petiit, Xantumq; fluentum,*
*Excipit hospitio peregrinum r te dibus*
*Ille nouem, totidemq; boues mactauit ad aras:*
*Auro: a vt decimo conspersit lumine terras,*
*Quid peteret rogat hunc, soceri tum scripta resignat.*

Deinde sequuntur Iobatæ iussa, qui ad prædicta pericula Bellerophōtē ire imperauit Erat enim adeo terribilis Chimæra, quæ flāmas euomebat, vt proxima quæq; combureret ac igni deuastaret, & pecora interficeret. At vero Dii cognita illius innocentia, eius miserti Pegasum alatum equū natum è Neptuno & Medusa, vel, vt alii maluerunt, è sanguine Medusæ, dum eius caput à Perseo cæderetur, illi dederunt quem equū vbi Bargyllus comes vellet capere, calce ictus interiit, atq; Bargyllis Cariæ oppido nomen imposuit dicunt Mineruā, Chalinitiden siue frænatricē cognomento, maxime omniū Deorum opē innocentiæ Bellerophontis tulisse, quippe q̄ prius domitū & fræno assuetum Pegasum illi tradiderit. Eo equo vectus Bellerophon primum Chimærā occidit deinde Solymos & Amazonas debellauit. Hunc ab illis reb. gestis redeuntem & exultantem multi è Lyciis insidiis collocati repente adoriuntur, quib. omnibus profligatis cum Bellerophon incolumis ad Iobatem reuertisset, eius virtutem & fortitudinem admiratus Iobates Philonoen filiā in matrimonium illi dedit, eumq; generum sibi asciuit, è qua Bellerophon Isandrum, & Laodamiā, & Hippolochū suscepit, quāuis alii è diuersis mulieribus hos susceptos voluerunt. His rebus cognitis cum innocentia Bellerophontis postea omnibus patuisset, illā infamiam non ferens Prœti vxor sumpta cicuta sibi mortem consciuit. At Iubates postea decedens successorem etiam regni Bellerophontem instituit. Sed Bellerophon, quale est ingenium plerisq; mortalium, tanta rerum gestarum fœlicitate nimium elatus in cœlum quoq; ascendere

super equo Pegaso voluit, quam arrogantiam Iupiter omnis temeritatis grauissimus vindex deprimendam esse ratus, œstrum illi equo immisit, quare Bellerophon præceps in terram deturbatur. Cum in Alciam Ciliciæ planitiem is cecidisset, cæcusque factus fuisset, tamdiu errauit per illam planitiem, quamdiu vixit, donec media denique fuit absumptus ac victus penuria cum nullam neque domum, neque hominem repetisset. at Pegasus nunc sublimis, nunc depressus per aera volans, in cœlum denique rediit in Iouis præsepe, quæ stellæ sunt ita vocatæ. quod cum vidisset Aurora, hunc impetrauit a Ioue, vt ab eo vecta quotidianum cursum conficeret. Sed de fabulosis hactenus:

¶ Hanc fabulam alii ad historiã, alii ad physicam, alii ad Ethicam explicationem traduxerunt. Quæ ad historiam spectant, ea per se patent, nisi quod Pegasus nauis fuerit ita dicta ἀπὸ τοῦ πήγνυσθαι a compingendo scilicet. Fuerunt qui Bellerophontem nihil aliud esse putauerint, quam humorem motu Solis eleuatum: quoniam aere vi Solis agitato pars grauior sublata paulo post rursus deorsum demittitur atque cogitur, q̃ cum feratur deorsum & coaguletur, Pegasus dicta fuit. Cum vero pars sublimior ad regionẽ ignis feratur, sic illa pars crassior dicta fuit à Ioue deorsum detrusa fuisse: atque cum Pegaso ex aqua ob motum cœli diurnum sublato, Aurora oriatur dies dictus est, vt sensui magis patet, at non Bellerophon, à Pegaso equo portari. Alii generationẽ elementorũ, cum alia sursum, alia deorsum ferantur, vt leuia sunt aut grauia, per hæc significari maluerunt. Alii vitæ humanæ rationẽ prope omnẽ sub hac fabula cõtineri tradiderunt: nam neq; aduersis rebus nimis tristari, neq; prosperis & fœlicib. nimis gloriari aut extolli conuenit, quoniã horum omnium deniq; moderatorem Deũ esse experimur. Is enim pro sua singulari clementia & calamitatibus iniq; circumuentos adiuuat, quod accidit, dum calamitosus esset, Bellerophonti, & nimis elatos animos deprimit, quare præceps idẽ postea dicitur de cœlo detrusus. Alii malunt Chimæram fuisse Lyciorum ducem rei bellicæ peritissimum. sed immani crudelitate, qui cum piraticam exerceret, vehereturq; in naui, cuius prora leonem, puppis draconẽ haberet, in medio capra esset depicta, quẽ insecutus Bellerophon cum citissima ac expeditissima naui lõga

Perga-

Pegaso vocata interemit: quare datus est locus fabulæ, vt ait Plut. in claris mulieribus. At Lucianus in astrologia sensit animū Bellerophontis ad sublimiū rerum speculationē elatum equum fuisse creditum alatum, atq; ita rem fabulis inuolutam. Alii ad astronomicas rationes hæc ipsa quæ de physicis dicta sunt, transtulerunt, eaq. fieri inquiunt pro virib. astrorum, quas cum prior Bellerophon deprehendisset, dictus est in cœlū ascendisse. Alii dixerunt Bellerophontem à Pesago alato vectum Chimæram interemisse, quia is celerem prior inuenit & frænum, vt ait Pindari interpres: sicuti bigarum inuentor fuit Castor, quadrigas Erichthonius Atheniensis inuenit. Dictus est is equus alatus, vt voluerūt quidā nauigium, cum ille prior omniū inuenerit nauigare classe, atque ordinē classis instruēdæ, cum vela & remi alæ sint nauigiorum. Hic igitur nauali prælio Solymis populis bellicosis superatis, quos leonibus similes dixerunt poetæ Amazonib arma intulit, quas per loca difficilia & montosa peragrantes capras vocarunt. Insidias porro quas Iobates è lectissimis iuuenib. illi parauerat redeunti, caudā serpentis vocarunt. At de Bellerophōte satis, nunc de Rhea dicamus.

## De Rhea. CAP. V.

RHEAM scripsit Hesiodus in Theogonia Terræ & Cœli fuisse filiam, cum ita de filiis Terræ loquitur:

*Οὐρανῷ εὐνηθεῖσα τέκ' Ὠκεανὸν βαθυδίνην,*
*Κοῖόν τε, Κρεῖόν, θ', Ὑπερίονά τ', Ἰάπετόν τε,*
*Θείαν τε, Ῥείαν τε, Θέμιν τε, Μνημοσύνην τε.*
*Oceanum peperit Cœlo coniuncta profundum,*
*Cœumq; Creumque, Hyperionaque, Iapetumque,*
*Thiamque, Rheamque, Themimque, Mnemosinenque.*

At Orpheus in hymnis Rheam primā omnium à Deo factā fuisse inquit, quem Protogonum appellat, cum ita inquiat:

*πότνια Ῥεῖα θύγατερ πολυμόρφου Πρωτογόνοιο.*
*O Rhea Protogoni genitoris filia summi*

Quæ cum fuisset postea Saturni vxor credita, de illa scripsit idem Orpheus:

*παῖ, λαμ', ἀγλαόμορφε, Κρόνου σύλλεκτρε μάκαιρα.*
*Saturni fœlix coniux, splendida forma est.*

Ex hac idem poeta terram, & mare, & cœlum, & ventos genitos fuisse tradidit, quæ Deorum & hominum parens appellata est, vt patet in his carminibus eiusdem Orphei:

*μῆτερ μὲν τε θεῶν ἠδὲ θνητῶν ἀνθρώπων.*
*(ἐκ σεῦ γὰρ καὶ γαῖα, καὶ οὐρανὸς εὐρὺς ὕπερθεν,*
*καὶ πόντος πνοιαί τε) φιλόδρομε, ἀερόμορφε·*
*Mater Diuorum pariter, materq; virorum:*
*Ex te terra parens frugum, cœlumq; profundum,*
*Et mare cum ventis: veloci percita cursu.*

Hanc ipsam Iouis fuisse matrem testatur Callimachus in hymno in Iouem:

*ἐν δέ σε Παρρασίῃ Ῥείη τέκεν, ἧχι μάλιστα*
*ἔσκεν ὄρος θάμνοισι περισκεπές*
*Nam te in Parrhasia peperit Rhea, sunt vbi colles*
*Arboribus tecti frondosis.*

Fabulati sunt hanc Deorum matrem à quatuor leonibus in curru vehi solitam, & corona turrita coronari, cuius manibus sceptrum addiderunt, & sacerdotes tympana æraque pulsabant, & Corybantes armati circumstabant incedentem, circa quam erant feræ permultæ, quarum mater credita est, vt inquit Lucretius libro tertio:

*Quare magna Deum mater, materq; ferarum,*
*Et nostri genitrix hæc dicta est corporis vna.*
*Hanc veteres Graium docti cecinere poetæ*
*Sedibus in curru biiugos agitare leones.*

Hanc Deam primam fuisse crediderunt, quæ vrbes condiderit, & turres ad defensionem exogitarit, quare ita scripsit Virgilius libro decimo:

*Alma parens Idæa Deum, cui Dindyma cordi,*
*Turrigenæq; vrbes, biiugiq; ad fræna leones.*

Tympanum illi præterea tribuerunt, quod pulsabatur in sacris, & castratis sacerdotibus colebatur cum magno tibiarum cornicinumq; strepitu. Illud autem factum fuit ob Atyos memoriã Phrygii pueri, qui cum à Rhea amaretur, neque tamen eius desiderio vellet satisfacere, perpetuam virginitatem se seruaturum pollicitus est. At cum eam non seruasset, à Rhea in furorem percitus seipsum euirauit, atque sacerdotem illi Deæ, cui fidem violauerit, dicauit. Alii dicunt Atym fuisse eius Deæ sacerdotem ab illa Dea sacrificiis præfectum illa lege vt perpetuam castitatem seruaret: sed postea promissi parum memor Sangaritidem nympham compressit, è qua Lydum, qui Lydiæ nomen dedit & Tyrrhenum, à quo vocata est Tyrrhenia, suscepit, vt ait Doro-

Dorotheus Corinthius in historiis, at Dea irata furorē immisit Atyi, qui sibi testes execuit, violētas etiam manus iugulo illaturos, nisi Dea miserta in pinum arborem sibi cōsecratam conuertisset. Alii tamen ex Hercule & Iole Tyrrhenum & Atym prædictum esse natos maluerunt, & scripsit Sostratus in secundo introductionis historię fabulosæ, quare non mirum est si propter antiquitatem suscepti argumēti vel ego quoq; ipse à me dissentio, cum variorum scriptorum opiniones in variis locis sim secutus. Inde vero mā-sit ea consuetudo, vt à Gallis vocatis sacerdotibus muliebri habitu indutis Rhea coleretur, vt testatur Lucianus in Dea Syria idcirco, quod vterentur tympanis in eius sacris, ita de illa scripsit Orpheus in hymnis:

*τυμπανόδουπε, φιλοιστρομανὲς, χαλκόκροτε κούρη.*
*Tympana quam mulcent, tinnitusq; æra acuti*

Sic & Ouidius libro primo de Ponto:

*Ante Deum matrem cornu tibicen adunco*
*Cum canit, exiguæ quis stipis æra neget?*

Huic Deæ pinus arbor sacrata fuit, quod in eam arborem denique Atym ab illa amatum, mutatum fuisse credunt, vt testatur Ouidius libro decimo Metamorph. in his:

*Et succincta comas, hirsutaq; vertice pinus,*
*Grata Deum matri, siquidem Cybeleius Atys*
*Exuit hac hominem, truncoq; indurauit illo.*

At enim pinu postea coronatis sacerdotibus sacrificare mos fuit per aliquod tempus. Alii fabulati sunt Iouem per somnum in terram semen profudisse, ex quo terræ conceptu Genium humana figura, sed ambiguo sexu prodiisse in lucem Agdistem appellatum, cui Dii virilem partem exsecuerunt, è qua eiecta nata est amygdalus, cuius fructus decerpens Sangarii fluminis filia in sinu abdidit: at illis euanescentibus puella grauida facta mox enixa est puerum, qui cum depositus fuisset in sylua, & à capra educatus, forma creuit multo humana præstantiore, eius amore miro captus est Agdistes cum adoleuisset, qui cum Pesinuntis regis filiam esset ducturus, à superueniente Agdiste tantus furor immissus est, vt non Attes solum, sed etiam socer sibi pudenda præciderint. quare Rhea ob formam illum sibi sacerdotem Guilum asciuit, vt ait Pausanias in rebus Achaicorum. Huiusce Deæ famuli & Curetes & Cory-

bantes vocati ſunt: nam cum inſaniam, ab beluinā quandā rabiem imitarentur, vocati ſunt Corybantes à iaciendis capitibus inſanorum more. Hi d ēt ſunt etiam Galli, à Gallo fluuio Phrygię, cuius hauſta aqua vertebantur in furoré, atq; teſta ſe caſtrabant. Quamuis alii ita vocatos cēſuerint, quia dæmones eſſent, qui furorem immitterent. Fiebant autem huius Deæ ſacrificia die nono lunæ, vt innuit Nicander in Alexipharm. cum magna vociferatione:

*ἢ ἅτε κερνοφόρος ζάκορος βωμίστρια Ῥείης*
*εἰνάδι λαοφόροισιν ἐνιχρίμπτουσα κελεύθοις,*
*μακρὸν ἐπεμβοάᾳ γλώσσῃ θρόον· οἱ δὲ τρέουσιν,*
*Ἰδαίης ῥιγηλὸν ὅτ' εἰσαΐωσιν ὑλαγμόν.*
*Vtq; Rheæ matris olim diuina ſacerdos*
*Ipſa viis lunæ iam nona luce propinquat,*
*Clamoremq; altum tollit: per deuia cuncti*
*Diffugiunt postquam ceperunt auribus ipſos*
*Ideæ matris horrendos forte vlulatus.*

Quo tempore cum Deę imagine aſino impoſita ſacerdotes obire vicos mendicantes conſueuerunt cum tympano illi Deæ ſacrato, quo metu ac reuerentia Deæ quaſi præſentis vel à nolentibus extorquerent victui neceſſaria, cum imaginem ſcutum famis vocet, ac ſitis, vt patet in Iambis fabuloſis Gabriæ qui ita ſcripſit per iocum:

*Γάλλοις ἀγύρταις εἰς τὸ κοινὸν ἐπράθη*
*ὄνος τις οὐκ εὔμοιρος, ἀλλὰ δυσδαίμων,*
*ὅστις φέρῃ πτωχοῖσι καὶ πανούργοισι*
*πείνης σάκος. δίψης τε, καὶ κακῆς τέχνης.*
*οὗτοι δὲ κύκλῳ πᾶσαν ἐξ ἔθους κώμην*
*περιιόντες ἔλεγον, τίς γὰρ ἀγροίκων*
*οὐκ οἶδεν Ἄττιν λευκὸν ὡς ἐπηρώθη;*
*τίς οὐκ ἀπαρχὰς ὀσπρίων τε καὶ σίτων,*
*ἁγνῷ φέρων δίδωσι τυμπάνῳ Ῥείης.*
*Communis emptus eſt aſellus à Gallis*
*Præſtigiatoribus miſer, parum fœlix,*
*Scutum vt ferat famis ſitisq; mendicis*
*His, & doloſis, artis & male vaſa.*
*Villas vagantes quaslibet, velut mos eſt,*
*Dixere: ruſticus quis eſt lateat læſus*
*Quem pulcher Attis, atq; vt iſt us exciſus?*
*Qui tritici, leguminumq; non Rheæ*

Det

*Det tympano puro primitias præbens?*

Fuit enim antiquorum cõsuetudo sacerdotum multorum vt per vicos vagarentur, ac victum in honorem quorũdam Deorum colligerent à Cleobulo Lindio primum instituta, cum victus è templo non suppeteret: qualis fuit mos etiam Coronistarum vocatorum sacerdotum, de quo ita mentionem fecit Phœnix Colophonius poeta Iambicus in his:

ἐσθλοί. Κορώνῃ χεῖρα πρόσδοτε κριθῶν
τῇ παιδὶ τοῦ Ἀπόλλωνος, ἢ λέκος πυρῶν.
ἢ ἄρτον, ἢ ἥμαιθον, ἢ ὅ τι τις χρήζει.
δότ' ὦ ἀγαθοὶ τῶν τις θ' ἕκαστος ἐν χερσὶν
ἔχει Κορώνῃ καὶ ἅλα λήψεται χόνδρον.
φιλεῖ γὰρ αὕτη πάνχυ ταῦτα δαίνυσθαι.
ὁ νῦν ἅλας δοὺς, αὖθι κηρίον δώσει.
ὦ παῖ Κορώνην κλεινὲ πλοῦτος ἤκουσε·
καὶ τῇ Κορώνῃ παρθένος φέρει σῦκα.
θεοί, γένοιτο μετά πεμπτος ἡ κούρη,
κἀφνειὸν ἄνδρα κὠνομαστὸν ἐξεύροι·
καὶ τῷ γέροντι πατρὶ κοῦρον εἰς χεῖρας.
καὶ μητρὶ κούρην εἰς τὰ γοῦνα κατθείη
θάλος, τρέφειν γυναῖκα τοῖς κασιγνήτοις.
ἐγὼ δ' ὅκου πόδες φέρουσιν, ὀφθαλμοὺς
ἀμείβομαι μούσῃσι πρὸς θύραις ᾄδων
καὶ δόντι καὶ μὴ δόντι πλείονα τῶν γε.

In quibus Iambis patet quod vagantes illi sacerdotes fingebant Deam hisce muneribus vesci, quæ suis sacerdotib. offerebantur: cum ipsi præterea pro salute & incolumitate illorum precarentur, à quibus munera ipsi Deæ fuissent oblata atque non solum triticum, vel hordeum, vel cæteras huiusmodi fruges colligebant, sed quodcunque illis commodum humanæ vitę offerebatur. quorum carminum hęc esset sententia:

*Boni Coronæ tradite hordei manum,*
*Vel tritici, puella Apollinis sacri,*
*Panemve, seu merum, quod aut cuiuis placet.*
*Date, ô boni, quod quilibet manu tenet*
*Vestrum coronæ. nam salem & chondrum capit.*
*Libenter illa prorsus hisce vescitur.*
*Ceram dabit rursus, salem qui nunc dedit.*
*Puer Coronam clare Plutus audijt.*

*Ficus Coronæ virgo multas attulit.*
*Dei, sit illa mox petenda ab omnibus,*
*Et splendidum inueniat virum atque diuitem,*
*Mox filium patri seni det in manus,*
*Matris puella ludat inter & genua,*
*Simul sororem educet cum fratribus.*
*Ego pedes quo conferunt me & lumina*
*Cedo, atq; Musis ad fores idem cano*
*Non dantibus, vel plura dantibus simul.*

Vocabatur autem Matragyrtæ sacerdotes illi, qui in honorem matris Deum consimiliter pecuniam in templis colligebant, vel ad singulos domos accedentes; quod innuit Ouid. in 1 lib. de Ponto:

*Et quis ita est audax, vt limine cogat abire*
*Iactantem Pharia tinnula sistra manu?*

Significat vel nomen ipsum, quod in honorẽ matris Deum colligebant, cum μήτηρ matrem, ἀγύρτης præstigiatorem ac mendicum significet. quare inquit Lucianus in Æsculapio & Hercule: σὺ δὲ ῥιζοτόμος εἶ καὶ ἀγύρτης: *Tu autem herbarius es & mendicus.* Fecit mentionem de hoc nomine Aristot. etiam in 3. lib. Rhet. qui locus cum ante nostram ætatem legeretur deprauatus, Petri Victorii patricii Florentini ac viri clarissimi ingenio est integritati restitutus, vt mihi, cum essem Florentiæ, multis rationibus probarunt viri quidam eximiæ integritatis & eruditionis, atque inprimis Vincẽtius Borghinus, vir omnium quos vnquam cognoui, multiplici rerum cognitione præstantissimus. horum grauium testium autoritate commotus non potui non summopere improbare M. Antonii cuiusdam Maioragii nescio impudẽtiam ne appellem, an exquisitam ambitionem; qui omni explicatione prope Aristotelicæ artis ipsius Victorii scriptis accepta, vt ex iisdem viris illustrib. cognoui, ex hac emendatione elatus, mox alibi in Victorium ipsum non semel insultauit, & per huius loci correctionem viros omnes clarissimos suæ ætatis insectatus est: atq; in primis Hermolaum barbarum virum præstantissimum. Quasi vero maior gloria è maledictis in alios, quam è bonitate, splendoreque explicationum possit cõparari. Habebat Maioragius ante oculos. Primi Comitis affinis sui modestiam & integritatẽ ad imitandum, qui Primus non solum est ob singularẽ eruditio-

ditionem non obscurum Mediolani ornamentum, sed etiã ob bonitatem, & animi moderationem. Cæterum quod in templis etiam pecunias colligerent in honorem eiusdem matris Deorum, facile patet ex his carminibus Ouidii:

*Ante Deum matrem cornu tibicen adunco*
*Cum canit, exiguæ quis stipis æra neget?*

Hæc eadem Dea vocata fuit variis hominibus. nã & Proserpina, & Isis, & Cybele, & Idæa, & Berecynthia, & Tellus, & Rhea, & Vesta, & Pandora, & Phrydia, Pylena, & Dindymẽ, & Pessimuntis à locis aliquando vel à causis vocata est. Fertur Rhea vbi Iouem in vtero gestaret, atq; Saturni deuitaret prædictam crudelitatem, ad montem Thaumasium Arcadiæ peruenisse, qui mõs fuit ab Hoplodamo, aliisq; illius sociis Gigantibus in auxilium accitus, si forte Saturnus illi vim inferre paruisset. Hic autem mons non procul distabat à Molosso flumine. Fama est Rheam in parte quadam Lycei peperisse, atq; in hoc monte deceptum fuisse Saturnũ cum lapidem pro filio accepisset, cuius in iugo spelũca fuit quædam, in quam ingredi viris religio prohibeat, cum solis fæminis initiaturis sacris introire fas esset. Testatur Lucianus in Nigrinis satis fuisse Phrygiæ tibiæ sonum ad incitandos ad sacrificia Rheæ sacerdotes, cum illo audito statim in furorem verti soliti essent. Neq; vero pinus solum sacrata fuit Deorum matri, vt diximus, sed etiam quercus, vt testatus est Apollod lib. 3. de Diis. Et vitis, vt sensit Euphorion, quando quidam eius etiam effigiem è vite facere solebant. Atq; Titiæ & Cyllene prius Milesii sacrificii consueuerunt, deinde Deorum matri, cuius Deæ ara frondibus quernis ornabatur. vt testatur Apollon. lib. 1. Argonaut. in his:

*βωμὸν δ' αὖ χεράδος παρνήεον, ἀμφὶ δὲ φύλλοις*
*στεψάμενοι δρυΐνοισι θυηπολίης ἐμέλοντο,*
*μητέρα Δινδυμίην πολυπότνιαν ἐγκαλέοντες,*
*ἐνναέτιν Φρυγίης, Τιτίην θ' ἅμα Κύλληνόν τε·*
*οἳ μοῦνοι πολέων μοιρηγέται ἠδὲ πάρεδροι*
*μητέρος Ἰδαίης κεκλήαται, ὅσσοι ἔασι*
*Δάκτυλοι Ἰδαῖοι Κρηταιέες· οὕς ποτε νύμφη*
*Ἀγχιάλη Δικταῖον ἀνὰ σπέος ἀμφοτέρῃσι*
*δραξαμένη γαίης Οἰαξίδος ἐβλάστησε.*

*Accumulans aræ lapides, quam frontibus ornant*
*Quernis & sacris onerantes lancibus aram,*

*Dindymeam matrem placida mox voce vocarunt,*
*Incola quæ Phrygiæ est: Cyllenumq; Titiamque,*
*Qui soli fatis vrbes, qui regna gubernant,*
*Matris & Idææ comites dicuntur, & ijdem*
*Dactyli Idæi Cretes: quos Nympha creauit*
*Anchiale terram stringens Oeaxidis agri*
*Ambabus manibus Dictæo proxima colli*

Fuit autem Titias Heroes indigena Crensiū, vt sensit Callistratus lib. 2. Heracleę: quē fabulati sunt Iouis fuisse filium, cum tamen Callimachus in Heracle illum maiorem natu Cimmerij Mariandyni filiorum tradiderit ob huius fœlicitatem cum gens illa maxime res suas auxisset illum postea Heroem fatis vrbium præfectum existimari lege sanxerunt, vt inquit Theophanes, & Promachidas in iis quæ scripsit de Heraclea: ἀπεθεώθη γὰρ ὁ Τιτίας ἀπὸ Μαριανδυνῶν, δι' ὃν μάλιστα τὸ ἔθνος ἐκεῖνο κύξηταί τε καὶ προῆκται πρὸς εὐδαιμονίαν. *Inter Deos relatus est Titias à Mariandynis, quoniam per illum gens illa maxime aucta est, ad fœlicitatem est perducta.* Atque de Rhea tot dicta sunt.

¶ Nunc sententiam antiquorum ex his eliciamus. Dictū autem fuit modo physicas rationes naturæ & elemētorum, modo vitæ recte gubernandæ pręcepta sub his fabulis fuisse ab antiquis implicata. sic enim ea quæ dicuntur de Rhea, pertinent ad elemētorum naturam. Quod autem Rhea terra sit, vel vis terræ quæ ad generationem rerum pertransit, facile patet ex eius parentibus, & ex illis quæ ita scribuntur ab Apollonio lib. 1. Argonaut.

——— ἔνθεν ἐς αἰεὶ
ῥόμβῳ καὶ τυπάνῳ Ῥείην Φρύγες ἱλάσκονται.
ἡ δέ που εὐαγέεσσιν ἐπὶ φρένα θῆκε θυηλαῖς
ἀνταίη δαίμων· τὰ δ' ἐοικότα σήματ' ἔγεντο
αὐτομάτη φύε γαῖα τερείνης ἄνθεα ποίης·
θῆρες δ' εἰλυούς τε κατὰ ξυλόχους τε λιπόντες,
οὐρῇσιν σαίνοντες ἐπήλυθον.

*Timpana cum rhombis adsunt, placatur vt olim*
*A Phrygibus mater Diuum Rhea, cum sibi sacra*
*Præmissis fieri haud dubiis vult obuia signis.*
*Arboribus fructus nascuntur: lumina florum*
*Sub pedibus diuæ effundit mox Dædala tellus.*

Iamque

*Iamq; fe a in syluis linquentes pignora, caudas*
*Motantes Diuam mulcent.*

Erat enim rhombus rota quædam parua, quam vertentes manu loris pondera ferri aut æris habentibus diuerberabant, vt scripsit Bacchylides: quod fieri consueuisse inquit, ne quod verbum aut vox molesta inter illa sacra audiretur. ego autem illud fieri magis crediderim, quia terram ventis & imbribus vndique pulsari significarent. enimuero quare terra sit Rhea: & cur in curru vehi fingeretur, & cur turritam gestaret coronam, curve haberet Gallos sacerdotes ita patefecit Lucret. lib. 2.

*Hanc veteres Graium docti cecinere poetæ*
*Sed bus in curru biiugos agitare leones,*
*Aeris in spacio magnam pendere docentes*
*Tellurem, neq; posse in terra sistere terram*
*Adiunxere feras: quod quamuis effera proles,*
*Officiis debet molliri victa parentum.*
*Muraliq; caput summum cinxere corona,*
*Eximiis munita locis quod sustinet vrbes.*
*Quo nunc insigni per magnas dedita terras*
*Horrifice fertur diuina matris imago*
*Hanc variæ gentes ant quo more sacrorum*
*Idæam vocitant matrem, Phrygiasq; cateruas*
*Dant comites, quia primum ex illis finibus edunt*
*Per terrarum orbem fruges cœpisse creari.*
*Gallos attribuunt, quia numen qui violarint*
*Matris, & ingrati genitoribus inuenti sint,*
*Significare volunt indignos esse putandos*
*Viuam progeniem quod in oras luminis edant.*
*Tympana tenta sonant palmis & cymbala circum*
*Concaua, raucisonoq; imitantur cornua cantu,*
*Et Phrygio stimulat numero caua tibia mentes,*
*Telaq; præportant violenti signa furoris,*
*Ingratos animos atq; impia pectora vulgi*
*Conterrere metu quæ possint numine Diuæ.*

Hæc Dea vxor Saturni credita est, quoniam mutationibus elementorum tempus adest necessario. Inde vero effectum est, vt marinorum omnium, & cœlestium, ac terrestrium Deorum pater Saturnus, ac Rhea mater crediti sint, cum Dii ipsi vires sint elementorum, vt dictum fuit quæ cum

tempore agunt. Nam terram omnium corporum naturalium vinculum & fundamentum antiqui fuisse crediderunt, circa quam frequentiores fierent mutationes ad procreandum, atque hæc non sine tempore patre. Hanc cum basin elementorum & vinculum esse animaduerterent, postea accidit Deos ac Deorum vires cognosci, rerumque singularum actiones ab hominibus coli: cum omnia ab vno Deo proficisci minime adhuc intelligerent. Ex hac enim omnia pullulasse ita inquit lib. 1. Apollonius:

*ἐκ γὰρ τῆς ἄνεμοί τε, θάλασσά τε, νειόθι τε χθὼν*
*πᾶσα τε πείρηται, νιφόεν θ' ἕδος οὐλύμποιο.*
*Ex hac sunt venti, tellus, atq; æquora nata*
*Ventosa, & vasti flammantia sidera mundi.*

At vero multo sapientior Orpheus hanc Protogoni, siue solius Dei summi filiam nominauit, cum omnia elementa, omnisq; mundi machina à Deo rerum omnium opifice profecta sit. Sed quid opus pluribus? Hanc ipsam Deam terram fuisse aperte declarant illa carmina Demetrii Byzantii, quæ sunt in primo libro suorum poematum hoc pacto:

*Ῥεία θεῶν βασίλισσα, καὶ ἁπάντων γενέτειρα*
*ἄνθεσι καὶ καρποῖς χαίρουσα, φιλόκροτε δαῖμον,*
*πηγάων ἀρχὴ, ποταμῶν ἕδος ἀσφαλὲς αἰεί.*
*τὴν περὶ γ' ἱσταμένην εἰλίσσεται οὐρανὸς ὕψι.*
*πάντροφε, παγγενέτειρ, πανθελγὲς, δῖα τιθήνη·*
*τὴν περὶ μὲν θῆρες σκαίρουσι, καὶ ἄγρια πάντα*
*θηρεία παρτρέπεται,*
*Rhea Deum regina, virum prædulcis alumna,*
*Fructibus & gaudens, strepitu lætissime dæmon,*
*Fontibus alma parens, fluuiis æternaq; sedes,*
*Quam circum assidue cœlum conuoluitur altum:*
*Omnia fers, mulces, producis, & omnia nutris.*
*Te circum est semper rapidorum turba ferarum*
*Blanditurq; sua placide dulcedine cauda.*

Hanc eandem Deam fuisse aliquando Tellurem vocatam, vel illa argumento esse possunt, quæ ipsi Telluri vocatam, vel illa argumento esse possunt, quæ ipsi Telluri tribuebantur, & instrumenta, & vires quæ omnia Telluri, Vestæ, ac Rheæ conueniebant; quæ possumus facile ex his carminibus Alexidis perdiscere:

*μῆτερ ἐμὴ Γαίη, Φρυγίων θρέπτειρα λεόντων.*

ἁδὲ μόνοις μύσταις οὐκ ἀπάτητον ὄρος.
σοὶ τάδε θῆλυς Ἄλεξις ἑῆς οἰστρήματα λύσσης
ἄνθετο χαλκοτύπου παυσάμενος μανίης.
κύμβαλά τ' ὀξύφθογγα, βαρύφθογγόν τ' ἀλαλητὸν
αὐλῶν, οὓς μόσχου λοξὸν ἔκαμψε κέρας.
τύμπανά τ' ἠχήεντα καὶ αἵματι φοινιχθέντα
φάσγανα, καὶ ξανθάς, τὰς πρὶν ἔσεισε, κόμας.
ἵλαος ὦ δέσποινα τὸν ἐν νεότητι μανέντα,
γηραλέον προτέρης παῦσον ἀγριοσύνης.

*Alma parens Tellus, Phrygiorum & alumna leonum,*
*Soli cultori rite adeunda Dea,*
*Instrumenta sui dicat ista furoris Alexis?*
*Libera ab horrisono hac ipsa furore dicat.*
*Cymbala sunt, raucoq; sono mox tibia: frontis*
*Lunata vitulis cornua flexu vide.*
*Tympana sunt prauiter pulsantia corda: cruenti*
*Sunt enses: sunt, quas dedicat ille, coma.*
*Sat fuit insanus iuuenis: miserere senecta,*
*O Dea fac cesset qua sumus ipse furor.*

Finxerunt hanc in curru vehi, quia suaptê natura terra in aere suspensa videtur, cum nulla re fulciatur, neque tamen in aliquam partem magis declinet. Circa hanc feræ sunt, quia omnia animalia ab illa producantur & nutriantur: quæ cum multas ciuitates habeat, merito corona turrita insignitur. Instrumentorum vero strepitus, vim significat ventorum, qui plurimum faciunt, vt quasi leones sunt ad omnia naturæ negocia, cum sint frigoris & caloris non leues ministri, & tanquam pluuiarum ac serenitatis vehicula trahitur à quatuor ferocissimis leonibus eius currus, qui nihil sane sunt aliud, quam ab Oriente & Septentrione, & his à latere regionibus venti. Hi dicuntur illam vehere, quoniam vis generationis plurimum illis adiuuatur. Cum vero omnia ex illa fluere, & in ortum deduci appareant, iure Rhea ἀπὸ τοῦ ῥεῖν, siue à fluendo, dicta est. At nunc de Latona dicatur.

## *De Latona.* CAP. VI.

FVit autem Latona Cœi ac Phœbes filia, vti testatur Apollodorus libro primo & Hesiodus, ita in Theogonia:

*Φοίβη δ' αὖ Κοίου πολυήρατον ἦλθεν ἐς εὐνήν.*
*κυσαμένη δ' ἤπειτα θεὰ θεοῦ ἐν φιλότητι*
*Λητὼ κυανόπεπλον ἐγείνατο μείλιχον αἰεί.*
*Inde thorum Cœi Phœbo conscendit, & illi*
*Iuncta in amore Deo, Latonam concipit almam.*

Sic Ouidius etiam lib. 6. mutationum:

*Quoq; modo audetis genitam Titanida Cœo*
*Latonam præferre mihi?*

Homerus autem hymnicus in hymno in Apollinem Latonam Saturni filiam fuisse scribit hoc pacto:

*Λητοῖ κυδίστη θύγατερ μεγάλοιο Κρόνοιο.*
*Inclyta Latona ó Saturni filia magni.*

Aiunt quidam, inter quos fuit Hecatæus, in locis Celtica terra superioribus Insulam esse Oceani non minorem Sicilia, Vrsas versus, quæ ab hominibus habitatur Hyperboreis vocatis, quod longius distet à flatibus Boreæ; quæ fertilis est & abundans rerum omnium, mirificamque habet temperiem, bisque fructus ferat quotannis: in qua fabulantur natam esse Latonam. Fabulantur hanc compressam fuisse à Ioue ob eximiam pulchritudinem, quam cum in vtero gestare sensisset Iuno, illam depulit è cœlo, iussitq; Pythoni serpenti vt illam insequeretur. Deinde terra vniuersa iurare coacta est, quod parturienti Latonæ locum non cõcederet, præter Delum insulam: illa enim cum esset instabilis per illud tempus, sub vndis forte delitescebat: quę deinde cum tempus pariendi Latonæ aduẽtasset, vtpote non iurata in Latonam, iussa est à Neptuno consistere, & locum parturienti præbere, vt scripsit Lucianus in dialogo Iridis & Neptuni. Hæc igitur insula in mari Ægæo cum tunc ad recipiendam Latonam emersisset atque apparuisset ex vndis Delus vocata fuit, quod nomen manifestum & apparens significat. Præclare igitur se habent illa carmina Alphei Mitylenæi, quæ scripta sunt in laudem Deli, quod Apollo & Latona post cœlum hanc vnam insulam patriam suam ex omnibus terris arbitrati sunt, cum ita inquiant:

*Λητοῦς ὠδίνων ἱερὴ τροφὲ τὴν ἀσάλευτον*
*Αἰγαίῳ Κρονίδης ὥρμισεν ἐν πελάγει.*
*οὐ νύ σε δειλαίην μέλψεις δέσποινα βοήσω*
*δαίμονας, οὐδὲ λόγοις ἔψομαι Ἀντιπάτρου.*

ὄλβιζω δ᾽ ὅτι Φοῖβον ἐδέξαο. καὶ μετ᾽ ὄλυμπον
    Ἄρτεμις οὐκ ἄλλην, ἤ σε λέγει πατρίδα.

*Latonæ partus nutrix, quam Iupiter olim*
    *In maris Ægræ sistere iussit aquis;*
*Nulli per superos infœlix esse fereris:*
    *Non ego te verbis alloquor Antipatri.*
*Te voco fœlicem quod Phœbum cœperis, & quod*
    *Solam te patriam clara Diana vocat.*

Quanquam alii maluerunt Latonam ipsam sub tempus pariendi in coturnicem versam in Insulam volauisse, & sub ea forma latuisse Iunonem, ad cuius insulæ, quæ illam acceperit beneficii memoriam, insulam postea Ortygiam nominauit, cum sit ὄρτυξ coturnix apud Græcos. Fabulantur tamen alii Asteriam fuisse Latonæ sororem: quæ, cum Iupiter illam ad congressum insequeretur, fuerit ipsa, at non Latona in coturnicem conuersa, & in mare conuolarit. deinde memorant ab illa Asteriam in insulam fuisse cõuersam, vt scripsit Callisthenes in nauigatione. Non igitur mirum est, si, cum Iupiter Latonam compressisset, soror sorori locum ad pariendum concesserit. Memoriæ proditum est à Pausania in rebus Atticis Latonam antequam pareret zonam apud Halimusios non procul à mari soluisse, cum proximum iam esset tempus pariendi, qui locus postea Zoster ab illa re fuit appellatus. fuit postea in hac insula vrbs in planitie ædificata, templumque nobilissimum Apollinis & Latonæ, cui mons Cynthus erat propinquus, & fluuius Iompus nomine non valde magnus, qui per Insulam fluebat, vt testatur Strabo lib. 10. Hanc aiunt apud palmam & oliuam, vt dictum fuit, peperisse, vti testatur Euripides in Iphigenia in Tauris hoc pacto;

ποθοῦσ᾽ Ἄρτεμιν λοχείαν,
ἃ παρὰ Κύνθιον ὄχθον οἰκεῖ,
φοίνικά θ᾽ ἁβροκόμαν,
δάφναν τ᾽ εὐερνέα. καὶ
γλαυκᾶς θάλλον ἱερὸν ἐλαίας
Λατοῦς ὠδῖνα φίλαν.
*Cupiens Dianam parientium fautricem,*
*Quæ iuxta Cynthium tumulum colens,*
*Palmamque suauiter comatam*
*Laurumque bene ramosam, &*

*Glauca germen sacrum oliua,*
*Latonæ dolo is amicum.*

Sed neq; tamẽ in illa insula clam partũ edere potuisset, nisi Iunonem armorũ Curetum strepitus obtudisset, cum assidue solicita esset, & Latonã insequeretur ne alicubi pareret. Complexa igitur palmã, vt à doloribus solueretur, peperit. cum mos sit parturientium mulierum proxima quæq; apprehendere, atque ita nixæ partus doloribus soluuntur. Enixa est igitur Dianam & Apollinem, vt ait in his Orpheus:

*δῦ τέκνον Ζηνὸς γονίμην ὠδῖνα λαχοῦσα,*
*γειναμένη Φοῖβόν τε, καὶ Ἄρτεμιν ἰοχέαιραν.*
*E Ioue quæ quondam es partus sortita dolores,*
*De qua sunt Phœbus simul & Diana creati.*

Quamuis Herodotus in Euterpe Dionysi & Isidis inquit Apollinem & Dianam esse filios, at nutricem fuisse Latonam, vt dictum fuit. Neque illud est silentio prætermittendum, quod Latona, cum propinquaret pariẽdi tempus, oberraretq; in littore Atticę non procul à mari, zonam soluit ob tumorem ventris in loco Zostere ab eo euentu vocato. Sed vt communiorem sententiam sequamur, recens natus Apollo sagittis serpentem illum occidit, qui matrem Latonam ad id vsque tempus insecutus fuerat, vt scripsit Pindarus in Pythiis. atque cum multa de Latona dicta sint superius, eadem repetere ducimus superuacaneum; quare tot de illa in præsenti dicta sufficiant, si tantum hoc addiderimus quod Phœbus postmodo in Lyciam, Diana in Cretam vbi adoleuissent, in montem Dictymnum secesserunt, ac Delum matri habitandam reliquerunt. Nunc autem quid Latonam esse voluerint antiqui, perquiramus.

¶ Fuerunt qui Latonam matrem fuisse Apollinis tradiderint, quia suauitas Musicæ Harmoniæ malorum omniũ obliuionem inducat, quæ sunt in hac miserrima & molestiarum plenissima hominum vita. Dicunt Dianam filiam fuisse eiusdem Latonæ, quia Musica modo ad lenitatẽ muliebrem animos mortaliũ inflectat, modo ad fortitudinem erigat & inflammet, strenuosque faciat. Nam memoriæ proditum est Timotheum Musicum, vbi in conuiuio Musica instrumenta apud Macedonem Alexandrum pulsaret, ita eius regis animum inflammasse, vt ad capienda arma è conuiuio exilierit: deinde cum ab illa tam acri chordarum tracta-

tractatione ad leniorem modum deueniſſet, iterum accubuit Macedo; vt ſcriptum reliquit Ariſtoxenus in libro de Tibicinibus. Alii crediderunt Dianam genitam dici à Latona, quoniā venationis etiam exercitatio plurimum conferat ad deponendas & delēdas animi moleſtias. Hanc inquiunt Phœbes & Cœi filiam fuiſſe, qui Cœus è Cœlo natus eſt, quoniam omnium bonorum pater ac mens diuina omnibus q̄ ſunt ac vigent ſuam bonitatem impertit; neq; quidquam eſt boni, quod non à diuina bonitate cœlitus proficiſcatur: omnium igitur malorum obliuio filia eſt ſuperni luminis. Hæc malorum obliuio cum plena ſit ſpe & pulchritudine de cœlo aduenientе, ab humanis calamitatibus tanquam à ſerpēte, terrore afficitur: veruntamē ope diuina ad partū adiuuatur, ac ſerpētem deniq; ſup erat. Alii tamen inter quos fuit Lyſimachus Alexand. lib. 10. rerum Thebanarum, maluerūt hoc ad mundi procreationē perduci: qui dixerunt ſidera & ſolem vi maxima caloris in ſuperna loca raptum fuiſſe, vbi primum poſt chaos rerum informium formæ, ac elemēta enituerunt, terra molli adhuc exiſtente, & lutoſa, & inſtabili ſede nutante cū calor æthereus paulatim conualuiſſet, ac ſemina ignea in eam defluxiſſent: tunc enim Lunam inferiorem locum inter corpora cœleſtia occupaſſe memorant, vt quæ craſſiore ſit natura. Sic igitur phyſici Latonā terram eſſe crediderunt, cui Iuno diu obſtitit, ne Phœb. ac Diana naſcerentur. atqui Iuno aer eſt, vt oſtēdimus, q humidus ſupra modū, grauiſq; exiſtens erat impedimento, quo minus duo lumina viderentur ob denſitatē, quaſi ne naſcerentur: ſed vis Neptuni deniq; cōceſſit, vt terra, quæ prius ſub aqua latebat, ſiccaretur, qua exſiccata & apparēte ex aquis Latona peperit: nam ceſſantibus nebulis hæc duo lumina cōtinuo apparuerūt. Quod vero Apollo ſerpentē qui matrem inſectabatur, ſagittis cōfecerit, ita Stoicus Antipater interpretatus eſt: terræ humidæ & recentis adhuc exhalatio cum eſſet frequens, volubili impetu ſurſum ferebatur: at cum non apte poſſet ob copiā digeri, rurſus ferebatur deorſum, omniaq; putredine corrumpebantur. At illa putredo, cum fiat omnis putredo per calorē non ſine humectatione, oēs terræ fructus infeſtabat neq; quidquā per illam aeris inclementiā naſci poterat. At enim diuina prouidentia tandem factum eſt, ita ſtatuente

Neptuno, terra paulatim ficciore facta, Soleq; vapores iam validiore extenuante, vt pestifera illa exhalatio astrorum virtuti cesserit: quare dictus est Apollo sagittis serpentem siue putredinem suis radiis illam domuisse. Ac de Latona satis, nunc de Curetibus aut Dorybantibus dicamus.

### *De Curetibus siue Corybantibus.* CAP VII.

CVretes autem illi qui Iouem cum Rhea Saturni patris crudelitati subtraxerunt eumque in Cretam educandum deportarunt, num dæmones fuerint, an homines, dubitari solet: siquidem Hecatæus Milesius in iis libris, quos de Phoroneo conscripsit modo ὀρχηστὰς θεοὺς, saltatores Deos scilicet; modo παιγνήμονας, lusores siue iocosos, vocauit. at vero Menodorus Samius in iis cōmentariis quos de rebus Sami egregiis conscripsit, Κουρῆτας θεοὺς χαλκάσπιδας, Curetes æreis scutis armatos Deos appellauit. Heraclides autem Ponticus in rebus Amatoriis non Deos, sed Cretenses homines putauit esse, qui primi omnium mortaliū ærea arma in Eubœa induerint, Iouemq; nutrierint, & cum illo postea militauerint, eumq; in regnum paternū deduxerint. Fama est Curetes & Corybetes ab Idæis Dactylis fuisse genitos, vt memoriæ prodidit in rebus Cretensiū Echemenes, qui viros centum in Creta genitos fuisse memorat, atq; illos Ideos Dactylos fuisse vocatos: à quib. nouem Curetes fuerunt procreati, qui singuli decem viros genuere quos postea nominarunt Idæos Dactylos, vt ait Strabo li. 10. Dionysius vero Chalcidicus quindecim illos fuisse scripsit: at Pherecydes quinquaginta & duos, quos etiam ex Apolline & Rhytia Nympha natos fuisse tradidit. alii contra è Cabera Prœtei filia & Apolline. Vocati sunt Idæi ab Ida monte Cretæ, vt sensit Hellanicus: vt vero Mnaseas lib. 1. de Asia, à patre Dactylo & à patre Ida. at Posidippus epigrammatum poeta vocatos fuisse Idæos Dactylos putauit, quia in Ida monte Cretæ Rheæ obuii digitos eius attigerint cum illam complecterentur. Fuerunt autem præstigiatores Idæi Dactyli, ferrique in varias formas diducendi artifices, aliorumque metallorum inuentores, vt patet ex his carminibus eius poetæ qui Phoronidem scripsit:

——— ἔνθα γόητες
Ἰδαῖοι Φρύγες ἄνδρες ὀρέστεροι οἰκί' ἔναιον.
Κέλμις, Δαμναμενεύς τε μέγας, καὶ ὑπέρβιος Ἄκμων,

εὐπα-

*εὐπάλαμοι θεράποντες Ἀδρηστείης.*
*οἳ πρῶτοι τέχνην πολυμήτιος Ἡφαίστοιο*
*εὗρον ἐν οὐρείῃσι νάπαις, ἰόεντα σίδηρον,*
*ἐς πῦρ τ' ἤνεγκαν, καὶ ἀριπρεπὲς ἔργον ἔδειξαν.*
*Præstigiatores homines hic tecta suarum*
*Idæi coluere Phryges montana domorum:*
*Celmis, Damnameneus ingens, præsignis & Acmon,*
*Egregij famuli Adrasteæ; qui prius artem*
*Vulcani repperere Dei prudentis in altis*
*Montibus, & ferrum varias docuere figuras*
*Ignibus impositum,*

Eratosthenes in Architectonico, & Scepsius, Curetas & Corybantes eosdem esse tradiderunt, quod etiam sensit Orpheus in his.

*Κουρῆτες, Κορύβαντες, ἀνάκτορες δὲ δυνάστε.*
*Curetes clari Coribantes regia proles.*

Alii Rheæ datos à Titanibus ministros fuisse Corybantes armis instructos è Bactriana inquiunt, alii è Colchis, alii è Phrygia, Fuerunt qui dixerunt Telchines nouē fuisse Rhodi, comites Rheæ, qui in cretam accesserint, qui dicti sint Curetes ex quo tempore Iouem educarunt: at Corybantes Solis & Mineruæ filios, fuisse dæmones. Quidā Saturni filios eos esse crediderunt, quidam vero Iouis & Halliope, cum alii Curetes Hecates ministros arbitrarentur. Curetes siue Corybantes in matris Deorum sacrificiis armati saltabant casti & pueri assumpti. Dicti sunt Curetes ἀπὸ τοῦ κουρύπτειν, quia caput inter saltandum iactabant, exercebantq; enopliam pyrrhicam saltationē, ensibus scuta inter saltandum cum harmonia percutientes. Fuerunt nonnulli, inter quos Callisthenes in primo nauigationis, & Euphorion, qui Dactylos, Idæos, Curetas, Corybantes, Caceros, Telchinas eosdem putarint esse, cum alii cognatos quidem esse inter se, sed paulū differre. Narrant Curetas nonnulli Pleuronium agrum habitasse, qui Cureticus postea ab illis nominatus fuit. Archemachus Euboicus hos Chalcidem inquit incoluisse, qui cum de Lilanto campo dimicarent, atq; hostes priorem partē cæsariei horum caperent, cum dabatur facultas, illam capillorum partem totonderunt, & inde à tondendo Curetes sunt nominati. Cum postea in Ætoliā migrassent, & Pleuronis loca trans Acheloum occupassent

intonsa seruantes capita Acarnanes dicti sunt. Alii, quia lõgas stolas gestarent tanquam puellæ, ita nominatos contẽderunt. Semus lib. 7. eorum quæ erant in Delo, Curetas filios fuisse scribit Danaidis Nymphæ Cressæ, & Apollinis, cum essent Corybãtes Apollinis & Thaliæ: quare non eosdem fuisse contendit. Apollodorus autem Atheniensis libr. 2 Bibliothecæ memoriæ prodidit hos fuisse à Ioue occisos; quia Epaphum, quem pellex Io pepererat, Iunonis hortatu ceperunt occultandum. Hos Curetas memorant spiritu afflatos Bacchico & valde tumultuosa armorum agitatione cum strepitu, fragore, cymbalis, tympanis, tibiis, vociferatione inter sacrificia vti solitos, vt præsentes perterrefacerent, Deæque reuerentia & metu adimplerent. Atqui hunc sacrorum ritum, quem seruabant Curetes in sacris Deæ Rheæ, ita breuiter expressit Lucret. lib. 2.

*Hic armata manus (Curetas nomine Graij*
*Quos memorant Phrygios) inter se forte caterua*
*Ludunt, in numerumq; exultant sanguine læti,*
*Terrificas capitum quatientes numine cristas.*
*Dictæos referunt Curetas, qui Iouis illum*
*Vagitum in Creta quondam occultasse feruntur,*
*Cum pueri circum puerum pernice chorea*
*Armatum in numerum pulsarunt æribus æra.*

¶ Atqui rectissime pro antiquorum theologia musica ratio Deorum sacrificiis addita fuit, non solum quia compositos animos sacrificantium, & aras Deorum accedentium esse oportere significabant, cum metro compositæ preces domo essent ad altaria afferendæ (neque enim animus domesticis negociis implicatus debet ad Deum colendum proficisci, sed omnia negocia pro viribus è memoria obliteranda sunt cum ad aras accedimus) sed etiam quia, cum Deos corpora cœlestia esse arbitrarentur, è numeris & harmonicis proportionibus, Deos ipsos constare putarent. Sic igitur per hymnorum, & instrumentorum, & saltationum rhythmum Deorum naturam imitabantur, & oblectabantur sacrificantes, & dies festos agentes, conuiuiis ac genio indulgentes, Deorumque ipsorum fœlicitatẽ aliquo pacto imitantes, pro viribus proxime ad Deorum immortalium naturam accedebant. Nam cum præclarum Dei opus mundum concentu constare crediderint, omnia

musica

musica Diis grata esse merito existimabant. Orpheus vero cum alios marinos, alios terrestres, alios cœlestes dęmonas è Curetibus appellet, videtur dæmonas tempestatib. præfectos, vel potius ventos ipsos Curetas existimasse, vt apparet ex his carminibus:

*χαλκόκροτοι Κουρῆτες, Ἀρήϊα τεύχε' ἔχοντες,*
*οὐράνιοι, χθόνιοί τε, καὶ εἰνάλιοι, πολύολβοι,*
*ζωογόνοι πνοιαί. κόσμου σωτῆρες ἀγαυοί.*
*Ærea pulsantes Curetes arma, marini,*
*Cœlestes, ac terrestres, Mauortia pubes.*
*Fructiferi venti, qui vasti mœnia mundi*
*Seruatis.*

Nihil sane aliud horum strepitus, quam vim ventorum indicabat, qui etiam ministri Rheæ dicebantur, quoniam per ventos, vt dictum fuit, & pluuiæ & frigora & omnia deniq; naturæ opera perficiantur: Nam nullum animal potest gigni nisi per ventum sperma extrudatur, quod ipsum accidit in omnibus plantarum seminibus. Quod autem venti sint Curetes, & quod ijdem & salutis & molestiarum in naturæ operibus sint autores, patet ex his Orphei carminibus, quæ pontum etiam ab illis exagitari significant, cum nihil aliud quam venti mare infestet magis:

*δαίμονες ἀθάνατοι, τροφέες καὶ αὖθ' ὀλετῆρες.*
*ἡνίκ' ἂν ὁρμαίνητε χολούμενοι ἀνθρώποισι·*
*ὀλλῦντες βίον καὶ κτήματα, ἠδὲ καὶ αὐτοὺς*
*πιμπλάντες· στοναχεῖ δὲ μέγας πόντος βαθυδίνης,*
*δένδρη δ' ὑψικάρηνα ἐκριζοῦν ἐς χθόνα πίπτει,*
*ἠχὼ δ' οὐρανία κελαδεῖ ῥοιζήμασι φύλλων.*
*Dæmones æterni, ac perdentes facta virorum,*
*Cum grauis irarum fluctus vos sciscitat, arua*
*Vastantes, frugesq; nouas; tum rursus & arua*
*Frugibus implentes: per vos mare murmurat alte,*
*Conuulsæq; cadunt plantæ ab radicibus imis,*
*Et late resonat cœlestis sibilus auræ.*

Nam omnis fertilitatis & salutis animalium amores sunt venti, quare ministri terræ merito ab antiquis sunt crediti: cum plus conferat ad omnem fertilitatem iucunditatemq; terræ cœlestis benignitas, vt ait Theophr. in causis plantarum, quam vniuersus labor annuus agricolarũ. At de Curetibus & Corybantibus satis, nunc de Cyclopibus dicamus.

## De Cyclopibus. CAP. VIII.

FVERVNT autem Cyclopes Cœli & Terræ filij, vt ait Hesiodus in his carminibus in Theogonia:

γείνατο δ' αὖ Κύκλωπας ὑπέρβιον ἦτορ ἔχοντας,
Βρόντην τε, Στερόπην τε, καὶ Ἄργην ὀβριμόθυμον·
οἳ Ζηνὶ βροντήν τ' ἔδοσαν, τεῦξάν τε κεραυνόν.
οἳ δή τοι τὰ μὲν ἄλλα θεοῖς ἐναλίγκιοι ἦσαν,
μοῦνος δ' ὀφθαλμὸς μέσσῳ ἐνέκειτο μετώπῳ
Κύκλωπες δ' ὄνομ' ἦσαν ἐπώνυμον, οὕνεκ' ἄρα σφέων
κυκλοτερὴς ὀφθαλμὸς ἑοῖς ἐνέκειτο μετώποις,

*Hæc eadem peperit Cyclopas deinde superbos,*
*Argen magnanimum, pariter Bronten, Steropenque.*
*Qui fulmen, tonitrumq; Ioui grauia arma parabant.*
*Cætera Diis similes fuerant: sed fronte rotundum*
*Lumen gestabant media: hinc sunt nomen adepti.*

Euripides tamen Cyclopas marini Dei hoc est Neptuni filios illos nominauit in Cyclopibus, cum inquiat:

ἵν' οἱ μονῶπες Ποντίου παῖδες θεοῦ
Κύκλωπες οἰκοῦσ' ἄντρ' ἔρημ' ἀνδροκτόνοι.
τούτων ἑνὸς ληφθέντες, ἐσμὲν ἐν δόμοις
δοῦλοι· καλοῦσι δ' αὐτὸν, ᾧ λατρεύομεν,
Πολύφημον

*Monoculi vbi Dei marini filij*
*Cyclopes homicidæ antra deserta incolunt.*
*Vnius horum nos sumus serui domi:*
*Illumq; cui seruimus, ipsi nominant*
*Polyphemum.*

At cum Polyphemus inter hos omnes, qui centum fuisse memorantur, viribus corporis, formæque magnitudine præstaret: non satis constat quibus parentibus ortus fuerit: quippe cum Apollonius libro primo Argonauticorum illum admirabilis magnitudinis Polyphemum Neptuno & Europa Tityi filia natum fuisse inquiat, in his carminibus:

Ταίναρον αὖτ' ἐπὶ τοῖσι λιπὼν Πολύφημος ἵκανε.
τὸν ῥα Ποσειδάωνι ποδωκηέστατον ἄλλων
Εὐρώπη Τιτυοῖο μεγασθενέος τέκε κούρη.
κεῖνος ἀνὴρ καὶ πόντου ἐπὶ γλαυκοῖο θέεσκεν
οἴδματος, οὐδὲ θοοὺς βάπτεν πόδας, ἀλλ' ὅσον ἄκροις

ἴχνεσι

ἴχνεσι πεζγόμβμ⊙ διερῇ πεφόρητο κελεύθῳ.
*His actis Polyphemus adest mox Tanaro, at alma*
*Europa hunc Tityi genuit pulcherrima proles*
*Neptuno celerem supra omnes, viribus acrem.*
*Per mare cæruleum timidis cum tollitur vndis,*
*Curreret, & summas vix tingeret æquore plantas.*

Andro vero Teius in Affinitatem Epitomis & Posidonius Polyphemum patre Elata, at matre Stilbe Nympha natum fuisse memorat. Conō in Heraclea Elasi & Amymones Polyphemum filium fuisse tradidit. Homerus in primo Odysseæ Polyphemum Neptuni & Thoosæ nymphę filium scripsit. Cyclopas autem singulos vnum oculum tantum habuisse in media fronte, ita scripsit Apollodorus libro primo: μετὰ τύτης δὲ αὐτῷ τεκνοῖ Γῆ Κύκλωπας, Ἄρτλω, Στερόπλω, Βρόντλω ὧν ἕκαστος εἶχεν ἕνα ὀφθαλμὸν ἐπὶ τῦ μετώπυ. *Post hos Tellus è Cælo Cyclopes peperit, Harpen, Steropen, Bronten, quorum singuli vnum oculum habebant in fronte.* Hos in Lipara Insula, quæ Meligunis etiam dicta est, habitasse, quæ est vna ex Æoliis, ita scripsit Callimachus in lauacrum Dianæ:

αὖτι δὲ Κύκλωπας μετεκίαθε· τὺς μὲν ἔτετμε
νήσῳ ἐνὶ Λιπάρῃ, (λιπάρη νέον, ἀλλὰ τότ' ἔσκεν
οὔνομά οἱ Μελιγυνὶς) ἐπ' ἄκμοσιν Ἡφαίστοιο
ἑσταότας περὶ μύδρον. ἐπείγετο γὸ μέγα ἔργον.
*Continuo Cyclopas adit: tunc reperit illos*
*In Lipara, namq; hic habitabant: nomen at illi*
*Tum Meligunis erat. candentis pondere circum*
*Hi stabant ferri, Vulcani incudibus amplis*
*Imposuit: nam vrgebat opus prægrande.*

Euripides in Cyclope videtur reliquos Cyclopas Polyphemi filios putasse, cum ita scribat dicentem Polyphemum:
ἤδη δὲ παῖδας προσνέμοντας εἰσορῶ
ποίμνας.
*Custodientes filios cerno greges.*

Hunc in spelunca habitare solitum & oues in Sicilia custodire, magis notum est, quam vt indigeat explicatione, cum in eadem tragœdia etiam id scribat Euripides, & Homerus lib. 1. Odysseæ. Scriptum reliquit Onasus in primo libro rerum Amazonicarum Laronomen Herculis sororem, Amphityonisq; & Alcmenæ filiam: fuisse Polyphemi vxorem.

Erat autem victus Polyphemi, aliorumque Cyclopum fructus, quicunque è terra nascebantur, nullisque vtebantur legibus vt ait Hom. in libro nono Odyss. quos etiam ἀθεμίστους siue exleges vocat in his carminibus:

Κυκλώπων δ' ἐς γαῖαν ὑπερφιάλων ἀθεμίστων,
ἱκόμεθ', οἵ ῥα θεοῖσι πεποιθότες ἀθανάτοισιν
οὔτε φυτεύουσι χερσὶ φυτὸν, οὔτ' ἀρόωσιν.
ἀλλὰ τά γ' ἄσπαρτα καὶ ἀνήροτα πάντα φύονται
πυροὶ καὶ κριθαὶ καὶ ἄμπελοι, αἵ τε φέρουσιν
οἶνον ἐριστάφυλον. καί σφιν Διὸς ὄμβρος ἀέξει.
τοῖσιν δ' οὔτ' ἀγοραὶ βουληφόροι, οὔτε θέμιστες·
ἀλλ' οἵ γ' ὑψηλῶν ὀρέων ναίουσι κάρηνα
ἐν σπέσσι γλαφυροῖσι· θεμιστεύει δὲ ἕκαστος
παίδων ἠδ' ἀλόχων· ἀλλήλων ἀλέγουσιν.

*Venimus ex legum ad Cyclopum protinus arua,*
*Qui superum freti bonitate, haud semine iacto*
*Obuertunt terras, manibus nec germina plantant:*
*Omnia sponte sua nullis nascuntur aratris*
*Hordea, frumentumve coactum, ac ipsa racemos*
*Vinea producit, quos auget Iupiter imbre.*
*Non fora, non causas norunt, non iura senatus:*
*Aspera in excelsis habitantes montibus antra,*
*Et puer, & magnis de rebus iudicat vxor*

Nam primum viuendi genus quod vrbanitatem quandam videretur continere, primi instituerunt Cyclopes: qui cum filiis & vxoribus de rebus vtilibus consultabant. Fuerunt qui dixerint vtile fuisse ciuitates condere, & cum homines in vnum conuenissent, leges ferre, atque idcirco horum commodorum autores mirificis laudibus extollunt. Ego contra, nihil magis perniciosum contigisse humano generi hominum censeo, cum commoda illa quæ cum ciuitatibus excogitata sunt, omnium scelerum causæ fuerint. Satis enim erat homini ad fœliciter viuendum Dei cognitio, & lex, quæ pulsari quempiam vetasset; cum auaritia, latrocinia, ignauia, ambitio, bella, Deorum contemptus, & omnia scelera denique cum commodis ciuitatum pullulauerint: quæ nisi introducta fuissent omnes plantationibus & agriculturæ nunc essemus intenti, fœlicissimiq; sine principum auaritia viueremus. Fama est Galateam fuisse amatam à Polyphemo, vt ait Theocritus in Cyclo-

Cyclope. Istud autem contigit quia Philoxenus Cytherius cum eo adiisset, templumq; vidisset Galateæ à Cyclope erectum causam ignorans. Polyphemum illã amasse credidit, & idcirco templũ illud ei erexisse, vt scripsit Alcimus libr. 3. rerum Sicularum & enarrator Theocriti. At huius amoris remedium & fistula, & Musarum cãtibus vsus est Polyphemus. vt testatur Theocritus, dicitur Polyphemus nõ modo amasse Galateam, sed etiã Galatũ ex illa suscepisse, vt testatus est Bacchylides cum quidam Celtum etiam Polyphemi filium fuisse inquiant, à quo dicti sunt Celtæ: & Illyricum, à quo Illyris: & Henetũ, vt quidã voluerũt, à quo regio postea Venetia: & Paphlagonẽ, vt ait Dercyllus in lib. de nominib. vrbiũ & locorum. Hylã præterea non ab Hercule, sed à Polyphemo fuisse amatũ memorant, vt ait Socrates in cõmentariis ad Idotheum, & Zenodotus in linguis. Dicitur & Tirynthe vrbs opus fuisse Cyclopum, cuius muri fuerunt è rudibus lapidib. extructi, eratq; illa eorũ magnitudo, vt nec minimus quidẽ eorum vel iumentorum bigis loco moueri posset, vt scriptum reliquit Pauſ. in Corinthiacis, quod factum fuit ad Præti gratiam, vt ait Strabo lib. 8. Quidam arbitrati sunt Mycenes etiam muros validissimos extructos fuisse è Cyclopib. quos Argiui fugatis Mycenæis demoliri non potuerunt, Erat autem Polyphemus Cyclopum princeps homo nõ solum agrestis & ferus, sed plane incõsideratus, qui cum pecudibus etiã aliquando loqueretur, vt testatur Cic. lib. 5. Tusc. disputationum. nam is beatum arietem appellat, quod quã vellet posset inire & attingere, cum Cyclops ariete illo nihilo esset prudentior. Quis enim sapiens appellari possit, qui fœlicitatẽ humanã in turpissima libidine sitam esse arbitratur? nam qui inter vina, lautioraq; pocula, aut inter immodicũ commodorum à natura ad conseruãda corpora datorum vsum se fœlicem censeat, ebrietateque omnium prope facinorum turpissima vincatur; nonne inter beluas potius hic, quam inter homines est connumerãdus: Quid enim deformius dici aut commemorari potest, quam si tantum Polyphemi corpus in spelunca prostratũ, & frusta esorum hominum cum vino eructans, multoque vomitu pectus & barbam deturpatam ac fœdissime olentẽ, & ipsum Polyphemum inter eum vomitum iacentem videremus: at quantæ vires quã paruis poculis infractæ sunt? ne

que abhorret sane ab huiusmodi ebrietate & imprudentia legum, æquitatis, & Deorum contemptio, & impietas, omnis illa, quam Homerus illi attribuit:

*ὡς ἐφάμην· ὁ δέ μ' αὖτις ἀμείβετο νηλέϊ θυμῷ·*
*νήπιός εἰς ὦ ξεῖν', ἢ τηλόθεν εἰλήλουθας,*
*ὅς με θεοὺς κέλεαι ἢ δειδίμεν, ἢ ἀλέασθαι.*
*οὐ γὰρ Κύκλωπες Διὸς αἰγιόχου ἀλέγουσιν,*
*οὐδὲ θεῶν μακάρων: ἐπειὴ πολὺ φέρτεροι εἰμέν.*
*οὐδ' ἂν ἐγὼ Διὸς ἔχθος ἀλευάμενος πεφιδοίμην*
*οὔτε σεῦ, οὔθ' ἑτάρων. εἰ μὴ θυμός με κελεύει.*
*Sic ego: sic contra ie turbato pectore fatur.*
*Stultus es, aut huc è longinquis finibus erras,*
*Qui curare Iouemq; montes, superosq; vereri.*
*Nec mos Cyclopum est superos curare, Iouem ve:*
*Quod superisq; Iouiq; superno robore præstant.*
*Nec tibi, vel sociis parcam, magni Iouis iram*
*Quo vitem, nisi sic animo mihi sederit ipsi.*

Atque is qui nullo rationis ductu, nullaque vel hominum vel Deorum reuerentia moueatur, trahaturque ad æquitatem, quo pacto non tanquam belua omnem suam fœlicitatem in ventris voluptate collocauit? at tanta fuit eius Cyclopis arrogantia, vt nulla habita beneficentiæ Dei, & benignitatis cæli ratione, sed terram ad fertilitatem cogere arbitraretur, tanquam sola humana diligentia sufficeret agris colendis. sic enim gloriatur apud Euripidem:

*ἡ γῆ δ' ἀνάγκη, κἂν θέλῃ, κἂν μὴ θέλῃ,*
*τίκτουσα ποίαν, τἀμὰ πιαίνει βοτά·*
*ἃ 'γὼ οὔτινι θύω, πλὴν ἐμοί, θεοῖσι δ' οὔ.*
*καὶ τῇ μεγίστῃ γαστρὶ τῇδε δαιμόνων.*
*ὡς τοὐμπιεῖν γε κἀμφαγεῖν τοὐφ' ἡμέραν,*
*Ζεὺς οὗτος ἀνθρώποισι τοῖσι σώφροσι·*
*λυπεῖν δὲ μηδὲν αὐτόν. οἳ δὲ τοὺς νόμους*
*ἔθεντο, ποικίλλοντες ἀνθρώπων βίον,*
*κλαίειν ἄνωγα.*
*Necesse terra sit volenti, siue non,*
*Herbas creare, pinguis vt sit grex meus.*
*Nulli deorum, sed mihi quem nutrio,*
*Et huic Deorum maximo ventri: viris*
*Vt solus est hic Iupiter prudentibus.*
*Bibendi, edendi hic lex diebus singulis,*

*Viuendi & vsq; suauiter qui legibus*
*Ornare vitam protinus mortalium*
*Voluere, ego valere iussi iamdiu,*

Sed tamen tanta hæc arrogantia vltores Deos aliquando experta est. nam cum in profecti illuc Vlyssis socios Polyphemus sæuisset, ac nonnullos vorasset, illud verum esse, quod ita scribitur à Theognide, expertus est.

*οὐδείς πω ξεῖνον Πολυπαίδη ἐξαπατήσας,*
*οὐδ᾽ ἱκέτην θνητῶν, ἀθανάτους ἔλαθε.*

*Hospes decipiens peregrinos, siue regantum*
*Suppliciter vocem, nemo Deos latuit.*

Nam profecto ille qui neque Iouem, neq; superos vel tantilli faciebat, qui terræ etiam imperare sibi videbatur, qui nullam curabat cœli clementiam, hic ab homunculo Vlysse, vel oculo, quem vnicum habebat, priuatus est: quare nõ solum Deorum consilio, sed etiam humanis viribus deniq; cedant oportet, qui supra humanas facultates temeritate quadam extolluntur. Memoriæ prodidit Apollodorus libro primo Deorum, Cyclopes statim natos in tartarum deiectos fuisse, deinde Iouis opera ita precante Tellure, quia victoriam illi aduersus patrem vaticinata esset, è vinculis liberatos, & in lucem reductos cæsa Campe, quæ illos custodiebat. Tunc Cyclopes Plutoni galeam donarunt, q̃ si quis haberet, à nemine videri poterat: tonitrua, & fulgura, & fulmina Ioui, quibus omnes mortales perterrefaceret: tridentem autem Neptuno quo maria omnia perdomaret. Idcirco crediti sunt ex illo tempore Cyclopes, & inter hos maxime Brontes, Steropes, ac Pyracmon fulmina Ioui in Ætna Siciliæ monte facere, vt ait Virgil. lib. 8.

*Ferrum exercebant vasto & Cyclopes in antro,*
*Brontesq;, Steropesq;, & nudus membra Pyracmon,*
*His informatum manibus iam parte polita*
*Fulmen erat toto genitor qua plurima cœlo*
*Deiicit in terras: pars imperfecta manebat,*
*Tres imbris torti radios, tres nubis aquosæ,*
*Addiderant, rutili tres ignis, & alitis Austri*
*Fulgores nunc terrificos, sonitumq; metumq;*
*Miscebant operi, flammisq; sequacibus iram.*

Cum igitur Æsculapius fulmine cæsus fuisset, Apollo mor-

tem filii grauiter ferens, fulminis ministros & artifices sagittis confecit, vt est apud Euripidem in Alcestide, atque ita scripsit Orpheus in Argonaut.

*ὑννηφέθι Κύκλωπας ἀμαιμακέτοισιν ὀϊστοῖς*
*ἐν Φθιάδεσσιν ἔπεφν᾽, Ἀσκληπιοῦ εἵνεκα λώβης.*
*Cyclopas quantam transfixerat ille sagittis,*
*Æsculapi causa miseri, quæ vulnera fleuit.*

¶ Atque hæc illa sunt, quæ de Cyclopibus fabulose memoriæ prodita fuerunt ab antiquis scriptoribus, nunc veritatem ex his exprimamus. omnia autem fabularum figmenta, vt diximus superius, proprium quoddam habẽt historiæ fundamentum: vt ea quæ dicta sunt de Æolo, quod adiacentibus Liparæ insulis imperauerit. Sic Scylla & Charybdis dictæ sunt non solum illis de causis, q̃ commemoratæ sunt, nauigantes absorbere sed etiã quia piratæ & latrones loca finitima habitarent, qui præter nauigantia nauigia prædarentur. Læstrygonas autẽ & Cyclopas Ætnæ & Leõtinis vicina loca incolentes immanes & efferos quosdã homines fuisse memorãt, & maleficos & latrones, & in omnes peregrinos prorsus inhumanos, quare hæc de illis tradita sunt. Verumtamen cum nullũ scelus mortalium Deus inultum esse patiatur, vt diutius pœnas daret pro flagitiis & crudelitate Polyphemus, Deus non immisit consiliũ Vlyssi, vt illum, cum posset, iugularet (nam id quidem breue futurum erat supplicium) sed vt oculo illo amplo, quem vnicum habebat, priuaret. Dictus est autem Cyclops ab oculo circulari, Huic ante illud suppliciũ eximiam crudelitatem impietatemq; inauditam tribuit poeta, quẽ facit in amorem prope furiosum, & ebrietate victũ, & in omnes voluptates corporis maxime propensum, atq; omnino imprudentẽ: cum nemo maius & prudens vno tempore esse possit. Alii tamen maluerunt fabulam hanc ad physicas rationes traduci, qui dixerunt Cyclopas esse vapores, è quibus fulmina, & fulgura, & tonitrua nascãtur. Hi dicuntur fuisse Cœli & Terræ filii, quoniam vapores è terra, non nisi per calorem cœlestem extolli, atque extenuari in aera possunt. Cum vero multi etiam ex aquis extenuatis oriantur, merito Europæ siue Terræ & Neptuni filius dictus est Cyclops Polyphemus. Huic matrem Stilbẽ tribuerunt, quod nomen splendidam significat. alii Thoosam quasi curren-

tem

rem eius matrem dixerunt, quia frequentes & citi ascendunt vapores, quo tempore fieri solent fulmina. Dicti sunt habitare Ætnam montem Siciliæ igne abundantem, quoniam non nisi per calores fiunt, cum frigore cogantur, & de cœlo depellantur. Horum tres præcipue dicti sunt Ioui fulmina fabricare, Harpes, Brontes, Steropes, quod Harpes ad se rapiat vapores, pro quo alii Pyracmonem substituerunt. Est enim Polyphemus, vt nomen ipsum significat, multus strepitus, siue multus sonitus: ac Pyracmon, multus ignis. Nam nisi magna vis ignis, multaq; vaporum copia fuerit, fiunt quidem fulgura & tonitrua, at fulmina certe aliquo horum trium ministrorum deficiente fieri vel creari non possunt. at βροντᾶν tonare significat, vnde dictus est Brontes. Steropes fulgur est, & splendoris qui fulmina antecedit. Cum hæc in aere contingant circa fulmina, hæc fabula de Cyclopibus confecta est ad explicanda illa quæ fiunt in sublimi ab antiquis: est enim idem atq; si dixissent: vapores ex aqua & terra virtute caloris cœlestis, Solis scilicet, extenuati sublimes extolluntur, qui vbi condensantur eliso calore, fiunt tonitrua & fulgura & fulmina, q̄ deorsum ab aere supremo, qui Iupiter appellatus est, pelluntur ac deiiciuntur. Hi dicuntur fuisse aliquando in tartarum à patre detrusi, & in lucē postea à Ioue reuocati, quoniā calor per hyemem vapores inferius attrahit sub terram, cum vis frigoris illos intra terrā coerceat: at Ioue reuocante tēperie aeris sc. è tartaro liberantur, Campe cæsa, siue glacie potius & crusta terræ liquefacta. Fabulantur Polyphemum victum fuisse dolo ab Vlysse, cum antea esset omnibus formidabilis, quia prudentia mortaliū res arcanas naturæ denudauerit q̄ antequam cognoscantur, sunt in maxima admiratione ac metu, quales ferūtur fuisse eclipses ante Thaletis tempora, qui primus naturam rationemq; defectuum Solis & Lunæ patefecit, animosq; mortalium insigni trepidatione liberauit. At Cyclopib. tamen aram pro mortalium dementia structam fuisse, ad quam res diuina fieret, scripsit Paus. in Corinthiacis. & diuinos honores illis fuisse institutos. Dictus est autē Apollo Cyclopas filii causa occidisse, quoniā vapores per vim Solis & coguntur & soluūtur. sunt enim Cyclopes vapores, è quibus fiunt fulmina, & venti, & imbres, ita dicti quod in circulum assidue ferantur,

nam modo ascendunt rarefacti per vim Solis, modo in pluuias condensantur, in circulumque vertuntur in elementa, de quibus ita ait Lucr. lib. 3.

*Et primum faciunt ignem se vertere in auras*
*Aeris, hinc imbrem gigni terramq; creari*
*Ex imbri, rursusq; à terra cuncta reuerti:*
*Humorem primum, mox, aera, deinde calorem.*

Ac de Cyclopibus satis, nunc de Lycaone dicamus.

## *De Lycaone.* CAP. IX.

NEque vero Lycaon satis commodum pro sua crudelitate vitæ suæ finem consecutus fuit. quem tradiderunt fabulæ pro sua feritate ex humana forma in beluam omnium prope ferarum crudelissimam Deorum immortalium ira versam fuisse. Lycaon fuit eius Pelasgi filius, qui natus est è Ioue ac Niobe, & regnauit in Arcadia: qui cum primum regnare cœpisset, rudes adhuc homines tuguria ad arcendas frigoris & æstus & imbrium & ventorum iniurias ædificare docuit: tunicasque facere instituit è coriis suillis. Deinde à frondium & herbarum & radicum vsu, quibus vel incaute perniciosis aliquando vescebantur pro cibariis, ad salubriores glandes, & ad eas præcipue quæ de fagis legerentur, diuertit: quare illud dictum est de Arcadibus ab oraculo:

*πολλοὶ ἐν Ἀρκαδίῃ βαλανηφάγοι ἄνδρες ἔασι.*
*Plurimi in Arcadia vescentes glande feroces*
*Mortales habitant.*

Lycaonis mater fuisse dicitur Melibœa Oceani filia, vt putauit Hesiodus, vel, vt aliis magis placuit Cyllene nympha, vt scripsit Apollodorus libro tertio. Fertur Lycaon eodem tempore imperasse Arcadibus, quo Cecrops Atheniensibus: quem Iupiter in lupum vertisse dicitur, quoniam ad aram Iouis Lycæi infante mactato humanum sanguinem libauerit. Aiunt inter ipsa sacra, antequam ab ara discederetur, illum in lupum fuisse mutatum, sicuti ait in Arcadicis Pausanias. hic in Lycæo monte Lycosuram vrbem condidit, & templum in ea: quod Iouis Lycæi appellauit, & ludos in eius honorem instituit, quæ vocata sunt Lupercalia. Neque vero solus Lycaon dictus est in illis sacrificiis in lupum fuisse conuersus, sed etiam alii complures ex omnibus temporibus sequentibus: qui non tamen in omne

tempus erant mutati, ſed decimo tandem anno, niſi interim humanam carnem guſtaſſent, priſtinam formam recuperabant. Neq; ſane mirũ eſt hæc memoriæ prodita fuiſſe ab antiquis, cum priſci illi homines Deorum hoſpites & conuiuæ pro iuſtitiæ pietatiſque meritis effici dicerentur, quare viris bonis & piis certiſſima præmia, ſceleratis & sõtibus ingentia ſupplicia ex ira Deorũ proponebantur. Sed antequam in lupum verteretur, ex vxore Atlantis filia, & ex aliis nõnullis multos filios ſuſcepit, quorum hæc ſunt nomina: Acacus, Acontes, Ægeon, Æmon, Aliphenus, Ancyor, Archebates, Bucolion, Canethus, Carteron, Caucon, Cletor, Corethon, Cynethus, Eleatas, Euæmon, Eumetes, Eumon, Genetor, Hæmon, Harpaleus, Harpalycus, Heliſſon, Helix, Heræeus, Horus, Leõ, Linus, Lycus, Macareus, Macednas, Macedon, Mænalus, Mantinus, Meciſtus, Nyctimus, Opleus, Orchomenus, Pallas, Peucetius, Phaſſus, Phineus, Phthinus, Phthius, Phyſius, Plato, Polichus, Portheus, Prothous, Socleus, Stymphelus, Tegeus, Thnocus; Titanas, Trapezeus. Nam cum Apollodorus quinquaginta fuiſſe inquiat, ego tamen multo plures fuiſſe apud varios ſcriptores inuenio: quippe cum Calliſto etiam de qua & Ioue natus eſt Arcas, quem tamen quidam Apollinis filiũ fuiſſe malunt: & Dia, de qua & Apolline natus eſt Dryops, filiæ fuiſſe Lycaonis memorantur. Hecatæus Mileſius lib. 2. Genealogiarum longe aliam tradidit rationem cur Lycaon & eius filii fuerint in lupos conuerſi, quam explicauit poſtea Ouid. ſic enim inquit: Πελασγὸς ἦν παῖς Διὸς καὶ Νιόβης. οὗ παῖς ἦν Λυκάων καὶ Μελιβοίης κόρης, εἴτουν Κυλλήνης, ὥς φασιν. οὗτος ἔπειτα βασιλεὺς τῶν Ἀρκάδων καταστὰς, κατὰ χρησμόν τινα ἐκ πολλῶν γάμων πολλοὺς παῖδας λαβὼν, αὐτὸς ὢν ἀσεβὴς, ἀσεβεῖς καὶ τοὺς παῖδας περιέλαβεν· ὧν Μαίναλος, Θεσπρωτὸς, σὺν Νυκτίμῳ καὶ Καύκωνι Λύκος, Φθῖός τε, καὶ Τελεβόας, Αἵμων, Μαντίνους, Στύμφηλος. Κλείτωρ, Ὀρχόμενός τε, καὶ ἄλλοι, οἱ πάντες ἀσεβείᾳ καὶ ὑπερηφανίᾳ ἐνίκων. ὁ δὲ Ζεὺς χερνήτῃ εἰκασθεὶς παραγίνεται αὐτοῖς· οἱ αὐτοὶ καλέσαντες ἐπὶ ξένια, ἵνα τῶν ἐγχωρίων παιδαρίων σφάττουσι καὶ τὰ σπλάγχνα συμμίξαντες, παρέθεντο τῇ τραπέζῃ. τοῦτο δὲ Ζεὺς ἐγνωκὼς, καὶ μυσαχθεὶς, τὴν μὲν τράπεζαν ἀνέτρεψεν, ὅθεν ἐκεῖνος ὁ τόπος Τραπεζοῦς ἐν Ἀρκαδίᾳ, καὶ Τραπεζοῦς ἡ πόλις καλεῖται. τῶν δὲ Λυκάονος παίδων, ὡς ἀσεβησάντων εἰς ξένον μετ' αὐ-

nam modo ascendunt rarefacti per vim Solis, modo in pluuias condensantur, in circulumque vertuntur in elementa, de quibus ita ait Lucr. lib. 3.

*Et primum faciunt ignem se vertere in auras*
*Aeris, hinc imbrem gigni terramq; creari*
*Ex imbri, rursusq; à terra cuncta reuerti:*
*Humorem primum, mox, aera, deinde calorem.*

Ac de Cyclopibus satis, nunc de Lycaone dicamus.

## *De Lycaone.* CAP. IX.

NEque vero Lycaon satis commodum pro sua crudelitate vitæ suæ finem consecutus fuit. quem tradiderunt fabulæ pro sua feritate ex humana forma in beluam omnium prope ferarum crudelissimam Deorum immortalium ira versam fuisse. Lycaon fuit eius Pelasgi filius, qui natus est è Ioue ac Niobe, & regnauit in Arcadia: qui cum primum regnare cœpisset, rudes adhuc homines tuguria ad arcendas frigoris & æstus & imbrium & ventorum iniurias ædificare docuit: tunicasque facere instituit è coriis suillis. Deinde à frondium & herbarum & radicum vsu, quibus vel incaute perniciosis aliquando vescebantur pro cibariis, ad salubriores glandes, & ad eas præcipue quæ de fagis legerentur, diuertit: quare illud dictum est de Arcadibus ab oraculo:

*πολλοὶ ἐν Ἀρκαδίῃ βαλανηφάγοι ἄνδρες ἔασι.*
*Plurimi in Arcadia vescentes glande feroces*
*Mortales habitant.*

Lycaonis mater fuisse dicitur Melibœa Oceani filia, vt putauit Hesiodus, vel, vt aliis magis placuit Cyllene nympha, vt scripsit Apollodorus libro tertio. Fertur Lycaon eodem tempore imperasse Arcadibus, quo Cecrops Atheniensibus: quem Iupiter in lupum vertisse dicitur, quoniam ad aram Iouis Lycæi infante mactato humanum sanguinem libauerit. Aiunt inter ipsa sacra, antequam ab ara discederetur, illum in lupum fuisse mutatum, sicuti ait in Arcadicis Pausanias. hic in Lycæo monte Lycósuram vrbem condidit, & templum in ea: quod Iouis Lycæi appellauit, & ludos in eius honorem instituit, quæ vocata sunt Lupercalia. Neque vero solus Lycaon dictus est in illis sacrificiis in lupum fuisse conuersus, sed etiam alii complures ex omnibus temporibus sequentibus: qui non tamen in omne tempus

tempus erant mutati, sed decimo tandem anno, nisi interim humanam carnem gustassent, pristinam formam recuperabant. Neq; sane mirũ est hæc memoriæ prodita fuisse ab antiquis, cum prisci illi homines Deorum hospites & conuiuæ pro iustitiæ pietatisque meritis effici dicerentur, quare viris bonis & piis certissima præmia, sceleratis & sõtibus ingentia supplicia ex ira Deorũ proponebantur. Sed antequam in lupum verteretur, ex vxore Atlantis filia, & ex aliis nõnullis multos filios suscepit, quorum hæc sunt nomina: Acacus, Acontes, Ægeon, Æmon, Aliphenus, Ancyor, Archebates, Bucolion, Canethus, Carteron, Caucon, Cletor, Corethon, Cynethus, Eleatas, Euæmon, Eumetes, Eumon, Genetor, Hæmon, Harpaleus, Harpalycus, Helisson, Helix, Heræeus, Horus, Leõ, Linus, Lycus, Macareus, Macednas, Macedon, Mænalus, Mantinus, Mecistus, Nyctimus, Opleus, Orchomenus, Pallas, Peucetius, Phassus, Phineus, Phthinus, Phthius, Physius, Plato, Polichus, Portheus, Prothous, Socleus, Stymphelus, Tegeus, Thnocus; Titanas, Trapezeus. Nam cum Apollodorus quinquaginta fuisse inquiat, ego tamen multo plures fuisse apud varios scriptores inuenio: quippe cum Callisto etiam de qua & Ioue natus est Arcas, quem tamen quidam Apollinis filiũ fuisse malunt: & Dia, de qua & Apolline natus est Dryops, filiæ fuisse Lycaonis memorantur. Hecatæus Milesius lib. 2. Genealogiarum longe aliam tradidit rationem cur Lycaon & eius filii fuerint in lupos conuersi, quam explicauit postea Ouid. sic enim inquit: Πελασγὸς ἦν παῖς Διὸς καὶ Νιόβης. οὗ παῖς ἦν Λυκάων καὶ Μελιβοίης κόρης, εἴτουν Κυλλήνης, ὥς φασιν. οὗτος ἔπειτα βασιλεὺς τῶν Ἀρκάδων καταστὰς, κατὰ χρησμόν τινα ἐκ πολλῶν γάμων πολλοὺς παῖδας λαβὼν, αὐτὸς ὢν ἀσεβὴς, ἀσεβεῖς καὶ τοὺς παῖδας περιέλαβεν· ὧν Μαίναλος, Θεσπρωτὸς, σὺν Νυκτίμῳ καὶ Καύκωνι Λύκος, Φθῖος τε, καὶ Τηλεβόας, Αἵμων, Μαντίνους, Στύμφηλος. Κλείτωρ, Ὀρχομενός τε, καὶ ἄλλοι, οἱ πάντες ἀσεβείᾳ καὶ ὑπερηφανίᾳ ἐνίκων. ὁ δὲ Ζεὺς χερνήτῃ εἰκασθεὶς παραγίνεται αὐτοῖς. οἱ αὐτοὶ καλέσαντες ἐπὶ ξένια, ἵνα τῶν ἐγχωρίων παιδαρίων σφάττουσι καὶ τὰ σπλάγχνα συμμίξαντες, παρέθεντο τῇ τραπέζῃ. τοῦτο δὲ Ζεὺς ἐγνωκὼς, καὶ μυσαχθεὶς, τὴν μὲν τράπεζαν ἀνέτρεψεν, ὅθεν ἐκεῖνος ὁ τόπος Τραπεζοῦς ἐν Ἀρκαδίᾳ, καὶ Τραπεζοῦς ἡ πόλις καλεῖται. τῶν δὲ λυκαίονος παίδων, ὡς ἀσεβησάντων εἰς ξένον μετ' αὐ-

τοῦ Λυκαίου τοὺς μὲν οἷς λύκους ἔτρεψε, τοὺς δὲ ἐκεραύνωσε.
*Pelasgus fuit Iouis & Niobes filius, qui filium Lycaon è Melibœa suscepit, vel, vt alii putarunt, è Cyllene. Hic postea cum Arcadum imperium adeptus esset ex quodam oraculi responso, multosq; filios è variis nuptiis suscepisset, cum esset ipse impius, impios quoq; filios habuit: inter quos fuit Mænalus Thesprotusq; cum Nyctimo & Caucone, Lycus, Menius, Macareus qui Macareas Arcadiæ vrbē condidit; Menalus, qui nomen dedit ciuitati Arcadiæ; Melaneus, qui Melænas oppidum condidit non procul à Megalopoli; Acontius qui Acontium oppidum Arcadiæ de se nominauit; Charisius, qui Charisius; Cynethus, qui Cynethæ nomē dedit; & Psophis, Phthinus, Teleboas, Æmon, Mantinus, Stympholus, Cletor, Orchomenus, & alii. Omnium igitur horum admirabilis erat improbitas, & temeritas: siquidem vel Ioui in pauperem operarium verso, quē ipsi in hospitium inuitauerant, dicuntur vnum ex infantibus indigenis iugulasse, & eius intestina Ioui cum aliis commista epulāda in mensa apposuisse. Id scelus abominatus Iupiter mensam quidem subuertit, vnde locus ille in Arcadia vocatus est Mensarius, & Mensaria ciuitas extructa postea: at è Lycaonis filiis vna cum ipso Lycaone, quoniam impie in hospitem egissent hos quidem fecit lupos, illos percussit fulmine.* Sic etiam Callisto Lycaonis filia in vrsam conuersa est, quia cum venaretur cum Diana, à Ioue fuit compressa, ne dignosceretur, de qua natus est Arcas. Alii putarunt illum quem ferebat in vtero, Mercurio datum esse seruandum, ac matrem ad sempiternam memoriam in Iunonis contemptum in vrsam maiorem conuersam nitere inter sidera, quam obtinuit tantum Iuno non posse in vndas descendere à Neptuno fratre. Fabulantur etiam Arcadem cum adoleuisset, acceptum frumentum à Triptolemo suis populis tradidisse, panem facere docuisse, & quod ab Adrista præterea didicerat demonstrasse, vestium texturam nimirum ac totum lanificium, sicut Pelasgus vbi regnare cepisset, rudes homines docuit tuguria ædificare ad frigus, æstum, imbresque arcendos, & facere tunicas è coriis suillis, & vesci glandibus, cum prius quibusuis herbis vel perniciosis incautius vescerentur: atque ab hoc Arcades, ab illo Pelasgi populi sunt vocati. Atq; tantæ fuit reuerentiæ apud mortales Arcas, vt cum in Mænalo monte fuisset sepultus, eius ossa iussa sint ex oraculo Delphici Apollinis deportari in Arcadiam, vt ait Pausanias in re-

in rebus Arcadum. Id cum scribat Pausan. in Arcadicis, miratus sum cur dicat vnicam tantum filiam fuisse Lycaoni inter tot mares, quam etiam inquit in gratiam Iunonis fuisse sagittis transfixam: cum Dia etiam Dryops mater filia eius fuerit, vt scripsit Hecatæus.

¶ At cur hæc ficta sunt, & memoriæ prodita, vt ad posteros peruenirent? quia per illa quæ de hominibus fingebantur, significare nobis volebant, quo pacto vel motus animorum essent refrænandi, vel ad humanitatem, & beneficentiam, & Deorum cultum hortabantur: & omnino per fabulas de hominibus confictas vitam humanam optimis moribus instituere conabantur. Sic igitur per Lycaonis fabulam, cum vel Deos ipsos in hospitium mortalium aliquando accedere sumpta pauperum figura dicerent, humanitate aduersus omnes hospites vti oportere significabant. quod si quis parui Deorum præsentiam facere videretur, neque moueretur eorum reuerentia, quia Deos nemini infensos esse crederet, hunc ingentibus præmiis & pollicitationibus ad probitatem adhortabantur. cum multa præmia honorifica data sint à Diis, humanis & benignis hospitibus: quale fuit munus Triptolemi. At contra permulta sunt exempla, quæ à crudelitate & perfidia in hospites deterrebant, quod accidit conuiuio Pelopis, & illis qui grauissime ob suam crudelitatem ab Hercule & ab aliis Deorum filiis sunt oppressi. Quis enim cum videat ex altera parte ingentia supplicia sontibus à Diis irrogari, ex altera laudes & gloriam, & honorifica præmia viris bonis esse proposita; supplicia potius elegerit, & se sanæ mentis esse fateri audeat? At de Lycaone satis, nunc de Pandione dicamus.

## *De Pandione.* CAP. X.

FVit Pandion illius Erichthonii, qui pulso Amphictyone de regno Athenis imperauit, & Pasitheæ Naidis Nymphæ filius, vt scripsit Apollodorus lib. 3. Bibliothecæ. His mortuo patre Erithonio in regnũ successit, quo tempore Ceres & liber pater in Atticã venerũt. Fertur vir bonus fuisse Pandion, sed vna in re parũ fortunatus, quod filiam Prognẽ (nam illã, & Philomelam, & geminos Erechtheum ac

Butem, è Zeuxippe matris suæ sorore susceperat, vt ait Apollodorus lib.3) Tereo Martis & Bistonidis filio, quo socio in bello de finibus aduersus Labdacum vsus fuerat, strenuo sane viro, ac nefario, & in libidinem prope furioso, in matrimonium concesserit. Eius enim libido ipsum deniq; in eam rerum domesticarum difficultatem induxit, vt ipsi in vpupam verti satius fuerit, quam hominem viuere: cum Progne & Philomela & Itys in aues fuerint conuersæ cum summa eius familiæ ignominia & opprobrio, vt ait Horatius lib.4 Carminum:

*N dum ponit, Itym fleb liter gemens,*
*Infœlix auis, & Cecropiæ domus*
*Æternum opprobrium.*

Fuerunt autem Pandiones complures. Dicunt enim quod vbi Boreas Zetem & Calaim ex Orythia procreasset, & Cleopatram, illa nupsit Phineo, de qua ille Pleuxippum & Pandionem suscepit, quamuis alii eos vocatos fuisse Terymbam & Aspondum maluerunt. Hi post matris mortem parui adhuc existentes ab Idæa Dardani filia, vel vt aliis placuit, Idothea nouerca Cadmi sorore lumine capti sunt: de quibus scripsit Apollodorus lib.3. Fuit alius Cecropis & Metiadusæ Eupalami filius: sed reliqui omnes obscuri sunt cum vnus Erichthonii filius, qui patri in regnum successit, ob eam familiæ labem celebratus fuerit à poetis. Hic filios habuit Ægeum, Lycum, Paliantem, Nisum, vt ait Strabo libro nono, qui etiam carmina quædam ad eam rem confirmandam è tympanistis Syphoclis recitauit: in quibus descriptum est, quæ loca singulis filiis pater possidenda tribuerit. Quod autem Ægeus Pandionis filius patri in regnum successerit, ita scriptum est à Phanodemo in lib. 5. de rebus Atticis: Αἰγεὺς ὁ Πανδίονος υἱὸς βασιλεύων Ἀθηνῶν γαμεῖ Μήταν πρῶτον τὴν Ὁπλῆτος, δεύτερον Χαλκιόπην Ῥηξήνορος. *Ægeus Pandionis filius cum imperaret Athenis, Metam primum Hopletis filiam vxorem duxit: postea Chalciopem secundo natam è Rexenore.* Sic Zezes hist.142.chil.7. illi alios mares fuisse inquit:

τῷ βασιλεῖ τῶν Ἀθηνῶν Πανδίονι τὴν κλῆσιν,
ἄρρενες παῖδες ἦσαν τε, καὶ θυγατέρες δύο.
*Regi Athenarum nomine Pandioni*
*Mares erant fili, duæq; filiæ.*

Hæc

Hæc cum ita sunt, miratus sum cur scripserit Pausanias in Atticis, Pandionem nullos habuisse filios, qui suas iniurias persequerentur, quas à Rege Thraciæ acceperat: nam si noluisse filios iniurias persequi dixisset, facile illi assentirem. Hæc pauca dicenda duxi de Pandione, cum filiarum fabula superius explicata sit, vt si qua ibi desiderarentur, hinc accipi possent. Atque cur ficta sint hæc, ex illis superioribus arbitror patuisse. At nunc de Erichthonio.

## *De Erichthonio.* CAP. XI.

ENimuero dictum est superius. Vulcanum cum arma Iouis, quibus in bello aduersus Gigantes vsus est fabricasset, pro laboris diligentiæque mercede obtinuisse, vt Iupiter iuraret per Stygiam paludem quodcunque poposcisset, se illi concessurum. At Vulcanus Mineruæ nuptias, cui Iupiter perpetuam virginitatem cõcesserat, postulauit: id abnuere quidem non potuit, sed clam Mineruam monuit vt reluctaretur. Cum igitur Mineruam adiisset Vulcanus, dicitur inter luctandum semen profudisse, quod in terram fusum in hominem conuersum est. quam inquit Pausanias in Atticis, huic patrem fuisse neminem mortalium, sed quoniam ex terra & contentione sit genitus Vulcani, ita fuisse nominatum. Hunc terrigenam & inter serpentes educatum fuisse scripsit Euripides in Ione hoc pacto:

*προγόνων νόμον σώζουσα, τοῦ τε γηγενοῦς*
*Ἐριχθονίου. κείνῳ γὰρ ἡ Διὸς κόρη*
*φρουρὼ παραζεύξασα φύλακας σώματος*
*δισσὼ δράκοντε, παρθένοις Ἀγραυλίσι*
*δίδωσι σώζειν· ὅθεν Ἐρεχθείδαις ἐκεῖ*
*νόμος τις ἐστιν, ὄφεσιν χρυσηλάτοις*
*τρέφειν τέκν'.*

*Seruans auorum legem, & è terra sati*
*Erichthonij Iouis puella namq; ei*
*Duos dracones corporis mox addidit*
*Custodias, deinde seruandum dedit*
*Atheniensibus puellis mansit hinc*
*Mos ille Erechthidis, vt ornent filios*
*Serpentibus aureis.*

Alii tamen dictum fuisse volunt non à contentione, quam ἔρις significat, sed ἀπὸ τοῦ ἐρίου, à lana scilicet. qua Minerua

Butem, è Zeuxippe matris suæ sorore susceperat, vt ait Apollodorus lib.3) Tereo Martis & Bistonidis filio, quo socio in bello de finibus aduersus Labdacum vsus fuerat, strenuo sane viro, ac nefario, & in libidinem prope furioso, in mattrimonium concesserit. Eius enim libido ipsum deniq; in eam rerum domesticarum difficultatem induxit, vt ipsi in vpupam verti satius fuerit, quam hominem viuere: cum Progne & Philomela & Itys in aues fuerint conuersæ cum summa eius familiæ ignominia & opprobrio, vt ait Horatius lib.4 Carminum:

*N dum ponit, Itym fleb liter gemens,*
*Infœlix auis, & Cecropiæ domus*
*Æternum opprobrium.*

Fuerunt autem Pandiones complures. Dicunt enim quod vbi Boreas Zetem & Calaim ex Orythia procreasset, & Cleopatram, illa nupsit Phineo, de qua ille Pleuxippum & Pandionem suscepit, quamuis alii eos vocatos fuisse Terymbam & Aspondum maluerunt. Hi post matris mortem parui adhuc existentes ab Idæa Dardani filia, vel vt aliis placuit, Idothea nouerca Cadmi sorore lumine capti sunt: de quibus scripsit Apollodorus lib.3. Fuit alius Cecropis & Metiadusæ Eupalami filius: sed reliqui omnes obscuri sunt cum vnus Erichthonii filius, qui patri in regnum successit, ob eam familiæ labem celebratus fuerit à poetis. Hic filios habuit Ægeum, Lycum, Paliantem, Nisum, vt ait Strabo libro nono, qui etiam carmina quædam ad eam rem confirmandam è tympanistis Syphoclis recitauit: in quibus descriptum est, quæ loca singulis filiis pater possidenda tribuerit. Quod autem Ægeus Pandionis filius patri in regnum successerit, ita scriptum est à Phanodemo in lib. 5. de rebus Atticis: Αἰγεὺς ὁ Πανδίονος υἱὸς βασιλεύων Ἀθηνῶν γαμεῖ Μήταν πρῶτον τὴν Ὁπλῆτος, δεύτερον Χαλκιόπην Ῥηξήνορος. *Ægeus Pandionis filius cum imperaret Athenis, Metam primum Hopletis filiam uxorem duxit: postea Chalciopen secundo natam è Rexenore.* Sic Zezes hist.142.chil.7. illi alios mares fuisse inquit:

τῷ βασιλεῖ τῶν Ἀθηνῶν Πανδίονι τὴν κλῆσιν,
ἄρρενες παῖδες ἦσαν τε, καὶ θυγατέρες δύο.
*Regi Athenarum nomine Pandioni*
*Mares erant fili, duæq; filiæ.*

Hæc

Hæc cum ita sunt, miratus sum cur scripserit Pausanias in Atticis, Pandionem nullos habuisse filios, qui suas iniurias persequerentur, quas à Rege Thraciæ acceperat: nam si noluisse filios iniurias persequi dixisset, facile illi assentirem. Hæc pauca dicenda duxi de Pandione, cum filiarum fabula superius explicata sit, vt si qua ibi desiderarentur, hinc accipi possent. Atque cur ficta sint hæc, ex illis superioribus arbitror patuisse. At nunc de Erichthonio.

## *De Erichthonio.* CAP. XI.

ENimuero dictum est superius. Vulcanum cum arma Iouis, quibus in bello aduersus Gigantes vsus est fabricasset, pro laboris diligentiæque mercede obtinuisse, vt Iupiter iuraret per Stygiam paludem quodcunque poposcisset, se illi concessurum. At Vulcanus Mineruæ nuptias, cui Iupiter perpetuam virginitatem cõcesserat, postulauit: id abnuere quidem non potuit, sed clam Mineruam monuit vt reluctaretur. Cum igitur Mineruam adiisset Vulcanus, dicitur inter luctandum semen profudisse, quod in terram fusum in hominem conuersum est. quam inquit Pausanias in Atticis, huic patrem fuisse neminem mortalium, sed quoniam ex terra & contentione sit genitus Vulcani, ita fuisse nominatum. Hunc terrigenam & inter serpentes educatum fuisse scripsit Euripides in Ione hoc pacto:

προγόνων νόμον σώζουσα, τοῦ τε γηγενοῦς
Ἐριχθονίου κείνῳ γὰρ ἡ Διὸς κόρη
φρουρὼ παραζεύξασα φύλακας σώματος
δισσὼ δράκοντε, παρθένοις Ἀγραυλίσι
δίδωσι σώζειν· ὅθεν Ἐρεχθείδης ἐκεῖ
νόμος τις ἐστιν, ὄφεσιν χρυσηλάτοις
τρέφειν τέκν'.

*Seruans auorum legem, & è terra sati*
*Erichthonij Iouis puella namque ei*
*Duos dracones corporis mox addidit*
*Custodias, deinde seruandum dedit*
*Atheniensibus puellis mansit hinc*
*Mos ille Erechthidis, vt ornent filios*
*Serpentibus aureis.*

Alii tamen dictum fuisse volunt non à contentione, quam ἔρις significat, sed ἀπὸ τοῦ ἐρίου, à lana scilicet. qua Minerua

femur sibi abstersit, cum semine Vulcani inquinata fuerat in terram coniecta. Inde postea dicti sunt terrigenæ omnes Athenienses. Neq; vero Erichthonius solum, sed etiam Erechtheus dictus est: sic enim illum nominauit Homerus in Catalogo:

*οἳ δ' ἄρ' Ἀθήνας εἶχον ἐϋκτίμενον πτολίεθρον,*
*δῆμον Ἐρεχθῆος μεγαλήτορος, ὅν ποτ' Ἀθήνη*
*θρέψε Διὸς θυγάτηρ· τέκε δὲ ζείδωρος ἄρουρα.*
*Vrbem preclaram coluerunt isti at Athenas,*
*Fortis Erechthei populum, quem nutrit olim*
*Nata Iouis Pallas, peperit quem dædala tellus.*

Fabulantur huic crura fuisse anguibus similia, quem recēs natum à Minerua susceptum in cistam fuisse absconditum inquiunt. Hanc Aglauro custodiēdam commisit & Hersæ, Pandrosoq; sororibus, easque admonuit ne curiosius quid intus includeretur, inspicerent. Fertur Pandrosus quidem paruisse Deæ mādato, at sorores aliæ cista resignata Erichthonium inspexerunt; quo viso ita furiis repente percitæ sunt, vt se de altissimo & prærupto arcis loco præcipites miserint, vt ait in Atticis Pausanias. Nec defuerunt qui Vulcani & Athenæ Cranai filiæ Erichthonium filium fuisse tradiderint. Scriptum reliquit Apollodorus lib. 3 Erichthoniū postea fuisse à Minerua in templo educatum, qui cum adoleuisset, regnumque Athenarum accepisset, Mineruæ altricis signum in arce erexit, & Panathenæa solennitatem in honorem Mineruæ instituit; cum tamen non desint, quia Theseo illa instituta maluerint. Hic ducta Pasithea, siue, vt aliis magis placet, Phrasithea Nympha filium Pandionem, qui postea in regnum successit, suscepit; & Orythiā, & Procrim filias. Fuit autem Erichthonius quartus, qui regnauit Athenis, cum primus omnium mortalium Cerops ex Ægypto profectus vrbē Athenarum condiderit, eamq; de nomine Palladis, quæ Sais apud Ægyptios vocabatur, vt ait Chares Mitylenæus, Athenas nominauit. Hunc hominē biformem fuisse fabulati sunt; cum partem corporis inferiorem haberet draconis, superiorem hominis: quod alii ob Ægyptiæ Græcæq; linguæ peritiā fictum fuisse arbitrantur: alii, quod & prudētia & robore præstaret, alii, quia leges prior: tulerit de matrimoniis apud Athenienses, cum nemo patrē anteà sed matrem tantum cognosceret, quia per illum ambos

bos parentes singuli cognoscerent. Ego sane longe diuersam ab his omnibus habeo sententiam, quippe quod putem partim draconem, partim hominem fuisse Erichthonium existimatum, quia is vtrumq; & seueritatis & clementiæ tempus recte cognouerit. Est enim optimi ac sapientis Imperatoris, & humanitatis & asperitatis oportunitatem posse diiudicare. cum aliæ nationes aliis temporibus magis asperitate & metu, aliæ iucunditate magis commode regantur. Hic Erichthonius dictus est ad occultandam crurum turpitudinem quadrigas excogitasse: quare de illo scripsit Virgilius lib. 3. Georg.

*Primus Erichthonius currus, & quatuor ausus*
*Iungere equos.*

Post Cecropen igitur regnauit Athenis Cranaus, cui successit Amphictyō, quem hic de regno deiecit. Fuit alius Erichthonius, de quo meminit Apollodorus libro tertio, qui regnauit Troiæ post illum, qui de Astyoche vxore Simoentis filia Troem genuit, vt ait Homerus lib. υ. Iliad.

¶ Atq; tot dicta sint de Erichthonio fabulose. Illa breuiores nos faciunt in hoc loco, quæ superius explicata sunt, cum de Vulcano loqueremur, vbi patuit cur è Terra & Vulcano Erichthonius dicatur esse genitus, & quid esset Minerua, quæ perpetuam obtinuisset virginitatem. Hæc igitur purissima pars est ætheris è capite Iouis nata, è qua nulla nascuntur animalia: at Vulcanus impurus est, in materia ignis, siue calor potius, qui generationem adiuuat, & in terrā decidens multiplicia gignit animalia: quare eius & terræ filius Erichthonius tam diuersæ formæ dicitur fuisse. Atqui furorem immissum fuisse sororibus Pandrosi dixerunt idcirco, quod non paruerint Deæ monitis; quare significabatur contra Deorum mandata non conferre esse curiosos, cū multis mortalibus id sępius calamitosum fuerit, nam multi quia consiliorum secretiorum essent conscii vel hominum, nedum Deorum, per insidias clam de medio fuerunt sublati. at de Achille nunc pauca dicamus.

## *De Achille.* CAP. XII.

EXplicata fuerunt suo loco illa omnia prope quę pertinebant ad Thetidis nuptias: & quod illa à Peleo in matrimoniū ducta pręter cęteros filios, Achillem etiā illi genuit,

cum vero per noctem sub igne filios Thetis occultaret, vt quod mortale illis esset, ita eximeret, filii reliqui omnes mortui sunt; at Achilles per diem ambrosia perunctus, & per noctem sub igne occultatus dicitur aliquandiu perdurasse, donec à Peleo deprehensa illa irata se in numerum Nereidum receperit. Hanc rem ita accipit Apollonius libro quarto Argonaut.

χωσαμένη Ἀχιλῆος ἀγαυοῦ νηπιάχοντος.
ἡ μὲν γὰρ βροτέας αἰεὶ περὶ σάρκας ἔδαιεν
νύκτα διὰ μέσσην φλογμῷ πυρός· ἤματα δ' αὖτο
ἀμβροσίῃ χρίεσκε τέρεν δέμας, ὄφρα πέλοιτο
ἀθάνατος καί οἱ στυγερὸν χροῒ γῆρας ἀλάλκοι.
αὐτὰρ ὅγ' ἐξ εὐνῆς ἀναπάλμενος εἰσενόησε
παῖδα φίλον σπαίροντα διὰ φλογός· ἧκε δ' ἀϋτὴν
σμερδαλέην, ἐσιδὼν μέγα νήπιος. ἡ δ' ἀίουσα,
τὸν μὲν ἄρ ἁρπάγδην χαμάδις βάλε κεκληγῶτα.
αὐτὴ δὲ πνοιῇ ἰκέλη δέμας, ἠύτ' ὄνειρος,
βῆ ῥ' ἴμεν ἐκ μεγάροιο θοῶς, καὶ ἐσήλατο πόντον
χωσαμένη.

*Irata infantis causa narrantur Achillis.*
*Vrere mortales nocturno tempore carnes*
*Consueuerat flammis, vngebat luce diurna*
*Ambrosia tenerum corpus. quo quidquid adesset*
*Mortale eximeret, tristem lueretque senectam.*
*Ast hic è lecto vt surgens cognouit, in igne*
*Vidit vt infantem trepidantem protinus inde*
*Clamorem horrendum tollit: demens. Dea paruum*
*Ponit humi puerum raptim, atque, irata refugit*
*Pars leuibus ventis, volucrique simillima somno:*
*Effugiensque domo in pelagi se condidit vndas.*

Sic igitur Achilles ab igne seruatus Pyrisous primũ vocatus est: atq; cum labrũ tamen exustum fuisset, quod cum lingeret infans, ambrosia non erat perunctũ, dictus est postea Achilles. Alii in lebetẽ bullientis aquæ infantes ab ea iaci solitos inquiunt, vt experiretur an mortales geniti fuissent. Achillis tamen matrẽ Dorion & Chalcidicus Dionysius non Thetim Nerei, sed Chironis filiã fuisse voluerunt. Daimachus contra Alexandrinus in lib. 2. Redituum, Achillẽ Caloes Nymphæ filium fuisse sensit. Scriptum fuit ab Apollodoro lib. 3. Achillem à Peleo susceptum, deportatũ fuisse ad Chironem,

Chironem, quem ille amantissime educauit, atque leonum visceribus illum nutriuit, aprorumq; & vrsorum medullis, lactis prorsus ignarum, vt est in his versibus Euphorionis:

ἐς Φθίην χείλεσι κατῆεν πάμπαν ἄπαστος
τοὔνεκα Μυρμιδόνες μιν Ἀχιλλέα φημίξαντο.

*Nescius omnino lactis Phthiam petit, illum*
*Quare Myrmidones dixerunt nomine Achillem.*

Quod autem Achilles à iustissimo Centaurorum Chirone, educatus sit, ita testatur Euripidis Iphigenia in Aulide:

ἔστιν μὲν οὖν ἵν' ἡδὺ μὴ λίαν φρονεῖν
ἔστιν δὲ χώπου χρήσιμον γνώμην ἔχειν.
ἐγὼ δ' ἐν ἀνδρὸς εὐσεβεστάτου τραφεὶς
Χείρωνος, ἔμαθον τοὺς τρόπους ἁπλοῦς ἔχειν.

*Quandoque dulce sit parum dignoscere.*
*Quandoque confert plurimum dignoscere.*
*Ego viro à pio educatus sum puer*
*Chirone, mores simplices tantum imbibi.*

Fama est Achillem à Chirone auo eruditum fuisse, à quo præter citharæ pulsandæ artē, & vsum herbarum, peritiam venandi & iaculādi & artis medicæ leges æquitatis & prudentiæ edoctus fuit, sicuti traditum est à Staphylo in lib. 3. rerum Thessalicarum. Idem cum annum ætatis suę nonum expleuisset, pronunciassetq; Chalcas vates Troiam sine Achille capi non posse, quia responsum tulisset à matre sibi in eo bello, quod aduersus Troianos gereretur, esse moriendum, puellari habitu indutus in Scyrō, quæ vna est è Cycladibus insulis, inter filias Lycomedis se abdidit, vt lateret duces Græcorum, qui ad Troiam erant militaturi. vna igitur illarum puellarum Deidamia nomine clam ab illo vitiata Pyrrhum filium illi progenuit. Hic tamen inter puellas ab Vlysse cognitus, eius expeditionis laborem ac periculum deuitare non potuit. Thetis igitur cognita necessitate filii dicitur ad Vulcanum accessisse, vt arma insuperabilia, & quæ nulla vi humana possent penetrari, Achilli fabricaret, vt traditum est à Phylarcho in rebus fabulosis, illa fecit Vulcanus, sed non prius se daturum inquit, quam cum illa congressus fuerit. dicta est Thetis annuisse eius desiderio, sed non prius illud esse faciēdum quàm experta esset an arma conuenirent Achill. mox acceptis armis ex composito, ijsque induta dicta est aufugisse, & ita claudum Vulcanum

delusisse. At vero cum datum fuisset Græcis responsum, illum primum omnium Græcorum esse moriturũ, qui prior è naui in littus Troianũ exiliisset, prior exiliit Protesilaus, quare prior omnium cæsus est ab Hectore. Id cum cognouisset Achilles, vltimus è sua naui exiliit in littus, quod cum magno impetu fecisset, terramq; pedibus vehementer percussisset, aqua è terra manare incepit, atque fons ibi natus est, vt in his significauit Antimachus:

*ῥίμφα δ' ἀπ' ἠπείροιο μελαίνης ὑψόσ' ἀερθεὶς*
*Πηλείδης, ἀπόρουσεν ἐλαφρῶς ἠύτε κίρκος,*
*τοῦ δ' ἵμερτὸν ὕδωρ ποδῶν χελώνη φύετ' ἀενάουσα.*
*Continuo velut accipiter nigrantis Achilles*
*Desilit in terra dorsum sublimis: at illi*
*Ante pedes fluxit vitrea fons limpidus vnda.*

Hic igitur post multas res ad Troiam præclare gestas, quas Homerus recensuit, Polyxenæ Priami filiæ amore captus significauit Priamo per nuncios se pro Troia pugnaturum, si sibi puella concederetur. Tum Priamus eam se daturum esse pollicitus est, qui cum illa de causa in templum Thymbræi Apollinis cõuenissent, Paris clam ex insidiis illum sagitta transfixit, quare vltimum vitæ suæ diem ita per dolum conclusit, eius corpus non prius deditum est Græcis, quam recepissent illa ipsa munera, quæ pro redimendo Hectore data fuerant: hoc est, tantum auri pondus, quantum esset pondus Hectoris mortui cadaueris. Propter huius præclari Herois mortem dictæ sunt Musæ & Nymphæ omnes fleuisse, quod ita significauit Lycophron in Alexandra:

*αὖτις τὸν ἀντίποινον ἐγχέας ἴσον.*
*Πακτώλιον σταθμοῖσι πλαστιγγι μύδρον,*
*κρατῆρα βάκχου δύσεται κεκλαυσμένος.*
*νύμφαισιν, αἳ φίλαντο Βηφύρου γάνος*
*λειβήθριαι θ' ὑπερθε Πιμπλείας σκοπῆς.*
*ὁ νεκροπέρνας ὅς προδειμαίνων πότμον,*
*καὶ θῆλυν ἀμφὶ σῶμα τλήσεται πέπλον*
*δῦναι παρ' ἱστοῖς κερκίδος ψαύσας κρότων,*
*ἐκ λοιγὸς ἐς γῆν δυσμενῶν ῥίψας πόδα.*
*Rursus redemptio pro altero cadauere*
*Par pondus auri splendidi Pactolij*
*Ferent. Sed is cratera Bacchi mortuus*

*Perfusus inibit lacrymis Libethridum*
*Pimplæ incolunt quæ verticem: à nymphis simul*
*Sororibus, Baphyri aquas amantibus*
*Atq; ille cædis præscius fatum timens,*
*Feret puellæ vestibus sese indui.*
*Texetq; telas pectine arguto leues:*
*Saltabit hostium in solum idem vltimus.*

Vocata est insula Borysthenis Achillea, quod Achilles ibi fuerit sepultus, à quo etiam inuentum est myriophyllum, quod Achilleum vocarunt. Nam Ossa Achillis & Antiochi in aureo vase, quod largitus fuit Thetidi Bacchus cum fugeret impetum Lycurgi, recondita fuisse memorant. Fabulati sunt antiqui præterea Medeam nupsisse Achilli, vbi ille in campos Elysios post mortem descendisset, sicuti memoriæ prodidit Ibycus. Dictus est Achilles à Chirone semihomine fuisse educatus, quia ratio & vis ad principē æque pertineat, dictus est idem à Musis fuisse deploratus, quia cum musicis instrumentis eius pompa funebris ducta est: cum vero mare per idem tempus forte ventis intumuisset, longeq; strepitus vndarum exaudiretur, vt ait Isacius, datus est locus fabulæ, quod nymphæ eius cædem grauiter conquestæ sunt. Neque enim est sanæ mentis ea propter Achillem contigisse credere, cum elemēta minime sint de singulorum nostrorum vel morte vel ortu solicita. Dictus est inter filias Lycomedis muliebri habitu indutus latuisse, quia cum Deidamiam eius regis filiam cepisset in matrimoniū, ita nouis nuptiis delectabatur, vt maiorem temporis partem cum sponsa esset intra Lycomedis parietes, & in thalamo lateret. Hic idem Heros cum fortissimus esset omnium Græcorum, non prius vinci potuit vel à fortissimis hostibus, quam voluptatis desiderio & libidine irretitus, ab imbelli & timidissimo omnium prope Troianorum Paride vulneratus fuit. per hæc igitur significare voluerunt antiqui maxime omnium rerum formidandas esse viribus fortibus voluptatum illecebras, quæ grauissimæ sunt omnibus & perniciosæ denique aduersariæ. At nunc de Ganymede dicamus.

## *De Ganymede.* CAP. XIII.

GANYMEDES autem qui ab aquila raptus, & in cœlum ad Iouem portatus fuit, vt illi potum pro Hebe Iu-

nonis filia ministraret, dicitur fuisse Trois Troianorũ Regis filius. Hic cum esset eximiæ & propeinauditæ pulchritudinis, ob eam dignus habitus est, non qui ad libidinem, vt crediderunt plerique, raperetur, sed non pocula Ioui ministraret, vt scripsit Homerus lib. υ. Iliadis:

*Τρωὸς δ' αὖ τρεῖς παῖδες ἀμύμονες ἐξεγένοντο,*
*Ἶλός τ', Ἀσσάρακός τε, καὶ ἀντίθεος Γανυμήδης,*
*ὃς δὴ κάλλιστος γένετο θνητῶν ἀνθρώπων·*
*τὸν καὶ ἀνηρείψαντο θεοὶ Διὶ οἰνοχοεύειν*
*κάλλεος εἵνεκα οἷο, ἵν' ἀθανάτοισι μετείη.*
*Hinc Troi nati pueri tres esse feruntur,*
*Ilus & Assaracus, pulcherrimus & Ganymedes,*
*Inter mortales cui præstantissima forma:*
*Quem superi rapuere, Ioui pocula magno*
*Præbeat ob formam, cum Diis & transigat æuum.*

Apollonius vero Rhodius lib. 3. Argonauticorum, non vt esset Iouis pincerna, sed vt consuetudine Deorum frueretur ob formam raptum fuisse Ganymedem scribere videtur, cum inquiat:

*εὗρε δὲ τόν γ' ἀπάνευθε Διὸς θαλερῇ ἐν ἀλωῇ,*
*οὐκ οἶον, μετὰ καὶ Γανυμήδεα, τόν ῥά ποτε Ζεὺς*
*οὐρανῷ ἐγκατένασσεν ἐφέστιον ἀθανάτοισι.*
*Hunc Iouis in molli seiunctum repperit aula,*
*Non solum, simul & Ganymedem Iupiter illum*
*In cælum rapuit, cum Diis vt transigat æuum*

Fuit autem raptus ex Harpagia, qui locus fuit in agri Priapeni & Cyziceni finibus, qui ab ea re nomen obtinuit, vt ait Strabo lib. 13. alii circa Dardanium promontorium illud accidisse inquiunt, quod Virgil. factum in Ida monte Phrygiæ dum venaretur, ita commemorat lib. 5. Æneid.

*Intextusque puer frondosa regius Ida,*
*Veloces iaculo ceruos cursuque fatigat*
*Acer, anhelanti similis: quem præpes ab Ida*
*Sublimem pedibus rapuit Iouis armiger vncis.*

Fama est autem aquilam, quod faustum augurium Ioui in bello aduersus Titanas attulisset, armaque pugnanti ministrasset, Iouis autem fuisse existimatam: atq; illi datum fuisse imperium in cæteras aues, cum ita scribat Horat. libr. 4. carminum, cum illius præcipue singularem diligentiam in rapiendo Ganymede expertus fuisset:

*Qualem*

*Qualem ministrum fulminis alitem,*
*Cui rex Deorum regnum in aues vagas*
*Permisit, expertus fidelem*
*Iupiter in Ganymede flauo.*

Alii tradiderunt Iouem in aquilam versum ad ipsum Ganymedem conuolasse, & illum in cœlum asportasse, vt patet ex his carminibus:

αἰετὸς ὁ Ζεὺς ἦλθεν ἐπ' ἀντίθεον Γανυμήδην·
κύκνος ἐπὶ ξανθὴν μητέρα τῆς Ἑλένης.

*Ipse aquila ad pulchrum Ganymedem Iupiter olim.*
*Ad matremq; Helenæ deinde volauit olor.*

Fuerunt qui non à Ioue, neq; ab aquila, neq; à Diis raptum fuisse Ganymedem tradiderunt, sed à Minoe ad concubitum: inter quos fuit Echemenes Cyprius. Hęc illa sunt quę de Ganymede ab antiquis fabulose dicta fuerunt: quæ quidem falsa esse omnib. perspicuum est. Alii vero inter quos fuit Xenophon, vt scripsit in Symposio, Ganymedem propter animi pulchritudinem & prudentiam potius, quam propter formã corporis, in cœlum ascitum esse voluerunt nam hi dictum fuisse Ganymedem putarunt non à χάνυμι. quod conuiuari & genio indulgere significat: sed potius ab his dictionibus in vnum compositis ad præstantia prudẽtiæ & consilii exprimendam, ἄγαν, & νῦ, & μῆδος. nam illæ cum intensionem & incrementum significent, extrema est consilium. Enimuero diuinum quidpiam sub hac fabula contineri ita inquit Cicero lib. 1. Tusculanarum Disputationum: Nec Homerum audio, qui Ganymedem à Diis raptum ait propter formam, vt Ioui pocula ministraret. Non iusta causa, cur Laomedonti tanta fieret iniuria. Fingebat hæc Homerus & humana ad Deos transferebat. Quidam ad solatium coniunctorum ipsi Ganymedi hanc fabulam fictam esse tradiderunt, cum is clam raptus fuisset inter venandum: atque illis persuasum deniq; Ganymedẽ inter sidera relatum esse, & in id signum quod dicitur Aquarius. Ego sane longe aliter sentio, neq; puto diuina ad nos deferenda fuisse, sed humana potius vtiliter ad Deorum naturam oportere conferri. Nam quid aliud per hanc fabulam demonstrabant sapientes, quam prudentem virum à Deo amari, & illum solum proxime accedere ad diuinam naturam? est enim Ganymedes anima hominum, quam, vt di-

ximus, ob eximiam prudentiam Deus ad se rapit, cum stulti neque sibi, neque cæteris quidem sint vtiles. Illa vero anima pulcerrima est, quæ minimum sit humanis sordibus, aut flagitiis corporis contaminata: quam Deus diligens ad se rapit. Nam cum nihil sit inter mortalia, quod propius quam sapientia ad summi Dei naturam accedat, quod per Ganymedem in cœlum raptum significabant antiqui, non possum non summopere improbare quorundam stultitiam, qui obscœna quædam & neque brutis ipsis sine pudore iniungenda, per hanc fabulam intellexerunt: nimirũ Ganymedem raptum fuisse ad stuprum, quasi aliquod incitamentum necessarium esset mortalibus ad tam nefandum, tamque impurum vitium. Sed tamen sapientioribus hæc aliter sese habere credita sunt, & ad honestam interpretationem retorta, atq; ad exemplum virtutis ad posteros transmissa. Quid enim aliud est pocula Ioui ministrare, quam Deum mirifice delectari officiis sapientiæ, quæ ab anima virorum sapientum procedant? Semper bonitas diuina sitit, hoc est mirum in modum cupit nos esse sapiẽtes: quales cum fuerimus, proxime ad eius naturam per charitatem & innocentiam accedemus, suauissima pocula nectaris altissimo Deo ministrabimus, seque quidquam rursus homini iucundius ipsa sapientia potest contingere: quippe quod per illam viuentes prope Dii efficimur, atq; ex corporum mortalium sordibus ad cœlestia extollimur, quam ob rem præclare se habent illa Ptolemæi carmina:

οἶδ᾽ ὅτι θνατὸς ἐγὼ καὶ ἐφάμερος· ἀλλ᾽ ὅταν ἄστρων
    μαστεύω πυκινὰς ἀμφιδρόμους ἕλικας,
οὐκ ἔτ᾽ ἐπιψεύω ποσὶ γαίης, ἀλλὰ πὰρ αὐτῷ
    Ζηνὶ διοτρεφέος πίμπλαμαι ἀμβροσίης.

*Noui ego mortalis quod sum, sed sidera quando*
    *Suspicio, æthereas lustroq; mente domos,*
*Iam pede non videor mihi terram tangere, magno*
    *Cum Ioue sed vesci nectare & ambrosia.*

Huic tãtam corporis pulchritudinem tribuerunt, non solum quia vir sapiens caret sordibus animi, verum etiam, quia vt ait Plato, tanta est pulchritudo sapientiæ, vt si oculis cerni posset, mirificos amores sui excitaret in animis hominum. Dicitur ab aquila raptus in cœlum fuisse propter perspicacitatem: atq; ab ipso Ioue aquila, quod adiutor

tor sit Deus ad sapientiam, sic igitur cum dicerẽt viros bonos, & prudentes, & integerrimos poetæ diuinam bonitatem ad se rapere, fabulam de Ganymede finxerunt, quare vtilius nos ad diuina transtulerunt sapientes, quam diuina ad nos deduxissent. At de Ganymede satis, nunc de Harmonia dicamus.

## *De Harmonia & Cadmo.* CAP. XIV.

HArmonia vero quibus orta sit, non parua est dubitatio: siquidem Diodorus lib. ζ. illam Electræ & Iouis filiam fuisse inquit At Hesiodus in Theoponia illam ex adulterio Martis & Veneris natam fuisse memorat in his:

*——— αὐτὰρ Ἄρηϊ*
*ῥινοτόρῳ Κυθέρεια Φόβον καὶ Δεῖμον ἔτικτεν*
*δεινοὺς, οἵτ᾽ ἀνδρῶν πυκινὰς κλονέουσι φάλαγγας,*
*ἐν πολέμῳ χρυόεντι, σὺν Ἄρηϊ πτολιπόρθῳ·*
*Ἁρμονίην θ᾽, ἣν Κάδμος ὑπέρθυμος θέτ᾽ ἄκοιτιν.*

*——— Marti clypeos atq; arma secanti*
*Alma Venus peperit Pallorem, vnaq; Timorem,*
*Qui dare terga virum armatas iussere phalangas*
*In bello tristi: quam Cadmus duxit, at inde*
*Harmoniam peperit Marti Cytherea decoram.*

Hæc igitur vbi adoleuisset, Cadmo Thebanorum Regi viro sane præclaro, & ob multas difficultates, quas superauit illustri, à Ioue in matrimonium data fuit, de quo hæc pauca, ex iis multis, quæ de illo memorãtur, colligere placuit. Aiunt dona data esse sponsæ à Diis per nuptias, cum Ceres frumenti fructum largita sit, Mercurius lyram, Pallas monile & peplum & tibias, Electra sacra magnæ Matris & cymbala & tympana, in quibus nuptiis Apollo cum cithara cecinit, Musæ tibias inflarunt, ac Dii reliqui multa dona sua dederunt. Hic, vbi Iupiter Europam suam sororem rapuisset, è qua in Cretam deportata Sarpedonem, & Minoem, & Rhadamanthum suscepit, iussus est ab Agenore patre sororem inuenire, neque prius redire domum, quam illum secum adduceret. Atqui cum multas regiones peragrasset, neque tamen illam inuenisset, post mortem Telaphassæ matris Delphos de Europa sciscitaturus oraculum adiuit: cui responsum est, nihil curiosius de Europa esse quærendum, sed vrbem ibi condere oporte-

re, vbi bos defessa humi procubuisset, quam habuisset viæ ducem. Hic igitur per agrum Phocensium iter faciens bouem ex armento Pelagontis obuiam habuit, quæ Bœotia peragrata vbi conditæ fuerunt Thebæ humi procubuit. Tum bouem Palladi mactaturus socios aquarum ad Dircen fontem misit: cum vero ibi draco natus è Marte fontem seruaret, Seriphum & Daileontem Cadmi amicos interemit: tum ipse Cadmus eo profectus ad fontem draconē trucidauit. Fabulati sunt quidam, inter quos fuit Archelaus lib. 9. de fluminibus, Cadmum post cæsum draconem inuenisse aquam ob timorem serpentis prope veneno infectam, quare regionem lustrauisse dum frontem quæreret. vbi ad antrum Corcyreum peruenisset, dicitur factum esse Palladis consilio vt pedem in limo impresserit, vnde fluuius scatuit, quem post bouem immolatum, Pedē Cadmi nominarunt. At vero coactus est Cadmus eius dentes exertos serere, quod fecit consilio Mineruæ, è quibus nati sunt armati homines, qui erant cum illo pro patre pugnaturi. sed Cadmus lapidem, quem à Minerua receperat, inter illos iaciens, omne certamen à se inter illos diuertit, atque omnes mutuis vulneribus natiuorum armorum se vicissim confecerunt. Illa de causa coactus fuit Cadmus mercenarius annum Marti seruire, qui annus eius temporis octo ex his nostris annis constabat Post id tempus fabulantur Mineruam regiam Cadmi multis ornamentis præclare comparasse cui Iupiter etiam Martis filiam & Veneris dedit in matrimonium Harmoniam, ad nuptias Dii omnes relicto cœlo dicuntur aduentasse: quo tempore fama est inter alia præclara Deorum munera peplum & monile admirabilis pulchritudinis, quod fuit Vulcani opus, à Cadmo donatum fuisse sponsæ, Cadmus ex illa suscepit postea Ino, Semelen, Agauen, Autonoen, & Polydorum. Scriptum reliquit Pherecydes præterea Harmoniæ Martisque filias fuisse Amazones, vt testatur Apollonius etiam lib. 2. Argonauticorum:

*οὐ γὰρ Ἀμαζονίδες μάλ' ἐπητέες. οὐδὲ θέμιστας*
*τίουσαι πεδίον Δοιάντιον ἀμφενέμοντο.*
*ἀλλ' ὕβριας στονόεσσαι, καὶ Ἄρεος ἔργα μέμηλε.*
*δὴ γὰρ καὶ γενεὴν ἔσαν Ἄρεος Ἁρμονίης τε*
*Νύμφης, ἥτ' Ἄρηϊ φιλοπτολέμους τέκε κούρας.*

[Sed

*Sed neq; Amazonides faciles, nec iura colentes,*
*Hinc tenuere procul Dœantia prot'nus arua:*
*His bellum cordi fuit, his & prælia Martis.*
*Iure quidem: Harmonia quod Nympha & Marte feruntur*
*Patre sata: hæc peperit Mauortia pignora patri.*

Cadmus post multas filiarum nepotumq; suorum calamitates subrogato in regnum Pentheo, Agaues & Echionis filio relictis Thebis ad Enchelienses cum Harmonia coniuge commigrauit. Illi cum Illyriis bello infestarentur, responsum tulerunt futuram penes ipsos victoriam, si Cadmum & Harmoniam duces haberent: Nam Cadmus & Harmonia apud Drilonis ripas habitabant, qui Illyrios à Liburnis disterminat, vt scripsit in his Metrodorus in commentario de consuetudine: Δείλων δὲ καὶ Νάρων ποταμοὶ Ἰλλυρικοὶ διαχωρίζουσι τοὺς Ἰλλυριοὺς καὶ Λιβύρνους, ἐνταῦθα γὰρ ᾤκησαν ὁ Κάδμος καὶ ἡ Ἁρμονία· οἳ καὶ εἰς ὄφεις μετεβλήθησαν. *Sunt autem Drilo & Naro Illyriorum fluuii, qui Illyrios, Liburnosq; disterminãt. Hoc in loco Cadmus in Harmonia habitarunt illi qui sunt in angues conuersi.* Quod oraculi autoritatem secuti eos duces illius expeditionis aduersus Illyrios deligũt. Sic igitur Cadmus Illyriorum regno potitus aliquandiu fœliciter egit, deinde paulo post in draconem & ipse & vxor mutati apud oppidum Illyrii Encleas nomine, dicuntur à Ioue in campos Elysios demissi fuisse: de qua mutatione, quod apud Illyrios contigerit, ita meminit Dionysius in libro de situ Orbis:

——— ἐπὶ δ' ἄσπετον ὁλκὸν ἄγουσα
Ἰλλυρικὴν περὶ χέρσον ἑλίσσεται ἄχρι κολώνης,
ὀρέων τ' ἠλιβάτων, τὰ Κεραύνια κικλήσκουσι.
κεῖνον δ' ἂν περὶ κόλπον ἴδοις ἐρικυδέα τύμβον,
τύμβον, ὃν Ἁρμονίης Κάδμοιό τε φῆμις ἐνίσπει.
κεῖθι γὰρ εἰς ὀφίων σκολιὸν δέμας ἠλλάξαντο,
ὁππότ' ἀπ' Ἰσμηνοῦ λιπαρὸν μετὰ γῆρας ἵκοντο.

*——— ingentia pondera voluens*
*Illyricis terris deuoluitur vsq; Colonam,*
*Collesq; apricos quos alta Ceraunia dicunt.*
*His celebrem tumulum terris antrumq; videbit,*
*Antrum, quod Cadmi dixerunt, Harmoniæq;.*
*Namq; hic serpentes atri facti esse feruntur,*
*Vt texere caput cani, turpisq; senecta,*

Sic Nicander in Theriacis:

> Ἰρὶν θ', ἣν ἔθρεψε Δρίλων καὶ Νάρωνος ὄχθη
> Σιδονίου Κάδμοιο θεμείλιον Ἁρμονίης τε
> ἔνθα δύω δασπλῆτε νομὸν στείβουσι δράκοντε.
> *Irimq; hanc Drilon aluit, & Naronis unda:*
> *Sidonii Cadmi monumentum hoc, Harmoniaeq;:*
> *Hic duo terribiles fremuerunt nempe dracones.*

¶ Atque tot de Cadmo & Harmonia fabulose dicta fuerunt. Maior harũ rerum gestarum pars ad historiam transferẽda est: non enim a tauro Europa asportata fuit in Cretam, sed nauigio quodã Cretenses illam rapiẽtes è Phoenicia in patriam deportarũt. Cum vero illi nauigio esset praefectus Taurus quidam Gnosius, qui illam rapuit è Sarapia Phoeniciae ciuitate, quae sita fuit inter Sidonem & Tyrum, locus datus est fabulae, quod rapta fuit, & à Tauro in Cretam deportata, vt scripsit Echemenes in rebus Cretensibus. Quod missus ad Europam quaerendam Cadmus draconẽ ad fontem Dircen occidisset, illud quidem fabulosum esse dixerunt, sed aiunt latronẽ ab ipso Cadmo caesum, qui peregrinis in iis locis insidiaretur, & iam nonnullos è Cadmi sociis ceciderat. Dictus est eius draconis dentes seminasse, cum asseclae & socii illius latronis duce caeso dissipati sint. Nihil autem horum factum est sine Mineruae cõsilio, quia cum omnibus in rebus, tum in militaribus praecipue necessaria est hominis prudentia, & Dei optimi auxilium. Quod autem lapidem inter natos homines armatos iecerit, quare inter illos bellũ exortum est; futuras contentiones Thebanorum significat, post Thebarum moenia aedificata: nam eius vrbis imperium magnum bellũ inter Thebanos postea excitauit: praeter illud quod leues iniuriae solent aliquando excitare magna bellorum incendia. Harmonia dicta est Veneris & Martis filia, quoniam vis Musicae nõ solum erigit animos iacentes, & calamitatum miseriarumq; humanarum cumulis oppressos, suauitateq; quadam perfundit, sed etiam ad bellum viriles animos inflammat, cum Musica multae nationes ante bellum vsae sint, atque nunc etiam nonnullus est vsus Musicorum instrumẽtorum, quibus milites ad praelium incitentur. Haec causa fuit cur his parentibus Harmonia nata dicatur. Qui Electrae & Iouis filiã crediderunt, Harmoniam esse putarunt eam,

eam, quam Pythagorici in motibus sphærarum, corporũque cœlestium fieri crediderũt. quod autem ad mores pertinet, significabant antiqui, dum sumus in hac miserrima vita omnium laborum ac molestiarum plenissima, fortitudine & prudentia vti oportere, quod omnium humanarum actionum statutus est finis, neque vnquam Deus viris bonis & fortib. solet deesse, cum senem Cadmum & Harmoniam Iupiter post omnes molestias ad Elysios campos demiserit. At nunc de Mida dicamus.

## *De Mida.* CAP. XV.

FVit autem Midas Phrygiæ Rex Gordiæ filius, qui omnium Regum suæ tempestatis fuit ditissimus. Fabulantur ad hunc aliquando Silenum Bacchi comitem captiuũ ob ebrietatem, cum iter facere cum Baccho non potuisset, adductum fuisse: quem ille perhumaniter tractauit. Tum Bacchus ad eum requirendum reuersus, cognita Midæ liberalitate & humanitate ab incolis eius regionis, ipse etiam hospes ad Midam proficiscitur, à quo per benigne acceptus illi proposuit vt quidquid optaret, expeteret, quod esset statim voti compos futurus. At Midas pro dementia, quæ solicitat animos mortalium, summam fœlicitatem ratus in multis possidendis, expetiuit vt quidquid contingeret, continuo aurum fieret: quam fabulam explicauit Ouid. lib. 11. Metamorph. Cum postea cibaria etiam, quibus vesceretur, contacta repente fierent aurea pœnitentia captus est suæ petitioni: atq; nisi Deus fuisset illi benignus ea molestia subleuando, omnino inedia mori necesse fuisset. Orauit igitur eundẽ Deum cum satis aptas pœnas suæ stultitiæ dedisset, vt hoc munus auferret. quem aiunt quidam illa de causa inedia mortuum esse: at alii dicunt, quod Bacchus respondit illud futurũ, si se in Pactolo flumine lauisset; quare lotus ibi illa molestia liberatus est, ac fluuius ex illo tẽpore aureis arenis fluere cœpit: ꝙ ita testatur Ouid.

*Rex iussæ succedit aquæ, vis aurea tinxit*
*Flumen, & humano de corpore cessit in amnem.*
*Nunc quoq; iam veteris percepto semine venæ*
*Arua rigent auro madidis pallentia glebis:*
*Ille perosus opes syluasq; & rura colebat,*
*Panaq; montanis habitantem semper in antris.*

Eo igitur morbo liberatus Midas cũ se rus contulisset, syluasq; semper fere ab hominũ frequentia longinquas incoleret, iudex & ipse & Tmolus mõs inter Phœbum & Pana pastorum Deum de arte musica contẽdentes, delectus est. Eius certaminis Tmolus Phœbum victorẽ, at Midas Pana suo iudicio pronũciauit. quare indignatus Phœbus aures asini Midæ, vt qui de arte musica iudicare nõ posset, adhibuit, cũ rudis homo plane parum iudicio valeret, & tamen iudicare non detrectasset. Id autem ita explicauit Ouidius:

*Pana iubet Tmolus citharæ submittere cannas.*
*Iudicium sanctiq́; placet sententia montis*
*Omnibus: arguitur tamen atq́; iniusta vocatur*
*Vnius sermone Midæ. Nec Delius aures*
*Humanas patitur stolidas retinere figuram:*
*Sed trahit in spatium, villisq́; albentibus implet,*
*Instabilesq́; illas facit, & dat posse moueri.*
*Cætera sunt hominis, partem damnatur in vnam,*
*Induiturq; aures tarde gradientis aselli.*

Ita vero scite illas occultabat Midas, vt nemo præter tonsorem rem cognosceret. Sed cum id tonsor tacere non posset, terram effodit, ac foueam ingressus pertenui voce ita submurmurauit. Auriculas asini Midas Rex habet. Tum fossa illa rursus terra repleta discessit, ibique cannas deinde natas esse fabulati sunt, quæ ita sibilum edentes murmurabant: Auriculas asini Midas Rex habet.

¶ Atq; tot de Mida fabulose fuerunt ab antiquis memoriæ prodita. Ego sane crediderim auarissimum & opulentissimum omnium suæ tempestatis fuisse Midam, qui vt multas pecunias cumularet, cibis etiam parcissime frueretur, omniaq; prope necessaria victui venderet, & in aurum conuerteret. Cum vero aliis in reb. esset plane rudis, neque à beluis eius iudicium deferret, fabulati sunt illum aures asini habuisse. Alii contra quod acutissime audiret, istud fictum fuisse arbitrãtur, quod asinus illum sensum omnium prope animaliũ habeat acutissimum. Alii fictum putarũt, quia multos haberet exploratores. Alii dicũt fuisse imprudentissimum & arrogantissimum omnium principum suę tempestatis, qui cum parũ curaret hominum de se maledicta, & cum pessime audiret à Phrygib. ob malam administrationem, exquisitissimamque auaritiam, cum pecunia

esset apud eum omnium cõtrouersiarum iudex aut libido, dictus est asini aures habere: nam solum aurum sibi præ omnibus proposuerat. Alii dicunt, inter quos fuit Calisthenes in nauigatione, & Hecatæus de Hyperboreis, duos colles fuisse in Phrygia: qui aures asini vocarentur, super quibus munitissima oppida condita fuerunt è quibus latrones complures viatores & peregrinos adoriebantur. His locis cum arma Midas intulisset, ac oppidis per vim potitus fuisset, obtrũcatis eorum locorum latronibus, dictus est fabulose aures asini habere. Alii voluerunt illum, quia Liberum patrem fefellisset, in asinum fuisse mutatum, sed cum recuperasset pristinam formam, aures tamen non deposuisse. Alii quia Dyonysi asinos ac iumenta iniuriis affecerit, ab irato Deo illi asini aures fuisse iniunctas maluerunt. Alii aures asini datas Midæ à Deo fuisse idcirco putarunt, quia omnes arrogantes damnantur ignorantiæ: qui enim se scire omnia vel quæ nescit, arbitratur, is parum idoneus efficitur ad scientiam. Quod si quis diligenter hæc animaduertat, is profecto intelliget, antiquos per hæc ad humanitatem & liberalitatẽ homines adhortari solitos, cum Deus sibi gratissimam esse in hospites benignitatem ostenderit. ijdem postea nos a petendis rebus certis à Deo deterruerunt, cum plerumq; perniciosa expetamus: quare quod nobis conferat à Deo poscendum est, illiq; relinquenda rerũ omnium optio. Deinde figulorum vires metiri oportere docuerunt, neq; iudicanda sunt illa, quæ non recte nouimus, cum temeraria iudicia Dei vindictam in se irritent. Nam qui per insciriam aut fraudem alterius opes aut dignitatem alteri adiudicauerit, ille priori domino, cui rapuit, restituere iure æquitatis debet. Quod vero nullum scelus, nullumque iniquum iudicium diu latere potest, declarauit tonsoris sermo silentio proximus: omnia enim turpia in lucem tempus solet proferre. At nunc de Narcisso dicamus.

### *De Narcisso.* CAP. XVI.

NArcissus autem, quem fabulæ in florem sui nominis mutatum fuisse inquiunt, dicitur fuisse amnis Cephisi & Nymphæ Liriopes filius, vt patet apud Ouid. lib. 3. Metamorph.

*Prima fide, vocisq; rata tentamina sumpsit*
*Cærula Liriope: quam quondam flumine curuo,*

*Implicuit clausæq; suis Cephisus in vndis*
*Vim tulit, enixa est vtero pulcherrima pleno*
*Infantem Nymphe, iam tum qui posset amari.*
*Narcissumq; vocat. de quo consultus: an esset*
*Tempora maturæ visurus longa senectæ,*
*Fatidicus vates, si se non nouerit inquit.*

Echo autē capta eius amore illam diu insecuta est: sed cum amoris impatiens contabuisset, in solā vocē deniq; conuertitur. Fabulantur hunc. vbi iam excreuisset, corporisq; forma indies cum teneriorib. annis augesceret, ad fontē quendam purissimū labore venationis & æstu aliquādo fatigatū deuenisse: q cum se ad fontem bibiturus in genua deflexisset manib in ora fontis firmatis, nondum labris ad aquam fontis admotis suam imaginem in fōte despexit: erat enim eius frontis aqua limpidissima, quæ fundum habebat subnigrū. Tum Narcissus amore ac desiderio suæ imaginis ita captus est, vt cum nullā potiundæ talis formæ sibi spem reliquā esse intelligeret, sui ipsius desiderio tandem paulatim contabuerit, ac Deorum misericordia deniq; in florem sui nominis fuerit cōuersus. Dictus fuit autē Narcissus ἀπὸ τῦ ναρκᾶν à torpendo scilicet, quia ob id desiderium torpuerit. Is flos Eumenidibus fuit postea consecratus, è quo Deabus illis sacrificantes coronis vtebantur, vt ait Ister in lib. de Coronis qui tamen fuit etiam Baccho gratus Scriptum reliquit Phanodemus lib. 5. rerum Atticarum, coronas è narcisso consecratas fuisse Proserpinæ, quoniam florem illum colligeret cū rapta fuit à Plutone. Memoriæ prodidit Paus. in Bœoticis in finibus Thespiensium vicum Danacum fuisse, & in eo fontem Narcissum vocatum, in quo se Narcissus, vt fama est, inspexerit. Scripsit Euāthes in fabulosis sororem illi gemellam fuisse cum oris forma, tum coma, & vestitu, & omni corporis parte similem. Hi cum simul venarentur, ferunt sororem à puero amatam, qua mortua ille desiderii impatiens dicitur ad fontem venire solitus, vt eius imaginem ibi intueretur. Sed cum id solatium leue videretur, denique magnitudine desiderii deperiit, vel, vt aliis magis placuit, se in fontem deiecit, ac periit, ad quem ambo solebāt conuenire. At vero hæc falsa esse, & ad Narcissi gratiam ficta testatur Paus. qui multis annis ante Narcissi tempora raptam fuisse Proserpinam Cereris filiam memorat.

¶ Hæc

¶ Hæc fabulose dicta sunt de Narcisso. At quid in hac fabula continetur vitæ humanæ vtile, quod potuerit has ambages, ad posteros iure transmittere? imprudentem, & libidinosum, ac facinorosum hominem vltionem sequi significabant, veluti vmbra sequitur corpus: nam tametsi Deus vindictam aliquādiu differt, tamen multo est acrior postea perditis hominib. profligandis. Istud autem tāto fit facilius, quanto maiores facultates aliquis ad res præclare gerēdas nactus fuerat. Nā qui nimium forma corporis gloriabatur, & in lasciuiā acuebatur, quo pacto per formam nō meruit perire? omnis enim rerum humanarum nimius amor perniciosus est imprudentibus. At nunc de Belidibus dicatur.

### *De Belidibus.* CAP. XVII.

NEQVE prætermittendæ fuerunt omnino Danai filiæ, quæ illi pœnæ apud inferos dicuntur esse addictæ, vt semper aquam ex amplissimo puteo hauriant: neque tamen vnquam ad oram putei plena cribra possint attrahere. Fuit autem Danaus Beli cognomento prisci filius illius, qui post Apidis mortem Isim vxorem duxit, quo tempore Cecrops Athenis imperauit. Hic vbi pulso Sthenelo Argiuorum Rege. Argos occupasset ex Ægypto profectus, quinquaginta filias è variis mulieribus suscepit quas ex aui Beli nomine Belidas postea nominarunt. Fama est propter simultatem quandam: quam cum Ægypto fratre habebat Danaus, in Græciam profugisse: quod tota sit affinium & coniunctorum beneuolentia inter principes homines, & ad eandem dignitatem aspirantium præsertim. Cum igitur Ægyptus filios quinquaginta haberet, cuperetque fraternam simultatem aliquando compescere, satis aptam opportunitatem fore eius negocii conficiendi existimauit, si cum totidē haberet filias, illas in matrimoniū suis filiis poposcisset: eius igitur preces non aspernatus est Danaus, sed nuptias magnifice parari instituit, verumtamen vel qui non crederet pollicitationibus, vel qui memor adhuc esset acceptæ iniuriæ vel quia ab vno illorum mortē sibi imminere ab oraculo monitus fuerat, clam singulis dedit pugiones, quibus suos sponsos, vbi dormirent iugularent. Sortito igitur nuptiæ celebrātur, atq; nomina filiorū Ægypti ista fuerunt: Agenor, Ægius, Alcis, Alcmenō, Agaptolemus, Argi⁹, Archelaus, Ægyptus, Arbelus, Bromius, Busiris, Chtho-

nius, Chalcodõ, Chærus, Chrysippus, Clitus, Cesseus, Diaphron, Diacorystes, Doriõ, Diyas, Enceladus, Euenor, Eurylochus, Eurydamas, Hippodamus, Hippocorystes, Hyperbius, Hippolytus, Hippothous, Hermus, Imbrus, Idmon, Idas, Lixus, Lampus, Lynceus, Lycus, Menachus, Megacles, OEneus, Periphas, Pandion, Polyctor, Proteus, Peristhenes, Phantes, Potamon, Periphantes, Sthenelus, Filiarum Danai nomina fuerunt: Anexibia, Anthelea, Adiante, Actæa, Adyte, Antonoe, Asteria, Agaue, Automate, Amymone, Bryce, Cercestis, Clite, Calix, Cleopatra, Cleodora, Chrysippe, Callidice, Celæno, Dioxippe, Erato, Euippe, Electra, Eurydice, Euhippe, Glaucippe, Gorge, Glauce, Gorgophone, Hippodice, Hyperipte, Hippodenia, Hippomedusa, Hypermnestra, Iphimedusa, Mnestra, Nelo, Ocypere, OEme, Phatte, Pytene, Podarce, Pylarge, Rhode, Rhodia, Scæa, Sthenele, Stygne, Theano. Omnes igitur patris mandato paruerunt, præter Hypermnestram natu maximã filiarum, quæ Lynceo marito pepercit, reliquæ omnes igitur sponsorũ capita abscissa dicuntur in Lerna infodisse, atq; eorum corpora ante vrbem humasse, vt scripsit Herodotus in Argonauticis; qui etiam inquit quod postea Danai filiæ à Mercurio & Pallade Iouis iussu expiatæ fuerũt, quæ omnes in Gymnica certamina productæ, vna Hypermnestra excepta, victoribus datæ sunt. Fuerunt tamen qui inquiant has nuptias tanto sanguine perfusas, antequã Danaus Argos venisset, contigisse, quo tempore Danaus cum fratre Ægypto de regno contenderet. cum igitur Hypermnestræ beneficio Lynceus vnus esset superstes è tot fratribus, periculum tãtum euadens Lyrceam confugit, quod oppidum fuit illis temporibus non procul ab Argis, vt scripsit in Corinthiacis Pausanias. eo igitur in loco face sublata Lynceus signum dedit se euasisse omne periculum, quod ita conuenerat cum Hypermnestra, vt deuitatis Danai insidiis vbi in tutum se recepisset, ita facem sublatam ostentaret. Sic etiam paulo post Hypermnestra vicissim facem è Larissa sustulit, qui significabat se quoq; omne periculum euasisse: quare mansit postea consuetudo vt Argiui ad eius rei memoriam festum diem & solennitatem quotannis celebrarent, quam facem vocarunt. Scripsit Apollodorus libro secundo Bibliothecæ, Hypermnestram fuisse postea da-

tam vxorē Lynceo. Atqui Herodot⁹ in Euterpe inquit Danai filias primas Thesmophoria sacrificia mulieres Pelasgicas docuisse, quod genus sacrificii, cum fuisset occupata Pelopōnesus à Doriensibus, prorsus obsoleuit. At enim Danai filiæ post mortē ob id scelus, quod tam immites aduersus innocētes & affines iuuenes fuissent, illi æterno supplicio fuerunt addictæ apud inferos, vt aquam vase perforato haurire conen ur: quibus promissum esse prohibent ab eo labore tum cessandum esse, cum plena cribra è puteo hauserint. de illa pœna ita meminit Horat. libr.3. Carminum:

*——stetit vrna paulum*
*Sicca dum grato Danai puellas*
*Carmine mulces.*

Sic autem Ouid. lib.4. Metamorph. ab auo Belidas nominans inquit:

*Assiduas repetunt, quas perdant, Belides vndas.*

¶ Atque tot fabulosa de iis memoriæ prodita sunt: nunc veritatem inquiramus. Hos annos esse dixerunt nonnulli, qui assiduis fructibus videntur nos velle locupletare ac saturare, cum tamen tantundem absumatur, quantum producitur Sic autem id Lucretius lib 3 explicat:

*Deinde animi ingratam naturam pascere semper,*
*Atq; explere bonis rebus, satiareq; nunquam,*
*Quod faciunt nobis annorum tempora, circum*
*Cum redeunt, fœtusq; ferunt, variosq; lepores:*
*Nec tamen explemur vitai fructibus vnquam.*
*Hoc, vt opinor, id est, æuo florente puellas*
*Quod memorant laticem pertusum congerere in vas*
*Quod tamen expleri nulla ratione potestur.*

Sic igitur tēporum & annorum vicissitudines quidam per hæc significare voluerunt. Nonnulli putarunt omnē mortalium vitam in hac fabula contineri, cum omnia quæ agimus frustra à nobis fiant in terris, cum nulla humani roboris vestigia diutius manere possint, sed omnia rursus confundantur. Alii beneficia, quæ in ingratos homines conferuntur, per hæc vana esse indicabant. Ego contra per hanc fabulam aliquid gloriosius & humano generi vtilius significari crediderim, filios scilicet tamdiu pios & obedientes parentibus esse oportere, quamdiu ab humanitate & Deorum immortalium religione ac reuerentia illorū mandata

non diſſentiant. Quod ſi quid ab iis contra religionem aut ſummi Dei voluntatem legeſq; præcipiatur, ſi contra iuſtitiam, ſi contra humanitatem omnino non ſunt audiendi: quare ſi quis iniqua conſulenti pareat aut imperanti, quod deuitare poteſt, Deorum immortalium animaduerſionem ac vindictam omnino fugere non potuerit. ſi quis denique neglecta Dei reuerentia, & viri boni officiis aliquid impurum atque crudele commiſerit, ille perpetuis ſuppliciis poſt hanc vitam apud inferos diſcruciabatur. Ac de Belidibus quidem ſatis, nunc de Sphinge dicamus.

## *De Sphinge.* CAP. XVIII.

FVIT autem Sphinx Echidnæ Typhoniſq; filia, vt ſcribit Laſus Hermioneus. quam Iuno irata in agrum Thebanum immiſit. Hæc muliebri facie ac pectore fuiſſe proditur, pedes & caudam habuiſſe leonis, pennas autem volucris. At Clearchus caput & manus puellæ, corpus canis, vocem hominis, caudam draconis, leonis vngues, alas auis, illam habuiſſe ſcripſit. Hæc Sphinx ſingulis hominibus prætereuntibus in Phyceo colle reſidens obſcura ſane ænigmata proponebat, quę capiebat à Muſis: atq; quicunq; illa ſoluere nequiuiſſet, is vnguibus Sphingis laniabatur. Erat autē fato ſtatutū tunc eſſe Sphingi moriēdum, cum quis propoſitum ænigma ſoluiſſet: atque cum multi ab ea laniarentur, pronunciatum fuit per præconē, quia cupiebant Thebani illa moleſtia liberari, quod is eſſet Thebarum regnum capturus, & vocem Creontis Æmonis filii habiturus, quæ pulcherrima erat omniū mulierum eius ætatis, qui Sphingis ænigma ſoluiſſet. Scripſit vero Myrleanus Aſclepiades quod etiam teſtatur Iſacius, facilime Sphingem lacerare homines victos conſueuiſſe, quippe quæ priores corporis partes haberet leonis, ac vngues gryphi: neque quiſquam poterat aufugere, cum alas haberet aquilæ, citiſſimeque ad illos conuolaret: quamuis poſtremas corporis partes haberet hominis. Multa fuerūt ænigmata, & longe diuerſa, quæ diuerſis nationib. proponebat, ſed hoc fere ſemper proponebatur Thebanis enucleandū, vt ſcripſit idē Aſclepiades:

ἔστι δίπουν ἐπὶ γῆς, καὶ τετράπον οὗ μία φωνή.
καὶ τρίπον· ἀλλάσσει δὲ φυὴν μόνον, ὅσσ' ἐπὶ γαῖαν
ἑρπετὰ κινεῖται, ἀνά τ' αἰθέρα, καὶ κατὰ πόντον.

ἀλλ'

*ἀλλ' ὁπότ' ἂν πλείστοισιν ἐπειγόμενον ποσὶ βαίνῃ,*
*ἔνθα τάχος γυίοισιν ἀφαυρότατον πέλει αὐτοῦ.*
*Est bipes & quadrupes in terris: solaq; vox huic:*
*Atq; tripes mutat vocem solum, omnia campis*
*Inter quae serpunt, quae coelo & fluctibus errant,*
*Ast vbi contendit pedibus iam pluribus, illi*
*Deficiunt vires, & lentis robora neruis.*

Hoc aenigma cum soluisset OEdipus, regnum & Iocastam matrem Æmonis filii Creontisque vxorem duxit.

Fuit enim OEdipus parricida, vt praedictũ fuerat ab oraculo. nam cum Laius Thebanorum rex oraculum consuluisset, postquam regnum Thebanum illi fuit delatum post mortem Zethi & Amphionis, gerente in vtero Iocasta vxore, responsum est ab Apolline Delphico illum à filio interfectum iri, quod etiam accidit postea in via Schiste vocata in Phocide. Laius responso territus recens natum plantis pedum transfixis in monte Cithaerone Plataeidis terrae exponi iussit, quem Corinthus & ad Isthmum regio aluit, ac triuium Phocidis ab ignaro filio paterno sanguine pro responso oraculi fuit pollutum. Significari hominis senescẽtis naturam per hęc annunciauit OEdipus, qui cum baculo indiget vt sustineatur, aut cum infans quatuor pedib. incedit, manibusq; vtitur pro pedib. tunc maxime est inualidus. Cum haec Sphinx audiuisset, sese de loco praecipiti ac praerupto deiecit, atq; Thebani omni periculo fuerunt liberati. Diximus autem superius OEdipodem Laium patrem interemisse, quare Iocastae nuptiae & regnũ proponebatur aenigma soluenti. Laius.n. Thebarum rex, vt dictum fuit, ducta Iocasta Creontis Deũ de ꝓle percunctatus est, responsumq; tulit nõ sibi cõferre habere filios, à quib. ipse trucidãdus & domus esset euertẽda. oblitus oraculi filiũ ꝓcreauit, & mox recordatus responsi infantem exposuit feris, cui pedes ferro transfixit, qui postea à tumore pedum dictus est OEdipus, cum οἰδεῖν sit intumescere. Hũc familiares vt iussi fuerant non exposuerunt, ac donarunt vxori Polybi, q̃ filios habere non potuerat. Post cum adoleuisset Laius, consuluit Deũ de filio exposito OEdipus cognitis insidiis sibi paratis percunctatus est oraculũ de veris parentibus; hi obuii facti cum essent in Phocide, Laius superbe de via excedere imperat, OEdip. iratus, nescius patrẽ ipsum in pugna interemit;

quod accidit quo tempore Sphinx nuper immissa erat in agrum Thebanũ Hęc de Sphinge fabulose dicta sunt. Quod ad veritatẽ attinet, fertur Sphinx prædatrix fuisse, quæ iuxta Moaben locum, Phyceumq; montem rapinas exercuerit, atq; ex insidiis erumpens ad hominum prætereuntium perniciem conuolauerit. In eo autem monte in insidiis consedit, donec OEdipus superata loci difficultate cum Corinthiorum exercitu illam superauerit, vt scripsit Strabo lib. 9. & Phanodemus li. 5. rerum Atticarum. At idem Strabo memoriæ prodidit mare illud prius, quod est Apud Anthedonem piraticis incursionibus Sphyngem infestasse, deinde ad eas terrestres insidias & latrocinia se contulisse. Dicta est ænigmata indissolubilia prope viatoribus proponere, quia ob difficultatẽ locorum nemo illam vincere poterat ante OEdipodis exercitum, qui oẽs illas occultas ambages & locorum difficultates superauit. Alii dicunt illam cum latrocinia exerceret, ænigmata captiuis proponere solitam, quę si quis soluisset, liber cum omnibus suis reb. dimittebatur. Ad huius autem crudelitatem & celeritatẽ exprimendã, varia diuersorum animalium membra attributa sunt. nam crudelitatem & rapinas significabãt vngues leonis aut gryphi. Alæ sociorum prædonũ erat celeritas. Atq; cum vnum esset corpus, variæ omnino formæ illi tribuebantur cõmistæ. Philochorus in libro de sacrificiis, Mineruæ consilio edoctum OEdipum inquit societate rapinæ simulata se ad Sphingem contulisse: atque, nouis semper sociis OEdipo se addentibus, deniq; illam cum magna suorum manu oppressisse. Eius Sphingis corpus cum delatum fuisset Thebas asino impositum, OEdipus Rex à Thebanis declaratur, vtpote vir callidus & prudens ac bellicosus, quique posset pro sua prudentia ciuitatem ab hostium iniuriis, si opus esset, defendere, Tum matrem nescius vxorẽ duxit: Atq; tot sunt ea quæ de Sphinge tradita sunt ab antiquis. Ego non solum historicas narrationes sub hac fabula cõtineri crediderim: nam id quidem ridiculum esset, simplices res gestas ita occultare: ne a quouis perciperentur, semperq; aliquo indigerent OEdipode. Sed istud fiebat, vt dictũ est sæpius, quia fabulosæ narrationes vel ab iis cum suauitate imbibuntur, qui à nudis præceptis recte viuendi audiendis abhorrerent. Nam perceptis prius fabulis non minore cum voluptate

forcasse

fortasse explicationes admittebantur, quam perceptæ fuerunt ipsæ fabulæ. Quod si quis meam sententiam requirat, ego censeo nullas fuisse alias vias iuuentuti faciliores ad philosophiam instituendæ, quã vt fabulas diligenter prius perciperent, deinde vt præcepta philosophica sub his occultata aperirentur. Atque per Sphyngis fabulam id significatum fuisse ab antiquis sapientibus crediderim, suam fortunam æquo animo cuique esse ferendam: quam tamẽ vel si quis ægerrime ferat, omnino ferre necesse sit. Nam quid significant alæ? at non fortunæ inconstãtiam? aut cur vngues in prædam flexæ illi tribuuntur? nonne quod vndecunque libuerit omnia potest auferre? cur humana est facies? quia humanum est subiici calamitatibus & vicissitudinibus fortunæ. Leonina pars forti animo esse ferẽda aduersa significat, quæ vel vi omnino sunt ferenda: si quis enim miserias prudenter sustinere nequiuerit, aut nisi se sapienter inter aduersa custodierit, ille ab ipsa Sphynge crudelissime torquetur, & laniatur. Atque vt summatim dicã, nos monere per hanc fabulam sapientes voluerũt, aut prudentia & Mineruæ consilio fortunæ iniquitatem esse superandam: aut si minus illud fecerimus, nos ab illa superari oportere. Nam quid agitur in superiore ænigmate? an non de humana imbecillitate, cum nihil nascatur homine debilius aut calamitosius? atque de Sphinge satis, nunc de Nemesi dicamus.

## *De Nemesi.* CAP. XIX.

VT autem non solum in aduersis prudentia opus esse, sed etiã in fœlicibus successib. animi moderatione demonstrarẽt antiqui, Nemesin Noctis & Oceani filiã, vt ait Pausanias in Achaicis, introduxerunt: quamuis alii plures esse Nemeses crediderint, easque coluerint. memoriæ prodidit Apollod. lib. 3. Bibliothecæ Iouem aliquando Nemesis desiderio exarsisse, quæ, cum eius cõcubitum vitaret, se in anserem dicitur mutasse: Iupiter vero in cygnum versus sic illam compressit. quæ cũ ouum postea peperisset, illud opilioni obuio dedit, vt Ledæ seruandũ deferret. Id cum in arca seruauisset Leda; dicitur Helena ex illo fuisse nata, quam Leda tanquã ex se genitam educauit: quæ cum adoleuisset omnesq; reliquas mulieres forma corporis & oris elegantia antecelleret, hos procos & petitores habuit, vbi ad nu-

bilem ętatem peruenisset: Antilochum, Agapenorem, Amphilochos duos, alterum Amphiarai, alterum Creati filiū, Aiacem Oilei, Ascalaphum, alterum Aiacem Telamonis, Diomeoem, Eurypylum, Elephenorem, Eumelum, Menelaum, Megetem, Mnestheum, Ialmenum, Leonteum, Machaonem, Polyxenum, Peneleum, Podalyrium, Philoctetē, Protesilaum, Patroclum, Sthenelum, Vlyssem, Thalpium, Schedium, Polypætem, Teucrum, Inter quos ne nasceretur dissensio ob Helenam, si vni horum coniugi addiceretur, omnes iurare iussi sunt se illum defensurum ab iniuriis cæterorum cuicunq; illa obuenisset; propter quam etiam raptam exortum est bellum Troianum. Fuit igitur Nemesis Noctis filia Adrastea etiam vocata, sed non ab Adrastea nutrice Iouis dicta, neque ab Adrasto illo profligato qui solus omni exercitu in bello Thebano amisso, euaserit: pro qua victoria Thebani Nemeseos Adrasteæ sacellum erexerunt. Neque ab Adrasto antiquo illo Rege qui primus eius templū condidit, vt ait Antimachus poeta in his versibus:

ἔστι δέ τις Νέμεσις μεγάλη θεὸς, ἣ τάδε πάντα
πρὸς μακάρων ἔλαχεν, βωμὸν δέ οἱ εἵσατο πρῶτος
Ἄδρηστος ποταμοῖο παρὰ ῥόον Αἰσήποιο.
ἔνθα τετίμηταί τε καὶ Ἀδρήστεια καλεῖται.

*Est Dea, quam Nemesin d cunt: Dea magna potensq;*
*Quæ bona cœlestum concessu cuncta Deorum.*
*Possidet huic primus sacratam condidit aram.*
*Fluminis Æsapi gelidas Adrastus ad vndas*
*Hic etenim culta est, atq; Adrastea vocata.*

Quam etiam opinionem habuit Callisthenes, sed multo melius ἀπὸ τοῦ δρασμοῦ, siue à fuga dicitur, cum litera priuāte & impediente illam actionem, cum nemo malus vindictā Dei possit effugere. Hanc Deā alatam sicuti Victoriam & Cupidinē finxerunt, cuius Phidiaca statua fuit apud Athenienses, vt ait Scepsius Demetrius, cuius in capite erat corona in ceruos incisa, cum victoriæ sigillis, quę læua fraxinū gestabat ac dextra phialam cū Æthiopibus cælatis: vt scripsit etiā Paus. in reb. Atticis. hanc deā non solum in ciuitates vniuersas, sed etiā in singulos viros plurimum habere autoritatis crediderūt antiqui, cū ita scribat Diodorus:

Ἀδράστειά τε δῖα καὶ ἰχναίη σε φυλάσσοι.
παρθένος. ἣ πολλοὺς ψευσαμένη Νέμεσις.

*Adrastea*

*Adrastea vtinam te seruet, quæq; fefellit*
*Mortales Nemesis sæpius ipse viros.*

§ Atque tot breuiter dicta sint de Nemesi: nunc quid per hæc significent antiqui explicemus. Cum vellent demonstrare sapientes nihil vel optimo Deo gratius, vel hominũ vitæ moderatione animi in vtraque fortuna esse vtilius, multa vel marina vel terrestria pericula nobis per fabulas proposuerunt, quibus partim deterremur ab omni turpitudine, partim ad constantiam & patientiam & fortunæ mutationes æquo animo ferendas instrueremur. Cum vero nõnulli miserias & infortunia quidem æquo animo ferant, at contra, fœlicibus rerum successibus nimis extollãtur, Deam hanc finxerunt, cuius vnum id erat munus, vt ad deprimendam nimis elatorum animorum temeritatem Iouis nutu præsto esset & ad omnes eos labefactandos, qui plus æquo fœlicitate aliqua vel honorum, vel imperii magnitudinis, vel insigniũ opum, vel rerum huiusmodi, facti essent superbi, cõuolaret vt declarãt ea carmina Theæteti:

ἵδρυσεν Ἀδρήστειαν ἀριστώδινος Ἀθήνας,
δαίμον' ὑπερφιάλοις ἀντίπαλον μερόπων.

*Misit Athenarum clara vrbs olim Adrasteam,*
*Vindex elatis est nimis illa viris.*

Hæc igitur implacabilis aduersus temerarios homines Dea, credita est vna Barbaros profligasse & afflixisse ira commota, qui Parium marmor in Marathonium agrum iam deportarunt, vt ibi trophæum erigerent aduersus Athenienses, cuius opes omnino contemnebant: ex quo lapide Phidias Nemesin incidit, vt ait Paus. in Atticis, & vt patet ex his carminibus:

καί με λίθον Πέρσαι δεῦρ' ἤγαγον, ὄφρα τρόπαιον
στήσωνται νίκας· εἰμὶ δὲ νῦν Νέμεσις.
ἀμφοτέροις δ' ἕστηκα, καὶ Ἕλλησιν τρόπαιον
νίκας, καὶ Πέρσαις τοῦ πολέμου Νέμεσις.

*Huc saxum Persæ traxerunt me, inde trophæum*
*Quo fierem: sed nunc facta fui Nemesis.*
*Erexit Græcis victoria parta trophæum,*
*In Persas belli facta fui Nemesis.*

Hæc sæpius arrogãtes & superbos duces cũ omnib. copiis deleuit, hæc nimis superbas & externorũ vires parui faciẽtes ciuitates funditus euertit. Quare qui sapienter vtramq;

fortunam ferre potest, illi nulla sunt negocia cum Nemesi: verum cum pauci sint sapientes, neque videant homines nihil non diuinitus fieri, ob inscientiam hominum è Nocte & Oceano nata esse fingitur, cum Oceanus pater sit rerum omnium, vt diximus. Nam ex inscitia ac rerum siue opulentię abundantia & temeritas & arrogantia & aliorum hominum contemptus nasci solet, ex quo postmodo Dei vindicta oriatur necesse est, quoniam solum sapientem amat Deus. Nam diuinam potestatem ac iustitiam ipsam Dei, quæ condigna sceleratis supplicia præbeat, Nemesin esse sensit Arist. in lib. qui de Mundo inscribitur: Νέμεσιν μὲν, ἀπὸ τῆς ἑκάστῳ διανεμήσεως· Ἀδράστειαν δὲ, ἀναπόδραστον αἰτίαν οὖσαν κατὰ φύσιν. *Nemesin quidem appellant, quia singulis distribuat, vt Adrasteam, quod pro vi natura nemo hanc causam aufugere valeat.* Huic coronam addiderunt, quod omnibus præsit. Ceruos habet, quia timidos reddit quos semel percusserit. Fraxinum tenet, quia bella ob temeritatem exciter. Habet victorię sigilla, quia semper vincere solebat. Habeat phialam cum inclusis Æthiopibus, quia neque ad vltimas quidem Æthiopiæ partes & ad Oceanum profugisse confert, vbi Dei ira commota fuerit, cum Nemesis in mare etiam & in vltimas orbis partes imperium habeat. quod cum ita sit, non possum non magnopere mirari, cur Pausaniæ diligentissimo rerum antiquarum inuestigatori non venerit in mentem, Æthiopes ea quã diximus de causa in phialam à Nemesi fuisse inclusos. Hanc iustitiæ filiũ nonnulli putarunt, & pennas ob celeritatem addiderunt, & rotam & currum. & gubernaculum; quia per cuncta elementa labens non homines solum, sed etiam elementa iustitia coniuncta teneat, ac seruet. Cum vero plures Nemeses colerent Smyrnæi, plures rationes puniendorum impurorum hominum diuinitus mitti significarunt, pro varietate peccatorum & arrogantiæ cuiusque. Atque de Nemesi satis; de Momo iam dicamus.

## *De Momo.* CAP. XX.

MOmus diligentissimus & perspicacissimus operum omnium cõtẽplator ac reprehensor, & ipse Noctis filius, at Somno patre natus fuisse dicitur, vt tradidit Hesio. in Theogonia. Fabulati sunt hunc Deũ nihil quidẽ ipsum facere solitũ, at cæterorum Deorũ & hominum opera re-

prehendere: quippe cum iudex etiam inter Deos Neptunum, Vulcanum, Mineruamque, de artificio contenderes, delectus, omnium opera reprehenderit. Nam cum Neptunus taurum effinxisset, Mineruа extruxisset domum, Vulcanus hominē formasset: nihil non reprehēsione dignum, inuenit. Cum ad arbitrum enim eius certaminis ventum esset, ille iudex singulorum opus diligentissime inspexit; atq; vt ait Lucianus in Nigrino: ἐκεῖνος ἐμέμφετο τοῦ ταύρου τὸν δημιουργὸν θεόν, οὐ προθέντα τῶν ὀφθαλμῶν τὰ κέρατα: *Deum scilicet tauri opificem carpebat; quia cornua ante oculos non praeposuisset.* Vel naturam etiam ipsam accusabat Momus ille Æsopicus, vt ait Aristot. lib. 3. de partib. animalium, quia potius capiti q̄ armis cornua taurorum collocasset: nam si addita fuissent armis, cum totum corpus in vulnera incubuisset, videbantur tauri multo maiori vi percussuri. At in Dialogo de Hæresibus testatur idem Lucianus hominem Vulcani fuisse reprehensum, quia prætermissum fuisset illud, quod maxime omnium erat necessarium: quod artifex scilicet non præuidisset quot doli clam in clausis pectoribus pullularent. Nam multo laudabilius opus futurum videbatur, si fenestratum pectus fuisset, vt sciri posset quid in animo quisq; strueret, & num mentiretur, an verum diceret: Domum Mineruæ reprehendit, vt ait Polycharmus lib. 2. rerū Lyciarum, quia non erat facta trusatilis, quæq; posset facile circumagi, si forte malum haberet vicinum. Atq; omnis Momi autoritas, deniq; & licentia fuit in operib. laboribusq; alienis reprehendendis. Nam idcirco στύγιος μῶμος, Stygius Momus scilicet, vocatus est in Epigrammate quodā; quia omnib. & Diis & mortalib. esset odio. Hunc Deum Noctis & Somni filium fuisse tradiderunt, quoniam imprudentis est ac desidis, & eius qui iudicare non possit, quod humanū est peccare aliquando ac labi: cū solus Deus perfectus plane sit, ac illius opera omnibus plane numeris absoluta, cum semper aliquid hominū operibus desit. nam illi certe viri boni existimandi sunt, non qui prorsus integri inueniantur, cum nemo is existat, sed qui propius accesserint ad bonitatem atque integritatem. Per hæc significare voluerunt antiqui, vt fabulosi figmenti sententiam explicem, nihil esse humanum, nullum neq; bonum neq; malum facinus, quod omnino reprehēsione maledicorum

& inuidorum carere possit, cum neque Deus quidem, qui ipse est naturæ fundamentum, optimus ac sapientissimus obtrectatoribus carere potuerit. Per hæc igitur significabant aut maledicorum & ociosorum nullam omnino viro bono habendam esse rationem, aut nihil gloriosum vel honorificum esse aggrediendum. Nam cum illum miserrimum omnium esse iudicem, qui potius ad vulgi & imperitæ multitudinis opinionem, quam ad veram probitatis & integritatis rationem se accommodare studeat, iamdiu omnem vulgi loquacitatem & imprudentiam cõtemnendã esse decreui. Semper enim præclari, & sapientis hominis esse iudicaui, stultorum & improbissimorum calumnias magno animo posse parui facere.

# NATALIS COMITIS MYTHOLOGIÆ.

## LIBER DECIMVS.

*Quod omnia philosophorum dogmata sub fabulis continerentur.*

MANIFESTVM esse ducimus ex iis quæ hactenus explicata fuerunt, opt. ac sapientiss. Campeggi, omnia priscorum instituta tum ad cognitionem rerum naturalium, tum etiam ad rectorum morum rationem pertinentia, fuisse ab antiquis sub fabulosis integumentis occultata. Verumtamen non inutile fore arbitramur, si paucis complectamur ea quæ latius in superioribus libris fuerunt contẽta: quippe cum ita fuerint implicata dogmata sapientum sub fabulis, vt neque à mediocriter quidem eruditis facile secerni possent. Nam illa, quæ Aristoteles, & ante illum, diuinus Plato, de naturæ opificio tradiderunt, quæque vel Empedocles vel Parmenides, vel Pythagoras, in medium protulerunt, aliiq; philosophi, aut quæ de moribus singulorum illa omnia fuisse patuit antiquarum fabularum artificum dogmata,

dogmata, è quib. tantum quisq; hauserit, quantum sui ingenii ferret facultas. Significabant enim (vti dictum est) mundum à Deo fuisse creatum, eumq; consistere ex vniuersa materia: quare vnum esse mundum, at non plures: Tempus natum esse è cœli motu: Cœlos harmoniam Musicam, dum mouentur, pro ratione magnitudinis corporum, efficere: Ætheris sempiternam materiam existere: Elementa esse corruptioni & mutationib obnoxia secundum partes, cum tamen tota moles ita creata sit à Deo, vt esse possit sempiterna. Hæc omnia anima mundi, siue is diuina à corruptione præseruat. Terram esse immobilem; cæteraque omnia perpetuis motibus agitari. Elementorum partes inter sese vicissim per calorem ætheris, ac per frigus corrumpi & gigni, omniumq; horum frequētiores fieri circa terram mutationes, per fabulas innuebant. Grandines & imbres & fulmina fieri, cæteraq; quæ fiunt in sublimi, è vaporibus à Sole in sublime elatis. Tum rursus è commistione elementorum & corruptione diuersa gigni animalia, & plantas: quorum omnium autor est Sol per moderatum calorem. Omnibus animalibus & è multis principiis compositis, semel esse moriendum, cum omne compositum in sua principia solui deniq; necesse sit. Deinde ad explicandā naturam plantarum & frugum peruentum est. His esse vtiles dixerunt temporum vicissitudines: cum per has modo vires resumere, modo vberes fructus proferre soleant. Deinde animātium omnium generatio vel fit è corruptione, vel coniunctione maris & fœminæ, Vtrisque procreandis & educandis confert cœli clementia: nam ex illa temperie nascitur cupiditas procreandis. Deinde mutationibus Lunæ ac virib. pertractarunt, cuius humor in plenilunio confert parturientibus, & incremento plantarum, & conseruādis animalibus, q̄ nata sunt. Atque eiusdem facultatis autorem & principem Solem esse dixerunt, quem idcirco & medicæ artis peritum, & sanitatis ac pestilentiæ moderatorē putarunt. Nam cum mediocritas, temperiesque caloris, & grauitas ac magnitudo per illum fiat, merito hæc facultas illi tributa est. Postea demonstrarunt omnia diuina prouidentia gubernari, nihilque esse quod sine Dei auxilio diutius possit consistere. Solem esse Dei ministrum, per quem omnia fiūt & nascuntur: cum is misceat elementa, è quorū

commiſtionibus naſcuntur omnia. Animas hominum eſſe immortales, q̃ poſtquam fuerint his corporibus exſolutæ, ꝓ ſuis meritis vel præmia vel ſupplicia ſortiãtur. Deum adeſſe vbiq; hominib. quiduis facientibus. Nemini licere clã eſſe ſcelerato. Solam innocentiam intrepidas animas mortuorum ad ſeueriſſimorum iudicum præſentiam deducere. Atq; vt ſummatim cõplectar, omnẽ Dei & naturæ diligentiam, q̃ ad elementa, vel ad corpora ex his cõpoſita vel ad ſimplex illud ac diuinũ vocatum ſupernũ corpus pertineret, per fabulas explicarunt. Atq; eædem fabulæ non minus ad informãdos mores conferebant, cum ſignificarẽt Deorum cultum & religionem à nemine poſſe impune negligi: omnia diuinæ prouidẽtiæ eſſe obnoxia, nihilq; carere Dei præſentia; Deum fauere humanę induſtrię. Dęmones Dei nuncios nobis ſemper conſulere, atq; recta ſuggerere cõſilia. Sapientiam rem Deo gratiſſimam, maximeq; à Deo diligi ſapientẽ. Omnium ſcelerum grauiſſimã eſſe auaritiam q̃ omnia & humana & diuina iura, cultumq; vel ipſius Dei peſſundare conſueuit: cũ nihil ſit tam ſanctum, quod non auaritia violare ſoleat. Neminem eſſe poſſe auarũ qui idem ſit vir bonus. Omnibus neceſſariam eſſe ſapientiã, ſed principibus hominibus præſertim. Opum eximiam prę ſtantiã neq; vlli vtilem eſſe, neq; neceſſariam: cũ breuis ſit omnino fruitio illorũ, quæ diuturnis laboribus comparaueris. Omnem eximiã opulẽtiam deuitandã, vt inſidiis plenam. Iuſtiſſimas eſſe opes, q̃ ex agrorum cultu proueniũt. Naturam paucis eſſe contentam. Fatuos eſſe qui plura quã opus habeant, per aliorum iniurias & aſſiduos labores ſibi parare contendant. Nullã eſſe opũ, honorum, libidinum, rerũque huiuſmodi ſatietatẽ. Ab omni ambitione abſtinendũ, cum honores qui vel imperitis, vel immeritis deferũtur, & ipſis & iis qui detulerunt, aliquando fiãt calamitoſi. Nihil eſſe a Deo petendum proprium, niſi quod videatur illi nobis conferre. Omnium mortalium ſtatum eſſe inconſtantiſſimum Neminem impurum poſſe Dei vltionem deuitare. Legem eſſe hominum Reginam. Beluarum eſſe armis, at hominum ratione diſceptare. Nemini ſcelerato confidere oportere. Principum gratiam nulli impuro eſſe firmam diutius. Qui ſemel à recto deſciuerit, legeſq; contemnere didicerit, is poſtea fit ad omne improbitatis ge-

nus propensus. Si quis voluptatum imperium semel æquo animo patiatur, illum postea variarum beluarum ac ferarum formam induere. Neminem posse satis sibi à voluptatibus temperare, nisi diuinam opem implorauerit, & ab illa adiuuetur: quare temperans putandus est Dei amicus. Opus esse eximia quadam sapientia, vbi quis in aliquam turpem cupiditatem inciderit, vt indepedem retrahere possit. Animæ partes esse duas, hanc rationi parentem, illam minime audientem rationem: oportereq; meliorem deteriori imperare. Omnis probitatis esse fundamentum religionem: omnemq; beneficentiam esse Deo gratam. Vitam mortalium esse quam plurimis difficultatibus circumuentam, è quibus nisi Dei ope nemo satis sapienter se expedire poterit. Filiis vel ad probitatem vel improbitatem esse acutissimum calcar domestica maiorum exempla. Ebrietatem corpus & animum inutilem facere reb. omnibus, multaque indecora immoderatũ vini vsum sequi solere. Irę vim plurimum obesse rebus omnibus, nisi moderatio illi adhibeatur, superbiamq; & pertinaciam & inuidiam debere rationi & recto consilio obtemperare. Omnem arrogantiam & temeritatem diuinæ naturæ maxime esse aduersam, quæ tandem à Deo deprimitur. Ambitionem maxime animos mortalium infestare. Mortalium superbia & crudelitate Dei iram cõcitari. Omnibus vitiis annexum esse condignũ supplicium, neque vllam esse nobilitatem aut vires, aut diuitias aut potentiam, quæ possit dignæ pœnæ sceleratum hominem subtrahere: quippe cum vel debilis fortissimum hominem iniquum sæpe profligarit. Animas esse immortales, quæ diutissime possint pœnas dare illorum scelerum quorum perbreuem voluptatem experiuerint. Omnib. esse moriendum, cum somnus nos mortales esse ob quandam mortis similitudinem moneat. Omnes post mortem esse iudicandos. Innocentiam esse optimum viaticum omnib. animabus mortuorum ad summi Dei præsentiam. Ita viuẽdum esse vt recordatio vitæ præteritæ possit nos in morte consolari, at non terrores iniicere. Tortores fore qui commissa peccata nos fateri cogant post mortem. Omnia peccata vel esse medicabilia vel minime singulis animabus pro magnitudine peccatorum magnitudinem suppliciorum esse paratam. Non esse curandum quid de nobis dicant

homines, sed quod æquum esse videatur, faciendum: cum nemo prorsus ex omnibus mortalibus omni ex parte irreprehensibilis existit. Ego sane, cum ista fuerint dogmata sub fabulis antiquorum contenta, illos qui postea philosophi nominati sunt, philosophandi initia ab ipsis fabulis cepisse cõtenderim: neque aliud fuisse philosophiam, q̃ fabularum sensa ab inuolucris exuuiisque fabularum explicata. Nam cum ab Ægyptiis vniuersa prope philosophia in Gręciam primum fuisset deportata, quid prohibet illam per fabulas apud Græcos fuisse per manus traditam? Cum enim inuestigare philosophiam à principio Ægyptii sacerdotes priscis illis temporibus cepissent, rerumq; sacrarum cognitionem illi niterentur apud se retinere, ne traderetur in vulgus dederunt operam vt aliquas notas inuenirent, sub quibus sapientiæ præcepta & arcana mysteria sacrorum continerentur, quas Hieroglyphicas nominarunt. Sunt n. *ἱερὰ* sacra: at γλύφω sculpo. Illud vero admirabile fuit in Græcorum fabulis, quod earum nonnullæ historicam & physicam & ethicam narrationem admitt ũt, cum aliæ naturalem tãtum, aliæ moralem solam contineant. Atq; nos in nonnullis omnes has explicationes proponemus, in aliis vel moralem tantum, vel naturalem, cum facile esse vnicuique censeamus hæc omnia pro iudicio colligere atque primum de Ioue incipiamus.

### *De Ioue historice.*

HIc Deus habitus fuit, postquam pulso patre de regno ipse imperium suscepit, quia reges antiquitus pro Diis colebantur, quod inuenta multorum sibi arrogauit, quod humanioris vitæ autor extitit, quod omnia diuina prouidentia gubernari prior demonstrauit, quod homines ad cultum Deorum erexit.

### At Physice.

Idem modo aer, modo æther creditus est, modo Sol, modo fatum, modo cœlum, modo mundi anima: quæ vbi agit in corpora cœlestia, Iupiter Olympius dicta est: vbi in vires subterraneas, Iupiter Stygius: vbi in mari, Neptunus, At castratio Saturni vnum tantum esse mundum & vnum tempus significat neq; posse plures procreari. Parentes Iouis Deum denique cuncta genuisse & procreasse significant, cuius affines sunt elemẽta: Deinde significatur illorũ

mutua generatio & corruptio secundum partes, cum tota moles sit sempiterna, corporaq; cœlestia minime corrumpantur, frequentiorq; fiat circa terrā mutatio. Tum è motib. cœlorum confici harmoniam innuebant. Elemēta rursus neq; mares sunt, neq; fœminæ, cum tamen vtrorumque fungantur officio. Omnis autem vis temporis expellitur è regno Iouis quia post creata à Deo corpora naturalia in elementa sæuitum est tantum à Saturno siue tempore quod eius vires extra primum cœlesteq; corpus reiectæ sint atque sub fabulosis de Ioue narrationibus ista rerum physicarum dogmata continentur.

## Quæ Ethice.

In eadem fabula demonstratur omnem diuitiarū amplitudinē, omnemq; opulentiā esse inuidiosam & insidiis plenam: cum per fraudes etiam & insidias soleat comparari. omne enim diuitiarum immodicarum desiderium æquitatis & religionis cultum, & humanitatis iura facile prosternit: cum tranquillitas animi, & honor, & multorum reuerentia probitatis sint comites. Deinde demonstratur quod principis sapientiam & integritatem omnium rerum bonarum vbertas ac fœlicitas demū consequitur. Auaritia postea in omnia penetrare dicitur, eaq; esse scelerum omnium fundamentum, neq; quidquam magis formidādum illa esse viro bono, cum vix vllus locus auaritiæ sit clausus. Post hæc demonstratur quod is qui deditus fuerit libidini, facile in omnes brutorum formas mutatur, & ad turpissima quæque prolabitur. Patet igitur quod neq; nimio diuitiarum desiderio teneri conuenit viro bono, & quod præsentibus vti sapienter oportet, & quod sapientia fœlicitatis est fundamentum, & quod omnis turpitudo fugienda est viro bono: quæ omnia per Iouis figmenta significabant.

## *De Saturno historiæ.*

Cultus fuit Saturnus vt Deus de multis bene meritus quod cum in Italiam venisset ad Ianum & illum & populus Italiæ primus politioris vitæ rationē docuerint, & nūmos imprimere inuenerit, & agrorū cultum, & Italos primus plantationes, insitiones, educationes arborum, fructiferarumque plantarum culturā docuerit. Qui cum esset sapientissimus, ob eius æquitatem & sapientiā dicitur ætas aurea sub illo fuisse, & vberrima terræ feracitas, & summa omnium con-

cordia: Non enim legendis, quæ iusta essent, exercebantur homines sub eius imperio, sed potius agendis: cum lex & æquitas foret necessario in animis omnium impressa. Tūc igitur viri boni sine calamitatibus, sine curis, sine ægritudine propter temperantiam viuebant, per iucundissimam senectutem, quam maxime omnium infestat præteritorum peccatorum memoria.

At Physice.

Saturni parentes declarant illum esse tempus, quod natum est ex astrorum cœlique agitatione. Hic partes genitales patri abscidit, quia vnus est æther, vnus mundus, vnum tempus, quod cursum cœli metiatur. Pactiones cum Titane sine Sole ita factæ sunt, vt quæ tempore nascerētur, postea omnia interirent: sic enim, & elementorum, & procreatorum ex illis corporum generatio & corruptio indicatur, cum nihil nasci possit nisi ex corruptioni obnoxiis principiis: atque hæc sine tempore confici nō possunt. Cum vero res absumantur per tempus, & rursus aliæ in absumptarum locum sufficiātur. Saturnum filios edisse finxerunt & rursus vomuisse. qui deiectus de regno idcirco fuit, q æetheris natura credita sit immunis ab omni corruptione, cū non sentiat vim temporis, quod inferius extra suum regnum detrusit. Sic igitur corrumpi, vti dicebam, significabant elementa, vt ex iis composita, quinta vocata ὀσία sit suapte natura sempiterna. Locus elementorum vocatus fuit tartarus, quasi ἀπὸ τῆ ταραχῶν è perturbationibus scilicet, quibus est plenus. Iupiter fratres à paterna voracitate liberauit, quia elementorum materia secundum totum sit sempiterna. Atque hæc dogmata sub hac fabula ad Philosophiam spectantia occultabantur.

Nunc Ethice dicamus.

Fuit Saturnus à filio de regno deiectus, quia nullæ sunt opes eximiæ sine maximis periculis & animi perturbationibus: atque omnis iniquitatis denique vindex est Deus. Non offendendos esse parentes postea significabant, cum Iupiter paternam crudelitatem sit imitatus: quia paternæ vel iniquitatis vel probitatis exempla domestica filii plerumque sequuntur. Sic enim vitādam opum eximiam præstantiam, vt neque tutam, neque naturæ necessariam, & ab omni iniuria abstinendum, significabant.

*Physice*

*Physice è Cœlo.*

Cœlus terræ filius ob mundi procreationem dictus est, quia natus putetur ex informi materia. Hic exectus fuit à Saturno, per quod demonstrabatur quod vnus est æther, neque vllum tempus patietur alterum æthera produci: ac neque alterum tempus è motu cœli gignetur. Mũdum igitur vnum tantum esse per hęc quæ dicta sunt, significabant non minus, quam philosophi demonstrare postea apertioribus rationibus conati sunt.

*E Iunone Physica.*

Iuno fuit Saturni filia, quia prius cœlum ab opifice Deo factũ est: deinde ex eius cursu natum est tẽpus, ex illo continuo æther, deinde elementa, quorũ supremus est præter Iouem, aer, Iuno scilicet omnis humanæ vitæ moderatrix: per quẽ imbres & grandines cõcitantur. Ex aere incalescẽte nascuntur animalia & plantæ, pro cuius tẽperie mores plerumq; imbibimus. Cũ vero ex aqua proxime aer gignatur, nutrita dicitur fuisse ab Oceano & Thetide. Cũ in aera vis ætheris ad animaliũ procreationẽ agat, vxor est Iouis; cum vertatur in ignem, Vulcanũ fertur peperisse. Cum aeris benignitas rebus omnibus nascentib. conferat, coniugiis fuit præfecta. Sic igitur significabant antiqui aeris locũ, & vires & actiones, & è quibus nascatur, in quod elementũ proxime vertatur, quod in ipsum agat, ipsumque aera plurimum conferre ad mores singulorũ, & ad rerum omnium ortum.

*De Hebe Physica.*

Hebe igitur merito nata esse dicitur è Iunone, quia omnia cum aeris temperie pubescunt. Hæc ideo soror est Martis, quia propter fertilitatem regionum, vbertatemque & opulentiam prouinciarum bella plerunque nascuntur: cum nemo prope de loco sterili dimicare soleat. Atque hæc de aeris vi & actione.

At Ethice.

Fuit illa remota è poculis ministrandis Ioui, quia gratia principum est inconstantissima, omnique vel minima de causa aliquando amittitur, quibus haud idem semper, sed aliud aliis temporib. placet, ac pulchrum apparet. Id enim per Hebes res gestas significare volebant.

*De Vulcano Physice.*

Vulcanus vero ex aere natus dicitur, quia extenuatus aer

conuertitur in ignem, atq; sic mutuas elementorum mutationes per huius fabulam significabant. Cum vero ignis esset in materia, deformis esse dicebatur & impurus, quare deiectus est à Iunone, & à Thetide nymphisque marinis exceptus educandus: ex iis enim natura fulminis, & cœlestium igniũ, qui fiunt in nubibus, procreatur. Atq; dictus est fulmina Ioui fabricasse, quia vapor ille, è quo eliduntur fulmina, per calorẽ extollitur & gignitur. Sic enim meteorologica per hanc fabulam docebant. Idem cum Mineruam cuperet, semen in terram deiecit, quia non purus, ac turbulentus in materia calor rerum omnium ortum adiuuat.

At nunc Ethice.

Vulcanus ligauit Martem ac Venerẽ in rete, nempe claudus celerem, & inualidus fortissimum bellorum Deum: quia nullæ vires iniquum hominẽ possunt à iusta vindicta Dei protegere. Quare per hęc etiam homines hortabantur ad integritatem & ad innocentiam, & ab omni turpitudine reuocabant.

*De Marte Physice.*

Martem nonnulli Solem esse voluerunt, qui cum Venere coniunctus, superueniente Vulcano pręcipue, nihil pereat, per hęc & vitam & ortum animalium in qualitatum elemẽtorumque symmetria consistere demonstrarunt: quippe cum per Martem litigium, per Venerem amicitiam significarent, per Vulcanum exuperantem aliquam qualitatem. Nihil enim ex vna tantum qualitate elementorum nascitur, neque ex similibus, sed ex his temperatis & modice inter se permistis.

At Ethice.

Mars nascitur è Iunone opulentiæ Dea, quod ex opib. omnis est contentio, cum aliquando causæ alię iniuriarũ palam à principibus fingantur. Nutritus fuit apud barbaras nationes à Thereo nutrice, quæ feritas est, quia beluarum magis quam hominum proprium sit armis dimicare, quæ sibi inuicem ratione persuadere non possunt: cum lex hominum regina sola esse debeat, quod honorificentissimum telum sit innocentia & æquitas.

*De Neptuno Physice.*

Neptunus Iouis frater elementum aquæ creditus est. At aliquando tamen vis diuina per aquam diffusa, quæ totam

molem

molem à corruptione præseruat: quam animã mundi nonnulli vocarunt. Sic enim nõ modo mutuam elementorum inter se mutationem, & ex his generationem animalium significabant, sed etiam omnia diuina prouidentia gubernari, & Deum ipsum esse rerũ omnium semper & vbiq; artificẽ. Hæc vis diuina in æthere Iupiter, in aqua Neptunus, in aere Iuno dicitur. Huius Dei educatio, facilimum esse ad motus aquarum elementum indicat, ac maris perturbationem, quod etiam testatur id victimarum genus.

At nunc Ethice.

Enim vero cum omnia fiant diuina prouidentia, nos admonuerunt antiqui per preces Thesei, quibus mortẽ Hippolyti à Neptuno impetrauit, nihil propriũ à Diis esse optandum, sed q̃ conferant tãtum: cum multi sibi calamitosa sæpius postulauerint. Cum pulsus sit de cælo, & Laomedõti seruire coactus sit, fortunę inconstantiam ꝓponebant ante oculos, cũ nullus sit tam sublimis ac fœlix status viri improbi, qui nõ possit facile labefactari. Postea multas calamitates Neptunus Laomedonti immisit ob neglectam religionem, quare significatur Dei cultum sine maximis calamitatibus nõ posse prætermitti. Quis enim omnium bonorum autorem Deum, omniumque parentem neglexerit, ac non merito in omnes calamitates prolabetur? qui vero prope sancteque vixerit, & Deum pie coluerit, hic vnus placatum Deum in omne tempus habere poterit. Hæ fuerunt legitimæ harum fabularum sententiæ.

*De Plutone.*

Pluto patre Saturno, Iouis, Neptuniq; & Iunonis frater, & ipse natus est, post cœlum nimirum ab ipso mundi opifice Deo vna cum cæteris elementis creatus. Hic terra esse creditur & omnium diuitiarum Deus, cuius pax alumna, quod omnium vbertas è terra proueniat, quã pax alit. Hic idcirco mortuorum est Deus, quod omnia quæ moriuntur in sua principia soluantur, atque in terrã manifestius. Sic ostendebantur in ea solui vnumquodq; corpus, quibus à natura compositum fuit. Quod autem Pluto terra sit, declarat Proserpinæ fabula: quam rapuit illa de causa Pluto sub terram, qui radices primum plantarum inferius, deinde superius excrescunt: sic modo apud Plutonem, modo apud Iouem est Proserpina.

At Ethice.

Per hæc ipsa figmenta rursus ad vitę tranquillitatem nos hortabantur: quod breuis sit diuitiarum fruitio, cum diuturnis laboribus comparentur. Tum demonstrabant illi opus esse nullam turpitudinem, nullumque dedecus vereri, qui diues esse cupiat, quod idem est atque esse sceleratum. Nam qui equi Plutonem vehebant? Alastor perniciosus, Orphneus obscurus, Nycteus nocturnus, Æthon ardens: quod crudelitas, & omnis æquitatis obliuio & recti inscitia diuitiarum desiderium consequuntur, à quibus vehitur.

*De Pluto.*

Cum vero animus hominum neq; possit quiescere, neq; vtiliter id facere possit: per Pluti inuentionem homines ad agriculturæ studium adhortabantur: cum dicerent Plutum esse Cereris filium, diuitias terræ scilicet, cum opes iustissimæ è terra nascerentur. cæcus fuisse fingebatur, cum diuitias hominibus nullo delectu impertiret, quia occulta sunt Dei consilia, quæ nemo prorsus humano ingenio potest vel debet inuestigare, sed sua fortuna esse contentus. At vero ne quid temere fieri & sine diuina prouidentia putaretur, maluerunt Deum vel cæcum introducere, quam aliquod facinus Deo omnino teste carere.

*De fluminibus inferorum.*

Enimuero vt pateret, non in vita solum plurimum conferre integritatem & innocentiam ad beate tranquilleq; viuendum, sed etiam morientibus gratissimum esse viaticum vitæ præclare transactæ recordationem, terrores & pericula mortuis complura esse tradiderunt, & monstra apud inferos parata, quibus mortui pro magnitudine scelerum torquendi traderentur. Deferebat sceleratos Acherontis fluuii vnda cum strepitu: quia conscientia, rerumque turpiter aut crudeliter gestarum memoria sub mortem animũ magnopere infestat. Sic igitur significare voluerunt ita vitam nostram oportere componere, vt recordatio pręteriti temporis quam maxime in morte animos nostros ob innocentiam & integritatem consoletur, & nos intrepidos ad seuerissimorum iudicum præsentiam perducat. At qui fuerit sceleratus & improbus, ille querulus lamentationibus & curis plenus, flumina quæ sunt apud inferos traiicit, quę suis locis fuerunt commemorata. Sunt enim curę sub mortis tem-

tis tempus animum infestantes sub harum fabularum figmentis expressæ ad deterrendum à flagitiis. At vbi mortui ad illa flumina peruenerint, si qua anima illegitimo descẽderit, neque iusta consecuta sit, ibi errare diu permittitur antequam traiiciatur: quæcunque vero capta fuerit commissorum peccatorum pœnitentia, omnemque spem in clementia Dei collocarit, hæc à Charonte traiicitur. Quibus rebus significare voluerunt nos viros bonos pro viribus esse oportere, cum probitatis comes sit vbique lætitia & fidentia: quod vbi vires mortalium attingere non possunt, diuina clementia nihilominus nobis non deerit.

*De Cerbero Physice.*

Vbi ad inferos animæ descenderint, excipiũtur ab horrendo Cerbero cum lætitia, qui postea volẽtes exire deterret. hoc nihil aliud quam natura est rerum, quæ gaudet ortu singulorũ, cum grauiter ferat interitũ. Per hæc immortalitatẽ animarum antiqui ostendebant: nã animas semper fuisse putarunt Pythagorici, quæ de cœlo in hæc corpora, tanquã ad inferos deducerentur: quibus blandiebatur aduentantibus natura, at contra adituras superos reclamat.

At vero Ethice.

Cerberus est auaritia & cupiditas diuitiarum, quæ aduenientibus opibus blanditur, sumptibus vero vel necessariis tristatur. Capita complura sunt Cerberi, cum multa scelera ex vno auaritiæ fonte nascantur. neque vllus esse potest auarus vno tempore & vir bonus, cum inter auaritiam & probitatem magna semper sit contentio.

*De Parcis.*

At vero Parcas crediderunt antiqui Deas esse potentissimas quoniã omnia quæ nascerentur, vel fierent, sita essent sub harũ potestate: quas Iouis & Themidis filias putarũt, quoniã vel singulis animab. Deus pro prioris vitæ meritis corpora & fortunam traderet, vt sentiebãt Pythagorici, vel quia singulis ꝓ dignitate diuina sapientia præmia vel pœnas impartiret: cuiusce diuisionis cũ causam prisci ignorarẽt, omnia fato vel à Parcis gubernari crediderũt: quare sapientiores omnia diuina prouidentia gubernari ꝑ ignotas hominibus causas demõstrantes, ea de Parcis tradiderunt.

*De Iudicibus inferorum.*

Neq; vero in hac vita solum, sed etiam post mortem sin-

gulos à Deo pro dignitate vel bona vel mala obtinere, atque nihil omnino sine Dei cura perfici, ostendentes iudices apud inferos post mortem statuerunt, qui singulorum peccata diligentissime iudicarent. neq; enim conueniebat vt animæ vel in corpora pro meritis mitterentur, vel post mortem præmia consequerentur, nisi fuissent prius iudicatæ: quare huic iudicio tres præfecti sunt qui quoniam omnia scelera vel sanabilia erãt, vel insanabilia; sanabiles quidem animas in certum locum, donec maculæ contractę ex humanis sordibus expurgarentur, deduci iubebant: quę vero immedicabilia vlcera ex humanarum rerum contagione contraxissent, illæ in profundissimum tartarum deiiciebantur: at q̃ pie sanctequè vixissent per summam innocentiam, quæq; ab omni sorde humana procul abesse forent iudicatæ, illæ in loca tum ob fertilitatem rerum omnium, tum ob temperiem cœli perpetuam suauissima deducebãtur. His igitur rebus antiqui nos hortabantur ad probitatem, quoniã si quis dum viuit, pœnas suorũ scelerum deuitauerit, at certe post mortẽ suppliciũ deuitare nõ poterit.

*De Eumenidibus.*

Verum ne quis sua flagitia se occultaturum esse speraret additæ sunt ministræ & tortores his iudicibus acres & formidabiles furiæ, quas nonnulli Erinnyas appellant: quas conscientiæ stimulos esse diximus, cum ex iis parentibus, quibus traditum est, natæ dicantur. Nullus enim grauior est tortor, aut magis infestus testis, quã sit sua cuiusq; sententia. Atque vt summatim dicam, per hæc significare voluerunt antiqui, soli viro bono omnia esse tuta, solamque integritatem & innocentiã homines intrepidos ad omnes fortunæ mutationes perducere: quippe cum vel hæc vel non valde his dissimilia, impuris hominib. sint expectãda.

*De Tartaro.*

Animæ igitur sceleratorum multis grauissimisque vitiis contaminatæ per hos tortores à iudicibus cognitæ, prædictis furiis in tartarum deducendæ trahebantur: cũ is locus esset pœnarũ luce omnino carens, multisq; plenus perturbationibus, vnde non dabatur amplius reditus. quæ quidẽ præcepta fabularum, nihil prope dissentiunt à veris Christianæ religionis institutis: nisi quod illi sub fabulosis hæc occultarunt, quæ nos habemus aperta & manifesta.

De He-

*De Hecate.*

Cum vellent autem demonstrare omnibus necessario esse moriendum, neque posse quenquam Dei ad voluntatem effugere, aut ab eo statutum diem præterire. Hecaten Iouis filiam & Asteriæ finxerunt esse! quæ credebatur vis esse per astra descendens & occulte agens diuinitus in corpora hæc inferiora, ab iis qui Iouem omnia regere putarunt, & omnibus moderari, vnde omnia proficiscerentur. quamuis alii fatorum cuiusque esse ordinem ac vim existimarent, quæ diuinitus in corpora mortalia funderetur, quam, cum nulli esset cognita, Noctis filiam crediderunt.

*De Somno.*

Enimuero ne obliuisceremur somnum morti esse simillimum, atq; omnia quæ dormiunt interire etiam aliquando solere, Somnum Deum esse antiqui tradiderunt Mortis fratrem: atque somnus ille suauissimus dicitur, qui morti sit perquam similis, non enim solum ad recuperandas vires à Deo hunc datum esse animabus dixerunt sapientes, sed etiam vt admoneremur quotidie quod mortuorum sumus imagines.

*De Proserpina.*

Ad explicandum vero seminum, plantarumq; omnium naturam Proserpinæ figmenta antiqui introduxerunt: quę sex menses esset sub terra, & totidem supra terram. Sic enim diffundi virtutem plantarum sex menses in ramos ob frigus subterraneum significabant, cum ab Hyemis frigore superiore & circumstante virtus earundem plantarum intra terram includatur. nam sic natura suas vires omnibus animalibus, naturalibusque corporibus impertit: vt alterne exerceant; quippe cum dies etiam negociis agendis, nox quietis causa concessa sit.

*De Luna.*

Lunæ naturam præterea viresque explicantes illam filiam Hyperionis siue Solis dixerunt, quia cum corpus sit diaphanes, tanquam speculum lumen à Sole acceptum rursus in terras ad nos transfundit. atque eadem de causa Solis soror etiam dicta est. Per curruum celeritatem motus proprii indicarunt ad exprimendam naturam, quia semper vel maior vel minor quotidie fieret. variorum colorum vestes illi tribuerunt ad explicandas vires.

Hanc eandem marem & fœminam dixerunt, quia, vt fœmina, humorem præbeat vtilem animantium nutrimento, atque eadem calorem vna sensim infundat, qui plurimum conferat ad incrementum: nam sine hoc ipso calore inutilis eius opera esset omnino putanda. vt autem quantum possit manifestum fiat, argumento sunt ea quæ pertinent ad partus prægnantium animalium. quæ vim Lunæ perspicue sentiunt: quare Lucina etiam dicta est, quod in lucem animalia educat. Hæc eadem corruptioni etiam plurimum confert, quare maxime in diebus Lunæ criticis periclitantur grauiter ægrotantes.

*De Diana.*

Diana & Phœbus Latonæ ac Iouis filii creduntur, per quam fabulam significare mundi ortum voluerunt. Nam cum informis esset prius in vnam molem confusa mundi materia, quia omnia obscura essent & laterent, tenebræ illæ Latona vocatæ sunt. Phœbum & Lunam Iupiter euocauit ex his tenebris, spiritus domini scilicet, cum dixisset, Fiat lux: cuius lucis autor est Phœbus & Diana, sic igitur mundi creationem à luce incepisse antiqui significabant. sed de his latius postea suo loco dicemus.

*De Campis Elysiis.*

Sed quoniam explicata sunt supplicia quæ grauissima & sempiterna consceleratis hominib. ab antiquis post mortem proponebantur, vt deterrerentur ab omnibus sceleribus, & ab omni turpitudine, videtur esse necessarium vt q̄ præmia viris bonis, quib. allicerentur ad probitatem, fuerint ab iisdem proposita, perquiramus. Erant igitur iis Insulæ duæ concessæ, ad quas lenes & odoriferi venti, tanquā per incredibilē florum copiam pertransissent, suauiter spirabant: solum pingue, quod omni sine humana diligentia facile produceret: locus multis semper florum fructuumq; suauium generibus abundabat, & plantis domesticis vbiq; vestiebatur. vineæ singulis mensibus fructum ferebant. aer sincerus & temperatus, qui nullam temporum patiebatur mutationem. nam omnes maligni venti vel prorsus hinc exulabant, vel si peruenirēt, prius per inania loca defatigabantur, omnemque inclemētiam exuebant, q̄ loca illa attingerent. placidissimi imbres hic à Zephyris vel ab Argeste excitabantur, cum plerumq; tamen terra ob suā naturę

boni-

bonitatem imbribus non egeret. Ibi erat suauissimarum tantum auicularum genus, quæ dulces concentus musicæ symphoniæ non dissimiles passim per totum anni tempus exercerent, ibi cantilenæ erant mirificæ suauitatis, chorosque ducebant virgines cum pueris pulcherrimæ, quibus accinebant cum musicis instrumentis peritissimi cantores. Epulæ ibi nascebantur saluberrimæ, nulla sentiebatur ibi senectus, nulla ægritudo, nulla mentis perturbatio, non auri, non diuitiarum cupiditas, nō honorum animos beatarum animarum infestabat: omnes priuatam vitam rebus necessariis contentam vel maximis imperiis anteferendam existimabant. Hic vnusquisque iisdem studiis exercebatur, quæ viuenti gratissima extitissent.

*De Lethe fluuio.*

Enimuero quia putabant antiqui philosophi animas hominum esse immortales ac sempiternas, q̃ fuit Pythagoræ opinio, & aliorum quorundam, has crediderūt pro singulorum meritis, & ꝑ rebus in priore vita gestis semper in noua corpora denuo transmitti: atq; hoc ipsum ad inferos mitti esse putabant, in noua corpora redire. At enim non facile adduci poterant animæ, q graues molestias & miserias humanas semel expertæ fuerant, vt rursus in hæc corpora redirent, nisi aliquam rationem excogitassent, qua fierent omnium pristinorum incommodorum immemores: idcirco Lethen fluuium ea aqua fluere dixerūt, vt semel epota rerum omnium memoriã omnino obliteraret. Sed enim fluuius ille vbi sit, dubitari posset, quoniam alii apud inferos esse dixerunt, cum Pythagoras tamen è cœlo descēdere animas existimauerit. ego sane censeo in circulo Lunę Lethen collocatã, cum satis aptæ obliuioni vires eius appareant. quippe cum Cancrum cœleste signum portam putauerint, per q̃ animæ hominum ascendant, ac descendãt, cum per Capricornum istud ipsum à Diis fieri creditum sit.

*De Penatibus.*

Vt autem manifestum fieret omnibus, nihil esse quod diuina prouidentia non gubernetur, nostraq; omnia semper diuino consilio protegi, cum Dei præsentia nullo in loco carere possimus, non solum Lucinam parturientib. mulieribus statim adesse finxerūt, quæ illas à doloribus solueret, sed statim nati infantes proprios habere dæmonas conti-

nuo crediti sunt, quorũ auxilio per totam vitam fruerẽtur. hæc opinio ab illa prisca antiquorũ ad nostram vsq; ætatẽ perdurauit: nũc hos nũcios Dei nominãt: physici vero Iouem, Iunonẽ, Mineruam, Vestã hos esse dixerunt, vires elementorum sc. cum illis nati continuo perfruamur: atque hos Deos æthera medium, aera imũ, & terram, & summã ætheris partem, q̃ vis est diuinę intelligentię, q̃ Mineruam nominarunt. Hæc enim nomina domorum priuatarum, & singulorum in his habitantiũ, & vniuersarum ciuitatum curam habere putabantur. Alii Apollinem: & Neptunum Penates solos putantes in idem reciderunt: calorem, tanq̃ principium à quo fieret opus naturæ, & humorem ex quo fieret, principia ponentes. atq; eadem de Larib. dicta sint.

*De Genio.*

Creditus autem fuit Genius dæmon, non quidem is, per quem viueremus, aut cuius auxilio vbique frueremur, sed is, qui nobis semper bona consilia suggereret, & quem haberemus in tota vita nostra consultorem. Sed cum multa alia quoque Genium proprium, vt plantæ & animalia, quæ non egent consilio, habere dicantur: videtur probabilior illorum sententia qui occultam vim planetarum, quæ ad omnia hæc pertineret, Genium vocatam fuisse putarunt: quare omnia humana & cœlesti vi occulte gubernari, & nihil diuina virtute vacare, tradiderunt.

*De Pallade.*

Vt vero demonstrarent antiqui non sola vi cælesti mortalium res gubernari, sed etiã prudentiæ hominũ aliquid loci relictum esse, cum Deus diligentes & prudentes semper adiuuet, tum sapientiam rem Deo gratissimam esse dixerunt, cum Deus magnopere diligat sapiẽtem. ad hoc autem exprimẽdum illam Iouis filiam esse dixerunt sine matre, cum solus Deus vere sit sapiens, alii vero similitudine quadam. Vt pateret quanta vis esset sapientiæ, illam armatam natam esse finxerunt, cum sapiens nullas neq; fortunæ iniurias, neq; humanam iniquitatem magni faciat, sed omnia consilio & patientia superet, omnemq; suam spem in Deo collocarit. & quoniam initium sapiẽtiæ est timor domini: hanc dixerunt antiqui profligauisse impios gigãtes, qui neglecto Deorum immortalium cultu in Iouem insurgere conati sunt. omnis enim sapientia humana, quæ diffideat

fideat à diuina voluntate, inanis est & contemnenda, cum solus vir bonus & amicus Dei sit sapiens.

*De Prometheo.*

Enimuero vt demonstrarent omnem humanam prudentiam quæ à diuina voluntate dissentiret, esse perniciosam mortalibus & insulsam, Promethei fabulam introduxerunt, quem artes & dolos omnes excogitasse inquiunt, & idcirco grauia supplicia passum fuisse. Hunc aiunt columnæ alligatum fuisse, multaq; grauia passum tãdem reconciliatum fuisse Ioui, quoniam viris bonis plerumq; pugnandũ est cum infortuniis: atq; soli prope mali vel fatui sunt fortunati. At cum breuis vita mortalium existat, qui multas molestias æquo animo pertulerit, ille Deo tandem fit amicus. quare per sapientiã Ioui tãdem recõciliatus fuit.

*De Atlante & Endymione.*

Neque tamen putanda sunt omnia quæ fabulose tradita sunt ab antiquis, ad humanæ vitæ institutionem, vel ad vires naturæ exprimendas fuisse confecta: sicuti non necesse est infertili agro nullam nasci plantam inutilem. Quæ de Atlante igitur & de Endymione prodita sunt memoriæ, illa de viris astronomicæ scientiæ peritis dicta sunt postea ad illorum gratiam, vt cum suauitate ad posteros transmitterentur, ita fabulosis narrationibus fuerunt implicata.

*De Fortuna.*

Neq; illa quidem q̃ memoriæ prodita sunt de Fortuna, non singulari consilio fuerunt excogitata: q̃ quid sit, satis explicatum fuit in Physicis ab Arist. Sed ego, cum omnia diuina prouidẽtia gubernari putem, nihil fortunæ tribuẽdũ vere sentio: sed nomen ipsum tributũ fuisse fortunæ putarim, vt à cogitatione diuinæ potentiæ, cum molestiis, vt sibi videntur, præter dignitatẽ homines infestantur, deducerentur: atq; in fictũ nomen suas lamentationes & conuicia coniicerent, q̃ leuis & stulta, & cæca, iniqua vocaretur; cũ causæ nescirentur, cur huic res aduersæ fere omnes euenirent, at illi contra nihil non ex sententia succederet.

*De Apolline.*

Explicatum fuit in superioribus fabulis de mundi principiis, & mutuis elementorum inter se mutationibus, deq; animæ immortalitate, quod illa sempiterna sit in hominibus, quod vnus sit mundus ex vniuersa materia, & quæ

sint corruptionis ac generationis elemẽtorum principia: nunc videtur dicendũ de iis q̃ ptinent ad cõseruandas formas singulorũ animaliũ,& cõpositorũ corporũ Est autem omniũ horum Sol artifex, quẽ à splendore Phœbũ nominarũt: nam ꝓpter obliquum eius cursum sub signifero circulo omnes & plãtę & animalia modo eius accessu fœtum ꝓducunt, modo recessu vires resumunt. Fuit idem Medicæ artis peritus & salubritatis ac pestilentiæ artifex creditur, quoniã vis Solis medicinæ confert, cum nimius eius calor sit pestifer omnib. animantibus. Est.n. omnis animantium salus in symmetria caloris cõstituta: quare generationis & corruptionis artifex Sol est appellãdus, vt senserũt antiqui.

*De Æsculapio.*

Æsculapium idcirco finxerunt antiqui Phœbi & Coronidis, quam aeris temperamẽtum esse dicebamus, filium, quia nisi Solis calor aera purget ac rationem faciat modice, & nisi humoris vis quædam in ipso aere relinquatur, nulla esse po: est salubritas. Fuit igitur Æsculapius aer bene affectus, cuius filia fuit. Sanitas aut bona Valetudo. Est enim aeris temperies non homini solum, sed etiam cunctis cæteris animalibus, & plantis salubris. quare iure & Solis filium Æsculapium, & salubrem vim de Sole animis corporibusque subuenientem dixerunt. Sed quia vis Solis assidue commisceat oportet ipsum aera, matrem illi Deo mistionem tribuerunt. Per hæc igitur non solum autorem generationis & corruptionis Solem significabant antiqui, sed etiam salubritatis: cum mediocritas conseruet, at quod nimium est vel minimum interimat: omnis enim vita animantium & sanitas est in mediocritate constituta.

Atq; cum in aeris optime affecti natura, facultas sit constituta facile conualescendi, accidit aliquando male affecti corporis malignos humores in aliquam partem ipsius corporis debiliorem confluere: quod enim per totum corpus diffusum fuerat, à vi naturæ in vnum locum expellitur. Ideo Chironem peritũ chirurgiæ celebrarunt. Sic enim significabant physicas actiones per has fabulas, quæ spectabant ad conseruanda singula composita corpora naturalia.

*De Venere.*

Deinde quoniam alia ex animalibus nascuntur è corru-

ptio-

ptione, alia è coniunctione: quid conferret vtrisq; explicarunt. Atq; nascentibus quidem ex corruptione mediocritas caloris, & cœli clementia ad educandum necessaria est. illis rursus animalibus, quæ generant ex coniunctione maris & fœminæ, peropportuna est aeris temperies. Nam cum semen è subtiliore sanguinis parte secernatur, non ita facile istud fit, nisi sanguis modice incaluerit, quod fit per ver præcipue: est enim verna temperies quasi lena ad procreationem vbique. Sic igitur materiam seminis, & aeris clemétiam procreandi desiderio necessariam per fabulas antiqui exprimentes, Venerem è genitalibus Cœli partibus & ex mari natam fuisse fabulati sunt. Sunt enim genitales partes Cœli, caloris mediocritas per motum, qui confert animalium generationi.

### *De Cupidine.*

Inde Cupido Vneris filius fuisse dicitur, quoniá ex aere ita affecto corpora & ipsa animalium bene affecta in procreandi cupiditaté sensim illabuntur. Nam tum vigere singula animalia putanda sunt, cum existunt naturæ negotiis habilia, sic igitur antiqui ex optima valetudine & ex aeris temperie nasci animalium fertilitatem tradiderunt per fabulas. At vero quia multa turpia propter libidinem à nonnullis committuntur, ad exprimendá indignitatem eorum qui nimis ad libidinem sunt propensi Cupidini tantum deformitatis, quantum explicatum fuit tribuerunt.

### *De Gratiis.*

Sunt autem argumento illis quæ dicta fuerunt superius, Gratiarum vires & nomina, quæ nihil aliud significabant quam fertilitatem agrorum, frugumque abundátiam, quæ pacis beneficio late proueniunt. Has hac ipsa de causa Veneris asseclas esse dixerunt, & Solis Æglesque filias, cum nihil sine Solis clementia fœcundum fieri possit.

### *De Horis.*

Præterea quia nihil satis commode videbatur fieri posse solo naturæ ductu, vel si optimam cœli temperiem consequatur, nisi humana adiuuetur industria, introduxerunt Horas antiqui, q̃ singulorum diligentiam inspectarét diligentioribusq; hominib. fauerét. Nam humanam industriá nunquam deserit diuina clemétia. Quare hæ nubes pro arbitrio inducere, & cœlum serenum facere, & temporibus

moderari creditæ sunt. Per easdem Horas rursus improbitatis hominum sterilitatem agrorum, & omnes diuinitus immissas calamitates esse comites innuebant.

*De Mercurio.*

Atque vt intelligeretur à diuina natura res humanas nõ esse penitus seiunctas, Mercurium tanquã vinculum quoddam intercedere censuerunt, qui Deorum consilia ad homines, hominum ad Deos ipsos asportaret. Id autem fingebatur ab iis, qui quo pacto res humanæ diuinitus gubernarentur, percipere non poterant. Nam Mercurius vis est illa diuina, quæ in mentes hominum diuinitus infunditur, quæq; res humanas mirifice in suo ordine componit & cõseruat. Tum rursus, vbi somnia in mentes hominum diuinitus infundi putabatur, aut vbi animæ corpora nascentiũ deduci, aut post mortem ad inferos, vis illa diuina Mercurius dicebatur. Illo autem nomine vis diuina vocata fuit, quia primus Mercurius vir sapientissimus mundum à Deo creatum fuisse dixerit, & non posse sine diuina prouidentia gubernari, omnemq; Deorum cultum inter mortales instituerit, neque vllum fieri posse crediderit sine Deorum nutu ortum & interitum. Nam cum hęc prior homines docuisset: quasi si res consiliaque diuina ad nos detulisset, Deorum nuncius creditus est. Quæ pertinent ad vim orationis exprimendam huic Deo dicata prætermitto, tum naturæ ipsius planetæ, suo loco legenda.

*De Pane.*

Cum vellent rursus demonstrare antiqui, omnia naturalia corpora diuinæ naturæ subiici, & ab illa pro sua voluntate gubernari, Pana Mercurii filium tradiderunt esse. Est autem Pan hæc vniuersa corporum naturalium moles, velut ipsum nomen significat: in qua diuina humanis coniunguntur, quod exprimebant per superiorem formam Panos quæ pulcherrima erat, & Diis simillima: cũ inferior magnopere esset deformis ob inferiorum corporum naturalium sordes, quæ sunt tanquam hypostasis naturæ. Reliqua quæ pertinent ad explicandam corporis formam, suo loco legenda relinquimus, vbi late declarata sunt.

*De Sileno.*

Enimuero non solum rebus humanis præesse Deos statuunt fabularũ inuentores, & sub hisce occultandæ philo-

sophiæ

sophiæ artifices: sed etiam alios ex Diis potentia & autoritate aliis præstare crediderunt, ita vt vnus Iupiter rebus omnibus ac dæmonibus præesset, alii dæmones imperia in certa loca vel negocia obtinerent, qui & ipsi alios inferiores dæmones haberent ministros. Sic igitur Sileni Bacchū, vt ministri, sequebantur: qui cum Bacchus esset Sol creditus, Sileni vires solis erant animalibus perutiles.

Ethice.

Ebrietatis turpitudinem pręterea ante oculos proponētes, Silenum vim scilicet viui & ebrii hominis formam, expresserunt. Illum igitur ventricosum, & senem, & vsq; titubantem finxerunt, quod hæc omnia vinum & ebrietas efficiat. Nam qui plus voluptatibus, quam natura postulet, tribuerit, is & in præsenti & in posterum corpus & animum omnibus rebus vel vtilibus vel honorificis inutilem reddit. Quare propositis his incommodis maiores per hæc figmēta ab immoderato vini vsu, & ab omni è vino nascente turpitudine deterrebant.

*De Faunis.*

Vt vero retinerentur homines in officio, omnesq; forent probitatis, & integritatis studiosi, & Faunos, & Syluanū, & Oreades nymphas antiqui sapientes excogitarūt, qui vbiq; pastorib. & agricolis præsto essent, agrestiumq; calamitates aliquantulū subleuarent: Nā cum nihil in agris, vel in syluis vel in densis montium nemoribus non præsente vbiq; Deo committi liceret mox additum fuit illi opinioni viros bonos laborantes nullo in loco à diuina clemētia negligi, sed vbiq; subleuari: quippe cum neq; arborum neq; pecudum fœtus possent sine diuina custodia conseruari aut augeri.

*De Nymphis.*

Sed quoniam nulla res est, quæ tota sit vtilis, cum neque ciborum maior pars in vtilitatē corporis conuertatur, neq; tota materia aquæ gignēdis animalibus sit vtilis, cum alia pars in fœtum, alia in eius nutrimentum absumatur, vt patet in ouis præcipue, vires illas seminis, aut aquæ, ex quibus fit generatio, Nympharum nomine appellarunt, quare dictæ sunt Nymphæ fructiferæ, & homines atque animalia omnia nutrire & pastorum Deæ, præsidesque pratorum vocatæ sunt. Sic igitur per has materiam propriam singulis rebus naturalibus subiici, significabant.

*De Baccho.*

Neque ea quidem quæ de Baccho fingebantur ab antiquis, fuerunt à physica cõsideratione aliena, quando illum à Nymphis nutritum dixerunt. cum enim à Nymphæ materia sint in rebus naturalibus, illæ formam recipiunt ac fouent: est enim Dionysus virtus Solis generationi cõferens, quæ vicem maris obtinet in operibus naturæ. hic idcirco phallum siue membrum virile dicatum fuisse memorant, & genus id sacrificii quod vocabant Canephoria.

Ethice.

Deinde mores ebriosorum per hunc Deum exprimentes, ad moderatum vini visum hortabantur, cum proponerent ante oculos quod turpitudines ex ebrietate nascerentur nam cur Cobali malefici & perniciosi dęmones Bacchũ comitabantur, inter quos Acratus præcipuum locum obtinebat? quia multa sunt flagitia, quæ ebrietatẽ ac immoderatum bibendi visum sequuntur: loquacitas nimirum, & temeritas, & impudentia, & in rebus domesticis negligentia, præsentiumque bonorum profusi sumptus, & inimicitiæ, multaque huiusmodi incommoda cum clamore & strepitu. eadem causa fuit cur eius currum diuersæ feræ crudelissimæ sequerentur.

*De Cerere.*

Mox ad agrorum cultum mortales adhortabantur, cum Cererem terram esse dicerent, ex qua nascuntur diuitiæ: cũ iustissimum sit habitum fœnus illud, quod è terra capitur. terræ enim feracitas à cœli clementia & diligentia hominũ nascitur, quod per Cereris fabulam explicarunt. hęc orbem terrarum peragrauit, quomodo ob signiferi circuli obliquitatem, & ob Solis cursum sub eo, variis anni temporibus æstas sit & segetes ad maturitatem perueniunt.

At Ethice.

Nemo Deos impune contemnit, cum improbitatis comites sint miseriæ: necesse est impium hominem & imprudentem in multa turpia incurrere. quare pietas in Deos, & rebus agendis prudentia, & parsimonia in præsentibus bonis conseruandis, necessaria est viro bono.

*De Priapo.*

Atque quoniam aliquid fieri è nihilo nõ põt, Priapum semen esse genitale crediderũt: quem Deũ idcirco putarunt antiqui,

antiqui, quia diuina potentia plena essent, vt putabant, semina generationis.

*De Adoni.*

Neque vero simplex erat modus vires Soles ostendendi sed pro arbitrio artificum fabularum. nam modo capitur pro messe vt Proserpina, quæ per quoddam spacium est apud inferos, modo apud superos, modo pro Sole: qui eadē ratione modo diuturnior est apud inferos, modo apud superos. hūc aiunt ab apro ictum interiisse. propter horridam vim hyemis, per quam deficiunt pene Solis vires. nam dum est in australibus signis, horrida terra fit, & frugibus, vt apparet inutilis, cum vere omnia reuiuiscant.

*De Sole.*

Sol quia lucem & vitam denique impertit omnibus animantibus, lucis quæstor & autor habitus est vnus, & morborum & salutis moderator, & frugum & rerum omnium copiæ largitor, & Deus denique, cum Dei naturam superiorem his omnibus nondum homines cognoscerent.

*De Aristæo.*

Aristæi vero fabula Solis filii post hæc introducta fuit, cum nos ad prudentiam antiqui hortarentur, quæ nō mediocre assidue rebus nostris est adiumentum, vitamq; facit faciliorem, minusque molestam mortalibus: quippe cum imprudentiæ multæ molestiæ & insuauitates vitæ soleant esse adiunctæ.

*De Phaethonte.*

Ad explicanda vero illa quæ fiunt virtute Solis, excogitata fuit fabula Phaethontis: cuius error omnia prope humana exussit, quia facta fuit eximia siccitas, & æstus inusitatus, qui per totam æstatem ad medium autumnum perdurauit. Post illam tam acrem & horridā æstatem, eximios calores ingentia tonitrua necessario sunt consecuta, & fulmina complura: quare dictus est Phaethon fulmine fuisse à Ioue deiectus ad ripas Eridani propter inundationes, quę temporum inundationes huiusmodi cum pestilentia plerunque sequuntur.

*At Ethice.*

Monuerunt sapiētes præterea sæpius honores, qui ab imperitis rerum gerendarum expetuntur, nonnunquam & ipsis calamitosos fuisse qui acceperunt, & is qui concesse-

sunt parum honorificos? nam multis perniti osa fuit ambitio, & honores ac magistratus præter dignitatem concessi.

*De Aurora.*

Enimuero non solum motus Solis, & planetarum nonnullorum, per fabulas expresserunt antiqui, sed etiam cum talia vel talia nobis apparent sidera, illorum vires explicarunt. tum apparentē lucem ante ortum Solis, cum primum cœlum rubescit, auroram vocarunt, qua sub exortum Solis aura leuis plerunque spirare consueuit: quam Iupiter cum interiectis surgentibus vaporibus intueamur, rubentem videmus, vnde rosea vocata fuit. Quæ de Memnone tradita sunt memoriæ, cum is orientis regionibus imperauerit, omnia ad historiam spectant.

*De Tithono.*

Nulla alia de causa fictam fuisse Tithoni fabulam crediderim, quod in cicadam deniq; fuit mutatus ob longam senectutem, nisi vt ostenderent mortem esse omnium calamitatum ac miseriarum humanarum finem, quæ Deorum immortalium beneficio hominibus concessa: quippe cum Tithonus, cui immortalitas Auroræ precibus impetrata fuerat, supplex è Diis petiuerit, vt sibi liceret mori, cum satius esse duceret semel interire, quam semper esse miserum, naturæque difficultatibus infestari.

*De Pasiphae.*

Per Pasiphaes vero fabulam animæ nostræ naturam antiqui ostendebant: est enim anima hominum Minois vxor viri iustissimi, quod omnia nostra negocia debent esse cum ratione coniuncta, vbi vero illegitimarum rerum appetētia inflammata fuerit, aut cupiditate exarserit, alicuius turpitudinis, aut ira incaluerit plus æquo, desciueritque aliquo pacto ab ipsa ratione: tum dicitur committere adulterium, & cum tauro congredi; ex quo monstrum parit, nam qui semel leges contemnere, æquitatemque didicerit, difficillime postea potest intra iustitię clathros coerceri: quare multa postea & perniciosa monstra ex iniqua animi consuetudine nascuntur.

*De Circe.*

At per Circes fabulā, quæ dicta est à miscendo, significarunt animalium & plantarum generationē, quod in ea necesse sit humorem calore misceri: quare mistio hæc Solis & humoris

humoris filia fingebatur. miscentur. n. ab ipsa natura inter se elemēta cum aliquid procreant. cum vero sempiterna sit hæc generandi ratio, & elementorum natura, Circen immortalem esse dixerunt, & quoniam vnius corruptio, generatio sit alterius, neq; vnquam aliud eiusdem formæ ex illa corruptione nasci potest, sed lōge diuersum, finxerunt hāc posse homines in varias animalium formas mutare. Vlysses ab illa non mutatur, cum anima immortalis existens & ab omni corruptione immunis, non habeat principia in quæ dissoluatur, cum diuina quædam facta sit à Deo per se subsistens οὐσία siue substantia. per hæc igitur immortalem esse animam significarunt, quamuis corpus multis morbis vexetur, & corruptioni denique sit obnoxium.

Ethice.

Circe libido est, quę nascitur ex humore & calore in animalib. hæc titillatio naturę si nobis dominetur, beluarū vitia in animis nostris imprimit, & pro cuiusq; ingenii modo in Venerē impellit, modo ad irā pducit, modo crudelitatis & improbitatis omnis vim nobis imprimit: quare dicti sunt comites Vlyssis, animæ motus scilicet in beluas diuersarum formarū conuersi. Sed quoniā ad hoc nonnihil impellit vis siderum, dicta est sidera etiam de cœlo deducere at anima quæ prudens & diuina existit, si modo se colligat nullis horum motuū capitur: neque tamen sine diuina ope hanc tātam voluptatum, periculorumq; multitudinem potest superare. hæc enim per hanc fabulam antiqui innuebant.

*De Medea.*

Medeam rursus effinxerunt Solis filiā, quoniam plurimū possit bene affecti aeris natura, q̄ prouenit è Solis clementia: mores. n. & animi motiones corporis tēperamentū plerumq; cōsequuntur, cū igitur Medea sit consiliū Idyiæ, siue cognitionis filia, illa cū vi siderum consentit. q̄ etiam deducit de cœlo, quia nemo sapiens iure appellari potest: nisi idē viribus planetarū moderetur, sibiq; ipsi imperet: opus est autē viro bono & sapienti cupiditatū fluuios refrænare, multaq; efficere quæ vulgo videantur admirabilia. at vero qui libidinis, aut voluptatis alicuius causa. solū verterit. patriāque & parentes & coniunctos prodiderit, quæ sunt animæ ratione præditæ cōsilia, quo pacto nō in grauissimas miserias & omnium bonorum iacturā vno tempore illabetur?

sic igitur opus esse prudentia demonstrant antiqui, & omnes sceleratos esse miseros.

*De Iasone.*

Significabant rursus per Iasonem, quem à iustissimo Centaurorum Chirone educatum memorant, & artem medendi edoctum, animo adhibendam esse medicinam, quæ prudentia est, vt viri boni, & fortes, & prudẽtes efficiamur, hunc sequitur consilium siue Medea omnibus carissimis relictis, quoniam prudentia singula consilia debet antecedere: domanda est pertinacia, & superbia, & inuidia, & ira, qui omnes animorum motus rationi & prudentiæ & medicinæ animorum sunt subiiciendi: quæ nisi subegeris, ipse subigaris necesse est. maxime vero omnium colenda est Deorum immortalium religio, quæ res est omnium virtutum omnisque fœlicitatis principium. In tot vero labores Iason nauigans incidit, quia prudentia nulla est nisi in difficilimis rebus constituta. qui enim ad multas fortunæ mutationes & vicissitudines intrepidus non existat, hic neque bonus, neque prudens, neque constans iure potest appellari.

*De Phrixo.*

At qui fortunæ vicissitudines ferre æquo animo didiceerit, cum omnino cuiq; ferre necesse sit, ille sapiens cum magna sua vtilitate & non sine aliqua gloria existimari solet. Quam fortunã si quis placide ferre non potuerit, ille tanquã Helle in mare amplissimum miseriarum delabitur ob mollem & muliebrem animum. Qui vero sapienter rebus præsentibus vti cognouerit, ille proxime ad Deorum immortalium naturam accedere putandus est. Sin imprudenter & superbe abutatur, is ex altissimo dignitatis & potentiæ gradu Deorum consilio tandem deiicitur, quoniam superbos & crudeles odit DEVS.

*De Argo, & Capra cœlesti.*

Tantopere gratam esse Diis omnem mortalium beneficentiam demonstrabant antiqui, vt Iouem vel Caprã inter sidera collocasse memorauerint, quod sibi lac præbuerit, & nauim Argon, quia tot heroas incolumes in patriam reuexerit hanc consilio Palladis factam fuisse inquiunt, vt per hoc significarent omnem beneficentiam, quæ quidem cũ ratione suscipitur, gratam esse Diis immortalibus, maximeque

ximeq; laudabilem: quamuis illa etiam quæ fortuito, aut potius naturæ ductu, q̄ iudicio fit, non sit reprehendenda.

*De Niobe.*

Cum per superiora exempla ad beneficentiam & ad liberalitatem nos antiqui adhortarentur, nonnullas postea fabulas inuenerunt, quibus arrogantia & temeritas, & superbia deprimeretur, quo æquo animo omnes fortunæ vicissitudines perferremus. Nam cum nonnullis ob fœlicitatem, amicorum contemptus, & acceptorum à Diis obliuio, & Deorum ipsorum despicientia in animo oriatur: tūc proxima est Dei vindicta, quæ omnia vel fœlicissima vno die potest labefactare. Hanc temeritatem deprimentes antiqui omnemque humanæ fœlicitatis inconstantiam ante oculos proponentes, Nioben abundantem rebus omnibus fœlicissime eodem die, & iisdem carentem rursus introduxerunt, quoniam vel Deos ipsos irrisisset. Sic Thamyris cum nimiis fuisset arrogans ob poeticæ facultatis peritiam, cum Musis certare ausus, satis ingentes suæ temeritatis pœnas dedit. Non enim conuenit rebus aduersis nimis tristari, aut prosperis nimis animo extolli, cum rebus omnibus adhibenda sit moderatio, quia nihil boni habemus, nisi à Deo: ille enim deposuit potentes de sede, & excitauit humiles. Sic non leue supplicium passus est Marsya, quia vel cum ipso Deo, à quo canendi artem acceperat, de cantu contendere ausus fuit. Sic Arachne etiam fertur in bestiam mutata, quia ausa fuisset cum illà Dea, à qua didicerat texendi artificium, de artificio contendere.

*De Ixione.*

Tum rursus animorū nostrorum tranquillitatem multa fuerunt figmenta ab antiquis sapientibus prudenter excogitata. Non enim solam crudelitatem, & inanem gloriā ob fœlicitatem præsentem reprehenderunt, hominesq; ad liberalitatem adhortati sunt, sed etiam ad expellendam ex animis nostris ambitionē & inuidiam, qui acutissimi sunt & infestissimi animorū nostrorum stimuli, & ad reprimēdam libidinem, dixerunt Ixionem ob optatum adulterium de cœlo fuisse ad inferos deiectum, quod nōnulli ad historiam retorserunt. At vero quod fuerit rotæ alligatus, à qua perpetuo circumferretur, illud certe ad historiam referri nō potest. Cum enim ex aulica familia regis eius cuius vxo-

rem constuprare tentauit, excidisset Ixion: factus est omnium hominum miserrimus, quia perpetua ambitione & inuidia discruciebatur. Nam qui gloria inani tanquam imagine virtutis capiuntur, illi nihil sincerum, nihilq; laudabile faciunt, sed multa illegitima & absurda agant necesse est, multisque cupiditatibus, & omnibus animorum affectibus obsequantur. Neque vero ob hos motus animi tantum hæc tradita sunt in fabulis, vt ab iis abstineamus, sed etiam vt demonstraretur, quod nullus status illorum est diuturnus, qui per illegitimas artes ad honorem apicemque gloriæ contenderunt. Nullus enim honor nisi per virtutem teneri potest.

*De Sisypho.*

Deinde ad deprimendam loquacitatem omnis improbitatis vindicem Deum esse dixerunt, qui solet in illos etiam animaduertere, qui fidem non seruarunt iis magistratibus ac regibus, à quibus dignitates acceperunt. non enim conuenit res arcanas principum in vulgus proferre. Neque tamen minus hoc ad illos pertinet, qui magistratus & honores expetunt cum summa animi contentione, & tamen sæpius repulsam patiuntur: qui per hanc fabulam admonebantur, nihil esse humano generi calamitosius ambitione. Poterat tamen ad omnia humanæ vitæ studia istud ipsum trāsferri, quod vbi illa q̄ prius admirabatur, aliquis cōsecutus fuerit, tū eius rei pertæsus, alterius cupiditate capitur.

*De Tantalo.*

Reuocantur præterea ab auaritia mortales per fabulam Tantali, cum opulenti propter diuitias dici filii Iouis consueuerint: at iidem condemnati sunt apud inferos siti perpetua, cum nulla sit vel in maxima diuitiarum copia satietas: quippe cum illarum etiam desiderium vna cum ipsa copia excrescat.

*De Tityo.*

Si quis vel viribus corporis, vel nobilitate generis, vel humanis viribus fretus æquitatem, reliquasque virtutes neglexerit, ille poterit Tityi supplicio ab omni turpitudine deterreri. cum neque tantum quidem corpus, tantaque proceritas ipsum Tityum protegere à diuina vindicta potuerit. Fuerunt tamen nonnulli qui Tityi fabulam ad segetum naturam retraxerunt, vt suo loco dictum fuit.

*De Titanibus.*

Titanum fabula non quidem ad mores componendos, sed ad naturæ negocia explicanda, conficta est: qui dicti sunt aduersus Iouem arma cepisse, & rursus ab eo fuisse in tartarum deiecti, quia naturalia corpora corruptioni obnoxia videntur quidem sempiternis illis cœlestibus corporibus se velle æquiparare, cum tamē ad interitum cito prolabantur, quamuis singulæ formæ animantium sint sempiternæ. Has igitur formas siue Titanes partes hominum ac Deorum, & omnium animantium fontem appellarunt. Quidam Solem Titana putarunt esse, alii crassiora elemēta, quæ ob suam materiā inferius detrudūtur à vi superna.

*De Gigantibus.*

Sic etiam Gigantum fabula illorum arrogantiam deprimit, qui confisi magnitudine suarum virium, vel religionem Deorum, vel Deos ipsos parui faciunt. Nam certe quidem qui plurimum valent viribus, illi minimum pollent ingenio. Hi igitur cum impudentes, & temerarii, & crudeles, & ad omnia flagitia propensi sint, facile Dei vltionem in se conuertunt, cum nullum scelus denique impune cōmittatur. quare cœlesti fulmine icti, sempiternis suppliciis apud inferos, & perpetuis miseriis fuerunt addicti.

*De Typhone.*

Ad explicandam ventorum quoque naturam, vel incendiorum subterraneorum, non inelegantem fabulam de Typhone antiqui excogitarunt, qui capite illum cœlum pertingere dixerunt, & altera manu orientem, altera occidentem pertingere. Venti enim à superiore aeris parte è nubibus perflare incipiunt, & vel orientem vel occidentem versus latissime perflant. Ad celeritatem ventorum exprimendam totum corpus plumis tectum Typhonis esse dixerunt, cui plura erant capita propter vires ventorum multiplices: cum enim aliquando sint noxii, Typhoni viperarum spiras circa crura tribuerunt. Hunc Iupiter compressit, quia cœli & Solis temperies his moderatur. Quam tamen fabulam alii ad historiam deduxerunt.

*De Paride.*

Postea vt non solum à temeritate & arrogantia homines abstinerent, sed ab omni parū honesto animi impetu, q se dignos putant, vt cæteris dominentur: Paridē finxerunt p

libidine opes ingentes, & sapientiam Dearum neglexisse: atque illud iudicium obstinate à suis postea defensum vniuersum Asiæ imperium funditus euertisse. Sic igitur ad imperatorias virtutes homines per fabulam adhortabantur, ad temperantiam scilicet, & sapientiam, & Deorum metum, cum neq; nobilitas, neque vires, neq; opes dignæ sint imperio, si sapientia, & iis virtutibus, quæ necessariæ sunt, cæteris imperaturi careant. Quis enim vel improbo vel stulto iudicio diu lætari poterit? aut cui non vel sua scelera tandem molesta sunt? ne igitur temeraria iudicia fierent, & vt quantæ calamitatis autor sit libidinosus & dolosus iudex ciuitatibus admoneremur. hæc ficta sunt ab antiquis.

*De Actæone.*

Atque cum ad beneficentiam & liberalitatem & humanitatem nos sapientes per superiores fabulas adhortarentur, omniumque scelerum fundamentum esse obliuionem acceptorum beneficiorum existimarent, significabant per Actæonis fabulam non in quosuis, sed in viros bonos tantum beneficia conferri conuenire: quia quæ ingratis fiunt hominibus, non solum amittuntur, sed absumuntur vires quæ viris bonis adiuuandis forent opportunæ. Ne igitur honori facultatibus vitæque nostræ insidiatores nostris sumptibus aleremus, & vt prudentiores essemus omnes in conferendis pro viribus nostris beneficiis, hac fabula admonebamur. Significant præterea deuitandam esse omnibus curiositatem & earum rerum studium, quæ nihil ad nos pertinent, quoniam multis perniciosa fuit arcanorum consiliorum principum cognitio.

*De Hercule.*

Vt autem demõstrarent sapientiam esse donum Dei, nullamq; virtutem esse sine diuina voluntate, Herculem, q̃ fortitudo est, & probitas, & animi magnitudo in omnib. viris profligandis, voluptatibusq; cõculcandis, Iouis filiũ finxerunt. proxime. n. ad diuinã naturam vel viuentes accedunt, qui per summam integritatem & beneficentiam in omnes cũ summa omniũ laude suam ætatẽ transigunt. Vt autẽ ad hoc incitemur, non erit inutile alienæ virtutis exemplum atq; inprimis superbia, & ira, & arrogantia, & animi furor monstra grauissima placãda sunt, omnis crudelitas ex animo tollenda, omnes illegitimi animi motus reprimẽdi, omnis

mnis voluptas harum honesta auertenda: auaritia præterea, rapinæ, latrocinia viro bono fugienda: subleuandi inique oppressi: intemperantia omnis & libido extinguenda, ad quam si quis vel paululum conniueat, ab appetentia tanquam rapidissimo fluuio deferetur ad multa turpia & viro bono plane indecora. Atque cum voluptatum omnium finis sit dolor & miseriæ, si quis neglecta virtute & animi constantia ad has prolabatur, is sentiet demum quam miserum sit turpibus cupiditatibus inseruire.

*De Acheloo.*

Neq; elementorum solum procreationem inter se mutuam, aut animalium, aut ventorum ex vaporibus, aut fulminum per fabulas significabāt antiqui, sed etiam fluuiorum ortum, & rerum singularum generationem. Quare Acheloum Oceani filium dixerunt, cum ex Oceano omnis etiam aquæ dulcis natura originem capiat. Quamuis senserunt alii postea ex aere in aquam verso flumina generari.

*De apro Calydonio.*

At vero non vnum exemplum, sed plura fabularum nos ad Deorum cultum inuitabant, propositis etiam grauissimis suppliciis illis, qui religionem neglexissent. Sic igitur Cyclops, quia Iouem contemneret ab Vlysse obcæcatus fuit, & aper Calydonius regionem late deuastauit Ætolorum, quia Oeneus Dianæ cultum neglexisset. Nam cum nulla calamitas sine Deorum consilio, & prouidentia contingat, tum nihil certe fit horum, nisi propter hominum improbitatem. Nam propter peccata veniunt aduersa.

*De Centauris.*

Ad reprimendam autem temeritatem impurorum & scelleratorum hominum, qui libidine & cupiditate ad quæuis turpia feruntur, quæ incommodo passi sint Centauri, per res eorum gestas explicarunt. Nam qui vino immoderatius vsus fuerit, qui impuris cupiditatibus obtemperarit, qui manus in res alienas violenter iniecerit, qui temperantia & æquitate in rebus omnibus vti oportere non cognouerit, hic per summum dedecus patriam, facultates, penates, liberos, vxorem relinquere cogitur, & extorris ac inops inter ignotos denique vitam degit.

*De Harpyis.*

Neq; per Typhona solum vim ventorum antiqui expli-

cate nitebantur. sed etiam per fabulam Harpyiarum, nam sicuti fluuiorum, fontium, imbriumque natura per Naiades ac Nymphas, per Iouem vis ignea, & pars aeris superior, per Neptunum aqua, per Vestam terra, per Iunonem inferior aeris pars, sic per Harpyias vis & natura ventorum significata est ab antiquis. fuerunt enim filiæ Thaumantis & sorores Iridis, quoniam imbres & nubes & venti ex eadem materia è vaporibus scilicet procreantur.

At Ethicè.

Significabant præterea per hanc fabulam, auaritiam & immoderatum opum desiderium tanquam graue supplicium, mortalibus esse immissum Deorum consilio. nam vel sibi ipsi vel cæteris hominibus auarum crudelem esse necesse est, quod in comparandis opibus auarus per multorum iniurias accumulat, aut sibi detrahit necessaria. cur enim oculis captus fuit Phineus, cui Harpyiæ epulas surripiebant? quia non videbat humanam conditionem vitæ intra angustissimos terminos includi, paucisq; esse confectam. atq; id etiam confirmatur per Harpyiarum formam.

*De Hesperidibus.*

Hesperidum fabula excogitata fuit ab antiquis ad rerũ astronomicarum rationem explicandam, per quam & horizontis obliquitatem significabant, quæ erat omnibus hominibus præterquam habitantibus sub æquinoctiali, & sidera Solis lumine per diem occultari : at Herculem tamen perceptam siderum etiam illorum quæ occultabantur, cognitionem in Græciam detulisse. quod quidam ad studium auarorum transferendum censuerunt.

*De Atalanta.*

Vt vero ante oculos mortalium proponeretur, quantopere insaniunt illi, qui voluptatum ductu se trahi patiuntur, Atalantam per summum capitis discrimen à nonnullis petitam fuisse dixerunt. Est enim voluptas Atalanta, quam non per pauca vitæ pericula experimus. Hanc vbi quis consecutus fuerit, nulla habita vel Deorum vel legum reuerentia, non amplius is humanam formam animi retinebit, sed in teterrimam beluam vertetur.

*De Theseo.*

Altera ex parte difficultates & labores cõplures humanam vitam circumsistere, quas res nemo superare poterit. nisi

nisi optimis & firmissimis sapientiæ institutis confirmatus: ad quod significandum Theseum tradiderunt multos latrones & crudelissimos tyrannos obtruncasse, ac labyrinthi fraudes aperuisse. erat enim labyrinthus vita hominum multis difficultatibus implicita, cum semper grauiores aliæ ex aliis oriātur, è quibus nemo nisi per singularem prudentiam & fortitudinem & constantiam se explicare poterit. has ipsas difficultates intra se continet ambitio, & auaritia, & libido, & omnia scelera, in quæ si quis semel ingrediatur, haud facile exitum inueniet. Si quis vero singulari prudentia non existat, is labyrinthum scelerum aut cupiditatum semel ingressus ante ibi emoritur, quam se expedire possit. quam turpium enim rerum voluptas sit parens & quam calamitosarum, argumēto fuit Terei libido.

*De Medusa.*

Vt quantopere opus sit constantia aduersus voluptates demonstrarent sapientes, Medusam omnium mulierum pulcherrimam effinxerunt, ob apparentem & ad se allicientem suauitatem: sed omnes ab illa in lapides conuerti dixerunt à quibus visa fuisset, cum vel Mineruæ templum violasset, quia voluptatibus dediti omnem Deorum cultum parui faciunt, omnisq; humanitatis & officii iura conculcare pedibus consueuerunt, omnibusq; honorificis rebus fiunt inutiles. Alii superbiam & arrogantiam per hanc fabulam deprimendam putabant, quia cum Dea certasset Medusa de capillorum pulchritudine: qui enim illis vitiis laborat, & homines & Deos parui faciunt. Sic igitur refrænandā libidinem, & temeritatem & arrogantiam esse admonebant, quia horum vitiorū Deus est grauissimus vltor. nam non modo capillos Medusa amisit, sed etiam Deorū consilio & opera missus fuit Perseus ad eam occidendam.

*De Gorgonibus.*

Quoniam vero duæ dicuntur esse facultates animæ nostræ, altera rationis particeps, altera sine ratione: q̄ rationis est cōpos, seniores natæ Grææ dictæ sunt ab antiquis, prudentia scilicet quæ in reb. difficilimis præcipue, & in rebus publicis est necessaria. at sorores harum sunt Gorgones voluptates dictę, q̄ homines implicant ac perimunt, à quibus Perseus sine Grææarum auxilio se explicare non potuisset. cum enim ratio & cupiditas ex eodem animo nascantur,

qui Medusam obtruncauit, vt diximus, cum ratio sit, quæ oẽs illegitimas voluptates infringit neque tamen illud sine Dei auxilio facit, quia nemo bonus est, nisi Deus illi ad hoc ipsum opẽ tulerit cuius semper auxilium est implorãdum.

*De Oceano.*

Vbi superioris partis elementorũ, ac virtutes Solis per fabulas expressissent antiqui, moribusq; animam hominum optimis pro virib. informassent, & eorum quæ in aere gignuntur naturam declarassent, mox ad aquarum naturam explicandam accesserunt, dixeruntq; Oceanum vniuersarũ aquarũ patrẽ fuisse ab optimo & sapientissimo opificeDeo creatum, quẽ è terra vndiq; iussit recedere. Sic igitur bonitas diuina cuncta cõmiscens ad ortũ excitauit, vt dixerunt sapientes. Dictus est pater idem rerum, quod imbres & fluuii ex Oceano procreantur, atq; ex iis omnia plantarũ animaliumq; genera. Deinde cũ reperta sit nauigatio, significarũt in ea opus esse singulari prudẽtia, quare dixerunt Prometheum amicissimum fuisse Oceani. nõ enim solum scopuli vitandi sunt, sed tempestates etiam præuidendæ.

*De Tritone.*

Tritones vero nulla alia de causa fuerunt introducti ab antiquis, nisi vt demonstrarent nullum locum Deo vacare, sed vbique & præsto esse aduocantibus, & facile de consceleratis pœnas sumere.

*De Ino & Palæmone.*

Neque tempestas quidem sine Deorum consilio contingere nauigantibus existimabant, quando Leucotheam siue Ino, quæ aurora est, & Palæmonem nauigantium tempestatibus præesse voluerunt, nam cum venti mare inuadunt, dicti sunt se in mare præcipitasse.

At Ethice.

Cum homines adhortarentur ad beneficentiam, Inus exemplum in medium attulerunt, quæ etsi grauissima pericula ob liberalitatem, qua vsa est in Bacchum, pertulit, tamen in summam fœlicitatem denique peruenit. nam pro rebus bene gestis solet Deus calamitates in summam fœlicitatem conuertere.

*De Nereo.*

Vt autem prudentiam omnib. in reb. vtilem esse ostenderent, & nauigationib. præcipue necessariam ob multa quæ

nauigantib. eueniunt aduersa, Nereum siue nauigādi peritiam filiū Oceani & Thetyos esse dixerunt, q Nereus, quoniam sapientes ad multas opportunitates se accōmodaret dicit in varias formas se vertere solitus. Ne quis igit ob inclementiam Deorum potius, q̃ ob suam ipsius inscitiam se naufragium pati, aut perire arbitretur, hoc de ipso Nereo & Nereidib. confinxerunt. Non enim accusanda est diuina clementia, si quis temeritate imprudentiaq; sua fretus se in grauissima pericula intruserit, cum Deus prudētes tantum & diligentes, vbi vires desunt humanæ, adiuuare soleat.

*De Proteo.*

Cum adhortarentur autem ad prudentiam, quę necessaria est ciuitatib. & amicitiis conseruandis, Proteum non solum virum bonum, sed etiam in omnes formas se vertentē, vt Nereum, introduxerunt. Nam sane viro prudenti non solum moribus animi moderari ratione & consilio necesse est, sed etiam ad omnes fortunæ euentus, & ad omnes temporum & personarū opportunitates animum suum accōmodare. Id qui sincere potest nostris præcipue temporibus plurimum gratiæ & opibus valet. Sed ego (sic enim meum est ingenium) nunquam prudens in hoc genere existimabor, quia non patitur Genius cuipiam adulari, neq; possum cum nebulonibus, quarum magna est & latronum multitudo, conuenire. Non tamen illum vitupero, qui id facere possit, cum præsens opportunitas illa postularit: nam cum stultis ridendum est. Hanc ipsam prudentiam necessariam magis ciuitatum præfectis quam priuatis iudico: quoniam alterius vt omnium sint exemplar, alteris ad honestatem tantum se accommodare opus est. Sic igitur significatur prudenter cedendum esse tempori, & rebus ac personis pro dignitate tribuendum.

*De Castore & Polluce.*

Neq; vero flammas illas sine Deo apparere crediderunt, quæ nauigantium antennis vel carchesiis insiderent per tēpestatis tempora: quæ, vt suo loco dictum fuit, modo certam tranquillitatem prędicerent, modo portenderent perniciem nauigantibus.

*De Æolo.*

Æolus ventorum tempestatumq; Deus creditus est, non solū quia signis obseruatis ventura multo ante prædicebat,

rem constuprare tentauit, excidisset Ixion: factus est omnium hominum miserrimus, quia perpetua ambitione & inuidia discruciebatur. Nam qui gloria inani tanquam imagine virtutis capiuntur, illi nihil sincerum, nihilq; laudabile faciunt, sed multa illegitima & absurda agant necesse est, multisque cupiditatibus, & omnibus animorum affectibus obsequantur. Neque vero ob hos motus animi tantum hæc tradita sunt in fabulis, vt ab iis abstineamus, sed etiam vt demonstraretur, quod nullus status illorum est diuturnus, qui per illegitimas artes ad honorem apicemque gloriæ contenderunt. Nullus enim honor nisi per virtutem teneri potest.

*De Sisypho.*

Deinde ad deprimendam loquacitatem omnis improbitatis vindicem Deum esse dixerunt, qui solet in illos etiam animaduertere, qui fidem non seruarunt iis magistratibus ac regibus, à quibus dignitates acceperunt. non enim conuenit res arcanas principum in vulgus proferre. Neque tamen minus hoc ad illos pertinet, qui magistratus & honores expetunt cum summa animi contentione, & tamen sæpius repulsam patiuntur: qui per hanc fabulam admonebantur, nihil esse humano generi calamitosius ambitione. Poterat tamen ad omnia humanæ vitæ studia istud ipsum trāsferri, quod vbi illa q̄ prius admirabatur, aliquis cōsecutus fuerit, tū eius rei pertæsus, alterius cupiditate capitur.

*De Tantalo.*

Reuocantur præterea ab auaritia mortales per fabulam Tantali, cum opulenti propter diuitias dici filii Iouis consueuerint: at iidem condemnati sunt apud inferos siti perpetua, cum nulla sit vel in maxima diuitiarum copia satietas: quippe cum illarum etiam desiderium vna cum ipsa copia excrescat.

*De Tityo.*

Si quis vel viribus corporis, vel nobilitate generis, vel humanis viribus fretus æquitatem, reliquasque virtutes neglexerit, ille poterit Tityi supplicio ab omni turpitudine deterreri. cum neque tantum quidem corpus, tantaque proceritas ipsum Tityum protegere à diuina vindicta potuerit. Fuerunt tamen nonnulli qui Tityi fabulam ad segetum naturam retraxerunt, vt suo loco dictum fuit.

*De Titanibus.*

Titanum fabula non quidem ad mores componendos, sed ad naturæ negocia explicanda, conficta est: qui dicti sunt aduersus Iouem arma cepisse, & rursus ab eo fuisse in tartarum deiecti, quia naturalia corpora corruptioni obnoxia videntur quidem sempiternis illis cœlestibus corporibus se velle æquiparare, cum tamē ad interitum cito prolabantur, quamuis singulæ formæ animantium sint sempiternæ. Has igitur formas siue Titanes partes hominum ac Deorum, & omnium animantium fontem appellarunt. Quidam Solem Titana putarunt esse, alii crassiora elemēta, quæ ob suam materiā inferius detrudūtur à vi superna.

*De Gigantibus.*

Sic etiam Gigantum fabula illorum arrogantiam deprimit, qui confisi magnitudine suarum virium, vel religionem Deorum, vel Deos ipsos parui faciunt. Nam certe quidem qui plurimum valent viribus, illi minimum pollent ingenio. Hi igitur cum impudentes, & temerarii, & crudeles, & ad omnia flagitia propensi sint, facile Dei vltionem in se conuertunt, cum nullum scelus denique impune cōmittatur. quare cœlesti fulmine icti, sempiternis suppliciis apud inferos, & perpetuis miseriis fuerunt addicti.

*De Typhone.*

Ad explicandam ventorum quoque naturam, vel incendiorum subterraneorum, non inelegantem fabulam de Typhone antiqui excogitarunt, qui capite illum cœlum pertingere dixerunt, & altera manu orientem, altera occidentem pertingere. Venti enim à superiore aeris parte è nubibus perflare incipiunt, & vel orientem vel occidentem versus latissime perflant. Ad celeritatem ventorum exprimendam totum corpus plumis tectum Typhonis esse dixerunt, cui plura erant capita propter vires ventorum multiplices: cum enim aliquando sint noxii, Typhoni viperarum spiras circa crura tribuerunt. Hunc Iupiter compressit, quia cœli & Solis temperies his moderatur. Quam tamen fabulam alii ad historiam deduxerunt.

*De Paride.*

Postea vt non solum à temeritate & arrogantia homines abstinerent, sed ab omni parū honesto animi impetu, q se dignos putant, vt cæteris dominentur: Paridē finxerunt p

libidine opes ingentes, & ſapientiam Dearum neglexiſſe: atque illud iudicium obſtinate à ſuis poſtea defenſum vniuerſum Aſiæ imperium funditus euertiſſe. Sic igitur ad imperatorias virtutes homines per fabulam adhortabantur, ad temperantiam ſcilicet, & ſapientiam, & Deorum metum, cum neq; nobilitas, neque vires, neq; opes dignæ ſint imperio, ſi ſapientia, & iis virtutibus, quæ neceſſariæ ſunt, cæteris imperaturi careant. Quis enim vel improbo vel ſtulto iudicio diu lætari poterit? aut cui non vel ſua ſcelera tandem moleſta ſunt? ne igitur temeraria iudicia fierent, & vt quantæ calamitatis autor ſit libidinoſus & doloſus iudex ciuitatibus admoneremur. hæc ficta ſunt ab antiquis.

*De Actæone.*

Atque cum ad beneficentiam & liberalitatem & humanitatem nos ſapientes per ſuperiores fabulas adhortarentur, omniumque ſcelerum fundamentum eſſe obliuionem acceptorum beneficiorum exiſtimarent, ſignificabant per Actæonis fabulam non in quoſuis, ſed in viros bonos tantum beneficia conferri conuenire: quia quæ ingratis fiunt hominibus, non ſolum amittuntur, ſed abſumuntur vires quæ viris bonis adiuuandis forent opportunæ. Ne igitur honori facultatibus vitæque noſtræ inſidiatores noſtris ſumptibus aleremus, & vt prudentiores eſſemus omnes in conferendis pro viribus noſtris beneficiis, hac fabula admonebamur. Significant præterea deuitandam eſſe omnibus curioſitatem & earum rerum ſtudium, quæ nihil ad nos pertinent, quoniam multis pernicioſa fuit arcanorum conſiliorum principum cognitio.

*De Hercule.*

Vt autem demõſtrarent ſapientiam eſſe donum Dei, nullamq; virtutem eſſe ſine diuina voluntate, Herculem, q̃ fortitudo eſt, & probitas, & animi magnitudo in omnib. viris profligandis, voluptatibuſq; cõculcandis, Iouis filiũ finxerunt. proxime.n. ad diuinã naturam vel viuentes accedunt, qui per ſummam integritatem & beneficentiam in omnes cũ ſumma omniũ laude ſuam ætatẽ tranſigunt. Vt autẽ ad hoc incitemur, non erit inutile alienæ virtutis exemplum atq; inprimis ſuperbia, & ira, & arrogantia, & animi furor monſtra grauiſſima placãda ſunt, omnis crudelitas ex animo tollenda, omnes illegitimi animi motus reprimẽdi, omnis

mnis voluptas harum honesta auertenda: auaritia præterea, rapinæ, latrocinia viro bono fugienda: subleuandi inique oppressi: intemperantia omnis & libido extinguenda, ad quam si quis vel paululum conniueat, ab appetentia tanquam rapidissimo fluuio deferetur ad multa turpia & viro bono plane indecora. Atque cum voluptatum omnium finis sit dolor & miseriæ, si quis neglecta virtute & animi constantia ad has prolabatur, is sentiet demum quam miserum sit turpibus cupiditatibus inseruire.

*De Acheloo.*

Neq; elementorum solum procreationem inter se mutuam, aut animalium, aut ventorum ex vaporibus, aut fulminum per fabulas significabãt antiqui, sed etiam fluuiorum ortum, & rerum singularum generationem. Quare Acheloum Oceani filium dixerunt, cum ex Oceano omnis etiam aquæ dulcis natura originem capiat. Quamuis senserunt alii postea ex aere in aquam verso flumina generari.

*De apro Calydonio.*

At vero non vnum exemplum, sed plura fabularum nos ad Deorum cultum inuitabant, propositis etiam grauissimis suppliciis illis, qui religionem neglexissent. Sic igitur Cyclops, quia Iouem contemneret ab Vlysse obcæcatus fuit, & aper Calydonius regionem late deuastauit Ætolorum, quia Oeneus Dianæ cultum neglexisset. Nam cum nulla calamitas sine Deorum consilio & prouidentia contingat, tum nihil certe fit horum, nisi propter hominum improbitatem. Nam propter peccata veniunt aduersa.

*De Centauris.*

Ad reprimendam autem temeritatem impurorum & sceleratorum hominum, qui libidine & cupiditate ad quæuis turpia feruntur, quæ incommoda passi sint Centauri, per res eorum gestas explicarunt. Nam qui vino immoderatius vsus fuerit, qui impuris cupiditatibus obtemperarit, qui manus in res alienas violenter iniecerit, qui temperantia & æquitate in rebus omnibus vti oportere non cognouerit, hic per summum dedecus patriam, facultates, penates, liberos, vxorem relinquere cogitur, & extorris ac inops inter ignotos denique vitam degit.

*De Harpyis.*

Neq; per Typhona solum vim ventorum antiqui expli-

care nitebantur. sed etiam per fabulam Harpyiarum, nam sicuti fluuiorum, fontium, imbriumque natura per Naiades ac Nymphas, per Iouem vis ignea, & pars aeris superior, per Neptunum aqua, per Vestam terra, per Iunonem inferior aeris pars, sic per Harpyias vis & natura ventorum significata est ab antiquis. fuerunt enim filiæ Thaumantis & sorores Iridis, quoniam imbres & nubes & venti ex eadem materia è vaporibus scilicet procreantur.

At Ethicè.

Significabant præterea per hanc fabulam, auaritiam & immoderatum opum desiderium tanquam graue supplicium, mortalibus esse immissum Deorum consilio. nam vel sibi ipsi vel cæteris hominibus auarum crudelem esse necesse est, quod in comparandis opibus auarus per multorum iniurias accumulat, aut sibi detrahit necessaria. cur enim oculis captus fuit Phineus, cui Harpyiæ epulas surripiebant? quia non videbat humanam conditionem vitæ intra angustissimos terminos includi, paucisq; esse contẽtam. atq; id etiam confirmatur per Harpyiarum formam.

*De Hesperidibus.*

Hesperidum fabula excogitata fuit ab antiquis ad rerũ astronomicarum rationem explicandam; per quam & horizontis obliquitatem significabant, quæ erat omnibus hominibus præterquam habitantibus sub æquinoctiali, & sidera Solis lumine per diem occultari: at Herculem tamen perceptam siderum etiam illorum quæ occultabantur, cognitionem in Græciam detulisse. quod quidam ad studium auarorum transferendum censuerunt.

*De Atalanta.*

Vt vero ante oculos mortalium proponeretur, quantopere insaniunt illi, qui voluptatum ductu se trahi patiuntur, Atalantam per summum capitis discrimen à nonnullis petitam fuisse dixerunt. Est enim voluptas Atalanta, quam non per pauca vitæ pericula experimus. Hanc vbi quis consecutus fuerit, nulla habita vel Deorum vel legum reuerentia, non amplius is humanam formam animi retinebit, sed in teterrimam beluam vertetur.

*De Theseo.*

Altera ex parte difficultates & labores cõplures humanam vitam circumsistere, quas res nemo superare poterit.

nisi

nisi optimis & firmissimis sapientiæ institutis confirmatus: ad quod significandum Theseum tradiderunt multos latrones & crudelissimos tyrannos obtruncasse, ac labyrinthi fraudes aperuisse. erat enim labyrinthus vita hominum multis difficultatibus implicita, cum semper grauiores aliæ ex aliis oriātur, è quibus nemo nisi per singularem prudentiam & fortitudinem & constantiam se explicare poterit. has ipsas difficultates intra se continet ambitio, & auaritia, & libido, & omnia scelera, in quæ si quis semel ingrediatur, haud facile exitum inueniet. Si quis vero singulari prudentia non existāt, is labyrinthum scelerum aut cupiditatum semel ingressus ante ibi emoritur, quam se expedire possit. quam turpium enim rerum voluptas sit parens & quam calamitosarum, argumēto fuit Terei libido.

*De Medusa.*

Vt quantopere opus sit constantia aduersus voluptates demonstrarent sapientes, Medusam omnium mulierum pulcherrimam effinxerunt, ob apparentem & ad se alliciētem suauitatem: sed omnes ab illa in lapides conuerti dixerunt à quibus visa fuisset, cum vel Mineruæ templum violasset, quia voluptatibus dediti omnem Deorum cultum parui faciunt, omnisq; humanitatis & officii iura conculcare pedibus consueuerunt, omnibusq; honorificis rebus fiunt inutiles. Alii superbiam & arrogantiam per hanc fabulam deprimendam putabant, quia cum Dea certasset Medusa de capillorum pulchritudine: qui enim illis vitiis laborāt, & homines & Deos parui faciunt. Sic igitur refrænandā libidinem, & temeritatem & arrogantiam esse admonebant, quia horum vitiorū Deus est grauissimus vltor. nam non modo capillos Medusa amisit, sed etiam Deorū consilio & opera missus fuit Perseus ad eam occidendam.

*De Gorgonibus.*

Quoniam vero duæ dicuntur esse facultates animæ nostræ, altera rationis particeps, altera sine ratione: q rationis est cōpos, seniores natæ Grææ dictæ sunt ab antiquis, prudentia scilicet quæ in reb. difficilimis præcipue, & in rebus publicis est necessaria. at sorores harum sunt Gorgones voluptates dictę, q̄ homines implicant ac perimunt, à quibus Perseus sine Grææarum auxilio se explicare non potuisset. cum enim ratio & cupiditas ex eodem animo nascantur,

cupiditas rationi pareat necesse est. quare dictus est Perseus siue prudentia capto Græarum oculo, consilio & auxilio Palladis illas superasse.

At Physice.

Dicuntur Gorgones esse aquæ maris filiæ, à fremitu dictæ. ad has Sol diuinæ mentis minister contendit, idq; Mineruæ consilio, quia omnes actiones naturæ fiunt pro diuina sapientia, cum Deus & natura nihil frustra agant. ob motus celeritatem huic Nympharum volucres calceos tribuerunt, quia per omnia penetret. cum extenuet vapores ita vt videri non possint, habere dictus est galeam Plutonis, & ensem Mercurii, Medusam mortalem occidit Perseus, quia subtiliorem tantum aquæ partem attrahit, quæ supernatat, quæque habilis est ad mutationem. cum vero admirabilis sit sapientia Dei, qui vires has Soli attribuit, attonitus prope fit ad reliqua hæc humana negocia, qui cognitione & mente in hæc arcana naturæ opera penetrare valeat. nam reliqua neque tantilli quidem faciet.

*De Sirenibus.*

Cum nobis vitandam esse desidiam per hanc fabulam, omnemq; in rebus gerendis negligentiam antiqui significarēt, hāc per Sirenum suauitatē cantilenæ omnes ad se allicere demōstrabant, & in summū capitis discrimen deniq; inducere. Alii voluptates esse intellexerunt, q̄ patre taurino Acheloo sc. natæ sunt. cum vero partim essent beluæ, partim virgines, duplicem animæ facultatem ostendebant, rationi parentem sc. & rursus appetentem. nam qui paret rationi, homo est: qui non paret, belua: neq; quidpiam aliud vere hominē facit. vnusquisq; nostrum merito inclusas habet Sirenes, cum animus diuersis motibus agitetur. si quis igitur illegitimos motus secutus fuerit, hic in extremas miserias deniq; inducitur: quare aures ad harum cantus sunt obturandæ: quidā adulatores esse Sirenes putarūt, qua peste nulla est neq; humano generi perniciosior neq; suauior.

*De Orpheo.*

Celebratus fuit Orpheus à poetis non solum quidem ob poeticæ facultatis præstantiam, sed multo magis ob iustitiam & æquitatem, qua nō solum in cæteros homines, sed in seipsum vsus fuit. nam placatis inferis animi perturbationibus scilicet, iustitiam siue Euridicē in lucem extraxit.

at si

at si quis fuerit paulo negligentior in seruanda æquitate, rursus codē relabitur, vnde fuerat ꝓfectus, vt igitur moderationē animi motib. adhibeamus, hæc ita cōficta fuerant.

*De Musis.*

Cum vellent Pythagorici demonstrare, omnia cœlestia corpora musicam harmonicam efficere, & sonos varios pro magnitudine sphærarum, aut pro celeritate, musarum nomina introduxerunt: atque ad planetarum imitationem musicis instrumentis septem chordas primum accommodarunt. quibus deinde plures additæ fuerunt. Sic igitur musicam diuinam scientiam Pythagoras significauit, qua possent animi mortalium ab impuris cupiditatibus refrænari, & mores componi. Quod diuinorum illorum corporum animæ poeticæ facultati præessent, id plane significabat res humanas à mente diuina cælestibusque corporibus gubernari: atque omnem in quauis facultate præstantiam ad homines cœlitus demitti.

*De Dædalo.*

Per Dædali vero fabulam significabant omnes iniquos esse calamitosos, nulli scelerato putādam firmam esse iusti principis amicitiam: mediocritatem tutius expeti, quàm ardua quæque & sublimia, quia summæ præstātiæ coniunctæ sunt ingentes calamitates & pericula. nam mediocritas neque valde inuidiosa est, neque contemnenda.

*De Pelope.*

Voluptatum naturam periculis & calamitatibus plenam exprimētes antiqui Pelopem cum Hippodamia de nuptiis curuli cursu certantem introduxere, ita tamen vt si vinceretur, vltimo afficeretur supplicio. Quod tamen certamen ad vniuersam mortalium vitam, miseriarum, contentionū, periculorumque plenissimam, potest referri. nam eximia quadam fortitudine & sapientia opus est ad deuitandas tot miserias, quæ vitam mortalium circumsistunt, aut ad tot difficultates fortiter sustinendas quas nisi vincamus, nos ab illis vinci omnino necesse est.

*De Perseo.*

Cum vellent demonstrare antiqui quanta vis esset auaritiæ, nullumque locū esse satis munitum aduersus largitiones, aurū de cœlo in gremium Danaes ad illā contra instituta patris vitiandam finxerunt. Hęc Perseū postea peperit.

qui Medusam obtruncauit, vt diximus, cum ratio sit, quæ oẽs illegitimas voluptates infringit neque tamen illud sine Dei auxilio facit, quia nemo bonus est, nisi Deus illi ad hoc ipsum opẽ tulerit cuius semper auxilium est implorãdum.

*De Oceano.*

Vbi superioris partis elementorũ, ac virtutes Solis per fabulas expressissent antiqui, moribusq; animam hominum optimis pro virib. informassent, & eorum quæ in aere gignuntur naturam declarassent, mox ad aquarum naturam explicandam accesserunt, dixeruntq; Oceanum vniuersarũ aquarũ patrẽ fuisse ab optimo & sapientissimo opifice Deo creatum, quẽ è terra vndiq; iussit recedere. Sic igitur bonitas diuina cuncta cõmiscens ad ortũ excitauit, vt dixerunt sapientes. Dictus est pater idem rerum, quod imbres & fluuii ex Oceano procreantur, atq; ex iis omnia plantarũ animaliumq; genera. Deinde cũ reperta sit nauigatio, significarũt in ea opus esse singulari prudẽtia, quare dixerunt Prometheum amicissimum fuisse Oceani. nõ enim solum scopuli vitandi sunt, sed tempestates etiam præuidendæ.

*De Tritone.*

Tritones vero nulla alia de causa fuerunt introducti ab antiquis, nisi vt demonstrarent nullum locum Deo vacare, sed vbique & præsto esse aduocantibus, & facile de consceleratis pœnas sumere.

*De Ino & Palæmone.*

Neque tempestas quidem sine Deorum consilio contingere nauigantibus existimabant, quando Leucotheam siue Ino, quæ aurora est, & Palæmonem nauigantium tempestatibus præesse voluerunt, nam cum venti mare inuadunt, dicti sunt se in mare præcipitasse.

At Ethice.

Cum homines adhortarentur ad beneficentiam, Inus exemplum in medium attulerunt, quæ etsi grauissima pericula ob liberalitatem, qua vsa est in Bacchum, pertulit, tamen in summam fœlicitatem denique peruenit. nam pro rebus bene gestis solet Deus calamitates in summam fœlicitatem conuertere.

*De Nereo.*

Vt autem prudentiam omnib. in reb. vtilem esse ostenderent, & nauigationib. præcipue necessariam ob multa quæ

nauigantib. eueniunt aduersa, Nereum sine nauigãdi peritiam filiũ Oceani & Thetyos esse dixerunt, q Nereus, quoniam sapientes ad multas opportunitates se accõmodaret dicit̃ in varias formas se vertere solitus. Ne quis igit̃ ob inclementiam Deorum potius, q̃ ob suam ipsius inscitiam se naufragium pati, aut perire arbitretur, hoc de ipso Nereo & Nereidib. confinxerunt. Non enim accusanda est diuina clementia, si quis temeritate imprudentiaq; sua fretus se in grauissima pericula intruserit, cum Deus prudẽtes tantum & diligentes, vbi vires desunt humanæ, adiuuare soleat.

### *De Proteo.*

Cum adhortarentur autem ad prudentiam, quę necessaria est ciuitatib. & amicitiis conseruandis, Proteum non solum virum bonum, sed etiam in omnes formas se vertentẽ, vt Nereum, introduxerunt. Nam sane viro prudenti non solum moribus animi moderari ratione & consilio necesse est, sed etiam ad omnes fortunæ euentus, & ad omnes temporum & personarũ opportunitates animum suum accõmodare. Id qui sincere potest nostris præcipue temporibus plurimum gratiæ & opibus valet. Sed ego ( sic enim meum est ingenium ) nunquam prudens in hoc genere existimabor, quia non patitur Genius cuipiam adulari, neq; possum cum nebulonibus, quarum magna est & latronum multitudo, conuenire. Non tamen illum vitupero, qui id facere possit, cum præsens opportunitas illa postularit: nam cum stultis ridendum est. Hanc ipsam prudentiam necessariam magis ciuitatum præfectis quam priuatis iudico: quoniam alterius vt omnium sint exemplar, alteris ad honestatem tantum se accommodare opus est. Sic igitur significatur prudenter cedendum esse tempori, & rebus ac personis pro dignitate tribuendum.

### *De Castore & Polluce.*

Neq; vero flammas illas sine Deo apparere crediderunt, quæ nauigantium antennis vel carchesiis insiderent per tẽpestatis tempora: quæ, vt suo loco dictum fuit, modo certam tranquillitatem pręducerent, modo portenderent perniciem nauigantibus.

### *De Æolo.*

Æolus ventorum tempestatumq; Deus creditus est, non solũ quia signis obseruatis ventura multo ante prædicebat,

sed etiam quod iræ moderetur: eamque pro opportunitate negociorum, cum res ita postularet, simulare cognouerit. Nam vel ex hac ipsa morum varietate nomē illud obtinuit. His præterea accedebat, quod nihil omnino carere moderatore poterat: quando vel leuissimi venti suum habebant gubernatorem ac Deum.

*De Scylla.*

Atque vt paucis complectar, illud tandē demonstrarunt antiqui, quod in Ethicis scribit Aristoteles, virtutē esse mediam inter extrema, quorum extremorum vtrumque est vitium. Nam cum ex altera parte Scylla, ex altera Charybdis grauissima monstra in Siculo mari nauigantibus, sint deuitanda, mediumque iter inter vtrumque tenendum, is tandem incolumis euadit, qui neutram in partem magis declinauerit. Cum enim vita mortalium sit tanquam longa nauigatio, in qua permultæ occurrūt difficultates, multæque variorum monstrorum illecebræ, neq; difficultatibus neque illecebris cedendum est, sed omnib. moderatio adhibenda: cum neq; assiduam seueritatem, neque assiduam mollitiem vita hominis possit perferre.

*De Orione.*

Tum rursus explicarent antiqui generationem elementorum, & ventorum, & eorum quæ sunt sublimibus, Orionem trium patrum filium introduxerunt: est enim Orion ventorum & pluuiarum & fulminum ac tonitruum materia. Nam rerum omnium semina in mari continentur, quia sunt elementa omnia in omnibus, manifestius autem in mari, quod aqua magis sensu percipiatur, cum accipit mutationem. Vis Apollinis vapores, ex aquis excitat, eosque extenuans non sine quodam spiritu innato, in aera extollit. Iupiter, quod aer sit, patuit. Vt vero supernatantem materiam esse demonstrarent. Orionem impetrasse à patre fabulati sunt, vt super aquas incederet. Hæc materia in aera diffunditur: atq; cum Orion ibi conetur Aeropē violare, extra regionē eiicitur priuatus lumine, necesse est enim vapores per aera pertransire, & ad summā partem accedere, per quem locū diffusa & dilatata materia imbrium & cæterorum ignis primam vim sentit paulatim deficere. Sic igitur ad significandum circularem elementorum motum, & generationem, hunc excipi a Vulcano dixerunt, & ad

& ad Solē proficisci, mox reuerti in Chiū quia vapores per calorem attracti sursum feruntur, mox ab antiperistasi siue à circumstanti frigore in suprema, ad quam peruenire possunt, aeris regione rursus coacti in pluuias funduntur: quod quoniam fit per vires Lunæ, fabulati sunt Orionem ausum fuisse Dianam attingere & idcirco sagittis ab illa fuisse cōfossum. Videtur enim nobis vapores Lunam attingere, cuius vis est tanquam fermentum in pluuiis concitandis, & cogendis vaporibus, velut reliqui planetæ vim eius adiuuant aut impediunt. Quod autem Orion materia credita sit imbrium, vel illud est argumēto, quod cum in signum cœleste versus dicatur, nunc etiam suo exortu frequentissimas pluuias concitat, & ventos, & tonitrua, & fulmina.

At Ethice.

Grauissimas calamitates passus est idcirco Orion, quia nemini, non calamitosa libido, & illegitimarum rerum cupiditas esse potest. Deinde ad deprimendam omnem mortalem arrogantiam, quia si neminem habes te in aliqua re præstantiorem, cæterosque mortales aliqua re longo interuallo, superes, at Deum habes, qui te longo spacio relinquat omnesque vires humanas antecellat.

*De Arione.*

Enimuero ne quis sua flagitia occultari posse diutius arbitraretur, cum turpe quidpiam patrasset, Arionis fabulam excogitarunt antiqui: vt significarent vel volucres cœli, vel feras syluestres, vel pisces maris certissimos testes, fore aliquando nostrorum scelerum; si homines vel defuerint, vel nos noluerint accusare, & laborantibus viris bonis opem ferre, cum Dii sint scelerum omnium vltores & vindices.

*De Amphione.*

Merito itaque Amphion vltimo supplicio ab Apolline Latonæ filio affectus fuit, quia nimium ob lyræ pulsandæ peritiam gloriaretur. Nam Latonam Latonæq; filios contumeliis affecit, quod Dea nulla re hominibus præstaret, cum rudes & imperitos haberet filios, si secum conferantur. At Diis, quibus inuisa est omnis mortalium arrogātia, temeritatem Amphionis minime ferentes, illum grauissimis domesticis calamitatibus addixerunt. Quare si quid præclarum habemus per quod excellamus, id totum a diuina bonitate nos habere putandum est.

*De Halcyonibus.*

Sic Ceyx maritus Halcyonis rex Trachiniorũ cum forma corporis, opibus, nobilitate cæteros homines antecellere sibi videretur, iam non amplius se parem mortalib. arbitratus est: quare se Iouẽ, vxorem Iunonem appellauit. tantam arrogantiam hominis non ferens Deus sæuã tempestatem nauigantis Ceyci immisit, quæ illum submersit. quare patuit, q̃ sublimia sunt, & in altissimo fortunæ gradu collocata, citissime posse diuina potentia euerti, cum quib. paulo fœliciorem fortunam æquo animo ferre non poterit.

*De Deucalione.*

At prudentes & innocentes & pios homines & certam moderationem animi in rebus omnibus adhibentes, Deus ab imminentibus periculis subtrahit: quare Deucalionem prudentiæ siue Promethei filium in arca seruatum fuisse inquiunt per diluuium.

*De Ione.*

Ionis contra fabulã præterea introduxerunt, cum naturã terræ exprimerent, q̃ in medio aquarum vndiq; cõsistat, q̃ vapores assidue ex illa exsurgunt, q̃ fertilissima est omnis generis frugũ & animalium, & rerũ prope innumerabiliũ: quod temperatum calorẽ illa cupiat, q̃ cœlo vndiq; tegitur. quod altera pars semper Solis lumine illustratur, cũ altera vicissim noctem habeat. Deinde ostendebant terrã fieri feracem agricolarum industria, vbi cœli clementia aliquantulũ deficeret. Alii ad Lunæ congressus cum Sole & ad totã naturam Lunæ fabulã traduxerunt: qui dicunt in planetarum congressib. nubes aut nebulas gigni, die tertio deinde fera semper à coniunctione comutam exire, omnibus aliis stellis esse inferiorẽ. Mox Sole lumen & vires impartiente, illa omnium stellarum vires exuperat: cuius vires magis cõspicuæ sunt in humanis corporibus, quas exercet Luna cum aliquantulum excreuerit. Cum vero Luna velocissima sit omnium planetarum, fingitur orbem terrarum peragrãsse, cum eadem modo ad meridiem, modo ad septentrionem decliner è signifero circulo.

Ethice.

Io anima dicitur impurorũ hominum, q̃ è cœlo in hoc corpus tenebrarũ & caliginis plenã delapsa est: mox in beluam vertitur, neq; cupit diuinitatẽ aut immortalitatẽ speculari

culati, Illa donatur Iunoni ita conuersa, tanq̃ opum desiderio. Argi vero oculi sunt libidines, asilus conscientię stimulus, rerumq; præteritarũ recordatio, hic facit vt exagitati animi molestiis nos errasse sentiamus, & pristinã hominum formam resumamus, ac Dii immortales deniq; per sanctitatem vitæ & innocentiam, & iustitiã, & humanitatẽ in oẽs viros bonos efficiamur: si Deus optimus hunc asilum nobis immittere voluerit: quod vt faciat, assidue rogandus est.

*De Vesta.*

Cum vellent significare terrã esse tanquam mundi stabilimẽtum ac firmamentũ corporum naturaliũ, vnde omnia q̃ nascerentur, initium caperẽt, Vestam omnium Deorum matrem appellarũt: quamobrẽ omnium sacrificiorum primitias illi primæ obtulerunt. quod autem omnia elementa Deorum nominibus appellarentur, iam explicatum est.

*De Iride.*

Iridem dixerunt antiqui nasci è filia Oceani & Sole, quia sine pluuia non fit, aut sine Sole inita nubes; quæ cum sit nuncia Iunonis & soror Harpyiarũ, indicium est mutationem aeris futurorũ & vẽtorum aut serenitatis nuncia. Certissima enim signa Iridem sequuntur. dicitur eadem animas mulierum è corporib. euocare solita, quia animæ mortaliũ inclusæ sunt in his corporibus, quæ non licet eiicere nisi ad Dei nutum, cum nemo vitæ suæ iure esse possit arbiter: quod quique sumus diuina Dei vel prædia vel iumenta.

*De Alpheo.*

Per Alphei autẽ fluminis fabulã significarunt antiqui, ꝙ animus noster virtutem suapte natura expetat. quare cum Alpheus fluuius esset purgandis maculis accõmodatus, dictus est sequi Arethusam, nam animæ multis vitiorũ voluptatumq; maculis contaminatæ non sunt ad virtutem propensę, sed quasi brutorum in hominum corporibus viuunt.

*De Inacho.*

Si per Inachi fabulam fluuiorum & aeris naturam explicarunt, cum difficilimum sit iudicium plus ne aeris vis an aquarum conferat regioni: nam vbi alterum horum parum bonum fuerit, locus non est habitabilis. aeris tamen natura videtur magis spectanda vt cuius vsus sit frequentior; quæ etiam causa fuit, vt Inachus sit in contentione inferior Iunone iudicatus.

*De Europa.*

Memoriæ prodiderunt antiqui Iouem sub tauri forma Europam rapuisse ac vitiasse, vt ostenderent quam decori sit moderatio in omnibus illecebris voluptatum, quippe cum tanta sit vis libidinis, nisi quis sibi à turpib. temperet, vt coegerit vel Iouem ipsum turpissimum fieri animal & prope in Venerem furibundum.

*De Penelope.*

Penelopes exempla nimirum cæterarum fœminarum virtutes excitabantur, & continentia, & patientia in rebus difficilimis, & conseruatio rerũ domesticarum, & in omnibus deniq; prudentia: q̃ idcirco Vlyssis siue rationis vxorem finxerunt est n. multo difficilius animum bene temperantia & virtute communitum expugnare, siue ad aliquam turpitudinẽ impellere, quam sit expugnare Troiam. quare finxerunt ipsam vrbẽ decẽnium pertulisse obsidionem, & Penelopen neq; per viginti quidẽ annos expugnari potuisse. hãc igitur tanquam singulare exemplar virtutũ omnium multis præconiis antiqui celebrarunt ad imitandũ: cum multis artibus & vanis pollicitationibus procos fefellerit, quos tamen vi domo eiicere nullo pacto poterat, vel si voluisset.

*De Andromeda.*

Per Andromedam vero adhortabantur posteros antiqui ad pietatem, animiq; moderationem, cum omnia quæ habemus bona sunt à clementia & bonitate Dei immortalis accepta, quæ quidẽ data sunt ad nostram, cæterorumq; hominum commoditatẽ, at non ad opprimendos imbecilliores. Quod si quis ob aliquam præstantiã nimis elatus fuerit, nimisq; arroganter illa vtatur, huius vindicem esse eundem Deum mox sentit, cum numen vel illi ipsi arroganti, vel posteris adimat, quod benigne concesserat, atque propter regnum vel maiorum grauissima peccata, vel totæ vrbes aliquando, vel totæ familiæ funditus euertuntur.

*De Vlysse.*

Vlyssem autem, tanquam effigiem & picturã in qua cernerentur humanæ vitæ perturbationes, introduxerunt antiqui. nam cum ex altera parte difficultates & labores, ex altera voluptates ac suauitates nos circumsistant, sicuti dictum est cum de Scylla loqueremur. is demum solus sapiens existimãdus est, q ab vtrisq; se cum summa laude, omniumque

quæ hominum admiratione explicauerit. Per Vlyssis igitur figmenta, prosperam & aduersam fortunam, difficultates & suauitates vitæ sapienter, & cum quadam animi moderatione proferri oportere significabant.

*De Oreste.*

Atque vt omnibus manifestum esset, nihil magis hominum vitam infestare, quam grauissimorum scelerum conscientiam, & suppliciorum expectationem, visas fuisse assidue furias Oresti, quæ armatæ facibus ardentibus illum semper infestarent, memoriæ prodiderunt. Nihil enim magis molestum est, aut ad perturbandum animum concitatius, quam recordatio præteritorum scelerum: nihilq; contra magis confert ad quietem & animi tranquillitatem, quam integritatis & innocentiæ opinio.

*De Chimæra.*

Per Chimeræ autem fabulam naturam fluuiorum & torrentum præcipue significarunt: qui ob imbres hybernos, aquarumq; copiam, perpetuo prope violentoq; cursu delabuntur, fiuntq; tanquam leones indomiti & effrænes; cum vero proxima quæq; carpãt, similes capris habiti sunt: at cum sinuosis & reflexis sæpius alueis ferantur in morem viperarum, dicti sunt extremam partem habere serpentum. Hoc monstrum Bellerophontes Pegaso inuectus interemit, quia calor Solis per æstatẽ pluuiarum copiam nõ ita frequenter cogi patitur, quare torrentes exsiccantur.

At Ethice.

Per hanc eandem fabulam nos antiqui ab ira, omnium monstrorum turpissima, proposita ita turpitudine eius reuocabant. nam furibundos illos facit, qui illo motu animi exagitantur: oculosq; rubro colore perfundit, quare flammas expirare Chimæra dicta est. nullum est vitium magis vel honori, vel vitæ mortalium, vel facultatibus infestum, quam ira, quæ omnia vno tempore euertit, nisi ratio illi moderetur. qui sint huic vitio dediti, non minus à nostra consuetudine auertendi sunt deuitandi, quam teterrimi & maxime perniciosi serpentes.

*De Bellerophonte.*

Finxerunt præterea Bellerophontẽ humorem esse motu Solis eleuatũ: quoniã aere vi Solis humectato pars leuior sursum elata, paulo post deorsum demittitur atq; cogitur

cum vero pars subtilior ad ignis regionem feratur, pars illa grauior à Ioue deorsum demittitur, quare à Pegaso deiectus fuit Bellerophon. Alii hoc ad totam elementorum naturam, circularemq; motum generationis transtulerũt.

At Ethice.

Sapienter esse humanam vitam transigendam demonstrabant: quia neque aduersis nimis tristari, neq; fœlicibus rebus nimis gloriari opus est: quibus omnibus adhibenda est animi moderatio, & diuina clementia non minus in ꝓsperis quam in aduersis imploranda. Qui enim per fœlicitatem Deum sibi conciliarit, is si quid aduersi postea contingat, eum iam placatum & adiutorem consequetur. At si quis nimium fœlicitate rerum præsentium efferatur, neq; moderatione vti cognouerit, ille ab omniũ scelerum, omnisq; atrogãtiæ vindice Deo de summa fœlicitate deiicitur.

*De Rhea.*

Ad exprimendam vero terræ naturam, multa fuerunt ab antiquis de Rea, deque eius sacrificiorum ritibus memoriæ prodita. est autem Rhea vis terræ, quæ ad rerum generationem pertransit. atque lora quæ ferri & æris ponderibus rotam pulsabant, hanc ventis, & imbribus, & grandine, & omnibus quæ de cœlo decidunt, pulsari significabant. Hæc dicta est in aere pendere, nullamque in partem magis deuergere, quam turrita corona insignitam idcirco in curru vehi finxerunt. Vocata est omnium Deorum mater, quia (vt diximus) omnium corporum naturalium sit sedes & fundamentum, circa quam & ex qua omnis fit animalium generatio, & elementorum fere mutationes. atque harum mutationum celeritati plurimum confert ventorum natura, qui ministri sunt frigoris & caloris: nam omnis vis naturæ plurimum ab illis adiuuatur.

*De Latona.*

Neq; vero simplex de mundi ortu explicatio per fabulas excogitata est ab antiquis: quippe cum ex informi materia, quam Chaos appellabant, natum esse primum Solẽ ac Lunam crediderint. nam Latona dicta est chaos, quod omnia naturalia corpora in ea permista & confusa latuisse credita fuerint. Alii dixerunt Latonam esse terrã, cui Iuno obstitit ne pareret Phœbum ac Dianam, ob frequẽtes vapores, qui mundo recente adhuc contigerunt, quibus Solem

sem ac Lunam occultari diu accidit. cum vero ita frequentes nebulæ contingant Sole inualescente præcipue, pestifer fit aer, multique grauissimi morbi animalia & plantas infestant. at vbi Sol iustas vires assumpserit, tunc cessant illi morbi ob aerem digestum, omnisque vis pestilentiæ, nisi si qua fiat è contagione, euanescit. Sic enim Apollo est dictus serpentem sagittis interfecisse.

*De Curetibus, & Corybantibus.*

Quod autem venti terræ, rerumq; omnium generationi plurimum conferant, patuit vel ex eo, quod Curetes ac Corybantes, qui venti erant, matris Deum ministros esse tradiderunt, quod per eorum strepitum significatur. per hos enim non modo pluuiæ & frigora fiunt, sed omnia naturæ opera. neque vllum est vel plantæ vel animalis semen quod ventosum non sit & per ventum extrudatur, cum sit generationi proximum. sic igitur venti dicebantur salutis animalium autores, generationi rerũ præfecti, & mari imperare, quod significabatur per Curetes & Corybantes.

*De Cyclopibus.*

Tum rursus eorum quæ fiunt in sublimi, materiam, naturamque explicantes Cyclopum fabulam effinxerunt: dixerunt enim Cyclopas esse vapores, è quibus fulmina, & fulgura, & tonitrua nascerentur ac fierent. neque vero vapores illi, nisi per calorem Solis in aera possunt extenuari, qui partim è mari, partim è terra extrahuntur. fiunt autem frequentes vapores eo tempore, quo fieri solent fulmina, hi postea in sublimi vi Lunæ condensati, à superiore frigore detruduntur.

At Ethicè.

Cyclopas impios & Deorum cultum contemnentes faciunt, & in omne genus crudelitatis ac feritatis propensos & eorum principem Polyphemum præcipue, qui nihil honestum, nisi quod ventri placeret, nihil pium, nihil sanctũ existimabat. Sed cum improbitas omnis Deos vindices habeat, temeritatis crudelitatisq; suæ condignas pœnas persoluit in omne vitæ tempus. Is enim vino facile victus fuit, qui omnem Deorum immortalium potentiam antea minime formidauerat.

*De Lycaone.*

Sic igitur multis rationibus ad probitatem & ad huma-

nitatem erga hospites antiqui nos adhortabantur, quod etiam fecerunt per fabulam Lycaonis. Nam vt hospitum præsentia vnumquemque ad humanitatem incitaret, Deos etiam finxerunt ad homines in hospitium aliquando accessisse, atque ingentibus suppliciis Deorum consilio illi affecti memorantur, qui crudelitate in hospites vsi fuissent illique rursus honorifica & vtilissima prēmia reportarunt, qui perhumani & benigni aduersus hospites extitissent.

### De Ganymede.

Ganymedem fuisse à Ioue amatum, omnes antiqui consentiunt, at cur fabulose dicatur in cœlum asportatus, nemo probabilem rationem explicauit, ex iis omnibus scriptoribus quorum monumenta ad ætatem nostram peruenerunt. Ego sane significare voluisse antiquos per hanc fabulam crediderim, virum prudentem, & qui recto consilio polleat, proxime ad Deorum immortalium naturam accedere. Nam vel nomen ipsum Ganymedis significat virum consilio præstantē, quem ob eximiā prudētiam Deus ad se rapit, cum stulti neq; sibi, neque cæteris quidem hominib. sint vtiles. Dictus est Ganymedes pulcherrimus, quod anima prudentis hominis nullis prope sordibus humanis sit contaminata, quæ cum talis existat, facile ad Iouē rapitur.

### De Harmonia & Cadmo.

Enimuero vt cunctis hominibus fieret manifestum, quod necessaria est prudentia in rebus omnibus, ea finxerunt antiqui, quæ de Cadmo fabulati sunt. Is enim Mineruæ consilio serpentem ac fontem Dircen occidit, & dentes seminauit, latronem scilicet cum sociis, quia maxime rerum omnium necessaria est prudentia imperatoris in rebus militaribus, quæ tamen omnis inanis est, nisi Dei optimi auxilium illi accesserit. at vero Harmonia Iouis & Electræ filia dicitur, quod illam in motibus sphærarum inesse arbitrabantur, vti dictum fuit.

### De Mida.

Neq; vero vno tantum exemplo, vt humanitate aduersus hospites vteremur hortabātur antiqui: quando Midæ etiā facinus, qui Silenum perbenigne tractauit, ita celebratur. is cum suæ liberalitatis ergo magnū accepisset præmium, si tam prudens fuisset petendo & eligendo præmio ac dono Dei, quam liberalis fuerat in hospitē. Sed nihil certum

peten-

petendum est à Diis, quia sępius perniciosa petuntur à precantibus. Temere nihil iudicandum monemur per hanc ipsam fabulam, quoniam vel temerarium, vel stultum, vel dolosum iudicium non patitur Deus diutius esse inultum.

*De Narcisso.*

Vt autem temperantes, & prudentes & viri boni essemus, nullum esse facinorosum hominem impune tradiderunt antiqui. Nam tametsi Deus aliquandiu differt vindictam, tamen multo grauiorem illam postea concitat, quod per Narcissi fabulam explicatur. si quis enim nimis vel forma corporis, vel opum magnitudine, vel nobilitate generis, vel viribus glorietur ac efferatur, neque cognoscat se largiente Deo hæc omnia habere: ille ob suam imprudentiam hæc sibi facit perniciosa, non minus male affectus ægrotantis stomachus, cui vel optimi cibi fiunt noxii ob digerendi debilitatem.

*De Belidibus.*

Ad educationem vero liberorum Belidum exemplum pertinet. nam neque parentes quidpiam liberis contra humanitatem, iusque naturæ, & Deorum religionem debent imperare, ne paterno consilio improbi esse consuescant: neq; liberi crudelia & impia & inhumana parentum mandata exequi. Sin autem magis paterna, quam diuina reuerentia teneantur, Deum denique sentient esse grauissimum impurorum & consceleratorum hominum vindicem. nemo enim malus est impunis.

*De Sphinge.*

Quæ autem dicta sunt de Sphinge, hortabantur vnumquemq; ad fortunam suam æquo animo ferendam, cum omnis humanæ vitæ status sit inconstans, cum humanum sit calamitatibus subiici, cum vel volenti, vel inuito fortunam ferre omnino necesse sit. atque vt summatim dicam, necesse est vnicuiq; vel suam sapienter fortunam perferre, vel omnino, si quis illam ferendo vincere non poterit, ab illa denique superari, & in extremas miserias incidere.

*De Nemesi.*

Enimuero cum vellent demonstrare antiqui sapientes, nihil Deo gratius esse, vel vitæ hominum vtilius, quam in vtraq; fortuna animi moderationem, multas fabulas finxerunt, quibus ad miserias & calamitates fortiter perferē-

das nos hortarentur. Sed quia nonnulli æquo animo aduersa tulissent, at fœlicia & prospera ferre nescirent, Nemesin iustitiæ filiam introduxerunt grauissimam Deam, quæ de illis supplicium sumeret, qui nimis elati aliquo fœlici rerum successu non mediocriter extollentur. fierentque cæteris hominibus intolerabiles. Nam hanc Deorum iussu quam citissime ad superborum pœnas conuolare finxerunt.

*De Momo.*

Deniquenemini esse grauiter ferendum aiebant, si quis vel illa quæ humaniter, quæ prudenter, quæ pie & secundum leges fecerimus, carpserit: quando neq; Deus quidem placet omnibus, cum neque ipse quidem Momi reprehensione carere potuerit. Non esse curandum quid homines imprudentes de nobis loquantur, cum nobis multorum recte factorum fuerimus conscii. Enimuero si quam vtilitatem studiosi homines ex hisce meis laboribus percipient primum gratias agere debebunt summo Deo nostro IESV CHRISTO, à quo omnia recta procedunt consilia, cuius ope & impulsu, vt arbitror, omnes prope antiquæ religionis fallacias & vana mysteria patefeci. Deinde gratias agere debent nonnullis viris illustribus, inter quos principem locum obtinet vir clarissimus & optimus Renaldus FERRERIVS, comitiorum Parisiensium præses, omnibus egregiis animi dotibus ornatissimus: & Valerius Faëzus, Quæsitor prauitatis hæreticæ apud Venetos prudentissimus: quorum autoritas plurimum me impulit, vt ista ipsa ederem ad omnium commoditatem, quæ mihi per vniuersum prope vitæ meæ cursum ad facilitatem meorum studiorũ comparaueram. Fateor illud ingenue, quod nisi me tantorum virorum autoritas commouisset, nunquam eram ista in lucem emissurus: tum vt maleuolorum calumnias deuitarem, tum etiam vt meis his laboribus aliquid adiungerem, quid enim prohibet hæc fieri posse à me indies meliora? sed tantorum virorum voluntati non parere nefas putaui. plurimum igitur gaudeo me tantum opus ad bonorũ gratiam absoluisse, in quo præsertim patefactum est, illa quæ fuerant ab antiquis sapientibus ad probitatem excogitata, non prorsus abhorrere ab integritate & sanctitate Christianæ religionis. Nam facile est ex ipsa fabularum vniuer-

niuersitate iudicare, diuinas leges, quæ sanctis illis patribus diuinitus traditæ sunt ante Christi aduentum, sub fabularum inuolucris ab antiquis Græcis fuisse occultatas. Quis enim constanter negare possit leges illas quæ datæ sunt Hebræis sanctis hominibus, primum ad sacerdotes in Ægyptum, deinde ex Ægypto in Græciam commigrasse? Cum præsertim omnis Græcorum theologia & philosophia occulte sub fabulis antiquitus ab Ægyptiis capta traderetur. Nam tametsi consceleratorum vel hominum vel dæmonum consilio, aut imperitorum veritatis vitio res postea fuit in populorum perniciem conuersa, qui res non satis cognitas coluerunt: tamen hæc ipsa dogmata fuerunt à sapientibus primum ad sanitatem, & religionem ac Dei cultum, ad probitatem, fidem, iustitiam, innocentiam tradita. Atque hæc illa sunt, quæ nos pro nostri ingenii viribus colligere diuturnis laboribus studuimus, quæque sub fabulis antiqui sapientes significabant.

# NATALIS COMITIS DE VENATIONE,

## LIBER PRIMVS.

VENANTVM canimus fraudes, & montibus altis
Dispersas gentes hominumque canumque labores;
Coniugia, & Veneris stimulos, dulcesq; Hymenæos.
Et mores, odiumq; & agrestis tempora partus.
Tu magni, tu nata Iouis Cytherea pharetram
Quæ capis interdum nato, fessumq; tepenti
In gremio refoues, & amanti gaudia præstas
Dum pia diua ferum facilem prece reddis amorem

Nunc Paphon, Idaliumq; tuum, nunc alta Cythera
Linquito: nunc mecum venias ad lustra ferarum
Dum canimus thalamos: nam certo tempore cuiq;
Inspiras tacite blandum per pectora amorem.
Tu quoq; venantum quæ fortunata virorum
Vota facis, syluis errans & retia curas,
Dic age venantes homines, roburq; ferarum,
Quo se defendant fugientes tristia fata.
Dic genus acre canum, variorum robur equorum.
Consilia alta virum, vestigi lucra reperti.
Dic odia inter se, & duri certamina Martis.
Tuq; ædes, & facilis cœptis illabere nostris,
Magnanimi proles Francisci, clara propago
Roboris, eximie quo Petri cardine valua
Vertuntur. non ingeniis tu cedis auitis.
Virtutis fautor, recti defensor & æqui,
Da facilem cursum, & fœlicem porrige dextram,
Dum rate tranquillum, ventisq; fauentibus æquor
Sulcamus, madidasq; vias Aquilone secundo.
Namq; potes: tibi regna patent Neptunia & altum
Aeriæ regionis iter, terræq; iacentis
Multiplici petitur certamine turba ferarum
Quæ mare, quæ terras habitant, quæq; ætheris oras:
Ventosum quæcunq; fretum, atq; humentia regna
Percurrunt reti, & duris capiuntur ab hamis.
Sunt quibus obscuram fert impia fuscina mortem.
At volucres, volucres sylua, campoq; sequuntur,
Perniciemq; ferunt miseris captasq; trucidant.
Hinc odorisequi discurrunt æquora campi
Lata canes, auibusq; necem, mortemq; petentes.
Exitiumve ferunt his denso retia filo,
Et consanguineum melli viscum altaq; chorda:
Et quæ præterea captantia multa volucres
Inuenit mortale genus per iura volantes.
Quis tamen heu Diuum, quæ sanguinis ista cupido
Armauit feritate viros, insuetaq; corda?
Vicimus en feritate feras, leuitate volucres:
Et nihil est tutum cœlove marive relictum.
Iam nihil est quo non penetrauerit impia ventris
Ingluuies altus saltus indagine cingit:

Ast alius lato committit prælia campo,
Sanguine cæsarum gaudens maduisse ferarum.
Quod sequeretur eum cunctis animalibus vnum
Inuentum, scelerisq; comes, cędisque nefandæ.
Hoc docet & dominos vestigia cæca ferarum,
Atque ad lustra trahit, vocat in certamen & ambo.
Interdum aut ipsam campo pugnauit aperto.
Et querimur si nos inuadit sæpe petita
Mille dolis fera, crudeles diuosque vocamus?
Haud equidem credo quin sint primordia belli
Hinc exhausta: viris miseris hinc impia cædes,
Atque cadaueribus campi sternuntur, aprica
Planitie cæsorum alti cumulantur acerui.
Veris vbi aduentum mollis cantauit hirundo,
Et Zephyrus Boream gelidum legauit ad axem,
Nauita cum primis scindit freta lata carinis,
Prætendens leuibus volitantia carbasa ventis,
Tempora tota die sunt venatoribus apta.
Nam neque tunc horrent torpentia frigora brumæ,
Nec nimio vruntur florentia prata calore.
Tum facile est reperire feras, quas vndique mollis
Cogit amor: cunctæ stimulis agitantur amorum,
Et studio cunctæ sobolis generisque parandi.
Nil adeo est immane, ferum nil saltibus errat,
Vt blando victum non & mitescat amore.
Sic natura dedit nam quo breuioribus vlla
Clauduntur vitæ spaciis, numerosior illa
Hoc reparat proles: est vnica machina mundi
Perpetua. Et multos viuendo præterit annos
Phœnix, quæ sola reparatur denique prole.
Hinc querulis volucrum complentur vocibus arua:
Hinc syluæ resonant, hinc purgatissimus æther:
Nec prius hinc saltus, ignotave rura petamus,
Quam fuerit notum quæ venatoribus arma
Conueniant, queis dextra viris armetur, & ipsa
Queis sine non potuere feræ cædique capique.
Inprimis laquei, pedica longumque panagrum
Adsint & falx, & lato venabula ferro.
His addas armenta, leuis cum robore pennæ.
Pugnaces arcus, vallos, furcasque bicornes,

Atq ie lagabolion, tum dextra flexile vimen,
Et quodcunque genus retis venantibus aptum.
Viginti valli, triginta ve retia firment,
Sit retis duplex illis mensura: feraci
Cassibus adueniat lectum Carthagine linum,
Phasidis aut campis rapidi mittatur aquosis,
Anulus hinc casses suspensos plurimus ipsos
Contineat, præda vt concurrant retia capta.
At si vallorum fuerit minor vllus, in altis
Hunc poteris dorsis elatæ figere terræ.
Hinc atque inde canes teneant qui retia seruant
Vltima, dextra quibus iaculis armetur acutis.
Omnia nec nostro comprendi carmine possunt.
Retia non eadem cunctis animalibus apta,
Sunt diuersa viris pariter piscantibus illa,
Et variis confecta modis nec casse in eodem
Cum cephalo saltat thynnus cancrique marini.
Non illo trahitur vitulus, quo sepia reti.
Nec cum passeribus veniunt ad littora cuncti.
Adde quod & plumbum suspendit retibus imis
Piscator, quod vallus abest qui mergat in vnda.
In summis retinetur aquis à subere terris
Altera pars hominum valuit solertia tantum,
Vt velut in terga, tensos in fluctibus altis
Firmarint casses spumantis in agmina ponti.
Contra venanti non vlla penuria terræ est:
Retia nec plumbum nec suber molle requirunt,
Sed firme fixis, vallis, furcisque tenentur:
Commoda nec duræ desunt anteridis ipsis
Aucupibus pariter non desunt vimina longa,
Nec furiæ virides, natiuo aut cortice valli.
Hæc vbi parta, canes quæruntur cursibus acres,
Quique probi generis sint, in certamina fortes.
Nunc age quæ paruo catulo sit cura legendo,
Quis color & species, quæ forma in corpore toto
Conueniat, referam, Color est deterrimus albo.
Nec placeat niueis maculis signatus & atris:
Aut longis nimium villis, fuscove colore.
Sit torua facie, cilio sint lumina nigro:
Os habeat latum, quos & dixere caninos

Quatuor

Quatuor huic valido ſpectentur robora dentes.
Lumina magna placent, & pectora lata, caputque
Grande ſatis, collum longum, villoſaque cauda
Ipſa decet, latique humeri. ſint fortia crura:
Craſſa magis ſint ipſa tamen poſtrema micanti
Sint aures tenues, patulis & naribus efflet.
Hic animaduerſis nimium nec craſſa legantur
Membra, nec in tenui quærantur corpore vires.
Hæc catuli ſpecies, hæc laudatiſſima forma,
Quæ præ ſe fert ſæuitiam: hoc eſt aptior vrſis
Quo magis accedet, fueritque ſimillima toruis,
Cecropius catulus eſt quem dixere parippum,
Indicus, Argolicus, Thrax, & Cretenſis, Alanus,
Celticus, Arcadicus, Spartanus, Theſſalus atque
Corſus, & Auſonius, Bretreus, Amorgus, Iberus,
Incola arundiferi Nili quem Caria nutrit,
Caſtorides, venatori gratiſſima turba,
Magnetes, gregibus cuſtodia fida Moloſſus.
Sunt quos diaponos dicunt, venantibus apti.
Tu quos ad ſtudium venandi legeris, & quos
Dixeris hinc comites curſus, cædiſque ferarum,
Quære mares. maribus maior vis eſt, animuſque,
Et melius tolerare valent certamina longa.
Præcipuum hinc inde à teneris impende laborem,
Vt ſueſcant pugnare feris hi cernere adultos.
Et videant cornu, & voci parere vocantum.
Cum Phœbe decies nitidum compleuerit orbem,
Paulatim ſueſcant curſus tolerare laborem.
Fit facile à teneris quod primum diſcitur annis,
Et nihil eſt quod plus longa aſſuetudine poſſit.
Nec nulla hinc merces ſequitur te digna laborum,
In loca dura canes ſi duxeris, aſpera montis
Per iuga ſylueſtri populo vix peruia ſæpe.
Scilicet hinc vngues ſolidæ: corpuſque labori
Aptius eſt paruo, magnum quod pertulit ante.
Magna laboranti fruſtra ſunt præmia parta,
Inde vbi creuerunt, maturaque venerit ætas,
Quos legis armento, clauis armentur acutis:
At quos venandi ſtudio delegeris, apri
Fulmineum vt vitent dentem, morſuſque ferarum:

His face diploides, quas molli vellere comple,
Sed neque dura nimis collum collaria cingant,
Latave, ſtelmoniæ catulis, & lora parentur.
Aſt vbi iam Boreas inuadit frigidus arua,
Et glacialis hyems currentia flumina ſiſtit,
Arcendæ, à plantis concretæ frigore cruſtæ,
Atque armandus erit pes, ne mala frigora lædant,
Et tellus concreta gelu ſpinæque rigentes.
His actis, quoniam labuntur tempora vitæ &
Optima quæque dies, ſubit improuiſa ſenectus,
Et morbus rapit, & ſæuæ inclementia mortis,
Eſt proles reparanda tibi: pecus omne nouandum
Dum licet: hoc ſtudium viuentia cuncta requirunt,
Nam pater omnipotens qui nutu regna gubernat
Cœlorum & terras, & ſtrati marmoris vndam,
Haud facilem curſum miſeris mortalibus æui
Eſſe dedit, variis torpentia pectora curis
Mouit & ingenium fecere incommoda cautum.
Vere nouo poſcunt genitalia ſemina terræ.
Vere magis teneri curatur vulnus amoris,
Conueniunt Veneris captæ dulcedine gentes
Squammigeræ, totus pontus tum feruet amore.
Impia tum poſito miteſcunt ora veneno.
Vere ſonant ſyluæ volucrum concentibus altæ:
Et totus feruet Veneris dulcedine mundus
Candida tum quærit cornutum bucula taurum:
Atque inter flores iungunt ſua roſtra columbæ.
Vere feræ, & catulis Veneris ſunt gaudia curæ.
Tum cuicunque canum ſtudium, cui Delia curæ
Caſtra ſequi, canibus ſubiit iam cura parandis.
Veloces celeri iungantur, fortibus acres:
Fortibus eximii naſcuntur. Alanus Iberæ,
Cares Thediciæ nymphæ iungatur, & Arcas
Eleis gens vna tamen fœlicior vna
Naſcitur ex ſpecie. Ponantur nomina cuique.
Certa cani, teneatque ad ſummum ſyllaba bina:
Protinus vt noſcat voces, & verba vocantum
Præterea multum refert cum venerit hora
Lucinæ, & partus tenues in luminis auras
Ediderit connixa parens, plena vbera matris

Siccent; nec primum lactentes ora bouino,
Aut ouium imbuti tibi ſint, vel lacte capellæ,
Natura, & mos nutricis cum lacte bibuntur.
Ceruarum ſiccent, damarumve vbera, matris
Copia ſi deſit, vel toruæ dura leænæ.
In melius vertenda tibi eſt natura. videmus
Sponte ſua res in peius ruere. arbuta Bacchi
Si deſit cultus, ſi laxis palmes habenis
Huc illuceat, & nulli ſit cura colono,
Nil feret, aut paruis fiet labruſca racemis.
Hoc quoque venantes primum monuiſſe ſagaces
Profuerit, catulos ſectari montibus altis
Ne vulpem patiantur, eos à curſibus illis
Continuo reuocent, ne ſpinæ corpora lædant.
Sed iam cura canum cadere, & ſuccedere equorum
Incipit, hoc etiam vocat in ſua Delia caſtra,
Capreolos, lepores, ceruos, damaſq; volantes
Sæpe neceſſe ſequi ſpacioſa per æquora campi.
At natura viris pariter velocius eſſe
Non dedit: ingenio quibus eſt prudentia maior.
Idcirco quæruntur equi, qui curſibus acres,
Qui gyris apti ſint, in certamina fortes.
Nunc age quæ ſpecies referam, quæ forma legendis
Præpetibus quæratur equis. quæ prima iubemus
Grande ſatis corpus ſit: membra rotunda, caputque
Exiguum, denſis velentur corpora ſetis:
Os mediocre, breues aures, nareſque patentes:
Nec placet hirſutum cilium nimis, alba nimisve
Lumina, nec latebris veluti latitantia, frons ſit
Lata, ſolum firmo pulſet grauis vngula cornu.
Sed neque dura nimis placeat, nam ſcinditur æſtu:
Quæ tenera eſt, facili pariter conſumitur vſu.
Sit longum corpus & denſum, pectora lata.
Per lumbos duplex & agatur ſpina, nateſque
Sint pingues, ſit denſa iuba, & decumbat in armo
Dextro. compoſitum crus omnes flectere nodos
Poſſit, velocique fuga prænertere ventos.
Cauda decet craſſa & ſetis denſiſſima longis.
Eſt albo color haud aptus, candore niuali

Aptus equus, pariter maculis signatus amœnis.
Omnibus est aptus color hic qui purus, & ipsa
In specie sincerus adest, maculæque nitentes.
Optimus Vrmenius pullus, Tyrrenus, Achiuus,
Arcadicus, Maurus, Siculus, Thrax, Magnes, Iberus,
Sarmaticus, Libycus, Cretensis, Erembus, Epeius,
Celticus, Ioniusque Epirique incola campi.
Denique quam varium genus est mortale, & equorum
Progenies, tamen in quauis virtute videbis
Præstantes specie nulla est ita prouida tellus,
Vt non triste ferat quid: non ita perfidus vllus,
Vt non quid pariat mortalibus vtile, campus,
Cernis vt vrtica, & spinis paliurus acutis,
Purpureaque rosæ surgant, violisque propinqui.
Quod superest semper quando velocior est mas.
Quære mares. arcenda procul tibi fœmina solis
Saltibus, eius odor patulis si naribus hæsit,
Discurrunt Veneris capti dulcedine campos:
Intempistiuis hinnitibus intonat æther,
Concussæque tremunt syluæ, nemus omne remugit.
Nil calcar, nil fræna iuuant, nil sæua morantur
Verbera, nil alti montes, nil fluminis vndæ.
Quo Deus acer agit, stimuloque potentior omni,
Huc fugiunt, huc fert animus, huc cæca voluptas.
Excutiunt equites, syluasque ferasque relinquunt,
Velocique fuga superant plana æquora campi.
Quod si forte tenent equites sua fræna, reguntque
Diffugit tamen hinnitu perterrita dama,
Et quæcunque feræ syluas, montesque pererrant,
Cappadoces dicuntur equi præstare superbis
Cursibus, atque animis: veniunt venantibus vsu,
Militibusq; feris, splendentibus ære cateruis.
Præterea iuuenes quos in sua Delia castra
Eligit, haud nimium pingues, tenuesve legemus,
Nec venatori spargantur tempora canis.
Sæpe feras per densa sequi virgulta necesse est,
Sublimem vel scandere equum, aut decernere ferro.
Tardior in pugnas pinguis, cursusq; laborem.
Fert ægre senior cursumque & prælia longa.

Non audit voces horum Dictynna precantum,
Sunt tres bellantum species tria castra parantur.
Hæc regi immanis Mauors, quique impius ære,
Stultos armauitque homines, & strauit in aruis.
Militiam iuuenis petit & tua castra Cupido:
Hunc armas precibus, lacrymis, donisque, querelis.
Tertia venantum curæ tibi Delia castra
Retibus hos armas, & ferro diua nitenti.
Canus non gratus primis, non ille secundis
Accipitur castris, reiectus & ille supremis.
Quod si consilium sensibus, si plurima rerum
Visarum memori desit prudentia menti,
Iam nihilum quod restet erit: sunt fabula vanæ:
Quidve aliud quam pondus iners, & inutile terræ?
Dicendum & quæ sint vestes venantibus aptæ,
Ne decorat tantum vestis gestamen honestæ
Qua pro quisque suo vestitur munere quantum
Muneribus sumptis prodest, rebusque gerendis.
Conueniunt longæ vestes qui publica tractant
Munia consulto iuris populumque regenti.
Conueniunt succincta viris venantibus ipsa
Pallia, ne rapiant spinæ, aut virgulta morentur.
Currentes: rapido resonent neu flamine venti:
Profuit & nudis pedibus vestigia quæri
Cæca feræ, ne fracta sonent arentia ligna
Subsolea, moueantque feras sua linquere lustra:
Scilicet aduentasse viros, mortemque parari.
Semina tum credis scopulis arentibus æstu.
Læua canes ducat longis firmisque ligatos
Loris, ne intempestiui certamina tendent:
Sed tamen hos facile & possis immittere viso
Continuo lepori, nec vincula stricta retardent.
Venantis lato teneat venabula ferro
Dextera. Venantes taceant hominesque canesque
Hæc suescant catuli præstare silentia parui.
Quod superest, celeris catuli cui credita cura,
Nutriat illecebris hunc, & sibi iungat amore.
Sic facile & noto domino parere iubenti
Disceret, acceptisque sequi vestigia signis.

Nam neque difficile est, natura cum sit amicus,
Conciliare tibi catulum, custodia fida:
Inconcussus amor canis est per tempora multa.
Pyrrhus inauditum catuli testatur amorem:
Cuius (vti fama est) dominus cum forte iaceret
Insidiis cæsus. stabat lacrymabile corpus
Obseruans, non ille cibi, non fontis amore
Abduci poterat, cupiens miserabilis vsque,
Vsque querebatur dominum, lacrymasse putares
Leniter interdum vultum lambebat & ora:
Tum rursus & lacrymans dominum, residensq; vocabat.
Quæ res vt Pyrrhi regis peruenit ad aures,
Indoluit: miratus enim quo vinculo amoris
Sint homini deuincta canum fidissima corda.
Nec visum est audisse satis, sed cernere coram
Rem voluit, cupiens vlcisciet impia facta.
Nullus at in totis reperitur denique castris,
Qui fuerit cædis, qui tanti criminis autor.
Inde canis domini tumulato funere regem
Multa gemens sequitur, lætatur tempore nullo.
Non ille illecebris, non blanda voce mouetur:
Sollicitant curæ domini languentia corda,
Pectora non capiunt noctu, non luce quietem,
Pluribus exactis Pyrrhus per castra diebus
Ibat, vt instructas acies, vt viseret agmen,
(Admiranda cano, sed priscis cognita seclis)
Forte canis nouit dominum qui nocte cecidit,
Autoremque necis latratu concitus alto
Hunc accusabat cædis, solumque petebat.
In pœnas poscebat eum, Pyrrhumque vocabat
Queis poterat signis: hunc aspiciebat, & inde
In domini autorem cædis latrabat aperte
Vt scirent omnes domini quia funeris autor.
Tum rapitur miles manibus post terga reuinctis,
Ducitur irati mox ad tentoria regis.
Hic gaudere canis posito mœrore, bonumque
Blanditiis multis regem mulcere, proteruus
Vt daret emeritas miles pro crimine pœnas.
Intulit huic mortem, quod non sperauerat vnum,

Cogni-

Cognita res tandem. nec possunt impia facta
Delituisse diis. testatur Capparus olim
Actæi templi custos, rigidusq; satelles:
Nam fuerat Phœbo, nymphaq; Coronide nato
Sacratum templum, sacrata in Palladis vrbe,
Argenti diues, donatę vestes & auri
Multaq; vestibat muros votiua tabella.
Huc ægri soliti equi conualuere medelis
Munera ferre Deo, conspersa cruore iuuenci
Vsque tepebat humus semperq; calentia thure
Structa Deo centum stabant altaria circum.
Cuncta sacerdotum seruabat munera cura.
Hos latuit, vigilis quanta est solertia furis,
Munera multa virum rapiens fur visa reliquit
Quæ preciosa magis, argenti pondus & auri
Arte laborati: custodes non tamen omnes
Et latuit. vigil vnus erat custodia semper
Fida canis, cui Caparo erat nomen. Deus illi
Diuino afflatu seu mouit prouida corda:
Seu res quæq; suas animalia cuncta tuentur.
Huic nostro, nostræq; obnoxia curæ.
Nostra putamus enim tutelæ credita nostræ.
Nescio quo templi seu res seruabat amore.
Ac veluti illius cuperet dispendia, furem
Pone secutus eum est, vllo non inde timore,
Blanditiisve minisve potest diuellier vnquam
Quod latuisse viros seruantes nouerat: illum
Sæpe canem saxis petiit fur, sæpe latendo
Fallere crediderat: sed nulla deniq; fraude
Decepisse valet, semper comitatur euntem.
Hunc accusabat latratibus, vsq; petebat
Quæ cepit dominos latitans de diuite templo:
Blanditiis alios mulcebat, non secus ac si
Auxilium peteret. quæ res vt venit ad aures
Actæi populi, multis narrata sequentis
Forma canis. multa magnis mittuntur Athenis.
Munera raptori rapiunt, furemq; reducunt.
Tum gaudere canis partis quæ amiserat antę.
Et rursus petiit templi sibi limina nota:

Fur dedit emeritas tanto pro crimine pœnas.
Tantus amor canibus, tanta est custodia rerum,
Decreuere canem patres per tempora cuncta
Nutriri laute, merces hæc vna laborum
Digna canis, tanto sed non & commoda facto,
Possem multa canum variorum exempla referre;
Ni pigeat studium paruarum noscere rerum.
Nec paruæ canibus curæ est custodibus ipsis
Et res & dominus: testatur vertagus acer.
Nam solis agris, & solis saltibus errat,
Atq; capit quodcunq; potest, prædamq; reportat
Hinc domino: nullo tardatur munere, nullis
Blanditiis capitur sua pignora chara putares
Nutrire, est tantæ domini custodia curæ,
Multa exempla canum sunt priscis cognita seclis?
His tamen haud nostris multo peiora diebus.
Sed res in peius tendunt, sunt deteriores,
Quam fuerint, hodie nummorum sola libido
Nunc omnes complet libros: nil inclyta facta
Curantur, nil egregium committere chartis
Mos est: obscuris voluuntur cuncta tenebris.
Quid nisi mollitiem nostram, lucrumq; minores,
Qua ratione, legent, mercator iunxit aceruo?
Quot tam Bergnus ait, latoq; Bocatius ore,
Quæ foret æterna celari nocte decorum?
Sed reuocant Dryades, syluarum numina cæca
Errantes ad lustra petunt, atque antra relicta
Sacrati nemoris, viridans vbi populus illa
Alta tegens ramis prædulci murmurat aura.
Nunc quo conueniat venari tempore vel qua
Parte anni, lucisq; mihi narrate Camœnæ.
Nauita veliuolæ cum pandit carbasa puppis,
Et secat hyberno posito freta lata tumultu,
Tempora tota die sunt venatoribus apta
Lumine cum primo Phœbus lustrauerit orbem,
Iamq; parentur equi, casses, hominesq; canesq;,
Lataq; rura petant quærentes lustra ferarum.
Mox vbi Sol medium cœli conscenderit altus,
Et paribus spaciis Eoæ littora terræ,

Occiduasq; domos distantes viderit, & cum
Significans gregibus pastor florentia rura
Liquerit, & natis referent plena vbera matres;
Tempus gramineis est prandia sumere mensis.
Sunt vbi labentes fluuii, fontesq; perennes.
Vmbrosi nemoris natiui pumicis antra,
Vel quercus sacrata Ioui, vel grata Coronæ
Populus Herculeæ, & ridentia marmora musco.
Venantes homines sequitur iucunda voluptas
Plurima, nec sudore minor de rupe ruentem
Nunc aprum cernunt, nunc alta rupe morantem
Prospectant ceruum. venator cominus illum
Mirantem cædit, catulos vel pone timentem
Retibus implicuit. ferroq; obtruncat acuto.
Ipsa fames iucunda venit venantibus: vllas
Delicias non expectant, quas improba ventris
Ingluuies reperit: contenti simpliciori
Sunt mensa nec fœmineus syluestria luxus
Ingreditur: carpunt alto quæ plurima monte
Nascuntur, quæ sylua tulit, si lumina quando
Arrepit somnus fessis medicina laborum,
Inuitant volucrum cantus, dulcesq; susurri,
Et Zephyro quæ sylua tremit iactata sereno:
Nec desunt herbæ molles gratissima strata,
Inuidiosa toris, auratis, murice tinctis.
Post vbi graminea fessus requieueris vmbra,
Et Sol de medio cœli descenderit altus,
Lata per arua canes rursus vestigia quærant?
Donec in Oceanum flammatos lurida Solis
Præcipitarit equos nox, primaq; duxerit astra.
Mox vbi iam primum cuculus cantauerit æstum.
Et querulis late resonabunt arua cicadis,
Sub lucem tremulis etiam splendentibus astris,
Iam petere arua canes celeres, saltusque iubemus.
Immodici interdum delent vestigia rores,
Plurimus & grauidis diffusus nubibus imber,
Aut grauis arboribus incumbens flamine ventus.
Hoc libuit monuisse prius ne forte Dianam
Incuses deleta petens vestigia frustra,

Æstate inuenies vestigia recta ferarum,
Quæ fuerant olim vernis obliqua diebus,
Cum syluis agitabat Amor, Venerisq; Cupido.
Sol vbi flammiuomus consperget lumine campos,
Excutient matutinas & gramina guttas,
Cum grauis incumbit campis arentibus æstas.
Linquendi saltus & limina nota petenda.
Inuisa est adeo canibus velocibus æstas,
Impediunt herbæ currentes, & premit æstus.
Vt ver est homini, canibusq; sagacibus aptum:
Nam neq; tū nimius calor, aut noua gramina tardant.
Interdum rapiunt vestigia floris odores.
Cum repetunt armenta nemus, cum pascua læta,
Area nec cereris grauiter gemit vasta calore,
Rusticus ad ventos paleas sed iactat inanes,
Mitior est terris Solis calor. arua iubentur
Rursus adire viri venantes, atq; canum vis.
Ast vbi libra diem paribus diuiserit horis,
Et noctem, vel dira Nepæ cum surgit ab vndis
Stella coronatus pomis Autumnus apricis
Collibus insidens pluuium spectabit ad Austrum,
Quantuscunq; dies est venatoribus aptus.
Nam neq; tunc æstus lædunt hominesq; canesq;
Currentes, nimium nec gramina longa retardant,
Non hyemis glacies concreta fluminis vnda
Est eadem ratio venandi, cum legit vuas
Rusticus, eq; fauis liquentia mella premuntur,
Cum trudunt nudos spumantia labra racemos.
Fructilegiq; virent solertis tecta coloni,
Quæ fuit ante grauis, cum primum inuisa colubra
Candida venit auis, tellusq; nouatur aratro.
Hoc etiam meminisse iuuat: cum candida Phœbe
E regione videt fratrem, cum distat vtrinq;
Pene æque spatio pulsantibus æthera flammis,
Non adeo redolent vestigia cæca ferarum.

Cum vitream glaciem turgentia flumina trudunt,
Et pontem concreta gelu dant ante carinis
Sulcata aggeribus niueis latet abdita tellus,
Pars media est lucis duris venantibus apta.

Phœbus vbi primum liquidis extollitur vndis,
Cœli in agis vel demit equis iuga flammea, frigus
Ferre graue est coit. vnda, prius resoluta tepenti
Si qua calore fuit Solis, cum sidera surgunt:
Et noua lux actæ sapiet mala frigora noctis.
Interdum rapiunt imbres vestigia densi,
Nunc glacies concreta, niues, gelidæq; pruinæ.
Sunt hyemis longi tractus quos noctibus erant
Per nemora alta feræ Sed iam demittere vela
Tempus adest primum demensis nauibus æquor.

# NATALIS COMITIS DE VENATIONE,

## LIBER SECVNDVS.

Hactenus arma, canes, homines, & robur equorum:
Nunc veneris stimulos, sæuique Cupidinis ignes,
Tempora Lucinæ, venantum furta canemus.
Hæc quoque respicias Francisci nobile germen
Roboris, Ausoniæ decus insuperabile Iuli.
Eia age rumpe moras; ventis implete secundis
Carbasa, da pelagi tranquillos currere fluctus.
Syluarum, nemorumq; Deæ, luciq; sacrati
Cura quibus Dryades secretos pandite saltus.
Quam varia Oceani proles sub fluctibus altis,
Quantaq; turbat aquas moles, erratq; per vndas;
Tam varium, tantumq; genus super æquore terræ
Cernitur est variis diuisum piscibus æquor:
Fluctibus hic summis, ast hic versatur in imis:
Oceanus piscem tulit hunc, tulit algifer illum

Huic paulo villis est venter mollior atris.
Incumbens tereti palmæ, fagove virenti,
Decerpit tacite blandum per pectora somnum.
Hæc quoque venandi ratio est, ea planta secatur.
Huic cadit incumbens elephas, qua vincitur arte.
Sed neque mox facile est præ magno pondere strato
Surgere humo. siue hoc monocampti tibia curis,
Siue pes horrendis armis spoliatus, & vngue,
Integra vix quino signatur limite planta.
Nam quibus ingenium prudens natura negauit,
Tradidit his vngues dentes, aut cornua dura.
Læui radices conuellit robore dentis:
At dextri venatoresq; ferasq; trucidat.
Sæpius hi terra vescuntur, sæpe lapillis.
Paruorum senibus mira est custodia: flumen
Tranantes primi iuuenes queis corpora parua
Ingrediuntur aquas, seniorum flumina mole
Ne nimium crescant, iuuenes mergantur in vndis.
Flumine digressis senior præcedit, & agmen
Extremum claudit quicunque ætate secundus.
Omnibus est spatium longum, longissima vitæ
Tempora, viginti bis dicunt viuere lustra.
Carniuoris color est idem, mens impia sæuis
Atque cruenta lupis. imitantur lumina flammas:
Nocte procul cernes radiantis lampadis instar.
Forma refert catulum, nares, & gressus, & vngues.
Horridior tamen aspectus, speciesq; tremenda,
Forma Lycaonios, & terga horrentia setis
Nunc etiam referunt animos, atq; impia corda.
Perfusi pecudum cæsarum sanguine gaudent.
Et cum prætereunt currentia flumina multi,
Fortior est reliquis dux: caudam mordicus illi
Pone sequens tenet ore. lupis his omnibus ordo.
Viuere Niliacis nulli dicuntur in oris,
Montibus aut Aphris qui sunt, dicuntur inertes,
Et parui tanti patria est, primiq; penates,
Scilicet & multum refert ad corpora, vires,
Et mores genitale solum quæ sidera spectet.
Est coitus meta his bis sex concessa dierum.

Ver

Ver vbi dispellit nubes, & purior æther
Deducit sine fece deis, in pectore flammas
Concipiunt,& more canum iunguntur in vnum
Conueniunt quos cogit amor, Venerisque cupido.
Heu male tum Solis erratur saltibus. vnam
Multa lupam sequitur turba: hinc fera prælia miscent,
Prælia dura super Veneris dulcedine. victi
Vel fundunt dulces animas, victoribus vltro
Vel cedunt: cunctis est vincere certa voluntas,
Cernis vti tauri pugnantes sanguine fuso
Membra lauant, semperque magis pulsantibus ardent
Fluctibus irarum. carpit formosa iuuenca
Interea gramen, miseros nec spectat amantes.
Tertius interdum potitur, certantibus illis
Bellorum causa. Sic dum prælia miscent,
Hic fruitur fœlix horum mercede laborum,
Qualis capreoli venatio, & ipsa luporum.
Fert balista necem, saltus hi rete coronant
Incultos; casses nequeunt vbi tendere, ramis
Arboribusq; vias densant, vt peruia nulli
Pars ea sit, latos saltus indagine cingunt,
Discurrunt nemora alta canes, hominesq; ferarum
Si qua fugit, plantæ catuli ducuntur odore,
Et cogunt in rete; feris. qui retia seruat,
Structaque syluarum ramis magalia linquit.
Cæduntur miseri, nec spes datur vlla salutis,
Parcere quod nullis didicerunt ante. rigentes
Interdum pugnant canibus, laniantque vicissim,
Et rabido quærunt extremam dente salutem,
Sic vbi planities completur qui oppida cingunt
Hostibus, atque acies longam traxere coronam,
Mœnibus inclusi sperant fera fata: sed armis
Nituntur decorare prius post funera mortem,
Sæuorum species dicuntur quinque luporum.
Est ingens horror canibus, si pellibus horum
Indutus plantas cedas. vocem his rapit horror,
Vt rapuere prius visis mortalibus ante.
Præterea colli si fiant tympana pelle,
Cætera cuncta silent ingenti victa sonore:

Nam neque difficile est, natura cum sit amicus,
Conciliare tibi catulum, custodia fida:
Inconcussus amor canis est per tempora multa.
Pyrrhus inauditum catuli testatur amorem:
Cuius (vti fama est) dominus cum forte iaceret
Insidiis cæsus. stabat lacrymabile corpus
Obseruans, non ille cibi, non fontis amore
Abduci poterat, cupiens miserabilis vsque,
Vsque querebatur dominum, lacrymasse putares
Leniter interdum vultum lambebat & ora:
Tum rursus & lacrymans dominum, residensq; vocabat.
Quæ res vt Pyrrhi regis peruenit ad aures,
Indoluit: miratus enim quo vinculo amoris
Sint homini deuincta canum fidissima corda.
Nec visum est audisse satis, sed cernere coram
Rem voluit, cupiens vlciscier impia facta.
Nullus at in totis reperitur denique castris,
Qui fuerit cædis, qui tanti criminis autor.
Inde canis domini tumulato funere regem
Multa gemens sequitur, lætatur tempore nullo.
Non ille illecebris, non blanda voce mouetur:
Sollicitant curæ domini languentia corda,
Pectora non capiunt noctu, non luce quietem,
Pluribus exactis Pyrrhus per castra diebus
Ibat, vt instructas acies, vt viseret agmen,
(Admiranda cano, sed priscis cognita seclis)
Forte canis nouit dominum qui nocte cecidit,
Autoremque necis latratu concitus alto
Hunc accusabat cædis, solumque petebat.
In pœnas poscebat eum, Pyrrhumque vocabat
Queis poterat signis: hunc aspiciebat, & inde
In domini autorem cædis latrabat aperte
Vt scirent omnes domini quia funeris autor.
Tum rapitur miles manibus post terga reuinctis,
Ducitur irati mox ad tentoria regis.
Hic gaudere canis posito mœrore, bonumque
Blanditiis multis regem mulcere, proteruus
Vt daret emeritas miles pro crimine pœnas.
Intulit huic mortem, quod non sperauerat vnum,

Cogni-

Cognita res tandem. nec possunt impia facta
Delituisse diis. testatur Capparus olim
Actæi templi custos, rigidusq; satelles:
Nam fuerat Phœbo, nymphaq; Coronide nato
Sacratum templum, sacrata in Palladis vrbe,
Argenti diues, donatę vestes & auri
Multaq; vestibat muros votiua tabella.
Huc ægri soliti equi conualuere medelis
Munera ferre Deo, conspersa cruore iuuenci
Vsque tepebat humus semperq; calentia thure
Structa Deo centum stabant altaria circum.
Cuncta sacerdotum seruabat munera cura.
Hos latuit, vigilis quanta est solertia furis,
Munera multa virum rapiens fur visa reliquit
Quæ preciosa magis, argenti pondus & auri
Arte laborati: custodes non tamen omnes
Et latuit. vigil vnus erat custodia semper
Fida canis, cui Caparo erat nomen. Deus illi
Diuino afflatu seu mouit prouida corda:
Seu res quæq; suas animalia cuncta tuentur.
Huic nostro, nostræq; obnoxia curæ.
Nostra putamus enim tutelæ credita nostræ.
Nescio quo templi seu res seruabat amore.
Ac veluti illius cuperet dispendia, furem
Pone secutus eum est, vllo non inde timore,
Blanditiisve minisve potest diuellier vnquam
Quod latuisse viros seruantes nouerat: illum
Sæpe canem saxis petiit fur, sæpe latendo
Fallere crediderat: sed nulla deniq; fraude
Decepisse valet, semper comitatur euntem.
Hunc accusabat latratibus, vsq; petebat
Quæ cepit dominos latitans de diuite templo:
Blanditiis alios mulcebat, non secus ac si
Auxilium peteret. quæ res vt venit ad aures
Actæi populi, multis narrata sequentis
Forma canis. multa magnis mittuntur Athenis.
Munera raptori rapiunt, furemq; reducunt.
Tum gaudere canis partis quæ amiserat antę.
Et rursus petiit templi sibi limina nota:

Fur dedit emeritas tanto pro crimine pœnas.
Tantus amor canibus, tanta est custodia rerum,
Decreuere canem patres per tempora cuncta
Nutriri laute, merces hæc vna laborum
Digna canis, tanto sed non & commoda facto,
Possem multa canum variorum exempla referre;
Ni pigeat studium paruarum noscere rerum.
Nec paruæ canibus curæ est custodibus ipsis
Et res & dominus: testatur vertagus acer.
Nam solis agris, & solis saltibus errat,
Atq; capit quodcunq; potest. prædamq; reportat
Hinc domino: nullo tardatur munere, nullis
Blanditiis capitur sua pignora chara putares
Nutrire, est tantæ domini custodia curæ,
Multa exempla canum sunt priscis cognita seclis?
His tamen haud nostris multo peiora diebus.
Sed res in peius tendunt, sunt deteriores,
Quam fuerint, hodie nummorum sola libido
Nunc omnes complet libros: nil inclyta facta
Curantur, nil egregium committere chartis
Mos est: obscuris voluuntur cuncta tenebris.
Quid nisi mollitiem nostram, lucrumq; minores,
Qua ratione, legent, mercator iunxit aceruo?
Quot tam Bergnus ait, latoq; Bocatius ore,
Quæ foret æterna celari nocte decorum?
Sed reuocant Dryades, syluarum numina cæca
Errantes ad lustra petunt, atque antra relicta
Sacrati nemoris, viridans vbi populus illa
Alta tegens ramis prædulci murmurat aura.
Nunc quo conueniat venari tempore vel qua
Parte anni, lucisq; mihi narrate Camœnæ.
Nauita veliuolæ cum pandit carbasa puppis,
Et secat hyberno posito freta lata tumultu,
Tempora tota die sunt venatoribus apta
Lumine cum primo Phœbus lustrauerit orbem,
Iamq; parentur equi, casses, hominesq; canesq;,
Lataq; rura petant quærentes lustra ferarum.
Mox vbi Sol medium cœli conscenderit altus,
Et paribus spaciis Eoæ littora terræ,

Occi-

Occiduasq; domos distantes viderit, & cum
Significans gregibus pastor florentia rura
Liquerit, & natis referent plena vbera matres;
Tempus gramineis est prandia sumere mensis.
Sunt vbi labentes fluuii, fontesq; perennes.
Vmbrosi nemoris natiui pumicis antra,
Vel quercus sacrata Ioui, vel grata Coronæ
Populus Herculeæ, & ridentia marmora musco.
Venantes homines sequitur iucunda voluptas
Plurima, nec sudore minor de rupe ruentem
Nunc aprum cernunt, nunc alta rupe morantem
Prospectant ceruum. venator cominus illum
Mirantem cædit, catulos vel pone timentem
Retibus implicuit. ferroq; obtruncat acuto.
Ipsa fames iucunda venit venantibus: vllas
Delicias non expectant, quas improba ventris
Ingluuies reperit: contenti simpliciori
Sunt mensa nec fœmineus syluestria luxus
Ingreditur: carpunt alto quæ plurima monte
Nascuntur, quæ sylua tulit, si lumina quando
Arrepit somnus fessis medicina laborum,
Inuitant volucrum cantus, dulcesq; susurri,
Et Zephyro quæ sylua tremit iactata sereno:
Nec desunt herbæ molles gratissima strata,
Inuidiosa toris, auratis, murice tinctis.
Post vbi graminea fessus requieueris vmbra,
Et Sol de medio cœli descenderit altus,
Lata per arua canes rursus vestigia quærant?
Donec in Oceanum flammatos lurida Solis
Præcipitarit equos nox, primaq; duxerit astra.
Mox vbi iam primum cuculus cantauerit æstum.
Et querulis late resonabunt arua cicadis,
Sub lucem tremulis etiam splendentibus astris,
Iam petere arua canes celeres, saltusque iubemus.
Immodici interdum delent vestigia rores,
Plurimus & grauidis diffusus nubibus imber,
Aut grauis arboribus incumbens flamine ventus.
Hoc libuit monuisse prius ne forte Dianam
Incuses deleta petens vestigia frustra,

Æstate inuenies vestigia recta ferarum,
Quæ fuerant olim vernis obliqua diebus,
Cum syluis agitabat Amor, Venerisq; Cupido.
Sol vbi flammiuomus consperget lumine campos,
Excutient matutinas & gramina guttas,
Cum grauis incumbit campis arentibus æstas.
Linquendi saltus & limina nota petenda.
Inuisa est adeo canibus velocibus æstas,
Impediunt herbæ currentes, & premit æstus.
Vt ver est homini, canibusq; sagacibus aptum:
Nam neq; tũ nimius calor, aut noua gramina tardant.
Interdum rapiunt vestigia floris odores.
Cum repetunt armenta nemus, cum pascua læta,
Area nec cereris grauiter gemit vasta calore,
Rusticus ad ventos paleas sed iactat inanes,
Mitior est terris Solis calor. arua iubentur
Rursus adire viri venantes, atq; canum vis.
Ast vbi libra diem paribus diuiserit horis,
Et noctem, vel dira Nepæ cum surgit ab vndis
Stella coronatus pomis Autumnus apricis
Collibus insidens pluuium spectabit ad Austrum,
Quantuscunq; dies est venatoribus aptus.
Nam neq; tunc æstus lædunt hominesq; canesq;
Currentes, nimium nec gramina longa retardant,
Non hyemis glacies concreta fluminis vnda
Est eadem ratio venandi, cum legit vuas
Rusticus, eq; fauis liquentia mella premuntur,
Cum trudunt nudos spumantia labra racemos.
Fructilegiq; virent solertis tecta coloni,
Quæ fuit ante grauis, cum primum inuisa colubra
Candida venit auis, tellusq; nouatur aratro.
Hoc etiam meminisse iuuat: cum candida Phœbe
E regione videt fratrem, cum distat vtrinq;
Pene æque spatio pulsantibus æthera flammis,
Non adeo redolent vestigia cæca ferarum.
Cum vitream glaciem turgentia flumina trudunt,
Et pontem concreta gelu dant ante carinis
Sulcata aggeribus niueis latet abdita tellus,
Pars media est lucis duris venantibus apta.

Phœbus

Phœbus vbi primum liquidis extollitur vndis,
Cœli iugis vel demit equis iuga flammea, frigus
Ferre graue est coit. vnda, prius resoluta tepenti
Si qua calore fuit Solis, cum sidera surgunt:
Et noua lux actæ sapiet mala frigora noctis.
Interdum rapiunt imbres vestigia densi,
Nunc glacies concreta, niues, gelidæq; pruinæ.
Sunt hyemis longi tractus quos noctibus errant
Per nemora alta feræ Sed iam demittere vela
Tempus adest primum demensis nauibus æquor.

# NATALIS COMITIS DE VENATIONE,

## LIBER SECVNDVS.

Hactenvs arma, canes, homines, & robur equorum:
Nunc veneris stimulos, sæuique Cupidinis ignes,
Tempora Lucinæ, venantum furta canemus.
Hæc quoque respicias Francisci nobile germen
Roboris, Ausoniæ decus insuperabile Iuli.
Eia age rumpe moras; ventis implere secundis
Carbasa, da pelagi tranquillos currere fluctus.
Syluarum, nemorumq; Deæ, luciq; sacrati
Cura quibus Dryades secretos pandite saltus.
Quam varia Oceani proles sub fluctibus altis,
Quantaq; turbat aquas moles, erratq; per vndas;
Tam varium, tantumq; genus super æquore terræ
Cernitur est variis diuisum piscibus æquor:
Fluctibus hic summis, ast hic versatur in imis:
Oceanus piscem tulit hunc, tulit algifer illum

Adria nonne vides diuisas aeris oras?
In summum volucris volat hæc volat altera in imum,
Vtq; cupit colles saxosos altera vitis,
Altera amat pinguem, lætaturq; vbere campi:
Sic quoque diuisus variis animalibus orbis.
Florida fert magnos elephantos India, tigres
Armenia, atq; alibi nascuntur dira leonum
Semina, sunt oryges alibi, sunt dorcades illic.
Deniq; nec passim celeres nascuntur iorci,
Nec variis panthera notis minusq; pithecus.
Non vna atq; eadem fert omnia gramina tellus.
Quæ mare quæ terras habitant, quæq; ætheris oras,
Plura viris ignota, virum solertia longa
Quam norit nam quis species, vel nomina quæ sint
Nosceret? at pridem desunt sua nomina multis,
Quod noua nascuntur semper terraq; mariq;
Nec maiora freti voluuntur monstra baratro,
Quam quæ terra tulit. Conuolui marmor ab imo
Credas, quum vasto se voluunt corpore cete,
Ceto Atlantiaci fastus & gloria fluctus.
Frondosos nutare putes cum vertice montes,
Quum vasto incedant elephantes corpore magni.
Sed tamen & tanta hæc moles, hæc corpora tanta,
Magnanimo rerum domino vincuntur amore
Cum niueo cerasi vestitur planta colore
Et teneræ erumpunt viridi de cortice gemmæ
Cumq; nouis violis redolent florentia rura,
Dispulit & nubes hybernas mitior aura,
Quatuor exactis lustris labentibus annis
Concipit ingentes elephis in pectore flammas,
Non tamen vt pugnet reliquis: huic alma decorum
Ingenium natura dedit nec gloria digna
Creditur his super occidi, vel cædere victos.
Et quantum humanum genus est virtutis & æqui
Seruator, tantum capitur virtutis amore.
Nullus adulterium committit fœmina masq;
Secedunt, thalami cum venit tempus, ab omni
Agmine; quinque dies simul hi, soliq; morantur.
Post vbi sexta diem patefecit clara serenum

Memnonis exoriens mater, ſtellaſq; fugauit,
Fontanis purgantur aquis, vel flumine viuo:
Nec prius hinc ſocios, & ſueta armenta requirunt.
Tanta pudicitiæ cura eſt animalibus iſtis,
Exactis pariunt annis hinc parua duobus
Pignora quod ſpacium partus Lucina moratur.
Æthiopi, Mauro pariter naſcuntur & Indo:
Sed tamen hos reliquis maiores India nutrit.
Triſtantur rapto, parto lætantur honore
Corda elephantorum ſtudiis obnoxia noſtris.
Multiplici petitur certamine gens elephantum.
Namq; alii circumfoſſis atq; aggere cingunt.
Aggeribus clauſos longa obſidione fatigant,
Ac veluti clauſi muris, & turribus altis,
Quos victus tandem penuria vicit & hoſtis,
Sunt faciles, faſtumq; ferunt, ſubduntq; potenti:
Sic hi vincuntur ſtudioq; fameq; ſitiq;,
Venantur ſic quos cupiunt in Martia caſtra.
Aſcendunt alii domitos, & frena reponunt.
Hinc nemora alta petunt: armento quem procul eſſe
Norunt, hunc loris domitant, & verbere multo,
Donec defeſſus iaciat proſtratus arena
Tum domitam credunt, cum cepit gramina primum
Humana porrecta manu, nec mitior vlla eſt
Humano generi fera, ſi quem nouerit eſſe
Fraude procul. Sunt qui foueis venentur, & alte
De foſſis puteis, à tergo hinc agmine multo
Venator premit vt norunt armenta elephantum,
Succurrunt lapſo: ſaxis atq; vndiq; ramis
Congeſtis replent foueas, redimuntq; cadentem.
Vſque adeo ingenium mite eſt elephantibus, alter
Fraterno alterius damno vt ſuccurrat, amore.
Sunt gemini exerti dentes: promuſcide longa
Proſternat plantas altas, fructus legit ore.
Cauda breuis magno pro corpore, protinus ipſa
Parua carent nodis, faciliq; volumine crura,
Forte caput, paruæq; aures; nec lumina quanta
Hoc tantum poſcat corpus, ſin grandia quamuis
Nigra cutis: tergus vix eſt penetrabile ferro.

Huic paulo villis est venter mollior atris.
Incumbens tereti palmæ, fagove virenti,
Decerpit tacite blandum per pectora somnum.
Hæc quoque venandi ratio est, ea planta secatur.
Huic cadit incumbens elephas, qua vincitur arte.
Sed neque mox facile est præ magno pondere strato
Surgere humo. siue hoc monocampti tibia curis,
Siue pes horrendis armis spoliatus, & vngue,
Integra vix quino signatur limite planta.
Nam quibus ingenium prudens natura negauit,
Tradidit his vngues dentes, aut cornua dura.
Læui radices conuellit robore dentis:
At dextri venatoresq; ferasq; trucidat.
Sæpius hi terra vescuntur, sæpe lapillis.
Paruorum senibus mira est custodia: flumen
Tranantes primi iuuenes queis corpora parua
Ingrediuntur aquas, seniorum flumina mole
Ne nimium crescant, iuuenes mergantur in vndis.
Flumine digressis senior præcedit, & agmen
Extremum claudit quicunque ætate secundus.
Omnibus est spatium longum, longissima vitæ
Tempora, viginti bis dicunt viuere lustra.
Carniuoris color est idem, mens impia sæuis
Atque cruenta lupis. imitantur lumina flammas:
Nocte procul cernes radiantis lampadis instar.
Forma refert catulum, nares, & gressus, & vngues.
Horridior tamen aspectus, speciesq; tremenda,
Forma Lycaonios, & terga horrentia setis
Nunc etiam referunt animos, atq; impia corda.
Perfusi pecudum cæsarum sanguine gaudent.
Et cum prætereunt currentia flumina multi,
Fortior est reliquis dux: caudam mordicus illi
Pone sequens tenet ore. lupis his omnibus ordo.
Viuere Niliacis nulli dicuntur in oris,
Montibus aut Aphris qui sunt, dicuntur inertes,
Et parui. tanti patria est, primiq; penates,
Scilicet & multum refert ad corpora, vires,
Et mores genitale solum quæ sidera spectet.
Est coitus meta his bis sex concessa dierum.

Ver

Ver vbi dispellit nubes, & purior æther
Deducit sine fece deis, in pectore flammas
Concipiunt,& more canum iunguntur in vnum
Conueniunt quos cogit amor, Venerisque cupido.
Heu male tum Solis erratur saltibus. vnam
Multa lupam sequitur turba: hinc fera prælia miscent,
Prælia dura super Veneris dulcedine. victi
Vel fundunt dulces animas, victoribus vltro
Vel cedunt: cunctis est vincere certa voluntas,
Cernis vti tauri pugnantes sanguine fuso
Membra lauant, semperque magis pulsantibus ardent
Fluctibus irarum. carpit formosa iuuenca
Interea gramen, miseros nec spectat amantes.
Tertius interdum potitur, certantibus illis
Bellorum causa. Sic dum prælia miscent,
Hic fruitur fœlix horum mercede laborum,
Qualis capreoli venatio, & ipsa luporum.
Fert balista necem, saltus hi rete coronant
Incultos; casses nequeunt vbi tendere, ramis
Arboribusq; vias densant, vt peruia nulli
Pars ea sit, latos saltus indagine cingunt,
Discurrunt nemora alta canes, hominesq; ferarum
Si qua fugit, plantæ catuli ducuntur odore,
Et cogunt in rete, feris. qui retia seruat,
Structaque syluarum ramis magalia linquit.
Cæduntur miseri, nec spes datur vlla salutis,
Parcere quod nullis didicerunt ante. rigentes
Interdum pugnant canibus, laniantque vicissim,
Et rabido quærunt extremam dente salutem,
Sic vbi planities completur qui oppida cingunt
Hostibus, atque acies longam traxere coronam,
Mœnibus inclusi sperant fera fata: sed armis
Nituntur decorare prius post funera mortem,
Sæuorum species dicuntur quinque luporum.
Est ingens horror canibus, si pellibus horum
Indutus plantas cedas. vocem his rapit horror,
Vt rapuere prius visis mortalibus ante.
Præterea colli si fiant tympana pelle,
Cætera cuncta silent ingenti victa sonore:

Pascitur eoi simul incola psittacus arui,
Nescio quo feruore lupis deuinctus amoris.
Par numerus canibus catulorum, & tempora partus,
Nascuntur cæci, vomitumque cientia carpunt
Gramina: vescuntur terræ cum tollitur vndis
Scorpius, & lucem rapuit mortalibus almam
Præcipiti labens curru Phaetontius heros,
Tempora Lucinæ veniunt his: pondus in alta
Deponunt ventris sylua, cæcisque latebris.
Fœmina bisquinis vterum gestare diebus
Insuper & binis fertur, quo tempore quondam
Fugit Hyperboreis in Delum splendida Phœbi
Mater & ignotam sumpsit mutata figuram
Thessala terra lupos, & diuitis insula Cretæ
Ferre negant, vti fama refert, triginta diebus
Bis actis alii referunt hos edere partus.
Haud thoes pariter celeres, & cursibus acres:
Sunt breuiora quibus crura, exporrectaque cauda
Longius & corpus thoas natura negauit
Veloces numero fœtus æquare priores:
Nunc duo, nunc tres, ad summum sed quatuor edunt.
Retibus impliciti supremam dente salutem
Experiuntur & hi: nullo in discrimine vitæ
Ponuntur, mortis duros vt vellere nodos
Vnguibus, ingenio, morsu, pede, viribus, arte,
Non tentent: grauiora pati nec morte putarunt.
Cætera quæ capiunt pugnando, fortiter hosti
Vulnera, creduntur sæuæ medicamina mortis.
Est vbi temperies cœli iucunda virorum
Ni cadat insidiis lupus, huic sunt tempora vitæ
Longa: octo fertur viuendo vincere lustra.
Humano generi natura thoes amici:
Admirandæ quibus data sunt obliuia rerum.
Est quando diuersa feris natura puellæ
Pandite Orestiades, iam vestros pandite saltus,
Et nemorum secreta mihi, collesque supinos,
Et varios campi aprici narrate colonos.
His magis hirsutæ multo nascuntur hyænæ
Aphrorum terris, catulis inimica propago:

Magna-

Magnanimo pariter gens hæc inuiſa leoni,
Flectitur in medio villo ſi tergoris, arcta
His porrecta caput coniungit ſpina: nigranti
Limite villorum tergus veſtitur vtrinque:
Sunt magis hirſutæ, cum ſpicea protulit æſtas
Crine coronato paleis flauentia ſerta.
Noctiuagæ color eſt oculis incertus hyænæ:
Mille refert varios acies inſpecta colores,
Qualis vbi aduerſo radiantis lumine Solis
Gutta micat nubes inter, cum labitur imber,
Sed nondum venit ad terram ſub nubibus atris.
Huic Sol exoriens noctem, tenebraſque reducit:
Aſtra diem referunt nigro ſurgentia cœlo.
Fœmina præterea, maſque idem creditur eſſe.
Sic fertur vulgo, ſed non & poſſe videtur
Sic fieri ratione. feruntur, prouida mater
Quæ gignit natura, mariſque & fœminæ amore.
Hoc generare modo poſſunt generata viciſſim;
Atque ideo perfecta ferunt. quæ ſponte videmus,
Et nullis vinclis, & nullo fœdere naſci
Coniugii, ſed corruptis conſurgere rebus,
Imperfecta leues ſurgunt in luminis auras:
Quod reparare genus nequeunt exorta viciſſim.
Hæc non natura fieri ſurgentia nullo
Coniugii vinclo dicendum: aſt accidit illud.
Alituum, pecudumque genus, quæ fluctibus errant,
Omnia permiſto ſexus ſunt ſemine nata.
Præterea natura facit quod præſtat, inerſque
Nil agit, & finem cunctarum ſedula rerum
Proſpicit. hoc fecit, melius feciſſe quod hoc eſt.
Commoda, & vtilitas rerum, ſic eſſe neceſſe,
Alma tibi fines rebus natura creandis:
Sincerumque cupis cunctis animalibus ortum.
At confuſa magis, ſi hoc concedatur hyænis,
Dicenda es. binæ coeant ſi tempore eodem
(Nam neque concipiunt ex ſeſe, & poſſe fateri
Abſurdum. vt naſcantur equi de flamine venti,
Perdices pariant audita voce mariti)
Altera pars ſexus iunctis ceſſabit vtriſque.

At neque natura est illis sic esse necesse.
Diuisum genus est. valeant mendacia vulgi.
Æquora cum primas patiuntur strata carinas,
Et ver dispellit nubes, cœlumque serenat,
Flammatis telis cunctæ feriuntur amoris,
Atque mares plures vnam sectantur hyænam.
Imperitat gregibus mas, paruaque pignora castrat,
Ne comites habeat Veneris, materque tuetur.
Ast vbi iam sextus mensis præteruolat alis
Præpetibus, partum expectat Lucina recentem:
Hinc duo, tres raro partu nascuntur eodem.
At paritura parens nemorum in secreta recedit,
Sint vt ab insidiis partus hominumque ferarum
Abditi, & incursus fugiant, mortisque ruinam.
Luce latens sua lustra fouet, sua pignora parua,
Nocte cibum quærit dum carpunt cætera somnum.
Ast vbi quæruntur canibus venantibus, ingens
Si sit turba canum, cursu petiere salutem.
Res vtcunque tulit fugiunt, nec lumina cernunt:
In cassesque cadunt: ferro venator acuto
Irruit, obtruncatque trementia pectora telo.
At si nec canibus multis in rete premantur,
Nec timeant magnos strepitus hominumque canumque
A tergo, & possint campo committere aperto
Prælia quid valeant coram fecisse periclum,
Tristibus auspiciis occurrit primus, & atris,
Experietur enim quantos in pectore fluctus
Irarum voluat, rabies sit qualis hyænæ.
Viuere lustra feræ septem dicuntur & istæ.
Suspendunt alii vitreis in vasibus alte
Humanum stercus, quod lati vulneris illi
Est medicina feræ; sed ne contingere possit
Hæc sperans semper præsentem posse medelam
Nancisci, moritur decepta cupidine, & alto
Qui grauis ingreditur per pectora læsa dolore.
Post vbi iam fueris cursu, longoque labore
Defessus, solisque calor premet arua, iacenti
Præbebunt molles vmbras virgulta perennes
Arboris haud deerunt vmbræ, vel pumicis antra
Natiui

Natiui rapiet partum ſpelunca calorem.
Quin etiam vitreus fugiens per gramina riuus
Murmura grata ciet, placidumque vocantia ſomnum.
Adde quod & poteris gratum reperire lauacrum,
Et pacare ſitim, nam gaudia multa ſequuntur
Venantes homines, quæ nullo dicere verſu eſt,
Nec lepores noſtro fugietis carmine molles,
Fœcundumque genus, veluti ſub tecta columbæ,
Quæ paritis toties, quoties venere calendæ.
Plurima planta quibus ſecta eſt animalia, cæcos
Emittunt catulos tenues in luminis auras.
Hoc vitium lepori facilis natura negauit,
Vna negat lepores tellus prudentis Vlyſſis.
Sunt multæ leporum ſpecies, qui collibus errant
Apennine tuis, ſummumque vagantur Amanum
Creduntur niuibus paſci, niueus color illis
Eſt quia, cœrulea glacies quo tempore primum
Liquitur, & gelidæ labuntur montibus vndæ,
Paulatim color eſt illis rubicundus, in illum
Vertitur hic candori vix credas eſſe priores.
Nunc duo, nunc tres, interdum quoq; quatuor edunt,
Et nemorum ſecreta petunt, virgultaque denſa,
Ingenioſa cohors leporum: ſed murmure paruo
Terrentur, facilem capiunt per membra timorem,
Interdum rapidis tolerare ſonantia ventis
In ſyluis folia haud poſſunt, ob murmura frondis
Corripuere fugam, defeſſo corpore tandem
Quæ fugere diu patiuntur murmura tuto.
Sanguineis atrii tulit hoc natura: videmus
Quæ curſu leuiora, timent magis omnia: motus
Concipit aerius faciles in pectore ſanguis.
Cernis vt immodicas pernices pectore cerui
Concipiant furias curſus, fluuioſque rapaces
Continuo tranent, nec tantum luſtra morantur,
Nec ſyluæ, vel prolis amor, fontiſque nitentis,
Quantum pulſat iners timor hos, clamorque ſequentum.
Hos, vt fama refert, horreſcens murmura frondis,
Ceperunt animal furiæ, tua munera queſtum
Alma parens Natura, nihil quod repperit vſquam.

Tristius, & tantum capiens per membra timorem.
Multa voluntati placuit sententia, vel se
Præcipitare iugis; alto vel mergere fluctu.
Cum vitrei peteret currentis fluminis vndam,
Protinus insiluit flumen perterrita rana.
Inde lepus didicit tranquillo pectore sortem
Ferre suam, tenuitque metum quem ceperat ante.
Propterea tam tempestas, & tempora nobis,
Ventorumque dies seruandi, & sidera cœli;
Quam freta qui sulcat ratibus spumantia pandis,
Ventosasque vias currit, nauemque gubernat,
Sidera cuncta notat, venturaque tempora discit:
Nunc spectat geminos Hœdos, claramque Coronam,
Et nunc Arcturum, nunc te formosa Celæno,
Nunc pluuias Hyadas, nunc spectat Oriona clarum.
Nec solum quoniam strepitus, clamorque secundus
Venantum facile inde premunt in retia ceruos,
Sed quia si flarint aduersis flatibus auræ,
Naribus accipiunt prætensi retis odorem:
Occiduæ si forte plaga, qua nocte rubentes
Præcipitat Phœbus currus, orbemque relinquit,
Aphricus aspirat, venator Cæciæ in oras.
At si spirarint æstiuo cardine Cauri,
Et leuis Argestes, Vulturni regna petantur.
Quem latet aduersum Boreæ te flatibus Auster?
Retibus & canibus leporum timidissima turba
Capta perit: venantur aues. est plurima lethi
His via, nec prodest Spartanæ more sagittæ
Aufugere, & rapidos cursu præuertere ventos.
Lætantur venatorum exultantia corda
Cursibus vt longis, & decertatur aperta
Planitie, clamore canes & voce sequentum
Quisque iuuat, sequiturque simul clamore secundo
Esse canes cupiere fere, & decernere cursu,
Quoque valent animo leporem cepere fugacem.
Tantus amor lepores venandi, gaudia tanta.
Hic mens, hic animus, hic est & tota voluntas.
Præponunt reliquis vna hæc solatia cunctis.
Exiguo primum venandi captus amore

Mox

Mox neque ſponte valet diuelli, linquere non eſt
Venandi ſtudium facile hunc tot vincula nectunt.
Sunt parui lepores, auris longiſſima, quæque
Promittat magnum corpus, quæ fortia membra,
Forma breuis capitis, fulgentia lumina, ſed quæ
Nunquam claudantur ſomno: timor vſque ferarum
Sollicitat, vigilique occurrunt ſemper amores,
Nec gens in ſyluis errat fœcundior vlla.
Namque parit catulos, & eodem tempore villis
Indutos vtero geſtat, partuſque recenti
Coniugio incœpti grauida formantur in aluo.
Sunt genus ambiguum lepores, trochus acris hyæna:
Quod tria naturam dicuntur habere duorum.
Præterea leporis villoſum lingua palatum
Lambit, & hoc vni tribuit natura: decemque
Annorum ſpacii concluſa eſt limite vita
Caſtorides leporem celeres ſectentur aperta
Planitie: hæ duris veniunt venantibus vſu.
Plurimus Hiſpani, Baleariſque incola ruris,
Huic aures ſimilis daſypus, corpuſque caputque:
Crura tamen breuiora, minus timet, & minus illo
Velox, antra colit, foſſique foramina ruris.
Huic baliſta necem fert, hunc viuerra necatum
Sedula fert epulum domino, prædamque reportat.
Quid tibi commemorem verſu generoſa leonum
Semina, quos Neſſus vitreo complectitur amne,
Et quos parte alia claudunt Acheloides vndæ?
Aſſyriæ fuluus campis eſt incola terræ,
Cui iuba fulua tegit collum, cui plurimus armos
Villus habet, natura mari quod præſtitit vni.
Grandius Armenio collum, Parthoque leoni:
Latius eſt tempus, radiantia lumina fulgent.
Eſt adeo aſpectu clarus, Fœlicia rura
Quem genuere, ferax & campus pauit Erembus,
At plures Libyes ſiccis naſcuntur in agris,
Exiguis & colla iubis velantur, & atro
Membra colore rigent: ſed multo robore præſtans.
Præterea ſunt certa cibis, & certa labori
Tempora, nec cunctis epulas ſumpſere diebus.

Hic vbi comprendit nox. & Sol linquit in æquor
Aufugiens, rapiensque diem mortalibus almum,
Fortia decerpunt placidam per membra quietem.
Prima vbi temperies clarum patefecit Olympum,
Regia progenies domino feriuntur amore,
Concipiuntque nouas insueto pectore flammas.
Sæuities insueta capit syluestria corda,
Cum rabies, flammæque domant, & feruor amoris.
Hinc vbi floriferum ver frigora prima fugarit,
Et glacies resoluta fluet deuicta tepore,
Cum Cynosura freto quæ nunquam mergitur alto,
Custodem cecidisse maris lætabitur vndis:
Expectat partum facilis Lucina leænæ.
Nunc duo, nunc tres, nunc vnum, nunc quatuor edit.
Sunt & qui Assyrias primo quinque edere partu,
Quatuor inde ferant partu peperisse secundo:
Atque vnum numero, sic semper abesse priori,
Donec sit ventum ad nihilum: tum ducere vitam
Fœlicem, sobolisque procul, partusque dolore.
Quæ furiæ rapuere manes, quo tempore blandus
Pectora fixit Amor iaculis. post fœmina partum
Concipit, & toto nil est crudelius orbe.
Ingredier scymnus fertur sex mensibus actis.
Debile principium regi natura leoni
Præstitit: id paruum capiunt ingentia cuncta.
Nunc vbi stant ædes, atque alta palatia Romæ.
Pastorum tuguri congestum cespite culmen
Vix pluuias arcebat aquas dominoque bouique.
Qui fluit Eridanus, lata celeberrimus vnda,
Fluminibus multis auctus prorumpit in æquor.
Nil quod non fuerit paruum grande esse videmus.
Maturi exiliunt scintillæ ex osse leonis:
Duricies tanta est. flammi terretur, & iras
Horret apri, quarum fluctus in pectore voluit.
Nec tantum armatas hominum timet ille cateruas,
Inuisos galli quantum sub lumina cantus.
Est quadruplex ratio vincendi dura leonum
Robora. nam ferro indutæ vicere phalanges,
Cominus & lato sumpserunt prælia campo.

Tum

Tum nemus omne ſonat magno clangore tubarum,
Latratuq; canum, reſpondet vocibus æther.
Ecce leo veniens rugitu territat hoſtem.
Irarum magnos voluens in pectore fluctus.
Vnguibus exertis expectat prælia: magnas
Lumina ſignificant iras, & cauda leonis.
Triſtibus auguriis occurrit primus, & atris.
Tabifica lacerat quod dura contigit vngue.
Sed tamen indutus ferro venator aperte
In pectus telo expectat fera bella parato.
Concidit interdum victor, & victus vterque.
Sanguinolenta venit victoria parta duobus.
Vincitur interdum canibus vis magna leonis,
Et telo; plures in retia cedere cogunt.
Nec fortis quamuis valuit contendere multis.
Sunt & qui effodiant foſſas, atq; aggere cingant.
Neu ſit conſpicuus dolus, hinc & vepribus, illinc
Obturent ſaxis: medio ſtatuere columnam,
Suſpenduntq; agnum tum matris ab vbere raptum,
Hic qua currentes fluuios adiere leones.
Ille vocat crebris balatibus, hiq; potenti
Robore confiſi ſuperant molimina ſaltu.
Prima fuit priſcis venatio cognita foſſæ.
Tunc hi decepti foueam labuntur in altam.
Hic celeres naſcuntur equi, qua labitur vnda
Euphratis, virides & texit arundine ripas,
Qui ſoli faciem regis ſpectare leonis
Audent, nec domino ſoli certare verentur.
His eques inſtruitur, venantes retia tendunt
In Lunæ formam, cum primis cornibus orbem
Viſit, & Oceano tollit clariſſima currum.
Extremæ retis partes ſunt cura duobus:
Tertius in mediis, atq; inter vtrumq; locatur.
Accenſis facibus pedites armantur, & omnis
Sylua ſonat ſtrepitu armorum, & clangore tubarum.
Scuta tenent læuis, quatientes illa ſequuntur
Inter ſe pedites ſtrepitu fera concita, & igne,
Non audet cedens oculos attollere contra:
Hinc equites clamore leues in retia pellunt.

Tum vero ingentes voluunt in pectore flammas,
Atq; indignantur secum fera corda leonum,
Sternere quod paruum non audent viribus hostem
Eximiis, partis quod non gaudere trophæis.
Vltra Æquatorem gens est asperrima bello,
Piscibus & premitur geminis, & flatibus Austri;
Pene quater paribus spaciis diuisa dies est,
Noxq; semel cœli dum Phœbus perficit orbem.
Hæc genus insuetum venandi reperit. omnes
Vellere membra tegunt, & stricto fune ligantur
Quatuor, aut sex: hinc armantur casside dura,
Vt vix cernantur labra, & caua lumina, nares.
Suspendunt hastæ scutum, religantq; sonorum.
Tum sic instructi speluncam protinus hostis,
Cæcaq; lustra petunt hic scutum concutit vnus.
Ecce ruit rabido ore leo scutoq; cientem
Sternit humi furiis accensus: vellera mordens,
Dentibus infremuit tum scutum concutit alter
A tergo, primum linquens, rapit ille secundum.
Sæpius hoc faciunt donec sit membra labore
Defessus tunc ille iacet certaminis impos
Stratus humi manibusq; virum vincitur anhelans.
Vincere triginta viuendo lustra feruntur.
Quis primus pugnare feris, hominumne, Deumne
Cominus est ausus? vatum mihi pandite Diuæ,
Inter mortales primus syluestria Perseus
Agmina de lustris pepulit, ferroq; cecidit.
Quid referam Ledæ pueros? hic repperit arcus,
Et cursu domitare feras inuenit equorum:
Ille canes primus docuit vestigia caute,
Atq; feris homines crudo decernere cæstu.
Hippolytus laqueos, pedicas, & retia primus,
Et docuit primus latos circumdare saltus.
At si quæ insidiæ syluestri tempore genti
Noctis erunt, has venator monstrauit Orion,
Quis furor hic tantus, vel quæ fiducia mentis.
Vnde necesse mori vel forti vincere dextra,
Quod lacrymis victor, precibus nec flectitur vllis,
Compulit audaces homines decernere primum?

Quid?non ne & ſuperos, cœlumq; petiuimus ipſum?
Fulmina nil terrent, quo vaſto concita motu
Terra tremit, vallisq; ſono concuſſa remugit.
Hic adiit manes, & nigra tartara Ditis:
Ille penetrauit fluctus, âtq; ima profundi
Omnia, & oceani patris ſecreta retexit.
Nec ſatis immenſi mortali machina mundi
Viſa eſt, quæ neſcit, quæ ve intentata reliquit
Quid loquar Armeniæ tigres, rapidiſſima proles:
Nec te prætereo quæ forti naſceris Indo;
Corpora quanta lupis: rapidæ ſed forma leænæ
Corporis eſt propior. flammantia lumina cernes,
Et fuluis maculis corpus ſignatur, & albis
Nare tenus. fera non hac eſt formoſior vlla,
Inter quæ ſyluas habitant, & montibus errant.
Et qualis volucres inter data forma pauoni:
Tigribus eſt ſpecies inter ſylueſtria cuncta.
Carnoſum ſatis eſt corpus maculoſaq; cauda
Longa, fuga poſſet celeres præuertere ventos:
Namq; feris cunctis tigtis velocior vna eſt.
Fœmina quod fertur ſpecies hæc tota, putanda
Fabula, ſemotum vera à ratione videtur,
Quod raro videre mares, hinc fabula ſumpta eſt,
Diffugiunt venatores hi: fœmina natos
Direptos curſu ſequitur cum ſentit ademtos
Quatuor, cur partu catulos ſex edit eodem.
Fœmineo ſuper his raro mas pugnat amore.
Tempore quæ verno coeunt, quæ ſola vagantur,
Partibus haud coeunt eiuſdem ſæpius anni,
Pauca mouens Martis certamina propter amorem
Nunc age quæ ratio capiendæ tigridis & quis
Sit dolus, & quanto natos ſectetur amore,
Carmen erit nobis faueas tu Delia ſæuo
Quæ portas humero ſuſpenſam diua pharetram,
Dum nemorum ſecreta cano, luciq; ſacrati,
Cum liquit catulos per ſyluam pabula quærens,
Venator rigidus caute petit antra relicta,
Tigridis abſentis partus rapit, atq; paratum
Scandit equum celerem, pulſat trepidantia magnus
Corda pauor. ſecurus enim quis talibus auſis?

Aufugit arrepto properans ad littora cursu.
Ecce venit quæ mater iit, nunc orba rediuit,
Vt nouit deserta domus penetralia natis,
Incipit hac mœstam lacrymabilis inde querelam,
Qualis vbi nati miratur lumina mater
Defuncti, niueasq;, manus, & pallida membra
Singula quæ tangit digitis, atq; irrigat imbre.
Qualis vbi cepit, populaturq; ignibus hostis
Mœnia, conuoluit fremens incendia ventus,
Conqueritur mater, stringitq; ad pectora natos,
Coniungitq; faces odit tristesq; Hymenæos:
Inuisa est Lucina fera est & pronuba Iuno.
Tantus amor prolis syluestribus esse colonis
Dicitur. haud homini tantum sunt pignora curæ.
Philtra feris, auibus, pariter serpentibus atris
In natos natura dedit, pelagiq; colonis.
Hoc facit vt nigris crocitans perterrita pennis
Horreat arrectis, crepitansq; feratur in hostem:
Torua leæna virum spernat venabula terræ
Defixis oculis, nitidoq; hostilia ferre.
Scilicet hæc mens est illis, hæc certa voluntas.
Vel cum pignoribus victas occumbere charis:
Vel seruare simul pugnando fortiter hosti.
Naribus hinc vbi venantum percepit odorem,
Pugnatura ruit mater velocior Euro:
Qualis vbi neruo Tyrio compulsa sagitta
Viribus eximiis striderq; volatq; per auras
Fur vbi comprensus matris cursu, iacit vnum
Qui minor è catulis, & qui deformior, illa
Corripiens ad tecta refert, iterumq; reuersa
Prosequitur furem speculum iacit ille rotundum.
Illa suæ primum lætatur imagine formæ,
Atq; aliquem credit natorum. fraudibus istis
Mox decepta dolet sequitur furiata, secundum
Inueniens speculum simili deluditur arte.
Sæpius id faciens donec sit littora ventum,
Apta fugæ præstat raptori tempora: ponti
Expectans venatorem stat littore puppis.
Protinus ingresso soluunt à littore funem.

Atq; ratem conto trudunt, curruntq; per æquor.
Hinc vbi peruenit fluctus & litora mater,
Ventoso aspiciens fugientia pignora ponto;
Nautas incusat: sunt litora plena querelis.
Et quam cygnorum circa Aphrica litora ponti
Lugubris fertur cantus sua fata canentum,
Tigridis Hyrcanæ tam vxor est flebilis orbæ.
Sunt qui direptis catulis, quoq; retia tendant
Matribus, implicitas ob pignora rapta sequentes
Obtruncent ferro, feritas est tanta virorum.
Heu date mortales veniam, date matris amori,
Et miserum deflere suum concedite casum.
Hic veluti ceruos sylua venatur in alta,
Et canibus sociis, & strictis cominus armis.
Octo prætereunt, vt fama est, lustra secundi
Deponunt venti, patuit iam meta laboris.

# NATALIS COMITIS DE VENATIONE,

## LIBER TERTIVS.

NVNC leuis Eois ventus spirauit ab oris,
Exoriturque dies reserato clarus Olympo.
Solue ratem, date vela, citi considite transtris.
Terga silent tranquilla freti, vocat vnda carinas.
Nunc age cur tanto partus sectentur amore
Quæq; suos, cur sit cunctis animalibus vnum
Seruandæ sobolis studium, atq; amor omnibus idem,
Versibus expediam. tu nostri carminis autor,
Tu qui prima mei merito, qui summa laboris,
Porrige fœlicem dextram, pelagiq; patentes

Pande vias, ratibusq; auras immitte secundas.
Quæ ratione carent, facilis natura gubernat.
Hinc amor, hinc odium. cupiunt bona quæq; malumq;
Diffugiunt, hinc lucra petunt & commoda cuncta.
Omnibus hinc iactura grauis grauiora putamus
Damna pati, cum grata magis res perdita cessit,
Gratius at vita nil est, vitamq; videmur
Viuere per nostros post impia fata nepotes.
Adde quod est finis cunctorum semina, & horum
Nascuntur causa flores, frons, caulis, in annum
Seu viuant plantæ, seu viuant secula multa,
Omnibus est vnus generandi semina finis
Tum quoq; cuncta vigent animalia, cum sibi prolem
Persimilem reparare valent. si pignora demas,
Demitur his finis frustra vixisse videntur.
Respuit hunc penitus natura prouida finem:
Et vacuum nihil esse cupit frustra ve paratum.
Sed reuocant syluæ, strepitu nemus omne remugit:
Ad diuas vertor gaudentes cæde ferarum:
Nunc vrsi partus, formam, moresq; canemus.
Horrendam faciem præ se fert: est color ater,
Et corpus totum denso velamine nigret.
Sunt nigræ nares, latum caput, horrida flammas
Lumina diffundunt: quinis armatur acutis
Vnguibus huic plantæ, mortem pellentibus armis.
Horrendum rugit, correpta cupidine amoris
Fœmina post partum furit haud post tempore longo
Et quinos catulos vno dat fœmina partu.
Sed parit interdum binos: nunc edidit vnum.
Prostrati iunguntur humi quo tempore primum
Sidera Calistus pelago demersa profundo
Conduntur, syluæq; virent aperitur & annus.
Cum primum tumuit rapidis Aquilonibus æquor,
Syluaq; tristatur desolatissima lapsis
Frondibus, & virgulta comas iecere virentes,
Antra petunt ambo nemoris secreta propinqui,
Atq; latent gelidas hyemes hic fœmina paruos
Interea peperit catulos, pinguescit vterq;.
Nascitur vrsorum deformis partus & ante

Parua

Parua caro, catoq; minor, vix eminet vnguis:
Cætera lambentis formantur membra parentis
Lingua, naſcuntur paulatim lumina: paruos
Sic lambunt vitulos olim ſua pignora vaccæ.
Tempore non alio piſcis qui dicitur Arctos
Ni pariat verno, propter cognomina partus
Edidit, in gelidas hyemes & diſtulit horam.
Poſt vbi fugerunt torpentia frigora brumæ,
Et religata ratis completur pondere mercis,
Fœmina ſpeluncam liquit, multo ante maritus?
Viſcera quo laxentur aron per rura requirunt.
Pluribus Italiæ naſcuntur partibus vrſi.
Tertia pars mundi quos Africa tota negauit,
Armeniam, Tigrimq; tenet villoſa iuuentus.
Nunc quæ venandi ratio ſit, percipe paucis,
Quis dolus, incultos certamina quanta per agros
Sint cum gente fera: catulo ſint quanta pericla
Parta virum ſtudiis, nemorum ſecreta vagatur,
Naribus ad terram veſtigi quærit odorem,
Atq; feræ percurrit iter, nec ſiſtitur ante
Quam dominos ad luſtra trahat ſe pone ſequentes.
Venator rigidus telis tum prouocat hoſtem:
Ille fremens grauiter de luſtro proſilit. at ni
Venator catulum properantem vinciat, vnguis
Sentiet vrſorum quam ſit trepidanda petenti.
Venator læua catulum trahit: ac ſuper armo
Stricta tenet dextra lato venabula ferro.
Ad ſocios redeunt dominuſq; caniſq; latentes,
Inſidiaſq, parant omnes, & retia tendunt.
Retis habet partes hominum cuſtodia tenſi,
Supremas alti ſeruant in limine portas,
Atq; manu iuuenum laqueum fert quiſq; ſiniſtra.
Hunc volucrum pennis ornant, quo territus vſus
Aufugiat, ponunt inprimis agmina valuis,
Inſidias ramis, frondoſaq; arbore velant.
Tum clangore tubæ reboat nemus omne propinquum;
Concuſſæq; tremunt ſyluæ, telluſq; remugit:
Qualis, vbi armorum ſplendor ſquallentia complet
Arua: micat tellus non vno lumine Solis.

Fit strepitus, clangore tubæ quum castra mouentur,
Atque equites instructus eques vocat, agmen & agmen.
Ecce vrsus sonitu syluarum concitus exit,
Horrendumque fremit, rugitibus intonat æther.
Turba ruit iuuenum passim clamore secundo,
Et terrent manuum strepitu, & clangore tubarum.
Ille vbi planitiem vel campum est nactus apertum,
Territus insidiis fugit, & clamore tubisque,
Et laqueis multis paulatim in retia cedit.
Exiliunt quorum sunt retia tradita curæ,
Et quacunque valent capientes summa plagarum,
Implicuere feram: quæ dentibus, vnguibus, atque
Tum sæuit totis animis, tum fundit habenas
Irarum laxas, vruntur pectora flammis.
Cædere quis vinctum nescit? cadit ille sagittis
Qui victurus erat triginta illæsus in annos.
Sunt qui non dubitent in aperto prælia campo
Sumere cum populo syluestri cominus armis.
Alter in aduersos hostes ruit ille salute,
Proque suis pugnat thalamis, patrioque recessu:
Alter pro ingluuie, vastaque voragine ventris
Non patitur vulgus syluis errare ferarum.
Vnguibus ergo vrsus venanti occurrit acutis,
Vincere vel certus, vel certam occumbere mortem.
Contra venator cui fortiter obtulit arma
In pectus nil horrescens ardentia frontis
Lumina, crudelis furias signantia cordis.
Concidit interdum venator victus, & vngue
Membra lacer prostrata iacent venabula terra.
Concidit interdum telo fera cæsa potenti.
Vincere vel vinci magna est dementia. cœlo
Qui seruat volucres delapsas, nulla per agros
Prælia committit, nullum subit ille periclum.
Sunt arma accipiter, casses, sunt vimina, viscum,
Noctua, quæ nosci s promittant quanta pericla
Aucupibus volucres, homini quam bella pararint
Sanguinolenta feræ, quis cum pugnare necesse est.
Vrsorum nullus defuncta in corpora sæuit,
Idcirco venatores iam robore victi

Decu-

Decubuere solo strati, flatuque retento
Deuitant furiasque feræ, mortisque pericla.
Nec te caudati taceo gens mima pitheci.
Est horum triplex species tibi simia cauda
Defuit, Æthiopum syluis erratis in altis.
Est color his flauumque inter fuscumque virorum
Omnibus & studiis imitantur plurima facta.
Ambabus capiunt manibus quod ieceris, ipso
Visu mortales imitantur lumina, nigret
His cilium, latique vngues: est indice planta,
Et totidem distincta notis: his mollior auris.
Rettulit humanam speciem qui dentibus ordo:
Vt dicas olim humano de semine natas.
Pignora bina ferunt, paleæ quo tempore primum
Surgentem ad Zephyrum vacuæ iactantur & arua
Pressa calore gemunt: coeunt quia tempore veris.
Hunc amat egregie natorum, inuisus at ille est
Matri, nec facile est huius cognoscere causas.
Vngula secta quibus plures vno edere partu
Concessit natura, canis quod monstrat, & vrsus.
Quinque decemque suam vitam traducit in annos.
Quamuis mortales imitatur, at ipse pithecus
Fallitur arte tamen, nec discit fingere fraudes.
Præparat ante dolos venator, & arte cothurnos
Vincla pedum, insuetis cæcæ molimina fraudis.
Hinc nemus ingreditur quod simia multa frequentat.
Aucupibus noti frutices, & gurgitis vndæ
Piscanti; nouit saltus venator, & arua.
Induit inde sedens allatis crura cothurnis:
Deserit hic alios. veluti se fluminis vnda
Ablueret manibus iunctis & lumina, & ora,
Sic haurire putes lympham de vase iacenti:
Hinc abit. at nostras cupiens imitarier artes
Simia, pro lymphis flauentem nacta liquorem,
Vincta pedes geminos. hinc visco lumina claudit.
Infœlix animal quod se virtute, dolisue
Æquiparare cupit mortalibus, his dedit vnis
Ingenium velox diuino semine natis
Maximus ille opifex, qui nutu temperat orbem.

Et quantum superi præstant mortalibus ipsi,
Tantum mortales præstant animalibus ipsi
Est etiam proles parui dicenda sciuri
Monticolæ, qui terga tegit mollissima cauda,
Cum grauis incumbit terris arentibus æstus:
Hinc quoque nomen habet, villorum summa nigrescunt:
Cætera puniceo paulum rubuere colore.
Lumina bina micant, geminos imitata pyropos.
At niueos ventris color est, similisque pithecis.
Iacta tenet manibus residens, & purgat inani.
In quinas dissecta notas est planta nec arma,
Retia nec quærit venatio tuta sciuri,
Et gliris: tamen humana qua fallitur arte
Quisque horum nobis dicendum carmine, quando
In syluis posuere domos, & montibus altis.
Ter vbi dispellit nubes, cœlumque serenat,
Et vernis gelidæ cesserunt solibus auræ,
Concipit ingentes in paruo pectore flammas,
Et grauibus passim furiis agitatur amoris.
Mergitur Oceano cum primum Gnosius ardor,
Et matutinus campum repetiuit arator,
Quatuor hinc catuli tenues in luminis auras
Nascuntur, sunt fossa domus his arboris antra.
Non tamen huc prodest fugisse Cupidinis ignes.
Nec paruo natos mater sectatur amore,
Pabula quæ tulit his primum corrodit, & illos
Edocet. hinc tempestates prædiscere cœli
Possumus, exigui seruantes facta sciuri.
Namque solet qua parte ferox spirauerit aura,
Qua surgent itabres, stipare foramina plantæ,
Parte alia plantæ, fuerant quæ causa recludit.
Aduerso quæras hoc ipsa foramina vento.
Nil adeo natura tulit, sed sedula paruum,
Vt non ingenio valeat. vel viribus vllis.
Hinc venatori facilis captura, virentes
Ascendis plantas, ponitque foraminis ori
Prætensos laqueos, nec prælia dura requirit.
Non opus est lato committere prælia campo:
Nec veniunt vsu valli, venabula falces,

Est

Eſt tamen & plantæ qui lignum cædat, & antra
Falce ſecet, totamque domum populetur, & omnes
Diripiat catulos paruos ſimul atque parentem.
Nec glires alia capiuntur fraude, domuſque
Eſt ſimili conſtructa modo, locus vnus, & idem
Eſt cibus ambobus: hyberni frigoris iram
Quiſque latet, glites hyberno tempore ſomnus
Semper habet: capiunt longam per membra quietem.
Et quantum dapibus pingueſcunt cætera lautis,
Hyberno tantum pingueſcunt tempore glires.
Aſt vbi iam vernis arrident floribus arua,
Frigidus & ſyluis Aquilo diffugit ad Arctos,
Deſerit hos tandem ſomnus ſimul, atque ſenecta:
Ac veluti exuuias veteres cum frigida primum
Vipera deponit latebris, antroque relicto.
Tum coeunt, cum preſſa gemunt feruoribus arua:
Tum pariunt grauis autumnum quum diffugit æſtas.
Glis ſextum vitæ viuendo præterit annum.
Ingenii tantum tribuit natura, parentes
Annoſos vt alant moti pietate viciſſim.
Huic caput eſt ſimilis ſpinis armatus echinus,
Ora ſuem referunt, niueuſque ſub ilia venter,
Cætera membra feræ ſpinis armantur acutis.
Cum cernit venatores collectus in orbem
Subſtitit, errantes creditque latere morando.
Nec celer eſt adeo: vires cognoſcere cunctis
Donauit natura ſuas animalibus alma.
Aſt vbi nulla datur tandem ſpes certa ſalutis,
Mingit in horrentes ſpinas, quia credidit, illas
Se propter quæri vacui ſeruantur & illa
Vrina, hanc reperit venator prouidus artem.
Eripit interdum mentem mortalibus horror
Improuiſus, & his fallendi ſubtrahit arma.
Frigidus in ſyluis Aquilo cum murmurat, auras
Diffugiunt, latebraſque petunt, ſunt præſcia corda.
Idcirco ſtellas cœli, ventoſque iubemus
Diſcere venantem: ſurgentis neſcius auræ
Ne fruſtra in ſyluis erret, dum quærit echinos.
Italia naſcuntur, habet ſimul Apher, & Indus.

Corporibus rigidis mira eſt prudentia paruis,
Vndique diripiunt fructus hyemique reponunt.
Pomorum ſuper hi cumulos ſe ſæpe volutant,
Inde domum redeunt onerati tergora pomis,
Hi quoque flammati telis feriuntur amoris:
Nil latebræ, nil ſpina iuuat, nil tergoris horror.
Lucida ab Oceano cum ſurgit ſtella Leonis,
Et Sol clarus equis roſeis iuga prima reponit,
Cernitur exiguus in ſyluis partus Echini.
Atque duos pariunt, vel tres: at tempora vitæ
Longæ ſi quæras, in ſextum prorogat annum.
Non eris indictus verſu fere bubale noſtro,
Bubale frigentis Scythicæ fide incola terræ.
Corpora quanta boui: ſplendentia lumina fuſcus
Eſt color, atque caput telis armatur acutis.
Altera ramorum pars tergus ſpectat, & alte
Natiuis frons armatur pungentibus armis.
Hunc venatores tendentes retia, magnis
A tergo in caſſes tenſos clamoribus vrgent.
Aſt alius pugnat ſumptis huic cominus armis
Et ferro, & canibus cadit auxiliaribus vrus.
Pluribus aſt alii circumdant curribus illos,
Arboribuſque locos, quibus hic verſatur: & inde
Ingenti clamore canes, hominesque ſequuntur.
Purpureas alius veſtes indutus, & illi,
Qui magis inuiſus color eſt, occurrit in ictus
Ecce ruit pronis iratus cornibus vrus.
Et quoniam tanta eſt furiarum copia, nullis
Viribus vt valeat venator ſiſtere contra:
Deligit ante locum, ramoſæque arboris ipſo
Protegitur dorſo pronis in vulnera telis.
Bubalus irarum fuſis huc fertur habenis.
Nec cernit plantam, furor ingens lumina velat.
Arboris infixis dorſo mox cornibus, arma
Is ſentit venatoris quam fortia tandem
Concidit, atque animam dulci cum ſanguine fundit.
Hunc ſi quis vinctum ſuetis abducere ſyluis
Conetur, patriam vt mutet priſcoſque penates,
Irritus ille labor, ni vincula dura morentur,

Protinus in patriam rediit: mora nulla retardat:
Nec tanti vmbrosæ syluæ pascua læta,
Frondosi montes, natiui flumina fontis,
Deserat vt charam patriam, & sua lustra relinquat.
Nec solum patriæ terræ mortalibus ipsis
Est innatus amor: volucres, & plurima ponti
Ad suetas rediere domus, ni vincla morentur.
In patriis malunt mediocria pabula campis,
Quam largos alibi fructus, atque vbere cornu.
Cum resoluta fuit glacies, & montibus altis
De niue manantes riui labuntur in imos
Planitie campos, stimulis agitantur amoris.
Tum vero incipiunt maribus certamina, totis
Pugnatur campis. rapidas extinguere flammas
Dum cupiunt, & riualis præponitur alter.
Non aliter quam si tauri per florea prata
Frontibus oppositis pugnent spectante iuuenca.
Exoriente die vt clarum Delphina videbis,
Expectat partus harum Lucina ferarum.
Nunc duo, nunc vnum pariunt. hos viuere lustra
Quinque suæ referunt longissima tempora vitæ.
Quis nescit paruos fœtus rapuisse ferarum
Tutius? hæc ratio communis, pignora matri
Subtraxisse dolo seruata temporis hora.
Hystrice nil syluis errat nil nascitur vsquam
Quod magis horrendum spinosa est & prope nares.
Sicut echinus & hæc telis armatur acutis.
Vngula secta pedum, nigrescunt lumina, cauda
Exigua est. sonuere feræ currentia spinis
Tergora: qualis vbi sternit sata pinguia grando.
Qualis & armorum strepitus, cum membra nitenti
Indutæ ferro procedunt ordine turmæ,
Corpora quanta lupis, pauloue minora, feraci
Aphrorum regione simul nascuntur, & Indi.
In Venatores spinas iaculatur acutas,
Inque canes qui lustra petunt, sunt tempora partus,
Et veneris stimuli paribus diuisa dierum
Limitibus: numerus prolis, tempusque latendi.
Sed ne membra canum feriantur ab hystrice, fraudes

Inueniunt venatores, & prælia magna
Diuertunt alio à canibus. nam nuda teguntur
Corpora velleribus bibulis: quæ dura morantur
Spicula. tum cassesque parant, ferroque sequuntur
Intensos cornuque sono & clamore fatigant.
Ast alius strictus huic pugnat cominus armis.
Nil adeo natura ferum, nil sedula fecit
Horrendum, quod sit duris mortalibus horror.
Armeniæ tigres tentauimus atque leones,
Æthiopumque Arabumque feros domitare dracones.
Sed nec vtrinque tibi prodest caput amphisbæna
Lethiferum monstrare: virum solertia vicit
Omnia, nil terrent morsus, nil sæua venena.
Dipsada nec tanti facimus; crudelior omni
Cum sit, nonne vltro quæsiuimus aspidis ictum?
Duritie ferrum superauimus, æquora nostris
Mandatis parent. alio turgentia cursum
Flumina diuertunt, vincuntur & obice fluctus.
Quid? non saxosos montes prostrauimus? orbis
Nec satis est totus, cœlum quoque adiuimus ipsum:
Tartara nunc etiam seruant vestigia nostra.
Nil nos exertos dentes curauimus apri,
Præcipitis carpit somnos qui margine rupis,
Ora, pedes, oculos, auresque simillimus atque
Crura, suis cicuris, horrentia tergora setis.
Horridus aspectus, vox horrida. prominet illi
Deus vtrinque potens velocis fulminis instar.
Cum tellus primum vernis se floribus ornat,
Et patefacta silent cessantibus æquora ventis,
In pugnas blandis stimulis agitantur amoris.
Et prius obducunt immundo tergora limo:
Solibus obdurant, limoso tergore plantas
Sæpe fricant, costas ad vulnera sæua parantes.
Arrectis ineunt setis certamina dorso,
Ore cient spumas, ingentem spiritus iram
Significat, flatusque frequens, pulsoque timore
Solus amor Veneris, sola insatiata cupido
Sollicitat mentem stimulus, domat effera corda.
Sunt & qui referant hos primum mense Decembri

Concipere,

Concipere, & furias sentire & vulnera amoris.
Accidit hoc etiam solis syluestribus apris
Quod victore cadit, partibus ni iungitur illi
Fœmina connubiis, plagis lacerata cruentis.
Tales sunt mores dispersis montibus altis
Gentibus, vsque adeo stimulis agitantur amoris,
Quis nisi te dominum vitæ, mortisque fatetur
Magne Amor, & regum, & populorum maxime princeps?
Lumina tu claudis mortalibus, omnia vincis.
Fuluus aper porcæ cicuri coniungitur, inde
Hibrides exsurgunt diuersis patribus ortæ.
Conueniunt nigræ vestes venantibus apros,
Villosæque, feræ referentes corpora forma.
Tempora Lucinæ, numerusque, & tempora partus
Pene eadem suibus. pellunt in rete repertos
Robora magna canum, syluis hominesque sequentes.
Interdum rapuere canes hos morsibus, atque
A dextra læuam tenuere tenaciter aurem
Ecce ruit rigidus quatiens venabula dextra
Venator, tepido captiui sanguine ferrum
Tingit apri, multusque scatet de vulnere sanguis
At si fulmineis tetigit vos dentibus idem,
Impia corda canes luitis pro crimine pœnas.
Inuidus est catulus venanti commodus aprum,
Gnosius, & Locro missus, pariterque Lacænus.
Retia prætendunt alii, saltusque patentes
Inde viris, canibusque feris, hinc rete coronant.
Ecce canis lustris quærens hic suscitat aprum,
Hic ceruum magno latratu in retia cogunt.
Interdum in venatorem fert impetus aprum,
Declinans nitidum parat hic in vulnera ferrum,
Nil timet actus aper furiis venabula, cursum
Ni teneant aurita feræ, venator, aperque
Conciderent, fieretque necis communis vtrique
Copia, si primo fixus non concidit ictu,
Nullaque sit rursus feriendi oblata facultas,
Sed tamen instet aper, stratus tellure iacendo
Venator vitat mortem. timor inuenit artem.
At quos in casses pepulit studiosa sequentum

Turba

Turba canum, ferro cædit qui retia seruat
Retibus implicitos. tot sunt venantibus artes.
Te quoque cerue fugax, syluarumque incola, plantas
Cornibus arboreis qui imitaris, versibus edam.
Namque vbi prædurus maturam rusticus vuam
Colligit, & delapsa iacent in gramine poma,
Quæque sub arboribus ramosis poma parentum,
Poma decus nemorum, syluarum gloria poma;
Frigidus oceani cum primum mergitur vndis
Arcturus: cerui blando capiuntur amore.
Nunc has, nunc illas adeunt, nec fœdera certa
Coniugii retinere valent solisve morari.
Pectoribus tantæ flammæ voluuntur amorum.
Post vbi sub noctem Phœbo propiore micante
Pleiades fugient mortales sidera septem;
Tempus adest ceruis maturos edere partus.
Vnum, sæpe duos pariunt vbi nota viarum
Sint loca, vel facto mortales tramite sæpe
Prætereant; nulla vt syluestris belua cernat.
Infœlix animal ceruus, minus esse rapacem,
Rursus & infœlix, hominem qui credis agresti:
Tertio & infelix turba, catulosque timentes
Quo fugitis? vel cuius opem vesana iuuentus
Imploratis? ea est fiducia digna fauore.
Nec prius ipsa marem pateretur fœmina, quam se
Purgarit seselis noto medicamine, ceruo
Vngula fissa pedum, ramosaque cornua frontis.
Sed tamen Illyricis esse vngula Pæoniisque
Integra narratur pallentes ruminat herbas.
Cætera membra boui, aut paruo propiora iuuencæ.
Longius os isti, sinuosaque crura, leuique
Apta fugæ, cauda exigua est. color ipse colori
Proximus est cineris. facilis captura, stupore
Correptus miratur equum taurumve; sequentes
A tergo venatores non prospicit. arcus,
Oblitusque sui miratur sæpe minantes.
Cornibus armatur trepidandis, illum
Quis tamen aspexit pugnantem? in retia pellit
Turba canum. ceruis maribus sunt cornua solis.

In fluuios saliunt si qua conceditur aut se
Interdum versi pedibus calcare petentes
Quærunt hi catulos; ceruis solertia tanta est.
Hoc faciunt vbi turba frequens conuenit in vnum:
Idcirco venatores pro viribus arcent
A turba retrahentque canes, ferroque nitenti
Diuisos cædunt canibus sternentibus illos.
Indicus est aptus catulus, Locrensis, Ibertus.
Ceruorum quærat vestigia cæca Molossus.
Conueniunt vestes virides quærentibus illos.
Hi causis latuere tribus: quum cornua inermem
Liquerunt delapsa; cadunt namque illa quotannis,
Aut vbi pinguescunt nimium, latuisse feruntur.
Aut vbi post Venerem fodientes naribus arua,
Nigrescunt, hircum & redolent cœlestibus ante
Quam repetant armenta luunt sese imbribus omnes,
Puniceæ gentes illos petiere sagittis.
Ast alius læto ferro pugnauit aperte.
Vulneribus captis nota est medicina: sagitta
Exiliunt, si dictami decerpserit herbam.
Ast vbi decubuere solo, serpentibus atris
Hostibus interdum ceruis pugnare necesse est.
Conueniunt acies Lybicæ (nam plurima campis
Nascitur his serpens) aures hæ, tergora cerui
Inuadunt aliæ, grauiter gemit. Ille dolore.
Nunc hunc, nunc illum currens sub dentibus hostem,
In geminas scindit partes; domat vnguentibus illum.
Ast vbi peruenit currentia flumina cursu,
Fœmina cancrorum studiose carcinas ipsi
Quæritur: illorum sola hæc medicina laborum.
Cum tranant fluuios, imponit clunibus alter
Alterius caput, & fesso succedit eorum
Qui prior fuerit natu, atque ætate priori.
Dicuntur cerui viginti viuere lustra.
Non tamen & partus breue tempus, & incrementum
Quod fertur sobolis paruæ, sic arguit esse.
Nam crescunt tarde viuentia tempora multa;
Quod solidis constant, & densis partibus illa.
Hinc quoque dura magis rapido nec peruia Soli.

Frigoribus facile non hæc penetrantur acerbis.
Est prope currentis Colchorum Phasidis vndam
Non huic absimilis, si desit barba nigella,
Tragelaphus speciem quod cerui præstat, & hirci,
Nomen habet: villis nigrescunt mollibus armi.
Cætera per simili caute venaberis arte:
Non tamen expectes vt te miretur, & arcum.
Non ita corripiunt istum miracula rerum.
Pandite Orestiades capreas in montibus altis
Errantes, trinumq; genus, prolemq; triformem:
Sunt capreæ, rupicapreæ, sunt ibices acres.
Igneus est ollis color, atq; ingentia frontis
Cornua sunt, vngues fissæ. sunt cætera quales
Quæ sub custode arrepunt virgulta capellæ.
Cursibus ast habiles aspectu dixeris istas
Esse magis. grato pinguntur membra colore.
Et magis in pugnam sunt fortes cornibus istæ
Dorcades, atq; vna viuunt, stabulatur & vna.
Insidiis capreæ celeres, atq; arte petuntur.
Nam quis eas cursu sequeretur? rupibus illas
Præcipites veluti saxis pendere videbis.
Adde quod est mirum, saliunt in cornua rupem
Montis in oppositam, tormento vt spicula pulsa.
Quod si præcipites, ceciderunt vallis in ima,
Et spacii desint saltu sua robora neruis,
Nil patiuntur. eæ catulos se pone sequentes
Præcipites traxere, canes venator ab illis
Idcirco retrahit, quæritq; has vincere fraude
Quo non protrahitur pellis robusta leonis,
Est vulpis iungenda: facit solertia vires.
Post frutices cautus venator delitet, illas
Errantes petiit celeris munimine pennæ.
Aut leuiter syluis errans has seruat, & inter
Pascendum celeri iaculo percussit. at illæ
Currentes syluis tellurem sanguine signant.
Postera cum Phœbo stellas oriente fugauit
Aurora, ingreditur syluas venator, iterq;
Sanguine signatum spectat, capreasq; requirit:
Inuenit inde procul gelida tellure iacentes.

Nec

Nec tamen his nullum naturæ munere donum
Concessum quo facta leuent, medicamina quærunt
Vulneris illati dictamum nobile gramen.
Has si quis canibus sociis in montibus altis
Insequitur cursu, mox rupibus arceat illuc
Vertentes. ducibus victoria prima putatur
Præripuisse locos aptos qui dorcada cursu
Insequitur, caueat studio deserta sequentum
Protinus euoluat ne magnas pectore fraudes.
Temporibus pluuiis illam vesica fatigat
Plena, rapit vires currenti. Temporis horam
Nacta breuem dorcas fit, cursibus aptior atq;
Continuo reparat vires, nec vincitur inde
Caprarum numerus partus. & tempora vitæ,
Lucinæ, Venerisq; dies sunt omnibus istis.
Alpibus hæc currunt altis. syluisq; niuosis.
Quid loquar Ægastros dispersos montibus altis,
Aut ouium syluestre genus? natura benigna
Plurima quæ terras habitant animalia, & herbas,
Syluestri rursus reparauit sedula prole.
Hinc suibus confertur aper. quis nescit non agrum,
Cui conferre decet? bobusq; simillimus Vrus,
Menthastro menthe similes, oleaster oliuæ,
Mandragoræq; viris, sirenumq; humida proles
Atq; hominum syluestre genus spectatur in vndis
Scorpius, in terris, est rursus scorpius herba.
Sectatur mira Ægaster pietate parentes:
Sectantur pietate senes quod pignora primum
Hisce ferunt epulas, & summis flumina labris,
Atq; cutem lingunt senibus, patresq; decorant.
Quod si pulsa canum vi est lapsa in retia mater,
Continuo natos capies. non funeris ipsi
Non cædis tanta cura est, quam pignora matri,
Et nati venatores, mortisve pericla
Non horrent tantum quantum sine cædere matre.
Capreolis ceruicolor est aspectus, & ora.
Nec facile à Ceruo primum noscuntur inermi.
Os tamen est ceruis oblongius & magis illi
Crescunt, nec tantum capiunt miracula rerum.

Non sic ad dominos fugiunt, nec tempora vitæ
Clauduntur paribus spaciis numerosior istis
Est soboles quæ plura ferunt, breuiore fluentis
Limite clauduntur vitæ numerosa negatur
Cui proles, multis huic vita rependitur annis.
In Lunam venatores his retia tendunt,
Aut quæ forma loci magis est his apta parari.
A tergo clamore canes hominesq; sequuntur
In casses. si rete videt, mox transilit illud
Capreolus. venatores hoc rete iubemus
Tendere sublime: hoc & custodire sagaces.
Præterea multum refert, quum cœperis, ipso
Ne in cursu cesses, & præstes tempora fraudi.
Est mora consiliis aptissima, perfice tandem
Continuo consulta: facit solertia vires
Euryceros ceruos imitatur corpore toto:
Sed tamen erumpunt armata cornua frontis
Altius huic. reliquis sunt cornua dura rotunda
Gentibus in syluis sparsis, & montibus altis:
Ast huic lata tamen tribuerunt cornua nomen.
Æthiopum terris pariter nascuntur, & Indis.
Hæc Venerem vernis repetunt armenta diebus:
Non altæ syluæ, vel latæ fluminis vndæ,
Præcipites rupes tardant, vallesque profundæ.
Non nemus vmbrosum, vel ramis arbor opacis
Hos celare valent: magno excutiuntur amore.
Post vbi cum Phœbus nocturnas dispulit vmbras,
Nascitur Idæum signum, Lucina tenellos
Expectat catulos in strati graminis herbam.
Nunc duo, nunc & tres partu nascuntur eodem:
Hæc sociis canibus quærunt animalia, & alto
In casses strepitu cogunt hominesque canesque.
Sunt & qui ferro pugnent, & cominus armis
Fortiter audaci committant pectore pugnam.
Surripiunt alii catulos, quæ captio cunctis
Communis, veluti pullos rapuisse volucri.
Nec te prætereo vulpes villosa, feroxque,
Subdola, sæua, rapax, inuentrix mille dolorum.
Corpore quot pili, totidem sunt pectore fraudes.

Nec color est idem villorum: summa rubescunt,
Ima nigrent, venter niueus sese illa colore
Tam vario pandit, nulla deluditur arte.
Incertus color est oculis: vestigia cauda
Verrit quam corpus poscat maiore: domosq;
Defossas habitat, neu sint penetralia furi,
Neue feris canibus, vel agresti peruia genti.
Quin etiam venatorum fallantur vt arte
Insidiæ, & certa porta haud capiantur, earum
Sunt totidem portæ quod diuitis ostia Nili
Nec cum vulpe canis bellum sine sanguine sumit.
Tam variæ fraudes sunt, tantæ in corpore vires.
Præuidet insidias, & soluit retia morsu.
Hoc mox in casses lapsam vel cædere ferro
Conuenit, aut subito fugiet mora rebus abesto.
Vix homines multi, catuliq; in retia cogunt.
Nunc huc, nunc illuc fugitans ambage sequentes
Decipit, & catulis currentibus illa recedit:
Vincitur his tandem vi, quos deceperat arte.
Cum viridis studium patefecit terra coloni,
Et violæq; ebulumq; virent, cœloq; sereno
Hybernam Zephyrus glaciem cum frigore pellit,
Continuo vulpes flammis capiuntur amoris.
Nil valet ars, Veneris nulla vitate sagittas
Fraude valet. Æstus cum primum pomifer annus
Dispulit & grauidæ liuent in collibus vuæ,
Expectat partus facilis Lucina. sed vrsi
More parit catulos informes quatuor, illos
Lambendo trahit in formam. latet abdita prægnans.
Nunc age qua fraude miseras, quaq; arte volucres
Decipiat, referam. Boreas cum frigidus arua
Inuadit, spoliatq; nemus, syluasq; virentes
Frondbius, & cunctis desunt sua pabula sueta
Syluicolis: prostrata iacet tellure supina.
Defunctam credunt volucres: huic plurima turba
Aeriæ gentis properant, quibus illa dolose
Implumes rapuit natos, lacerare paratæ.
Omnibus est vlciscendi sua damna cupido,
Sed nimium faciles, & credula turba volucres,

Fraus ignota quibus vulpis non vllla putandum
Facta carere dolis capiendi vt visa facultas.
Arripit improuisa auidamq; recondit in aluum.
Quod superest saturæ, defossum condidit illud
Mox repetit, ieiuna fames cum dura coegit.

# NATALIS COMITIS DE VENATIONE, LIBER QVARTVS.

QVAM varium genus alma tulit natura animantum,
Tam varium posuit fugiendi pectore mortem
Consilium: concessa feris sunt omnibus arma.
Hinc timidus leuitate lepus, hinc vnguibus vrsi,
Robore dentis aper, præduris cornibus vri
Armantur, pelluntq; suis pro viribus hostem.
Quis te magna parens rerum natura creatrix
Comprendat? superas humanum callida sensum
Ingenii sine fine, tua est prudentia nullo
Limite clausa patet multo quæsita labore
Vix quota pars rerum nam cur magnete propinquum
Attrahitur ferrum? ne dicam singula, nil est
Simpliciter notum cum tellus gerstet, at vnda
Cur magis ima petit leuior? grauiore petente
Ima magis tellus immergi debuit vndis:
Nunc tamen è terra tumidum decurrit in æquor
Flumen, & Oceani clauduntur littore fluctus.
Adde quod & mundi miracula tanta tulisti,
Tam varium spectatur opus, satis esse putandum
Vt sit mirari, vel insania reddere causas.
Multa tamen loquimur capti dulcedine facti

Diuæ

Diua tui, Bromio veluti cui corda calescunt,
De primis rerum causis iam disserit: illum
Plena docent cratera Deos, & sidera mundi,
Somnia sunt hominum sapientia, fictaq; monstra,
Hinc quod Pytagoras sapientia nomina primus
Spreuerit, & se scire nihil quod dixerit alter.
Quis genus innumerum lapidum in quis gramina nouit
Omnia? quis plantas? vel quæ voluuntur in imo
Monstra freto, quis quot volucres nascuntur vbique?
Quæ mare, quæ terras, nemora aut vmbrosa vagantur?
Sed rursus luci sacri, syluæq; virentes,
Ad diuas vertor gaudentes cæde ferarum.
Terga notis variis Indo signantur iorco,
Et qualis pardus maculis signatur amœnis:
Corpore prægrandis, ceruoq; similimus alto.
Vere coit. geminosq; parit. venantur iorcos
Qua ceruos ratione, canes in retia cogunt.
Tempora sunt vitæ spacio conclusa minori.
Nec simul hos armant ramosæ cornua frontis:
Cornua sunt quamuis hostes depellere prompta
Non adeo mirantur, eos venator vt a reum
Mirantes feriat rapidæ mox cuspide pennæ.
Nunc age quæ species, Veneris sit quanta cupido,
Quis color, & quo se defendunt robore pardi,
Carmen erit nobis, carmen concedite musæ.
Tu nemorum tu diua faue cui retia curæ
Quæq; cothurnata incedis succincta pharetra,
Virginibus Tyriis, nunc & comitata Lacænis.
Est pardi Libyci duplex genus: hoc minus, illud
Grandius, ambobusq; pares in corpore vires:
Cauda minor magnis, at paruis grandior: vno
Noscuntur signo. flammas imitata micantes
Lumina sub ciliis fulgent lampyridis instar:
At subter pallent. armantur robore dentis,
Vnguibus & rapidis. cum toto corpore crura
Conueniunt, sunt terga notis signata, colorq;
Cæruleum nigrumq; inter color ocyus aura
Currit & est fortis dura in certamina Martis:
Iamq; vbi nauigiis fœlicior incidit aura,

Labitur & glacies, Zephirique tepore solutus
Monte fluit riuus vitrea pellucidus vnda,
Conueniunt pardi, Venerisque cupidine capti
Pectore concipiunt flammas: furor omnibus idem.
Mox vbi Libra diem paribus diuiserit horis,
Et noct em, vel clara freto Cretæa Corona
Sidera consurgent, campis autumnus apricis
Cum ponit folia à primis exusta pruinis,
Expectat partus facilis Lucina recentes.
Sunt herbæ virides prostrata cubilia partu:
Sunt nemorum secreta domus, thalamique superbi.
Nulla obstetricis merces mæotra parantur.
Talia nubigregi sunt natæ fœdera patris.
Enixæ cibus est simplex, & qui fuit ante.
Sunt haustæ potus vndæ de flumine viuo.
Delicias odere feræ. simul æquore vectas
Littore ab Eoo merces, & Solis ab ortu.
Ipsa suo nutrit quos edidit vbere mater:
Nullaque nutrices expectant præmia lactis.
Non hæ sunt merces in syluis, nulla ferarum
Quæsiuit precio dulces contemnere natos.
Nulla adeo feritate suos armatur, & ira
Oderit vt catulos nascuntur quatuor vna:
Interdum geminos catulos dat fœmina, vel tres.
Quæ nunc in syluis syerrat, quæ montibus altis
Pardalis & denso vestitur tergora villo,
Vitisatoris erat nutrix: huic præbuit Ino
Vbera formidans magnam Iouis altitonantis
Vxorem pariterque timens hæc Penthea regem,
Penthee Echionum, qui patris sacra profanus
Orgia spreuit, & hinc soluit pro crimine pœnas.
Hunc hederæ texit ramis, hunc texit Agaue,
Autonoeque soror, simulantes mystica circum
Cymbala pulsantes, & tympana multa sonore
Vagitus texere nurus infantis, & arcam
Aoniæ magna matres cinxere corona,
Inque manus tradunt aliis dimittere campis.
Protinus Aonii rapidis spumantia ventris
Ad maris vndisoni venerunt littora matres,

Hic

Hic repetere ſenem cui victus littora circum,
Qui quondam tremula captabat arundine piſces.
Sed tamen ex longo piſcatus tempore lintrem
Emerat, hoc vnum longis quæſiuerat annis,
Et laceros caſſes, quos tunc ſarcire madentes
Cœperat: at reliqua in natorum abſumpſerat vſum.
Hunc matres orare ſenem traducere cunctæ.
Ille lubens (veneratus enim quæ credidit eſſe
Sacra Deum) conto ſubigit de littore cymbam
Oppoſitis cupiens, matres has reddere terris.
Cum medii nauis ſulcaret tergora ponti,
Atque ab vtroque pari diſtarent littore tractu,
Serpere cœperunt hederæ tabulata virentes:
Et ſmilax, apiumque comes frondeſcere adultis.
Sic fertur, ſtupuit miraclis nauita tantis.
Diriguere comæ, concuſſit protinus ingens
Membra tremor, liquit faciem formidine ſanguis
Puppis ad Euboicas currens allabitur oras:
Fertur Ariſtæus hic antrum coluiſſe virorum,
Qui genus indocile, & viuentum more ferarum
Glandibus, & baccis pomis ſylueſtribus & quæ
Sylua tulit cultu nullius iuſſa coloni,
Edocuit primus teneras armenta per herbas
Paſcere & è quercu fumis pellentibus actas
Claudere apes vacuo ſub cortice, primus oliuum
Exprimere ex oleæ fructu, lac cogier idem.
Nutriit hic Bacchum miro deuinctus amore,
Euboicas inter nymphas, Dryadaſque puellas,
Aoniaſque nurus multos fœliciter annos.
Has inter ferulam ludendo forte cecidit,
Et ferro lapides ictu percuſſit eodem,
Exiluit vini dulcis de vulnere riuus.
Hinc lacerauit ouis fruſtatim viſcera tabo
Inficiente ſolum, canis albentia ſetis.
Membraque iecit humi, rurſus (mirabile dictu)
Diuiſæ pecudis coierunt membra repente,
Et virides herbas deſcripſit pabula nota.
Iam vaga per vaſtas penetrarat plurima terras
Fama Dei qui multa viris monſtrabat, & vrbes

Lustrando virtute sua compleuerat orbem.
Denique Thebarum populos peruenit, & omnes
Occurrunt matres Cadmeides, impius vnus
Iuuentus Pentheus: captus formidine patris
Imperat hic sociis hunc arctis nectere vinclis.
Inuasere Deum multi, multique sequentes
Percutiunt saxis matres, rapiuntque coronas
Compositas hederæ ramis, & cuncta profanant,
Tum pater immanem te fecit Penthea taurum.
Pardalis in speciem matres, mutauit, & illas
Vnguibus horrendis & dentibus armat acutis.
Discerpsere feræ taurum, regemque profanum,
Esse Dei quoniam sic illis visa voluntas.
Nunc etiam Bacchi lætantur munere vino.
Et procul arboribus densis, antroue rubentem
Venantes fontem fingunt. & flumina vino
Inficiunt veteri: potant cum fulmine somnum
Pardi, nec procul hinc in strato gramine molli
Decumbunt funes, & vincla tenacia nectunt
Venantes facilemque parant his pocula prædam:
Bacche ferox hominum domitor, domitorque ferarum,
Nec solum Tanaim gentemque binominis Istri,
Bistoniosque sinus, Eoæ & littora terræ
Vicisti, atque Arabas syluarum thure superbos:
Tu pandis secreta: patent tibi cuncta animosque
Attrahis illecebris, homines dulcedine torques.
Tu grauis interpres linguarum, auiumque peritus.
Tu pacem, tu bella geris, cratere rubenti
Tu domitas Lapithas per te Iouis alti tonantis
De manibus concussa cadunt fera fulmina frustra.
Sermones hominum claudis, litesque Deorum.
Venandi est eadem ratio pardum, atque leonem.
Fossa minor pardis. hoc suspendere columnæ
Venantes catulum: stat quernea fixa columna.
Si quis forte lupos fouea venabitur, anser
Aptus erit: sapiunt vni non cuncta palato.
Queis gaudent epulis animalia cuncta trahuntur:
Et tigris fouea capitur delapsa repente.
Desertis Lybiæ gentes nascuntur in oris,

Quæ

Quæ maculis atris signantur tergora: pardo
Iuncta leæna tulit referunt matremque patremque.
Nec simplex species, retinent hinc nomina mista.
Venandi est eadem ratio quæ patribus ipsis.
Æthiopum terris speciem monstrare cameli,
Et pardi, cernes animalia mista: cameli
Hinc nomen commune tenent, & pardalis acris.
Forma, genusque feris tribuerunt nomina multis
Diuersis, sed leucrocutæ quia multa sequuntur,
Nullius certe illorum sunt nomen adeptæ.
Quid loquar Assyrii Libani, aut spumantis Orontis
Syluestres acies? quid gentes versibus Aphras?
Est variis panthera notis signata, colorque
Est fuscus, variis maculis sunt tergora picta.
Quod si non alium monstrarent terga colorem,
Pardus erat panthera, color distinxit vtrumque
Quatuor in medio tumuerunt vbera ventre.
Concipiunt totidem catulos sub tempora brumæ.
Vbera bina dedit prudens natura animantum
Soliparis illa & diuersa in parte locauit.
Inter crura iacent capris, & pectore summo
Dependent homini, melius sic esse putauit.
Viuere tot possunt, partuque feruntur eodem,
Quatuor inde quibus sunt vbera, quatuor edunt,
Aut peperisse valent: quibus vbera plurima longo
Sunt sub ventre, ferunt plures & fœtibus æquant
Mammarum numerum, ne quid sit, inane paratum,
Protulit & pueros vno tres fœmina partu,
Sed tribus immanes secuerunt stamina Parcæ,
Altera tres peperit pueros, atque insuper vnum:
Quatuor his sed mox secuerunt fila sorores.
Viuunt qui gemini partu nascuntur eodem.
Quod superest, catuli pellunt in retia, magnis
Hic homines atque inde canes clamoribus vrgent.
Venantur pariter fossis, & fraudibus istas.
Hoc tamen admonitos venantes esse iubemus,
Singula ne referam duri certamina Martis,
Quæ cornu, quæ dente feræ, quæ armantur & vngue:
Sæpe ruunt contra venantem fortiter hostem

Omnibus est ratio communis sternere ferro
Lata per arua feras, & decertare vicissim.
Nascitur Æthiopum campis, vbi terra colonos
Vsta refert nigros, animal: cui linea tergus
Plurima distinxit varium, nigrantibus albæ
Sunt mistæ iuuenum maculæ: senioribus atrum
Est tergus, vario pinguntur colla colore.
Omnibus est villus longus, est plurima cauda.
Ore refert vulpem, sunt paruæ protinus aures.
Longius est equo collum, caput est breue, plantæ
In quinas dissecta notas est vngula, pars est
Postera sublimis, depressi corporis armi.
Non bene compositum corpus, nec membra videntur,
Apta fugæ. cattum referunt sed cætera tempus
Lucinæ, Venerisque dies, tempusque ferendi
Est ambobus idem, sunt vulpis corpora quanta.
Æthiopum cattis feritas est mira, tenellos
Namque vorant catulos ambo, materque paterque.
Idcirco rapiunt hos matris ab vbere matri
Supponunt alii, sæpe vbera fœmina præbet
Æthiopum natura dedit pro corpore tantam
Sæuitiem, morem corpus, formæque sequuntur.
Hanc laquei cepere feram, pedicæque tenaces.
In casses alii cogunt, qui retia seruant,
Continuo implicuere feram. se dentibus illa
Defendit, pellitque suis pro viribus hostem.
Est locus & cauda, & villis huic obsitus albis,
Podicis inferiorque loco, quo parcius alba
Excrementa fluunt redolentia cepimus illa
Inter delicias: hominum dementia tanta est.
Nec te prætereo Phrygiæ gens incola terræ
Quæque Lycaoniis erras in montibus, & quæ
Degeneras asinis proles syluestris onagri.
Corporis aspectus iucundus, lumina clara,
Longa auris, velox: color est argenteus illi.
Nigra tamen summo percurrit linea tergo.
Cingitur hæc circum niueis vtrinque coronis.
Huic breuis corpus, firmissimaque vngula, multis
Coniugibus gaudens vnus præcedit onagrum,

Et

Et duo nunc peperit, nunc fœmina protulit vnum.
Vxorum sepone mares in pascua ducunt
Armenta, & syluis pascuntur, montis opaci
Culmine cum viridis iecerunt pabuli amorem,
Ad liquidos fontes ducunt, vel flumina turmas.
Protinus antra petunt ducente armenta marito,
Lumina paulatim, cum somnus repit & ipsa
Pignoribus paruis præbetur cura parente.
Prætereunt sex lustra. Deum tot tempora vitæ
Munere sunt concessa. canes in retia cogunt.
Venandi ratio simplex syluestris onagri.
Proiicit in faciem lapides hominumque canumque
Sectantum pedibus postremis belua currens.
Præbuit ingenii tantum natura, pericla
Ingenio vt superent cauto quibus arma negantur.
Sunt qui prætendant laqueos vbi stricta viarum
Sint loca, vel pedicas multis syluestribus. illis
Errant tum syluis armenta repente tenentur.
Mirantur, nullumque vident, vincloque tenaci
Occumbunt, sese cupientia soluere, mortem,
Colla quibus retinentur. ea falluntur & arte.
Teque veneniferæ referam mus incola Ponti,
Vulpe minor, villisque nigris, acieque nigranti
Luminis: & terram despectas sæpius: ipsa
Sub tellure lates fugiens mala frigora brumæ
Vere vbi frondescunt syluæ, tellusque virescit,
Et Boream frigusque tepens iam dispulit aura,
Concipiunt mures villoso in pectore flammas.
Tres pariunt fœtus, aut quatuor, astra leonis
Cum pelago tolluntur, equis & Phœbus anhelis
Deserere incepit torrentia sidera mundum.
Retibus implicitos capiunt, laqueisve vagantes.
Illorum nil arma timet venator, & ipsi
Securi catuli latratu in retia pellunt.
Huic etiam muri proprium, quod ruminat herbas
Stratus humi, veluti vaccæ, ceruique fugaces.
Est prope Gangaridas extremæ littora terræ
Indorum regione ferax locus; vber & arui
Mirandum. bis terra ferax, bis poma quotannis

Aurea sub plantis sternuntur, bis sata messor.
Colligit, & liuent in apricis collibus vuæ.
Huc dulces auræ aspirant, hic plurima cœli
Temperies, hinc æstus abest, solesque maligni:
Nec rapidis flammis exurit Sirius agros.
Nec desunt liquidi fontes, nec fluctus aquarum.
Nascitur hic animal nigranti tergore, quantus
Est ceruus, solipesque, ferox & forma iuuencum
Ipsa refert, ceruumque caput fortissima cornu
Armatur frons nigranti, quo territat hostem.
Sæpe veneniferæ veniunt ad flumina gentes,
Inficiuntque vadum tabo tetrisque venenis.
Attingit fluuium, veniens hæc belua cornu,
Quo virus fugit, & fluctus purgantur aquarum,
Hinc quoque syluicolis reliquis est purior vnda,
Virginis amplexum cupiit fera belua (nam sic
Fama refert) somnumque capit, placidamque quietem,
Virginis in gremio optatæ somnoque solutæ
Funibus inuenit sese, vinclisque ligatam.
Seu natura dedit secreti semina amoris
Virginis atque feræ est atrox innata cupido:
Siue alia est ratio, tamen hac adducitur arte.
Nec mirum: mulieris amor te simius ingens
Sollicitat quando, dominæque calescis amore.
Prætendunt alii laqueos, & retia pellunt
Ingenti clamore negant gens plurima viuam
Posse capi: solum tribuit cui nomina cornu.
Cur Getulus oryx cornu cum monstret acutum
Vnum diuersum nomen sortitus ab illo est?
Corpora sunt niueo, vernique infecta colore
Lactis, vtrinque genæ nigrent: sunt pinguia dorso
Tergora, sublimi nigrescit cuspide acutum
Cornu, præduro penetrat quod robore cuncta.
Quantaque capreolis orygi sunt corpora, planta
In binas dissecta notas in cursibus acer.
In caput huic vni villorum vertitur ordo.
Non ille horrendis vrsis, non ille leonum
Terretur furiis si quando in prælia ventum est,
Expectat cornu furias in vulnera prono.

Non huic occurret venator corpore sicco.
Idcirco admonitos venantes esse iubemus,
Vincere vel certam cedendo occumbere mortem,
Hisce necesse feris non mulcent dulcia verba
Syluestres animos nullusque admittitur illis
Orator, laxis furiæque vagantur habenis.
Vt grais Æolio cum ventus prosilit antro
Totus in arua ruens, & syluas sternit opacas,
Flaminibus rapidis immensus murmurat æther.
Tum neque veliuolæ puppes, neque nubila cœli
Contra stare valent, conuoluens omnia secum
Viribus Hippotadæ nullis frænatur, & illum
Non tenet imperium regis, nil audit, at vnus
Est cordi fragor, & strages, & murmur, & ira.
Concipiunt Veneris flammas, quo tempore primum
Arboreis late sternuntur frondibus arua.
Hinc vnum pariunt catulum, cum septimus exit
A coitu mensis. dicuntur viuere lustra
Octo. canesque hominesque vrgent in retia tensa,
Prælia vel sumpsit campo venator aperto,
Indutus ferro nitido spoliisque superbis.
At binis lustris clauduntur tempora vitæ,
Qui capræ villo est, campisque vagatur Iberis,
Musmoni, & auerso decerpit gramina Sole.
Quot capræ, totidemque parit. venatio duplex:
Aut balista necem fert, aut in rete canum vis
Impellit, magnisque viri clamoribus vrgent.
Hic prope Riphæos montes, vbi sidera nunquam
Merguntur, furias quia mobilis Amphitrites
Formidant, sex sunt noctes, sex tempora lucis
Perpetuos menses. ceperunt esse tenebræ
Cum redit à Libra non recto tramite Phœbus,
Donec ad æquantem redeat Sol tempore veris
Circlum: tunc illis cœpit lucescere primum,
Dum redit in Libram quæ ducit tempora noctis.
Nascitur hic animal mira virtute, virentem,
Et nunc in niueum mutauit terga colorem,
Atque trahit quemcunque cupit sic decipit ipsos
Venantum visus, & qualis in æquore fertur

Polypus, aut piscatorem cum sepia vitat:
Talis & ipsius varii natura tarandi est
Corpora quanta bouis, ramosæque cornua frontis.
Vrsorum villus, paulove oblongior vnguis
In geminas dissecta notas in retia cogunt
Venantes, alius ferro decertat acuto.
Sollicitant Veneris flammæ quo tempore primum
Pleiades liquidis oriuntur fluctibus, at cum
Nonus præteriit mensis, sunt tempora partus.
Quot vaccæ, totidem pariter pariuntque feruntque.
Est penes Indorum montes virtute Lycaon
Hic simili sunt quanta lupis huic corpora: sed si
Labantur ceruice iubæ, teneatque colorem
Natiuum, lupus acer erit hunc pone sequentes
Corripiunt catuli morsu ferit ille vicissim.
Rhinoceros Solis Indorum nascitur agris.
Credere si libeat famæ, mas dicitur esse
Hæc species tota & paulum flauentia terga
Purpureis signata notis, insurgit acutum
Nare super cornu, quo marmora scinderet, atque æs.
Non oryge est adeo maiori corpore, quamuis
Horrida non vitet grandis certamina barri.
In geminas dissecta notas est vngula plantæ.
Et binos catulos edit, quo tempore frondes
Pallescunt glacialis hyems quas læsit amoris
Corripitur flammis, quum finit Aquarius annum.
Retibus implicitus ferro obtruncatur acuto:
Inde canes atque inde viri clamoribus vrgent.
Nulla adeo truculenta fera est: nil saltibus errat,
Intrepido insuetas hominum quod pectore voces
Audiat, aut illis immensi conditor orbis
Semina diuinæ vocis dedit, vndique syluis
Quo fugere feræ, syluestrisque agmina gentis:
Seu magis horrendum cunctis animalibus vnus
Est homo, sæuitiem tantamque ostendit imago:
Seu potius coram regem spectare verentur.
Omnibus hic vnus dominatur, & omnia vincit.
Omnia diffugiunt sæuam pro robore mortem.
Hinc cute sublata plagas à corpore taxus

Arces,

Arcet, & in fossas gaudet penetrare cauernas.
Corporis est species felis, cineriq; propinqua.
Nec maior vulpe est, diuisaque planta, gemellos
Fœmina sæpe parit, nunc tres, cum pomifer annus
Venit, & Autumnus pallentes frigore frondes,
Decutit arboribus nudantur brachia longis.
Trux animal pedicis capitur laqueoq; tenaci:
Atq; canis rapidi laceratur morsibus. illi
Si canis occurrat Solis, certamine victus
Sanguinolentus abit detrectans prælia dura.
Nec te Pæonius catulus, Phrygiusve bona si
Impune insequitur. quamuis sint cornua in orbem
Inter se reflexa. feræq; incommoda pugnæ.
Corporis est species tauros imitata bonasi:
Demissæ per colla iubæ, flauis color illis,
Atq; tenus pendent oculorum flaua bonasi
Corporis est species. venantes vincere cursu
Quærit, & hæc vna trepidans sibi consulit arte.
Ast alia est ratio catulos, sepone sequentes,
Fallendi: exurit villos his stercore iacto.
Sæpe etiam venatores decipit arte.
Stercore quod tactum est comburitur, id velut ignis
Cuncta vorat, talis sed vis est nulla quiete
Hinc homines, atq; inde canes in rete bonasum
Compellunt similis ingenti cætera tauro.
Hic vbi Sauromatis clarus conuoluitur anguis
Fluminis in morem, & binas amplectitur Arctos,
In syluis syluestre spectatur equorum.
Æthiopes referunt exertis dentibus illos
Armari: Æthiopum pariter nascuntur in agris:
Vngula fissa pedum ceruoq; simillima: fuscus
Est color: egregieque pedum sectatur odores
Naribus. hi iunguntur equi quo tempore primum
Exoritur cœleste caput super æquora Tauri.
Tum pariunt, quum clara freto se stella Leonis
Celat & Oceano primum demergitur alto.
Gentibus his durus venator pugnat acuto
Nunc ferro, & victos latis obtruncat in aruis,
Nunc capit insidiis, est tutior hæc via fraudis.

Dum licet insidiis, stultum est decernere ferro
Venator catulos hippagri hac decipit arte.
Nam leporem tellure trahit syluestris ab antro
Matris, odoratis ducens vestigia signis:
Cum satis erratum est, fossa tellure recondit.
Tum leporis magno catuli ducuntur odore:
Atq; omnes errare vias, & quærere caute
Fert animus, studium præceps, & tota voluntas,
Per syluas & per virgulta virentia quærunt.
Deniq; cum leporem fossum tellure sub ima
Norunt, hic prædam cupientes vsq; morantur,
Nec facile hinc pelles: & pulsi sæpe recurrunt.
Quærentes prædam portantur & illos
Venator capit atq; domum redit acer onustus.
At non huic simili capiuntur fraude bisontes,
Quæ regione Getæ nascuntur. in arbore viuum
Suspendunt catulum, latratibus ille bisontem
Aduocat: accurrit ad voces protinus ille,
Hunc balista petit, ferro hic decertat acuto.
Vulneribus multis fossus cadit arboris altæ
Sub ramis, & amore cibi discedere tardus
Emoritur. veluti pantheras pardalianches,
Humanum stercus cupientes, enecat ardor.
Sunt & qui cogant in retia tensa sequentes.
Forma refert ceruum: medio sed frontis acutum
Ostendit cornu, longis nigrantia setis
Dependent per colla iubę. Cum terra calores
Perpetitur Solis, domino capiuntur Amore.
Tum pariunt, resoluta fluit quum montibus altis
In vallem glacies, extremis cana pruinis
Sed tamen est tellus. primæ violæq; rubescunt.
Sed neq; prætereo te fluminis accola vasti,
Quod septem portis tumidum prorumpit in æquor.
Ichneumon. villus niger est, & plurima cauda:
Corpora parua dolusq; ingens in corpore paruo.
Insidiis crocodile suis cadis, impia fata
Huic pedicæ, laqueiq; ferunt cassesq;, canesq;.
Fert cunctis cædem iaculum, si corpora ferrum
Opportuna petat, certamq; ferentia mortem.

Nec

Nec procul hinc chaus quem dicunt nomine, signis
Pardorum, cui forma lupi, squallentibus agris
Errat, & huic pene est mens & natura luporum,
Pro regione tamen blando capiuntur amore,
Temperieq; loci, vernis armenta diebus,
Hic vbi temperies cœli, ventusque benignus,
Partibus æstiuis cum primum mitior annus
Efficitur flatusq; tepens aspirat, & auræ.
Ast vbi vix glacies tardo resoluta calore
Æstatis rapidæ delapsa est vallibus imis,
Tardius hic Veneris capiunt animalia flammæ.
Quid loquar aut damas timidos, aut carmine lynces
Æthiopum? gemina est species quæ grandior ipsos
Sectatur ceruos, orygesq;: at præda minori
Sunt lepores timidi color est huis corporis ater,
Et variis maculosa notis sunt tergora picta.
Est caput exiguum flammantia lumina torquet:
Vt dicas hominem talem sumpsisse figuram.
Maiori croceæ maculæ, rutilæq; minori.
Cum profugæ redeunt volucres regionibus illis,
Et fugiunt hyberna procul quum nubila cœli,
Tum male desertis Libyes erratur in aruis
Dum rabies fera corda domat, dum vulnera amoris
Membra lupum sæuum referunt, animusq; leonem.
Venandi ratio partus, & tempora vitæ
Vix differre lupis creduntur territa dama
Corripitur catulis per rura sequentibus: illam
Vel pauor in casses pellit. sunt corpora quanta
Virgulta, & montis carpentis summa capellæ.
Venandi est eadem ratio. diuersa caprarum est
Syluicolum species: hæc torto nomina cornu
Sumpsit; at hæc lato, pygargus clunibus albis.
Versibus haud nostris indictus Pontice castor
Aufugies, rapido morsu genitalia quamuis
Membra seces, totum redimasq; à funere corpus,
Parte data sedes cursum, furiasq; sequentem.
Corpora quanta canis sunt castoris armaq; dentes.
Cauda refert piscem quæ gaudet fluminis vnda.
Horrendus cuius morsus secat omnia fuscus

Est color, & pars est totius plurima venter.
Hunc homines clamore cient, cursuq; sequuntur:
Hunc capiunt laqueis tensis piscosa secundum
Flumina cum primo pallescunt frigore frondes,
Cernuntur catuli: cum clari tollitur vndis
Delphini signum, Veneris capiuntur amore.
Cætera tu simili caute venaberis arte.
Nam neq; cuncta meo comprendi carmine possunt,
Quæ syluis densis, quæ late montibus errant
Frondosis, nec nota suis regionibus vlla.
Tam variæ formæ, diuersaq; corpora passim
Nascuntur, tam multa refert in luminis auras
Tellus, vsq; nouum campis nascatur vt Aphris,
Ne dicam toto quod semper nascitur orbe.
Venantem sequitur maior sudore voluptas,
Deliciæq; virum. natura discere cuncti
Optamus, semperq; noui quid discimus ex his.
Adde quod & validum longa assuetudine corpus
Concipit ingentes vires, fit visus acutus,
Auditusq; celer. sic corpora sana parantur.
Militiæ propior venatio, iussa facessit
Venator caute, seruatoq; ordine perstat
Militiæ, non ille timet, sed fortiter hostem
Expectat strictis armis, syluasq; per altas
Cedentes acies sequitur, quoq; cedere doctus:
Nouit & accessus hostis dormire peritus
Res vtcunq; tulit magni credenda futuri
Signa ducis mala posse pati, quia multa necesse est.
Quis primus tulit ista viris? hominumne Deumne
Ingeniis inuenta? dedit quis commoda tanta?
Celia Philyridem primum Chirona fugaces
In sparsos per rura greges, syluaq; vagantes
Armauit, fecitq; vias in commoda tanta.
Salue magne parens, venandi magne repertor,
Herbarum, cytharæq; potens, cœliq; perite.
Tu patriæ defensores regesq; parasti
Magnanimos orbis terræ, rerumq; potitæ
Venantes primi posuerunt mœnia Romæ.
Argoliciq; duces, & decantata iuuentus

Troia-

Troiana, his primis aptarunt corpora bellis.
Tu Leonharde mihi bellorum maxime scriptor
Testis ades, reges qui magnos legibus ornas
Militiæ, clarosq; duces & munera nosti.
Nunc quoq; venandi studium est hoc regibus Vnum
Commune hæc res est venatio regia: magna
Nobilibus cunctis simul, & iucunda voluptas.
Cum foret herba thorus primis mortalibus, antra
Frigida & arboribus intexta palatia, potum
Prosilientis aquæ riuus prælucidus vnda
Præberet, victumq; Ioui sacrata Molosso
Quercus, sanguineoq; rubentes cortice baccæ,
Achrades, atq; alta prostrata sub arbore poma,
Et genus humanum sæuarum more ferarum
Viueret, erupit venatio cædere fossas
Illapsas saxis primum, mox vrere flammis
Inuenere feras, non vsus æris habebant:
Nulla metallorum sceleratum viserat orbem
Vena, nec ingenti diues cumulabat aceruo,
Horrida sub terris argenti pestis, & auri,
Dormibat tuto, haud curis obnoxia nostris.
Seu voluit Fortuna potens, atq; inuida rebus
Tranquillis, quæ cuncta mouet, quæ turbine versat.
Siue aliquis superum furiis accensus & ira,
Humanis rebus meditans incommoda tanta
Ostenditq; auri venas, Erebumq; retexit.
In varias æris massas traxere figuras.
Ære feræ primum spoliarunt viscera pelle:
Tum tepido primum maduerunt sanguine dentes.
Pellibus induti tolerabant frigora brumæ.
Nam neq; tum Phrygiæ vestes, scrutulatave nostram
Luxuriem norat, nec pictas viserat aulas
Attalicum, viridis vestibat limina ramus.
Vtile principium sumpsit venatica primum
Res, epulas lautas homini, vestesq; parauit.
Nos quibus est victus, & vestis cultior vsus,
Ingredimur syluas capti dulcedine facti,
Venantes quoniam sequitur iucunda voluptas.

*FINIS.*

# ANDREAS WECHELVS CANDIDO LECTORI. S.

CVM adiuuanda Germaniæ commoda Mythologicos hosce libros in lucem edere statuissem, multisq; mendis esse fœdatos cognouissem: sedulo curandum mihi censui, vt forma quidem minore, at diligentia maiore prodirent. Itaque à Friderico Sylburgio petii, vt pro suo erga bonas literas studio, Græcis, quæ hic citantur emendandis incumberet, & Ioannem Obsopœum correctorem meum, laborum multitudine pene fatiscentem, aliqua saltem oneris parte subleuaret. Non defuit ille petitioni meæ, sed tam accurate percurrit omnia, vt aliquot erratorum centurias inde sustulerit, ipsis etiam fontibus, vbi vel fieri poterat, vel opus erat, inspectis ac restituir non modo literas & syllabas, si quæ vel omissæ essent vel commutatæ, verum etiam voces imo integros interdum versus, Quæ ne fingi à me putes, ipse verissima esse comperies, si hanc editionem cum Veneta conferes vt exempla subiungã aliqua, mendose illic inuenies ὡς pro ὧν, αὖ pro αὖ, ἀπὸ pro ὑπὸ, λέχος pro λίκνος, μάχαιρα pro μάκελλα κελτῶν pro κελθῶν, literis pariter & significationib cõfusis inuenies ibidem Θερίνος pro Θερήκιος, φύλλα pro φῦλα, θνητὰ pro θνητὰ, ἐλάχιστα pro ἐλάχιστα, προσπαίγνιον pro προσπαίγνιον, κύκλον pro κηλὸν: denique etiam αὐτὸν, pro ὃ τὸν & similia, quæ hic singula recensere infinitum est, & minime necessarium, Quin etiam scripturæ varietas quas reperit, annotauit idem Sylburgius ac cõiecturas insuper de locis deprauatis, vel suspectis saltem, adiecit. Nec vero minori cura suum pensum tractauit Obsopœus. à vitiis enim typographicis Latina sedulo repurgauit; præsertim suspecta loca è suis quæ liber authoribus emẽdauit, Indice etiam in meliorem ordinem redacto: tum operam adhibuit, vt pari fide & diligentia, omnia excuderentur. Sed ne nimius sim in commendatione, opus ipsum, quid in hac re præstitum sit, abunde testabitur. In tui ergo gratiam lector hunc laborem susceptum esse tibi persuadebis; ac proinde æquo animo omnia accipies, & candide interpretaberis, Vale.

FRIDE-

# FRIDERICI SYLBVRGII NOTÆ AD MYTHOLOGICOS hosce libros.

PAG. 33. versu ἔπειον, rectius leges τὰς σφαγίδας, itemque mox in versione, *alij cadenti cultros supponebant*, vt apud Virgil. Georgicor. 3. *Ac vix suppositi tinguntur sanguine cultri.*

P. 42. v. μηδ', & paulo post vers. τῶν. pro ἐναρίζων malit fortasse quispiam ἐναγίζων, *consecrans & mactans, sanctoritu mactans*, Ibid. rectius τοῖς δὲ φόν. Ibid. v. κὴ μέλι legendum fortasse, δηαίῳ ἀλφίτῳ, *Cereali farina*, Δηὼ enim est ἡ Δημήτηρ, *Ceres* forsan etiam pro ἔνθεν malit aliquis ἔνθιν, *impone.*

P. 57. v. ἰητρ. scribe διδόασι Eodem versu alii codices habent ἀνάβλησιν, *dilationem*. Sic infra p. 360. v. ἰητρ.

P. 118. v. πολ. scribe ἐκεῖν'. Ibid. v. παῖρ, metro conuenientius σίζοντες χιών τ', argumento sublato, quemadmodum apud Hom. χιών τε χαμαὶ χαλάζης.

P. 139. v. κύαν quidem codices pro ἐνημμένη *insidens*, habent ἐνημμένη *innexa* ab ἐνάπτομαι.

P. 149. v. ὅς τε susceptum est κηλήτορα πασῶν paulo verius κήλητρον ἁπασῶν *lenimen* seu *solamen omnium.*

P. 174. v. τλῶ scribe μορίαν per omicron, Hesychio enim μορίαι sunt ἐλαῖαι ἱεραὶ τῆς Ἀθηνᾶς, *oleæ Palladi sacræ.*

P. 200. v. πάντ. verius est ἔασιν Ionice & poetice pro εἰσί, ab εἰμὶ *sum*: vel ἴασιν *eunt*, ab εἶμι *eo* Ibid. v. ἀλλὰ, malim ἀργυροειδέος.

P. 223. v. νηφ. pro ὄπας legit N. ὀπὰς *succos*: sed contra metri legem. Non dubito igitur quin legendum sit vel ὀμπὰς, vt apud Etymologum est, vel (vt apud alios) ὄμπνας nam ὄμπναι sunt fruges imbutæ melle. Sic certe ex eodem Callimacho citatur, ἐν δὲ θεοῖς φλογὶ λαιέμεν ὄμπνας. Initio autem versus post νηφάλια deest γὰρ vel similis particula. Ibidem versu sequenti metrum postulat ἔλλαχον Ibidem quum per festinationem non liceret Orphei locum quærere, in eo mendæ remanserunt quædam. Itaque versu νηδύας, post σκυλάκων commaticam, post ἔθηκα periodicam distinctionem in Stephanea editione poni scias: sequentem vero versum sic legi, ὕδατι, μὶξ δ' ὠμοὺς χολ.

P. 242. v. καλ. forsan scribendum ταίνσ', vt sequenti etiam versu est participium στφανωμένη Ibidem repone τριόδους In Lat. vers. paulo post, *quercubus & plur.*

P. 243. vt antepenult. lege ἡ δὲ ἐς ἀς

P. 249. v. 4. in editió. Stephanea legitur Πλωτεύς, v. 1192.

P. 261. vt penult. legendum δαπίονται, & pag. seq. v. 2. *carnes diuidunt & epulantur*, vt è sequentibus Herodoti verbis intelligitur. quum enim dixisset in sacrificio Lunæ de suibus, extremam, pecudis caudam, splenem, omentumq; simul posita, totoq; pingui quod ventrem cingit, operta, sacro ritu adoleri, subiũgit, τὰ δὲ ἄλλα κρέα σιτέονται ἐν τῇ πανσελήνῳ, ἐν τῇ ἂν τὰ ἱρὰ θύωσι. ἐν ἄλλῃ δὲ ἡμέρῃ οὐκ ἂν ἔτι γευσαίατο hoc est, *reliquis* (sc mactati suis) *carnibus vescuntur in plenilunio in quo sacrificauerint: alio vero die non amplius gustauerint.* Locus est in Euterpe p. 68 edition. Stephaneæ.

P. 268. v. ἰγγ. rectius ἰγγύλω.

P. 270. v. καὶ. mendosum est δ' ξο. reponendum videtur δ' ξω *vouisti*, vel δύξαι, aut δῦξο *voue*: ipse tamen interpretatur *voui*,

P. 290. v. penultimo, legisse videtur ἱδόσατο, dum interpretatur *vocauit*: ἱδρύσατο vero significat *statuit, locauit.* Sequenti v. legendum vel βεβαρυμμένα, à βαρύνω; vel βεβαρημένα, à βαρέω.

P. 406. v. ἵμμ. Stephanea editio habet ἀνὴρ pro ἡ μελῶ. & seq. πλασίον ἀδυφωνήσας ὑπακύει. Ibidem v. ὡς sic legunt quidam, ὡς ἴδον γὰρ σε, βραχίας μοι ἀνδᾶς οὐδὲν ἔτ' ἥκει. Ibidẽ v. ὀμμ. Stephanus habet, βομβεῦσιν δ' ἀς. Ibidem v. penultimo in aliis edit. est ὀλίγω.

P. 413. v. τοιῦτο, tollendum vel ἦν vel κἂν si constare, metrum velimus.

P. 419. v. *nam*, malim ὡρίων ᾧ, vt est apud Etymol.

P. 422. v. ἀς. legendum opinor κυδρότερος, vel κυδρότερος, & versu penult σποίη, vel σπηθείη.

P. 443. v. ἐρχ. scribe λεῖφ'. Ibidem versu tertio quidam codices habent χόλον pro δόλον. & versus quartus sic legitur à quibusdam. στέργων γῆν ὁσίως, ἣν μισεῖς πολλ' ἄθεμ. nec non quinto ῥέξει pro ἔρξει.

P. 453. ἐνν. videntur ea poetæ verba de Mercurio potius quam pane accipienda.

P. 465. v. εἷς, quidam codices habent μὲν παρ βορέαο.

P. 495.

P.495.v.ὀρν. in quibusdam c4d. est πλέωσι.

P 496, v. νεὸς. legendum videtur νεβρὸς.

P. 498, v. θυν. verius legi videtur εὐγλωσσ.

P.505, v. *tiendi* quidam cod. habent οἱ πόποι τῷ γλω.

P.513. v. τηλοῦ, clausula versus pro Αἰγύπτιοιο supra habet Ὠκεανοῖο, p.509.

P 546, v Κυρ. alibi per φ legitur σιλφίου.

P.562, v. εἰ, mendosum videtur καζαγγεῖ:? verius ne sit καζαργεῖν vel καζαχεῖν, non aussim affirmare.

P.651, tertius Euripidei loci vers. ἐσπὶ ὁ πλοῦτος, ἄδικός τις ἄν, non habet legitimam dimensionem, & sequenti versus ætiologia rectius ad secundum quadrat. vt suspicio sit tertium illum è margine in contextum irrepsisse.

P. 673, v. τρέφε, legisse videtur ἄπ φάγ.

P.710, v. χρὴ ex Stobæo lege, χρὴ δ' ὕποτ' εἰπεῖν ὀλβιον ὄλβ.

P 762. v. σῶρ. legendum fortassis ἴσχον pro ἦλθον: vel ἰλθόντες εὗρον

P.811, v. ἐπεὶ, Romana & aliæ editiones pro ἐξῆκε habent ἔξελε: in quibus etiam versus aliter sunt distincti. Locus est Olymp. oda 1.

P. 845, v. 3, quidam codices habent μεγήρατα *valde amata*.

P.873, v. Θρηΐκ. malim ἄχρις ῥίψατο. Ibidem v. ἐ, fortasse legendum ἴσι eunt: vel, ἄφαρ erit pro nomine ταχεῖς *celeres*.

P.877, v. vlt. legendum fortassis εἶεν.

P.969. v. ἔχει pro ἄλλα apud Athenæum est ἅλα *salem*. metro conuenientius χᾶλα, pro crasin è ἃ ἅλα. Ibid v. ὦ παῖ apud eundē Athen. vulg. cod habent θύρῳ ἐν κλινεῖ: pro quo θύραν, posuit Natalis Κορώνην, vera lectio è veteri li. est, ὦ παῖ, θύραν ἄγκλινε, *opuntia fores reclina*, id est, *aperi*, quo loquendi genere Herodotus quoque vsus est post Homerum. Ibid. v. vlt. legendum fortasse πλεῖον ἄντ.

Hoc etiam monendus es lector, autorum locos hic aliquando citari non integros, sed vltima parte truncatos. Sic enim p. 207. ad vltimum Lycophronis versum, vt structura sit plena, adiiciendus est hic tertius, νυμφεῖα πιστεύγαμβρος κύσουσα ζάμων. Sic etiam p. 228. vt perfecta sit Aristophaniorum versuum sententia, tertius addendus, τίκτει πρώτιστον ὑπηνέμιον νὺξ ἡ μελανόπτερος ὠόν. Eodē modo p. 245. v. 1.

post ὑλακῇ periodica requiritur distinctio: & sequenti hemistichio addendus hic versus, ἐσθ' αὐτὸς κατ' ἠγέμονι τοῖς ἐπιεργεῖ πλεῶσι, post ὀρθῶς commate tantum posito. Sic p. 269 versu 3. deest alterum disiunctionis membrum, ἢ φυγὰς ἐπιτυχῶν. Sic etiam p. 297. in vlt. Plutarchi loci membro deest redditio. Itemq; p. 324. v 1. in Æschyleo loco: vt & p. 443. postremum distichon, in nymphas ephydriadas, nec sententiam nec structuram habet integram: & p. 872. locus Euripideus.

At p. 191. locus qui ex Aretade citatur, apud scoliasten Apollonii (editionis Stephanæ p. 102.) petitus est partim ex Apollonio ipso, partim ex Nymphide nulla Aretadæ mentione. Et versus quem p. 896. citat ex Iliad li 5 nec illo in libro legitur, nec Il. σ. nec etiam in iisdem Odys. libris.

Alicubi etiam autorum verba quę citat, aliter eum legisse, versio indicat. vt vnum è pluribus locis afferam præter superiores, p. 30. v. 7 à fine, pro Εὐμόλπου legit Εὔμολπον. nam *Eumolpum fuisse præconem*, (vt versio habet) Græce est Εὔμολπον γὰρ φύναι κήρυκα Quod si Græca verba carent mendo sensus hic est, *Nam Eumolpo natum fuisse Kerycem: ex hoc vero Eumolpum; ex hoc, Antiphomum*, Et cætera. Suidas etiam alium huic loco scrupulum inicit. Eumolpum enim Musæi filium, à secundo Eumolpo quintum fuisse dicit: quum hoc in loco sit quartus. Vt autem in hoc loco κήρυκα pro appellatiuo accepit, si contra, p. 254. v. 5 μεγαμήδεια vertit in proprium, cum appellatiue potius accipiendum videatur aliis pro *multum consilio pollentis consultissimi, prudentissimi.*

Hæc sunt quæ in Græcis autorum verbis recognoscendis animaduerti de quibus perlubêter cum ipso Natale per literas, lubentius coram si fieri potuisset, contulissem, oculosque meos & animum pauissem variorum autorum intuitu, quos Natali videre, nobis audire tãtum contigit. Sed quum & temporis breuitas, & viæ longitudo hãc mihi fœlicitatem inuiderit, oro & ipsum Dn Natalem, & æquos lectores, vt quod amore reip. factum à me est, in bonam partem interpretentur: simul etiam ignoscant vbi me Lynceum acumen, & Chironia manus defecit.

F I N I S.

GEOFRE

# GEOFREDI LINOCERII VIVARIENSIS MYTHOLOGIÆ MVSARVM LIBELLVS.

## *Quod omnes fere autores, poetæ præsertim, à Musarum inuocatione ordiantur.*

TRIPARTITAM Philosophi voluerunt humanitatis vitam, quam ex certàmine trium dearum, Palladis, Iunonis, & Veneris, veluti hieroglyphico quodam poetæ designarunt: vnam ex illis quidem θεωρητικὴν, alteram πρακτικὴν, tertiam φιλαργικὴν, contemplatiuam, actiuam, & voluptariam. Prima igitur contemplatiua est, quæ ad sapientiam & veritatis inquisitionem pertinet. Actiua, quæ tantum vitæ commodis anxia est: hancque fere iam omnes homines norunt. Voluptaria denique, quæ libidini obnoxia, nullum honestũ reputat bonum, sed solam appetit vitæ libidinem & corruptelam. De his tribus vitæ generibus superioribus libris doctissime disputatum fuit, ac variis fabularum integumentis denudatis mystica antiquorum sensa declarata. Primo quidem libro, secundo, octauo, nono & decimo Theoterica vita continetur: atque illa ex vnius dei contemplatione, quem colimus & reueremur, vel certe plurimorum deorum consideratione, quos introduxerunt antiqui, non quod infinitos deos numero arbitrarentur, (hoc enim nec leges naturæ pati possunt) sed vim & potestatem vnius infiniti per omnia diffusam cum existimarent, illi pro negociorum locorum & effectuum varietate, diuersa imposuerunt nomina. vnde verum est dicere, vires omnes cæterorum deorum, vndique per ipsa elementa dispersas, ab vno Ioue, cui reliqua deorum caterua affinitatis vinculo coniungitur, veluti fonte in multos riuulos fuisse deductas: vt optime in prooemio octaui libri. Quare iis in libris, vnius dei rerum omnium principii natura explicatur, quodque

nullus deorum antiquorum fuerit sempiternus. Idcirco sapientissime tanta deorū multitudo ad vnum refertur principium: cui summo bono, ipsiusque religioni & sacerdotibus magnus honor, magnaque reuerētia accedit. Quarto, Sexto, & Septimo libris vita actiua declaratur: primo quidem autor commemorat vitæ huius præfectos, Geniū præcipue & Fortunam. Cumque multis difficultatibus circumuenta sit, nullaque ex parte miseriis carere soleat hæc vita, quo animo sint ferendæ huius calamitates, postea edocet. Tandem subiungit quam iuste & vtiliter viri illustres gloriam sint consecuti: atque vt his libris, virtutibus præmia digna, sic libro tertio, & parte postrema noni, flagitiis singulis supplicia proposuit; Orcumque, eius iudices, & vitiorum vltores, persequutus est. Quæ postremo vitæ genere continentur, sparsim ex omnibus libris, præcipue vero ex libro quinto, colligi possunt. In quo ludorum & certaminum genera declarantur, quib. vita φιλαργικὴ vel corrigitur instar virorum excellentium: vel homo allicitur ad corporis vires exercendas cum voluptate. Cæterum quamuis de Musis quædam superioribus libris dicta sint: visum tamen est non abs re, supradictis aliquid adiicere, quod cuilibet Musarum cōueniat: maxime vero quod ab ipsis omnes fere autores, poetæ præsertim, opus suum ordiantur, easque salutent: quod fecit Homerus in hymno:

*Χαίρετε τέκνα Διός.*
*Salue Iouis inclyta proles.*

Item apud Hesiodum in op. & diebus, cuius hi sunt versus.

*Μοῦσαι Πιερίηθεν ἀοιδῇσι κλείουσαι,*
*Δεῦτε Δί' ἐννέπετε σφέτερον πατέρ' ὑμνείουσαι,*
*Pierides Musæ, quarum viget inclyta cantu*
*Fama ducum, & nomen vestri immortale parentis*
*Dicite.*

Et in Theogonia.

*Μουσάων Ἑλικωνιάδων ἀρχώμεθ' ἀείδειν.*
*Incipiam à Musis Heliconis carmen alumnis.*

In re magna etiam ac difficili, quasi ingenio suo diffidētes, Musas appellant, atque ad earum numen confugiunt, vt Homerus Iliad. β, Græcarum nauium numerum & ducum nomina prosequuturus:

Ἔσπετε νῦν μοι μοῦσαι ὀλύμπια δώματ' ἔχουσαι,
Ὑμεῖς γὰρ θεαί ἐστε, πάρεστέ τε, ἴστε τε πάντα·
Ἡμεῖς δὲ κλέος οἶον ἀκούομεν, οὐδέ τι ἴδμεν. &c.
*Dicite nunc mihi Musæ, quæ domos cœlesteis incolitis.*
*Vos enim Deæ estis & adestis, & omnia nouistis:*
*Nos autem famam dumtaxat accepimus, neque quicquam scimus.*

Et Iliados λ, quot & quantas strageis Agamemnon ediderit, narraturus:
Ἔσπετε νῦν μοι μοῦσαι ὀλύμπια δώματ' ἔχουσαι,
Ὅστις δὴ πρῶτος Ἀγαμέμνονος ἀντίος ἦλθεν.
*Dicite nunc Musæ cœlesteis domos habentes,*
*Quisnam tum primus Agamemnoni aduersus ierit.*

Et Iliad. π, incendium nauium Græcarum descripturus.
Ἔσπετε νῦν μοι μοῦσαι, &c.
Ὅππως δὴ πρῶτον πῦρ ἔμπεσε.
*Dicite nunc mihi Musæ quomodo primo ignis incidit.*

Quem locum M Tullius lib. 1. epist. ad Atticum ab Homero mutatus est eo in loco, in quo scribit de turpitudine illa iudicii Clodiani, expositurus cuius opera Clodius sit absolutus: verba Ciceronis hæc sunt: *Responsurum hominem nemo arbitratur.* Ἔσπετε νῦν μοι μοῦσαι, ὅππως δὴ πρῶτον πῦρ ἔμπεσε. *Nosti Caluum ex Nanneianis illum, illum laudatorem meum, de cuius oratione erga me honorifica ad te scripseram. biduo per vnum seruum, & eum ex ludo gladiatorio, confecit totum negocium accersiuit ad se, promisit, intercessit, dedit.* Epistola 10. & Theocritus:
Πῶς γὰρ δὴ Διὸς υἱὸς ἀδηφάγον ἄνδρα καθεῖλεν,
Εἰπὲ θεά· σὺ γὰρ οἶσθα, ἐγὼ δ' ἑτέρων ὑποφήτης.
*Quomodo enim Iouis filius edacem hominem interfecerit,*
*Dicito mihi dea: tu enim nosti, ego autem aliorum vates.*

Virgil. Æneid. 7, & 10.
*Pandite nunc Helicona Deæ.*

Et Plato in Euthydemo, ὡς ἔγωγε, καθάπερ οἱ ποιηταὶ, δέομαι, ἀρχόμενος τῆς διηγήσεως, Μούσας τε καὶ Μνημοσύνην ἐπικαλεῖσθαι. id est. *Quare ego quemadmodum Poetæ, necesse habeo initio orationis, Musas & Mnemosynem inuocare.*

In re ridicula etiam inuocantur Musæ, & εἰρωνικῶς; vt apud Horatium Satyrum lib. 1. Satyra 5. his verbis:
*Nunc mihi paucis.*

*Sarmenti scurræ pugnam, Messique Cicerri*
*Musa velim memores.*

Hac satyra Horatius iter suum ab vrbe Roma Brundusium vsq; describit, exemplo Lucilii, qui itidem iter suum descripserat. Narrat autem quę risu digna in eo contigerint: inter quæ primum locum obtinet duorum scurrarum Sarmenti & Messii faceta cōtētio. Infinitis aliis locis, diuersis rationibus, operá Poetarum præcipue, principium dicunt ab inuocatione Musarum, quas sibi Præsides & cantilenarū suarum, autores asserunt: illudque iure optimo, vt inquit Horatius carminum lib. 3. od. 4. qua confirmat se à multis periculis, Musarum ope ereptum fuisse: male vero cessisse omnibus qui aduersum Iouem earum patrem aliquid moliri voluerunt: quinimo dicit eas suam in cœlo habere sedem Iouis filias: his versibus.

*Descende cœlo, & dic, age, tibia*
*Regina longum Calliope melos,*
*Seu voce nunc mauis acuta,*
*Seu fidibus, cithara've Phœbi.*

Quibus & multis aliis de causis adducebat vt crederem, hoc breue opusculum sit parum fructuosum videatur quod fabulosum sit, non tamen iniucundum, quippe quod fabulæ semper aliquid præ se ferant inauditum & incredibile. Aliquid etiam vtilitatis ex eo possumus reportare, propter ethicā explicationem, quæ non parum ad mores mortalium informandos cōfert: vt iam ex superioribus D. Natalis libris Mythologicis possumus colligere: quamuis non tanta industria vel ingenii acumine hæc pauca vobis paramus de Musis sparsim à multis tractata & dispersa, quanta doctissimus Comes fabulas suas ex multis decerptas autoribus in vnum congessit volumen aureum: angustiis enim temporis premor, viresque ingenii mei sentio quam sint exiguæ. Non tamen tanti viri autoritas me ab instituto reuocat: at potius meliorem facit animum, cum & honestum iudicem mihi in tertiis consistere. Itaque quamuis hoc meum (qualecunque sit) negociū emolumento careat & grauitate, illud amplexabitur tamen quisquis non erit omnino auersus à Musis. Qui vero ab omni sapientia atque eruditione sunt alieni, omnibus iis quæ dicentur persuasi, vtique Musas post hac non auersabuntur: etsi hebetu-

betudine Attici Herodis sophistæ filii ac stoliditate essent: quem tam fluxili fuisse memoria ferunt, vt ne elemẽtorum quidem nomina perdiscere aut retinere vnquam potuerit. cui infortunio vt mederetur pater, quatuor & viginti pueros coæuos à literis cognomina habentes singulos cum filio simul educabat. vt hac saltem ratione illi insiderẽt. Qui vero natura prudentiores, curiosiq; magis philosophica & arcana naturæ meditantur, de negociis publicis ac reb. mechanicis parum sollicitì, ij quidem si operam non laudent, studium tamen non despiciant. etiamsi nostri tẽporis ærumnosa miseria non dicendi petit studium, sed viuendi flet ergastulum; nec famæ assistendum poeticæ, sed fami consulendum domesticæ. Citius nũc aut quod amiseris fleas, aut quod edas inquiras, quã quod dicas inuenias. Sic enim improba mœrorũ angina, fœlicitatisq; nouerca fortuna (quæ amarum quoddã humanis interserit semper negociis) nos quasi pedissequæ insectantur. Verum enimvero ne ocii torpor nos astringat, euitantes quoad fieri poterit, calamitatũ naufragia. quibus publicę assidue actiones diuexantur, vtilem ordimur fabulam, quam octo diebus nocturna pręsule lucerna ex præclaris partim authoribus decerpsimus, partimq; nos ipsi Mythologiam cõmenti sumus. Vos interim è virginali Heliconiadum curia Iouis filiæ omnes, Gorgonei fontis aspergine madidæ, mihi breuiter scribenti pręsto sitis. Non enim magnifici operis tantam assumere molem cupio, vt medio conaminis impetu, tenues in auras vanescat rebus suis mens dęstituta. Eritis ergo Philosophia atque Vrania huius adiutrices operis: cui vt maior fides adhibeatur, ampliora sunt nobis autoritatum quærenda suffragia. Quantulacunque autem res fuerit, amice lector, æqui boni consulas rogamus.

## DE MVSIS IN GENERE CAP. I.

*Quod animis nostris ingenita sit vis quædam sciendi à natura.*

ILLVD peramplum in nobis ac magnificum esse arbitror, quod Plato insinuandum censuit, inesse mortalium animis veluti seminarium quoddam & plane thesauros, qui mirabiles concitent amores sui. Sic autem in Symposio, τὸ

τῶ παίδων τέλος ἄδηλον οἷ τελευτᾷ κακίας ἢ ἀρετῆς, ψυχῆς τε καὶ περὶ σώματος. *Incertum enim est, quo aut corpus aut anima puerorum, tam secundum virtutem quam secundum vitium postremo euadat.* Quasi dicat (inquit Ficinus) omnium hominum prægnans & grauidum corpus est, prægnans & animus. Corpori semina suorum omniũ ab initio sunt incerta: huic statutis curriculis temporũ dentes erumpunt, prodeunt pili, barba profunditur, procreationis semina defluunt. Si fœcundũ corpus est grauidumq; seminibus, multo magis animus præstantior corpore vberrimus est, atque suorũ omnium ab initio semina possidet. Igitur morum, artium, disciplinarum, rationes iamdiu sortitus est animus, suosq; fœtus inde, si recte colatur, statutis temporibus promit in lucem. Quod autem rationes deorum omnium ingenitas habeat, ex appetitu eius, inquisitione, inuentione, iudicio, comparatione cognoscimus. Quis neget animum statim à tenera ætate, vera, bona, honesta, vtilia exoptare? optat autem nullus incognita. ergo insunt istorum aliquæ, etiam antequam appetat, in animo notiones, per quas seu formas rationesve ipsorum ea iudicat appetenda. Experimento id in se quisq; condiscit, modo intendat. nam sicubi reconditum quippiam venamur anxie, posteaquam abiunctis ad tempus sensuum & phãtasiæ molestis obicibus, mẽtis intima, velut secretius quoddam penetramus adytum, ibiq; ratiocinamur subtilius, confestim tanquam obductam reuelamus lucem, effulgereque protinus quod venabamur aduertimus. propterea sic Pythagoras:

Ἀλλὰ σὺ θάρσει, ἐπεὶ θεῖον γένος ἐστὶ βροτοῖσιν,
Οἷς ἱερὰ προφέρουσα φύσις δείκνυσιν ἕκαστα.

His grauissimus ille autor hominibus addit animũ, quod eorum genus faciat diuinum, angustiorem que naturã, quæ omnia promat in lucem. At hæc cum nos conformandos exhibemus præceptoribus, multa per se animus fingit, formatore nullo, concipitque tanquam seminibus sciẽtiarum perfœcundus ager: cui si agricola mature adhibeatur, multos ac dulces fructus deinde profert. Quod aperte declarat Plato multis in locis, sed in Theage apertius: *Nemo à me didicit quicquam, etiamsi mea consuetudine multi euaserint doctiores, (ait Socrates) meum exhortante, tum bono dæmone sug-*

*ne suggerente.* Sed quoniam breuiter de vi animis nostris ingenita diximus ex Platonis sententia, iam ad ea quæ in nostrum diriguntur scopum deueniamus: vtque dictis dicenda cohæreant, cur Hesiodum existimatis Musas à Ioue & Memoria genitas pronunciasse? vt habetur in Theogonia his verbis:

Μοῦσαι ὀλυμπιάδες κοῦραι Διὸς αἰγιόχοιο,
Τὰς ἐν Πιερίῃ κρονίδῃ τέκε πατρὶ μιγεῖσα
Μνημοσύνη γουνοῖσιν Ἐλευθῆρος μεδέουσα,
Λησμοσύνην τε κακῶν, ἄμπαυμά τε μερμηράων.
*Musæ Olympiades compti Iouis ægide natæ,*
*Mnemosynæ soboles, obliuio certa malorum,*
*Curarumq; quies; sacris has mater in oris*
*Pieria, magno peperit commixta tonanti:*
*Mater Eleutheris præerat.*

Non alia opinor de causa, nisi quia ab initio scientiæ fons insitus est nobis ab omnium patre, sed non satis profluens nisi quis corriuarit. Quod Plutar. in lib. περὶ παίδων ἀγωγῆς aduertit. quare pueris suadet nihil prius memoria exercendum, quod ea sit eruditionis ταμεῖον, id est, prompta quædam cella thesaurusque: quo argumento dictã putat Mnemosynen à veterib. Musarum matrem. cuius hæc sunt verba aurea sane, animis discentium insculpenda: Πάντων δὲ μάλιστα μνήμην τῶν παίδων ἀσκεῖν καὶ συνεθίζειν. αὕτη γὰρ ὥσπερ τῆς παιδείας ἐστὶ ταμεῖον. καὶ διὰ τοῦτο μητέρα τῶν μουσῶν ἐμυθολόγησαν εἶναι τὴν Μνημοσύνην, αἰνιττόμενοι καὶ παραδηλοῦντες, ὅτι οὐδὲν οὕτω γεννᾶν καὶ τρέφειν ὡς ἡ μνήμη πέφυκε καὶ τοίνυν ταύτην κατ' ἀμφότερα ἀσκητέον, ἐάν τε ἐκ φύσεως μνήμονες ὦσιν οἱ παῖδες εἴτε καὶ τοὐναντίον ἐπιλήσμονες. *Sed maxime puerorum memoriam exercere & assuefacere debemus. est enim veluti disciplinæ thesaurus. idcirco matrem Musarum fabulati sunt esse Mnemosynen; vt ostenderent nihil æq; conferre ad scientiarum generationem & conseruationem quam memoriam. Quocirca illam debemus exercere in vtramq; partem siue pueri ea multum polleant, siue contra sint obliuiosi.* Quin & Mnemosynē Orpheus mētem continere scribit, excitareque omnia, sinuosis (vt ita dicam) animi anfractibus delitescentia, illatebrataq; Scitum est, Mnemosynen originem ducere è Mneme, quo vocabulo memoria significatur: vnde & Amnemones in

Cnido nuncupati erant ſexaginta viri delecti ex optimatibus, quibus tota negotiorum cura incumbebat vt idē Plutarchus in Græcis petitionibus, hoc modo; *Τίνες ἐν Κνίδῳ οἱ Ἀμνήμονες, καὶ τίς ὁ Ἀφεστήρ; ἑξήκοντα προκρίτους ἄνδρας ἐκ τῶν ἀρίστων, οἷον ἐπισκόπους ἐχρῶντο διὰ βίου, καὶ προβούλους τῶν μεγίστων. ἐκαλοῦντο δὲ ἀμνήμονες, ὡς ἄν τις εἰκάσειε διὰ τὸ ἀνυπεύθυνον. εἰ μὴ νὴ Δία πολυμνήμονές τινες ὄντες. ὁ δὲ τὰς γνώμας ἐρωτῶν, Ἀφεστήρ.* *Qui in Cnido dicuntur Amnemones, & quis Aphester? Sexaginta deliguntur ex optimis viris, velut episcopi, ad quos de maximis rebus refertur. Dicebantur vero ἀμνήμονες, διὰ τὸ ἀνυπεύθυνον, quia in iudicium non vocarentur: aut certe πολυμνήμονες, memoriosi.* Fuerunt itaque Muſæ Iouis & Mnemoſynes filiæ ſecundum Heſiodum, & fere omnes alios. Pauci ex Poetis, quorum eſt Alcmæon, Muſas cœli & terræ filias prodiderunt: cui in quodam hymno aſtipulatur Pindarus, ſic Muſam alloquens.

*Ἄρχε δὲ οὐρανοῦ θύγατερ:*
*Incipe vero cœli filia.*

Vbi commentatores, ex Ariſtarchi ſententia & Mimnercæ, aſſerunt muſas cœli filias Vnde & aſtruunt illas fuiſſe ab initio: & ante Iouem, ſi credimus Euſtathio, qui Muſam interpretatur animæ cognitionem, quæ non minus ſit diuinum quiddam quam anima ipſa. Eius ſententiæ videtur eſſe Homerus, quum θεὰν dixit ἀπὸ τοῦ θέειν, id eſt à cognitionis celeritate. Ab indagine enim dicitur Muſa, ſecundum Platonem in Cratylo; vel inquiſitione, ἀπὸ τοῦ μάσαι: cui Pharnutus lib. de natura Deorū ſubſcribit, cum ait: *καλοῦνται δὲ μοῦσαι ἀπὸ τῆς μώσεως· ὅ ἐστι ζητήσεως, Muſæ (inquit) dicunt ab inquiſitione.* Idem ſentit Suidas, propterea; ait eas ab inquirendo dictas, quoniam ipſæ ſint omnis diſciplinæ cauſa. Alii, vt Caſſiodorus, propter ſcientiarū & diſciplinarum inter ſe cōuenientiā, Muſas vocarunt quaſi ὁμοῦσας, vel certe quod inuicem ſicut virtutes ſibi eſſe videātur. Vel deniq; (vt Diodorus ſcriptum reliquit) Muſæ vocantur, quod modulandi artem cæteraſq; diſciplinas probe teneant Delectabantur enim Oſiris Ægyptiorum Deus omni genere Muſicorum & chorearum, proptereaq; illum pleriq; Muſici conſectabantur, inter quos nouem fuiſſe puellas proditum eſt, quæ cantu & Muſica præſtarent; quas ideo Græci Muſas

Musas appellauerunt, Quæ Diodori sententia cum Platonicis consentit. Musarum enim nomine cœlestes cantus intelligunt: quo argumento Camenas dici aliquando existimant, ex Melanchthonis sententia, qui in scholiis & illustrationibus versus illius Virgilij:

*Alternis dicetis; amant alterna Camenæ,*

Per Camenas Musas intelligit, vultq; illas à canẽdo dictas: hasce vero à Ioue proficisci, quoniam (vti est apud Plotinũ) mundi totius animum frequenter Iouis appellatione nuncupat Platonis scholia cui consentiunt hæc verba:

*Principio cœlum ac terras camposque liquentes,*
*Lucentemque globum lunæ. Titaniaque astra*
*Spiritus intus alit, totamque infusa per artus*
*Mens agitat molem, & magno se corpore miscet.*

Inde namq; colligi, vt ab Ione mundi totius spiritu ac mẽte, quoniam cœlestes moueat sphæras ac regat, Musici cantus musarum nomine significati cooriantur & profluant. Quam rem innuit illud quoque in Bucolicis.

*Ab Ioue principium musæ, Iouis omnia plena:*

Quoniam vigeat vbiq; Iupiter, ac impleat omnia, & cœlũ velut citharam quandã verset agitetq; cœlestes ac harmonicos proliciens cantus. Quod impulit Homerũ vt cantores vocauerit σωφρονιστὰς, id est Castigatores quosdã in Clytemnestræ custodia, vt qui philosophi sint, & ex musis omnia sciant: quod plurib. comprobat Athenæus. Αείδειν certe apud Græcos est canere. quod verbum si examinemus, reperiemus illud compositũ ab α, particula intensiua, & εἰδεῖν cognoscere, quasi omnium scientiã sibi vindicent Musarum alumni. Musarum origo talis est & deductio. De numero vero earum non satis constat inter autores. Varro (vt testatur Seruius) tres inquit fuisse Musas: vnam, quæ aquæ nascitur motu: alterã, quam aeris icti efficit sonus: tertiam, quæ mera tantum voce consistit, D. August. hac de Varrone fert sententiam, quam Gyraldus in suo de Musis sintagmate inseruit. Non audiendi sunt, inquit, errores gentilium superstitionum, qui nouem Musas Iouis & Memoriæ filias esse finxerunt, refellit eos Varro quo nescio vtrum apud eos quisquam talium rerum doctior vel curiosior esse possit. Dicit enim ciuitatem nescio quam: neq; enim recor-

dor nomen: Gyraldus tamen colligit ex quibusdam autoribus dictam fuisse Sicyonem, & ex his versibus:

*Tres solas quondam tenuit quas dextera Phœbi;*
*Sed Sycien totidem ternas ex ære (sacrauit)*

Dicit igitur August. ciuitatẽ hãc locasse apud tres artifices terna simulacra Musarum q̃ in templo Apollinis dono poneret, vt quisquis artificũ pulchriora formasset, ab illo potissimũ electa emeret. Itaq; contigisse vt opera sua quoque illi artifices æq; pulchra explicarent, & placuisse ciuitati omnes nouem, atq; omnes emptas esse, vt in Apollinis tẽplo dicarentur. quib. postea dicit Hesiodũ poetam imposuisse vocabula. Non ergo, ait Iupiter nouem Musas genuit, sed tres fabri ternas fecerũt. Tres autẽ non propterea illa ciuitas locauerat quia in somnis eas viderat, aut tot se cuiusq̃ illorũ oculis demõstrauerant; sed quia erat facile animaduertere omnẽ sonum, qui materias cantilenarũ est, triformẽ esse natura. aut. n. editur voce, sicut est eorũ qui faucib. sine instrumento canũt: aut flatu, sicut tubarũ & tibiarum: aut pulsu, sicut in citharis & tympanis, & quibusdam aliis, q̃ percutiendo sonora sunt. Hæc August. Horũ idolorũ artifices fuerunt Cephisodorus, Strongylio & Olympiosthenes. quorũ singuli ternas Musas effecerũt; & has primas fuisse quidã contendunt. Olim non plures tribus coisse conuiuas, testatũ annalib. est; quando nec plures initio creditas esse musas telatũ scimus Pausaniæ monumẽtis, quas ait ab Aloei filiis Oto & Ephliate sic nominates, μελέτην, medicationẽ: μνήμην, memoriã: & ἀοιδὴν, cantilenã. Archestrati poetæ etiamnũ superest e à in re testimoniũ. Hi Aloei filii primi fuerunt qui Musis sacra fecerunt, remq; diuinam obiuerũt Musis illis trib. in Helicone: & illis nomina imposuerunt. Sunt qui duas tantum volunt fuisse Musas. Alii quatuor fingũt, propter præstantiam quaternarii numeri; cuius tantã fuisse virtutem existimarũt Pythagorici, (sicut est apud Plutar. in lib. περὶ ἀρεσκόντων, &c.) vt per illum tanquam per numen aliquod iurarent. *οὐ μὰ τὸν ἁμετέρᾳ ψυχᾷ παραδόντα τετρακτὺν παγὰν ἀενάου φύσεως ῥιζώματ' ἔχουσαν. Per quaternionẽ sacrum, qui animæ nostræ tradidit naturam æternã, &c.* Etiam quibusdam dicuntur esse quinque. Aliis septem; cuius numeri non parua est vis, vt dicere est apud autores, quos esset lõgum in medium proferre. Nouem post

ca dixit esse musas Pierius Macedo. Sunt qui existimẽt nomina nouem filiarum Pierii Musis fuisse imposita: quæ reperiuntur apud Hesiodum in Theogonia:

Ἐννέα θυγατέρες μεγάλου Διὸς ἐκγεγαυῖαι,
Κλειώ τ', Εὐτέρπη τε, Θάλειά τε, Μελπομένη τε,
Τερψιχόρη τ', Ἐρατώ τε, Πολύμνιά τ', Οὐρανίη τε,
Καλλιόπη θ'. ἡ δὲ προφερεστάτη ἐστὶν ἁπασῶν.

*——— Cantabant arce sorores*
*Clio, Euterpeq; iuuans, & docta Thalia,*
*Melpomene, lætis & Terpsichorea choreis.*
*His subeunt Erato, memoriq; Polymnia mente.*
*Addimus Vraniam, & quæ manet vltima, quanquam*
*Calliope cunctas supereminet vnica Musas.*

Quod nouem fuerint Musæ confirmat item Hom. Odyss.

*Μοῦσαι δ' ἐννέα πᾶσαι, ἀμειβόμεναι ὀπὶ καλῇ,*
*Θρήνεον· ἔνθα κεν οὔτιν' ἀδάκρυτόν γ' ἐνόησας*
*Ἀργείων· τοῖον γὰρ ὑπώρορε Μοῦσα λίγεια.*
*Musæ autem nouem vna uersa alternis canentes voce suaui,*
*Lugebant, vbi neminem lacrymarum expertem animaduertisses*
*Arginorum, talem luctum excitauit musa vocem clarã edent.*

Hoc idem declarant nouem noctium concubitus Iouis cum Mnemosine; de quibus veteres poetæ, & maxime Hesiodus in his:

Ἐννέα γάρ οἱ νύκτας ἐμίσγετο μητίετα Ζεύς.

*——— Cui Iupiter vllo*
*Haud diuum præsente nouem sub noctibus hæsit.*

Non ad aliud videtur referri Orphei theologia iam à multis decantata, q̃ nihilominus tamen, quod ad hunc locum pertineat, afferemus. Sphærarum autem cœlestium ita animas partitur, vt cuilibet geminã contribuat vim; vnam, in cognoscendo positam; alteram in sphæræ corpore viuificãdo atq; regendo. In anima itaq; sphæræ lunaris illam vim, Bacchum, Licnitan, hãc Thaliam Musam in anima Mercurii Bacchum Silenum, & Euterpen: Veneris, Lysiũ & Erato: Solis, Trietericum Bacchum & Melpomenen: Martis, Bassareum atq; Clio: in Iouis, hanc Sabazium, illã Terpsichoren: in Saturni hãc Amphieton, illam Polymniã: octauæ sphæræ Perichthoniũ & Vranium: in anima autẽ mundi vim priorem vocat Bacchum Eribromium, secundã verò

Musam Calliopem Singulis porro Musis vnű præfecit Bacchum quoniam is sua habitus diuinæ cognitionis nectare prudentioribus monstrat. Licet autem singulis sphæris cœlestibus vnam præfecerim Musarű cum Baccho, non inferendum est tamen cœlos esse animatos, anima informăte, sicut per animas animalium carnes informantur. Sed de re tam obscura, inquit Damascenus, nihil temere credĕdum. Dictæ sunt Musæ virgines natiuo decore contentæ, vt inquit Lucianus in Deorum superorum. 3. Dialogo, quo loco appellat illas ἀτρώτας inuulnerabiles, id est, quæ nunquam facem & sagittas Cupidinis expertæ sint: αἰεὶ γάρ τι φροντίζουσι, καὶ πρὸς ᾠδαῖς ἔχουσι & *semper aliquid cogitent, atq; in suis cantibus contineant.* Eodemque modo & Dianam vocat virginem, quamq; reformidet nimis, quia venationi dedita sit. Incedunt præterea hæ virgines simul, eodemque loco versantur, & in chorum numerumq; ludos agere dixerunt Sorores etiam fuerunt existimatæ. Montes & loca alta habitarunt, Heliconis nempe verticem. Secessu denique & solitariis locis maxime delectatæ sunt, vt est apud Plutarch. in lib. περὶ πολυπραγμοσύνης. Coronatę fuerunt, diuerso modo è diuersis Quidam eas palma coronatas tradiderunt. Ab aliis dicitur laurus illis sacra ad coronas: vnde & poetæ earum alumni dicuntur δαφνοφάγοι. Placuit quibusdam corollam è rosis earű capiti circumponere: vnde eleganter Sappho aduersus imperitam mulierem cecinit:

*Κατθανοῖσα δὲ κείσεαι.*
*Οὐ γὰρ πέδ' ἔχεις ῥόδων ἐκ Πιερίης*
*Mortua iacebis.*
*Nec enim hortulum habes rosarum ex Pieria.*

Hoc autem obiter dicam de coronis hoc loco, veteres non simpliciter, sed summa cum ratione coronas instituisse. siquidem legimus Dionysum, quum vnicű comperisset iucűdissimum, quo liquore facile erat secum discumbentes inebriari: coronă hederaceam consuluisse capiti imponĕdam vt hederæ frigiditate vapores acres & calidi moderarentur & repercuterentur. Hæc de Musis in genere scripta fuerunt fabulose. quæ cur ficta, & qua ratione, diligenter inuestigemus. Primum quidem ex Ioue & Mnemosyne natas fuisse musas, idcirco fabulati sunt antiqui vt Proclus Diadochus,

dothus scriptum reliquit in Hesiod. enarrationib. (quia ad procinctum in literaria velut palæstra tendētem necesse sit νοητικὸν εἶναι καὶ μνημονικόν, id est, intelligendi percipiendiq; potestate, atque item retinendi præcipue pollere: Iouem autem contribuere τὸ νοητικόν, Mnemosynen vero τὸ μνημονικόν. Deinde ex Mnemosyne Musas sustulisse dicitur Iupiter, quando λ literarum politiorum dux est; quas certe non nisi exacta cura atque detentione suscipere datur, & sunt ad vitam transigendam maxime necessariæ. Alii vero ita interpretantur: Iupiter, aiunt, rerum omnium parēs è Mnemosyne (i. memoriæ & cognitione sui) Musas genuisse dicitur: quæ mentis conceptus significant, æternarum rerum contemplatores, quæ quidem res intellectu tantum percipi possunt. Nam & (vt superius diximus) Plato Musas dictas vult indagatrices, vtpote quæ per sensus, & exteriora, quæ superna & cœlestia sunt, excogitent. Qui duas fuisse putarunt, eandem fere habuerunt considerationem. vnam enim fecerunt contemplatiuam, quæ res à sensibus abstractas doceret, alteram ab efficiendo practicam, quæ circa effectionem & omnes res mœchanicas versaretur. Sed Censorinus in lib. de die natali, Musas ait olim tres fuisse ideo existimatas, quoniam organum quondam tres habuit intensiones, grauem, mediam, & acutam: cui non adstipulatur Plutarchus in Symposiac. quæst. 14. sic autem ait: Εἶπεν οὖν ὁ ἀδελφός, ὅτι τρεῖς ᾔδεσαν οἱ παλαιοὶ Μούσας· καὶ τοῦτο λέγειν ἀπόδειξιν, ὀψιμαθής ἐστι καὶ ἄγροικον ἐν τοσούτοις καὶ τοιούτοις ἀνθρώποις. Αἰτία δ', οὐχ ὡς ἔνιοι λέγουσι, τὰ μελῳδούμενα γένη, τὸ διάτονον, καὶ τὸ χρωματικόν, καὶ τὸ ἐναρμόνιον, οὐδ' οἱ τὰ διαστήματα παρέχοντες ὅροι, νήτη καὶ μέση καὶ ὑπάτη: & multa alia quę eodem capite de hac re traduntur. sic autem redduntur Latine: *Dixit igitu frater meus. quod tres Musas agnouerant solum antiqui: sed hoc velle coram tantis & talibus viris probare, fatuū erat & ridiculum. Atque huius rei causa non est tribus Musices generibus assignanda, Diatonico, Chromatico & Harmonico: minusque tribus Musicæ diastematis, νήτῃ, acuto: μέσῃ, medio: & ὑπάτῃ, graui.* quoniam male omnes Musas vini alligarunt scientiæ minime completæ adhuc. est enim tantum harmonia quædam pars Musicæ. Sed vt postea probat, multo melius antiqui, qui omnia scientiarum genera

ad tria referebant, Philoſophiam, Rhetoricam, & Mathematicam quod quidē ſi ſecundum autorem expendamus, verum eſſe reperiemus & accommodatum nouenario numero. Ad hæc Cornutus in lib. de eorum natura, tres ait fuiſſe ob eius numeri perfectionem, qui etiā Deo attribuatur tanquam ſimpliciſſimus. Qui fecerunt quatuor, vt M. Tull. lib. 3. de natura deorum: aut quinq;, illud referunt ad muſicorum inſtrumenta vetuſtiſſima: quæ non plures habuerunt ſonos. Qui autem ſeptem, ad illud alluſerunt; ſeptem eſſe artes liberales, & idcirco ſeptem Muſas. Sed nouē eſſe numero, iam vſu receptum eſt, & celebratū eſt fere ab omnib. multis vero de cauſis apud Plutarch. Vna eſt, quod tanta eſt perfectio numeri nouenarii, vt ſit primū quadratū, procedēs ex primo numero impari, ac impariter impari: ἀπὸ περιττοῦ περισσοῦ τετράγωνος ὤν, καὶ περισσάκις περισσός estq; qui primus diuiditur in tres impares æquales. Altera, quia ex duobus primis cubis & monade conſtat, vel ex triangularibus, videlicet ſex & tribus inde triplicato ternione. Quin & ipſarum mater Mnemoſyne reperitur eſſe nouem literarum. Reliqua ex Plutarcho diſces lib. συμποσιακῶν Fulgētius ait, nouem Muſas cum Apolline earū fratre & Muſagete nihil aliud eſſe q̃ humanæ vocis decem modulamina: vnde & Apollinis cithara pingitur decachorda: refert etiam legis diuinæ decachordum vel pſalterium. Poſtremo (eodem Fulgentio autore) finguntur decem cum Apolline; nihil autem aliud præ ſe ferunt quam quatuor primores dentes, quos lingua percutit, duo labra, quæ ſunt veluti cymbala verborum; linguā, plectrum, palatum, cuius concauitas profert ſonū: aſperam arteriam, quæ eſt meatus ſpiritalis; & pulmonem qui veluti follis conceptū ſpiritum reddit & reuocat. Finguntur autem mulieres & virgines mulieres quidem, quia virtutes & diſciplinæ caſus muliebris nomenclaturas habebant: virgines vero & non cōiugatæ, quoniam virtutis diſciplinæ, vti virgines abditæ atque incomptæ eſſe videntur, natiuo ſc. decore contentæ: id quod & de cæteris diſciplinis non incommode dici putamus. qua ratione, Gyraldi iudicio, interiores & reconditas Cicero literas appellauit. Ad hæc conſtant & incedunt vna, ad inuendum virtutes inſeparabiles atq; indiuulſas eſſe. Deinde ſemper deorū hymnis atq; miniſterio ſunt maxime intentæ?

intentæ: siquidem principium atq; adeo elementum totius eruditionis est, ad diuina oculos perpetuo defixos tenere. atque id vitæ factum exemplar habere in ore. Dux eis fuit præfectus Apollo, propter Musices communionem. nam & ille memoratur cithara scire, vt dictum fuit. Diuersis autem operibus in montibus vacare traduntur: quando quidem solitariam agere vitã & crebro ad loca à vulgi consuetudine remota, ac perturbationibus ciuilibus libera secedere consueuerunt hi qui philosophiæ nomen dederunt: sine qua nihil honesti in solitaria vita inueneris. Atq; huius rei grata dicitur nouem noctibus Mnemosyne congressus Iouis sustulisse. etenim nocturna his opus est meditatione: quę ad eruditionem spectent, vt inquit Epicharmus: *Si quid* (inquit) *sapientius mediteris, nocturna opus est consideratione*: & omnia quæ ad literas pertinent, noctu potius excogitantu. Palma autem coronãtur, quæ φοίνιξ Græce, vt quidam volunt, ob agnominationem, quod nimirum Phœnices primi fuerint literarum inuentores: vel, quod magis probat Pharnutus, estque magis consentaneũ veritati, quia pulchra, semper virens, & ascensu difficilis, & dulci fructu sit hæc planta. Qui Laurum sacram Musis voluerunt, hanc habebant rationem, quod plurimum Laurus valeat πρὸς τὸν ἐνθουσιασμὸν & ad afflatum, vt Sophocles in Cassandra docuit. Illudque vsurpauit Lycophron, quum poetam appellat δαφνηφάγον, quodq; de se Hesiodus testatur: vel certe quia Laurus est semper virens, hocque pacto opera Musarum sint semper viridia. Postremo ex rosis corollam Musas habuisse, diximus ex Sappho, quia coronam ex rosis, sicut hedeream proditum est Bacchi potentiam sua frigiditate retundere: id potius crediderim vi occulta præstare. non enim tantę frigiditatis est rosa. Quomodocunque res eant, hac corona designarunt antiqui, vini potentiam ebrietatisque violentiam hebescere: sicuti & violarum. per antipathiam enim grassantis crapulæ latenter impetum repercutit, & calidi vapores ascendentes sic contemperantur. Per Bacchum autem vel ebrietatem, hoc loco omnes crapulæ, libidinis & gulæ genus intelligas, velim: quod nihil æque reprimere potest quam corona è rosis Musarum, id est, pręstantissimis floribus virtutum & disciplinarum capiti imposita vel potius intromissa.

## DE CLIO. CAP. II.

*Quod omnes homines excitantur gloria & honoris stimulis.*

AN NON magnanimum, præaudaxque facinus est illud Herculeum, contra monstrosam gigantomachiam arma sumere; robustissimos quosque prædones in arenam prouocare, lattrones maleficosq; homines domare? horrēda denique & ardua labore & viribus vincere? Leonem Cithæronium inuulnerabilem interficere, & nudis manibus vnguibusq; dissecare, hydram multorum capitum bestiam suffocare, aprum Erymanthiū interimere, ceruā aurea cornua gerentem capere, aues Stymphalidas repellere? &c. huiusmodi plurima mōstra monomachia superare; vt aliquod tamen gloriæ & honoris nomen consequeretur, Hercules hæc sibi pericula fortiter subeunda proposuit. Quid Theseum, alterum Herculem, commemorem? petra summota calceos atque ensem auferentem, Minotaurum percutientem, pedestri itinere Athenas proficiscentē, obsessam viam à maleficis viris vndecumque pacantem, Corynetàm claua propria prærepta occidētem, Pithyocamptem Sinim Polypemonis filium opprimentem, multaque alia non minoris periculi facta aggredientem? Quid illum infinitosq; alios Romani & Græci imperii duces ad tam præclara & difficilia impulit facinora? vnus gloriæ stimulus: quo incitati, immortalem sibi laudem & gloriā compararunt. Quid Themistocles magnus ille Atheniensium dux nōne apud Ciceronem pro Archia poeta, eius vocem tantum libentissime audiebat, à quo laus sua prædicabatur? Non alio modo Homerum illustrauit Poetice, Demosthenem eloquentia Aristidem integritas: itidem & alii aliis modis inclaruerūt: ita vt vere hoc encomium de illis dicatur: Τιμῶντες δ' ἀρετὰς ἐς φανερὰν ὁδὸν ἔρχονται. τεκμαίρει δὲ χρῆμ' ἕκαστον. *Quibus virtutes in precio sunt, ij perueniunt ad illustrem viam: nobilitat autem suum quemque opus.* Sentit benefactis potius quā opibus parari veram gloriam, nec vno modo contingere honestam famam: sed sua quemque virtute fieri clarum. Qui autem gloriam affectat, hunc oportet ab egregio quodam facinore auspicari, vt est apud Pindarū hymno 6. Olym. ἀρχομένου δ' ἔργου πρόσωπον χρὴ θέμεν τηλαυγές. *In initio*

*initio facinoris oportet faciem illustrem addere.* Virtutes enim periculi expertes οὔτε παρ' ἀνδράσιν, οὔτ' ἐν ναυσὶ κοίλαις τίμιαι quod conuenit cum Hesiodo.

τῆς δ' ἀρετῆς ἱδρῶτα θεοὶ, προπάροιθεν ἔθηκαν.

*Virtutem posuere Dii sudore parandam.*

Nemo itaque absque periculo laudē sibi magnam parauit. At contra, qui gloriosum sibi monumentum adepti sunt, & apud posteros, illud frequenter à M. Tullio vsurpatum in epist. ad Atticum habuerunt præ oculis, ex Hom. Iliad. ζ.

Αἰδέομαι Τρῶας καὶ Τρῳάδας ἑλκεσιπέπλους.

*Troianos ac Troianas vereorque, pudetque.*

Verba sunt Hectoris pudore nolētis in vrbem sese recipere, ne quis opprobraret illi, imputaretq; Troianorum interitum. Dictis quibusdam de honoris & gloriæ insignibus ipsa re longe inferioribus, iam ad ea quæ de Clio gloriæ dea antiquissima fabulati sunt antiqui, breuiter explicanda accingamur. Clio itaq; Iouis & Memoriæ filia fuit, (vt testatur Hesiod. in Theogonia, vtque iam dictum fuit superiori cap.) prima reliquarum Musarum, quæ nouem noctium concubitibus genitæ à Ioue fuerunt, Matrem fuisse voluerunt Ialemi & Hymenæi; quāuis aliter senserit Asclepiades. Affirmat enim Apollinem ex Calliope tres filios sustulisse, Ialemum, Orphen, & Hymenæum: & propterea Martianus Capella & Claudianus Hymenæum Musa genitum fuisse aiunt. Apollodorus libro primo de deorum origine sic ait: *Clio Pierium Magnetis filium, Veneris ira, quod ei Adonidis amorem exprobrasset, deperiuit: cuius compressu Hyacinthum filium concepit.* Vnde fortasse sumptum est prouerbium apud Erasmum Chil. 2. cent. 10. Μαγνήτων κακά, quæ recidunt cum Termeriis, vt est apud Suidam, κἂν τὰ τῶν Μαγνήτων κακὰ, κἂν τὸ τερμέριον κἂν πᾶσαν ἁπλῶς ἐπιφθέγξωμαι τὴν τραγῳδίαν, i *nec si Magnetum mala, nec si Termerium, nec si totam in summa tragœdiam eloquar.* Magnetæ autem illi afflicti, oriundi fortassis fuerant ab hoc Magnete: inciderant autem in tanta mala violato quodam nomine, sicut & hic. Strabo Magnetum historiam Geograph libro 14. Ioannes Grammaticus credidit Ialemum Hymenæum Cliûs filios, id est, historicæ cognitionis, quoniā flebiles cātus alter excogitarit, epithalamios autem & iambi-

cos Hymenæus. Annotat Cælius Rhodiginus lect. antiq. li. 28. ca. 24. ad illud Menandri, ὑμὴν ὦ ὑμέναιε ὦ ὑμήν, & ad illud Catulli ab interpretibus negligenter prætermissum:

*O Hymen Hymenæeque, ô*
*Hymen, ô Hymenæe;*

Ab eisdem male concipi Martiani Fœlicis autoritate, Hymenæum fuisse Veneris filium: quod Martianus suspicatur quidem. Sed male feriati homines Tortellii deliramenta sunt insecuti. Hymenæum cantuum epithalamicorum inuentorem fuisse satis superque declarant hęc Plutarchi verba τῶν συμποσιακῶν: Ἡ δὲ γαμήλιος τράπεζα, κατήγορον ἔχει τὸν ὑμέναιον μέγα βοῶντα, καὶ τὴν δᾶδα, καὶ τὸν αὐλὸν ἅ φησιν Ὅμηρος καὶ τὰς γυναῖκας ἱσταμένας ἐπὶ ταῖς θύραις θαυμάζειν καὶ θεᾶσθαι. *Conuiuium vero nuptiale, cum cantu coniugali Hymenæi alte clamantis, & faces & tibia, vt ait Homerus, & mulieres pro foribus astantes aspicientes, & tale huiusmod admirantes, &c.* Quo ex loco facile est intelligere Hymenæum cantus nuptialis esse præsidem: Hæc ille. Nunc breuiter quid per hanc primam Musam Clio nominatam intellexerint antiqui examinemus. Finxerunt itaque illam Iouis filiam; quia cum κλειὼ nihil aliud significet quam gloriam: si liceat gloriam & nomen bene actorum posteris relinquere absit vt aliunde repetamus quam à summo Deo qui è memoria, contemplationeque, bene gestæ rei famam nobis parit, nullo æuo non celebrandam. Huius rei gratia Plutarchus in Symposio: ἥτε Κλειὼ τὸ ἐγκωμιαστικὸν προσίσταται κλέα γὰρ ἐκάλουν τοὺς ἐπαίνους. *Clio quidem encomia laudum recipit. Clea enim vocabant antiqui laudes.* Non alia ratione Fulgentius libro primo Mythologicῶν Musas doctrinæ ac scientiæ dicit modos. Prima Clio, quasi prima cogitatio discendi. κλέος enim Græce fama dicitur: vnde & Homerus, τοῦ κλέος εὐρὺ καθ' Ἑλλάδα καὶ μέσον Ἄργος. Et quoniam nullus scientiam quærit nisi in qua famæ suæ protelet dignitatem: ob hanc rem Clio prima appellata est, id est, cogitatio quærēdæ scientiæ: quod alio loco Homerus etiam confirmat: ἡμεῖς δὲ κλέος οἶον ἀκούομεν, οὐδέ τι ἴδμεν. *Nos vero solam famā audiuimus, neq; quid scimus.* Plutarch. loco iam dicto circa finem mysticum Cliûs sensum affert. Partitur namque nouem Musas in duo genera: alterum quidē vult præesse voluptatibus & ludis, id est, ca-

uet

net ne quis stulte in turpia & inhonesta labatur, eumq; cantu, choreis & tibiis dulcisonis ab eiusmodi libidinum stimulis retinet: alterum vero res arduas, graues & serias sequitur, quod Clio, Calliopæ & Thaliæ cõuenit: omnia autem debent symmetria & mediocritate summa moderari, ne è iocis ad libidinem fiat conuersio, & è rebus seriis in senum morositatem imprudentes incidamus. Cornutus vult Clio dictam fuisse ἀπὸ τῦ κλέυς, quod gloriam adipiscãtur literati, quodque alios laude celebrẽt. Diodorus vero propter gloriam, quæ ex laudibus poetarum oritur. Duos autem habuit filios, Ialemum & Hymenæum, cõtrariæ sortis homines: quod hic lætis cõuiuiis & nuptiis semper adesset, vt dictũ est superius: Ille vero eiulatione & luctu suas aleret cogitationes. Quod Aristophanes apud Athenæũ notat in Dictionib Atticis, ἐν γάμοις, inquit, ὑμέναιος ἐν δὲ πένθεσιν, ἰάλεμος. *In nuptiis Hymenæus, in luctu Ialemus.* Nihil autem aliud per hos diuersæ conditionis Clius filios significare voluerunt, quam qui gloriam sibi parare cupiunt, nũc aduersa premi fortuna, nunc secunda admodum delectari, vel nunc dulcem cãtare hymenæum, nunc ἰαλεμίζειν, id est, Ialemi lugẽtis vocem miseram edere: de quo dictum est illud: Οἷος ἰάλεμος, οἷά τε πένθη, δάκρυά τ' ἐκ δακρύων καταλείπεται ἡμετέροισι δόμοις, id est, *Qui Ialemus vel eiulatus, quique luctus, lachrymæq; super lachrymas distillantur in nostris ædibus!* Atque hæc de Clio breuiter dicta sufficiant.

## DE EVTERPE CAP. III.

*Vnicuique est sua voluptas, & sapientibus & stultis.*

NEMINEM adeo grauem & seuerum huius humanæ vitæ censorem existimabãt antiqui, etiamsi naturam Timonis μισανθρώπου induerit, qui alicuius rei delectatione non capiatur. Alius enim generosos equos, alius insignes canes alius diuitiarum expedit copiam: sicque hoc curriculum ærumnis & calamitatibus plenum transigeret recordatione dilectæ rei consueuerunt. Sapientes vtique voluptatibus non carent, quippe qui meditatione assidua rerum sublimium delectantur. Plato enim in Philebo inquit: ἴδε γάρ,

*ἥδεσθαι μὲν φαμὲν τὸν ἀκολασταίνοντα ἄνθρωπον, ἥδεσθαι δὲ καὶ τὸν σωφρονοῦντα αὐτῷ τῷ σωφρονεῖν· ἥδεσθαι δ' αὖ καὶ τὸν ἀνοηταίνοντα καὶ ἀνοήτων δοξῶν καὶ ἐλπίδων μεστὸν, ἥδεσθαι δὲ καὶ τὸν φρονοῦντα αὐτῷ τῷ φρονεῖν, καὶ τούτων τῶν ἡδονῶν ἑκατέρας. πῶς ἄν τις ὁμοίας ἀλλήλαις εἶναι λέγων, οὐκ ἀνόητος φαίνοιτο ἐνδίκως; i. Vide enim. Delectari dicimus intemperantem hominem; sed & temperantia temperantem: delectari insipientem, insipientibus opinionibus ac vana spe undique plenum; sed & sapientia sapientem: quas quidem voluptates si quis dissimiles esse neget, insipiens merito esse videatur.* Vtrisque igitur, & sapienti & insipienti, sua est voluptas. Sed tanto illius est præcellens, quanto huius vilis & abiecta. Hic enim voluptatibus corporis ad nauseam vsque saturatur: ille vero inebriatur nectare viuifico animi: cuius celsitudinem & maiestatem satis demirari nequeas: neque enim in vmbraticis quæstibus, vel etiam mundi imperio acquiescit. angustiori enim limite continetur, tanquam Gyari clausus scopulis: at mirum in modum æstuat res supra captum naturæ intelligere, miroque philosophandi studio concitatus conatur in ea curricula venire, in quibus Dei infiniti impressa sunt vestigia. Arrogans sane & vesana est illa cupiditas; attamen magnifica, quæ humilibus & terrenis rebus minime delectatur; sed penetrat altius, donec id tandem cogitatione pertingat, in quo mens expleta tanquam in extremo consistat. De Euterpe (i. de vera delectatione) dicturi, pauca hæc præmittenda, censuimus. Est itaque Εὐτέρπη secunda Musarum ordine, à Ioue oriunda & Memoria, teste Hesiodo. Mater fuit Themistoclis, vt inquit Neanthes lib. 3. rerum Græcarum: quanquam alii (vt Amphicrates prodidit in lib. de viris illustribus) Themistoclem ferunt Abrotoni meretricis filium. Tantæ autem fuit famæ Themistocles, vt κατ' ἐξοχὴν in numerum trium Imperatorum celeberrimorum redactus fuerit, Periclis, Miltiadis, Cimonis, qui cũ Themistocle quatuor apud Græcos dicuntur viri. Quoniam autem Themistoclis incidit mentio, hoc obiter dicam non incuriosum, & quod difficile est reperire apud autores, obseruatum nihilominus à Cælio Rodigino ca. 12. li. 14. lect. antiq. Themistoclem tres habuisse filios insignes. Neoclem, Demopolin, qui Athenis, propter singulare certamen c

rol

rollis fuerunt insigniti; & Cleophantum, de quo meminit Plato in Memnone. quia autem mirum est quod de illo refertur, verba autoris subiicio: ἢ οὐκ ἀκήκοας ὅτι Θεμιστοκλῆς Κλεόφαντον υἱὸν ἱππέα μὲν ἐδιδάξατο ἀγαθὸν, &c. *Audistin' quid Themistoclis filium Cleoph. in equestri facultate strenuum reddidit, adeo vt equis ille rectus insisteret, rectusque ex equo iacularetur, cæteraque permulta stupenda faceret, in quibus illum diligenter parens erudiuit, sapientemque in singulis quæ præceptoribus præcipua sint, reddidit.* Quod etsi mirabile videatur Platoni, & iure: tamen hæc eadem, quæ Cleophantus faciebat, visa sunt Luteriæ, anno 1581. fieri à quodam Italo, qui multis annis Turcæ cuiusdam captiuus, eiusmodi exercitia didicerat: deinde ab eodem manumissus in ciuitatibus celebribus ludos suos instituebat. Dicam quod vidi. Nouem cursus equo insistens in hippodromo decurrebat, habenis equi laxatis: primo quidem cursu, iaculabatur summa excurrens, tanto artificio, vt in passum equi sagittam à tergo inderet. Secundo, rectus, nullis adhibitis calcaribus equo insistebat, & vehementi robore hastam torquebat. Tertio, inaudito exercitio eandem hastam infinitis gyris circa collum & brachia (rectus equo) circumuoluebat. Quarto, quod mirabile est, scytalam ferream ad decem pondo, rectus, (& eodem modo decurrens, ac si equo insedisset admotis calcaribus) in altum proiiciebat, quæ interim semel voluebatur; eandem cadentem, quadam interiecta mora, quam temporis spacio metiebatur, ea qua parte illam proiecerat, compressa manu recipiebat. Quinto, circum ephippium equi gyrabat. Sexto, equum ascendebat currens, ter aut quater; & ex eodem descendebat vno stadio. Septimo, ensem acutissimum explicabat, & cum nudatum statim reponebat: eodemque cursu bis ascendebat & descendebat. Octauo, rectus decurrens, hasta acuta chirothecam perforabat. Nono, quod stupendum est, proiectis in altum tibiis, capite deorsum in ephippio, stadium decurrebat, quo absoluto, ingeniose sane in ephippium recidebat. Multa alia præclara & mirabilia multis circumstantibus fecit, quæ quoniam sunt adhuc in ore omnium, illa vlterius non persequar. Atque hæc præter rem dicta sufficiant. Nunc ad Euterpen veniamus, quæ (dicta iucunditatis) dicitur admodum tibiis delectari, & iis præesse. Quare

adducor, vt credam Themistoclem Euterpes filium non fuisse, in epuli enim (teste M Tullio) recusauit lyram: quare habitus est indoctior Lyræ & tibiarum maximam fuisse præstantiam & Euterpes inuentricis, declarauit Gallenus 1. Therap. Sicut enim, inquit, lyram antiquitus tetigisse in conuiuis honestum erat, vel id genus aliud: sic non tetigisse turpissimum *ἅπαξ δὲ πάλαι ὥσπερ τὰς ᾠδὰς ταῦτα σπουδαῖον, καλὸν, ἐνενόμιστο*. Lycurgus quamuis durissimas leges Lacedæmoniis imposuisset, lyræ tamen studium egregie videtur amplexatus; quo transmitti laborum onus molestissimum posset facilius. Remigem (vt ait Fabius) cantus hortatur, & singulorum fatigatio quemlibet rudi saltem modulatione solatur. Tibiarum consuetudo videtur cœpisse post Medicas victorias cum iam Græci de se magnifice sentirẽt. Desiit vero Athenis postea, vel quia (vt inquit Arist.) esset *ὀργιαστική*, *i. concitatrix*: vel certe *διὰ τὴν ἀσχημοσύνην τοῦ προσώπου*. *ob faciei deformitatem*. Tibiarum fuerunt diuersæ species. Libyes plagiaulon ex loto: elymon ex buxo, hippophorbõ ex lauro Phorbion autem pellis ori circum posita tibicinis, ne rimam labellum conciperet. Monaulus erat lotina tibia, nuptialis maxime, qui & photingia. Libys tibia, quæ & matroa dicitur, fuit inuentum Euterpes maxime: quamuis eam matri deorum quidam tribuant, Et propterea apud Ouidium:

*Ante Deum matrem cornu tibicen adunco.*

Quod hoc tibiarũ genere præcipue delectaret mater deorum. Cornu incinebant Tyrrheni, sicut Thebani hinnulorum ossibus Celtę fistula vtuntur ex calamis, atque Oceani insulares. Scythæ. Anthropophagi, ac Arimaspi, aquilarum & vulturum ossa. tibiarum vice inflant, Ægyptiorum polyphthongos tibia ex hordeaceis calamis compingitur. Sunt tibiarum multo plures species, pro diuersis nationum, gentium & locorum vsibus; quas aliis tractandas relinquemus: Hoc satis est mihi, dicere Euterpes inuẽtum tenue admodum initio. post mirũ in modum excreuisse, ita vt nulla fere regio sit, quæ tibiis vel hymnos vel cantus alios non incinat. maxime vero in Europa Germani, à quibus & tibię nomen duxerũt. Apollonii & Rhodii enarratores *μαθήματα* (*i. disciplinas*) inuenisse affirmant. Alii dicunt, vehementer dialectica delectatam. Vt autem vno verbo dicamus, quid per

Euter-

Euterpen intellexerint antiqui, afferam textum Plutarchi lib.9. Symposiacῶn, in quo ſic ait, Εὐτέρπῃ δὲ πᾶσαι ἀπονέμουσι τὸ θεωρητικὸν τῆς περὶ φύσιν ἀληθείας, ὅτι καθαρωτέρας οὔτε καλλίους ἑτέρῳ γένει παραλιπεῖν εὐπαθείας καὶ τέρψεις. hoc eſt, *Euterpa omnes tribuent contemplationem veritatis naturæ, exiſtimantes, nullas eſſe delectationes puriores, recreationeſque pulchriores illa.* Vel certe dicitur Euterpe, quod quæcunque de Muſis diximus primo capite ſint (præter gloriam q̃ nobis acquirit Clio) multum ſuauia & delectabilia. Vel ſecundum Fulgentium, quod primum ſit ſcientiam, honorem, & gloriam quærere; ſecundum delectari, quod quæras. Quæ conueniunt cum Plutarchi verbis ex Chryſippo: ἐγὼ δὲ μεταποιοῦμαί τι καὶ τῆς Εὐτέρπης εἴπερ (ὥς φησι Χρύσιππος) αὐτή τι περὶ τὰς ὁμιλίας ἐπιτερπὲς εἴληχε καὶ κεχαρισμένον, &c. *Aliquid mihi tribuo quod Euterpes eſt proprium, ſi verũ eſt quod ait Chryſippus, inter homines illam aliquid vrbani & decori habere.* Itaq; Euterpen nihil aliud ſignificare arbitror, q̃ gaudium & delectationem, q̃ (poſt tot labores in Muſis conſectandis & ſcientiis ediſcendis ſuſceptos) merito conſequimur cum Oppiano in Hallicuticis, πόνῳ δ' ἅμα τέρψις ὀπηδεῖ: *laborem ſequitur gaudium.* Atq; de Euterpe hactenus.

## DE THALIA CAP. IV.

*Conuiuium legitimum Platonicum reficit corpus & animum.*

MVlta de conuiuii ratione apud varios, deq; eius laudibus ſcripta prætereo. Non enim huius eſt loci, nec inſtituti mei, longam hanc diſputationem perſequi. Verum quoniam de Thalia cõuiuiorum Dea ſermonem inſtituimus, nonnulla breuiter ex Platone & Plutarcho notatu digniſſima, quæ nobis inter legendũ occurrerunt, in mediũ afferemus. Illud autem velim perſuaſum, nihil eſſe in vita quod animum allectet blandius, frontemque remittat gratius vno conuiuio bene inſtituto. Quod vt altius repetatur Ariſt. placitũ illud dicimus: hominem conſtitui ex corpore (i. mole terrena, q̃ ſpiritus continet & humores) & animo cui duo inſunt, ſenſus & ratio: ex quibus voluptatis honeſtæ vis profluet, ſi bene ſint tẽperata, inquit Galen. his autem conuiuiũ vnum omnib. ſatisfacit. Etenim quis neſcit

membra hinc refoueri, instaurari humores, spiritum refici, ac rationem expergefieri quodammodo? hinc à laboribus quiescimus, curas laxamus, & suum ingenio sufficitur pabulum. Tolle conuiuantium hilaritatem, iam vt plurimum euanescet amoris fomes, amicitiæ condimentum, ac vitæ solatium. Communio siquidem & familiaritas vitæ, rectius & honestius statuitur conuiuii finis, quam poculorum licentior inuitatio. Quod comprobat Plutarchus in Symposiacis de Musa Thalia loquens hoc pacto: τῆς δὲ ἐπιθυμίας τὸ μὲν περὶ ἐδωδὴν καὶ πόσιν, ἡ Θαλία κοινωνικὸν ποιεῖ καὶ συμποτικὸν, ἐξ ἀνθρώπε καὶ θηριώδες διότες φιλοφρόνως καὶ ἱλαρῶς σωιόντας ἀλλήλοις ἐν οἴνῳ, θαλιάζον λέγομεν, οὐ τοὺς ὑβρίζοντας καὶ παροινοῦντας. *Sed quod ad cupiditates esculentorum & poculentorum attinet, Thalia facit hominem socialem in conuiuiis, qui alıter fuisset inhumanus & feritatis plenus. Idcirco θαλιάζειν est apud Græcos, conuenire vna ad laute epulandum, non vt poculorum & crapulæ fiat liberior decertatio.* Ad hoc accedit sapiente homine multo dignius, inter epulas ex alimonia promiscua, fieri promiscuum mentis bonum eadem voluntate propterea Varronis concilio, qui conueniunt conuiuæ, sint musici, literati, & ab ἀχαριςία alieni, nec Musarum & Gratiarum excedant numerum. Ab hoc conuiuio arcendi sunt paulo iracundiores, aut quos atrior diuexat bilis, sed, qui (vt placuit Xenocrati) Iuniperum more, dum aqua macerantur, inuitatione iucunda paulo solito dulcescant, ad hoc conuiuium vocentur. Cæterum cœne adiposiores Sardanapali, ab hoc genere sodalitii, peiores cane & angue, tanquam venenosæ arceantur. Si igitur in nostris conuiuiis Thaliam habebimus, mentis ac morum nitoribus collustrabitur conuictorum cœtus, vitæ hilaritas condimentum longe præclarum & suauissimum seruabitur: sicque vitã non modo heroum (si priscorũ simplicitati credimus) sed etiam Deorum immortalitatẽ, cum hac nostra fœlicitate commutare nolemus. Thaliam vult Fulgentius dictam fuisse, quasi τιθεῖσα θάλλεα, per ει, *ponentẽ germina*: vnde Epicharmus comicus in Deiphilo comœdia inquit θαλλὸν, ὡς οὐ βλέπει βούλιμος ἐπέτεξεν. i. *germen, dum nõ videt, fames consumit.* Alii (vt Cornutus) θάλειαν deduxerunt ἀπὸ τοῦ θάλλειν, quod inter cætera maxime virere ac florere significat. Vult autem inde dictam hanc Musam, quoniam

etiam poetis maxime faueat. epulari enim laute consueuerunt, ac mœstitiam vitæ veluti venenum antipharmaco optimo fugare. illud autem antipharmacum (i. clarum suaueque vinum) frontem caperatam mire exporrigit. Thalia ergo nullo tempore poetarum famam marcescere sinit, vt est apud Virg. Ecloga 6.

*Nostra nec erubuit syluas habitare Thalia.*

Nonnulli Thaliæ inuentionem comœdiarũ ascripserunt. Alii agriculturam, nec non plantarum curam docuisse tradiderunt. Voluerunt etiam fuisse Palæphati matrem. Palæphatus autem multa de serendis & colendis arboribus scripsit, & περὶ ἀπίστων lib. 5. i. incredibilium vnde & *Palæphatia papyrus* abiit in prouerbium, quoniam eius libri fidem non capiebant. de eo multa apud Cœlium lib. 30. cap. 14. Antiq. lect. Porro hoc superest dicere, quod quicunque Musas reliquas amplexantur, immortalitatem sibi comparant, siue Thaliam θαλὸς enim (inquit Theocriti interpres) omne germinans significat, & θάλλειν virescere, ut dictum est. Idcirco Pindarus in Olympiis appellat poemata immortalitatẽ comparantia, faciẽtique θάλλειν καὶ χλοερὸν ζῆν ἐς ἅπαντος. Plut. quæst. 14. Symposiacon lib. 6. de Musis loquens in genere, vult Thaliã, Calliopen & Clio circa res serias & Philosophicas versari, diuinas speculari, posttremo omnia iustissime metiri, & æquilibrio tẽperare. Hęc qui habeat, non ego eum summum virum existimo, sed simillimum Deo iudico, & de cuius memoria nulla vnquam ætas conticescat.

## DE MELPOMENE. CAP. V.

*Dulci modulatione omnia moueri.*

MELPOMENE Iouis filiam, Solis vocem nominauit in dialogo furore poetico Plato, quod totius mundi temperatio sit & concentus: & non immerito, si ad originem eius recurramus. quid enim aliud μέλπεσθαι quam *canere* significat? vel μέλος ποιεῖν, quam *concentum facere*? quid vero magis temperatum & maiori symmetria compositum, quam melos? Sicuti plurima in corporibus membra, quamuis diuersum sortiantur & situm, & motum, diuersoq; perfungantur munere, nihilominus tamen ad vnũ tantum opus diriguntur. vnumq; habent finem veluti scopum, ita etiã ex vocum diuersitatẽ qui consurgit concẽtus,

melos dicitur, quod significat etiam apud Græcos membrum corporis, vt in lib. de Musica scribit Plutar. Quod vero omne viuẽs cantu capiatur, inde colligit Plato, quoniam cœlestis anima, qua mundus animatur, originem sumpsit ex Musica Strabo quidem docet elephantes cantu mulceri, & tympanorum sono: & Plutarchus in Symposiacis, brutorum pleraque deliniri afficique plurimum cantilenis, sicuti fistulis ceruos: ὁρεῖ μὲν γὰρ ὅτι καὶ μουσικῇ πολλὰ κηλεῖται τῶν ἀλόγων, ὥσπερ ἔλαφοι σύριγξιν. *Nam video ratione carentia animalia multa Musica delectari, sicut cerui tibiis.* Cantu delphinos moueri, testis est locupletissimus Pindarus: testis & Virgilius:

*inter delphinas Arion.*

In homine autem videtur esse peculiaris ratio, qua modulatior sonus flectat animum, pectusque nostrum demulceat. Propterea nemo est tam fero & agresti ingenio, qui talium oblectamentorum non teneatur affectu, quique Melpomenes vocem non consistat. In veterum autem monumentis cantilenarum quinque reperiuntur species: συφεργιστική, cuiusmodi Clytemnestræ accinebat cantor: eiusque cantores (vt 1. cap docuimus) συφεργισταί dicebantur ἐγκωμιαστική qua præstantiorum virorum præcinebantur laudes, ab Achille celebrata: θρηνητική, i. lugubris: ὀρχηματική, i. saltatoria: & deniq; παιανική, qualis est apud Home. Iliad. 1. post sacrificii absolutionem, inquit enim, καλὸν ἀείδοντες παιήονα Pæeon autem, (seu Pæan) erat in Apollinem hymnus, nõ vt pestis solum cessaret, sed & bellum; quin ad auerruncandum præsens exitium. Tragœdiis præsidere putabatur Melpomene, vt testatur Virgilius hoc carmine:

*Melpomene tragico proclamat mœsta boatu.*

Ideoq; moris est in tragœdiis singulis actib. finitis, choros introducere cãtu & carmine flebili, quod in illis quo magis ad finem vergimus, eo tristiora referantur, & amarulentius pronunciẽtur. Græcorum nonnulli, inuentionem rhetorices illi tribuerunt cuius opinionis crederem fuisse Pharnutũ, quod velit Melpomenen deriuari ἀπὸ τῆς μολπῆς, *à dulcedine vocis*: oratoris enim pars vna vel præcipua: extra opus est actio, constans voce, motu, & gestu proprio & non indecoro. Hæc autem diuersorum autorum opiniones de Melpomenes deductione & inuentis, in vnã recidunt. Nihil

hil enim præ se ferre aliud existimo hunc dulcem cantum & harmonicum concentum, quam facundum & eloquentem hominem, è cuius ore melle dulcior fluit oratio, quique omnem operam consumpsit in exercitatione dicendi. Atq; vt gloriam supra dictam cõsequatur, consilio M. Tullii eloquentiam cum sapientia coniungat, sicq; reipublicæ non est parum profuturus. Postremo Fulgentius putat, nihil aliud significare Melpom. quam ἄνθρωπον μελέτην ποιούμενον, i. *hominem meditationem facientem*: vt primum sit velle: secundum, desiderare quod velis: tertium delectari: quartum, instare meditando ad id quod desideras. Sed de Melpomene hæc breuiter dicta sint.

## DE TERPSICHORE. CAP. VI.

*Chorea cum mundo orta, in honorem deorum antiquit. celebrabantur.*

NON minus Terpsichore ad Musicam spectat, quam Melpomene. vna enim cantum, altera vero saltationes & choreas plurimum obseruat, Græci quidam scriptores valde choreas laudarunt: quæ cum sint Musarum inuẽtum, & Musæ originem à Ioue duxerint, non secus saltationum exordia è summis cœlis, è stellarum siderumq; lationibus, eorumq; gressu, & regressu, complexu ac ordine, tanquam harmonica quadam cœlestium chorea, vna cum mundi generatione diuinitus prodidisse dicunt Atque cum multæ sint saltationum species. prior à cantu fuit nuncupata ἐμμέλεια, quæ Tragice censebatur, sicut cordax comica eius commeminit Arrianus in commẽtario Indico. Satyrorum fuisse inuentum dixerunt nonnulli. Alij Bacchum choreis Tyrrhenos, Indos & Lydos, bellicosissimos populos, deuicisse aiunt: propterea saltationes sicinnistas ab illo inuentas, vel à ministris suis tradunt: quamuis Sicinnos fuisse quidem affirment? vel Cretenses, à quibus hoc saltationis genus maxime celebratum fuit: Ego autem cum multis magni nominis autoribus, Virgilio præsertim, choreas inuentum fuisse Terpsichores putarem. quod & indicant hæc verba:

*Terpsichore affectus citharis mouet, imperat, auget.*

Quodq; declarat & nominis etymõ. dicitur enim τερψιχόρη, ἀπὸ τοῦ τέρπειν τοὺς χορούς, *à delectãdis choreis*. vnde à quibus-

dam citharistria dicit. Quanto autem choreæ ab antiquis habitæ fuerint in precio, hoc vel maxime argumento est, quod nulla in Delo sacra peragerentur, quibus saltatio non esset adhibita, nec vllæ celebrarentur festiuitates & cæremoniæ circa saltationem. Brachmani Indiæ populi, mane & vespere ad Solem conuersi, saltantes eũ venerabantur. Apud Æthiopas, Thraces, Ægyptios, & Scythas, chorea inter sacrorum ceremonias habita est, quippe quæ ab Orpheo & Musæo optimis saltatoribus constituta fuisset. Sed & alii Martis in honorem saltauerunt, & Lacedæmonii omnia choreis peregerunt. Thessali non minori in precio vsum choreatum habuerunt. Quin etiam & ipse Socrates sapientissimus, illas discere nõ erubuit, iam ætate prouectus, summisque laudibus extulit, atque inter serias disciplinas numerauit. Mosq; erat apud veteres saltatores, vt qui mysterio prodidissent dicerentur ἐξορχήσασθαι, i. *desaltasse*: Saltatio autem nulla erat sine Musica, præcipue in sacris. prodibant autem puerorum chori, tibiis ac cithara præcinentibus, è quibus selecti saltabant. Eorum cantilenæ ab saltationis vsu dicebantur ὑπορχήματα: quæ sic dicebãtur, quod inter saltandum fere generosum quiddam seruaretur ac virile. Cum autem quiescentes canebant, vocabantur στάσιμα. Cæterum vbi saltantes aram obibant, & circumdabant, ita progrediebantur, vt ab sinistris dextrorsum pergerent prius, zodiaci modo, deinde à dextris læuorsum, pro ratione motus primi mobilis. quod sensit & Maro his versibus:

*Delon matrem inuisit Apollo,*
*Instauratque choros, mixtiq; altaria circum*
*Cretesque Dryopesq; fremunt pictiq; Agathyrsi.*

Quod autem iam iam dicebamus de cantu in saltationibus poetarum clarissimus Homerus hoc probat:

Ἄλλῳ δ' ὀρχηστύν τε καὶ ἱμερόεσσαν ἀοιδήν.
*Alij saltationem & dulcissimum cantum.*

Quasi innuat eam esse prædulcem musicam, quæ non sit à saltatione abiuncta, dicaturq; Deorum pulcherrimum donum. Et Hesiodus in Theogonia de Musis ita cecinit:

Καί τε περὶ κρήνην ἰοειδέα ποσσ' ἁπαλοῖσιν
Ὀρχεῦνται, καὶ βωμὸν ἐρισθενέος Κρονίωνος.
*Et circa fontem nigrum mollibus pedibus.*

Sal-

*Saltant in aræ paternæ tripudiantes ambitus.*

Quin & Apollinem Pindarus vocat ὀρχηστὴν, *saltatorem*. Plato 1. de legum latione: primam erudiẽdi rationem fieri Musarum & Apollinis opera, ineruditumq; hominem esse qui choreæ Musarum expers sit; eruditum vero, qui compos eius est. Ex quibus concludere possumus saltationem non ex musices modo, sed rhythmices atque ethices penetralib. esse petitam. Quare & Terpsichorem quæ homines choreis delectat, non parum honoris & gloriæ tribuere arbitror hominibus. Nonnulli παιδείαν inuenisse prodiderunt, id est humanitatis disciplinam. Ex Acheoloo filias suscepit Sirenas: quamuis Fulgentius ex Calliope genitas existimet. Dicitur etiam quod Strymon Rhesum, & Mars Bistonem (è quo Bistonia regio nominata est) ex Terpsichore filios sustulerunt, quamuis Bistoniam regionem quidam autument, ita nominatam à vicino lacu, vt est apud Ouidium:

*Fessaque Bistonia membra lauabit aqua.*

Poetæ Bistonium accipiunt pro Thracio, vt apud eundem de pulchritudine Thraciorum loquentem:

*Bracchia Bistoniæ candidiora niue.*

Quinta itaq; Musarum Terpsichore choreis valde delectatur, vt diximus: vel quod oblectet audientes propter bona q̃ ex doctrina proueniunt: ac si dicamus, τερψιχόρη, est delectans instructione, vnde & Hermes Trismegisthus in Pœmandro ἀχυροτρόφης ἐκ κύφου σώματος, id est, *absque instructione esca & vacuo corpore:* vultq; Fulgentius, qui Polymniã ante hanc collocat post inuentionem vel multam memoriam, quam vocat Polymniam, oportere discernere ac diiudicare quod inuenias. Cornutus vero, Terpsichore, inquit, quod viri boni meliorem vitæ partem delectatione ac gaudio transmittant, aut quod delectationem videantur afferre conuersantibus, dempta χ litera, quasi τέρψον ἑρὸν: aut fortassis quia compositis à viris literatis carminibus, choreas diis composuerunt veteres. Ego vero existimarem τερψιχόρην dictam, quod chorũ musarum delectet. At vndecunq; hoc nomẽ sortita sit, non ab re fuit illi impositum. Suspicor autem huiusmodi Musæ fabulam nihil aliud innuere, quam rebus seriis Musas quasdam esse intentas, vt Philosophiæ & Mathematis omnibus, reliquas vero rebus

iocosis instructas: vt interim docerent antiqui, fieri non posse, vt qui bonam partem ætatis in colenda Calliope & Vrania consumpserit, non summa delectatione capiatur & omni genere gaudii, quæ per choreas, Musicam & conuiuia designarunt.

## DE ERATO. CAP. VII.

*Amoris vim mirabilem esse in omnibus, sed in homine magis.*

IN Platonicorum sanctuariis hoc memoriæ perpetuæ relictum est Amorem (quem ἔρωτα, per metathesin dicimus Ἐρατώ. musa enim hæc, vox Veneris nominatur Platoni, propter amorem) nihil aliud esse, vel dici à recte sentientibus, quam pulchritudinis desiderium. Plotinus autem triplicem constituit pulchritudinē: quæ nihil aliud est quam gratia ex plurium concinnitate coorta. Atque ea vel est in animo ex virtutibus parta, & venustas nominatur: vel in corpore ex lineis & coloribus simul maxima congruitate coalescentibus; & decus est: postremo sonorum iucunditas pulchritudinē redolet vel maximam. Hæc triplex pulchritudo tres habet sensus illi sub seruientes, interiorem mētis oculum, corporis visum, & aurem accommodam sonis percipiendis: tactui vero nullus relinquitur locus. Valeant igitur libidinis incendia, fugetur procul in tempestiua titillatio ab amoris Platonici integritate: cuius amoris Socrates, Delphico sapiens oraculo, se profitetur famulum; & qui omnium diffitebatur scientiam, amādi tamen peritissimum sese exhibet doctorē. Amoris præstantię multarum gētium consensus suffragari videtur. Athenis enim quotiescunque Palladi sacra fiebant, Amori in eodem templo collocato etiam res diuina peragebatur. In sacris popularibus ab omnibus fere honorabatur amor. Lacedæmonii antequam cum hostibus congrederentur, sacra obibant, ceu salutem ac victoriam is demum pariat. Sacra cohors, Thebanis, ex amantibus & amatis cōflatur, Amorisq; dicatū est gymnasium. Plato in Phædro magnum Deum amorem esse pronunciauit, apud Deos hominesq; mirandū, & in Symposio hoc modo: ὅτι μέγας θεὸς εἴη ὁ Ἔρως, καὶ θαυμαστὸς ἐν ἀνθρώποις τε καὶ θεοῖς, πολλαχῇ μὲν καὶ ἄλλῃ, οὐχ ἥκιστα δὲ κατὰ τὴν γένεσιν. τὸ γὰρ &c.

γὰρ, &c. *Magnus Deus amor, & apud Deos hominesque mirandus, cum propter alia multa tum maxime propter eius originem.* Hesiodus quidē de generatione Amoris loquens in Theogonia, primum quidem factum cecinit chaos, mox terram & tartarum; deinde Amorem prodiisse affirmat.

Ἤτοι μὲν πρώτιστα χάος γένετ᾽, αὐτὰρ ἔπειτα
Γαῖ᾽ εὐρύστερνος, πάντων ἕδος ἀσφαλὲς αἰεὶ
Ἀθανάτων, οἳ ἔχουσι κάρη νιφόεντος Ὀλύμπου·
Τάρταρά τ᾽ ἠερόεντα, μυχῷ χθονὸς εὐρυοδείης·
Ἠδ᾽ ἔρος, ὃς κάλλιστος ἐν ἀθανάτοισι θεοῖσι.

*Primo quidem om- ium chaos fuit: at deinde*
*Tell us lato pectore pred ta, omnium fundamentum solidum semper.*
*Immortalium, qui tenent iuga niuosi Olympi:*
*Tartaraque tenebricosa in recessu terræ spaciosæ:*
*Atque amor, qui pulcherrimus inter immortales Deos.*

Hic autem locus allegorico sensu & paulo reconditiore est intelligendus. non enim Veneris filium intelligit; nam quo pacto hunc nasci concipiamus, matre necdum producta? verum alterum amorē intelligamus oportet antiquiorem: quem sub nomine huius Musæ. Erato intellexerunt. puto autem esse insitam vnicuique eorum quæ sunt, naturalem vim causamque qua esse expetit vnumquodque, hoc quidem intellectu, illud autem sensu, id est, τὸ μὲν νοερῶς, τὸ δὲ αἰσθητικῶς. Et sic Amorem fabulatur Hesiodus ex Chao & terra natum. In eadem est sententia diuus Dionysius Areopagita lib. de diuinis nominibus, sic enim inquit: *Amorem siue diuinum, siue angelicum, siue spiritalem, siue animalem, seu naturalem dicas, insitiuam quandam intellige commiscentemque virtutem, quæ superiora quidem ad inferiorum prouidentiam perlicit; æqualia rursus ad socialem sui inuicem communionem conciliat; ac postremo i fima quæque prolectat, vt ad sublimiora potioraque con- ert antur; imo veluti fomite quodam igneo amplius succensa resiliant.* Dignus procul dubio qui ab omnibus laudetur non solum ob nobilitatem generis & antiquitatem, vt diximus ex Platone: sed magnus ille est cuius imperio & homines & dii subiiciantur. Admirandus præterea propter formam, illud enim quisque amat, cuius pulchritudinem admiratur. Postremo laudandus propter mirificam eius vtilitatem. Itaq; & ab antecedentibus, generis

nobilitate; & præsentibus magnitudine; & consequentib. vtilitate, Amor ille admirabilis. Cæterum Ouidii opinio nullo modo cum Hesiodi versibus iam dictis potest conuenire. hoc namque versiculo Erato deducit ἀπὸ τοῦ ἔρωτος:

*Nunc Erato, & tu nomen amoris habes.*

Facitque Veneris filium antiquorum: cum Amor ille multo post fuerit genitus. Sed vt cum Græcis loquamur, Erato fuisse matrem Thamyræ proditum est, qui primus amatoria cecinit. Arcades Erato inter Musas non recensent, sed vatē quāpiam fuisse tradunt, quę Arcadi Callistus filio nupserit, eaque mortalibus Pana oracula dedisse Patroclus Hesiodi commentator illi Poeseos inuentionem tradidit. Poeta vero saltationem hoc versu:

*Plectra gerens Erato, saltat pede, carmina vultu.*

Quin & saltandi artem inuenisse aiunt Græci quidam cōmentatores. Alii vero Musicam. Dicta autem fuit secundū Pharnutum ἀπὸ τοῦ ἔρεσθαι καὶ ἀποκρίνεσθαι, *ab interrogando & respondendo*. Quæ duo maxime studiosis & disputantib. conueniunt. Fulgentius dictam scribit quasi εὑρὼν ὅμοιον, id est, *simile inueniens*. Post scientiam enim quod memoriam, æquum est vt de nostro aliquid inueniamus. Ego vero existimarem Erato dictam quasi ἔρωτα, vt initio exhibuimus: quod sit quidam amor ingenitus à natura, quem à Deo habuerunt sapientes, vel (vt cum Areopagita loquar) institutum quoddam, cuius splendore cōncitus Socrates, altiusq; sublatus, diuina eius mysteria cecinerit; quia antea non solum cœlestium, sed inferiorum quoq; omnium se inscium prædicauerat. Et de his hactenus.

## DE POLYMNIA. CAP. VIII.

*Doctos oportere fœcunda esse memoria.*

POlymnia, nomen præclarum matris, vel etiam præcellentius sibi adoptauit. Summo in honore olim fuisse habitam ab optimatibus & imperatoribus declarat satis superque Themistocles ille Atheniensis (vt refert Tullius in Catone maiore) qui omnium suorum ciuium nomina didicerat Cyrus non minori artificio omnium militum suorum nomina memoriū tenebat; ita vt sine monitore exercitum salutaret. Apud Hom. Iliad. κ. Agamemnō Menelao fratri

fratri præcipit, vt ſuo quemque Græcorum nomine appellet, militeſque honorifice ſalutet. Nicias etiam Athenienſis, infœlix illud prælium nauale commiſſurus apud Syracuſas, Trierarchos nominatim & patriis, & tribuum nominib. appellans, hortatur vt fortiter pugnent: vt ſcribit Thucyd. lib. 7. *αὖθις τῶν τριηράρχων καὶ αὐτῆς ὀνομαστὶ, καὶ φυλὴν*, id eſt, *rurſus Trierarcharum vnumquemque patrio nomine appellabat, & ipſos & eorum tribum commemorans.* Multi præterea memoriam excoluerunt maxime, ſed inter cęteros vnus Simonides memoria excelluit: quem ferunt in extrema ſenecta iactantiuſcule de memoria ſua gloriantem ſcripſiſſe hoc diſtichon:

*Μνήμην δ' οὔτινά φημι Σιμωνίδῃ ἰσοφαρίζειν,*
*Ὀγδωκονταέτει παιδὶ Λεωπρέπεος.*
*Laoprepu gnato certare Simonidi ab annis*
*Decrepito, memori quis queat ingenio?*

Artem memoriæ primus oſtēdiſſe dicitur, quæ à Polymnia multo ante tradita fuerat. Simonidis hæc vulgata eſt fabula, quod princeps in Theſſalia epulo quodā exceptus magnifico: Simonides egreſſus fortuito quod illi duo iuuenes præſtolari dicerentur, illo interim ſpacio collapſum cōclaue ita epulantium ora obtrita penitus confuderat, vt internoſci nequiuerint. Verum ille memor diſcumbentium ordinis, fœlici memoriæ ſuggeſtu nomina omnium edidit, & propinquis ad ſepulturā corpora tradidit: hac re admonitus, ordinem pręcipuū eſſe memoriæ lumen: quod & annotauit Cicero. Ammianus Marcellinus lib. 16. putat illum epotis quibuſdam pharmacis vigorem memoriæ conciliaſſe. Itaq; non parum eſt vtilis Polymnia iis qui ſacrariū Muſarum ingredi cupiunt, at potius multum neceſſaria, ſiue natura, ſiue artificio, ſiue exercitatione aſſidua comparetur. Natura equidem nos eſſe tenaciſſimos eorum quæ primis annis percepimus, norūt omnes. Hoc nihilominus obſeruandum, pueros, & ſenes iam ætate prouectiores, minus valere memoria, quod in perpetuo motu ſint poſiti, ſicut & quibus capita pro corporū vaſtitate non reſpondent: ſiquidem in his vis ſenſus primatis premitur onere inutili ac ingeſtabili, Qui præterea multa craſſa & obeſa materia grauantur, in iis deſignari aut exprimi rerum formæ non poſſunt. Plutarch. in lib. de Oraculis, memoriam antiſtrophon

diuinationi esse scribit. Præterea namque ad memoriã pertinent, & præsentia sensib. obiiciuntur, (vt scribit Themistius) de futuris vero p̃licit aruspex. Platonis verba in Philebo hæc satis confirmant vbi sic Socrates: *σωτηρίαν τοίνυν αἰσθήσεως, τὴν μνήμην λέγων, ὀρθῶς ἄν τις λέγοι κατά γε τὴν ἐμὴν δόξαν. Sensus conseruationem recte quis meo iudicio memoriam nuncupabit.* Quare memoria nec est sensus, nec imaginatio, nec intelligentia, sed aliquis horum habitus & affectio, cum tempus additur, quo facta impressio est, & derelictum spectrum in anima. Sed iam multa nimis de memoria. Polymniam vero ex ea nomen sortitam scribit Lucian. lib. *περὶ ὀρχήσεων, καὶ τὴν θυγατέρα αὐτῆς Πολύμνιαν ἵλεων ἔχειν αὐτῇ πρόκειται, καὶ μεμνῆσθαι πειρᾶται ἁπάντων. Et filiã eius Polymniam propitiam habere ei propositum est, & omnia memoria tenere conatur.* Dicitur etiam Polyhymnia apud Horat lib. 1. carminum, ode 1 à multitudine cantus, vt annotat Lambinus in commentario. Iam vero & Ouidius Polyhymniam dixit, vt scribit Muretus in hunc versum:

*Dissensere deæ, quarum & Polyhymnia cœpit. Prima.*

Et Virgilius:

*Nam verum fateamur; amat Polyhymnia verum.*

Multis aliis in locis nunc Polymnia vocatur, à memoria: nunc vero Polyhymnia: qua de causa in commentariis Argonauticῶν legitur, illam lyræ præesse. Hesiodus Geometriæ præficit Græci quidam illi literas & grammaticam tribuunt. Cassiodorus in Variis lib 4. satis longa oratione de comœdia agens, inuentionem gestus mimorum illi concedit: Plutarchus postremo in Sympofiacis historias: *ἡ τε Πολύμνια τὸ ἱστορικόν. ἔστι γὰρ μνήμη πολλῶν: Polymnia historias: est enim multorum memoria.* Quæ verba consonant cum dictis: ita vt Polymnia sit veluti *πολὺς μνεία, multa memoria.* memorem namque oportet esse disciplinatum studiosum: vel (vt ait Cornutus) quasi *πολυύμνητος ἀρετή* plurimum namque virtute laudamur. Et sic de Polymnia satis.

## DE VRANIA CAP. IX.

A POLYMNIA ad Vraniam, à memoria ad cœlum trahimur vel nolentes. memoriosi namque vel *πολυμνήμονες*, cœlum (id est, totum mundum) secundum Plinium rapiunt: & omnium quę de illo inuestigari possunt, habent cognitio-

cognitionem. Arcana enim secretiora cum in cœlis continentur, quicunque eorũ erit peritus, reliqua minima, meo iudicio, ignorare non potest. Plutarchus Vraniæ historiam satis longa prosequitur oratione, his verbis: *Πλάτων αὐτὸς ὥσπερ ἴχνεσι τοῖς ὀνόμασι τῶν θεῶν ἀνιχνεύειν οἴεται τὰς δυνάμεις. καὶ ἡμεῖς ὁμοίως ἐντιθῶμεν ἐν οὐρανῷ, καὶ περὶ τὰ οὐράνια, μίαν τῶν Μουσῶν, ἣ Οὐρανία φαίνεται. καὶ εἰκὸς ἐκεῖνα μὴ πολλῆς μηδὲ ποικίλης κυβερνήσεως δεῖσθαι, μίαν ἔχοντα καὶ ἁπλῆν αἰτίαν φύσιν, ὅπου δὲ πλημμέλειαι πολλαί, πολλαὶ δὲ ἀμετρίαι καὶ παραβάσεις, ἐνταῦθα τὰς ὀκτὼ μεθοικιστέον, ἄλλην ἄλλο πλημμελείας καὶ ἀναρμοστίας εἶδος ἐπανορθουμένας.* Et cætera multa q̄ de hac scribuntur re. Sic autem Latine redduntur: *Plato, tanquam vestigiis per nomina facultates deorum inuenire autumat: eodem pacto nos vnam Musarum in cœlo & circa res cœlestes collocamus, quæ est Vrania: nam cœlestia varia gubernatione non videntur indigere, vnam cum habeant causam vniuersalem, naturam: vbi vero multi sunt errores, excessus, & transgressiones, ibi octo reliquæ debent transmitti, vt vna hoc vitium, altera illud corrigat.* Vrania igitur cœlestib. pręficitur secundum Plutarchum: quæ quanto his inferioribus præstant, tanto etiam difficilia. Circa quorum scientiam nisi multi præclari quidem versantur, tamen quæ pauca existimant nouisse, densissima etiam caligine obuoluuntur, ita vt ancipiti versentur & eo loco, à quo vel leui coniectura possint dimoueri. Zoroastris scientia inter veteres hoc testatur: qui & ad magiam vsque (vt volunt quidam) cœlestium peritia, fuit pernobilis: at nihilominus à Nino victum bello & occisum annotatum Annalibus est. Pompeius hisce diuinaculis mãcipatus fuit: at tamen eius miser exitus. Non inferendum tamen, hanc scientiam non esse nobilissimam & potissimã partem mathematicarum disciplinarum: cuius inuentionem falso quidem Manilius Mercurio tribuit his versibus, & eius profert excellentiam:

*Tu princeps autorque sacri Cyllenie tanti.*
*Per te iam cœlum in terris, iam sidera nota.*

Vultq; Plato in Epinomide, omnes scientiæ huius contemplatores à iuuẽtute, imo vero & à pueritia in illam incumbere debere, tanta est ipsius difficultas & excellentia. sic autem inquit; *Nolite ignorare Astronomiam sapientissimum*

*quiddam esse, nempe necesse est, verum astronomum esse, non eum qui secundum Hesiodum, omnesque eiusmodi, occasum ortumque consideret: sed eum potius qui circuitus octo, & quomodo septem sub primo versentur, quove ordine circulos suos singuli peragant. quod nulla natura nisi mirabilis sit, facile vnquam inspiciet, vt modo diximus, & dicemus, declarantes quid oporteat & quomodo oporteat discere.* Si igitur tanta est Astronomię laus, quo encomio inuentricem persequemur Vraniam? huius quidem non est loci. contenti itaque erimus ostendere, illam nihil aliud esse quam cœlestem Astrologiam dictam ἀπὸ τοῦ οὐρανοῦ, *à cœlo.* Nam vt scribit Pharnuthus, ὅλον τὸν κόσμον οἱ παλαιοὶ ἐκάλουν οὐρανόν. i. *integrum mundum antiqui cœlum vocabant.* Et sic Vrania vniuersi scientiam perfectissime callebat, vel quasi τὰ ἄνω ὁρῶσαν, id est, *sublimia spectantem* De qua 5. Fast. Ouid.

*Excipit Vrania, fecere silentia cuncta;*
*Et vox audiri nulla, nisi illa, potest.*

A cœlo itaque dicta est, quoniam docti vbiq; genitum nascuntur: vel dicitur Vrania, quod viros doctos & sui studiosos ad cœlum vsq; euehat: vel denique quod gloria & sapiētia animos eleuat ad cœlestium contemplationem, vt ait Fulgentius. Linum Vraniæ filium Græci quidam scripserūt. Reperio tamen Vraniam dictam ab Vrano patre, alio nomine Cælio: cui Saturnus filius virilia post amputauit. Venus dicta etiam fuit Vrania, cuius Xenophon meminit in Symposio, & Pandemii: seorsum vtrique templa prodens & altaria atque Pandemi sacrificia ῥᾳδιουργότερα; Vraniæ vero ἁγνότερα. Quidam (vt Lactantius Placidus) minacem Helenæ stellam vocarunt Vraniam. Cœterum cœlestis illa contemplatio, quam Astrologiam vel Vraniam appellarunt, nihil aliud significat, quam post diiudicationem eligere quod dicas, vel despuas. eligere autem vtile caducumque aspernari, cœlestis est animi, & sapientiæ fama perillustris. Est igitur Platonis 7. de repub. sententia verissima, qua Vraniam existimat animi nostri oculos ad superiora dirigere, & hinc illuc ipsum perducere.

## DE CALLIOPE. CAP. X.

*Poetarum sensa & Philosophica multis tenebris obuoluuntur.*

DVO

DVo sunt in animo potissima, cognitio & affectus, Platoni in Gorgia; quæ perpetuis agitantur motibus cognitio quidē a sophistis sub veritatis specie ad falsa detorquetur: affectus vero à poetis popularibus, sub concinnæ voluptatis esca, in magnas perturbationes delabitur. Oratores vero qui à sapientia sunt alieni, & cognitionem & affectum perturbant. vanis enim fallunt cognitionem rationibus, affectum vero in varios motus præcipitant. Quapropter cum deprauata illorum voluntate & verborum fuco, sæpe hominum mentes hæresibus & affectionibus perniciosis laborent; è Sophistis quidem est omnino cauendum, tanquam pestiferis; ab oratoribus etiam & poetis quodammodo. Sophistas vbique exterminat Plato, Poetas autem non omnes, sed eos tantum, qui de diis turpia mentiuntur vel animos perturbatos acrius imitantur & referūt. Neque tamē vndique, sed ex vrbe, id est, ex iuuenum ignorantumque turba; qui in perturbationes admodum sunt ꝓcliues, & allegoricum poetarum non intelligunt sensum. Quare in lib. de Rep. iubet poetas expelli nisi de Deo bene loquantur, & perturbationes relinquant: diuinos autem hymnos canant, magnorumque gesta virorum grauiter recenseant. Sicq; occupatio illa poetica (quam Calliope poetas docuit) erit à Musis. Sortita enim leuem animam, exsuscitat eam atque exagitat per cantilenas, ad genus hominum instruendum. Occupatio autem illa nihil aliud est (teste Ficino) quam raptus animæ, & conuersio in Musarum numina. Huiusmodi poesis excitat è somno corpora ad vigiliam mentis, ex ignorantiæ tenebris ad lucem, ex morte ad vitam, ex obliuione lethæa ad diuinorum reminiscentiam reuocat, exagitat, stimulat, & inflammat ad ea quæ contemplatur & præsagit, carminibus exprimenda. Quod si ad talem poesim ingenium non sufficit, & ad inuentionem multo minus. Magna vero momento assequi, non humani est ingenii, sed diuinitus inspirati. Cumque non sit à fortuna nec ab arte poesis, à Musis & à Deo tribuitur. Deū autem cum dicit Plato, Apollinem intelligit, cum Musas, sphærarum mundi animas. Iupiter quidem mens Dei est, quæ rapit Apollinem, & illum illuminat; Apollo Musas, Musæ vatum animas suscitant: vates interpretes suos inspirant; interpretes auditores mouent. Ab aliis autem Musis

aliæ illuminantur animæ, vt dicitur in Timæo quod aliæ aliis sphæris sunt attributæ animæ Calliope Musa vox est ex omnibus resultans sphærarum vocibus, omniumque reliquarum excellentissima quæ non solum poetas afflauit, sed reges etiam concomitata est: vt est apud Hesiodum his verbis:

*Καλλιόπη θ' ἡ δὲ προφερεστάτη ἐστὶν ἁπασέων.*
*Ἡ γὰρ καὶ βασιλεῦσιν ἅμ' αἰδοίοισιν ὀπηδεῖ.*
*Calliopeque, & hæc excellentissima est omnium.*
*Hæc enim & reges venerandos comitatur.*

Calliope autem filium habuit Orpheum, vt Theogoniæ li. 2. habetur.

*Insignemque modis Orphea Calliope.*

Quem quidem afflauit, sicut Musæum Vrania, Homerum Clio, Polyhymnia Pindarum, Erato Sapphon, Melpomene Thamyran, Terpsichore Hesiodum, Thalia Maronem, Nasonem Euterpe: sicque nouem Musæ, quę nouem sonos cœlestes referunt, vnumque efficiunt concentum, nouem poetas illustres rapuerunt, vaticiniumq; illis dederunt cum lyra & carminibus. Calliope quidem ab Hesiodo vocatur προφερεστάτη, quasi πρεσβυτάτη, *vetustissima*. Antiquissima est enim poesis, cuius inuentio Calliopæ tribuitur, tanquá Musarum antesignanæ. Præter Orpheum quidam dicunt ex Apolline duos alios habuisse filios, Ialemum & Hymenæum, de quibus paulo ante. Hymenæus autem amatus fuit à Thamyra qui impudicæ Veneris autor fuit. Legitur etiam Calliopen ex OEagro Cymothona filium sustulisse. Quidam Calliopes Sirenas filias fuisse tradiderunt, alii Melpomenes. Orpheum Calliopes filium Venus (ob iudicii lationem in Adonidem, quem sex mensibus Proserpina debeat seruare apud se) Thressis mulieribus obiecit, quæ illum discerpserunt. Vt vero tandem aliquando ad calcem hæc pauca de Calliope perducamus, nihil aliud esse Calliopen sciatis velim, quam cantus suauitatem & modulationem: vnde & à bona voce, ἀπὸ τῆς καλῆς ὀπὸς, denominatur: ab Homero θεὰς ὄπα φωνησάσης, *dea vocem clamantis*, vnde & illam Rhetoricæ artiq; persuadendi & Poeticæ præfecerunt. Cæterum tota hæc Musarum fabula nihil aliud præ se fert quam primum esse, velle doctrinam secundum, delectari quod velis: tertium, instare ad id qu

delc

delectatus es: quartum, capere id quod instas: quintum, memorari quod capis: sextū inuenire de tuo simile ad id quod memineris: septimum, iudicare quod inuenias: octauum, eligere de quo iudicas: nonum, optime dicere quod elegeris. Hæc Fulgentius. Egó quidem existimo quod qui diu multumque sese exercuerunt in disciplinis, & Musas Iouis summi filias coluerunt, tam mitiores disciplinas quam recondita philosophorum mysteria, illos inde non solum honorem & gloriam; sed incredibilem etiam voluptatem ex tali puluere roportaturos.

## De Cognominibvs Mvsarvm.
## Cap. XI.

*Vnde & à quibus Musæ cognominatæ fuerint.*

MVSARVM historiam breuiter tradidimus, & earum inuentiones. Quoniam autem à confinibus locis iuxta quos habitarunt, diuersa sortitæ sunt nomina, de iis etiam nonnulla dicamus. Fingunt itaque earum sedem esse in Helicone Bœotiæ monte prope Phocidem; à quo etiam Ouidius dictas vult *Heliconidas* vel *Heliconiadas*, vt testatur hoc versu:

*Pandite mandati memores Heliconis alumnæ.*

Et alio loco:

*Adde Heliconiadum comites, quorum vnus Homerus.*

Ptolemæus in sua musica, *Heliconiadas* ab Helicone nō deducit: sed ab organo quodam Musico, quod Helicō dicitur in quo nouem sunt chordæ; quarum tres sunt τοῦ διὰ τεσσάρων, vel epitriti, tres autem διὰ πέντε, seu hemiolii, & tres διὰ πασῶν. Ad quod videtur etiam alludere Hesiodus, cum ait. *Nouenarius Musarum est dies Heliconiadum.* Quidam Heliconem fluuium fuisse crediderunt, qui circiter 70. stadia sub terram fluit; qui & Baphyras dicitur. Occultatur autem hic fluuius subterraneo cursu, quod quæ Orpheum Thressæ mulieres discerpserant, in eo cum se adducere vellent, alueum occultauit.

*Aonides*: ab Aonia regione, sic dictæ, vt scribit Lactantius. ab Aone Neptuni filio, qui suorum factione, Apulia pulsus, in Bœotiam se contulit, vbi populis montes habitantibus imperauit, ac de suo nomine Aones nominauit, & regionem Aoniam: vnde hoc postea *Aonis* patrony-

micum. quo poetæ frequentissime vtuntur pro Musis: apud Iuuenalem Sat. 7.

*Aptusque bibendis Fontibus Aonidum.*

*Citariades & Citarones* dictæ fuerunt à Cithærone monte Bœotiæ, à Parnasso dissito 30. millibus passuum, in quo Orgia Bacchi celebrabantur, lib. 3. Metamorph.

*Vadit vbi festis facienda ad sacra Citharon,*
*Cantibus & clara bacchantum voce sonabat:*

Quidam scripserunt Sphragidion in Cithærone antrum fuisse Cithæronidum Nympharum; quas olim ibi vaticinatas esse, constans tenet fama.

*Pierides*: à Pierio monte Thessaliæ sic nominatæ: quod in illo natæ fuerint. Fuit etiam Pierius Macedo, quidam prædiues, de quo paulo ante qui nouem habuit filias hæ Musas ad certamen cantus prouocare ausæ, & ab illis victæ in picas fuerunt mutatæ, vnde postea Musæ earum nomen velut trophæum vsurpantes, Pierides nuncupatæ fuerunt. De his Sappho:

*Nec mihi Pierides subeunt Dryadesque puellæ.*

*Thespiades* etiam seu Nymphæ Thespias incolentes, ab oppido in Bœotia libero. Heliconi proximo, sed magis australi, vt ait Strabo libro 9. de Thespiadibus meminit Sappho.

Sunt & aliæ Thespiades, apud quas turpe censebatur artem didicisse, vel aruo studuisse propterea maxima earum paupertas fuit. de iis meminit Plinius lib. 4. cap. 9.

*Nec me Thespiadum cætera turba iuuat.*

*Pegasides* vero, ab equo Pegaso Bellerophontes, qui pedum vngulis fontem è terra dicitur eliciuisse sacrum Musis nomine Hippocrenen. vnde & *Hippocrenides* dicuntur. De quibus Ouidius:

*At mihi Pegasides blandissima carmina dictant.*

Fuit autem Bellerophon Corinthius, antiquo nomine Ἱππόνους: mox Bellero interempto, sic dictus de illo. plura apud Cœlium lib. 13. cap. 9. Dictæ etiam fuerunt *Libethrides*, à Libetra Magnesiæ fonte Musis sacro, & à poetis celebrato: Mela. lib. 2. At Strabo lib. 10. inquit Musas Libethridas nominatas à Libethro Thraciæ monte, quem postea Macedones occuparunt: sub quo & antrum ait Musis Libethridibus sacrum Virg. ecl. 7.

*Nym-*

*Nymphæ noster amor Libethrides, aut mihi carmen,*
*Quale meo Codro, concedite.*

*Pimpiaiades*, seu *Pimpleæ*, etiam à Pimpla Macedoniæ fonte ad radicem montis Pimplæi, sic dicti, quod in eo antrum esset Musis proprium, vt inquit Martialis:

*Cuius Pimpalo lyra clarior exit ab antro:*

Et Sidonius de fonte loquens:

*Et superet Pimpleæ sitim.*

*Castalides* pari ratione fuerunt nuncupatæ à Poetis, à Castalio fonte Parnassi, quem etiam Musis consecratum fuisse fabulantur. sic dictus, à virgine Castalia, quæ Apollinem fugitans, præcipitata & in fontem versa est; à cuius nomine Musæ postea Castalides: cuius virginis meminit Panyasis: eamque Acheloi filiam intelligi voluit.

*Παρνησὸν νιφόεντα θοοῖς διὰ ποσὶ περήσας,*
*Ἵξετο Κασταλίης Ἀχελωΐδος ἄμβροτον ὕδωρ.*

*Aganippides* autem ab Aganippe Bœotiæ fonte, vel Ἱππο-κρήνη Musis sacro, quem poetæ fabulantur vngula Pegasi equi alati factum. Alii volunt ita nominatas ab Aganippe Termessi fluminis filia. fluit autem Termessus circum Heliconem. De eo Marullus:

*Nec melior vita scientia est exemploque Aganippidum.*

*Hilissiades* item dicuntur. (vt in Polyhistore annotauit Solinus, & Zoroastres in præceptis rei rusticæ) à fluuio Atticæ sic nominato; & in primo de Agricultura. lib. vt refert Cœlius lib. 20. cap. 7. quo in loco facit tria signa autumnalia, ζυγὸν, σκορπίον, τὸ τοξότην. Quãdo autem Diana eadem cum Luna est, transmittentibus Hilissum terræ Atticæ fluuium, vnde Hilissiades Musæ dictæ sunt, &c. Tamen obiter notabis ζυγὸν significare libram. Hilissi fluuii mentionem facit Plato in Phædro, dicitque puellis (id est, Musis) proprium esse, his verbis: Ἰλισοῦ ἆρ᾽ οὖν ἐνθένδε χαρίεντα γοῦν καὶ καθαρὰ καὶ διαφανῆ τὰ ὑδάτια φαίνεται, καὶ ἐπιτήδεια κόραις παίζειν παρ᾽ αὐτά, id est. *Annon Hilissi hic grata, pura & nitida apparet aquula, puellarumque apta ludis?*

*Ligyæ* etiam dicuntur ab eodem Platone, ob canorum genus, quod *ligyum* nominatur, vel etiam propter cantum ipsum. Et *Corycides* ab antro quodam apud Delphos, vbi oraculorum etiam responsa reddebantur. *Mnemosynides* etiam à matre Mnemosyne. In Pausaniæ etiam monumen-

tis scriptum reperitur, fuisse apud Trœzenios veterem Ardali aram, super qua Musis & Somno rem diuinam peragebant antiqui, Somnum astruentes esse Musis deum præcipue amicum. Fuit autem Ardalus hic Vulcani filius, quem tibiam adinuenisse opinantur, & ab eo Musas dici *Ardalidas*. Dictæ sunt etiam *Mæonides*, à Mæonia regione. Dicuntur & *Pereides*, à fonte quoque Macedoniæ. *Nymphæ* postremo dictæ fuerunt, veluti virgines. νύμφη enim apud Græcos nihil aliud est quam caruncula illa (κλειτορὶς nuncupata) quæ interiacet rimam muliebrem: exeritur autem post longum rerum venerearum exercitum. νύμφη etiam dicitur pellicula illa, quam vocant hymen, quæ integra, integritatem significat & pudicitiam: effracta, violatæ virginitatis argumentum est. Nymphis autem omnibus sed Musis præcipue: dicata fuerunt antra, & solennes fontes, vt meminit Capitolinus: antra quidem, propter destillantes aquas affatim affluentesque. Eadem ratione & fontes lauandis Nymphis destinati: vnde & Nymphæi dicũtur. Innuente itaque Deo vmbilicum huic narrationi de Musis & Mythologiæ impegimus, quoad breuissime fieri potuit. Quod sicubi imprudentes lapsi sumus, aut scopum non attigimus veritatis adyta, arcanosque fontes non vere recludentes, lectorem oratum volo erroris partem aliquam priuatis meis negociis condonare & temporis angustiis. Ego vero Deum adprecabor vt quamdiu hac vitali fruar aura, si grauissimis curis incumbere mihi denegatum sit, tamen humi compascens graculus, aliquo modo reipublicæ literariæ subseruiam; Vale.

F. S.

# F. S. NOTÆ AD MYTHOLOGIAM MVSARVM.

NON ignoro quam arrogans & inuidiosum sit alienos labores curiosius examinare, quapropter lubens admodum eo negocio supersedissem, bonasque horas melius collocassem. Sed quia Sitardus eo processit impudentiæ vt non modo laborum nostrorum fructus nobis præripere non sit veritus, sed eosdē etiam, ad tegendas suas fraudes, & publice & priuatim calumniari ausus sit, necesse nobis fuit & diligentiæ nostræ laudē tueri & illius tum inscitiam tum negligentiam coarguere, vt in posterum & ipse manibus ac linguæ suæ temperare discat, & alii quam vana sit eius obtrectatio, liquidius perspiciant. Quod igitur ad nostram Mythologiæ editionē attinet, ipsi eam prædicare nolumus; sed sufficit nobis ipsius Natalis testimonium: quod in extrema primi folii pagina visum est proponere. id enim adeo luculētum est, vt ad refellendas obtrectatoris calūnias nullis aliis opus sit argumentis. Quantum vero ipse in sua editione præstiterit: etsi è sola vtriusq; collatione satis est perspicuum, ex appendice tamen omnium clarissime intelligi posse iudicamus. cum enim in eo additamento accuratam diligentiam adhibere debuisset, vt lector ea perspecta, reliquum etiam opus pari fide tractatum crederet, pauca illa folia tot & tam fœdis repleuit mendis, vt indiligentiæ palmam aliis suæ farinæ hominib. inuidisse videatur. Nam vt aliqua exempla in medium afferam, quamnam vel diligentiam vel eruditionem redolet diphthongos scriptura in istis, *cecinit*, *Orphaus*, *chorea*, *Magnæsia*? quid arguit mutilatio illa in *Plagiolos* & *Polaster*, pro *Plagiaúlos*, & *Polyhistor*? quid item commutatio ista non modo vocalium in *cythara*, *rithmice*, & consimilibus; sed etiam diphthongorum in istis, *Tracen*, *Baotia*, *Comadia*, *Tragedia*: & contra, *Mœonia* pro *Mæonia*. itidemque *citheroneum* pro *citharonium*, At cum *Tresses mulieres* edidit pro *Thressa mulieres*, præter orthographiam, violauit etiam analogiam quid de Græcis dicam? quam puerilis est accentum ista transpositio in Ο'μηρός, Εὐτερπή, μελετή, σωφρόνισαι, ὄρωσαν, pro Ο"μηρος, Εὐτέρπη, μελέτη, σωφρονισαί, ὁρῶσαν. Quid indicat confusio

illa, τοῦ pro τῶν, ἀδοῖς pro ᾠδαῖς, ἐ pro ἡ? Item corruptio ista, ὕθιν, ὑπαίρεσι, pro ὕπιν', ὑπαίρεσις: & ὑποποκείνη, pro Ι᾿ πποκρήνη: θίας, ὀπά, pro θεᾶς ὄπα: ὀγδοάκοντα ἔτει, pro ὀγδοηκοντούτει. Quam belle item paginis inscriptus est titulus, MVSARVM LIBELLVS MYTHOLOGIAE? Quibus vt veniam demus, quo pacto excusabit se vbi quosdam auctoris locos ita mutilauit, vt ne structura nec sensus sibi constet? quorum quosdam, vt facilius in oculos incurrerent, asterisco notare libuit. Sed comprehendi omnia generali aliquo complexu hic non possunt, cum singulæ fere paginæ peculiare quidpiam habeant. Quapropter ordine illas percurrere libet, indicataque insigni homini diligentia, calculum lectori permittere. Vt ergo potissima dumtaxat persequar.

Pag. 1145 v. 16 hæc Homericorum versuum interpretatio præpostere inserta erat loco Ciceronis, qui paulo post citatur ex epistol. ad Attic. hic enim lector expositione adiuuari potest in Ciceronis vero epistolam aliquid expositionis inculcari, nec ipse Cicero vult, nec Atticus requirit; quippe qui Græcæ linguæ cognitionem pro cognomento satis indicat. Ad hæc Ciceronis epistola, quæ hic citatur 10. in Lambini editione est 13. Ibidem paulo post, loco Virgilano non apposita erat nec septimi nec decimi libri mentio.

Pag. 1149 v. 8. hic quoque obtrectator manifesto indicio se prodiderat, dum pro ἐν Πιερίῃ posuerat ἐν Πιίσι: vt etiam infra, 1181. pro *fonte Parnassi* substituerat *fonte Parnasit* magno eruditionis & diligentiæ argumento.

P. 1150. v. *vbi*) pro *Mimnerca* apud Pindari scholiastem est *Mimnemi* sic enim habet editio Romana, in od. 3. Nemeon, ὁ μὲν Α᾿ρίσταρχος Οὐρανοῦ θυγατέρα τὴν Μοῦσαν δέδεκται, καθάπερ Μίμνερμος καὶ Α᾿λκμὰν ἱστοροῦσι.

P. 1152. v. 4. à fine, pro ὑμαὶ, Aldina & Stephanea editio habent ναὶ μαὶ. In ijsdem pro seq. hemistichio, ῥίζαι μετ' ἔχουσιν, legitur, ἀλλ' ἔρχιν ἐπ' ἔργον.

Pag. 1153. v. 7. à fine pro *Licnitan* posuerat *Lignitam*: perinde ac si Latinam haberet originem à ligno, non Græcam παρὰ τὸ λίκνον Ibid. pro, *in anima Mercurij*, Cyraldus habet, *in Mercurij sphæra*. Ibid. v. seq. pro *Lysium* supposuerat *Lysum*: & paulo post: *Sebasium*, pro *Sebazium*. Pro

*Peri-*

*Periclonium* vero, scribendum *Pericionium*, vt apud Gyrald: est, qui etiam *Eribromum* habet, non *Eribromium*, Si quis etiam pro *Amphieton* malit *Amphietem*, non magnopere reclamabo. In Orphicis sane hymnis legitur Ἀμφιετοῦς θυμίαμα, pag. 117: vbi cæteris Bacchis sui sunt hymni & thymiamata, Λικνίτῃ, Περικιονίῳ, Σαβαζίῳ, Λυσίῳ, Τριετηρικῷ, & Σιληνῷ Bacchi nutritori.

Pag. 1154. v. 2. corrupit auctoris verba calumniator, quæ quomodo restituenda sint, ipse in suo exemplari viderit. Gyraldus habet, *vt musarum vires diuina cognitionis nectare ebrias intelligamus.* Iliad. v. 9. Luciani dialogos in Aldina edit. est 12. non 3. Veneris scilicet & Cupidinis: pag. 34. & pro extremis huius loci verbis, καί τι ἐν ταῖς ᾠδαῖς (pro quo calumniator posuerat ὁδοῖς) ἔχουσι, eadem Al. ed. habet, καὶ περὶ ᾠδὴν ἔχουσι. *& in cantu occupata sunt.* Ibidem paulo post, in loco Sapphonis pro πέδ' ἔχεις: quod interpr. *h virulum habes*, non dubito quin vera lectio sit πεδέχεις: Æolice nimirum pro μετέχεις, *particeps es.* Apud Plutarchum sane in fine Præcept. connub. & apud Stobæum in tractatu De amentia, sic legitur hoc Sapphonis fragmentum, Κατθανοῖσα δὲ κείσεαι. οὐδέ τις ποτὶ μναμοσύνα σέθεν ἔσσεται οὐ γὰρ μετέχεις ῥόδων τῶν ἐκ Πιερίας: vt etiam Henr. Stephanus annotauit in sua Lyricorum fragmentorum editione, pag. 44. Iam πεδέχεις Æolice dici pro μετέχεις confirmat apud Hesych ū πέδιλα θε pro μέταλλα. item πεδάρσιον, πεδοίκους, πέδαιρος, pro μετάρσιον, μετοίκους, μετέωρος, & consimilia.

Pag. 1157. v. 11. pro *sustulisse* auctor fortasse scripsit *sustinuisse.*

Pag. 1158. v à fine calumniator posuerat φαιδρόν pro quo reposui φανερόν. quippe quod aptius mihi videretur quam φαιδρόν. si coniectura me fefellit, veniam ab auctore & lectore peto.

P. 1160. v. 13. etsi mihi non lubet in Græcorum locorum interpretationem vsquequaque inquirere, tamen hic committere non possum quin veriorem & aptiorem Xylandri versionem adscribam: *Nuptialis autem mensa indicem habet Hymenæum alta voce clamantem, & facem ac tibiam: quæ Homerus ait etiam mulieribus ad fores stantibus esse admirationi.* Locus Plutarchi est Sympos. pro libro 4. quæstion. 3.

P 1163. ſcribendum, quo Themiſtocles fil.

P. 1164. v. 7. ſubaudiendum hoc in loco verbum *inuenerunt & confecerunt*, vt perſpicuum eſt ex Iulio Polluce, lib. 4. c. 10. ſed ibi Pollux τὸν πλαγίαυλον quidem & τὸν ὑποφόρβιον (ſic enim habet etiam Aldina editio) Libyum inuentum eſſe tradit. τὸν ἔλυμον autem, inuentum eſſe Phrygum. Pro *Phorbion*, quod ſequitur, rectius calumniator ſcripſiſſet φορβειᾷ, vt tum ex aliis, tum ex illo ipſo Polluce cognoſcitur, qui paulo ante locum modo citatum inquit, καὶ φορβειὰ δὲ προσῆκε τοῖς αὐλοῦσι. καὶ τὸν τῇ φορβειᾷ κατειλημμένον ἐμπεφορβιωμένον ἔλεγον. Similiter pro *Photingia* (v. 21) rectius ſcripſiſſet φώτιγξ, aut φωτίγγιον. Sic certe Athen. lib. 4. p. 88. cum ex Iuba narraſſet, τὸν μόναυλον Ὀσίριδος εἶναι εὕρημα, καθάπερ καὶ τὸν καλούμενον φώτιγγα πλαγίαυλον ſubiungit aliquanto poſt οἷς παρείκετο φωτίγξι καὶ μοναύλια.

P. 1165. v. 13. in Plutarchi loco αὐτῆτι habent etiam vulgatæ editiones, & agnoſcit hæc interpretatio. non inepte tamen legeris αὐτῇ τὸ quam ſcripturam & Xylander ſecutus videtur, dum vertit, *ſiquidem verum eſt quod dicit Chryſippus, ei ſorte obtigiſſe gratiam & oblectationem colloquij*. Locus eſt Sympoſ. lib. 9. probl. 14.

P. 1166. v. 11. pro ἀνθρώπως rectius ſcripſiſſet ἀπανθρώπως, vt non tantum Hen. Steph. edidit, ſed hæc ipſa interpretatio arguit. Pro συνόντας vero ſi quis συνόντως malit, non refragabor. Xylander ſane vertit, *ideo qui amice & hilariter compotant, eos* θαλάζειν *dicimus, non qui per vinum culpam committant*. Ibid. v. *ead.* (pro *concilio* ſcripſit forſan auctor *conſilio*, vt infra 1169. Ibid. v. *vult*) apud Fulgentium quoque vulg. edit. habent. *velut ſi dicatur*, τιθεὶς θάλειαν, *id eſt, ponens germina*. Sed miror quomodo calumniator, qui noſtram editionem tot & tantarum mendarum inſimulat, hunc ſolæciſmum non viderit nam Latina quidem participia communis ſunt generis in præſenti actiuo, at non item Græca & *germina* Græce θαλλοὶ potius, aut θάλλη dicuntur, quam θάλειαι itaque ſcribendum fuiſſet τιθεῖσα θάλλη, vel in contracte θάλλια. Ad hæc pro *Deiphilo* rectius Baſilienſis editio habet *Diphilo* Pro ἐπιτάξειν vero, quod interpr. *conſumit*, poeta fortaſſe ſcripſit ἐπέτρωξεν *arroſit, adedit*.

P. 1169. v. *præterea*) pro *ſicinniſtas* rectius ſcripſiſſet *ſicinnas*, vel *ſiccinnidas*. nam σικιννισταὶ dicuntur ipſi ſicinnarum

ſalta-

saltatores: vt satis manifestum est ex Athen. lib. 1. p. 10. vbi etiam sicinnas à Sicinno quodam barbaro, non à Sicinnis populis denominatas scribit.

P. 117. v. 1. rectius verteris, *saltent, & circum prævalidi Saturnij aram* Ibid. v. *mandro*) corrupta sunt Hermæ verba genuina lectio in Morel. edit. ab ipso statim Pœmandrę exordio, hęc est, ὥσπερ οἱ ἐν ὕπνῳ βεβαρημένοι ἐκ κόρου τροφῆς ἢ ἐκ κόπου σώματος, i. *sicut quos in somno alimenti satietas vel corporis lassitudo prægrauauit.* ibid. v. *ferre*) pro corruptis istis τέρψον ὄρον, calumniator rectius è Cornuto posuisset, ἀπὸ τοῦ ὁρᾶσθαι τέρψιν παρέχουσα, *aspectu suo spectatores oblectans, pleonasmo litera* χ, *quasi* τερψιόρη.

P. 1174. v. *rit*) *ea* hic accipiendum pro *per eam*, sic enim & Paus. in Arcad. 268. 21. Eratonem nympha προφῆτιν τοῦ Πανὶ γενέσθαι, tradidit, id est, Panis in reddendis oraculis fuisse interpretem. Qui vero mox Patroclus dicitur, non tantum in vulgatis edit, sed apud Suidam etiam in alphabeti ordine Proclus nominatur. Ibid. v. *plect.*) scribendum, *carmine vultu.* Ibid. v. *bus*) rursum corrupta Fulgentij exemplaria secutus est. grammaticæ leges postulant, εὑροῦσα ὅμοιον, *inuenientem simile.*

P. 1175. v. 5. hunc quoq; Thucydidis locũ male mutilauit sycophanta. quẽ sic restitues ex Henr. Steph. edit. par 256. αὖθις τὴν περίοδον ἐπῆρχεν ἵνα ἕκαστον ἀνεκάλει, πατρόθεν τε ἐπονομάζων, καὶ αὐτοὺς ὀνομαστὶ καὶ φυλὴν Ibid. v *la*) forsã auctor scripsit, *quod in Thessalia à principe quodam magnifico exceptus epulo.* Historiam præter alios narrat Cic. lib. 2. De orat. & Val. Max. lib. 1. c. 8. necnon Suidas, qui omnes illum Thessaliæ principem Scopam vocant, & oppidum Cranonem.

P. 1176. v. *cum*) hic rursus suæ tum diligentiæ tum peritiæ illustre documentũ præbuit, dũ contra Græci sermonis leges posuit πολὺς μνεία, pro πολλὴ μνεία, rectius scripsisset, *ita vt polymnia dicta sit à* πολύ *multum, &* μνεία *memoria, mẽtio, quasi multum memoria pollens, vel multum memorans.*

P. 117. v. *scrib.*) Plutarchi locum Xylander planius vertit hoc modo. *Sicut Plato nominibus tanquam vestigiis deorum se facultates putat inuenire, ita nos quoque similiter imponamus cœlo & rebus cœlestibus. Vraniam Musam, quæ à cœlo nomen habet. Et probabile est res cœlestes non multa aut varia opus habere gubernatione, quandoquidem in vnica & simplex*

*causa est natura. Vbi vero multi errores, multa contra mensuram euententia, multa delicta: eo iam octo musa sunt transferenda, quarum alia alio vitio medicetur.*

P.1178.v.minuit) pro *Pandemnij* debuisse edere *Pandemi*, vt versu sequente: vel Græce, Πανδήμου; quia *Venus Pandemus* Latinas aures aliquantum offendit. Sic certe Xenoph. in Symposio p. 522. εἰ μὲν οὖν μία ἐστὶν Ἀφροδίτη, ἢ διτταὶ, οὐρανία τε καὶ πάνδημος, οὐκ οἶδα· ὅτι γε μὲν τοι χωρὶς ἑκατέρᾳ βωμοί τε εἰσὶ καὶ ναοὶ καὶ θυσίαι, τῇ μὲν πανδήμῳ ῥᾳδιουργότεραι, τῇ δὲ οὐρανίᾳ ἁγνότεραι, οἶδα.

P.1182. v.3. *Citariades & Citarones* Musas nusquam legisse memini, nec facile inueniri posse puto. A Cytherone monte denominari possunt Cythæronides, Heliconides & Heliconiades ab Helicone, quæ denominatio, si syncopen admittere credenda est, scribendum Cythæriades. Cytheriadas vero apud Gyraldum, existimarim potius à Cytheris, insula & oppido, nomen traxisse: præsertim cum Pausanias, in Laconicis. 106. 18. testetur per antiquum ibi & sacrosanctum Vraniæ Veneris esse fanum cum quo numine non male Musis conuenit.

P.1183. v.8. à fine locus Platonis deprauatus est, nam genitiuus Ἰλισσοῦ pertinet ad præcedentē periodum qua Phædrus ex Socrate quærit, annon Boreas Oiithyam inde ἀπὸ τοῦ Ἰλισσοῦ rapuisse perhibeatur, & mox iterum interrogat, ἆρ' οὖν ἐνθένδε; id est, *hinc ne igitur?* s. rapuit, seu rapuisse fertur? & huic interrogationi ea quæ sequuntur subiicit, χαρίεντα γοῦν, & cætera. Locus est non longe ab initio dialogi, editionis Stephaneæ pag. 229. Ibid. v. à fine pro *Ligya* rectius scripsisset *Ligia seu Ligea*, vel Græce λίγειαι, Præterea *Ligyum* in vulgatis editionibus Platonis est potius substantiuum plurale genitiui casus, quam adiectiuum singulare nominatiui. quod vt perspiciatur clarius, ipsa philosophi verba subiungam, pagin. 237. ibi enim Socrates ait, ἄγετε δὴ ὦ Μοῦσαι, εἴτε δι' ᾠδῆς εἶδος λίγειαι. εἴτε διὰ γένος μουσικὸν τὸ Λιγύων, ταύτην ἔσχετ' ἐπωνυμίαν ξύμ μοι λάβεσθε τοῦ μύθου. Estque ibi magni adscripta etiam alia lectio, λιγυρόν. Serranus locum sic vertit. *Iam agite ô dulces Musæ siue peculiari quadam cantionis specie, siue ipso in vniuersum musica genere hanc appellationem estis sortita, sermone meo opem auxiliumque ferte.*

P.1184.

P. 1184 v. *& Pat.*) *Pateides* reperi etiam apud Gyraldum, Syntagm. 7. p. 256. ibi enim ex Festo Pompeio tradit, Pateidas Musas appellatas à fonte Macedoniæ propter liquoris eius vnicam subtilitatem. Sed si doctissimi Scaligeri editionem consulas, non *Pateides* inuenies, sed *Pimpleides*, & in margine *Pipleides, vel Pepieides vel Pecleides*.

Atque hæc sunt quæ in libello isto ab obtrectatore partim plane corrupta, partim negligenter edita obiter animaduertimus. E quibus si de cætera eius diligentia faciendum sit iudicium, vt par est, intelligere te puto lector, quantum eius calumniis tribuendum sit fidei. Sed fortasse culpam à se in exemplar reiiciet, & se quidem nulli labori pepercisse dicet, sed autographum adeo mendosum fuisse, vt omnia errata inde tolli non potuerint. Scio id multos typographos conqueri; & plerosque non immerito. Sed illa excusatio in hoc negocio non videtur admittenda. Nam de Linocerio id mihi persuadere non possum, eum qui eruditionis & diligentiæ non obscura documenta dedit, libellum suum tam negligenter vel exarasse, vel recensuisse. Et si maxime id verum esset, obtrectator, qui nostram editionem à tot & tam sparcis mendis repurgasse videri voluit, saltem in suis quoque acumen aliquod ostentare debuisset, præsertim cum Linocerium coram consulere potuerit quæ occasio si nobis concessa fuisset multo maiorem erratorum numerum è nostra editione profligassemus. sed cum longissimo viæ spacio à doctissimo Natale abessemus, & in alienis nihil temere audendum censeremus, sequi exemplar in dubiis maluimus, & nostras de illis coniecturas lectoribus proponere. Si quid ergo coniectura hic valeo, non negauerim exemplar Linocerij omnibus plane mendis caruisse, (id enim vix vllus tribuere sibi potest: quia oculis & mente falli humanum est) sed hoc affirmare ausim, multo minimam erratorum partem Linocerio tribuendam esse : reliquas corruptelas omnes à calumniatore promanasse. qui enim homini, à quo nec dictis nec factis vnquam læsus est, quæstus dumtaxat gratia, cum laborum fructu existimationem etiam detrahere non dubitat, quid ille mutis chartis præstet fidei ? tales homines ore quidem publica iactant commoda, sed mente ac manu in priuata sunt intenti. Cur vero maximam erratorum partem

*causa est natura. Vbi vero multi errores, multa contra mensuram euententia, multa delicta: eo iam octo musæ sunt transferendæ, quarum alia alio vitio medicetur.*

P.1178.v.minuit) pro *Pandemnij* debuisse edere *Pandemi*, vt versu sequente: vel Græce, Πανδήμου; quia *Venus Pandemus* Latinas aures aliquantum offendit. Sic certe Xenoph. in Symposio p. 522. εἰ μὲν ἓν μία ἐςὶν Ἀφροδίτη, ἀδιτλαῖ, οὐρανία τε ἢ πάνδημος, οὐκ οἶδα ὅτι χαμῇ τοι χωρίσι καπὶ ερα βωμοί τε εἰσὶ ἢ ναοὶ καὶ θυσίαι, τῇ μὲν πανδήμῳ ῥᾳδιουργότεραι, τῇ δὲ οὐρανίᾳ ἁγνότεραι, οἶδα.

P.1182. v.3. *Citariades & Citarones* Musas nusquam legisse memini, nec facile inueniri posse puto A Cytherone monte denominati possunt Cythæronides, Heliconides & Heliconiades ab Helicone, quæ denominatio, si syncopen admittere credenda est, scribendum Cythæriades. Cytheriadas vero apud Gyraldum, existimarim potius à Cytheris, insula & oppido, nomen traxisse: præsertim cum Pausanias, in Laconicis. 106. 18. testetur per antiquum ibi & sacrosanctum Vraniæ Veneris esse fanum cum quo numine non male Musis conuenit.

P.1183. v.8. à fine locus Platonis deprauatus est, nam genitiuus Ἰλισσῦ pertinet ad præcedentē periodum qua Phædrus ex Socrate quærit, annon Boreas Oiithyam inde ἀπὸ τῦ Ἰλισσῦ rapuisse perhibeatur, & mox iterum interrogat, ἆρ' οὖν ἐνθένδε; id est, *hinc ne igitur?* s. rapuit, seu rapuisse fertur? & huic interrogationi ea quæ sequuntur subiicit, χαρίεντα γοῦν, & cætera. Locus est non longe ab initio dialogi, editionis Stephaneæ pag. 229. Ibid. v. à fine pro *Ligya* rectius scripsisset *Ligia seu Ligea*, vel Græce λίγειαι, Præterea *Ligyum* in vulgatis editionibus Platonis est potius substantiuum plurale genitiui casus, quam adiectiuum singulare nominatiui. quod vt perspiciatur clarius, ipsa philosophi verba subiungam, pagin. 237. ibi enim Socrates ait, ἄγετε δὴ ὦ Μοῦσαι, εἴτε δι' ᾠδῆς εἶδος λίγειαι. εἴτε διὰ γένος μουσικὸν τὸ Λιγύων, ταύτην ἔσχετ' ἐπωνυμίαν ξύμμοι λάβεσθε τοῦ μύθου. Estque ibi magni adscripta etiam alia lectio, λιγυρόν. Serranus locum sic vertit. *Iam agite ô dulces Musæ siue peculiari quadam cantionis specie, siue ipso in vniuersum musica genere hanc appellationem estis sortitæ, sermone meo opem auxiliumque ferte.*

P.118.4.

P. 1184 v. & *Pat.*) *Pateides* reperi etiam apud Gyraldum, Syntagm. 7. p. 256. ibi enim ex Festo Pompeio tradit, Pateidas Musas appellatas à fonte Macedoniæ propter liquoris eius vnicam subtilitatem. Sed si doctissimi Scaligeri editionem consulas, non *Pateides* inuenies, sed *Pimpleides*, & in margine *Pipleides, vel Pepleides vel Pecleides.*

Atque hæc sunt quæ in libello isto ab obtrectatore partim plane corrupta, partim negligenter edita obiter animaduertimus. E quibus si de cætera eius diligentia faciendum sit iudicium, vt par est, intelligere te puto lector, quantum eius calumniis tribuendum sit fidei. Sed fortasse culpam à se in exemplar reiiciet, & se quidem nulli labori pepercisse dicet, sed autographum adeo mendosum fuisse, vt omnia errata inde tolli non potuerint. Scio id multos typographos conqueri; & plerosque non immerito. Sed illa excusatio in hoc negocio non videtur admittenda. Nam de Linocerio id mihi persuadere non possum, eum qui eruditionis & diligentiæ non obscura documenta dedit, libellum suum tam negligenter vel exarasse, vel recensuisse. Et si maxime id verum esset, obtrectator, qui nostram editionem à tot & tam spurcis mendis repurgasse videri voluit, saltem in suis quoque acumen aliquod ostentare debuisset, præsertim cum Linocerium coram consulere potuerit quæ occasio si nobis concessa fuisset multo maiorem erratorum numerum è nostra editione profligassemus. sed cum longissimo viæ spacio à doctissimo Natale abessemus, & in alienis nihil temere audendum censeremus, sequi exemplar in dubiis maluimus, & nostras de illis coniecturas lectoribus proponere. Si quid ergo coniectura hic valeo, non negauerim exemplar Linocerij omnibus plane mendis caruisse, (id enim vix vllus tribuere sibi potest: quia oculis & mente falli humanum est) sed hoc affirmare ausim, multo minimam erratorum partem Linocerio tribuendam esse: reliquas corruptelas omnes à calumniatore promanasse. qui enim homini, à quo nec dictis nec factis vnquam læsus est, quæstus dumtaxat gratia, cum laborum fructu existimationem etiam detrahere non dubitat, quid ille mutis chartis præstet fidei? tales homines ore quidem publica iactant commoda, sed mente ac manu in priuata sunt intenti. Cur vero maximam erratorum partem

ab illo inuectam arbitrer, hæc causa est, quia quæ in nostra editione recte sunt expressa, ille in sua passim corripit. quod ipsum & Sylburgius in Notis suis ab eo factum queritur.

Ne tamen omnia etiam laudabilia in eo damnare videamur, vt iniuriam nobis illatã, & fucum nõ modo emptori, sed auctori etiam, atque ipsi regi factum non probamus, ita sententiam eius, quam de Natalis Mythologia dixit, & laudamus & amplectimur. Quęnam illa est? Non vtar (inquit) longiori sermone ad huius libri commendationem. Satis namque amplam ipse sibi suppeditat materiam, cum ex innumeris scriptoribus, poetis pręsertim, concinnatus fuerit, plurimis variarum omnino gentium nomenclaturis refertus, infinitis auctoritatibus illustratus; ita vt multiplicem studiosis omnibus vsum exhibere possit, & materiam præbere vberrimam. Quantum autem hac in re auctor consecutus sit, illud vel mediocriter in literis versati iudicio examinandũm relinquo. Id tamẽ ausim affirmare, quod si quis lectione varia & multiplici poeseos & philosophię delectetur, suumque ad omne doctrinæ genus serio applicet animum, illum mirum inde fructum & vtilitatem percepturũ. Minori enim negocio multarum rerum cognitionem, faciliorique labore historiæ poeticæ explicationem consequetur. Adde quod omnia omnium poetarum hic deteguntur mysteria & illucescunt quod quidem ad poetas intelligendos tantum confert, vt his non cognitis frustra in illorum scriptis euoluendis labores & vigilias insumseris.

Hæc ille de natalis opere, vera sane. quæ sententia si Spartæ illi dicenda esset, ab eo in præstantioris notæ hominem transferretur.

Quod superest. Sitarde, rogamus vt in posterum ab eiusmodi iniuriis abstineas: vel si omnino contra diuinas & humanas leges alienis laboribus insidiari, alienisq; commodis obstruere animũ induxisti, at famæ saltem atque existimationi eorum parcito. Nos sane, ni tu prior in nostra iniq; inuolasses, nostris de tuo nihil assuissemus, qui si pro octoginta ferme foliis, quæ ex nostra officina tibi vsurpasti, de tuis tria nobis sumpsimus, nullam tibi facimus iniuriam: imo & de auctore illius lib. & de rep. bene meremur, qui, quæ tu corruptissime in lucem edidisti, longe integriora in publicum emittimus. Quare tantum abest vt vel Linocetium

rium, vel alios homines literatos succensuros nobis vereamur, vt eos potius optimi Natalis exemplo gratias nobis pro publico & priuato beneficio acturos confidamus; præsertim si non ad inferendam, sed ad propulsandam iniuriam, hoc factum tendere considerent.

### ΑΝΤΙΠΑΤΡΟΥ εἰς εἰκόνα μουσῶν.

Τρίζυγες αἱ μοῦσαι τᾷδ' ἕσταμεν, ἁ μία, λωτούς.
Ἃ δὲ, φέρει παλάμαις βάρβιτον· ἁ δὲ χέλυν,
Ἃ μὲν Ἀριστοκλῆος ἔχει χέλυν· ἁ δὲ Ἀγελάδα,
Βάρβιτον· ἁ Κανάχα δ' ὑμνοπόλους δόνακας.
Ἀλλ' ἁ μὲν, κράντειρα τόνου πέλει· ἁ δὲ μελῳδὸς
Χρώματος. ἁ δὲ, σοφᾶς εὑρέτις ἁρμονίας.

### De Musarum inuentis.

*Cleio gesta canens transactis tempora reddit,*
*Melpomene Tragico proclamat mæsta boatu.*
*Comica lasciuo gaudet sermone Thalia.*
*Dulciloquis calamos Euterpe flatibus vrget.*
*Terpsichore affectus citharis mouet, imperat, auget*
*Plectra gerens Erato saltat pede, carmine, vultu.*
*Carmina Calliope perlibris Heroica mandat*
*Vranie cœli motus scrutatur, & astra.*
*Signat cuncta manu, loquitur Polymneia gestu.*
*Mentis Apollineæ vis has mouet vndique Musas.*
*In medio residens complectitur omnia Phœbus.*

# RERVM MEMORABILIVM QVÆ IN MYTHOLOGICIS LIBRIS CONTINENTVR.

ABas in stellionem versus, pag. 518
Abies Baccho sacra 487
Absyrtus Phaeton vocatus 578
Absyrtus discerptus 579. vbi discerptus 595
Acacesium vrbs vnde dicta 440
Accipiter Apollini sacer 365
Accipiter cur auis factus 902
Achelaus fluuius vnde dictus 714
Achelous quis fluuius 717 757
Acheloi parentes 714 pugna cum Hercule 715. 717. inuentum 716. filiæ, ibid.
Acheolus quæ aquæ vocarentur ibid.
Acheron fluuius inferorum 189
Acheron quis fluuius esset 190. 192
Acheron cur ad inferos missus 193
Acheron vnde dictus ibid.
Acherontes duo 190
Acherontis parentes 190. filius 192
Acherontis cursus 190. 192
Acherusia palus 190 191
Acherusiæ cursus 191
Achilles sub igne occultatus 826. 1000. educatus 1001. vnde dictus 826. 1000. lactis ignarus 1001 quæ didicit à Chirone, ibid. latuit ne exiret ad Troiam 947. fontem excitat exilientem 1002. à Paride cæsus, ibidem Pyrisous dictus 1000
Achillem Musæ luxerunt, ibid.
Achillis ossa in vase aureo condita 1003
Achillis arma 1001. parentes 826. 1000
Achilleum herba 1003
Aconiti forma & vis. 204. 695
Aconitum inuentum 246
Aconitum natum è vomitu Cerberi 204. vnde dictum 695
Aconitus collis 192
Acrephia vrbs vnde dicta 346
Acrisius interemptus 815
Acrochersitæ dicti athletæ 431
Actæon venator 671. in ceruum versus, ibid. à canibus laniatus, ibid. Dianam vidit nudã 671. Melissus distractus 672

Actæo-

Actæonis parentes 671. saxum ibid.
Actæonis canum nomina 672
Actæonis allegoria 673
Actæones plures 672
Adiantum sacrum Plutoni 177
Adonis à Naiadibus educatus 530. à Venere amatus 389. 530 ab apro cæsus 388. 531. 533. 778. Martis consilio cæsus 531. inter lactucas positus, ibidem ab Hercule spretus 531. sex menses apud Cererem alterne 531
Adonis fluuius 532
Adonis sol est 401. 533
Adonis parentes 390. 350 fanum 532. allegoria 533
Adonides plures 530
Adonia sacrificia 402. 531
Adoniorum sacrorum ritus 531 532
Adonij horti 531
Andrastea Nemesis dicta 1022 vnde dicta ibid. quæ dea esset 1024
Adriani pauo è gemmis 139
Adulterorum supplicia 398
Ææa Medea 578
Ææa vnde dicta 573
Ææa insula vbi 571
Ææa Circe ibid.
Æaci parentes 214. filij 215. existimatio, ibid. allegoria ibid.
Ædificare inuentum Pelasgi 611
Ædificare Pallas, & Vulcanus inuenit 153
Æeta vbi regnauit 570
Æetæ crudelitas 246
Ægæon Iouem inuasit 89
Ægæon qualis ibid.
Ægæon sub Ætna ibid.
Ægæon stetit pro Ioue 90
Ægæum mare vnde dictum 741
Ægis scutum Iouis 85
Ægis vnde dicta 303
Ægidis mira vis ibid.
Ægidis feræ vis 309
Ægides scuta quæ fuerint 304
Ægina in Insulam versa 629
Ægina insula vnde dicta 215 314. 895
Ægyptij Græcis religionis autores 10 11
Ægyptiorum Dij 11. 12. 14. 651
Ægyptus vnde dicta 155
Æneas Veneris filius 390. reprehensus ab Apolline 338. captiuus abductus 390.
Ænigma Sphingis 10:8
Ænus quid sit 8
Æoliæ insulæ Vulcani officina 866
Æoliarum insularum nomina ibid.
Æolias insulas Æolas habitauit 866

Æolidæ qui fuerint 591
Æolus cur ventorum quæstor. 869
Æoli vxor 868. parentes 865
Æoli filij 868, 869. potestas 867
Æolo parē vim habentes, ib.
Æquitas Ioui assidet 92
Æreus Talais 212
Aeris vis 660
Aeris vtilitas 925
Æris tinnitus quibus vtilis 259
Ærumnæ munus Dei 938
Æsculapius vbi natus 370. 371. à quibus nutritus, ib. à capra nutritus ibid. Chironis discipulus 371. à cane nutritus, ib. in serpentem versus, ibid. ægrotantium Deus 375. Apius vocatus 372. imberbis 374. eximie barbatus, ib. Hippolytum sanauit 373. Chirurgiam inuenit 381. cur medicinæ Deus, ibid. fulmine ictus 347. 373
Æsculapij parentes, 270. baculus 371. nomē 372. templum 374. victima 375. præstantia 376. 377. cognomina 375. filij 374. vxor ibid. ludi quinquennales ibid.
Æsculapij medici dicti 373
Æsculapij plures 372
Æsculapio serpentes dicati 371. draco dicatus 376
Æson obiit sanguine hausto 582
Æsopicæ fabulæ 5
Ætas aurea quid esset 88
Æthalidæ reuiuiscentis opinio 284
Æther omnipotens 103
Æthilus ad inferos detrusus 336
Æthlij munus ibid.
Æthiopes vnde dicti 155
Æthiopum mare 333
Ætna Encelato impositus 651
Ætoli parentes 336
Ætolia vnde dicta 261. 336
Africi vnde dicta 701
Agdistes genius 295
Agelastus petra 519
Aglata vxor Vulcani 415
Aglæonice magicæ artis perita 257
Agnus Iunoni sacer 387
Agrorū lustrationes 52. 521
Aiacis mors 948
Alani populi 596
Alba populus Herc. sacra 29. 695
Albæ populo honor habitus 29
Alcithoe in vespertilionem 485
Alecto nata è sanguine 131
Alesia vrbs Celtarum condita 693
Alethiæ seu veritatis delubrum 238
Alexander oraculo deceptus 190
Allium laribus sacrum 298
Alnus dicata 223
Alpheus vnde dictus 921. Arethu-

rethusæ amator 920. venator fuit 918. in fluuium versus. ibid.
Alphei aqua sacra 21
Alphei parentes 918
Alphei fl. ortus 920. aqua oleastra ferax 921. aqua sacris apta. ibid.
Altare vnde dictum 23
Althænus frater Diomedis 725
Amalthea capra 715
Amaltheæ cornu 511. 692. 715
Amanus mons 956
Amazones debellatæ 687
Amazonum vis 741
Ambarualia 521
Ambitio inest potentioribus 131
Ambrosia sacra 499
Ammon Iupiter cornutus 98
Amor omnia in ortum excitauit 403
Amor malus 931. 932. è cœlo deiectus 931
Amoris vis 932
Amoris sedes oculus 411
Amorum remedia 394
Amphiaraus fons 31
Amphiction Deucalionis filius 434
Amphilochium Argos 924
Amphinome matris Iasonis mors 582
Amphitrita Neptunis vxor 166. quid sit 173
Amphion Iouis 96
Amphion à bubulcis educatus 889. lyram accepit, 890. Thebas muro cinxit ibid. aram Mercurio dicauit 891
Amphionis magister Mercurius 890. præstantia, ibid. inuentum 773. 890. parentes 96. 889. 890. arrogantia 891. calamitas ibid.
Amphithæna pampino cæsa 485
Amphorties sacrum 459
Anarrhusis sacrum 499
Anaxagoras prior lunam obseruauit 258
Anaxagoræ opinio de principiis 77
Anaxagoræ opinio de stellis 543
Anaximãdri opinio de principiis 77
Anaximenis opinio de principiis ibid.
Ancæi mors 719
Ancæi parentes 718
Anchises à Venere amatus 390
Andrachne portulaca sacra Mercurio 440
Andromeda ceto exposita 815. liberata 847. cur exposita 815
Andromedæ parentes 940
Andromedę periculum ibid.
Androgei ob mortem tributum impositum 439
Angelus Hecates serua 245
Angitia soror Medeæ 578
Anima quid sit 172. 216. 669
Anima Tritonia cur 309
Anima in noua corpora vnde 283

Animæ qua Elysiis mittebantur 274
Animæ immortales 283
Animæ sphæras percurrunt, ibid.
Animæ mortuórum vt vocarentur 49
Animarum portæ duæ 285
Animarum iter post obitum 283.946
Animus solus Deo gratus 63
Annus mundi magnus 283
Annus mundanarum sphærarum. ibid.
Annus magnus vt colligitur ibid.
Anser Isidi sacer 388
Anser Iunoni sacer 137
Anser Inacho sacer, ibid.
Antæi virtus 691
Antæi magnitudo, ibid.
Anthes Anthedonius hymnos reperit 773
Anthesteria sacra Baccho 955
Antiope Amazonum regina 738
Antistrophe modulus 39
Anubis arma & expeditio 509
Aonia vnde dicta 168
Apates siue deceptionis delubrum 238
Apaturia Bacchi sacra 499
Apaturiorum tempus, ibid.
Aper Calydonius cur excitus 271
Aper Calydonius expugnatus 271. 719. eius magnitudo 720. oppugnatores 719
Aper Erymantheus 684
Apes Melissæ vocatæ à Græcis 470
Apibus color mutatus 82
Aphetæ vocatæ 704
Aphis quis fuerit 616
Apollinis parentes 344. Latona nutrix 345. patria, ibid. filij 346. 347. officia, ibid. Delphica opulentia, ibidem tripos aureus 353. cantilenæ 363. religio 363. 364. inuenta. 366. 773. Ismenij diuinatio 368. lacrymæ in electrum 373. imago 368. cognomina 364. munus præclarum 504. allegoria 366
Apollini grata victima 61 365. lupus sacer 349. 161. coruus sacer, ibid. gryphei sacri 368. cicada sacra 352. cygnus sacer 359. corna sacra 369. accipiter sacer, ibidem fidicula piscis sacra 352. Hyacinthus sacer 369. iuniperus sacra 364. laurus sacra 355. ludi Apollinares sacri 367. myrica sacra 356. oleaster sacer 352. omnia aurea 360. primitiæ capillorum sacræ 369
Apollo Admeto seruiuit 348 Alcathoo seruiuit 350 Atticorum Deus tutelaris 352. à Cerere protectus 345. barbatus 369. beneficus 362. boues pauit 348 crudelis 71. Cyclopas occidit

dit 347 368. exul è cœlo 347 Hyacinthum occidit 349. iuuenis semper 360. inuenit citharam 351. in varias formas mutatus, 349. Laomedonti seruiuit ibid. Nomius Agreas 348. Marsyam vicit 622 musicam inuenit 351. Musarum præses ib. Orus idem, ibid. pastorum Deus 348 349. Panos discipulus 434 profugus è Sparta 349. Pythius 360. 36 . responsa à Ioue capit. 359. responsa vbi dabat 353. rex Arcadum 350. sol est 366. Tegyræus 346. Tyrannos occidit 361. Victoriam Iouis cecinit 88. vnde dictus 366
Apollines plures 346
Apologi quid sint 6
Apollonii Thynei mira scientia 356
Aptera vrbs Cretæ vnde dicta 762
Aqua veneri sacra 352
Apuli populi qui essent 726
Aqua Alphei 31
Aqua lustrationum 51
Aqua Stygis qualis 197
Aquæ Achelous dictæ 716
Aquæ sacrificiis aptæ 31
Aquæ salubres 174
Aquarum vtilitas 925
Aquarius inter sidera 1005
Aquarius Ganymedes 145 1005
Aquila cur Ioui attributa 111
Aquila inter sidera 84
Aquila cur signum militare 87
Aquila Promethei 316. 327
Aquila fluuius Ægypti 329
Arabia vnde dicta 346
Aræ Deorum sublimes 22
Arachne in serpentem 657
Aræ Medeæ 581 750
Aram tenere qui solerent 32
Arcades anteluuares 256
Arcadia vnde dicta 335
Arcadis Iouis filij casus 472
Archemorus dictus 437
Archemoro honor habitus, ibid.
Archiæ & miscelli oraculum 250
Archea vnde dicta vrbs 949
Area Patræ vocatæ 516
Areopagitarum iudicia 161
Areopagus vnde dicitur, ib.
Arethusa Proserpinam indicauit 250
Arethusa in fontem versa 918
Argo cōsecrata Neptuno 584
Argonauis extructa 591
Argonauis malus loquax 59 606
Argonauis portata super humeris 592
Argonauis vnde dicta 592 607
Argonauti triginta remorū 606
Argonauis prima nauis longa 592
Argonauis inter sidera 608
Argonauis opifex 592. nauigatio 581. 592

Argonautę relinquunt Herculem 593
Argonautarum nomina 592 reditus 595
Argos dictum 925
Argus in pauonē versus 902
Arippa condita 725
Ariadna cur relicta à Theseo 740
Ariadna à Glauco rapta 839
Ariadna à Baccho ducta 566.740
Ariadnæ filij 740. corona inter sidera 503
Aries velleris aurei 591.603
Arias Phrixi quid esset 604
Aries inter sidera 603
Arion in mare desiliit 887. à Delphinis vectus 889 888. poeta dithyrambicus 888. cyclicos choros instituit, ibid.
Arionis parentes 886. patria ibid. tempus, ibid. Orthria 304
Aristæus Battus dictus 545. Iupiter dictus, ibid. Bacchum educauit 481. inter Deos relatus 546
Aristæi parentes 544. educatio 545. vxor 646. inuenta 481. 460.545.546
Aristæi plures 545
Aristotelis opinio de principiis 77
Arithmetica &. Geometria picturæ necessariæ scientiæ 799
Arma Mars prior inuenit 165
Arma vbi prius inuenta 153 895
Arma vbi & cur inuenta 524
Armorum insignia inuenta 509
Arnæa Penelope 935
Arno Neptuni nutrix 166
Arno vrbs prius Sinousa, ib.
Ascalaphus Proserpinam accusauit 250
Ascalaphus quis esset 192
Ascia inuenta 807
Ascolia Bacchi sacra 499
Ascolia credita vineis vtilia 500
Ascoliorum ritus ibid.
Aselini montes cur 261
Aselli sidera 466
Asia & Axiothea Prometh. 314
Asia Oceani à qua nomen Asiæ 827
Asiani qui essent 596
Asinus Sileni inter sidera 650
Asini pſepe inter sidera 466
Asopus fluuius 895
Asopus fulmine ictus ibid.
Asopi parentes 894. vxor, ib. filiæ, ibid.
Asopia regio 896
Astra ignea credita 22
Astrorum vis 210
Astrorum vis in cunctis 22
Astrææ fuga 118
Astræus fluuius vnde dictus 169
Atalanta fontem excitauit 737

Atalan

Atalanta Iasonis filia 738
Atalantæ nuptiæ 735. 737. lasciuia 737. vis 720
Ate siue læsio Iouis filia 73
Athamania regio 602
Athamas tragedia Sophoc. 601
Athamas vnde dictus 605
Athamantis furor 436 602. 834
Athamanthis filii 600, 602
Athei quidam 78
Athenæ conditæ 998
Athenæ vnde dictæ 174
Athletæ profitebantur apud iudices 433
Athletas ad diem adesse oportebat ibid.
Athos mons vnde dictus 168
Atlas vt cœlum sustinuit 334. 335. astronomiam inuenit 334. Oceani frater 313. lunam obseruauit 335. mõs est altissimus 332. vnde dictus ibid.
Atlas in montem vt versus est 332
Atlantis parentes 329. filiæ 329. 330. magnitudo 335. Vxor pleione 329. allegoria 334. columnæ. ibid.
Atlantes populi qui sint 333
Atlantes Solem conuitiis insectantur ibid.
Atlanticum mare 333. Eius nomen, ibid.
Atlantidum nomina 330
Attellanæ fabulæ 5
Attes sacra magnæ matris monstrauit 97
Attes ab apro laniatus ibid.
Attes in pinum versus 97. 967
Attæ cædes 79
Atys Callus sacerdos Rheæ 966
Auaritia hæresium causa 324
Auaritiæ vis 325
Aues Stymphalides 686
Augiæ parentes 685
Auguria inuenta 319
Auguria Romanorum 356
Auium idioma intelligentes ibidem.
Aurea cathena Homeri 138 141
Aureæ ætatis fœlicitas 118
Aurora Solis præuia 558. à Pegaso vecta, ibidem. omnibus suauis 557
Auroræ parentes 557. currus 558. equi 538. 558. amores 559. filii ibid. color & sedes 558
Ausonia vnde dicta 573
Autolycus latro insignis 443
Autolyci latrocinia 443. 629
BAcchæ sacerdotes vnde dictæ 487 496
Bacchæ in pardales versæ 502
Bacchæ coronæ vocatæ 495
Bacchus Iouis femori assutus 505. vnde dictus 504. 505 à Dirce susceptus 480. vbi educatus ibidem nutritus 479. 482. 508. armiger Veneris 385. semper iuuenis 483. Dionysus

dictus 479. inuisus Iunoni 484. furiosus 488. leges tulit 490. ab Amphisbæna morsus 485. triennium dormiuit 490. 507. tripudiorum Deus 496. in leonem versus ibid. bimater dictus 512. Osiris 124. 490. discerptus à Gigantibus 490. reuixit 312. bonus dęmon 492. lætitiæ inuentor 498. barbitus 483. 494. taurino est capite 494. 507. mas est & fœmina 483. cornutus est 494. 513. mortuus est 496. vstus ibid.

Bacchi parentes 476. 478. 506. nutrices 331. 480. 506. patria 481. 513. comites 485. 486. gestamen 486. animalia, ibidem res gestæ 488. columnæ 488. 509. coronæ 494. cognomina 496. 504. currus 486. inuenta 487. 492. 496. 510. miracula 484. 489. nutrices coctæ à Medea 597. filii 478. 504. peregrinationes 489. 509. sacerdotes 487. 495. sacrificia quæ essent 497. sacrorum ritus 486. 501. 508. sacris ligna dicata 28. sacra quis instituit 487. 497. 504. simulacra mira 504. victima 501

Baccho arbores sacræ 487. 494. 507. narcissus sacer 487. victima sacra 60 fu-sanei sacri 352. Draco sacer 492

Bacchi plures 481

Bacchanalia sublata 504

Balyra fluuius 620

Bassareus vnde dictus 505

Battus in lapidem Indicem versus 442

Beatorum insulæ 275. 277

Belidum parentes 1015. nomina ibid. expiatio 1016. supplicium 017. allegoria, ibid.

Bellerophon Chimęram occidit 963

Bellerophontis parentes 961 exilium ibid. accusatio. ib. filii ibid. strenuitas, ibid. cædes 964

Bellicæ artis Mars inuentor 165

Bellicæ rei scientia necessaria 31. (165

Bellona Martis auriga 161

Berenices coma 335

Bithynia vnde dicta 161

Bituminis natura 586

Boca piscis Mercurio sacer 352

Bœotia vocata 920

Boreas Orithiam rapuit, 871 in Xerxem Græcis opem tulit 872

Boreæ & ventorum domicilium 871

Boreæ filij cum Argonautis (873

Boreæ filiæ 872. 873

Boreatæ celerrimi 873. Harpyas fugarunt, ib. ab Hercule cæsi, ibid.

Bosphorus vnde dict. 903. 905
Brennus in furorem actus 69
Brenni clades insignis 432
Bretimartys casus 266
Briareus Iouis adiutor 90
Brimo Hecate vocata 241
Brysaeus Bacchus 505
Bromius vnde dictus, . ibid.
Broteus ob deformitatem se necat 1[illegible]
Brumalia sacra Roman 494
Brumus Bacchus ibid.
Brundusium vnde dictũ 701
Bruti genius visus 297
Bryseus Bacchus 486
CAdauerum vrendorum inuentor 812
Cadmus vir praeclarus 1007 Europam quaerit 927. dẽtes draconis serit 929. Marti seruit 1008. vbi habitauit 928. anguis Elysiis missus 1009
Cadmi inuenta 934. filia 1008
Caesar Iulius adit insulas fortunatas 278
Caicus vnde dictus 196
Calabria Neptuno sacra 171
Calabria vnde dicta 726
Calchantis mors 357
Calisto in vrsam 994
Callirhoes fontis aqua 31
Callistephanus oliua 424
Calor architect⁹ naturae 102
Chalybes vnde dicti 161
Calydonius aper 271. 718
Calydonij apri magnitudo 720
Camirus vrbs Rhodos 701
Campania sulphurea 650
Campe occisa 92. 989
Canati fontis vis 135
Canephoria sacra 268. 483
Canephoria cur instituta 498 quãdo agi solita 499
Caniphoriorum ritus 498
Canis viuus à Vulcano factus 153
Canis in lapidem versus, ib.
Canes Hecatae caedebantur 242 Lauribus dicati 298
Cantilenę antiquorum quales 36. 775
Cantilenae sacrificiorum 34
Contores antiqui quales 577. 777
Capilli mortuis dicabantur 44. 45
Capillorum nutriendorum mos 509
Capitis artificium diuinum 308
Capra inter sidera 85. 609. 715
Caprae diuini honores habiti 610
Caprae ortus obest vitib. ib.
Caras auguria inuenit 319
Caroli Archiducis bonitas 628
Cassiope inter sidera 847
Cassiopes arrogantia 846
Castalia in fontem versa 346
Castor Iouis filius 95
Castor vbi natus 856. vbi educatus, ibidem pugil. eximius 857. iuit cum Argonautis 856. occisus fuit 859. immortalis factus, ib.

inter Deos relatus 860
cultus 862
Castoris flamma 860. 864
parentes 855. 856. sepulchrum 863. victima 862. aurigæ 859
Castorium tripudium 860
Cathagrapha pictorum quis reperit 792
Cathena aurea Homeri 141
Cecrops Athenas cōdidit 998
Cedeus sacra 223
Celeus à Cerere nutritus 516
Celtæ vnde 987
Centaureæ herba vis 723
Centauri vnde dicti 625
720. à Lapithis victi 721
deleti 722
Centaurorum parentes 625
720
Centaurorum educatio 720
inuenta 627. 720. forma 723. pugna cum Lapithis 721. nomina 722. allegoria 627. pugna cum Hercule 685
Cephalus ab Aurora amatus 559
Cerberus adulator est 202. serpens est 204. eductus 206
Cerberi locus 202. parentes ibid. forma 202. 203. capita, ibid. venenum 204 natura 202. allegoria 205
Cercopes in simias 87
Cercyon à Theser suffocatus 739
Cereorum mittendorum vsus 123
Ceres vbi habitauit 515. è Ioue peperit 513. à Neptuno compressa 514. Iasionē amauit 181. 514. latuit ob dolorem filiæ 514. 524. 456. orbem peragrauit 525. horis præfecta 523. equū peperit 514. in equum versa 224. à Meganira excepta 249. Erinnys dicta 224. 523. fruges vbi reperit 248
leges inuenit 522
Cereris, parentes 513. filiam quærentis conditio 249. sacra 521. ritus sacrorum 518. currus 522. 525. cognomina 523. filia 513. victima 60. 61. 521. 522 523 sacris coronæ dicatæ 517 inuenta 54. 359. 518. potus cinnus 249. vinum sacris vetitum 42. 521. sacerdotes Eumolpiadæ 30
Cereris Chthoniæ sacra 50
Phigalensis 55
Cereri primitiæ offerebātur 60. coronæ dicatæ 517. sacrum papauer 523. Sicilia dicata 525
Ceruæ Dianæ sacræ 269
Ceyx in auem cerylum versus 892
Ceycis arrogantia. ibid.
Chalcis vnde dicta 895
Chalciope soror Medea 578.
Charybdis quæ fuerit 877. scopulus in mari Siculo 878
Charybdis deleta ab Hercule 880


Charon

Charon lętitiā significat 199
Charon implacidus 200
Charontis parentes 199. forma, ibid. naulum 200. 201
Chariclo vxor Chironis 378
Chemia quid sit 117
Chemica ars vetita 160
Chimæra educata 958. occisa 959
Chimeræ parentes 959. forma 559. feritas 959. 963
Chiron astronomus peritissimus 378. venator 379. citharista, ibidem mortalis factus, ibid. sanatus 723 inter sidera 380
Chironis parentes 377. forma 377. 381. vxor 378. nomen 379. inuentum, ibid. filia, ibid.
Chirurgiæ peritia in quibus consistat 381
Chius vnde dicta 347
Choes sacra Mercurii 447
Choes Bacchi sacra 955
Christus falsarum religionū euersor 16
Christi miracula p̄dicta 358
Christi mors prædicta ibid.
Chrysaor è sanguine Medusæ 750
Cicadæ Apollini sacræ 352
Cicadæ aureæ capillis annexæ ibid.
Cicades ab Hercule pulsæ 694
Cineres mortuorum vt colligerentur 46
Cineres vbi sepeliebantur 48
Cinnus potus Cereris 249
Circe venefica eximia 570. fugit in Italiam, ibidem. vnde dicta 573. Circe quos non vicerit 574. Circe in quæ mutaret 575
Circes parentes 569. 570. pulchritudo 569. ancillæ 571. cibi 572. ars in hospites 570. filij 573. sepulchrum, ibid.
Circe plures 571
Circæa insula 570
Circæum promontorium, ibidem.
Cissus in hederam 494
Cithara addita cordæ 622
Claros cur vocata 91
Cleone vrbs vnde dicta 812
Clepsydra fons 79
Claues insigne Platonis 177
Cobali socii Bacchis 485
Coccyx collis 94
Cocytus fluuius Stygis riuus 199
Cocytus vnde dictus ibid.
Cœlus æther est 131
Cœlum quid sit ibid.
Cœli parentes 130. filij, ibid. allegoria 131
Cœlestium deorū sacris lumen additum 33
Colchi Ægyptiorum coloniæ 596
Colchi Lazi vocati ibid.
Colchorum genus & nomina ibid.
Columbæ Codoneæ 111
Columina Herculis vbi 274
Coma Berenices 353
Combæ inuentum 895

Cometæ quid sint 557
Cometarum portenta ibid.
Comœdiarum dignitas 7
Comœdiarum inuentor, ib.
Concha Cytheriaca Veneri sacra 383
Consulendorum Deorum modus 63
Conuiuia in honorem Deorum 34. 58
Conuiuiorum sacrorum sermones 37
Copreus Euristhei minister 684
Corinthus vnde dicta 812
Coronis mater Æsculapii 370
Corcyra vnde dicta 515. 895
Corcyra extructa 672
Corcyra Drepanum vocata 88. 515. 595
Corcyra olim Phæacia 168
Corcyræorum piscatio 171
Cornix Mineruæ inuisa 310
Corona Ariadnæ inter sidera 503
Coronæ inter sidera 741
Coronæ Cerealium 25. 517
Coronæ sacrificantium 24
Coronæ hederaceæ 495
Coronæ victorum 423 (25
Coronabantur vasa in sacris
Coronandi varietas 24. ordo triplex 25 (576
Coronis nympha vnde dicta
Coronistæ sacerdotes 969
Cornua victimæ inaurabantur 25
Cnutina quid esset 354
Corybantes dicti 968
Corybantes quid essent 82
Corybantum parentes 980
Coryca Sicilia dicta 122
Crapulæ mala 408
Cres rex Cretæ 85
Creta Idæa vocata 100. 511
Creta nec venena nec feras producit 699
Cretæ labirinthus 740
Cretensium inuēta 520. 690
Croc⁹ sacer Eumenidib. 224
Crocus sacer Cereri 517
Cræsi munus Delphis missum 359
Crotō ex oraculo cōdita 251
Cunilæ vis 394
Cupido alatus 405
Cupido fons malorum 409
Cupidinis parentes 403. 404 408. nobilitas 402. ortus 403. vis 406. insignia ibid. comites 480
Cupidines plures 404. 408
Cupressus arbor funebris 47 469
Cureontis sacrificium 499
Curetes qui essent 82. 980
Curetes Iouis filii 100
Curetes Iouē protexere 980
Curetes primi visi armati. ib.
Curetes dæmones 980
Curetum parentes 980. inuenta 860. 980
Cyclopes exleges 986. Polyphemi filii 985. voluptarii 987. in tartarum deiecti 989
Cyclopum parētes 494. nomina 989. 991. princeps Polyphemus 987. patria 990. officia

officia 989. munera diis data, ibid. opus Tirinthe 987. inuenta 989
Cyclopum mors 990
Cygnus rex 727
Cygnus in auem 725. 727
Cygnus inter sidera 95. 665. 856
Cygni parentes 724
Cygni crudele consilium, ib.
Cygni socii in aues 726
Cygni dicati Apollini 359
Cygni Musarum aues 778
Cynthia luna 256
Cyparissus sacra Plutoni 177
Cyparisso fores mortuorum ornatæ 48
Cyprus Sphecia vocata 383
Cyprus Macaria ibid.
cyprus cerastea cur dicta ibidem.
cyprus vnde dicta, ibid.
cyrene à Phœbo compressa 545
cyrene vrbs vnde dicta, ibid.
cyrenes filii ibid.
cyrnus insula vnde dicta 96
cithero in monte versus 220
DActili Idæi qui & quot 82. 980
Dactilorum inuenta 980
Dædale nutrix Mineruæ 301
Dædalus à Minerua edoctus 783. labyrinthū fecit 566. filii 783. Pasiphaen adiuuit 782. exul, ibidem, in Sicilia claruit, ib. volauit 782. 807. fuit eximius statuarius 783
Dædali parentes 781. vxor 783. filii ibid. nomen 782
Dædala omnes statuæ dictæ 784
Dædala instituta, ib.
Dæmones agitati 112 cantu oblectantur 35. vt nobis consulant 796
Dæmonum sacrificia 33. natura 22. officia 31. 35. numerus & locus 34
Dæmonibus omnia plena 35
Dæmonib. odores grati, ib.
Dæra Proserpina 247
Danaee naulum Charontis 200
Danae in arcam inclusa 814 in mare deiecta, ib. capta cum arca, ibid.
Danaes parentes 813. allegoria 112
Dapne in laurum versa 354
Dardanus Iouis filius 96
Dardania vnde dicta, ibid.
Daunii populi Italiæ 725. 726
Daunii regis grata voluntas 725
Deformitas Brotei 154
Deianiræ Acheloo desponsata 714
Deianiræ mors 700
Deianire Hercule desponsata 715
Dælia Diana 264
Deliciarum vis 408
Delos insula Plote 345
Delphi vmbilicus terræ 347
Delphi Pythus vocati 362
Delphi vnde dicti 347. 362. 898

Delphici templi opulentia 359
Delphicorum certaminum laurus præmium 362
Delphinium certamen 439
Delphinus quib. præstet 173
Delphinus inter sidera 166 175. 888
Delubrum Aleæ Mineruæ 23
Delus Apollinis patria 345
Delus vnde dicta 976
Democritus aues intelligebat 356
Democriti opinio de principiis rerum 78
Deucalion vir bonus 899. reparat homines, ibidem vt seruatus, ibid.
Deucalionis parẽtes 96. 896. vxor 897. filii 898. domiciliũ 897. area 899. patria 897. columba emissa 899
Deucaliones plures 898
Deus cur sit vnus tantum 17. 61 non est metiendus pro facilitate votorum 99. cõsceleratos auertit 26. à celeritate dictus 10. solũ animum respicit 63. fortunæ moderator 340. vnus omnia 150. autor omniũ 78. pater omnium 107
Dei præsentia qualis sit 59
Dei officium proprium 63
Dei ignoti ara 15
Dei gentium variarum 10
Dei sidera credita ibid.
Dei Persarum 13. Ægyptiorũ 11. 12. Scytharum 14. Libyæ, ibid. Iudæorum ibid. Græcorum 20. 15. Romanorum 13. 16
Dei antiqui in beluas præ timore 140
Dei antiquorum quid essent 150
Dei antiquorum vt sempiterni 21
Dei impuros non audiebant 28
Dei magni qui essent 801
Dei plebeii ibid.
Deis sculpẽdis apta materia ibid.
Deis aeriis grati cantus 35
Deis cur dicata insignia 943
Deorum varietas 945
Deorum cœlestium sacris lumina 33
Deorum in honorem conuiuia ibid.
Deorum sacris addita musica 36
Deorum marinorum victima 38
Deorum diuisio 10
Deorum multitudo cur introducta. 818
Deorum antiquorum crudelitas, 64. 65
Deos vt antiqui consulerent 63
De Hebe vocata 144
Dia insula Naxos 504
Diadema inuentum 510
Diagondas Bacchanalia sustulit 503
Diana luna est 264

Diana Delia 264. obstetrix matris 265. semper virgo, ibidem.
Diana venatrix 266. musicis gaudet 627. Lysizona 268. luna est 366. canephoria 498. Alpheum fugit 270. Taurica 67. Pheręa 264. Delia, ibidem terrestris, ibidem. Lucina est 268. à ceruabus vecta 269. piscatoribus præfecta ibidem. Dictynna vocata 266
Diana culta à virginibus 271
Diana Pellenensis 270. Persica, ibid. Alpheta, ibidem Euclia ante nuptias 271. cur virgo 273. cur filia Latonæ, ibid.
Dianæ officia 266. 267. 269. Nymphæ 266. currus 269. parentes 264. 265. victima 62. effigies 266. effigies optica 786. sacerdotes mitræ 270. sacræ ante nuptias 268. Ephesiæ templum 271. Laphyræ sacra 54. munia 251. cognomina 268. Triclariæ sacra 68. Orthiæ sacra, ibid. allegoria 273
Dianæ sacer mulus piscis 352 primitiæ oblatæ 271. arcus tributus 266
Dianæ plures 295
Dictamum confert parturientibus 292
Dicte mons Cretæ 81
Diculi poculi 726
Diomedes diis inuisus 626
Diomedis socii in cygnos 725
Diomedis parentes ibid.
Diomedis fratris libido, ib.
Diomedis cædes 726
Diomedis statuæ euersæ, ibidem.
Diomedea insula, ibid.
Dionysius deus salubris 352
Dionysius vnde dictus 504
Dionysus idem Bacchum 476
Dionysus in frusta discerptus 303
Dionysus Saturnum & Rheã cepit 512
Dionysus cur coctus, ibid.
Dionysus reuixit iuuenis ib.
Dionysi reuiuiscentis allegoria, ibid.
Dionysias Naxos dicta 481
Diophorus in montem versus. 549.
Diorphi mirum ibid.
Dioscuri nautis præfecti 860
Dioscurorum victima 862
Dirce in fontem versa 719
Dis Pluto vocatus 179
Discordiæ dolus 663
Ditis imperium vnde incipiat 179
Dithyrambus Bacchus 505
Diuinæ naturæ bonitas 106
Diuinationum modi 62
Diuinationes Apollinis filii 357
Diuitiæ stultis ad perniciem 226
Diuitiæ quales 95

Diuitiæ ſubditorum obſides 852
Dodone dicta 611
Dodonæa ſylua, ibid.
Dodonææ columbæ 111
Dodonææ glandes 611
Dodonæum oraculum 110
Dorii vnde dicti 168
Dorpia ſacrum 499
Dorpiæ ritus, ibid.
Drepanum ciuitas 515
Drepanum falx 122
Drepanum inſula, ibid.
Drepanum corcyra 88
Drepanum vnde dicitur 123
Dryades nympha 470
Dryades vnde dictæ 472
Dyris mons Atlas 332
ECchinades inſulæ 731
Echus Fabula 1014
Egregiæ victimæ 25
Electrum è lachrimis Heliadum 554
Elegi à quo inuenti 352
Eleleus Bacchus 505
Eleorum ludi in honorem Iunonis 136
Eleuſii mors 516
Elyſii campi vbi eſſent 274
Elyſiorum camporum amœnitas 275
Eliſiis quæ animæ miſſæ 274
Elytie in heliotropium 827
Empedoclis ſententia de principiis 77
Empedoclis dæmones 112
Empedoclis ſententia explicata 106
Empirica inuenta 359
Empuſa in omnia ſe vertens 853
Enceladi ſupplicium 651
Endymion à luna amatus 337. lunam prior obſeruauit 261. paſtor fuit 338. mortuus & ſepultus, ibid. iuſtus 337. iactus ad inferos 336
Endymionis parentes 96. patria 337. filii 261. poteſtas 336. ſomnus 337
Enopla lex laconum 860
Epaphus Iouis filius 96
Ephemeria vnde dicta 586
Ephemerii remedium, ibid.
Ephemerium malum 585
Epheſii templi magnificentia 271
Epheſiorum ſtudium inſtaurando templo 272
Epheſiū templum vſtum 271
Ephydriades nymphæ quæ eſſent 473
Epibda ſacra Bacchi 499
Epicuri opinio de inferis 204. de principiis rerum 77. de mundo 109
Epilenææ ſacra 497
Epimætheus quid ſit 321
Epiniciorum origo 88
Epomeus locus Siciliæ 661
Equus à Neptuno inuentus 166
Equus inuentus à Seſonchoſe 167
Equi Neptuni, ibid.
Equi Plutonis 177
Equi Solis 543
Equi Martis 61
Ercynæ fluuii ortus 252
Erichthonii parentes 306

nomen 997. ortus 153. fama 198. educatio 998. filii, ibid. inuenta, ibid.
Erinnyes Eumenides sunt 218. æripedes 227. aeriuagæ, ib. vnde dictę 226. quid sint 225. allegoria, ibid.
Erinnyum parentes 218 officium ibidem. locus 227. statua 225
Erisichthonis fames perpetua 521
Eriphyles monile 552
Erythræum mare 815
Euchius Bacchus 505
Eulinus Lucina 292
Eumenides quādo natæ 219. vnde dictę 218. natę è sanguine 218. Ioui assistunt 221. vbi cultæ 222
Eumenidum parentes 218. angues pro capillis 219. habita reuerentia 221. tēplum 222. sacerdotes, ibidem sacrificia 43. victima 222. vestes, ibid. coronæ 223. inuocatio quam difficilis, ibid. sacrorum ritus, ibid. officium 218. forma 219. nomina 221. inhumanitas, 222
Eumenidum sacris apta ligna 223
Eumenidib. flores dicati, ib.
Eumenidibus planta dicata 221. vinum inuisum, ibid.
Eumolpid. sacerd. Cereris 30
Eunomia Ioui assidet 120
Europa inter Deos relata 390
Europa rapta 96
Europa vnde dicta, ibid.
Europæ parentes 927. fratres ibid. forma. ibid. raptus, ibidem.
Eurysthei parentes 677
Euristhei minister Copreus 684
Euristhei mandata in Herculem 679
Euristhei autoritas cœlitus, ibidem.
Euristhei crudelitas 680
Exempla domestica qualia 130
Exequiæ pro absentibus 47
Exequiæ anniuersariæ 46
Exequiarum ritus 48
Eximiæ victimæ 25
FAbulæ quid sint 4
Fabulæ poeticæ 8
Fabulæ Attelanæ 5. planipediæ ibid tabernariæ, ibid. palliatæ ibid. togatæ, ibid. politicæ, ibid. Sybariticæ, ibid. Æsopicæ, ib. philosophicę 934 à locis dicta 5
Fabularum scriptores 9 partes 8. varietas 5 diuisio 4. vtilitas 4
Fabulis ingenia puerorum informanda 3
Fabulosæ narrationes cur inuentæ ibid.
Fabulosæ picturæ Deorū, ib.
Facum certamina 148
Fagi glādes bonæ putatæ 611
Fatum quid sit 208
Fatum diis imperat 105
Fatum sapientia retunditur, ibid.

Faunus cornutus 468
Faunus parentes 476. tempus ib. filii, ibid. inuenta, ib. victima 62
Fauno pinus dicata 468
Fauni dæmones, ibid. Dii agrestes. ibid.
Februus quid sit 157
Feris expositi 663
Feronia Dea nemorum 550
Feroniæ relionis mirum, ibidem.
Ficus inuenta 518
Ficus è Sice 487
Ficus folia Baccho sacra 487
Fidicula piscis Apollini sacta 352
Figlina rota inuenta 807
Figuræ gypseæ inuentæ 796
Flores dicati Eumenidib. 223
Fluuii cur tauri similes 715
Fluuiorũ propriæ plantæ 921
Fluuiorum cursus latens aliquandiu 919
Fœderum antiquorum ritus 651
Fœminæ picturæ peritæ 786
Fœminæ raro sapientes 309
Fœminarum misera conditio 933
Formicæ in homines 215
Fortuna Tyche vocata 339. quãdo esse cœpit, ib. quid sit. 210. nata è sanguine 339. Dei ministra 340. super rota voluitur 343. nulla est 341. vna è Parcis 341
Fortuna virtuti aduersaria 141. facit similia sapientiæ 341. stulte inter Deos. ibid. cur cęca 342. vecta ab equis cæcis 343. cur excogitata 344
Fortunæ parentes 339
Fortunæ simulacrum 342
Fortunæ arbitrium 339
Fortunę De⁹ moderator 340
Fortunæ vis tributa 109
Francisci magni Ducis ingenium 628
Fruges vbi prius inuentæ 519
Frumentum in Sicilia inuentum 126
Fulmen quid sit 157
Fulmina vt fiant, ibid.
Fulminum Vulcanus artifex 152
Furiæ natę è sanguine 218. vt vocatæ 218. quid sint 225
Furiarum officium 220. locus, ibid.
Fusanei Dionyso sacri 352
GAlatus Polyphemi filius 987
Galli Rheæ sacerdotes 967
Gallus sacer Æsculapio 234
Gallus dicatus Mineruę 310
Gallus soli sacer 542
Gallus iuuenis in auem 154
Ganymeda Hebe 144
Ganymedes raptus 306
Ganym pulcherrimus 1004 in aquarium 1005. quid sit 145. ab aquila raptus 143
Ganymedis parentes 1004. officium, ibid.
Genius Bruti 297
Genius quid sit, ibid.
Genii parẽtes 295. sacrificia, ibid. arbor sacra 296. vi-

ctus ibid. ethymologia, ib. officium, ibid. figura ibidem.
Genio platanus sacra 296
Genio frons dicata 297
Genis rerum omnium 208
Genii dæmones crediti 296
vt consulant. ibid.
Genua vrbs vnde dicta 615
Gerania mons vnde dictus 901
Geryonis parentes 688
Geryonis boues 690
Gigantes venti sunt 90. vbi habitarunt 650. cur geniti 647
Gigantum parentes 647
Gigantum forma 648
Gigantum vis 648. pugna 649. fuga 650. arma 649. nomina 651. supplicia ibidem. arrogantia 89. terror Diis iniectus 137
Glauce fons 585
Glaucus natator peritus 839 vates, ibidem Nerei interpres 840. discerptus 841 suffocatus, ibid. in balænam versus, ibid. Ariadnam rapuit 839
Glaucus Taraxippus 842
Glaucus Deus factus 840
Glauci parentes 839. amores 841. inuenta 7
Glauci plures 842
Glutinum inuentum 807
Gorades insulæ Gorgonum 754
Gorgones animalia Numidis
Gorgones apud inferos 755
Gorgonum parentes 752. forma 749. vis 754. capita 753 locus idem.
Gorgonum allegoria 755
Grææ canæ natæ 752
Grææarum locus, ibid.
Grææarum nomina 748. dens & oculus ib. allegoria 755
Græci Gellenes dicti 314
Græcorum Dij 10
Gramen Marti dicatum 162
Gratiæ Veneris sociæ 396. vestitæ 415. solutis zonis, ibidem. vbi cultæ 416. Veneris filiæ 402. charites dictæ 417. è terris fugerunt 415
Gypseæ figuræ inuentæ 796

HÆmonia vnde dicta 898
Hæmus mons 655
Halcyonis parentes 892
Halcyonis forma 893
Halcyones in aues 892. vnde dictæ 893. quando nidulantur, ibid.
Halcyonum nidi firmitas, ib. salacitas, ibidem. nomina ibidem.
Halcyonii dies, ibid.
Hamadryades 470
Harmonia vxor Cadmi 1008 vbi habitauit 1009. in anguem versa ibidem. Elysiis missa, ibid.
Harmoniæ parentes 1007. monile donatũ 1008. filiæ ib. Deorũ dona data 2007

Harpiæ rapaces 730. Iouis canes, ibid. stymphalides dictæ 729 vbi habitarunt 730. à Boreadibus pulsæ 732. cæsæ ibid.
Harpiæ vbi se occultarunt, ibid.
Harpyiarum parentes 729. nomina ibid. forma 730. etymologia 732
Hæbræorum prima vera religio 10
Hebes Dia vocata 244. vxor Herculis, ibid. quid sit, ib. iuuentuti præfecta 143. pincerna Iouis ibid. à poculis remota, ibid. cur filia Iunonis 144. cur soror Martis, ibid.
Hebes parentes 143. filii 144 ara cum Hercule communis, ibid.
Hecate venefica 570. lucifera 2412. Brimo, ib. regna inferorum 245. angelus vocata, ib. à veneficis inuocata 244. vnde dicta 242. quid sit 241. exposita 243. educata, ibid. canicida & caniuoræ 242. triuia vocata ibid. triformis 242 sordida 243. culta 245. foribus præfecta 243
Hecates parétes 240. forma 241. canes ibid. sacrificia 244. victima 242. officia 243. cana, ib. inuenta 570
Hecates crudelitas 246. allegoria, ibid.
Hecatæ trigla dicatæ 352
Hecatæa phasmata 245
Hector vbi sepultus 80
Hectoris ossa requisita, ibid.
Hæreses antiquitus castigabantur 64
Heresium causa 325
Hedera è quibus 485
Hedera vbi inuenta 504
Hedera Baccho sacra 487
Hedera cur Baccho sacra 494
Helena insula 668
Helena rapta à Theseo 665
Helenę parentes 664. forma ibid. nutrix 1011. filii 668. procorum nomina 1022. cõiuratio ob nuptias 665 mors 669. flamma læti fera & salubris nautis 861
Helenii herbæ vis 668
Heliadum lacrimæ in electrum 554
Heliopolis vrbs Ægypti 535
Heliotropium ex Glytie 827
Hellanodice iudices olymp. 429
Helle ex ariete delapsa 601 sepulta ibid.
Helenes Græci dicti 314
Hellespõtus vnde dictus 601
Heneti vnde dicti 987
Hera Ceres vocata 514
Heræ sacrificia 55
Heraclea vrbs delata 689
Heracliti opin. de princip. 77
Hercules Acheloũ vicit 692 Albionem & Bargionem occidit 693 Alcestim in vitam reuocauit 697

Alcioneum cecidit 693
Angues duos suffocauit 678
Amycum & Mygdonem vicit 687
Antæum suffocauit 691
Aprum Erymanthi occidit 684
Aram 12. diris erexit 694
Augiæ stabulum purgauit 685
Astrologiam didicit 680
Aues Stymphalides expulit 685
Aurea mala reportauit 691
Baltheum Amazonis cepit 687
Bebryciam deuastauit, ibid.
Busirim de medio sustulit 692
Cacum occidit ibid.
Cerberum eduxit 695
Cercopas profligauit 699
Ceruam æripedem cecidit 683
Cicadas fugauit 694
clauam Mercurio consecrauit 694
cœlum sustinuit 335
columnas posuit 274.689
Coon subiugauit 693
cygnum occidit, ibid.
Dercylum & Albionem cecidit 689
Diomedis equos cepit 687
Emathionem obtruncauit 692
Erycem trucidauit 689
Geryonis boues cepit 688
Gigantem trucidauit 649
Gigantes è sanguine leonis
Nemæi interemit 693
Herginum & copias cecidit 682
Hesionen liberauit 688
Hydram Lernæam cecidi 683
Inferorum bubulcum trucidauit 695
Insaniuit 698
Lacinium vicit 692
Leonem citheroneum occidit 680
Leonem Nemeçum obtruncauit ibid.
Linum occidit ibid.
Lycum oppressit 682
Neptuni filios trucid. 694
Nessum transfixit 700
OEchaltam subiugauit 697
Olympia instituit 685
Omphalæ seruiuit 699
Poculum à Sole accepit 321
Prometheum liberauit 692
Patriam defendit 581
Protei filios occidit 688
Puellas quinquaginta vna nocte constuprauit 681
Pyrechmum profligauit 693
Saurum obtruncauit 692
Sarpedonem Neptuni cecidit 688
Saturno sacrificauit 65
Siculos debellauit [illegible]
Taurum Marathonium idē deuicit 687
Thiodamantem occidit 724
liberauit 695
Troiam cepit 688
Triduum latuit in ceto 830

Hercules pellem leonis gestauit 680. omnium laborum obliuiscitur 694. se in pyram coniecit 700, inter Deos relatus est, ibid. suos filios trucidauit 682. Iunonis lac suxit 135
Hercules cur relictus ab Argonautis 593
Herculis parentes 671. claua in arborem 695. cognomina 705. filii 682. forma 680. fratres 677. insania 682. inuenta 702. magistri 679 Chiron educator 680. natiuitas 677. nomē 682. 698. patria 676. sacrificia 705. sacra fœminis vetita, ibid. socij 697. victima 705. vitia 698. voracitas 702. vxores 697
Herculis reliquiæ 307. nomen 707
Herculi sacra populus 695
sacrificandi ritus 705
Herculi infensa Iuno 115
Hercules plures 701
Heri taciturni sacra 222
Hermaphroditus Mercuri filius 390
Hermionenses à Charonte immunes 201
Hesichus heros 44
Hesichidæ qui fuerint, ibid.
Hesione cur ceto exposita 168
Hesperia vnde dicta 334
Hesperidum parentes 690
nomina ibid. horti 733
mala aurea, ib. locus 734
draco custos 733. cornu 511
Hesperii filia 635
Hesperius in stellam versus 334
Hiera insula 151
Hierax in accipitrem versus 902
Hippia Bacchi nutrix 482
Hippocrene fons 955
Hippodamia victa à Pelope 810
Hippodamiæ proci 809
Hippodamiæ nuptiæ ibid.
Hippolytus Thesei 741
Hippolyti cædes 168
Hipponiū vrbs Siciliæ 247
Hispania vnde dicta 455
Homeri consiliū in poemate 7. aurea cathena 141
Homines cædebantur in sacris 67
Homines Saturno cæsi 65
Homines in lapides versi 617
Hœdorum sidera 609
Hœdorum ortus 610
Horæ vnde dictæ 419
Horarum parentes 417. nomina 418. officia ibid.
Horti Iasonis 581
Hyacinthus cæsus 349. sacer Apollini 369
Hyades inter sidera 331
Hyadum nomina ibid.
Hyadum etymologia, ibid.
numerus ibid.
Hyes Dionysus ibid.
Hydromantia Nerei 152
Hydrophoria 439
Hygia Mineruæ filia 307
Hygiæa vxor Æsculapis 347

Hyla captus ab Hercule 704
Hylus Herculis filius, ibid.
Hymni à quo inuenti 773
Hymni Hyagnidis inuentum 621
Hymnorum forma 57
Hyperionis parentes 534. insignia 535
Hypsipyle pietas in patrem 436

IAcchus Bacchus est 505
Iambæ sales 249
Iambi versus reperti 250
Iamidarum diuinationes 355
Ianus bifrons 120
Iani liberalitas 116
Ianuarius Lænæo dictus 499
Iapetus Gigas 313
Iapetus cum Saturno regnauit 114
Iapetus vnde dictus 322
Iapyges qui essent 726
Iapygia vnde dicta, ibid.
Iasion amatus à Cerere 181
Iasionis parentes 515
Iaso filia Æsculapii 374
Iason educatus 591. ad aureum vellus missus. ibid.
Iason vellus aureum cepit 594. incolumis rediit 596. vnde dictus 591. iuuentuti restitutus 597. Creontis filiam duxit 584
Iasonis parentes 582. socij 592. filij 584. nauigatio 607. mors 598. templum, ibid.
Iasonis horti vbi & cur 581
Iasoni proposita pericula 594
Icari mors 783
Icarium mare 492
Icarius cæsus ob vinum ibid.
Ida mons vbi sit 81
Idea insula Creta dicta 100
Ignauia vt pingebatur 801
Ignis quo inuentus 100
Ignis ereptus hominibus, 315
Ignis restitutus, ibid.
Ilithyia Lucina 291
Illyris vnde dicta 987
Imagines Deorum nullæ Persis 13
Imagines Deorum nullę Romanis ibid.
Imagines sanctorum vt habendæ 4
Imperandi desiderii vis 87
Imperantium conditio 273
Imperatoriæ virtutes 61
Impietatis pœna 940
Impunitas scelerum 110
Inacchi parentes 922. vxor 923. filii ibid. ortus, ibid.
Indus vitis & ficus inuentor 513
Inferi à quibusdam negati 279
Inferi malorum autores 44
Inferorum iudices 213
Inferorum descensus 201
Inferorum sacrorum tempus 40
Inferorum sacerdotes & vestes 44
Inferorum victimæ 40
Inferis cur sacrificaretur 43
Inferos esse vt necesse est 279
Inferos qui viui adierint 201

Inferiæ mortuorum anniuersariæ 48
Ingenium hominum quale 93
Ingeniorum bonorum natura, ibid.
Ingrati omnes sordidi 175
Iniustitiæ origo & vis 69
Ino Melicertam iugulauit 834. in mare insiliit 439. facta Dea maris, ibid. Leucothea vocata ib. Matuta est 835. sepulta, ib. credita præcesse nauigantibus ibid.
Inus parentes 833. insidiæ in Phrixum 601
Insignia armorũ inuẽta 509
Insulę beatorũ vbi essent 275
Io sacerdos Iunonis 901
Io in vaccã versa 901. ab Argo custodita, ibid. scortũ fuit 902. in hominem rediit 904. tempestatibus præfecta, ibid. rapta 904
Ius parentes 901. filius 904
Iolaus reuixit 707
Ionium mare 903
Iophon oraculorum interpres 611
Ioppe vrbs vnde dicta 904
Iouis parentes 79. patria 81. nutrices 19. fratres 86. tres oculi 107. nomina, ib. auaritia 69. crudelitas, ibid. malitia 73. temeritas 71. perfidia, ib. libido 96. mẽdacia 71. inuenta 89. filia 96. filiæ p̃ces 95. formæ ob amores 95. adiutor Briareus 90. cõcubitus 96. custodes 9 . pericula 74. sortitio 91. cognomina 99 vxores 92 filia Lætio 73. victoria in Titanes 100. filius Æacus 214. planetæ vis 107. sacrorum varietas 36. Dodonæ oraculũ 110. aræ sublimes 22. victima 61. Lycęi tẽplũ 29 Polici sacra 56. fabulæ explic 107
Ioui assidet Eunomia 120. quercus sacra 1 0. aquila dicata 111. vota concepta 99. cœlum obtigit 95 assessor pudor 92. assidet æquitas ib. diuini honores habiti 98. Vide Iupiter.
Ioues plures 85
Ioues reges vocati 79
Iphicli celeritas 677
Iphigenia mactata 66
Iphigenia fit Hecate, ibid.
Iræ vis 951
Iris nympha Iunonis 118. quid sit 913. quid significet 914
Iridis parentes 911. officia, ib. forma 913
Isis Ceres dicta 124
Isis Tithorea 55
Isis Cea culta 904
è Isidis statua 905. inuenta 359
Isidi vitula dicata 905
Isidi sacer anser 388
Isthmia instituta 437
Isthmia in honorem Melicertæ 835
Isthmiorum præmia 438 vnde dicta, ibid. tempus, ib. victo-

victorum honor, ibid.
Istri fluuii cursus 595
Italia Saturnia dicta 127
Italia vnde dicta 689
Italia Saturno sacra 127
Ithomata in sacra 79
Itys in phasianum versus 745
Iudæorum Dei 18
Iudices inferorum 213
Iudicia temeraria vt sint calamitosa 926
Iuno ab Herc. vulnerata 75. ab Horis educata 134. fit vacca 137. fit virgo quotannis 135 à cuculo decepta 134. ab Oceano educata 820. fit Iouis coniux 134. nuptiis præfecta 135. ridicule decepta, ibid. lac Herculi præbuit, ibid. vbi culta 136. suspensa à Ioue 137. Venus dicta 135. Herculi infensa, ibid à pauonibus vecta 138. subuentaneum peperit 135. sella alligata 147. diuitiarum Dea 137. à Ioue ligata, ibid.
Iuno cur timoris Dea 140. cur in Samo nutrita, ibid. cur ab horis educata, ibid. cur vulcanum peperit, ib. cur Iouis coniux, ibid. cur à Ioue ligata 141. aeris vis est 140
Iunonis parentes 133. nutrices, ibid. filii 135. pellices 137. patria 133. nymphæ 138. pictura 136. ludi, ibid. cognomina 139. dos 690. victima 61. sacrificia 134. templū sine tecto 141. adultæ sacellum, ibid statuæ forma 136. nuptialia sacra 135. odium illustres fecit 137. pellices è templis eiectæ 137
Iunonis allegoria 139
Iunoni sacra victima 137. sacra fiunt ante nuptias 135 sacra æuis 137
Iupiter vbi natus 80. vbi lotus 79 vbi educatus 85
Iupiter educatus ab apibus 82. à capra, ib. à Neda & Ithone 83. ab Amalthea & Melissa 09 ab Adrastea 83. ab aquila 84 à fortuna 83. ab vrsis 85. à Thisoa, Neda & Agno 83. à columbis 84
Iupiter quomodo seruat⁹ 82 patrem in regnū restituit 115. paternas insidias sensit 116. Thetidē cōpressit 300 in Olymp. versabatur 97. inuentores rerū honorauit 98. patrem insecutus est 74. mortuus est, 20. Parcis est inferior, ibid. amor talis est, ib. barbatus 98. ambitiosus 92. Ægiochus 86. paterna genitalia abscidit 87. reges instituit 90 Metim vxorem deglutiuit 93. Themim duxit 93. in aurum versus 816. in cuculum vers. 94. Iunonē

duxit 39. grauidus Palladem peperit, ibid. in cygnũ versus 94. diuinos honores assecutus 91. Idæus 81

Iupiter quid sit Platonicis 127. cur in varias formas 112. cur à Saturno nõ esus 111. cur sempiternus 21. cur à Vesta educatus 108. cur Olympius 100. cur Deus habitus 101. omniũ autor 18. aer creditus 101. motus aeris, ib. ignis regio 102. ignis autor omnium ibid. æther 103. planeta benignus, ibid. sol, ibid. stella, ib. cœlum 106. fatum 104. anima mundi 106. diuina prouidentia 21. supremus 106. dator bonorum, ibid. sine auribus 111. quatuor habet aures, ibid. pater hominum & Deorum 160. mas & fœmina, ibid. Cecrops, ibid. Ammonius 98. Idæus 81. Olympius 106. infernus 107. tres oculos habet, ibid.

Vide plura in Iouis.

Iurantium in fœderibus ritus 665

Iurantium mos 666

Iustitiæ partes 311

Iustitiæ vis 312

Iuuenes plerumque inepti præfecturis 556

Ixiõ ad inferos deiectus 625

Ixionis parentes 624. crudelitas, ibid. expiatio 625. filii, ibid.

Ixionis supplicium 625

Ixionis cum nube congressus ibid.

Iynx Medeæ magistra 455

Iynx in auem versa 571

Iynx Iasonis socia 902

Iynx auis, ibid.

Iyngiis parentes 571

Iyngis vsus in veneficiis, ibid.

LAbyrinthus Ægypti 740

Labyrinthus Cretæ 566

Lactea via facta 135

Lactucæ vis 394

Ladon draco Hesperidum 734

Læsio Iouis filia 73

Lamia Sibylla dicta 755

Lamiæ quæ dicantur, ibid.

Lamiæ malitia, ibid.

Lampadophoria 328

Lampsacenorũ morbus 528

Laomedon impius 174

Laomedontis calamitas 168

Lapithæ dicti 347

Laræ nymphæ lingua cæsa 298

Laræ sacra. ibid.

Lares quid essent 298

Larium parentes, ibid.

Laribus canes dicati, ibid.

Laribus oblata in sacris 299

Larissa vnde dicta 545

Larunda culta 298

Laseris bonitas 546

Latium vnde dictum 74

Latona vnde dicta 978. Iunonem fefellit 978. in coturnicem versa 977

Late-

Latonæ nutrix Apoll. & Diana 345
Latonæ parentes 975
Latonæ terra infesta 976
Latonæ templum 977
Latonæ filii 978. palma 345
Laurus è nympha 354
Laurus vbi inuenta 355
Laurus Apollini sacra 354
Laurus præmium Delphicū 362. præmium Pythiorum 435
Laurus fulmine non tangitur 355. cur dicata Apollini 354
Lauri vires 355
Lazi colchi 596
Leda ouum peperit 94
Ledæ ouum datum seruandum 1021
Leges inuentæ 522
Leges donum dei & vis 164
Legum obseruātia antiquitus 117
Legum multiplicitas damnosa 118
Lemnos vulcano sacra 147
Lemniades graueolentes 392
Lemniadum facinus, ibid.
Lemniæ terræ vis 147
Lenæ nymphæ torcularium 495
Lenæa sacra 499
Lenæo mensis Ianuarius, ib.
Leones ab Hercule victi 681
Leones Vulcano sacri 153
Lesborum diuinationes 355
Lethes fluuii quatuor 283
Lethe fluuius 238
Lethe cur bibebatur 284
Lethius fons 694
Leuca fons fœtibus 650
Leucadia victima 68
Leucadiæ petræ vis 395
Leucippus amatus à Daphne 354
Leucosia insula dicta 758
Leucoyri qui essent 596
Leucothea aurora est 838
Lex regina ciuitatum 163
Libamina prima quæ essent 32
Liber pater 505
Liberalitas regia virtus 175
Libido Clisophi Selymbriani 792
Libidinis vis 931
Libya vnde dicta 821. 96
Libyæ dei 14
Libycæ fabula 6
Ligures vnde dicti 668
Ligna deorum sculptorum 793. Martis 28
Ligna sacris apta 28
Ligna sacrorum Bacchi, ibidem.
Ligna sacrorum Veneris, ib. Herculis, ibid.
Lignatores sacrorum 29
Lignatorum munus, ibid.
Lilia candida facta 139
Limniades stagnorum deæ 743
Linguæ concha Veneri sacra 383
Linguæ Mercurio sacra 37
Linguæ vltimæ sacrorum, ibid.
Linus vnde dictus 352

Linus victus 351
Linus elegos inuenit 352
Linus ab Hercule occisus 351
Lini parentes ibid.
Lini discipuli ibid.
Lini inuentum 706
Lipara habitata 868
Lipara dicta ibid.
Lipara insula Vulcani 151
Lipara Meligunis 985
Lotis in Loton arborem 527
Lucerna per annum ardens 791
Lucifer Solis præuius 558
Lucina debilitat 292. lysizona 290. vna è Parcis 268. vbi nata 290. vnde dicta 242. eadem Diana 268. culta 291. Prothyræa 291
Lucinæ parentes 290. officia 291 imago 292. nomina 290. reuerentia 291. sacerdos 293
Lucinæ sacrum dictamum 292. miraculum, ibid.
Luctus honor Proserpinę 249
Ludi varii Græcorum 439
Lumina sacris addita 33
Luna habitari credita 260. 683
Luna aeris vxor 255. in curru vecta 254. cornuta 256. mas & fœmina, ibid. lumen vt accipit 260. Iunoni opem tulit in Hercul. 580. Pana amauit 261. Diana dicta 264. veneficiis præfecta 256. obit & fit sydus 338
Lunæ parentes 253. sagittæ 256 vires 259. defectus 256. remedia eclipsiũ 258 magnitudo 259. obseruatio 257. victima 261. officina 256. natura 260. voces quales 255. miraculum 257. defectus vt fiant 258. defectus quis prior obseruarit 257. equi 254. ortus 255. sacrificia 68. Phœbe dicta 254. ethymologia 262
Lunam detrahere quid sit 57
Lupercalia 992
Lupus Marti & Apollini sacer 161
Lupi ex hominibus 992
Lusitania vnde dicta 486
Lusius fons 79
Lustratio quid sit 43
Lustratio per sulphur. 50. per porcellos 51. per sal, ib. per aquam 50 perceptas, oua, mænides 50
Lustrationes agrorum 52
Lustrationes pollutorum, ib. precantium, ibid.
Lustrationes vasorum sacrorum 50. locorum, ibid.
Lustrationum differentia 53. causæ, ibid ritus 52
Lyæus vnde dictus 505
Lycaon in lupum 992
Lycaonis parentes 992. inuenta, ibid. tempus, ibid. filii in lupos 993. filia in vrsam 994. filiorum nomina 440. 993. filius 321

Lycosura vrbs 991
Lynceus perspicax 858
Lycurgi calamitas 485
Lydia Mœonia dicta 701
Lygodesmæ victima 68
Lyra à Mercurio inuenta 351
Lyra Orphei inter sidera 769
Lyræ ethymologia 443
Lysizon à Lucina 268

Macaria vrbs condita 994
Mabaria insula dicta 701
Macedonis insignia 509
Macedonia vnde dicta 510
Machaon Medicus 374
Macris Bacchi nutrix 122
Macris Sicilia dicta ibid.
Mænades vnde dictæ 487
Magicæ artis vires creditæ 570
Magicis artibus repugnantia 245
Magna mater quid sit 97
Magnæ matris tibiæ sacris add. 621
Magorum diuinationes 355
Malitia suprema nō diuturna 72
Mania nympha culta 298
Maria nominata variis nominibus 822
Mare Eoum 333. Æthiopicū ibid. Atlanticum, ibid. rubrum, ibid. mortuum, ibid.
Erythræum vnde dictum 815
Mare mediterraneum 867
Maris fluxus & refluxus 822
Marinorum Deorum victima 38
Maronea vrbs vnde dicta 510
Marsi vnde dicti 573
Marsi ab Angitia dicti 578
Marsya in fluuium vers. 622
Marsya fluuius dictus, ibid.
Marsya victus 622
Marsya parentes 621. timpus ibid.
Marsya tybicen præstans 621
Marsyæ supplicium 622
Mars capitis causam dixit, 161. vulneratus fuit ibid. cultus in Thraciæ 162. quid sit 164. sol creditus 165. vis ignea, ibid. arma inuenit, ibid. ligatus 75. Adonim occidit 111. tyrannus 163. captus à Vulcano 162
Martis parentes 160. nutrices 162. vxor Neriene, ib. filii ib. equi, ib. currus, ib. simulachrum 165. comites 163 adulterium 154. inuētum 165. cognomina 162. victima 60. sideris vis 128. auriga Bellonæ 161. allegoria 163
Marti homo cædebatur 67. lupus sacer 161. picus sacer ibid. gramen sacrum 162. canis sacer, ibid. gallus sacer ibid. vultur sacer, ibidem
Matragyrtæ qui essent 970
Matura Ino est & aurora 838
Mausolus Solis filius 541
Meconicæ vis 169
Medea in custodias tradita 246

Iasonem amauit 573. Peliam occidit 584. Æsonẽ coxit 597. Glaucam vssit 584. agnum ex oue fecit 583. Bacchi nutrices coxit 597. Theseo insidiata est 587. Athenas adiuit, ibid. patri imperium recuperauit, ib. Herculi nupsit, ib. Achilli nupsit 1003. Aæa vocata fuit 568. veneficiorum peritissima 580 Lemnadibus insidiata, ibid.
Medeæ parentes 577. venificia 578. crudelitas 579. nomen 587. facinora 80. filii cæsi 584. inuẽta 585. mors ignora 58-. soror Angitia 578 soror Chalciope, ibid. humanitas 346 fuga, ibid. nuptiæ factæ Corcyræ 581 aræ duæ, ibid. astutia mira 582
Media vnde dicta 587
Medicina inuenta 372
Medicinæ initium 373
Medorum diuinationes 355
Medusa occisa 749
Medusæ parentes 747
Medusę sanguis in serpentes 657. caput in saxa vertit 748. capilli in angues, ib. Caput gestamen Palladis ibid.
Medusæ vis, ibid.
Medusæ plures vocatæ 747
Megara vnde dicta 347
Meganira Cererem excepit 249
Melas fluuius Nilus 169
Melager cæsus ab apro 719
Meleagri socii in aues 725
Meleagri vita in titione 737
Meleagrides aues 935
Melicerta artem memoriæ inuenit 437
Melicerta Palæmon 439
Melicertæ casus 438
Melicertæ certam. pręmium 436
Meligunis insula 151
Melisse Oreadis inuenta 470
Melita insula & oppidum dictum 701
Momnon in auem versus 561
Memnonis parentes 560. patria, ibid. militia ibid. regia 561. ensis, ibid. statua mira 562. columna mira 563. mors 561. sepulchrum, ibidem.
Memnoniæ aues, ibid.
Mensaria ciuitas 994
Menthe in herbam sui nominis 178
Mercurius vbi educatus 440 vbi natus, ibid lac Iunonis suxit, ibid. fur eximius 348. Cupidinem vicit 441. Argum occidit 447. domi custos, ibidem pastorum deus 443. præstigiorum inuẽtor, ibid. fit hircus ob Penelopen 452. furũ deus 441. nautarum deus 445 palæstritarum deus, ibid. eloquentiæ deus præfectus 442. somniis pręfect' 445

445. terrestris Deus 446. morienti præfectus 441. lyram inuenit 351. belli & pacis minister 441
Mercurii parentes 439. nutrix 440. officia 441. furta, ibid. pictura, ibid. simulacrum, ib. victima 448. sacrificia, ibid. cognomina, ibid. filii 447. inuenta 445. virga 442. 444. cathena aurea 449
Mercurii gallus assidet 441. dies dicatus 445. boca piscis sacra 352. portulaca sacra 440. linguæ sacræ 37
Mercurii Trismegisti artificium 263
Mercurii plures 440
Mercurialium certaminum præmia 439
Mestra præstigiorum perita 521
Metalla quæ quibus dicata 543
Metalla astris attributa 22
Metalla inuenta 319
Metallorum natura 22
Metis Iouis vxor deglutita 92
Midas tacta in aurum vertis 1011. auro Pactolum inficit, ibid. iudex à Phœco electus 1012
Midæ parente 1011. liberalitas, ibid allegoriæ 1012
Midæ aures asini iniunctæ, ibid.
Miletus vnde dicta 346
Mimallones vnde dictæ 487
miracula, ibidem cornua assumebant 494
Milonis Crotoniata vires insignes 431
Minerua cur armatæ 317. oleam inuenit 311. Iouis ascitia 301. alata 302. semper virgo 304. belli inuentrix, ibidem colum inuenit, 305 ædificia reperit 304. tibias reiecit 612. vim Vulcani deuitauit 306. Palladem cecidit 300 diuersa est à Pallade, ibid. Pallas eadem 299. Alalcomenia 330
Minerua quid sit 312. cur dea credita 302. cur Pallas appellata, ib. cur populatrix 308. cur armata, ib. artium inuentrix 305. nuda visa 306
Mineruæ parẽtes 301. Dædalæ nutrix, ib. cognomina 307. filia, ibid domus 170. victima 308. certamẽ virginum in honorem 301. sacrificia 302. Aleæ delubrum 23 armatura 310
Minerua sacra noctua 310 sacer draco, ibid. numerus septenarius sacer 300
Mineruæ plures 301
Minos iudex animarum 213. quis fuerit 112. rex Cretæ 211. iustus fuit 212. Iouis filius 96. rex inferorum 213. Iouis discipulus 212
Minois parentes 211. officiũ 213. filii ibid. mors. ibid.

Minoi regnum delatum 212
Minotaurus natus 556
Minotauri forma 739
Minotauri nomen 565
Minyæ vnde dicti 508
Molæ quid essent 32
Molærum vsus 34
Molere triticum quis inuenit 519
Moly herbæ vis 572
Momus iudex electus 1024. omnibus inuisus ib. opera deorum carpit, ibid.
Momi parentes 1024. officium 1025
Mopsi diuinatio 358
Mors Noctis filia 234. alata 235. inferorum satelles 234 implacabilis 235. donum Dei 917. malorum remedium 235. somni soror 234
Mortis figura, ibid. victima, ibid. beneficia 235. sacrificia, ibid. parentes 234. vis 841
Mortuorũ honor capilli 44. victimæ captiui 41. res cariores vitæ, ibid. victimæ 46 vltima dona, ibid. animæ vt vocabantur 49. fores cyparisso ornabãt 47 anniuersariæ inferiæ 48
Mortui vt vrebantur 47. quamdiu lugebantur 45
Mortuis sanguis oblatus 47. obolus in os includebatur 200
Moria vna Parcarũ 208 (571
Motacilla veneficiis apta
Mulieres malorũ causæ 932
Mulierum conditio 933
Mulus piscis Dianæ sacer 352
Mũdus creatus creditus 107
Mundus æternus creditus, ibid.
Musæ tres primum cultæ 772. semper castæ 778. Sirenas vicerunt 716. sphærarum animæ 779. quæ fuerint 509
Musarũm parentes 772. nutrix 773. præses Apollo 351 nomina 772. inuẽtæ 773. filii ib. amores 777. officiũ 776. aues 778. vis 774
Musis loca dicata 778
Musæa ludi vocati 773
Musica instrumenta addita sacris 136
Musica vis diuina, ibid.
Musica poematis adhibita 6
Musica cur sacris addita 982
Musica Dei inuentum 31
Musica nunc effœminata, ib.
Musicæ vis 6
Musici moduli 351
Mycenæ vrbs vnde dicta 815
Mygdonia Niobe 616
Myletus molere inuenit 519
Myrica grata Apollini 356
Myricæ vsus, ibid.
Myricæ diuinatio 355
Myriophyllum 1013
Myrmidones è formicis 215
Myronis vacca mira 797
Myrrha in arborẽ versa 130
Myrtilus quis fuerit 810. victus à Pelope 811
Myrtili fraus 810
Myrtoum mare 811

Myrtus Baccho sacra 395
Myrtus Veneri sacra, ibid.
Myrtus Cereri sacra 517
Myscellus Crotonem condidit 251
NAiades Adonim nutriuere 530
Naiades nymphæ vnde dictę 473
Napææ saltuum deæ, ibid.
Naphthæ vis 585
Narcissus ab Echo amatus 1014. in florem versus, ib. quid significet ibid.
Narcissus quib. coronis aptus, ibid.
Narcissus sacer Baccho 487. sacer Eumenidib. 224. sacer Proserpinæ, ibid. sacer Plutoni 177. sacer Cereri 517
Narcissi parentes 1013. soror 1014
Nauium picturæ 930
Naxos vnde dicta 480
Naxos Dia vocata 504
Naxos Baccho sacra, ibid.
Neapolis vnde dicta 757
Neda nutrix Iouis 19
Negretus fons 238
Nemea certamina vbi 436. à quibus instituta, ibid. cur instituta 437. funebria erant 436. vnde dicta 437
Nemeorum iudices, ibid. præmia 436
Nemei pugnatores, ibid.
Nemesis Adrastea vocata 1022. fit anser 1021. alata 1022. quid sit 1024
Nemesis parentes 1021. insignia 1022
Nemesis officium 1023. forma 1024
Nephalia sacra 387
Nephalia ligna, ibid.
Nephaliæ Deæ, ibid.
Nephele dea credita 602
Nepheles æstus in Phrixum 601
Neptunus proselysthius 924
Neptunus insularum imperator 166
Neptunus Laomedonti seruiuit 168. Troiā extruxit, ibid. equum repertt 174. inuenit equitare 166. equus Cererem compressit 224. quid sit 172
Neptuni parentes 165. Educatio 166. forma, ibidem vxor, ibidem. comites 172 tridens 174. templā magnifica 171. cognomina 170. officia, ibidem, filii 168. currus 167. equi, ibid. victima 38
Neptunus mare obtigit 91
Thunus sacer 171
Pompilus sacer 352
cœlestes pisces dicati 171
Nereus vates 843. in varias formas 844. educatus, ibidem. maris Deus, ibidem. hydromantiæ peritus 152
Nerei parentes 843. filiæ 845
Nereides circa currum Tritonis 845

Nereides quæ essent 474
Nereidum officium 571
Nereidum parentes 844. numerus, ibid. nomina 846. capilli 845. aues, ibid.
Neriene vxor Martis 161
Nessi astutia 700
Nicetæ sententia de mundo 261
Nicopolis vnde dicta 757
Eilus Melas dictus 169
Niobe in saxum versa 615
Niobes parentes 613. filii 614 arrogantia 613. nomina filiorum 615. filiorum cædes 614 imago 616
Niobæ plures 614
Nisus proditus 875
Nisyros insula 649
Nobilitas quid vere sit 61
Nox alata 232. in curru vecta 231. mater omnium. ibid. vnde dicta 234. antiquissima 231
Noctis parentes 231. filii 233. victima 232. officium ibidem.
Noctua sacra Mineruæ 310
Numerus tenarius sacer 39
Nuptiarum secundarum author 815
Nuptias adeundi mos, ibid.
Nyctelius Bacchus 505
Nymphæ matres fluuiorum 473. Pana educarunt 452. Aristęum educarunt 474. Cererem educarunt 473. greges Solis custodiebant 539. ministræ Circes 571. quid essent 473
Nympharum parentes 472. diuisio 473. vis 474. officium 571. sacrificia 62. nominum explicatio 473
Nysa vrbs à Baccho condita in India 489
Nysææ portæ 511
Nysæus Bacchus vnde 505

OAxia vrbs Cretæ vnde dicta 213
Oceanus initium rerum 820. taurino capite 821. amicus Promethei, ibid. quid esse putetur 39
Oceani parentes 820. vxores 821. filia, ibid. motus, ibid. frater Alas 334. nomina filiarum 821
Ocnus pro ignauia pictus 801
Ocyrhoe Chironis filia 379
Odores dæmonibus grati 35
OEdipus Sphingē vicit 219. vnde dictus, ibid.
OEnomaus ꝓcos occid. 809
OEnomas equi 810
Olea à Minerua inuenta 305
Oleaster sacer Apollini 352
Oleaster præmium Olympicorum 421
Oleaster planta propria Alphei 192
Oleum in sacris plutonis 41
Olei vsus multiplex 305
Olenia capra 83
Oliua fons 345
Oliua versilis 687
Olympica certamina instituta 421

Olympicorum certaminum tempus, ibid.
Olympicorum pręmium 421 honor 422. vbi fierent 423 modi varii 421. quando cœperint 423
Olympicorum certaminum mutatio 426
Olympus Iouis magister 101
Olympus mons 81
Olynthus vnde dicta 701
Omphalus locus in medio terræ 81
Oracula ambigua 611
Oracula varia, ibid.
Oraculorum interpres Iophon 611
Orcus quis esset 178
Oreadæ Brasiæ cur dicti 478
Oreades comites Dianę 470
Oreades eędē Orestiades, ib.
Oreadū parētes, 470. officia, ib nomina, ib. inuenta, ib.
Oreste vrbs 954
Orestes vbi educatus 953. matrem occidit, ib. patriam fugit, ib. absolutus in Areo pago, ib. ab Erinnyb. agitatus, ib. digitum sibi arrosit, ib. Tauricā statuam rapuit 956. comā in Tauris deposuit, ib. sororē dat Pyladę, ib. Erinnyas placat ib. sanitati restituitur, ib.
Orestis parentes 953. vxor 954 sorores 956. filii, ibid. mors 957. ossa, ibid. tabernaculum 954
Oresti diuini honores habiti 957
Oresti dies dicta 954
Orestia vocata, ibid.
Oresticum Argos 955
Orgia sublatæ 504
Orii inuentum 167
Oriō ab Aurora amatus 883 Pleionem insecutus, ibid. Vrion prius dictus 881. tripater 882. Caudaon vocatus, ibid. super aquas incedens, ibid. cœcus factus, ibid. lumen recuperat 883 Pleiadas quinquennium insequitur, ibid. Dianam violare conatur, ibid. à scorpio occisus, ibid. inter sidera relatus ibid.
Orionis parentes 881. vxor 882. cædes 883
Orithyia rapta à Borea 871
Orpheus ab inferis vxorem reuocat 768. cur occisus, ibid. Bacchi sacra instituit 510. cantu Sirenas superauit 758
Orphei parentes 765. pręstātia 770. lyra inter sidera 769. tēpus 766. inuenta, ibid. scripta 767. allegoria 770. sapientia 767. membra in sepulta 769. caput sepultū, ib. mors varia ib.
Orthria carmin. Arionis 304
Ortygia Insula 977
Orus Apollo dictus 350
Oschophoriorum ritus 497
Oscilla Bacchi imagines 501
Osiris Bacchus 124
Osiridis expeditio 509
Ouidii error 39

PActolus auro fluxit 1011
Pæon Æsculapius dictus 363.
Pæanes vnde dicti, ibid.
Pæanes quid essent 362
Pagasæ vnde dictæ 606
Palæmon Deus marinus 836
natator egregius 817
Palæmonis imago, ibid. sepulcrum, ibid. victima, ib. certamen 836
Pales pastorum Dea 349
Palilia sacra 544
Pallas cur dicta 302. semper virgo 304. Iouis filia 301. Tritonia 309 armata nata 111. Mineruа est 299. diuersa à Minerua 300. à Minerua cæsa, ib. Alalcomenia ibid. Bacchum tuetur ab insidiis 511
Palladis parentes 299. natalis dies, ibid. clypeus 303. currus ibid. scuti vis, ib. armatura 310. inuectum 304. cognomina 307. allegoria 308
Palladiæ quæ fuerint 300
Palladii vis 307
Palladii opportunitas, ibid.
Palliatæ fabulæ 5
Palma pythicis victorib. proposita 362
Palma Musis sacra 779
Palma à quibus gestari solita 438
Pan dux nympharum 453. nuncius Deorum ib. greges pauit, ibid. vbi educat. 454. Syringa amauit 455 in arietem versus 456. Typhonem irretiuit, ibid. piscatorũ Deus ib. buccinator in bello Giganteo 651 Echo amauit 455. in hircum versus 452. à Cupidine lucta victus 456. fistulam inuenit ibid. vaticinia Apol. docuit 353. vniuersa natura 457
Panos parentes 451. forma ibid. sacra, ibid. nutrices ibidem furor 456. pictura 453. gestamen, ib. officia 454. vis 458. filia Iābe 249
Panes plures 454
Panicus terror 69
Panathenæa sacra 148
Pandionis parentes 995. filii ibid.
Pandiones plures 996
Pandora Vulcani 316
Pandora formata 154
Pannychius fons 238
Papauer Lucinæ sacrum 523
Papauera Cereri sacra 298. 523
Papauera Laribus sacra 599
Paphlagon polyphemi filius 987
Parca quid sit 208
Parcæ Deorum scribæ 207
Parcæ sunt tempora 209
Parcarum parentes 206. spelunca 207. munus, ib. nomina 208 sacrorum ritus ib. vis 209. allegoria 210
parentantium ritus 47
Paris eiectus infans 663. ab vrsa educatus, ibid. nutritus, ib. iudex Deorum, ib.

Helenam

Helenā rapuit 667. Deas nudas non vidit 670. vt Deas iudicauit 311. largitionibus corruptus 664
Paridis parentes 663. robur, ibid. iustitia, ib. filia 667. mors 669
Parnassis vnde dictus 899
Pyrrhichium melos inuentum 860
Pasiphae culta 567. cur taurum amarit, ibid. Minois vxor 566
Pasiphaes par. 566. filii 567
Passeres Veneri sacrati 387
Pastores reges vocati 350
Patræ Area vocata 516
Patria cuiusque 214
Pauo Iunoni sacer 154
Pauo gemmatus Adriani 38
Paupertatis mala 183
Pax nutrix Plutonis 177
Peceutii populi qui fuerint 726
Pecuniæ animalia imprimebantur 930
Pecuniæ vis 129
Pegasus equ⁹ Belleroph. 964
Pegasus natus è Medusa 749
Pelasgus Iouis filius 96
Pelasgi inuenta 611
Pelei innocentia 624
Pelei & Thetidis nuptię 379
Pelię gen⁹ 590. crudelitas 581
Peliæ datum oraculi respōsum 591. filiæ 584. mors per fraudem Medeæ, ibid.
Pelles ꝓ scutis vsurpatæ 678
Pellices è Iuno templo eiectæ 137
Pelopis parentes 809. filii 812. victor Hippodamiæ 815. humerus eius 633 humer⁹ eburnus, ib. sepulchrū 812 ossa in Græciam portata, ib. duplex inuenta 633
Peloponnesus dicta 811
Penates qui fuerint 23
Penatum officia 295. ethymologia 294. figura 295. sacra 294
Penelope exposita 936. vnde dicta 936. domo expulsa 950. à Mercurio compressa 451
Penelopes genus 952. fratres 935. parentes, ibid. nupti, 936. astutia 937. filius ib. sepulchrum, ibid.
Penthes calamitas 504
Pepromene vna Parcarum
Periclymeni vis 853 (208
Perpendiculū inuentum 807
Persæ nulla templa habuerunt 13
Perseus Iouis filius 748. discum inuenit 815. ad Medusam missus 814. Atlantem in montem vertit 332 Medusam obtruncauit, 748. Andromedam liberauit, ibid. Solis filius vbi regnauit 570
Persei filii 815. vxor, ibid.
Pestilentię causa 555
Pestilentię insignes, ibid.
Petri Victorii bonitas 970
Phæacia vnde dicta 168
Phædræ mors, ibid.
Phaethon currum solis regit 553. è cœlo cecidit. ibid.

Phaethon cursum solis obseruauit 338
Phaethon Absyrtus vocatus 577
Phaethontis allegoria 555. parentes 552. casus 553
Phaethontiades in populos versæ 554
Phaethontiadum lacrymæ in electrum. ibid.
Phalanx in serpentem 657
Phalāx militiam edoctus, ib.
Phalaris piscis Veneri dic. 352
Phaliscorū religio dolosa 363
Phallica sacra 498
Phallus quid sit, ibid.
Phasianus Græcis ignot⁹ 598
Phasmata Hecates 245
Phasmata cur euānescāt 242
Philoctetes sagittas habuit Herc. 307
Philomela & soror in aues 745. Veris nuncia 746
Philomelæ fabula 745
Philyra vxor Saturni 380
Phinæus longæuus 730
Phinei parentes 730. filii, ib. supplicium 593
Phlegra vnde dicta 649
Phœbus vnde dictus 366
Phœbi crudelitas 72
Phœnicia vnde dicta 168
Phorcides quæ essent 748
Phorcinis parētes 848. filii, ib
Phoroneus ignē inuenit 318
Phrixus per aera vectus 601. arietem immolauit, ib.
Phrixi parentes 600. filii 602 aries locutus 601. aries quid esset 604
Piaculum sacrificantium 26
Pica Baccho sacra 487
Pictorū opera memorab. 785
Picturæ præstantia 785. initia 787
Picturæ colorum vis 788
Picus Marti sacer 161
Pietas quam bona sit 175
Pilumnus Iouis filius 96
Pinarii Herculis sacerdot. 30
Pinus ex Atte 97
Pinus sacra Mineruæ matri, ibid.
Pinus sacra Pani 453
Pirene in fluuium 266
Pirithous adiuit inferos 205
Pisa vnde dicta 336
Piscatorum Deus Pan 456
Pisistratus tyrannidem occupauit 741
Pithecusæ patria Gigantum (650
Pithecusa insula 87
Pithegia sacra 499
Planetarum vires 780. 263
Planipediæ fabulæ 5
Platan⁹ genio dicata 296 (16
Plato theologiā immutauit
Platonis opinio de principiis rerū 77. de anima 285
Pleia anima cœlorū sunt 336
Pleiades inter sidera 885
Pleiades cur filia Atlantis 335
Pleiadum nomina 330. locus, ibid.
Pleione Atlantis vxor 329
Ploides aues 685
Plote insula Delos 345
Plotæ insulæ 731
Pluto Deus mortuorum 177. Orcus 178. Proserpinam rapuit,

rapuit 177. quid sit, 41 Dis vocatus 179. opum Deus 177. vbi habitaret, ibidem vulneratus 75. à Sisypho deceptus 630
Plutonis parentes 176. Pax nutrix 177. claues, ib. insigne, ib. equi, ib. regia, ib. sacris oleum pro vino 41. currus 177. victima 60. mina 204. sacrificia 177. allegoria 179
Plutoni infera obtigerunt, 177. sacræ plantæ, ibid.
Plutonium os 178
Plutus diuitiarum Deus 181. cæcus à Ioue factus, ibid. timidus Deus 182. perniciosus ibid. oculatus, ibid.
Pluti parentes 181. filij 185
Poematis præstantia 7
Poematum scopus, ib.
Poematibus musica addita 6
Poetæ adulatores 728
Poeticæ vis, ibid.
Poeticæ fabulæ 8
Pœnitentia quorum filia 321
Politicæ fabulæ 5
Pollux vbi natus 856. init, cũ Iasone, ibid. Amycum pugnis occidit, 857. Athenas vicit, ibid. ad Leucippi filias, ibid. recuperat Helenam. ibidem cæsus fuit, 858. cultus 860. fratri liberalis 859
Pollux & Castor seruatores 857
Pollucis parentes 856. inuenta 859. equi albi, ib. victima, 862. flamma nautis 860. filij 858
Polluebantur qui 53
Polluti qui essent, ib.
Polluti non tangebant aras 52
Polydectes in lapidem 814
Polyidus vates 841
Polyphemus Galateam amauit 986. cæcus factus 989
Polyphemi parentes 848. vxor, 985. victus 986. filij 987. mores, ibid. arrogantia 788
Pompilus sacer Neptuno 352
Pomum Discordia 663
Populus alba 192
Populus nigra, ib.
Porcell. lustrationum 51
Portulaca sacra Mercurio 440
Portus Herculis vocatus 693
Presepe signum cœleste 466
Præstigiorum inuẽtor Mercurius 443
Preces impiorum quales 50
Preces Iouis filiæ 93
Preces quales esse debent 176
Priamus vnde dictus 688
Priamus ad Iouem confugit 107
Priamo regnũ delatum 608
Priapus vbi natus 527. deformis, ibid. exul, ibid. reuocatus 529. hortorum Deus 528. cultus, ibidem

Priapi parentes 391. victima 528. simulacrum 529. portus 528
Primi comitis laus 970
Primitiæ Vestæ sacræ 88
Principum ingenia 145. institutio 728
Progne in lusciniam versa 745
Prognes parentes 744
Prometheus omnes artes inuenit 305
Prometheus Iouē decepit 315 homines fecit 314. in Caucaso vinctus 316. quis esset 315. Pandoram finxit 154. Titan ignifer 353. ignem detulit hominibus 315. accusatus 317. inuenit fœminam, 318. à Ioue solutus 321. Oceano amicus 821. liberatus ab Hercule 328. rerum diuinarum cōtemplator 329. insidias aperit Saturno 116
Promethei parentes 313. filia Titanis, ib. vxores 314 fratres, ib. filia, ib. imprudētia 315. supplicium 316. ara 319. aquila 327. statua 153. inuenta 149. allegoria 327
Prometheo ingrati homines 317
Proselenus Arcadibus imperauit 155
Proseleni Arcades dicti 256
Proserpina non recuperata 515. super mare lata 248 rapta narcissū colligēs 249. à Theseo quæsita 251. alterne apud matrē 250. vnde rapta 126. quid sit 99. mortuorum regina 249
Proserpinæ parētes 247. honores 249. victima 251. raptus 248. reuerentia, ibid. cognomina 252. ethymologia 253. allegoria 180
Proserpinæ donata Sicilia 250
Proteus in varias formas 850 Deorū antiquissimus, ib. nauigandi peritus 852
Protei parentes 849. vxor, ib. calliditas 854. iustitia, ib. filii 849. currus 851. æquitas cæsis filiis 849. potestas 850
Proteo mira vis 852. par potestas 853
Prothyræa Lucina 291
Pudor Iouis assessor 92
Purgatio antiquorum 27
Pylum conditum 590
Pyra à propinquiore accendebatur 46
Pyrenei montes vnde dicti (701
Pyromantia Vulcani 152
Pyrrhichium melos inuentum 860
Pythagoras vnum Deum censuit 16
Pythagorę opinio de principiis 77. opinio de anima 283. ludicrum in luna scribere 257
Pythagorici numeri 219
Pythia cur instituta 361. quādo cœpta, ib. quando aucta 433. vnde dicta 434

Pythiorum ludrica 361. tempus 435. præmium 362
Pythus Delphi 362
Pytho natus 361. cæsus, ibid.

QVercus Baccho sacra 487
Quercus Cereri sacra 25
Quercus Ioui sacra 110
Quercus Rheæ sacra 871
REfluxus maris 822
Reges pastores dicti populorum 350
Regum diadematis inuensio 510
Regum assessores 111
Regnantium furor 109
Religio anima ciuitatum 14
Religio Hebræorum 10
Religio Græcorum ex Ægypto, ibid.
Religionis origo ibid.
Religionis antiquæ exemplum 30
Rhadamanthus iustissimus 212. cur exul. 214. duxit Alcmenam ibid.
Rhadamanthi parentes 96 temperantia 213. officium 214.
Rhea mater Deorum & hominum 972
Rheæ parentes 965. filiæ, ib. currus 966. effigies 971. socii 966. inuenta, ibid. forma, ibid. sacrorum ritus, ibid. Galli sacerdotes 967. varia nomina 971 sacrificia quando 968. speluncæ religio 971. sacerdotes mendici 968
Rheæ pinus dicata 97. quercus & vitis dicata 971.
Rhodius vnde dicta 347
Rhodi filii 542. parentes 399
Rhōbus rota in sacris Rhea 973
Risus Sardonicus quid esset 66
Romanorum Dii 16
Ros Lunæ filii 255
Rosa colorem mutat 387
Rosa rubra ex alba fit 531
Rosa Veneri sacra 395

SAbazius Bacchi filius 478
Sacerdotes antiqui quales 64. 196
Sacerdotum castitas 24. vestes 26 reuerentia 944
Sacra antiqua 546. ventris oblata 35
Sacræ cantilenæ quales 36
Sacrificantium puritas necessaria 26 castitas 27. purgatio, ibid leges 42
Sacrificia cœlestium 33
Sacrificia Iouis & Apoll. sublimia 22
Sacrificia Iouis varia 36
Sacrificia in mari facta 38
Sacrificia Cereris 521. Cereris Phigalensis 55. Cereris Chthoniæ, ibid. Cœlestium 22. Eumenidum 43 fluuiorum 40. Heræ Deæ 55. Inferorum 40. Iouis Polici 56. Isidis Tithoreæ 55. Mineruæ Machlyensis 301. Nympharū 474

Sacrificiorum causa 62
Sacrificiorum tempus 24. lignatores 29
Sacrificiis additæ cantilenæ 34. addita lumina 33. additum thus 34. additi odores, ibid. addita Musica 36. additæ tibiæ 621
Sacris aquæ aptæ 31
Sacris Cereris vinum vetitum 42
Sacris Plutonis oleum pro vino 41
Sacrorum vltimæ linguæ 37
Salamina vnde dicta 895
Samothracum dii 445
Samus dicta Parthenia & Anthemusa 133
Samus Iunonis patria 133
Sanguis offerebatur mortuis 47
Sanguinis victimarum vsus 33
Sanctorum imagines erigendæ 40
Sapientiæ vis 105
Sapientum contentio de tripode 353
Salatia regio 726
Sardinia vnde dicta 701
Sardonicus risus 66
Saturnalia sacra 123
Saturnus patri virilia abscidit 74. filios vorauit 115. num prior regnarit 114. in Italiam venit 116. in vincula coniectus 115. in tartarum detrusus 121. regnũ Ioui cõcessit 100. in regnũ restitutus 115. a Ioue capt9 87. falcem inuenit 122. vir fuit sapiens 117. Iano acceptus 116. Ioui insidiatus ibid. sororẽ duxit 114. patris insidiatus, ibid. in equum versus 123. victus à filio 87. pro Deo cultus 116. regnauit in Ægypto 124. Deus creditus 125. tempus putatus 108. cur à Ioue ligatus 126. Saturnus quid sit Platonicis 127. Saturnus ad chemiam tractus 129. vbi regnauit 100. cur Cœli filius 121. cur filios vomuit 108. cur virilia patri decidit, ib. æther creditus 124
Saturni parentes 113. fratres 114. voracitas 113. ætatis bonitas 88. ætas aurea 89. filii 124. pactio cum Titanibus 114. inuenta 116. victima 65. fuga 74. etymologia 123. sacrorum ritus, ibid. Planeta 128. hostiæ humanæ 123. allegoria 124 bellum in Dionysum 511. bellum contra Ammonem, ibid. picturæ explicatio 129
Saturno Italia sacra 127
Saturnia Italia dicta, ibid.
Satyri Bacchi socii 462. animalia sunt, ibid. vnde dicti, ibid. conuitiorum amici, ib. culti, ibid. Sileni sunt, ibid.
Satyrorum parentes 462

forma

forma, ibid. insula, ibid.
Satyris primitiæ oblatæ 462
Saxum Saturno oblatum 80
Scorpius inter sidera 884
Sculptorum ligna 788
Sculptorum Deorum materia 801
Scutum Mineruæ 303
Scylla versa in monstrũ 875. cocta reuixit 877. suum patrem prodidit 875. in cirim versa, ibid. ab auibus marinis vorata, ibid. se in mare præcipitat, ib. ab Hercule euersa 880
Scyllæ parentes 874. forma 876. canes additi 875. canes quid sint 878. mors varia 876. allegoria 880
Scyllæ duæ 876
Scythæ vnde dicti 107. qui sint 596
Scytharum Dii 14. diuinationes 355
Semele Cadmi filia 476. vsta 477. in arca eiecta 478
Semeles picturæ capilli longissimi 478
Septenarius Palladi sacer 300
Septimestres pueri cur viuant 290
Serapis cultus 617
Serapis quis fuit 616
Serpentes cur exuant senectam 318
Serpentum ortus 657
Serta inuenta 807
Sesonchoses equitare inuenit 167
Sicilia Corcyra dicta 122
Sicilia Macris dicta, ibid.
Sicilia Cereri sacra 515. horreum Romanorum 253. de nata Proserpinæ 250
Siciliæ descriptio 126. feracitas, ibid.
Sidera pro diis culta 16
Siderationum tempus 60
Silenus ebrius 464. Bacchũ nutriuit, ibid. captus, ibid. Bacchi comes, ibid.
Silenus rex 512
Sileni patria 464. forma, ibidem, asinus inter sidera 465
Sileni plures 464. vnde dicti 512. mortales 465. dæmones, ibid.
Silenorum statuę 465. parentes 464
Simiæ ex hominibus 87
Sinis Procustes Neptuni 428 cæsus à Theseo 739
Sirenes cum Musis certarunt 758. nomina locis dederunt 757. musica instrumenta abiecerunt 758 perierunt 761. in saxa versa, ibid.
Sirenum parentes 757. locus ibid. forma, ibid. musicá instrumenta 758 nomina 757. cantus quales, ib. allegoria 763
Sirenum insula ossibus alba 760
Sisyphus bella Troiana scripsit 632. Plut. fefellit 630

Sisyphi parentes 628. filii 629 vxor, ib. astutia, ibid mors 630. supplicium 629. allegoria 630
Smilax Baccho sacra 487
Smilax Cereri sacra 517
Socratis opinio de principiis rerum 77
Sol Veneris adulterium indicat 154. quis fuerit 644. lucis quæstor 537 autor omnium 535. Deus creditus 31. Dei lampas 535. currum vbi mergit, 37. in poculo nauigat, ibid. in lecto nauigat, ibid. Titan dictus 535. flammæ coeuntes putatus 539
Solis parentes 534. equi 537. currus 536. boues 539 greges 540. filii, ibid. insignia, 535. ciuitas, ibid. planetæ vis 543
Soli currus paratur in oriente 543. gallus sacer 542. agnus victima 61. aper victima 542. aurum tribuitur 543
Soles plures 135
Somnus alatus 236. è cœlo deiectus 237. Iouē timet, ibid Lethes frater, ibid.
Somni parentes 236. locus, ibid. officium, ibidem filii 237. beneficium 136. causę 238. ciuitatis descriptio, ibid.
Somnia vera 240
Somniorum porta 238. formæ, ibid. vrbs, ibid.
Sosipolis cultus ob miraculum 293
Spermus nymphæ facultas 504
Spes quorum filiæ 236
Sphyngis parentes 1018. forma, ib. locus, ib. immanitas, ibid. mors 1019
Sphingis victori præmium 1018
Stellarum animæ quot 543
Staphyle in vitem versa 487
Staphylus Bacchi filius 504
Staphyli pronepum munera, ibid.
Statuariorum opera memorabilia 785
Statuę quam Diis gratæ 794
Strongyle insula 151
Strophades vnde dictæ 731
Strophe & antistrophe moduli 36
Stymphalides aues 686
Stymphalidum forma, ibid.
Styx vbi fuerit 196 vnde dicta 197. quid sit, ibid.
Stygis parentes 194. filiæ, ib. iuramentum, ibid. aqua qualis 197. color, ib. pisces ibid.
Stygi cur honor habitus 196
Stygem iurantium ritus 195
Stygē peierantium pœna, ib.
Suadelæ Veneris filia 391
Subuentanea vt fiant 146
Superstitionis vis 15
Sus Veneri immolatur 388
Sus Cereri mactatur 60
Susa condita Persarum metropolis 565

Susario comœdiæ inuētor 7
Sybariticæ fabulæ 5
Syce in ficum versa 487
Syluanus Fauni filius 468
Syluanus Deus syluarum 469
Syluani sacra, ibid.
Syluani filiæ, ibid.
Syluano sacra cupressus, ib.
Symbolæ fluuiorum 920
Syracusa ex oraculo condita 250
Syrinx in calamum versa 460
TAbernariæ fabulæ 5
Talais æreus 212
Tali inuentæ 807
Tantalus cur condemnatus 635
Tantali parentes 633. filii, ibidem supplicium 634. immanitas 633
Tantali allegoria 637
Taraxippus ab equis discerptus 629
Tarentini populi 726
Tartarus natus 228. antiquissimus ib. obscur⁹ 229 carcer sceleratorum 227. barathrum 229. vnde dictus 230. quid sit 229
Tartari profunditas 228
Taurica Diana 67
Taurus inter sidera 927
Taygetus mons vnde dictus 96
Telamenius portus 607
Telchina simulacra deum 541
Telchines præstigiatores, ibidem
Telchines ferri artifex 122
Telchines Rhodon habitarunt 541
Teleboę populi rapaces 676
Tellus Cœli vxor 548. Cœli mater, ibid. Deum & hominum mater, ib. vna inferorum 548. fatidica 549. Ceres vocata, ib. Iouis vxor 548. Magna Dea 549
Telluris parentes 547
Telluris victima 61
Templum Deo gratum pectus hominum 14
Templorum exædificatio 23
Templis habita reuerentia 29
Tempus Deus creditus 125
Tempori falx attributa, ib.
Terebra inuenta 807
Tereus in vpupam 745
Terei parentes 744
Terei libido 745
Termini Dei victimæ 262
Termino liba sacra 745
Ternatius numerus sacer 31
Ternarii numeri vis 39
Terræ sigillatæ vis 147
Terræ motus causæ 170
Terræ motus insignis 156
Tethyos parentes 824. filii 827
Thaletis opinio de principiis 77
Taletis scientia 869
Thamyris poeta eximius 619 à musis victus, ibid. cur cæcus 620. eius parentes 619
Thasus opp. conditum 928

Thebę condita ab Amphione 890
Thebæ euersæ 891
Thebæ insula 80
Thebarum portæ 891
Thebe filia Promethei, ibid.
Thebe vrbs vnde dicta 755
Theramene insula vnde dicta 545
Thero Martis nutrix 161
Teoxenia certamina 439
Theseus inferos adiuit 742. intrepidus puer 738. rempub. Athenis instituit 741. amicus Pirithoo 739. in Cretam nauigat, ibidem. Ariadnam rapuit 740 Helenam rapuit 742. in vincula iactus 204. sedet apud inferos 251
Thesei parentes 738. filii 741 inuenta, ib. res gestæ 738. allegoria 743
Thesmophoria 522
Thesmophoria inuenta 515
Thesmophoriorum ritus 516
Thespia vnde dicta 895
Thessalæ veneficæ 257
Thessali vnde dicti 587. 693
Thespiades 50. ab Hercule vitiatæ 681
Thetis in sepiam versa 826 Achillis mater, ibid. à Ioue compressa 300
Thetidis parentes 824. nuptiæ 379
Thetidi quibus par potestas 853
Thracia vnde dicta 161
Thunnus sacer Neptuno 171
Thus additum sacris 34
Thya Bacchi sacra instituit 487
Thyades sacerdotes Bacchi, ibid.
Thyoneus Bacchus 505
Tibia Ardali inuentum 154
Tibia à Minerua eiecta 621
Tibiæ sacris additæ, ib.
Tigris fluuius vnde dictus 488
Tiresias cæcus factus 306
Tiresias diuinator, ib.
Tisiphone nata è cœli sanguine 131
Tisiphones amores 220
Titan Sol est 644
Titanis herba 313
Titanes trucidati 512. eorum sanguis in viperas 643
Titanes debellati 87. Rheæ parturienti assident 86. metere docti 643
Titanum parentes 642. bellum, nomina 643. numerus 644
Titanus cum Saturno regnauit 114
Titanus astronomus solis frater 644
Tithonus auroræ maritus 565. in cicadam versus 564. Susa condidit 565
Tithoni parentes 564. senectus, ib. filii, 565. immortalitas 564
Titias heros cultus à Cretensibus 971

Tityus

Tityus cæsus ab Apolline 639. terræ alumnus, ib. sepultus ibid.
Tityus calamus est segetum 641
Tityi allegoria 640 (639
Tityi parentes 638. suppliciũ
Tmolus mons vnde dictus
Togatæ fabulæ 5 (161
Tragœdiæ dignitas 7 (ib.
Tragœdiæ inuẽtor Glaucus
Tricerberus canis Molossus
Tricena fontes 440 (252
Triclariæ victima 68
Trietericæ sacra 497
Trigla sacra Hecatæ 352
Tripolis Rhodos dicta insula 542
Tripos Delphicus 353
Tripos ad septem sapientes missus ibid.
Tripos cur dicatus ibid.
Tripos quid esset 354
Tripodum genera ibid.
Triptolemus à Cerere educatus 516 (214
Triptolemus iudex inferorũ
Triptolemus agriculturæ inuentor 529 (509
Triptolemus sationẽ docet
Triptolemi parentes 516
Tripudia Baccho sacra 496
Triton Argonautas rexit 595 Neptuni buccinator 828 occisus 829. mirus Romæ 833. fluuius Ægypti 830 mare ibid.
Tritonis parentes 828. forma 829. currus, ib. inuentum ib. filia ibid.
Tritonia Pallas 511
Tritonia Luna 309
Tritonia anima ibid.
Triuia quæ sit 242
Troia extructa 168 (307
Troiæ capiẽdæ difficultates;
Tyche fortuna 339
Tyndari iuramentum 665
Tyndaridæ qui sint 856
Typhoeus oppressus 651
Typhoeus terræ filius 130
Typhoes forma 654
Typhoei magnitudo 651
Typhon terræ filius 653. Iouem cecidit 654. fulmine percussus 650. cæsus 655
Typhõ rex inhumanus 660
Typhon sepultus 657
Typhon quid esset 661
Typhõ sanguis in angues 657
Tyrannorum assessores 111
VAlentia vrbs Siciliæ 247
Vates Apollinis filii 357
Vellus aureum quid esset 591
Velleris aurei præsidia ibid.
Veneficorum fraudes 256
Veneficiis repugnantia 572
Venena Hecates inuentũ 570
Venus emergẽs 382. ab Horis educata 383. in cõcha nauigat 88. vnde dicta 384. in cœlum ducta, ib vulnerata 75. Cypria vnde dicta 383. Cytherea vocata 385. nautis salubris, ib. artem meretriciam reperit, ibid. nuptiis præfecta, ibid. risus amica, ibid. diuinandi magistra 386 iuramenta non curat, ibid. armata

388. Adonim amauit 391. à Neptuno cõpressa, ib. à Sole compressa 541. Deas vicit forma 393. lena fuit 397. plurimum nocet 393. à dementia dicta Græcis 128
Veneris cœlestis sacris vinũ interdictum 400
Veneris parentes 381
Veneris cur nomen inuentũ 382. filii 390. vis 388. cognomina 544 pictura 392. adulteriũ 154. curtus 386. vsus 310. sagittæ 387. cesto quæ inessent 386. vim sedentia 394. cultus institutus 392. victima 387. sacrificia ibid. ritus sacrorum, ibid. sideris vis 128. allegoria 396
Veneri sacri passeres 347. sacra phalaris piscis 352. sacra lingua concha 383. sacræ myrtus 28. sacræ coronæ 268. sacra aqua 352. sacra columba 388. gratiæ dicatæ 396
Veneres plures 383
Venilia vxor Neptuni 166
Venti quorum filii 559
Ventis oblata sacrificia 35
Ventorum initia 151
Ventorum vis 867
Ventorum obseruatio 151
Ventorũ quæstor Æolus 152
Ventorum domicilium 868
Vertigines vt fiant 916
Vesta terra est 104. cœli vxor 130
Vesta quid sit 104. Ara vocata 909. semper virgo 91
Vesta parentes 907. officium 908. inuenta ibid. forma 909. sacrificia 911
Vesta primitiæ oblatæ 88
Vestæ duæ 908
Vestæ mensæ antiquorũ 910
Vestalium ignis 88
Vestes inuentum Pelasgi 612
Via lactea facta 135
Victimę vt annuerẽt sacris 31
Victimæ quæ diis acceptę 26
Victimæ egregiæ 26
Victimæ eximiæ, ibid.
Victimæ humanæ 67
Victimæ Leucadum 68
Victimæ vt eligerentur 26
Victimæ marinorũ deorũ 38
Victimæ nigræ quibus gratæ 40
Victimæ à diis nõ admissæ 31
Victimæ lauabantu 50(41
Victimæ mares aut fœminæ
Victimæ quæ quib. Diis, ib.
Victimæ animales 62. consultatoriæ ibid.
Victimarum pili in ignem 32
Victimarum vittæ 25
Victimarum cornua inaurata, ibid.
Victimarum inauratarum vsus 665
Victimarũ sanguinis vsus 33
Victimarum partium vsus 34
Victimarum molæ 32
Victimas iugulandi ritus 40
Victimas experiebantur 31
Victimis quid additur 34
Victimis vina infusa 32

Victo-

Victoria Stygis filia 194
Victoriæ forma 195
Vincentii Borghini virtus 970
Vinum Veneris sacris vetitum 400
Vinum sacris additum 41
Vini commoda 483
Vini mala 467
Vir bonus quis sit 117
Viri boni existimatio libidine muliebri nō lædit 402
Viros bonos spernentes mulierib. fiunt supplices 598
Virgo inter sidera 895
Virtuti aduersaria fortuna 141
Virtutis vis 185
Virtutis vis 939. aduersaria fortuna 938
Visus rationes 914
Vita hominum qualis 287
Vitis vbi prius inuenta 492
Vitis è Staphyle 487
Vitis inuenta 513
Vitium putatio inuenta 493
Vlysses vnde dictus 947
Vlysses insaniā simulat 947. salem seminat, ib. Achillem dignoscit. ibid. sagittas Herculis tulit ad Troiam, ib. cineres Laomedōtis rapuit 948. Rhesi equos abduxit, ib Ciconas adiuit, ibid. Lotophagos accessit 949. Polyphemū petiuit, ibid. ventos clausos accepit ibid. Lestrygonas adiit, ibid. ad inferos descendit 949. Sirenum cantus vicit 95 . Scillam & Charybdim transiit ib. naufragium fecit, ibidem cum Calypso versatus, ib. ab Arete adiutus, ib. occisus, ib. populator vrbium dictus 309
Vlyssis parentes 946. filii 949 socii 951 res gestæ 948. prudentia 952. āstus in Sirenes 760
Vota hominum qualia sint 532
Vota irrita cur ferenda æquo animo 551
Vrendorum cadauerum inuentor 812
Vrsa cur non mergitur 994
Vrsus mons 84
Vua prius inuenta 493
Vulcanus calor est naturæ, 155. cur arma diis fabricaret 156. Mineruam prope violat 306. cur ignis deus 148. vt ignem reperit 160. vt genitus 135. vt educatus 147. præcipitatus 146. ædificare inuenit 153 è conceptu subuentaneo natus 135. facifer in nuptiis 148. pyromantiæ peritus 152. canem viuum fecit 153. ignis creditus 149
Vulcani parentes 145. vxores 148 certamina, ib. officina 151. officium 152. aurea sella 147. ara 153. filii 154. famuli 152. statua 153. inuentū 150. homo fabrefactus 1025. allegoria 155

Vulcani Lāpadophoria 156
Vulcani plures 146
Vulcano Lemnos sacra 147
Vulgi consuetudo 599
XEnophanis opinio de Luna 260
ZElotypia furor præpotens 385
Zenonis opinio de principiis 77 (396
Zephyrus Veneris nuncius
Zetus Iouis filius 96
Zona dicabatur 268
Zonam soluere quid sit, ib.
Zoster vocatus locus 977
Zythus pro vino est 510

Regionum, vrbium, locorumque nomina, quæ originem ceperunt à filiis variorum Deorum antiquorum.

ACacesium vrbs 440
Acela vrbs Syriæ 702
Achelous fluuius 714
Acontium opp. 994
Acrephia vrbs 346
Adrianopolis Oreste vocata 954
Ægina insula 215. 314. 895.
Ægyptus 155. 927
Ænus mons 655
Æoliæ insulę 866
Æthiopes populi 155
Ætolia regio 261. 336
Africa 701
Alesia vrbs Celtarum 693
Amanus mons 956
Anthamum oppidum 169
Aonia regio 168
Aptera vrbs Cretæ 762
Arabia regio 346
Arcadia regio 335
Ardea vrbs 949
Area vrbs 516
Argos vrbs 915
Argos Oresticum 955
Argyrippa 725
Arno vrbs 166
Asia mundi pars 827
Asopia regio 896
Astræus fluuius 169
Athamania regio 602
Athenæ vrbs 174
Athos mons 168
Atlas mons 332
Ausonia 573. 949
BArgyllis 963
Bithynia regio 161
Bœotia 928
Bosphorus 903. 904
Brundusium 701
CAicus fluuius 196. 447
Camirus vrbs 701
Celtæ pop. 987
Chalcis vrbs 895
Chalybes populi 161
Charisiæ 994
Chios insula 347
Cilicia 927
Citheron mons 220
Claros insula 91
Cleone vrbs 812
Corcyra vrbs extructa 672
Corcyra insul. 88. 168. 515. 895
Corintus 812

Coryca Sicilia 122
Cranon vrbs Ephyre 810
Creta insula 100. 511. 898
Cyneta vrbs 994
Cyprus insula 383
Cyrene vrbs 545
Cyrnus insula 96
Cythorus mons 602

DArdania regio 96
Dardanum vrbs ibid.
Delphi 347. 364. 898
Delus 976
Diculi 726
Dorri 168
Diomedea insula 726
Drepanum vrbs 122. 515
ELei populi 336
Erydanus 690
Erythræum mare 815
Europa 96. 821
GEnua vrbs 615
Gerania mons 901
HÆmonia 898
Helena insula 668
Hellenes pop. 314. 898
Hellespontus 601
Heneti 987
Heraclea prouincia 687
Hesperia 334
Hiera 151
Hispania 455. 468
Hemus mons 655
Hyperete opp. 169
IApygia 726. 783
Illyris 987
Indus fluuius 541
Ionium mare 903
Ioppe vrbs 904
Ismenus fluuius 614
Italia 689
LApithæ pop. 347
Lanssa vrbs 545
Libya regio 96. 821
Ligures 688
Lipara 868
Lusitania 486
Lydia Mæonia 701
MAcaria 701
Macarea vrbs 994
Macedonia 510
Macris Sicilia 122
Maronea vrbs 510
Megara vrbs 347
Media 587
Marsi populi 573
Melenæ 994
Melas fluuius 169
Melita insula & opp. 701
Miletus vrbs 346. 542
Mycenæ vrbs 815
NAxos insula 480
Neapolis vrbs 757
Nicopolis ibid.
Nisyros 649
OAxia vrbs 213
Olenum vrbs 155
Olynthus 701
Oriens mons 541
Ortygia insula 977
PAgasæ vrbs 696
Parnassus mons 899
Peloponnesus 811
Peneus fluuius 347
Phæacia regio 168
Phasis fluuius 541
Phlegra ora 659
Phœnicia 168. 927
Pisa vrbs 336

Pitane vrbs 168
Plote insulæ 345
Portus Herculis 693
Pylum conditum 590
Pyrenæi montes 701
RHodus insula 347 541
Riphæi montes 627
SAlamina 895
Sardinia 701
Saturnia regio 127
Sauona vrbs 96
Scythia 701
Sicilia 122
Sinope vrbs 895
Strophades insula 731
Syria regio 895
TAnagra vrbs, ibid.
Tarsus vrbs 815
Taygetus mons 96
Telamonius portus 607
Theba vrbs 314.735.895
Theramene insula 545
Thespia vrbs 895
Thessali 587.693 897
Thracia 161.821
Tyrrhenia 967
Tmolus mons 161

Quæ plantæ, & quæ animalia quibus Dijs fuerint antiquitus consecrata.

ABies Baccho sacra 487
Accipiter Apollini 365
Adiantum Plutoni 177
Æsculus Herculi 28
Agnus Iunoni 387
Alba populus Herculi 28
Allium Laribus 298
Alnus Eumenidibus 223
Anser Inacho 137
Anser Isidi 388
Anser Iunoni 127
Apua Veneri 352
Aquila Ioui 111
BOca Mercurio 352
CAnes Laribus 298
Canes Marti 162
Cedrus Eumenidibus 223
Ceruus Herculi 28
Cicada Apollini 352
Columba Veneri 388
Cornus Apollini 349
Cornus Herculi 28
Crocus Cereri 517
Crocus Eumenidibus 224
Cupressus Siluano 469
Cygnus Apollini 359
Cyparissus Plutoni 177
DIctamum Lucinæ 292
Draco Æsculapio 376
Draco Baccho 492
Draco Mineruæ 310
FIcus folia Baccho 28.478
Fusanei pisces Baccho 352
Fidicula piscis Apollini 352
Fraxinus Marti 28
GAllus Æscul. 234.375
Gallus Marti 162
Gallus Mineruæ, 310
Gallus Soli 542
Gramen Marti 162
Gryphes Apollini 368

Hede-

HEdera Baccho 487.495
Hyacinthus Apoll. 369
ILex Ioui 38
Iuniperus Apoll. 223.354
Iuniperus Eumenidibus 223
LAurus Apollini 354
Leones Vulcano 153
Lingua concha Veneri 383
Lupus Apollini 349
Lupus Marti 161.349
MEalla quibus 543
Mula piscis Dianæ 352
Myrica Apoll. 355
Myrtus Cereri 517
Myrtus Dionyso 395
Myrtus Veneri 395
NArcissus Baccho 487
Narcissus Cereri 517
Narcissus Eumenidibus 224
Narcissus Plutoni 177
Narcissus Proserpinæ 224
Noctua Mineruæ 310
OLeaster Apoll. 352
Oporobasilis Baccho 28
PAlma arbor Musis 779
Papauer Cereri 523
Papauer laribus 298
Papauer Lucinæ 523
Pauo Iunoni 138
Phalaris Veneri 352
Pica Baccho 487
Picus Marti 161
Pinus Fauno 468
Pinus magnæ matri 97
Pinus Pani 453
Pisces Neptuno 171
Plantanus Genio 296
Pompilus Neptuno 352
Portulaca Mercurio 440
QVer as Baccho 487
Quercus Cereri 25
Quercus Ioui 100
Quercus Rheæ 971
RHamnus Eumenid. 223
Rosa Veneri 395
SErpentes Æsculapio 371
Semilax Baccho 487
Smilax Cereri 517
THunnus Neptuno 178
Trigle Hecatæ 352
VItex Baccho 28
Vitis Rheæ 971
Vitula Isidi 905
Vultur Marti. 168

FINIS.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

Fl. — dh